DISPUTATIONES THEOLOGICAE COMPLECTENS MATERIAM DE POENITENTIA, DE...

Filippo Fabbri, Giovanni Battista Coccini





BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
ROMA
S
22 — M
41

DISPVTATIONES
THEOLOGICAE

Complectentes materiam

DE POENITENTIA,

De Peccato, De Suffragijs,
De Purgatorio, De Indulgentijs,

Atque omnia alia, quæ Theologi tractant in IV. Sent. à dist. xiv. vsque ad xxij.

AVCTORE
F. PHILIPPO FABRO FAVENTINO
ORD. MIN. CONVENT.
In Vniuersitate Patauina Sacræ Theologiæ Professore.

QVIBVS DOCTRINA SCOTI MAGNA FACILITATE DILVCIDATVR, & contra Aduersarios omnes veteres, & recentiores defenditur.

Cum duplici Indice, vno Disputationum, altero Rerum memorabilium.

Ad Ill.mum & R.mum D. D. Ludouicum Ludouisium S. R. E. Card. Camerarium.



VENETIIS, Ex Officina Marci Ginami, M DC XXIII.

Permissu Superiorum, & Priuilegio.

ILLVSTRISSIMO,
ET REVERENDISS.
DOMINO,
D. LVDOVICO LVDOVISIO
S. R. E. Cardinali Camerario.

Frater Philippus Faber Fauentinus S. P. P.



Iterarij labores quanti sint, nemo nouit, nisi qui ijs profusus, & penè consumptus est; quàm sint pensi, ij intelligunt, qui à prima ætate corporeis voluptatibus vale dixerunt, & in animi humani dignitatem totis neruis intenderunt; ijs demum horum munera grata sunt, qui eorundem oblectatione curas graues, vel absumunt, vel leniunt. Id si perspectum fiet, non obscurum erit intelligere monimenta studiosorum, non nisi sub tuis felicissimis auspicijs Illustriss. & Reuerendiss. Princeps per ora hominum volitare debere. Hæc debentur augustissimo nomini tuo; debentur Cardinali Amplissimo; S. R. E. Purpurato; Supremi Rectoris, & Gubernatoris Ecclesiæ Consiliario; debentur ad extremum (quod omnium summa est) viro eruditissimo, in iuuenili ętate studiorum laboribus, vigilijs, lucubrationibus penè confecto, qui tot publicis, & priuatis negotijs, nec sauciatus, erecta in palatio Apostolico lectissimorum hominum Academia, omnibus Orbis Christiani literatis, quò vela dent, continuò indicat. His ego fretus, & singulari benignitate, qua me mensibus elapsis Romæ excepisti, sublimitati tuæ nec detrahere, nec mihi plus nimio tribuere censens, hoc opus de Pęnitentia, re pręstanti, & scitu dignissima (nisi fortè tenuitate mea exilis reddatur) offero, atque dico. Sed magnanimi est, quale quale donum sit, deuotionis affectum intueri. Vale, & qua cepit Deus te felicitate prosequatur.

Patauij, Idib. Martij. M DC XXIII.

Ego Fr. Petrus Paulus à Nouaria Ord. Min. Conuentualium, Artium, ac Theologiæ Doctor, Magnæ Domus Venetiarum Regens, iussu Reuerendiss. Patris, P. M. Iacobi à Bagnaballo eiusdem Ord. Generalis vigilantissimi, vidi, & maiori qua potui diligentia, consideraui Opus de Pœnitentia, ac Appendices aliquas quæstiones ad Primum Sententiarum olim excussum, nunc in studiosorum vtilitatem compositas, & compositum ab admodum Reuerendo P. M. Philippo Fabro eiusdem Ord. & professionis, publico in Gymnasio Patauino Theologiæ Interprete, nihilque in illis testor me reperisse alienum ab Ortodoxa, & Catholica Fide, bonis, & Christianis moribus pugnans, Principum maiestati derogans, quinimò, grauem, solidam, & vndequaque discussam doctrinam continere; quæ cum ingentem Scotici acuminis, ac veritatis Catholicæ studiosis vtilitatem allatura certò sciam, facultate ab eodem Reuerendiss. nostro Patre Generali ad hoc mihi specialiter tradita, quantum ad ipsum spectat, vt imprimantur, concedo.

Venetijs IV. Nonas Iunias M DC XXI.

Ego idem Fr. Petrus Paulus, qui supra testor, & concedo, vt supra.

Opus præclarum de Pœnitentia, cum reliquis quæstionibus, quæ ad primi libri Sententiarũ complementum desiderabantur, multo negocio, multoque labore compositum, quatuor partibus absolutum, plurimis item Disputationibus elucidatum, Auctore R. admodum P. M. Philippo Fabro Fauentino nostri Ord. Min. Conu. in publica Vniuersitate Patauina Professore Theologo, Ego Fr. Michael Stella Venetus Doctor, & Moralis Theologiæ Professor, à Reuerendiss. P. M. Io. Dominico Vignutio Rauennate Ord. Præd. in toto Sereniss. DD. Venetorum Dominio contra hæreticam prauitatem Inquisitore Generali, ad eiusdem Operis examen specialiter deputatus, his diebus vidi, legi, & quà potui maiori diligentia consideraui, in quo cum nihil offenderim dissonum, quod videlicet Sacris Ecclesiæ Romanæ Præceptis refragetur, quodvè bonis Christianorum moribus aduersetur, immò multa cum repererim subtili indagine inuenta, & facili methodo exposita, è quibus in omnes, potissimùm verò studiosos, voluptas non modica, vtilitas autem quàmmaxima poterit dimanare, sinè aliqua animi hæsitatione affirmo, huiusmodi Opus dignum esse, quod in lucem prodeat ad communem vtilitatem, in cuius rei fidem, hoc meæ examinationis, & approbationis publicum monumentum mea manu scriptum, & subscriptum Reuerendiss. P. Inquisitori, & omnibus, quibus facultas pro Librorum impressione demandata est, exhibeo, & do.

Dat. Venetijs, è Conuentu nostro Magnæ Domus, die 28. Augusti 1621.

Ego Fr. Michael Stella, qui supra, manu propria.

Visis supradictis approbationibus, typis opus admissum fuit, &c.

Fr. Io. Dom. Vignutius de Rauenna Sac. Theol. Doctor, Ord. Prædicatorum, & Generalis Inquisitor Venet.

INDEX DISTINCT. QVAEST. DISPVT. ET CAP.

De Pœnitentia.

DISPVTATIO X.

De macula, & reatu peccati.

DISPVTATIO XI.

Vtrùm pœnitentia virtus necessariò requiratur ad deletionem peccati mortalis post Baptismum commissi.

Quæstio Secunda.

DISPVTATIO XII.

Vtrùm actus pœnitendi requisitus ad deletionem peccati mortalis sit actus alicuius virtutis particularis.

DISPVTATIO XIII.

Vtrùm actus pœnitentiæ, qui requiritur ad delendum peccatum mortale debeat esse genitus à virtute, & formatus gratia.

DISPVTATIO XIIII.

Vtrùm actus naturales boni sint meritorij de congruo gratiæ habitualis, & iustificationis.

DISPVTATIO XV.

Vtrùm detur meritum de congruo.

DISPVTATIO XVI.

De contritione, & attritione.

DISPVTATIO XVII.

De ordine inter contritionem, aut attritionem, & infusionem gratiæ habitualis, & peccati expulsionem.

DISPVTATIO XVIII.

De pręcepto contritionis.

Quæstio Tertia.

DISPVTATIO XIX.

Vtrùm pœnitentia virtus sit tantùm vnius pœnæ inflictiua.

Quæstio Quarta.

DISPVTATIO XX.

Quid sit pœnitentia sacramentum.

DISPVTATIO XXI.

De materia, & forma sacramenti pœnitentiæ.

FINIS.

INDEX RERVM MEMORABILIVM.

Adultus.

Anima.

Apostolus.

Attritio.

Auersio, *Vide* Peccatum.

Auxilium Dei.

B

Bonitas moralis, & Bonum.

C

Casus reseruatus.

Qui

Causa.

Character.

Charitas.

Circunstantiæ.

Clauis.

Cogitatio.

Confessio.

Con-

Contritionis præceptum.

Conuenientia.

Crudelitas.

Culpa.

Paro-

Peccati causa.

Peccati macula.

Peccatum, & Culpa.

Homo

De redditu peccatorum in recidiuante.

Pœnitentia virtus.

Qua-

Potestas, Auctoritas.

Potestas Apostolorum, Episcoporum, & Sacerdotum.

Potestas Iurisdictionis.

Petrus.

Potentia.

Pręceptum.

Dubi-

Scotus

Vitium.

Voluntas, Liberum arbitrium.

Voluntarium, *Vide* Libertas, Voluntas.

Voluntatis consensus.

F I N I S.

AD LECTOREM.

Duo ex te volo, amice lector, veniam scilicet, atque accuratam lectionem. Hanc tua causa, illam verò mea, si mihi næuos, quibus volumen hoc de Pœnitentia respersum est, vitio vertas. Quamquam & artis lubricitas, & Auctographi sensa ab amanuensi nonnunquam prauè excerpta, & exarata commiseratione me dignum reddant. Non ibo tamen inficias me vel inuito errores quosdam præterea irrepsisse, sed cum, ita quod corrigi potest, atque quod non potest, patienter ferendum sit: tui iudicij esto, si quæ minus intellexeris, iterata lectione, nec non etiam calamo ad incudem reuocare, vt aut expungas, aut corrigas. Quod, vt commodius præstes, hæc pauca, quæ raptim deinceps adnotauimus, sic corrigito. Vale.

Pag. 2. col. 2. lin. 49. qui debitus, lege qui est debitus. pag. 6. col. 2. lin. 70. conuenit, lege conuincit. pag. 7. col. 2. lin. 8. Actus, lege Actus bonus. ibid. lin. 16. adeò, lege adeò quod. pag. 9. col. 1. lin. 1. aliquam, lege debitam. pag. 13. col. 1. lin. 62. istud, lege istud medium. ibid. col. 2. lin. 22. variam, lege vanam. pag. 14. col. 1. lin. 27. prodigalitatis, lege liberalitatis. pag. 19. col. 1. lin. 35. Nam, lege Nam non. pag. 21. col. 2. lin. 47. ommissionis, lege cōmissionis. pag. 29. col. 2. lin. 64. tantum, lege totum. pag. 40. col. 2. lin. 2. adsit, lege absit, si. pag. 48. col. 2. lin. 51. quia, lege quia sunt. pag. 52. col. 2. lin. 7. faciat, lege fiunt. pag. 62. col. 1. lin. 14. vitent. *Adde* Subiungunt tamen homines non debere tristari de ijs, licèt mortalia sint, quia (aiunt) Deus non imputat ea hominibus, dummodo credant se esse de numero electorum, sed punit solùm peccatum infidelitatis, & proinde hoc solùm esse peccatum verè mortale, & priuare amicitia Dei. pag. 69. col. 2. lin. 7. conscientiæ quod voluntas non possit, lege conscientiæ. pag. 74. col. 1. lin. 29. opinionem, & conscientiam, lege opinionem. pag. 77. col. 1. lin. 48. statuere, lege struere. pag. 79. col. 1. lin. 68. erecta, lege arcta. pag. 80. col. 1. lin. 42. grauis, lege prauis. ibid. lin. 54. attritione, lege attentione. pag. 87. col. 1. lin. vltima decet, lege Deus. ibid. col. 2. lin. 46. peccata, lege peccata mortalia. pag. 143. col. 2. lin. 41. est principium naturale, non liberum, lege est actus naturalis, non liber. pag. 160. col. 2. lin. 35. visionis, lege vitiosus. pag. 165. col. 2. lin. 63. iniustitia, lege iustitia. pag. 189. col. 2. lin. 68. inordinata, lege in ordinata. pag. 196. col. 1. lin. 47. contineretur, lege continuaretur. pag. 200. col. 1. lin. 67. regulatur alia: est, lege regulatur. Alia est. pag. 202. col. 2. lin. 8. virtutibus lege regulis. pag. 229. col. 1. lin. 41. dilectionem, lege dilectionem Dei. pag. 235. col. 1. lin. 15. gratiæ, lege culpæ. pag. 240. col. 1. lin. 40. sed, lege seù. ibid. lin. 43. obiectum, lege obiectum diuinæ voluntatis. pag. 268. col. 2. lin. 36. sensibilis. *Adde* Vnde cum fundamentum in baptismo sit res, scilicet ablutio, non verba; in pęnitentia verò fundamentum principale sint verba, non res, sequitur, quod in locutione de baptismo est constructio intransitiua; in locutione verò de pœnitentia est cōstructio transitiua. pag. 297. col. 1. lin. 19. quidem, lege quidem, habentem. pag. 301. col. 2. lin. 64. consueueris, lege consueris. pag. 363. col. 1. lin. 52. confessionis, lege confessoris pag. 368. col. 1. lin. 11. prescriptum, lege per scriptum. pag. 373. col. 2. lin. 10. approbationem, lege approbationē per. pag. 375. c. 2. lin. 53. reprobatus, lege reprobādus. pag. 397. col. 2. lin. 4. quilibet *Adde* tenentur. pag. 405. col. 2. lin. 43. diuersis modis, lege diuersis, diuersis modis. pag. 389. col. 2. lin. 42. ab eo, lege absque eo. pag. 416. col. 2. lin. 10 iudicare, lege indicare. pag. 419. col. 1. lin. 33. voluntariè, lege voluntariæ. pag. 424. col. 2. lin. 32. culpæ, lege pęnæ. pag. 431. col. 2. lin. 29. quadragesimarū, lege quadraginta. pag. 449. col. 1. lin. 10. Aug. lege Gregorius. ibid. lin. 39. nostræ, lege naturæ. pag. 452. col. 1. lin. 27. Soto, lege Scoto. pag. 457. col. 1. lin. 60. naturaliter, lege essentialiter. ibid. c. 2. lin. 60. spiritibus esse, lege spiritibus omne. pag. 462. col. 2. lin. 68. admittere, lege dimittere. pag. 470. c. 2. l. 20. alterius, lege vlterius. *Et adde* Ideò si requireretur, vt operans sit in gratia, proculdubio non satisfaceret. Non est ergo dicendum requiri, vt sit in gratia. pag. 475. col. 1. lin. 8. quia, lege qui à. pag. 480. col. 2. lin. 66. sic, lege non sic. pag. 486. col. 1. lin. 57. incitentur, lege irritentur. pag. 491. col. 1. lin. 67. indulgētiæ, lege Bullæ. pag. 517. col. 2. lin. 56. diximus, lege discimus. pag. 518. col. 1. lin. 51. non impedit ista potentia, lege ista non impediunt potentias istas. pag. 519. col. 1. lin. 14. seruus, lege securus. pag. 521. col. 2. lin. 21. exponit, lege exposcit. pag. 523. col. 1. lin. 29. vltra, lege citra. pag. 526. col. 1. lin. 5. peccato, lege peccatore. ibid. lin. 68. culpæ, lege culpæ mortalis. ibid. lin. 69. commutationis, lege commutatio.

Corrigente D. Iacobo Mazzino Sac. Theologiæ Doctore.

THEOLOGICAE
DISPVTATIONES
F. PHILIPPI FABRI FAVENTINI,
In Quartum Librum Sententiarum.

Distinctio XIIII. Quæstio Prima. Disputatio Prima.

Quid sit peccatum actuale.

De malo, vitio, & peccato in communi, atque eorum differentijs, & de actu bono eis opposito. *Cap. I.*

1 NTEQVAM descendamus ad disputationem propositam, necessarium est quædam communia omnibus Theologis explicare, quæ in materia de peccato sæpè occurrũt, vt clarius innotescat quid sit certum, & quid sit dubium in hac materia; quę certè inter omnes materias Theologicas est maximè necessaria cuicumque homini ad vitam æternam, & finẽ suum consequendum: neque enim quis vitare potest malum, & sequi bonum, nisi vtrumque cognoscat. Cum ergo peccatum inducat homines ad perditionem, & opus bonum meritorium ad vitam æternam, quæ & qualia sint, diligenter est inspiciendum.

2 Obseruandum est ergo, hæc tria, malum, vitium, & peccatum, etsi quandoque, & vt plurimũ pro eodem summantur, tamen secundum omnes Theologos habere proprias rationes, secundum quas distinguuntur, de quibus est videre Alex. de Ales 2. par. quæst. 94. & 97. & sequentibus. D. Thom. 1. 2. quæst. 18. 19. & 20. & q. 71. & sequentibus, & Scholasticos in 2. dist. 38. & sequentibus. Vt autem hæc eorum conuenientia, & differentia innotescat videnda est vniuscuiusque essentia, & ratio; hac enim perspecta, cętera omnia manifesta fient. Eorũ autem essentia, & quidditas manifestatur per comparationem ad res naturales: bonitas enim, vitium, & peccatum est duplicis generis, scilicet naturale, & morale, & morale ex naturali innotescit: ideò Scotus in 2. dist. 40. & quolib. 18. art. 1. & fusius in 1. dist. 17. quæst. 2. §. *Quantum ad istum articulum.* prius declarat quid sit bonitas, & malitia naturalis: deinde ex illa inuestigat proportionaliter quid sit bonitas, & malitia moralis: atque idem facit D. Thom. 1. 2. quæst. 18. art. 1. vbi ait, quòd de bono, & malo in actionibus oportet loqui, sicut de bono, & malo in rebus: bonum autem in actionibus, est bonum morale, & bonum in rebus, est bonum naturale. Incipiendo ergo à bono, & malo naturali inquit Scotus, quod sicut in corpore pulchritudo est aggregatio omnium conuenientium illi corpori, & inter se, puta quantitatis, coloris, & figurę, vt habet Diuus Augustinus 8. de Trinit. cap. 3. in illis verbis. *Bona facies hominis dimensa pariliter, & affecta hilariter, & luculenter colorata:* ita bonitas naturalis (non illa, quæ conuertitur cum ente, sed illa, quæ opponitur malo) est perfectio resultans ex integritate omnium conuenientium illi rei, & inter se inuicem.

Quid sit bonum, & malum naturale.

3 Hæc assertio probatur auctoritate D. Dionysij de diuinis nominibus cap. 4. par. 4. vbi ait, *Atque, vt paucis expediam, bonum ex vna, & tota causa malum ex multis particularibus proficiscitur defectibus.* Quod etiã ratione ipsa probatur: quia perfectum, & bonum conuertuntur; ideò quod habet integritatem omnium eorum, quæ sibi competunt, perfectum est, & consequenter bonum est; id verò, cui aliquid deficit non est perfectum, nec bonum, sed malum: vndè infert Scotus, quòd si natura aliqua sit, & careat omnibus, quibus deberet perfici, est perfectę mala: si verò quædam tantum subtrahantur, est mala, sed non est perfectè mala. Quod comprobat exemplo pulchritudinis, & turpitudinis: corpus enim, quod habet aggregationem omnium eorum, quæ conueniunt ei, & inter se, est perfectè pulchrum; illud verò, cui aliquod illorum defficit, dicitur turpe quidem, non tamen perfectè turpe: ita natura aliqua si detur, quæ consistere possit, & careat omnibus conuenientibus sibi, est perfectè mala; (habebit enim solum bonitatem entis, sed non naturalem) si verò ei deficit tantum aliquid conueniens, seù aliqua perfectio dicitur mala, non tamen perfectè mala. Ex quo elicitur, quæ differentia sit inter bonitatem, quam habet res, vt est ens, & inter bonitatem naturalem eiusdem rei, quatenus opponitur malo naturali; bonitas enim entis est integritas, & complementum essentiæ rei in quantum est essentia consistere potẽs in rerum natura, quæ competit tantum entibus completis, non entibus diminutis, vt diximus in primo, agendo de relationibus diuinis, an sint perfectę, & quantæ, vel non. Bonitas autẽ naturalis, quæ opponitur malo naturali est bonitas secunda; vt loco citato dicit Scotus: quia vltrà nudam essentiam, & complementum essentiæ rei nudæ, addit integritatẽ omnium, quæ tali essentiæ, & inter se in illa essentia conuenire habent; & malum naturale est carentia illarum, vel alicuius illarum, vt declaratum est per exemplum pulchritudinis.

Quæ sit bonitas entis.

4 Ex hac declaratione bonitatis naturalis explicat Scotus quid sit bonitas moralis: & supponens, quod omnis bonitas moralis consistat in actu cum Arist. in Ethicis, D. Thom. loco citato, & alijs Thologis, inquit, quòd bonitas moralis est aggregatio omnium eorum, quæ secundum rectam rationẽ conueniunt actui. Adeo quod actus ille est moraliter bonus, qui habet omnes circunstantias debitas, & sibi conuenientes secundum rectam rationem.

Quid sit bonitas moralis.

Obseruandum autem est hic, inter recentiores Theologos esse non parum discrimen, quid, & quæ sit recta ratio, cui conformari debent actiones humanæ, vt sint rectæ; seù quæ sit rectitudo illa rationis, quæ est regula actuum humanorum, quo ad bonitatem, & malitiam: & difficultas est, An rationis rectitudo pendeat à rectitudine appetitus: an è cõuerso, Rectitudo appetitus pendeat à rectitudine mentis, & rationis. Et in hoc facit difficultatem dictum Arist. 6. Ethicor. cap. 2. vbi ait, quod

Quõ recta ratio sit regula humanarũ actionum.

veritas intellectus practici est esse conforme appetitui recto; vbi videtur velle, quod appetitus rectus sit regula bonarum actionum.

Opin. Vasquez.

5 Vasquez 1. 2. disp. 68. varias opiniones ad hoc explicandum adducit, & reijcit; sed neque ipse rem exactè explicat: dicit enim, quòd regula à priore est natura ipsa rationalis; adeoquòd id, quod est conforme naturæ rationali, est bonum; quod non est conformi illi, est malum. Addit verò, quod quia voluntas non potest aliquid dissentaneum, vel consentaneum naturæ rationali prosequi, nisi ratio illud ei proponat, vt dissentaneum, vel vt consentaneum, & ipsa ratio quandoque in hoc potest errare, ideò proxima regula dirigendi actiones humanas est ratio ipsa, quatenus proponit ipsi appetitui diligenter id, quod videtur conueniens naturæ rationali: vndè licet in re postea sic non sit, vt contingit cum quis accedit ad non suam, putans esse suã, actus est bonus quia ratio adhibuerat omnem diligentiã debitã.

Reijcitur.

6 Verùm hæc responsio non satisfacit difficultati, quia adhuc ignoratur, quænam sit illa rectitudo in natura rationali, & rationi, secundum quam se debet regulare ipsa ratio in iudicando hoc, vel illud esse consentaneum naturæ rationali, vel dissentaneum. Concedo equidem, illud esse rectum, quod est consentaneũ naturæ rationali, & quod ratio iudicat, habita diligentia debita, esse consentaneũ; sed adhuc ignoro, quæ sit ista regula dirigens rationem in iudicando hoc esse consentaneum, vel non; hoc autem non explicatur à Vasquez.

Vera solutio.

Itaque breuiter dico, nulli dubium esse, quòd rectitudo appetitus voluntatis pendet à rectitudine rationis, non è conuerso: nam ideò electio, & volitio, quæ est prima praxis, seù prima operatio practica est recta, quando est conformis rectæ rationi, seù iudicio recto intellectus: ad rationem enim, idest intellectum practicum, pertinet iudicare, quæ sit bona, & mala operatio ipsius voluntatis, non è conuerso: & tunc operatio appetitus, seù voluntatis est rectus, quando sequitur iudicium, & dictamen rectum rationis, ideò in hoc non est dubitatio, & Aristoteles 6. Ethic. cap. 2. hoc idem docet, nõ autem oppositum, ait enim quod *veritas intellectus practici est esse consentaneum appetitui recta*, idest operatio practica vera (operatio autem practica vera est operatio bona practicè, quia veritas practica est idem quod bonitas operis moralis, quod dicitur opus practicum) est ea, quæ est conformis appetitui recto: appetitus autem rectus est, qui est conformis rationi rectæ: adeoquod primò ad vltimum est ac si dicat, operatio moralis, & bona, est ea, quæ est conformis volitioni, & electioni, quam intellectus iudicat rectam esse, licet aliquando erraret, quod in rebus humanis aliquando accidit.

Quæ sit regula humanarũ actionum.

Quæ autem sit regula, à qua mens, & ratio debet dirigi ad iudicandum, An hæc actio, seù electio sit bona, vel mala, quod est punctus difficultatis, dico, eam esse habitum principiorũ primorum moralium: nam vt disertè tradit Scotus in Prologo in q. de Praxi §. *ad quæstionem*. & in 3. dist. 39. vt infrà dicam agendo de sinderesi, sicut in mente nostra est habitus principiorum speculatiuorum, quo prima principia speculabilia apprehensis terminis cognoscuntur, & eorum cognitio dicitur intellectus, neque fit ex alia, sed omnis scientia pendet ex fundatis in illis: ita in practicis dãtur prima principia practica, quæ sumuntur à ratione vltimi finis; ex illius enim apprehensione sumuntur prima principia rectitudinis in volitione, & alijs actibus imperatis; & illa sunt per se nota, quia ex apprehensione simplici terminorum cognoscuntur esse vera, illa sunt regula conclusionum practicarum: conclusiones enim, quæ deducuntur ex illis, sunt veræ, & operationes conformes illis sunt bonæ: conclusiones verò, quæ non deducuntur ex illis, sed ipsis sunt contrariæ, sunt conclusiones practicæ falsæ, & operationes illis conformes sunt malæ. Vndè benè Scotus dicit in 3. loco citato, quod habitus horum principiorum est sinderesis: sinderesis enim remurmurat semper contra malum, & dictat, bonum esse sequendum: signum est ergo, quòd habitus illorum principiorum est regula, & dictamen rectum; & quia ille habitus est in intellectu, rectè dicitur, quòd rectitudo rationis est in intellectu, & quod appetitus ab illa dirigitur, & quòd illa operatio est recta, quæ est conformis rectæ rationi, idest habitui primorum principiorum practicorum, qui est in intellectu à natura, & nunquam errat; licet conclusiones practicæ possint esse aliquando falsæ, quia minor sumpta sub aliquo illorum principiorum esse potest falsa, vt dicam infrà, agendo de sinderesi.

7 Redeundo nunc ad propositum illa actio est recta quæ est conformis rectæ rationi: recta autem ratio dictat, quod actus ad hoc vt sit bonus, respiciat debitè, & conuenienter quattuor genera causarum, à quibus dependet, scilicet efficiens, quæ est voluntas, materialem, quæ est obiectum, finem, & formam. Quando ergo actus habet conuenientiam cum istis causis secundum rectam rationem, actus est perfectè bonus: quando autem aliqua desunt est malus; & quo plures deficiunt peior est. Prima ergo ratio, seù conditio bonitatis actus, est ex conuenientia ad causam efficientem, quæ est volutas; quæ ratio consistit in hoc, vt actus sit liberè elicitus: actus enim ille est moralis, siuè laudabilis, qui elicitur liberè, & ratio est, quia actus non est laudabilis, neque vituperabilis, nisi sit à voluntate liberè eligente: in naturalibus enim, neque laudamur, neque vituperamur, neque meremur, neque demeremur. Quare prima ratio bonitatis, seù conuenientia actus est, quod sit à voluntate liberè eligente. Verum est quidem hanc conditionem, vt sit à voluntate libera, non esse propriũ actus boni, quia hæc etiam competit actui malo: tamẽ hæc etiam competit actui bono. Secunda conditio actus boni est ex causa materiali, siuè ex obiecto; vt scilicet sit circa obiectum conueniens: nam si actus sit circa obiectum conueniens illi secundum rectam rationẽ, dicitur actus bonus ex genere. Dicitur autem talis actus bonus ex genere, quia est indifferens ad bonitates vlteriores, quæ sumuntur ex circunstantijs specialibus, sicut genus est indifferens ad multas differentias, & multas species. Tertia conuenientia desumitur à causa finali; neque enim ad bonitatem actus sufficit, quòd sit liberè elicitus à voluntate, & sit circa obiectum debitum, & cõueniens secundum rectam rationem, sed est etiam necessarium, vt fiat, & ordinetur ad debitum finem; hæc enim est principalis circunstantia. Quarta conditio, & conuenientia sumitur à causa formali, scilicet à forma, qua actus debet fieri, qui debitus modus, & sub ista comprehenduntur reliquę omnes circunstantiæ magis extrinsecæ, vt vbi, quando, quibus auxilijs, quomodo: nam præter libertatem in actu, obiectum conueniens, finem debitum, requiritur etiam vt fiat debito modo, scilicet tempore, loco, & medijs, quibus dictat recta ratio faciendum esse.

Dubitatio.

Sed hic occurrit dubium, quia communiter circunstantiæ dicuntur conditiones, quæ extant extra substantiam actus, ita tamen, vt aliquo modo illam attingant; istæ autem sunt septem, vel octo, quæ enumerantur ab Aristotile 3. Eth. Cap. 11. & de ijs agunt D. Thomas 1. 2. quæst. 7. art. 3. Alensis 1. 2. quæst. 96. Memb. 2. & Scholastici in 2. Sent. dist. 38. & sequentibus, & continentur in illo versiculo, *quis, quid, et circa quid*, (quæ tamen continetur in quid) *vbi, quibus auxilijs, cur, quomodo, quando*. At in his circunstantijs continetur, *quis, & quid*, quæ denotant causam efficientem, & materialẽ, quæ sunt causæ essentiales actus; ergo videtur, quod malè assignantur huiusmodi circunstantiæ.

Solutio.

8 Respondeo, quòd sine dubio, quis, & quid pertinent ad substantiam actus, quibus proximè accedit finis, cum nulla actio libera sine aliquo fine fieri possit: ideò cum, *quis*, & *quid* ponuntur vt circunstantiæ actuũ

huma-

humanorum non accipiuntur, vt significant causam ipsam principalem, sed vt significant aliquam circunstantiam eiusdem causæ efficientis. Vt cum quis habet rem, cum aliena, an sit soluta, vel coniugata; & quo ad quid, an quòd quis furatur, sit res Sacra. Modus enim, quatenus est spetialis circunstantia, significat qualitatem actus, vt puta, si quis peccauit grauiter, vel leuiter. Ex quo sequitur quod in actu potest esse duplex malitia, altera secundum substantiam, vt cum est circa obiectum disconueniens rationi rectæ: & rursus malum ex circunstantia, vt cum præter obiectum malum adest circunstantia per se disconueniens rectæ rationi. Vel si obiectum est bonum, tamen additur circunstantia prohibita, & sic de alijs. Et hæc est doctrina communis tradita à D. Tho. Scoto, & alijs doctoribus, vbi suprà, & communiter supponitur ab alijs.

Quid sit vitium.

9 Hoc eodem modo philosophandum est de vitio: nam secundum D. Aug. lib. 4. de libero arbitrio cap. 14. Vitium est carentia alicuius perfectionis, quæ competit naturæ alicui; inquit enim. *Quod perfectioni naturæ deesse perspexeris id uoca vitium.* In rebus ergo naturalibus vitium est carentia alicuius perfectionis debitę illi naturæ; sicut dicebamus de malo; & rectum, seù rectitudo est aggregatio eorum, quæ secundum rectam rationem alicui competunt. Ita in naturalibus, ille actus est vitiosus, cui deficit aliqua conditio sibi debita secundum rectam rationem; & ille actus dicitur studiosus, & rectus, in quo est aggregatio omnium eorum, quæ dictat recta ratio illi competere debere. Vndè hac ratione opponitur virtuti; virtus enim communiter sumpta secundum Philosophũ 7. phis. tex. 17. citatus à D. Tho. 1. 2. quæst. 71. art. 1. *Est dispositio perfecti ad optimum.* Vndè in naturalibus res secundum naturam disposita ad optimum conueniens suæ naturæ dicitur habere virtutem sibi competentem: ita in moralibus dispositio subiecti ad optimum secundum rectam rationem, scilicet ad actum optimum dicitur virtus moralis. Propter hoc Scotus in 1. dist. 17. quæst. 2. §. *Quantum ad istum articulum*, inquit proportionaliter esse dicendum de bonitate morali actus, & habitus. Vndè cum actus bonus moraliter proueniat ab habitu virtutis, necesse est, quòd virtus moralis sit dispositio, seù habitus secũdum quem agens possit producere actum optimum sibi conuenientem. Sicut ergo aggregatio omnium conditionum cõuenientium actui secundum rectam rationem facit actum rectum moraliter, & carentia illarum, vel alicuius illarum facit actum vitiosum: ita habitus virtutis est dispositio ad causandum actum illum rectum, & bonum moraliter, & vitium est dispositio ad causandum actum carentem illis conditionibus, vel aliqua illarum.

Quid sit peccatum.

10 Peccatum verò, vt elicitur ex D. Tho. 1. 2. quęst. 1. art. 1. & supponitur à Scoto in 2. dist. 23. quæst. 1. & dist. 40. & ab alijs Theologis, minus latè patet, quàm malum; sicut rectum minus latè patet, quàm bonum: nàm malum est priuatio quæcunque boni, vt vidimus, sicut bonum est aggregatio omnium conuenientium. Peccatum verò est carentia boni quidem, sed determinati, scilicet ordinationis ad debitum finem; quæ ordinatio consistit in conformitate ad regulam superiorem, quæ dirigit ad vltimum finem. Vndè actus ille est peccatum, qui deuiat à regula superiori deserente sibi modum, quò ad finem suum peruenire quæat. Quæ regula est triplex: nam in his, quæ sunt secundum naturam, regula est ipsa virtus naturæ, quæ inclinat in suum finẽ. In his quæ sunt voluntatis, regula proxima est humana ratio; regula autem suprema est lex diuina. Quandocunque ergo actus naturalis procedit in finem secundũ virtutem naturalem est rectus naturaliter: cum verò actus procedens ab agente naturali deuiat à virtute naturæ, est peccatum naturæ. Vndè Arist. 2. phys. tex. 82. mõstra in natura appellat peccata, quia agens non operatur in illis secũdum virtutem debitam, cum non perducat ea ad effectum, quem intendit natura, inquit. *Et in physicis monstra peccata sunt illius, quod propter aliquid agit.* Quandò verò actus humanus, & liber in rebus humanis deuiat à recta ratione, dicitur peccatum morale; quando denique actus humanus deuiat à regula æterna, est peccatum propriè, vt Theologi accipiunt peccatum. Huic propriè opponitur meritum, seù actus meritorius; vndè actus factus secundum rectam rationem naturalem in humanis meretur præmium morale, vt honorem, & laudem, & similia: & actus factus secũdum regulam superiorem diuinam meretur premiũ vitæ æternæ: ratio enim meriti secundum Theologos addit suprà bonitatem moralem relationem ad charitatem, & gratiam; & pro præmio redditur vita æterna; de quibus suis locis. Ad propositum ergo, cum disputamus de diffinitione peccati, & quærimus quid sit peccatum, sermo est de actu, qui deuiat à regula æterna, & à fine vltimo, qui est beatitudo; hoc autem propriè est peccatum actuale.

Verùm aliquis obijciet, doctrinam allatam non esse communem omni peccato, quod verè secundum fidẽ, & Theologos est peccatum, sed solum peccato actuali. Vndè diffinitiones variæ assignantur à Sanctis Patribus quibus hæc doctrina accomodari non videtur posse, vt est illa Augustini de natura boni adducta ab Alens. 2. p. quæst. 97. m. 1. *peccatum est superfluitas concupiscentiæ*, & aliæ multæ.

11 Respondetur peccatum varijs modis accipi posse, & proinde varias de illo à Sanctis Patribus, & doctoribus assignari diffinitiones. Peccatum enim aliquando sumitur sub ratione peccati in communi, & de eo assignantur diffinitiones aliquę communes, vt illa Anselmi libro de casu Diaboli cap. 9. *Peccatum est priuatio boni.* Et illa Augustini adducta in obiectione, & similes. Aliquando accipitur peccatum pro aliquo genere, vel specie, seù quasi specie peccati: vt pro peccato originali; & tunc de illo assignatur illa diffinitio D. Aug. libro retractationum. *Peccatũ est carentia debitæ iustitiæ*, licet hæc diffinitio competat peccato actuali. Aliquando verò accipitur pro peccato actuali, & hæc est magis propria acceptio. Hoc enim est propriè peccatum, & radix aliarum specierum peccatorum. Originale enim ab actuali originem ducit, & proinde nomine peccati, nisi fiat aliqua specificatio, semper intelligitur peccatũ actuale; & de hoc assignantur multæ diffinitiones, vt est videre apud Alex. Alens. qui q. illa 106. ex varijs Patribus assignat octo diffinitiones, & alijs alias. Aliquando etiam peccatum accipitur pro macula peccati derelicta ab actu peccati in anima, & sic peccatum dicitur carentia gratiæ, & reatus mortis æternæ. Secundum ergo diuersas acceptiones peccati diuersæ sunt diffinitiones à Patribus assignatæ. Sed tamen nulla est, quæ cõplectatur omne peccatum, & omnia, quæ in singulis peccatis inueniuntur: vndè Theologi nonnulli laborant, vt assignent diffinitionem vnam complectentem omnia peccata, & omnes eorum rationes particulares, vt Gregorius de Valentia 2. p. disp. 6. quæst. 1. puncto primo. Verùm quia velle omnia hæc nectere simul, est parere confusionem, singula suis locis seiunctim melius est explicare. Proinde de peccato originali egi in 3. dist. 3. occasione disputationis, An Beata virgo contraxerit peccatum originale. De peccato verò habituali, seù sumpto pro macula, egemus infrà: quid enim illud sit patebit ex doctrina de peccato actuali. Hic autem agemus de peccato actuali, quod est principaliter, & magis propriè peccatum, & à quo omne aliud, quod est propriè peccatum, habet originem; & quidem diffinitio seù descriptio illa est accommodatior. Peccatum est carentia rectitudinis debitæ actui: hæc enim desumitur ex natura rei, vt deductum est. Verum, quia, etsi in hucusque dictis ferè omnes Theologi conueniant, tamen, quia multi multa addunt, neque ista omnes eodem modo expli-

cant,& circa essentiam,& rationem formalem intrinsecam peccati actualis dessentiunt, in hac disputatione disputãdus est de quidditate,& diffinitione peccati actualis: deinde reliqua, quæ ad eius exactam cognitionem spectant, examinabuntur.

Opiniones asserentium, rationem formalem peccati esse quid positiuum, vel mixtum ex positiuo, & priuatiuo, adducuntur. Cap. Secundum.

Differẽtia inter peccatum commissionis, & omissionis.

12 PRoposita difficultas de diffinitione, & ratione formali peccati est tractanda de peccato actuali tàm commissionis, quàm omissionis: nàm licet peccatum omissionis, & commissionis differant, quia peccatum commissionis est actus positiuus, cui annexa est malitia,& difformitas; peccatum verò omissionis, non videtur esse aliquis actus positiuus, sed potius negatio actus positiui, vt est, non audire missam tempore debito; propter quod multi recentiores dicunt, hanc quæstionem habere locum solum de peccato commissionis; tamen eam de vtroque peccato tractabimus; necesse est enim etiam in peccato omissionis quicquid illud sit, de qua re infrà, assignare rationem, propter quam formaliter illa omissio sic peccatum, tractabimus autem prius de peccato cõmissionis, deinde de peccato omissionis.

Sententia veterum Theologorum.

13 In proposita autẽ materia apud antiquos Theologos receptissima Sententia semper fuit, peccatum, pro formali, esse priuationem boni; contendebant verò inter se, cuius boni esset priuatio, vt infrà videbimus. Hĩc fuisse opinionem communẽ elicitur ex Scoto in 2. dist. 37. §. *Istæ quæstiones*, vbi ait, posse supponi diffinitionẽ quid nominis peccati: quia diffinitio quid nominis in omnibus quæstionibus præsupponitur: tamen se velle eam probare, & probat: probat autem esse hanc. *Peccatum formaliter est priuatio boni*, multis auctoritatibus, de quibus postea. Idem habet D. Thomas p. p. quæst. 48. art. 1. & 1. 2. quæst. 18. art. 5. Alens. 2. 1. quæst. 94. memb. 2. & quæst. 105. membro 1. art. 1. D. Tho. 2. Sent. dist. 34. art. 2. quæst. 3. Henricus quolibeto 1. quæst. 25. & multi, quos adducunt recentiores: nihilominus inter recentiores nonnulli sunt, qui asserere non verentur, malitiam peccati esse quid positiuum, & alij partim positiuum, partim priuatiuum. Vndè tria videntur esse capita principalia opinionum, quæ postea subdiuiduntur in alias varias sententias. Primum est asserentium, esse quid positiuum. Secundum asserentium, constare ex positiuo, & priuatiuo. Tertium esse priuationem.

Primũ caput opinionum.

14 Primum ergo caput opinionum est eorum qui asserunt, rationem formalem peccati esse quid positiuum, eam in primis tenet Caietanus 1. 2. quæst. 18. art. 5. & quæst. 71. art. 6. & p. p. quæst. 48. art. 1. qui videtur fuisse primus, qui asseruerit malitiam peccati esse quid positiuum. Medina 1. 2. quæst. 71. art. 6. Vasquez ibidem disputatione 95. cap. 9. qui citat pro se Scotum in quolibeto 18. qui tamen oppositum sentit. Melchior Cano, vt refert Medina, & multi alij ex recentioribus. Verùm auctores isti non eodem modo explicant hanc sententiam.

Caietanus locis citatis quem Medina ibidem, & aliqui alij sequuntur dicit, in malitia peccati esse duo. Primum est conuersio ad creaturas. Secundum est auersio à Deo; cum enim homo peccat, auertit se à Deo, & conuertit se ad creaturam. Conuersio ad creaturam à Caietano appellatur malum morale; auersio à Deo appellatur malum simpliciter. Malum morale secundum ipsum est quid positiuum: malum simpliciter est quid priuatiuum, scilicet carentia debitæ rectitudinis, & bonitatis. Subiungit autem, quòd malum morale est præcipuum in peccato: malum verò simpliciter, siuè priuatio debitæ rectitudinis, & bonitatis, est malum secũdariò, & habet originem à malo morali. Ex quo fit, quòd cum malum morale sit præcipuum fundamentum malitiæ peccati, & priuatio debitæ rectitudinis, & bonitatis sit malum secundario, & ex malitie morali proueniat, & peccatum morale sit quid positiuum, quòd peccatũ pro formali sit quid positiuum. Rationes Caietani sũt illæ, quæ adducuntur contra opinionem communem Scoti, & aliorum asserentium, rationem formalem peccati esse carentiam debitæ rectitudinis, quas infrà, explicata opinione Scoti, adducemus. Præcipuæ autẽ sunt istæ. Prima, quia si ratio formalis malitiæ peccati esset carentia debitæ rectitudinis, non possemus assignare distinctas species peccatorum, vt infrà ex eo ostendemus. 1. Ratio Caietani.

Secunda, quia vitium, & virtus opponuntur contrariè, non priuatiuè, ex Postprædicamentis capite de oppositis. At quę contrariè opponuntur, sunt positiua, non priuatiua; ergo. 2. Ratio.

Præterea. Pro eadem sententia adducitur auctoritas Hieremiæ cap. 2. *Duo mala fecit populus meus, me dereliquerunt fontem aquæ viuæ*, in quo denotatur auersio, & malum simpliciter in priuatione consistens. *Et foderunt sibi cisternas dissipatas, quę aquas continere non valent*: in quo auersio siuè malũ morale significatur. Adducit etiam Caietanus pro se ipso D. Thomam, qui tamen est adeo obscurus, vt ipsemet Caietanus 1. 2. quæst. 71. art. 6. & alij fateantur non facilè intelligi posse, quæ fuerit eius mens, vndè omnes eum in suam sententiam trahere nituntur. Alias rationes adducit Medina, quæ cum procedant contra opinionem Scoti, eas infrà adducemus cum alijs, quæ contra Scotum fieri solent. 3. Ratio.

15 Vasquez verò loco citato asserit, peccati malitiam esse quid positiuum, quia ait, rationem formalem peccati esse relationem quandam extrinsecam operationis humanæ ad naturam rationalem, quam relationẽ appellat relationem disconuenientiæ: adeò quod secũdum hũc auctorem, & Melchiorem Canum, cuius hãc prius opinionem fuisse Medina asserit, & multos ex recentioribus, ratio formalis peccati in eo sita est, quòd operatio pro materialis hominis est disconueniens naturæ rationali: actus enim adulterij ideò est peccatum: quia ad ipsum sequitur relatio inconuenientiæ ad naturam rationalem; & sic de alijs. Et hanc positionem intelligit vniuersaliter de omnibus peccatis cõmissionis, tàm de ijs, quæ sunt peccata ex se, quàm de ijs, quæ sunt in aliqua lege prohibita. Et pro hac opinione citat multos, sed præsertim ait, ei Scotũ fauere in quol. q. 18. ar. 1. & 2. vbi Scotus ait bonitatem moralẽ cõsistere in cõformitatem cum ratione recta: malitiam verò in relatione dissonantiæ, & disconuenientię: & aliquando malitiam esse positiuè contrariam virtuti, & rectitudini; vt quando apponitur actui circunstantia contraria; vt cum quis occidit aliquem auctoritate priuata: aliquando verò esse priuatiuè contrariam; vt cum actus caret aliqua circũstantia debita. Ipse Vasquez tamen tenet, semper peccatum pro formali esse relationem inconuenientiæ naturæ rationali.

Hanc sententiam explicat præsertim duo notando. Primum quòd malũ duobus modis accipitur. Vno modo absolutè, & hoc modo malũ est nihil, nam bonum absolutè est integritas rei, vndè bonum, & perfectum idem sunt. Malum ergo, quod huic bono opponitur, est priuatio illius integritatis: & sic mala res est corrupta res. Alio modo accipitur malum pro malo, quod in se non est malum, sed alteri est malum, siuè bonum: aliud est, quod ideò est bonum, quia alteri est bonum, vt venenum secundum D. August. libro de moribus Manicheorum cap. 8. est enim quædam natura in se bona, sed alteri est mala. Hoc ergo modo malum est malum, non absolutè, sed relatè, quatenus scilicet est alicui alteri malum. Malitia moralis, & peccati est malum secundo modo, non primo.

Secundò ait, hanc malitiam esse relatè malam, non ratione alicuius effectus mali, quem ipsa causet in anima,

ma, cui est malum, licèt enim causet effectum malum non tamen præcisè, propter hoc malitia illa dicitur mala, sed est mala, quia est vt qualitas disconueniens ipsi naturæ rationali. Vndè licèt in se non causaret aliquem effectum malum, tamen ex sua ratione formali illi esset disconueniens; sicut iustitia licèt non causaret in homine aliquem effectum malum, tamen ex sua ratione esset illi disconueniens. An verò hæc relatio, quæ malitia dicitur, sit realis, vel rationalis, est contentio: sustinent Vasquez, & Melchior Cano, quod sit relatio rationis, non realis.

Peccatū esse relationē rationis.

Rationes pro hac opinione.

16 Rationes pro hac sententia sunt plures, & quia habēt duas partes, quarum prima est, quod malitia formalis peccati sit quid positiuum, hanc probat rationibus illis, quibus aduersus opinionem Scoti probare nituntur, hanc malitiam non esse priuationem formalem rectitudinis debitæ, & quibus probat, malitiam moralem esse quid positiuum; quas infrà, explicata opinione Scoti, adducam. Secunda pars est, quòd hæc malitia, quæ est quid positiuum, sit relatio rationis disconuenientiæ operationis ad naturam rationalem; pro qua sunt istæ rationes præsertim.

1. Ratio.

Primò. Malitia peccati consistit in ratione mensurabilis ad mensuram; sed sic est, quòd relatio mensurabilis ad mensuram est relatio rationis; ergo malitia peccati est relatio rationis. Maior probatur, quia illa dicitur bona actio, quę est cōmensurata, & conformis rectę rationi: illa verò mala, quæ non cadit sub commensuratione rectæ rationis. Minor verò probatur ex Arist. 5. Met. cap. 15. vbi ait, relationem mensuræ esse extrinsecam, & rationis.

2. Ratio.

Secundò. Actus aliquando est malus ex ordine ad finem non existentē, immò ad aliquid impossibile, vt fuit peccatum Luciferi, qui appetijt æqualitatem Dei, quæ est impossibilis; at ad impossibile, & non existens, non potest esse aliqua relatio realis; ergo bonitas, & malitia peccati est solum relatio rationis.

3. Ratio.

17 Tertiò. Arguit ipse Vasquez, vel peccatum est peccatum, quia lege est prohibitum, vel quia est ex natura sua peccatum, & malum. (tenet enim dari aliquem actum, qui ex natura sua sine prohibitione legis sit malus, vt odium Dei) Si primo modo, patet quòd est relatio rationis: nam ordinatio, & lex ipsa Legislatoris est ens rationis; ergo relatio disconuenientiæ in aliqua re ad illam legem erit quoque relatio rationis; quia relatio realis non potest terminari ad ens rationis, sed hoc solum competit relationi rationis. Si verò actus sit ex propria natura peccatum, semper tamen adest aliqua circunstantia rationis; vt furtum, inquit, non potest esse nisi sit rei alienæ, & contra voluntatem Domini; esse autem in alterius dominio pendet ex libera hominum voluntate: & adulterium est malum, quia mulier est coniuncta viro per Matrimonium, quod fit ex mutuo consensu, vndè ablato illo mutuo consensu, qui est ens rationis, actus ille secundum totam substantiam realem maneret, & non esset peccatum adulterij.

4. Ratio.

18 Tandem. Omnis malitia moralis pendet ex attentione, & consideratione intellectus: vndè quod inaduertenter fit, non est peccatum, & idem factum aduertenter, est peccatum. Ex intentione sola ergo rationis, & mentis nostræ actus realis est peccatum, & non peccatum; ergo malitia peccati pendet ex ente rationis; & consequenter cum sit relatio, est relatio rationis, non realis.

Secundum caput opinionum.

19 Secundum caput opinionum verò eorum, scilicet, qui sustinent, peccati rationem formalem constitui ex positiuo, & priuatiuo, quia ex aliquibus principijs cōmunibus, cum præcedenti procedit, est simul adducenda, & reijcienda. Affertur ergo ab aliquib. opinio quorundam recentiorum, qui asserunt, peccatum commissionis constitui vniuersaliter ex positiuo, & priuatiuo: scilicet, primò ex actu positiuo: secundò ex priuatione,

& carentia rectitudinis illius. Hanc sententiam probant quo ad primam partem, sic. Peccatum commissionis opponitur contrariè virtuti; ergo in ratione eius non includitur sola priuatio, sed aliquid positiuum: alioquin peccatum opponeretur virtuti priuatiuè, non contrariè. Maior infra, adducendo rationes contra opinionem Scoti, magis manifestabitur. Quo ad secundam partem verò, scilicet, quòd contineat quoque priuationem, probant, quia peccatum commissionis essentialiter malum est; ergo includit malitiam moralem; sed malitia moralis est carentia debitæ rectitudinis in actu; ergo peccatum commissionis includit quoque priuationem. Si auctores huius opinionis existimarent, peccatum absolutè constare ex priuatiuo, & ex positiuo, & esse vnum per accidens aggregatum ex materiali, tanquàm ex subiecto, & ex priuatiuo tanquàm ex formali, esset vera opinio, & coincideret cum communi; verum eam non sustinent hoc modo, sed alij inquiunt, peccatum ipsum constitutum sic ex materiali, & formali esse vnum per se in genere suo; quod probant hac ratione. Peccatum dicitur morbus spiritualis animæ turpitudo, deformitas; sed hęc omnia constant essentialiter ex positiuo, & priuatiuo; ergo. Alij verò dicunt, malitiam ipsam solam, quæ est ratio formalis peccati, constare ex positiuo, & priuatiuo; sed volunt, quòd actus ipse formaliter pertineat ad malitiam, ita quod actus ipse priuatus rectitudine non solum dicatur malus, sed etiam dicatur malitia moralis; & ita malitia ipsa, inquiunt, ratione actus, est quid positiuum: ratione priuationis rectitudinis debitæ est priuatio.

Opiniones adductæ refelluntur. Caput III.

20 Opiniones adductæ omnino sunt refellendæ, & quo ad commune, in quo conueniunt, & quo ad proprium modum explicandi opinionem communem in qua conueniunt. Et quantum ad primum omnino falsum est, rationem formalem peccati consistere in aliqua entitate positiua, quia ratio formalis peccati est priuatio boni: priuatio autem non est quid positiuum. Et hæc assertio vt vera, & à Sāctis Patribus tradita vnanimiter supponitur à Scoto, & alijs sustinentibus, peccatum pro formali esse priuationem. Verum quia recentiores isti putant, auctoritates Patrum minimè contra eos procedere, breuiter nōnullæ adducendæ sunt, & explicandæ, vt opinio communis, quæ verissima est dilucidior fiat, & opinionis huius falsitas euidenter pateat.

Opiniones allatæ reijciuntur.

21 Primo loco sit auctoritas D. August. tractatu primo in Ioannem cap. 1. super illud, *Et sine ipso factum est nihil*, vbi habet hæc verba. *Videte, ne sic cogitetis, quia nihil aliquid est; solent enim multi malè intelligentes, sine ipso factum est nihil, putare aliquid esse nihil. Peccatum quidem non per ipsum factum est; & manifestum est, quia peccatum nihil est, & nihil fiunt homines, cum peccant.* Hæc est prima auctoritas, quam adducit Scotus, ex qua clarissimè habet D. August. quòd pecatum est nihil, nō aliquid. Manifestum est autem D. August. hoc non dicere de peccato pro materiali; ergo relinquitur quòd hoc intelligat de peccato pro formali. Itaque peccatum pro formali secundum eum est nihil, & priuatio. Idem confirmatur ex multis alijs locis eiusdem D. August. adductis à Magistro Sententiarum, dist. 33. & 34. quibus magis suam sententiam declarat. In Enchiridion c. 11. ait. *Quid est autem aliud, quod malum dicitur, nisi priuatio boni?* Et adducit exemplum. *Nam, sicut corporibus animalium nihil aliud est morbis, & vulneribus affici, quàm sanitate priuari.* Et paulò post, *ita etiam, & animorum quæcumque sunt vitia naturalium sunt priuationes bonorum, quæ cum sanantur non aliquo trāsferuntur, sed etiam, quæ ibi erant nusquam erunt, quando in illa sanitate non erunt.* Et lib. 11. de Ciuitate Dei cap. 9. in fine, habet hæc verba, loquens de dæmonibus. *Immundi-*

Prima auctoritas ex D. Aug.

di spiritus nec iam sunt lux in Domino, sed in se ipsis tenebræ priuati participatione lucis æternę: mali enim nulla natura est, sed ammissio boni mali nomen accepit. In his locis apertè D. August. non solum dicit peccatum esse priuationem rectitudinis debitæ, & boni, sed etiam res ipsas, vt corpora animalium, & Angelos ipsos esse mala ex carentia bonitatis, & rectitudinis. Idem in Enchiridion cap. 23. *Nequaquam dubitare debemus rerum bonorum quæ ad nos pertinent, causam non esse nisi bonitatem Dei, malum verò ab immutabili bono deficientem boni mutabilis voluntatem prius Angeli postea hominis. Hoc primum est creaturæ rationalis malum: idest, prima priuatio boni.* Libro secundo contra Epistolam fundamenti cap. 35. inquit illud. *Quod dicimus malum, nihil aliud est quàm corruptio boni.* Lib. 83. quæstionum q. 6. facit hanc rationem. *Si peccatum est aliquid, aut est corporeum aut incorporeum: corporeū autem sensibili, incorporeum insensibili specie continetur. Omne ergo quod est, aliqua specie continetur: vbi autem aliqua species est, necessariò est aliquis modus; & modus aliquid boni est. Summū ergo malum nullum modum habet; caret enim omni bono.* Hoc idem habet multis alijs in locis, quos adducere est superuacaneum.

Item D. Ambrosius libro de Paradiso c. 8. ibidem citatus à Magistro ait. *Quid est peccatum nisi legis diuinæ præuaricatio, & cœlestium inobedientia præceptorū?* Quid clarius? Item D. Basilius hom. 9. *Quod Deus non est auctor malorum*, post medium ait. *Malum boni priuatio est.* Item Gregorius Nazianzenus oratione 9. num. 39. Dionysius 4. de diuinis nominibus, & multi alij Sancti Patres quos etiam Vasquez adducit loco citato, præsertim verò D. Anselmus totus est in hac sententia, quem Scotus citat, & dicit diligenter esse legendum libro de conceptu Virginali c. 4. & 6. & de casu diaboli c. 16.

22 Ex omnibus his auctoritatibus habemus quid peccatum non sit, & quid sit: habemus peccatum non esse aliquam naturam positiuam, neque aliquod ens: habemus verò, esse carentiam, & priuationem boni. Certum est autem Sanctos Patres non loqui de peccato pro materiali; ergo loquitur de peccato pro formali; ergo malitia peccati non est quid positiuum, sed priuatio bonitatis, & rectitudinis debitæ.

Responsio Caietani, & Medinæ ad allatas auctoritates reijcitur.

23 His auctoritatibus vario modo respondēt aduersarij. Primò Medina loco citato cum Caietano, respondent dupliciter. Primò quod in peccato tria sunt: primū est substantia actus: secundū conuersio ad bonum commutabile contra legem Dei: tertium auersio à regula superiori Deo. Cum D. August. & Sancti Patres dicunt, peccatum esse nihil, & priuationem boni, intelligendi sunt de peccato ratione huius tertiæ partis; quatenus scilicet est auersio à Deo, non autem de tota ratione formali peccati. Secunda responsio, & redit in idem, est, quod etsi peccatum sit actus positiuus, & eius essentia consistat in contrarietate cōtra rationem, habet tamen coniunctam priuationem, & deuiationem à regula, & ratione huius adiuncti appellatur à Patribus priuatio, & nihil.

Reijcitur. 24 Hæc secunda responsio infrà confutabitur reijciendo responsionem Vasquez, licèt ex dicendis contra primam eius falsitas quoque sit futura euidens: in idem enim ferè ambæ recidunt, vt ipse Medina fatetur. Aduersus verò primam responsionem multi insurgunt, sed alijs dimissis, istæ rationes sufficiant.

1. Ratio. 25 Si peccatum pro formali esset quid positiuum, sequeretur, Deum esse causam peccati omnibus modis, scilicet, nedum pro materiali, sed etiam pro formali: consequens est erroneum, & contra fidem Catholicam, & communem doctrinam Theologorum; ergo. Consequentis falsitas patet ex dictis disputatione, An Deus sit causa peccati. Consequentia verò probatur, quia Deus est causa omnis entis positiui, vt patet in prædicta disputatione.

At secundum hos auctores, prima, & principalis ratio formalitatis peccati est quid positiuum, scilicet conuersio ad creaturam quam appellant malum morale: auersio verò à Deo est malū secūdariò, & oritur ex conuersione ad creaturam; ergo Deus est causa peccati pro formali secundum primam, & principalem rationem formalitatis peccati. Cæterum Caietanus nō habet pro inconuenienti, Deum esse causam peccati etiam pro formali, vt patet ex eo 1. 2. quæst. 79. art. 2. licèt dicat, Deo non posse tribui, quia peccatum habet solum causam deficientem, cuiusmodi non est Deus, sed sola voluntas creata: qua in re etiam à Medina ibidē reijcitur, & nos disputatione prædicta satis confutauimus. Hęc enim solutio non satisfacit, quia si ratio formalis peccati primariò, & principaliter est quid positiuū, positiuum non habet causam deficientem, sed efficientem, & verè producentem. Omne aūt positiuum est à Deo effectiuè, & positiuè; ergo peccatum pro formali, quo ad principalem rationem formalitatis, & malitiæ, est effectiuè à Deo. Sed de hac re prædicta disputatione satis superque.

Præterea. Hæc distinctio Caietani, de duplici malitia, scilicet conuersionis ad creaturam, & auersionis à Deo, quarum primam appellat malitiam moralem, secundam appellat malitiam, & malum simpliciter, est fictitia; & non videtur alia de causa adinuenta à Caietano, nisi vt illudat auctoritates adductas Sanctorum Patrum, qui dicunt, peccatum esse priuationem: nàm conuersio creaturæ ad creaturam ex suo genere non est malum, alioquin omnis conuersio creaturæ circa creaturam esset malum, quod est ridiculum: solum ergo conuersio creaturę ad creaturam est malum inquantum est auersio à Deo, siuè inquantum habet annexam auersionem à Deo, & est prohibita. Cognoscere enim mulierem in matrimonio est, conuersio ad creaturam, & tamen non est malum, & sic de alijs; ergo auersio à Deo, quæ secundum Caietanum est priuatio, est prima ratio malitiæ, & formalitatis peccati, non ipsa conuersio ad creaturam; ergo ratio formalis peccati est priuatio rectitudinis debitæ. 2. Ratio.

26 Præterea. Hæc responsio non satisfacit auctoritatibus adductis; quia tunc sequeretur, quod Sancti Patres, dum intendunt difinire quid sit peccatum, non assignassent primariam, & principalem rationem peccati, sed tantummodo secundariam, & minus principalem; & sic essent diminuti, quod est temerarium: in prædictis autem locis intendunt explicare quid sit peccatum pro formali, & vt est culpa; ergo non est dicendum, peccatum esse quid positiuum. 3. Ratio.

27 Præterea. Patres, nedum dicunt, peccatum esse priuationem, sed expreßè negant, esse quid positiuū; ergo falsum est, rationem principalem peccati esse quid positiuum. Antecedens patet, considerando prædictas auctoritates: nam prima, quæ est D. August. tractatu primo in Ioannem apertè habet hæc verba. *Videte, ne sic cogitetis, quia nihil aliquid est:* & infrà. *Solenī enim aliqui malè intelligentes putare aliquid esse, nihil.* Deindè subiungit, quòd peccatum est nihil, quod sine Deo factū est. Etiam secunda auctoritate adducta, ait quod animorum vitia nusquam tranferuntur, cum sanantur animi. Si essent autem vitia quid positiuum, alicubi manerent. Etiam tertia auctoritate ait, quòd *mali nulla natura est*, quod autem est quid positiuum alicuius naturæ & speciei est. Item alia auctoritate dicit, quod primū malum hominis est prima priuatio boni; ergo secundū D. August. principale, & primū malum, & peccatum nō est quid positiuum, & conuersio ad creaturam, sed carentia prima boni. Tandem auctoritas ex lib. 83. quæstionum apertè hoc conuenit; quia ibi ratione ostendit, quòd peccatū non est quid positiuum, quia esset aliquid corporeum, vel incorporeum, &c. Idem est videre in auctoritatibus aliorum Patrum; ergo, est contra Sanctos Patres dicere, quòd peccatum sit quid positiuum; vel qđ 4. Ratio.

prima

prima ratio peccati sit quid positiuum. Atque ex his impugnata manet Caietani, & Medinæ opinio in communi, & in particulari.

Responsio Vasquez.

28 Vasquez quoque, disputatione eadem 95. cap. 11. respondet ferè eodem modo: nàm primò longo sermone nititur ostendere, quòd multæ auctoritates Sanctorum Patrum procedunt contra Manicheos, qui dicebant, aliquam substantiam esse ex se, & in se malam, & substantiam omnem appellabant naturam, & aliquid. Sancti Patres autem contra ipsos ostendere nituntur, quòd malum nō est aliquid, sed nihil, idest non est substantia aliqua: non negant autem, malum esse actum, & accidens, immò multi ex ijs, dum negant, substātiam esse malam, asserunt, actus, & operationes nostras esse malas: dicunt enim quòd substantia ipsa, & natura operans non est mala, sed operatio, & actus eius est, qui est malus: vndè ex his auctoritatibus inquit non colligitur, quod peccatum, & malum in se sit priuatio, sed solum, quòd nulla substantia est mala: tamen ad extremum fatetur, aliquos, & eos maximè quos adducimus, intelligere de peccato, & malo in se, sed respondet eos non militare contra eum; quia Patres, inquit, diffiniuerunt peccatum non ex sua ratione formali, sed ex eo quod est ei necessariò coniunctum: quia autem priuatio boni annexa est inseparabiliter actui peccati; ideò dixerunt, peccatum esse nihil, & priuationem. Subiungit verò, cum aiunt Patres, peccatum esse priuationem, & carentiam boni, non intelligere, peccatum esse carentiam rectitudinis actualis debitæ, vt intelligunt Scotus, & alij multi Scolastici, sed intelligere carentiam gratiæ, & rectitudinis habitualis debitæ, quam tenemur semper habere, vt volunt Thomistæ.

Reijcitur.

Cæterum hæc responsio non satisfacit: in primis fatetur multas auctoritates Sanctorum, & præsertim eas, quas adduximus, loqui de peccato, atque illas asserere, peccatum esse priuationem: hoc totum est pro nobis; & licèt aliqui Patres loquuti sint contra Manicheos, satis est, quòd illi loquuti sint in sensu nostro; sed subiungit, Patres non diffinire peccatum ex ratione formali peccati, & mali, sed ex eo, quòd ipsam rationem formalem concomitatur: deindè addit, quod illa carentia, & priuatio non est carentia rectitudinis debitæ actui, sed carentia gratiæ. Hoc infrà confutabitur cum disputabimus, cuius boni carentia sit peccatum. Illud ergo impugnandum remanet, quod secundo loco dicit, scilicet, Patres diffinire peccatum ex eo, quod consequitur, non ex sua ratione formali.

1. Ratio.

In primis hæc responsio coincidit cum responsione Caietani, & Medinę, & ideò eisdem rationibus reijcitur. Deindè hoc multum derogat doctrinæ, & auctoritati Sanctorum, quod ipsi ignorauerint rationem formalem peccati, & pro ratione formali assignauerint id, quod cōcomitatur peccatum; ipse verò Vasquez veram rationem formalem peccati adinuenerit.

2. Ratio.

29 Præterea. Dato quod Sancti Patres diffinierint peccatum ex concomitanti, & non assignauerint rationem formalem peccati, tamen illud, quod ipsi Sancti Patres negant esse de essentia peccati, non potest esse ratio formalis peccati: at Sancti Patres negant, positiuum esse de ratione peccati, & mali, quia negant, peccatum esse aliquid, & ens, & dicunt, esse nihil; & hoc dicunt, & probant ex professo, vt patet ex auctoritatibus adductis, præsertim D. August. in cap. 1. Ioan. vbi enixè ostendere nititur, quòd peccatum non est aliquid. Idem de alijs auctoritatibus. Maior est euidens, alioquin Sancti Patres non solum non assignarent verā rationem formalē peccati, sed falsam, dum dicunt, quòd peccatum pro formali non est quid positiuum, & tamen essentia eius esset positiua.

2. Ratio principalis

30 Secundò principaliter arguit Scotus eadem dist. 35. ratione vnica, & efficacissima, quæ est. Illa est ratio formalis peccati, qua posita actus est peccatum, & qua ablata, actus non est peccatum; sed sic est, quòd posita debita rectitudine actus, actus non est peccatum, ablata debita actitudine, actus est peccatum; ergo carentia debitæ rectitudinis est ratio formalis peccati. Maior patet ex terminis. Minor probatur, & primò supponitur, quod omne agens inferius debet conformari in agendo agenti superiori: tunc sic. Cum actus agentis inferioris est conformis agenti superiori, est actus; cum caret ista conformitate, actus est malus, & peccatum: at carentia hæc debitæ conformitatis ad agens superius, est carentia, & priuatio; ergo essentia, & ratio formalis peccati est carentia, & priuatio. Suppositum illud, ex quo pendet tota vis in hac ratione, est euidens: quia si in potestate agentis inferioris sit se conformare agenti superiori, & non conformat se, peccat: vndè illud non conformare se, est peccatum, adeò loquendo de peccato, siuè contra legem diuinam, siuè humanam aliquid dicitur peccatum, quia peccans potuit concordare legi superioris agentis, & discordare: ille ergo actus, qui est in potestate discordantis, & per hoc est voluntarius, non est formaliter peccatum: quia si ille esset concors regulæ superiori, non esset peccatum; ergo in illo actu præcisa ratio peccati est priuatio illius concordiæ. Argumentum istud probat peccatum simul esse carentiam, & priuationem, & probat etiā cuius rei sit priuatio, nempè quod est priuatio concordiæ debitæ ad agens superius, quæ est rectitudo debita, vt infrà magis patebit.

Responsio Medinæ.

31 Respondet Medina eadem 2. 2. q. 71. ex Caietano concedendo, quod ratio, propter quam actus aliquis est peccatum, re vera est vt sit actus inordinatus, & deficiens à regula, cui tenetur conformari; sed distinguit, quòd deficere à regula stat dupliciter; scilicet priuatiuè, & positiuè: priuatiuè, vt in peccato ommissionis, cum quis non operatur, cum tenetur operari: vel positiuè cū quis regulā transgreditur, vt fit in peccatis commissionis: in his enim sustinent, peccatum esse quid positiuum. Eodem modo habent respondere alij eiusdem opinionis. Hæc responsio destruit semetipsam: concedit enim quod ad hoc, quòd actus sit malus, & peccatum, sufficit, quod sit inordinatus, & deficiens à regula: in quo fatetur, rationem formalem peccati, & mali esse carentiam conformitatis ad regulam superiorem; & consequenter, rationem formalem eius esse priuationem. Deindè subiungit, quod istud deficere, & ista priuatio est duplex priuatiua, & positiua, & ait, quòd peccatum est defectus, & carentia regulæ positiua; qua in re sibi contradicit, quia si est defectus, & carentia positiua, iam non est carentia, & priuatio, quia carentia, & posituum opponuntur contradictoriè.

Reijcitur.

32 Quod ostendo magis sic arguendo diuersorum generum, & non subalternatim positorum, sunt diuersę species, & differentiæ ex secunda regula ante prædicamentali; sed positiuum, & priuatiuum sunt diuersa genera, & non sunt subalternatim posita, vt patet, quia sūt repugnantia; ergo species generis positiui, non possunt esse species generis priuatiui, siuè priuationis: at per aduersarios actus malus, & peccatum sunt species priuationis, concedunt enim quòd ad hoc, vt actus sit malus sufficit, quòd sit inordinatus, & deficiens à regula; ergo nulla species mali, & peccati potest esse de genere positiuorum: quia tunc species positiuorum cōtinerentur sub genere priuationum, quod implicat contradictionem. Præterea. Pro tanto dicit, peccatum esse defectiuum positiuum, vt saluet peccatum commissionis pro formali esse quid positiuum, nempè facere contra legem. Contrà. Hoc est illud, quod est in controuersia. Dicimus enim peccatum commissionis, vt comedere carnes, esse peccatum, cum est contra legem, & cum est trāsgressio legis: at transgredi legem non est formaliter, quid positiuum, sed est priuatio, & carentia conformitatis ad ipsam legem, siuè est deficere à lege: si enim actus commissionis esset conformis legi, esset actus bonus; sed

quia

quia est contrarius, idest, non conformis legi, ideò est malus, & peccatum.

Confirmatio.

33 Confirmatur, quia cum dicitur: actus commissionis est contrarius legi, quæro, quæ contrarietas, siuè oppositio ista sit; non relatiua, vt patet; nec contraria, vt callidum, & frigidum; quia formalitas illa peccati non est qualitas opposita ipsi regulæ superiori: nam neque regula superior est aliqua qualitas: oppositio autem contraria est inter qualitates; ergo est oppositio priuatiua, scilicet non conformitatis. Quod confirmatur, quia si actui auferatur illa priuatio, & non conformitas, actus est bonus absque mutatione alicuius absoluti.

34 Quod etiam dicit, peccatum omissionis esse priuationem formaliter, quia est non operari cum quis tenetur, non rectè explicat, nec intelligit in quo sita sit ratio formalis in peccato omissionis: nam non potest esse sita in eo, quod quis non operatur cum tenetur: quia tunc non haberet aliquem actum, & consequenter nullum haberet peccatum: quia vbi non est materiale, non potest esse formale: tunc autem nullus actus, quoad substantiam esset; ergo neque illa ratio formalis peccati. Est ergo dicendum, vt infrà magis patebit, peccatum omissionis esse actum non conformem regulæ superiori; ideò etiam in ipso ratio formalis est priuatio: omissio enim alicuius præcepti, quæ est peccatum, est nolitio quædam, & actus positiuus, quo non vult quis obedire, & conformare se suæ regulæ superiori: vndè si quis inaduertenter omittit facere aliquid ad quod tenetur, nō peccat; sed de hoc magis infrà.

Quid sit peccatū omissionis.

Prima respōsio Vasquez.

35 Vasquez verò eadem disputatione 95. cap. 12. negat illam propositionem vniuersalem adductam in probationem minoris, scilicet, quod peccatum consistat in non conformitate ad regulam superiorem, inquit enim, quòd aliquando actus est malus, & peccatum, non quia caret aliquo sibi debito, sed quia est omnino rationi contrarius; vt odium Dei, & cætera huiusmodi peccata commissionis: isti enim actus sunt peccata, non quia carent aliquo sibi debito, sed quia habent aliquid, quod habere non deberent.

Secūda responsio.

36 Secundò respondet, quòd actus commissionis aliquando est peccatum, & est malus ex carentia, & priuatione aliqua, sed illa non est carentia alicuius rectitudinis, vel bonitatis debitæ; sed est carentia alicuius circunstantiæ necessariæ: vt si quis celebraret sine vestibus sacris; carentia enim circunstantiæ, non est carentia bonitatis, & rectitudinis debitæ, sed alicuius rei pertinentis ad rectitudinem: vndè concludit, formalitatem peccati non consistere in carentia rectitudinis debitæ, nec in aliqua priuatione.

Reijcitur.

37 Hæc responsio non est solutio rationis Scoti, sed est repititio opinionis ipsius Vasquez, neque enim aliquid respondet ad rationem ipsam, quæ est contra hāc responsionem. Fundamentum rationis Scoti factæ erat, quod peccati formalitas est carentia conformitatis ad regulam superiorem; quod probatur, quia, omne agens inferius tenetur in agendo se conformare agenti superiori in actibus suis: vndè cum conformatur superiori non peccat; cum ei non conformatur, peccat: propositio autem hæc non potest negari, vndè homicidium factum voluntate Dei, non est peccatum; factum autem contra voluntatem Dei est peccatum; ergo formalitas peccati in actu est non conformitas ad voluntatem superioris, scilicet Dei: vndè si Deus preciperet alicui odium Dei, actus ille non esset peccatum, quia non esset contra regulam superiorem voluntatis creatæ, vt diximus superiori disputatione cap. 5. & infrà suo loco dicemus, cum disputabimus, Vtrum actus sit malus, quia prohibitus, An verò sit prohibitus quia malus. Ex hoc autem patet vis rationis Scoti: nam cum actus est conformis regulæ superiori, posito quocunque positiuo in actu, siuè absoluto, siuè relatiuo, actus erit bonus: & è conuerso posita disconuenientia, & non conformitate ad regulam superiorem actus erit malus; ergo carentia conformitatis est præcisa ratio formalitatis peccati. Præterea, contra hanc opinionem Vasquez valet eadem ratio, quam cōtra Caietanum adduximus, scilicet, quòd Deus esset causa peccati pro formali. Consequens est apertè falsū. Consequentia verò probatur, quia Deus est causa omnis positiui: formalitas peccati est quid positiuum per te; ergo. Respondet Vasquez hoc non sequi ad opinionem suam, sed solum contra Caietanum, quia tenet disputatione 128. cap. 7. quòd à Deo non possit esse peccatum, quia peccatum est à voluntate liberè operante: hæc autem est sola voluntas creata, non diuina; sed disputatione superiori cap. 3. hanc responsionem efficaciter reiecimus, & simul reiecimus respōsionem Medinę, quod peccatum non sit à Deo sed à creatura, quia illa est dificiēs; ideò hic non est immorandum: falsum est enim, quòd Deus ad extra non operatur liberè, & contingenter.

Responsio tacita Vasquez reijcitur.

38 Tertiò principaliter. Vasquez eadem disputatione cap. 11. & Medina eadem quæstione in responsione ad tertium distinguunt de malo sic. Malum est duplex, scilicet malum absolutè, & malum relatè, scilicet, quod est alicui malum. Malum absolutè, opponitur bono absolutè: vndè sicut bonum absolutè est integritas rei in se, ita malū absolutè est negatio, siuè priuatio huius integritatis. Malum relatè est, quod in se non est malū, sed est alteri malum; idest dissonum, & disconueniens; sicut bonum relatè est bonum, quia est alteri bonum, scilicet conueniens. Dicunt peccatum esse malum secundo, non primo modo. Contrà. Si peccatum pro formali (de hoc enim est disputatio nostra) est malum eo solum quod est alteri malum, sequitur, quòd absolutè, & in se sit bonum; sed consequens est absurdum; ergo. Consequentia probatur, quia D. Aug. libro secundo de moribus Manicheorum cap. 8. contra Manicheos docet, quòd malum relatè, est in se, & absolutè bonum, dat exemplum de veneno, quod quidem est in se bonū, sed est malum, quia est disconueniens, & nociuum alteri, vt homini; ergo formalitas peccati, in se, & secundum substantiam erit bona, licèt voluntati, cui inest, sit mala. Falsitas verò consequētis est euidens: ratio enim formalis peccati est ipsa culpa, & ipsa deformitas: at culpa, & deformitas non potest esse bona. Et confirmatur, quia in peccato nihil aliud est nisi materiale, & formale: at materiale est bonum, vt diximus superiori disputatione; si ergo formale quoque est in se, & absolutè bonum, totum peccatum, siuè totus actus peccati, erit bonus. Confirmatur, quia si peccati ratio formalis est bona primo modo, scilicet, absolutè; ergo est integritas rei, & nihil ei deficit; sed cui nihil deficit est absolutè bonū; ergo ratio formalis actus peccati, est in se bona absolutè.

Tertia ratio principalis.

39 Quartò. Malitia moralis formaliter est priuatio, non quid positiuum: at secundum aduersarios malitia peccati principaliter est malitia moralis; ergo ratio principalis peccati pro formali est priuatio. Maior, in qua est tota vis, probatur, quia bonitas actus moralis est integritas eorum omnium, quæ recta ratio operantis indicat debere ipsi actui conuenire; & ex aduerso actus moralis malus est, qui caret integritate eorum omnium, quæ secundum rectam rationem debent conuenire actui. Quæ propositio est de se euidens, & concessa ab aduersarijs, præterquam quod est Scoti quolibeto 18. art. 1. at carentia integritatis est priuatio, nō quid positiuū; ergo malitia moralis non est quid positiuum, sed priuatio formaliter.

Quarta ratio principalis.

40 Confirmatur. D. Dionysius de diuinis nominibus parte 4. inquit. *Bonum est ex vna, & tota causa, malum autem ex particularibus defectibus:* vbi per totam causam intelligit integram causam, ex omnibus circunstantijs. Defectus ergo, siuè carentia alicuius circunstātiæ facit actum malum; ergo malitia actus est carentia, & priuatio integritas omnium eorum, quæ dictat recta ratio actui debere conuenire.

Confirmatur primo.

At re-

Responsio Vasquez reijcitur.

41 At respondet Vasquez, circunstantiam aliquam non esse bonitatem actus, sed pertinere ad bonitatem actus: ideò licèt actus ex carentia debitę circunstantiæ efficiatur malus, non tamen ideò dici malum, quia caret bonitate, sed quia carens illa circunstantia, est contrarius, & disconueniens naturæ. Hæc responsio non æget confutatione; nam concedit, quod actus ex carentia circunstantiæ efficitur malus: deinde negat, ob hanc carentiam dici malum, sed eo, quia est contrarius naturæ; hæc autem est aperta repugnantia, nam sic arguo. Ideò aliquis actus est malus, quia caret integritate eorum, quæ requiruntur secundum rectam rationem ad eius bonitatem; sed circunstantia, qua caret, pertinet ad integritatem eius secundum rationem; ergo carentia circunstantiæ debitæ est ratio formalis malitiæ peccati.

42 Quod etiam ait, quòd circunstantia non est bonitas actus, sed pertinens ad bonitatem, facit pro nobis: quia sequitur, quod cum caret illa circunstantia, caret integritate omnium requisitorum: at ipsa integritas est bonitas actus; ergo licet circunstantia non sit bonitas tota actus, sed pertinens ad bonitatem, tamen ipsius carentia aufert bonitatem actus, quia aufert integritatem requisitorum ad actum, quæ est ipsa bonitas actus.

Secunda cõfirmatio

43 Confirmatur adhùc. Odium Dei, quod ait ipse Vasquez, esse malum, non quia ei deficiat aliquid, sed quia habet aliquid, quod non deberet habere, probo quòd præcisè sit actus malus ex carentia, & priuatione alicuius, quod deberet habere. Actus iste est malus ex carentia debiti obiecti, quod est principale fundamentum malitiæ moralis: actus enim circa obiectum indebitum, siuè carens obiecto debito, est actus malus ex genere, qui ex nulla circunstantia potest fieri bonus: conditio ergo ista, vt actus sit circa debitum obiectum secundum rectam rationem, est prima conditio, & requisitum ad integritatem, quæ constituit bonitatem moralem: odium Dei caret hac conditione, quia non est circa obiectum debitum, secundum rectam rationem: recta enim ratio dictat odium versari debere circa rẽ malam, non circa bonam, Deus autem est summum bonum; ergo odium Dei est actus malus ex defectu alicuius conditionis, quæ ad actum illum requiritur secundũ rectam rationem, & vt sit bonus, de qua re capite sequenti plura.

Tertia cõfirmatio.

44 Tandem confirmatur, quia ipse fatetur, quod odium Dei est actus malus, quia habet aliquid, quod non deberet habere. Ecce quod etiam per ipsum Vasquez peccati ratio explicatur per negationem, scilicet, per habere, quod non deberet habere: nam habere aliquid, quod non deberet habere, est carere aliquo, quod deberet habere; ex eo enim, quod caret aliqua circunstantia sibi conuenienti secundum rationem rectam, & apponit aliam indebitam, caret integritate requisitorũ, secundum rectã rationẽ, & fit actus malus. Vnde cũ quis facit eleemosinam propter malum finem, pro tanto peccat, quia facit actum, cui deficit circunstantia finis conuenientis ei secundum rectam rationem. Vndè licet illa circunstantia, propter vanam gloriam, sit disconueniens actui, non est disconueniens, quia secundum entitatem sit contraria entitati actus, sed quia non est de numero eorum, quæ pertinent ad integritatem actus illius secundum rectam rationem: & ratio fundamentalis est, quia bonitas moralis est actus, & integritas eorũ omnium, quæ recta ratio operantis indicat debere ipsi actui conuenire; sicut bonitas entis est integritas rei in se: ideò malitia moralis est carentia huius integritatis; & sic cum aliquid eorum deficit, actus est malus.

45 Præterea. Ex Aristotile 6. ethicorum cap. 3. Electio, seù volitio recta necessariò requirit rationem rectam, cui conformetur; ergo illa electio, & volitio est bona, quæ est conformis rectæ rationi; & illa est mala, quæ non est conformis rationi rectæ: sed non conformi rationi rectæ est quid priuatiuum; ergo ratio formalis peccati consistit in priuatione.

5. Ratio principalis.

46 Quintò principaliter arguo, quòd relatio discõuenientiæ non sit propria, & præcisa ratio formalis peccati. Relatio conuenientiæ, & disconuenientię fundatur super extrema absoluta: ideò enim aliquod obiectum est conueniens alicui potentiæ, vt color visui, quia visus est potentia apta nata pati à colore, & color est aptus natus, secundum suam naturam absolutam, agere in visú: at in proposito actus peccati dicitur discõueniẽs naturę, actus autem bonus dicitur conueniens naturæ rationali; ergo necessariò in ratione absoluta actus boni, vel mali est aliquid, super quod fundatur relatio conueniẽtiæ, vel disconuenientiæ ad naturam rationalem; ergo licet actus peccati sit disconueniens naturæ rationalis, tamen prima, & principalis ratio peccati, & mali non est ipsa relatio disconuenientiæ, sed aliquid prius relatione: at ante relationem quidquid est in actu, est vel positiuum, vel priuatiuum; ergo ratio formalis peccati erit, vel illud positiuum, vel priuatio: non primum, quia formale peccati non est à Deo; ergo erit illa priuatio, & defectus. Et confirmatur, quia si aliquis actus pugnet ex se cum natura rationali, pugnat vel per aliquid positiuum, vel per aliquid priuatiuum: non enim datur medium: non pugnat autem per aliquid positiuum, siuè per aliquam circunstantiam aduenientem positiuam, vt dictum est: necesse est ergo, vt pugnet per negationem, & defectum intrinsecè sibi inexistẽtem, super quẽ fundatur relatio illa disconuenientiæ.

Opin. Vasquez. & Cano in particulari reijcitur.

47 Quantum verò ad opinionem Cano, & Vasquez in particulari, quòd ratio formalis vitij, & virtutis sit ens rationis, impugnatur à Medina eadem quæstione 71. art. 6. quia ipse habet pro inconuenienti, quòd virtus sit ens rationis. Sed quo ad hoc forsan opinio Vasquez est vera: nam Scotus in 1. Sent. dist. 17. quæst. 2. §. *Sed oppositum huius*, &c. & sequenti, tenet, quòd bonitas moralis sit relatio conformitatis actus ad rectam rationẽ, quæ consequatur extrema, scilicet actum, & rationem rectam ex natura extremorum: relatio autem, quæ est in re in ordine ad intellectum, videtur esse relatio rationis, de qua aliàs, cum tractabimus de virtutibus. Idem habet Scotus in quolib. 18. per totum, ait enim, quòd virtus, & malitia sunt ad aliquid, quæ est sententia Aristotelis 7. ph. tex. 17.

48 Quomodo autem malitia sit priuatio rectitudinis debitæ, & tamen simul sit relatio, dicam soluendo secundam rationem aduersariorum cap. 4. est enim relatio negatiua, scilicet carẽtia rectitudinis debitæ, quæ rectitudo est relatio positiua. Vndè licèt bonitas, & virtus sit ens rationis, non tamen propter hoc sequitur, quòd malitia sit relatio positiua, vt vult Vasquez, sed solum sequitur, quòd sit relatio priuatiua, vt dictum est.

49 Quantum verò ad aliam partem suæ opinionis, qua sustinet, quod peccatum sit malum, non quia absolutè sit malum, sed quia est alteri malum, ex dictis reijcitur; quoniam, quod est malum, quia est alteri malum, vt venenum, est quid positiuum, & est quædam natura entium in eorum natura existens, vt patet de veneno, quæ ideò est alteri enti malum, quia habet contrarias qualitates illi, & est corruptiua illius: at peccatum formaliter non est aliqua natura per se existens, vt patet per rationes factas. Sed neque sustinendo, vt sustinet Vasquez, quòd peccatum sit relatio rationis, potest esse malum, quia alteri malum; eo quia relatio realis non est de genere actiuorum, & multo minus relatio rationis; ergo peccatum non potest esse malum, quia alteri malum. Ideò hæc opinio est improbabilis, & distinctio hæc, quam sæpè præ manibus habet, quòd aliud est malum absolutè, & aliud peccatum, nihil valet; quia peccatum est idem quod malum apud Theologos, vt vidimus 1. cap. huius disp.

50 Opiniones autem comprehensæ 2. cap. vrgentur com-

Secundum caput opinionũ reijcitur.

communibus difficultatibus, & proprijs. Communibus, quia sustinent, quòd de ratione essentiali, & intrinseca peccati sit nedum priuatio, sed etiam quid positiuum. Hoc autem reijcitur per rationes factas contra praecedentes opiniones quibus ostensum est, rationem formalem peccati esse simplicem, & puram priuationem. Proprijs etiam difficultatibus reijciuntur, quia, vt rectè arguunt recentiores, est impossibile ex positiuo, & priuatiuo fieri vnum per se; priuatio enim non continetur sub genere positiui: & ideò ex illis, quæ sunt plusquã diuersorum prædicamentorum non potest fieri vnum per se vndè tàm primus quàm secundus modus dicendi est falsus: nàm neque ex actu positiuo, & priuatione fieri potest vnum per se; neque ratio ipsa formalis malitię, cum sit vna per se, constitui potest ex positiuo, & priuatiuo. Rationes pro hac opinione, post solutionem rationum opinionis Thomistarum, etiã Vasquez, diluentur.

Rationes huius opinionis vbi diluuntur.

Opinio Scoti, & Communior explicatur, & rationes aliæ aduersariorum contra eam proponuntur.
Caput Quartum.

51 PRopter rationes adductas præcedenti cap. communior opinio Theologorum, quos cap. 1. citauimus, est, quòd ratio formalis peccati sit priuatio: præsertim autem est Scoti in 2. Sent. dist. 35. in principio. § *istæ quæstiones*. Verum, etsi omnes ferè Theologi antiquiores conueniant, peccati rationem formalem esse priuationem, tamen differunt in explicando cuius boni peccatum ipsum sit priuatio: aliqui enim dicunt, quod est priuatio boni naturæ, cui inest: alij, quod est priuatio gratiæ habitualis, vt Thomistæ: nam licèt dicant, esse quid positiuum, fatentur tamen ex parte, & secundariò esse priuationem: nimirũ ex ea parte qua dicunt esse priuationem gratiæ habitualis, vt infrà videbimus. Alij quòd est priuatio habituum supernaturalium. Tandem Scotus ait, quòd est priuatio rectitudinis debitæ inesse actui. De hac re nunc infrà cap. 7. habebimus disputationem, & probabimus, nullius alterius rei esse priuationem nisi rectitudinis debitæ inesse actui. Verum quia rationes aduersariorum, probare nitentium, rationem formalem peccati esse quid positiuum, & impugnantes esse priuationem, non possunt benè intelligi, nec solui, nisi simul intelligatur, cuius boni sit priuatio: ideò pro nunc supponamus, peccatum esse priuationem rectitudinis debitæ actui: argumenta enim probantia, peccatum non esse quid priuatiuũ, procedunt præsertim contra hanc opinionem Scoti, & contendunt non esse priuationem actitudinis debitæ.

1. Ratio aduersariorum.

52 Caietanus ergo locis citatis, & quęst. 72. art. 1. Medina, Vasquez, & alij vbi suprà, adducunt ferè has rationes. Prima in qua faciunt maximam vim Caietanus, & alij, est, quia si peccatũ pro formali sit pura priuatio, nõ poterunt distingui variæ species peccatorũ. Consequens est falsum; ergo. Falsitas consequentis est euidens, quia auaritia, & prodigalitas sunt peccata, & vitia diuersarũ specierum, quæ opponuntur liberalitati: similiter temeritas, & timiditas, quæ opponuntur fortitudini. Consequentia verò probatur, quia priuationes diuersæ specie distinguntur per actus, quibus opponuntur, etiam secundum Scotum, ait Caietanus: at duo peccata specie diuersa sunt duæ priuationes specie diuersæ; ergo debent habere duos actus oppositos positiuos, quibus opponãtur, at non habent duos actus positiuos oppositos, sed vnũ, quia opponuntur actui eiusdem virtutis: nam prodigalitas, & auaritia opponuntur liberalitati, vt dictum est; ergo peccata non essent diuersa specie, sed idem.

Confirmatio prima.

53 Confirmatur primò. Eidem iustitiæ, siuè actui iustitiæ opponuntur multa vitia, scilicet, furtum, homicidium, adulterium, quæ specie differunt; ergo ratio formalis peccati non est priuatio: quia cum vnumquodque peccatum diuersum specie distinguatur per actum proprium positiuum distinctum specie, iustitia nõ esset vna virtus specie, nec actus eius essent vnus specie, sed plurium, & diuersarum specierum.

54 Et adhùc confirmatur à Vasquez, quia si furtum esset carentia debitæ rectitudinis, alicuius esset carentia rectitudinis iustitiæ debitæ: at hoc est falsum. Minor probatur quia si esset contra aliquem actum iustitiæ, hic esset vel defensio rei familiaris, vel iusta acceptio: at furtum nulli horum opponitur, quia ex iustitia non tenemur semper tueri rem familiarem proximi, nisi cum ex debito curam illius habere tenemur: neque acceptio iusta, quia solutio rei debitæ non est actus iustitiæ ex parte accipientis, sed solum soluentis.

Confirmatio secũda.

55 Probat etiam idem de homicidio, scilicet, quòd non sit priuatio rectitudinis pertinentis ad iustitiã: nam si homicidium opponeretur alicui actui rectitudinis iustitiæ; vel ille esset recta defensio alterius, vel aliquis similis actus: non primũ, quia ad hanc nullus tenetur ex iustitia nisi Iudex, vel Princeps, alij verò solum ex misericordia; ergo homicidium non opponitur actui recto iustitiæ. Neque secundum, quia non est assignare aliam rectitudinem, cui apponatur.

De homicidio.

56 Tandem idẽ probat de adulterio: nam adulteriũ opponitur iustitię, quia est contra fidem, & vinculũ Matrimonij; & tamen non est assignare cuius rectitudinis iustitiæ sit priuatio; ergo eius species non potest desumi ex aliqua rectitudine iustitiæ debitæ.

De adulterio.

57 Secundò principaliter. Malum morale tribuit speciem positiuam habitibus, & actibus vitiosis; ergo malũ morale est aliquid positiuum. Antecedens probatur, quia alia species vitij est furtum, alia adulterium; ista autem vitia, patet distingui pœnes res positiuas, scilicet circa obiecta. Consequentia probatur, quia quod tribuit spèciem positiuam, positiuum est.

2. Ratio principalis

58 Tertiò principaliter. Vix assignari potest, quæ sit carentia ista rectitudinis debitæ in actu peccati; ergo talis carentia non est ratio formalis peccati. Antecedens probatur à Vasquez, quia licèt aliqui actus sint, qui sunt mali, quia carent aliquã rectitudine, quam deberent habere, tamen aliqui alij actus sunt mali ex natura sua, & non sunt apti habere aliquam rectitudinem: ideò isti non sunt mali, & peccata, propter carentiam debitæ rectitudinis. Exemplum primi. Celebrare missam sine vestibus sacerdotalibus, vel aliquo alio requisito, est actus, qui non habet rectitudinem debitam, quia non habet circunstantias debitas, & requisitas. Exemplum secundi, vt odium Dei, infidelitas, & huiusmodi. Quod autem huiusmodi actus non sint mali propter carentiam alicuius rectitudinis debitæ, nec propter simplicem carentiam rectitudinis, sed propter propriam malitiam, probatur. Non propter carentiam alicuius rectitudinis debitæ, quia tales actus sunt essentialiter mali, neque apti sunt habere aliquam rectitudinem. Neque propter simplicem negationẽ rectitudinis: quia negatio absoluta rectitudinis non est malitia, nec culpa: multa enim carẽt rectitudine virtutis, quę non sunt mala, quia non carent rectitudine debita: quia illis nulla rectitudo debetur, vt sunt operationes naturales, & liberæ indifferentes.

3. Ratio.

59 Quattò. Bonum, & malum morale opponuntur contrariè, nõ priuatiuè; ergo ratio formalis peccati, non est priuatio, sed quid positiuum. Antecedens patet ex Aristot. in Postprædicamentis, capite de oppositis. Et adhùc ratione probatur. Inter priuatiuè opposita non datur medium; at inter bonum, & malum datur medium, scilicet actus indifferens; ergo non sunt opposita priuatiuè; ergo malum non est priuatio boni.

4. Ratio.

Confirmatio.

Quintò. A priuatione ad habitum non est regressus ex Aristot. eodem capite de oppositis: at à malo ad bonum, siuè à peccato ad actum bonum datur regressus, vt ibidem docet Aristot. ergo malum, & bonum non opponuntur priuatiuè; ergo malum non est priuatio boni.

5. Ratio.

60 Sextò. D. Aug. 25. contra Faustum definiens peccatum

6. Ratio.

catum

catum ait, peccatum esse actum humanum cõtra legem Dei, scilicet, dictum, vel factum, vel concupitum: non ait, esse actum deficientem à lege Dei.

7. Ratio.

Septimò. Habitus iniustitiæ est qualitas quædã comparata nostris actibus, & est qualitas mala positiua inclinans ad malum; ergo malum morale est aliqua materia positiua, non priuatio.

8. Ratio.

61 Octauò. Actus iniustitiæ producit efficienter habitũ iniustitię, expellitque contrarium habitum iustitiæ; ergo iniustitia non est aliqua priuatio, sed aliquid positiuum contrariè oppositum iustitiæ.

Primũ notãdum pro solutione rationum aduersariorũ.

62 Pro solutione rationum istarum, & pro maiori confirmatione opinionis Scoti, quæ est communior, notandum est, hanc Scoti sententiam, & doctrinam, qua explicat hanc communem sententiam præter rationes, & auctoritates adductas superiori capite contra aduersarios, habere expressè pro se Aristot. in Ethicis libro 5. cap. 1. & 2. nàm in his duobus capitibus Arist. distinguit iustitiam, in iustitiam vniuersalem, & in iustitiam particularem. Iustitia vniuersalis opponitur iniustitiæ vniuersali; & iustitia particularis opponitur iniustitiæ particulari. Iustitia vniuersalis appellatur totalis virtus, siuè virtus continens omnes virtutes, & est illa, de qua dicitur in prouerbio. *Iustitia in se virtutes continet omnes*. Et hæc iustitia est idem, quod æquitas, seù legitimum. Iniustitia huic opposita est iniquitas, seù iniustitia omnis. Vndè ait Aristot. secundum hanc iustitiam, omne illud, quod est secundum leges iustum, & ęquum dici, quidquid illud sit, siuè sit actus temperantiæ, siuè fortitudinis, siuè amicitiæ, siuè alterius virtutis: dummodo sit iusta leges rectas, & rectam rationem. Hæc enim semper requiritur, vt habetur lib. 2. cap. 2. hoc totum dicitur iustum, iustitia hac generali. Et secundo cap. eiusdem libri ait, hanc iustitiã versari circa ea omnia in quibus studiosus versatur; è contra, omne, quod est contra leges, & contra æquitatem, siuè contra rectam rationem, siuè sit furtum, siuè sit adulterium, siuè sit intemperantia, siuè aliud vitium, vt inuidentia, impudentia, & huiusmodi, dicitur iniustũ, quia caret hac iustitia generali, siuè equitate, & rectitudine, quæ secundum leges, & rectam rationem debetur actibus. Iustitia verò particularis est particularis virtus, quæ versatur circa lucrum, & circa capere plus, vt ait Aristot. eodem 5. libro Ethic. cap. 2. versatur enim hæc iustitia particularis circa *honorem, vel pecunias, vel salutem, vel si quo vno nomine complecti hæc vniuersa possumus, est circa voluptatem, quæ fit à lucro*; & reddit hæc omnia ad æqualitatem suo modo, & diuiditur in duas species, scilicet in distributiuam, & commutatiuam; vt ibidem docet Aristoteles. Iniustitia autem particularis huic opposita est, quæ committitur circa lucrum, & circa plus accipere circa eadem, scilicet circa honorem, vel circa pecuniam, vel circa salutem, vel huiusmodi. Quod autem iustitia vniuersalis distinguatur à iustitia particulari, quæ est virtus specialis, & pars iustitiæ generalis, quæ est tota virtus, probat, ostendendo, quod datur quodam vitium, quod distinguitur ab vnaquaque specie vitiorum, & quod etiam distinguatur ab illis simul sumptis: nam datur cupiditas, & finis appetendi plus, quam sibi conueniat, vt si quis appetat plures pecunias, quàm conueniat in aliquo contractu; vel in aliqua actione plus lucrari de honore quàm conueniat, iste vitiosè operatur, & vituperatur: non tamen illud vitium reducitur ad intemperantiam, vel timiditatem, vel ad aliquod aliud vitium particulare; & tamen est distinctum ab alijs vitijs particularibus. Neque talis actus complectitur omnia vitia simul, & sic distinguatur ab iniustitia generali, & reducitur ad determinatam speciem, scilicet ad iniustitiam, quæ est species iniustitiæ generalis, & opponitur iustitiæ, quæ est species virtutis particularis, & diuiditur in distributiuam & commutatiuam, vt dictum est.

Doctrina Scoti fundatur in Aristot.

63 Ex his ergo colligitur, quòd omnis actus malus, ideò est malus, quia est iniustus: actus autem iniustus est, quia caret iustitia, & per iustitiam intelligitur legitimũ, siuè ratio recta vt patet. Quod etiam ratione probatur, quia maleuolentia, inuidentia, impudentia, & huiusmodi secundum Aristot. ibidem, reducuntur ad iniustitiam particularem, quæ est vitium oppositum iustitiæ particulari; ergo necesse est, quòd intelligat de iustitia, & iniustitia generali, quæ est omnis virtus, siuè continet omnem virtutem; at hæc iustitia generalis, vt diximus, est æquitas, legitimitas, siuè id, quod est conforme rationi rectæ, & legibus rectis; (leges enim iniustæ non sunt leges) ergo ex Aristot. ratio formalis actus boni, & recti est rectitudo debita actui, scilicet conformatas illius ad leges, & rectam rationẽ. Hæc est iustitia actus, quæ eum bonum facit; ratio formalis verò malitiæ actus, est carentia istius debitæ rectitudinis, & iustitiæ.

64 Hæc eadem doctrina est Sanctorum Patrum: probat Scotus primò ex D. August. libro de duobus animabus contra Manicheum, vbi ait. *Peccatum est voluntas consequendi, vel retinendi quod iustitia vetat, & à quo liberum est abstinere*. Vbi vides apertè quòd vetitum, siuè prohibitum, est formale, & significat discordiam à regula superiori. Secundò ex D. Ambrosio in libro de Paradiso, & ponitur in litera dist. 35. à Magistro: *Peccatum est cęlestium transgressio mandatorum*. Tertiò D. August. lib. 12. de Ciuitate Dei cap. 8. *in eo*, inquit, *fit mala voluntas quod si nollet, non fieret, & ideò non necessarios, sed voluntarios defectus iusta consequitur pęna defecit enim non ad mala, sed malè, idest non ad malas naturas sed ideò quia cõtra ordinem naturarum ab eo, quod summè est, ad illud quod minus est* &c. Quibus verbis, & sequentibus indicat, formale peccati esse defectum, & carentiam debiti ordinis ad summum bonum. Vbi notandum, quod peccatum esse contra rectam rationem, & offensiuum Dei est idem: nã recta ratio, & dictamen est lex naturę inserta cordibus nostris, ideò, quod est cõtra rectum dictamen est offensiuum Dei; tamen differunt, quod cum consideramus peccatum vt offensiuum Dei, consideramus quantum vt est omnino immediatè contrarium Deo, at dum consideramus peccatum, vt est cõtra rationem, cõsideramus illud, vt est contra Deum, non immediatè, sed mediate. Primo modo consideratur à Theologo. Secundo modo consideratur à Phylosophis, vt magis patebit notabili sequenti.

Opin. Scoti est Sanctorum Patrum.

65 Hæc autem est ipsamet opinio Scoti, nam in 2. dist. 35. in fine illius §. *Istæ quæstiones*, &c. concludit suã sententiam hac ratione, & his verbis. *Cum his auctoritatibus*, scilicet, adductis nunc ex D. August. & Ambrosio *consonat ratio; quia omne peccatum est iniustitia formaliter, & tale peccatũ talis iniustitia, & per consequens priuatio talis iustitiæ; ergo peccatum actuale est formaliter iniustitia actualis; ergo & priuatio iustitiæ actualis, scilicet iustitiæ, quæ deberet esse in actu*. Idem habet fusius quolib. 18. art. 3. per totum, sed præsertim soluendo tertiam obiectionẽ ibi contra se factam V. & Y. & nos fusè tractauimus in quæstione, Vtrum voluntas sit nobilior intellectu cap. 5. Est ergo dicendum, quòd rectitudo & iustitia debita actui, est integritas omnium, quæ secundum rectam rationem conuenire debent actui, scilicet, vt sit circa debitum obiectum, & cum debitis circunstantijs: è conuerso carentia rectitudinis, & iustitiæ debitæ est carentia huius integritatis, & conformitatis ad rationem rectam, & leges. Vndè odium est actus malus, quia est contra legitimitatem, & rectam rationem, quæ dictat, Deum esse diligendum, quia est summum bonum, & summus benefactor: maleuolentia, inuidentia, adulterium, & similia sunt mala, quia carent conformitate ad rectam rationem; tales enim actus sunt prohibiti, nec debent efici secundum rectam rationem. Ista ergo non conformitas ad rationem rectam, & leges est eorum iniustitia, & carentia rectitudinis; & sicut ratio formalis actus mali in communi est non confor-

Opin. Scoti est cõformis Arist.

matas

maras ad rectam rationē. ita actus cuiuslibet particularis mali iniustitia, & carentia rectitudinis debitæ est eius particularis non conformitas ad rectam rationem, seù prohibitio secūdum legem. Habemus ergo, in quolibet actu malo carentiam debitæ iustitiæ, & actitudinis esse rationem formalem peccati.

Qđo in actibus particularib. sit particularis rectitudo debita.

66 Verùm adhùc est difficile declarare, quæ nam sit hæc rectitudo, & iustitia particularis debita vnicuique actui particulari: quia iam aduersarij dicunt, quod actus mali ex genere, vt odium Dei, maleuolentia, inuidentia, furtum, & huiusmodi, non habent aliquā rectitudinem debitam: quia est impossibile, quòd huiusmodi actibus aliqua rectitudo insit, vt etiam docet Arist. in 2. Ethicorum cap. 6.

Solutio.

67 Respondetur, quòd dum cum Scoto dicimus, vnicuique actui conuenire rectitudinem debitam, qua cum caret est malus, non intelligimus, quod actui peccati elicito, vt elicitus est, competat aliqua rectitudo; quia hoc implicat repugnantiam; odium enim Dei, vt est actus elicitus, nunquam potest habere rectitudinem aliquam: quia implicat repugnantiam, esset enim peccatum, & simul actus bonus; sed intelligimus, quòd caret legitimitate, & conformitate quadam particulari ad rectam rationem, quam voluntas habere deberet in actibus elicitis circa Deum; quæ rectitudo, & iustitia est hæc, quòd recta ratio dictat Deum esse diligēdum tanquàm summum bonū, & summum Dominum: ideò odire Deum est actus contra illud dictamen rectum particulare, quod diligamus Deum; & consequenter cum careat illa conformitate particulari ad rectam rationem est actus malus. Similiter maleuolentia proximi est actus malus, quia recta ratio dictat, vt diligamus proximum; cū ergo quis habet actum maleuolentiæ circa proximum; actus ille caret conformitate ad illud particulare dictamen, quod proximum diligamus. Similiter furtum opponitur recto dictamini rationis, quod vnusquisque habeat, quod suum est; & particularius, quod vnusquisque habeat rem suam. Cum ergo quis furatur, actus ille caret conformitate ad illud dictamen rectum rationis, quod vnusquisque possideat, & habeat rem suam. Idem dicendum de alijs. Sicut ergo dictamen secūdum rectam rationem, est iustitia, & rectitudo generalis omnium actuum; & carētia conformitatis ad rectum dictamen, est iniustitia generalis, & malitia omnium actuum, ita rectitudo debita actui, & iustitia particularis actus cuiusque singularis, est particulare dictamē rectum, & lex circa actus particulares. Nullū enim est obiectum, nulla est res, circa quam voluntas creata possit elicere actus suos, de qua non sint leges latę, & recta ratio non dictet, quomodo voluntas se gerere debeat circa illas. In lege enim Christi Domini non datur perplexitas, ideò cum in actibus eliciendis voluntas non se conformat regulæ suę, & dictamini recto, præscripto volūtati circa obiecta illa particularia, actus illi carent iustitia debita, & rectitudine, & formaliter tali carentia sunt mali, & peccata.

Quæ rectitudo sit debita actui, & quomodo peccata per rectitudines debitas distinguatur specie, & numero.

68 Ex his manifesta fiunt duo, de quibus aduersarij valdè hæsitant, & difficilia videbātur in opinione Scoti. Primum, quænam sit rectitudo debita vnicuique actui, cuius carentia est malitia actus. Secūdum quomodo peccata, quę iniustitiæ, & priuationes sunt, summant suá distinctionem specificam ex specifica distinctione rectitudinum, & iustitiarum; & distinctionem numeralem, à distinctione numerali rectitudinum & iustitiarum, quæ deberent inesse actibus; quæ etsi ex dictis patent adhùc exemplis manifestantur magis. Nam quo ad primum rectitudo debita actui, non est rectitudo, quæ apta sit inesse actui malo, sed quam deberet habere voluntas, dum elicit actum malum, & non habet. Quo ad secundum, peccatum distinguitur per rectitudinem, & dictamen rectum cui opponitur: quia nullum est peccatum, quod alicui dictamini recto nō opponatur. Exemplum in difficilioribus. Inuidia est dolor de bono proximi, & gaudium de malo. Hoc peccatū summit distinctionem specificā ab illa regula rectæ rationis, quòd actus, quos elicere volumus circa bona, & mala proximi, sint tales, vt tristemur de malis, & gaudeamus de bonis, quod probatur: quia tenemur diligere proximum; at diligere proximū est illi velle bonum; ergo recta ratio dictat, vt voluntas, si eliciat aliquē actum circa bona proximi, gaudeat, & de malis tristetur: quia hi sunt effectus dilectionis. Cum ergo dolet de bonis amicis, & gaudet de malo, actus illi carent rectitudine debita. Sicut ergo inuidia summit distinctionem genericā, vel specificam ab hac regula, ita inuidia particularis in aliquo actu sūmit distinctionem moralem à dictamine particulari, quod dictabat ratio recta circa illum actum particularem.

Qũo vitiũ opponitur virtuti.

69 Verùm hic animaduertendum, quòd licèt istæ rectitudines, & regulæ sint quid positiuum, tamen in legibus, & in tractationibus de rebus moralibus non semper explicantur per affirmationes, sed sæpius per negationes: vndè in Decalogo sunt multa præcepta negatiua, Non furaberis, Non dices falsum testimonium, & huiusmodi; ratio est, quia, vt sæpè Arist. ait in Ethicis, & præsertim lib. 1. cap. 3. in rebus moralibus non exigitur exacta discussio rerum, vt in speculatiuis contingit, sed crassa quædam, & vulgaris explicatio secundum communem existimationem hominum: tamen semper illæ leges licèt per negationes explicentur, habent rectitudinem positiuam, super quam fundantur: vt non dicere falsum testimonium, fundatur super hac rectitudine positiua, homo debet esse verax: & furtum non facies, super hoc vnicuique tribuendum, & possidendū est, quod suum est, & sic de alijs. Ex quo cessant quædam obiectio Vasquez, vbi supra, & quorundam aliorum dicentium, recta dictamina esse sæpè negationes, vt præcepta negatiua; ergo peccata formaliter non distinguuntur per illas: quia negatio non opponitur, nec distinguitur per negationes, sed per positiuum. Respondetur, quòd etsi leges quandoque explicentur per negationes, tamen dictamina sunt quid positiuum, & leges fundantur in illo positiuo.

70 Difficultas est de vitijs oppositis virtuti, vt dicebant Vasquez, & alij in 1. argumento. Respondetur autem breuiter, quod loquendo de illis virtutibus, quæ cōsistunt in medio, (neque enim omnis virtus consistit in medio, sed aliqua opponitur vitio, vt extremum, vt inuidentia, maleuolentia, &c. vt docet Aristoteles eodem 2. Ethicorum cap. 8.) dico quod vnaquęque illarum, licèt sit vna rectitudo formaliter tantum; tamen est plures rectitudines virtualiter: nam sicut medium, ex eo, quòd est medium est recessus ab vtroque extremo, & est quid positiuum oppositum vtrique extremo, secundum diuersos respectus: ita qui incedit in medio habet actū virtualiter includentem duplicem rectitudinē, per quā recedit ab vtroque vitio opposito illi medio, quem nescimus explicare nisi per negationes. Hoc sufficit nobis, quod regula, & ratio constituens speciem vitāque vitij summit mensurā è rectitudine positiua virtutis, quæ consistit in medio. Regula ergo distinguendi, & cognoscēdi species vitij est comparatio actus ad medium, quod est quid positiuum: ideò, qui excedit, deficit ab illa rectitudine per excessum, vt prodigalitas à liberalitate: & qui deficit à medio, recedit à medio per defectum, vt auaritia. Virtus ergo consistens in medio est rectitudo vna formaliter, sed duplex virtualiter, à qua duplici rectitudine virtutis specificantur vitia illi virtuti opposita. Quare licèt actus virtutis consistentis in mediocritate sit vnus actus formaliter ex duplici respectu ad vtrunque extremum integratus, & proinde habeat vnicam tantum bonitatem formalem: tamen hoc non obstat, quin habeat duplicem bonitatem virtualiter, quia positiuè tendens ad medium recedit ab vtroque extremo. Et quod hoc sit verum, probatur: quia si prodigalitas e. g. à liberalitate non acciperet speciem, & differentiā,

sed

sed ab alia re positiua; & similiter auaritia ab alia re positiua, quæ essent omnino diuersæ rationis, ista vitia non opponerentur eidem virtuti, siuè positiuo illius virtutis, sed illis positiuis particularibus, quibus sunt ex ipso Vasquez disconuenientia; & in quolibet vitio specificãdo, non ad virtutes esset recurrendum, sed ad illa positiua propria: quod tamen est falsum, vt ex Aristotele, & communi doctrina patet, quæ distinguit vitia ex oppositione ad virtutes secundum excessum, & recessum.

Secundum notabile.

An auersio vel conuersio sit magis per se de ratione peccati.

71 Secundò notandum est secũdum omnes Theologos duo esse in peccato, scilicet auersionem à Deo, & conuersionem ad creaturam: nàm cùm quis facit actũ peccati, vt adulterij, & huiusmodi, conuertit se ad creaturam, & auertit se à Deo: quia magis diligit, & vult creaturam quàm diligat, & velit Deum prohibentem illi cõuertere se tali modo ad creaturam; sed tamen est maximum dubium, vtrum magis per se sit de ratione peccati auersio, quam conuersio.

Opin. Caietani, Medinæ, & aliorum.

Caietanus vbi supra, Medina, & alij sequentes eum asserunt, conuersionem ad Creaturam esse magis per se de ratione peccati, quàm auersionem à Deo; siquidem tenet, malum morale esse principaliter malum, & carẽtiam rectitudinis esse secũdariò malum, & ex priori prouenire; tamen oppositum est verum: conuersio enim ad creaturam non esset peccatum nisi includeret auersionem; vndè aliæ conuersiones ad creaturam, quæ nõ continent auersionem, non sunt peccata, quod ex dicendis patebit nunc.

Opin. Scoti.

72 Pro intelligentia huius rei notat Scotus eadem dist. 35. §. *Ex ista solutione*, &c. quod auersio à fine vltimo est duplex: alia est formalis, alia est virtualis. Auersio formalis est duplex, auersio contrariè, & auersio priuatiuè. Auersio formalis contrariè est nolitio finis; & hæc auersio est peccatum speciale, scilicet, odium Dei, qui enim odit Deum, nollet esse Deum, & vltimum finem. Auersio negatiua est non volitio Dei, & vltimi finis, cum debet velle. Differunt autem isti actus, nolle Deum, & non velle Deum, vt aliàs dictum est, quia nolle, est actus positiuus; non velle, est negatio. Auersio ergo negatiuè, scilicet, non velle Deum tempore debito, &c. est etiam speciale peccatum, & est omissio illius præcepti, diliges Dominum Deum tuum. Auersio virtualis est nolitio alicuius medij, quod est necessarium ad consequendum Deum, & vltimum finem: quãdo enim aliquod medium est necessarium ad consequendum finem vltimum, & aliquis non vult illud medium, neque etiam virtualiter vult Deum, & finem, ad quem ordinatur, sicut infirmus nolens potũm amarum, sine quo nõ potest haberi sanitas, dicitur auertere se à sanitate, siuè nolle sanitatem virtualiter; & sicut intellectus negans conclusionem, virtualiter auertit se, siuè negat principia. Duæ ergo priores auersiones formales, contraria, & negatiua, non includuntur in quolibet peccato, sed sunt duo specialia peccata, vt dictum est. Auersio virtualis est illa, quæ clauditur in omnibus alijs peccatis mortalibus; quoniam in omni peccato mortali voluntas inordinatè se habet respectu alicuius medij necessarij ad finem consequendum: scilicet, respectu alicuius actus, quem debet elicere, vel non elicere, vel tali modo elicere, &c. & ipsa deficit, & non vult eo modo, quo tenetur; & sic virtualiter auertit se à fine vltimo.

73 Quòd si quis quærat, quid est istud necessarium ad finem, circa quod voluntas, exordinatè se habens, auertitur à fine virtualiter? Respondet Scotus vbi supra esse præceptum Dei datum, vt qui illud seruant finem suum vltimum consequantur, iuxtà illud Matthei 19. *Si vis ad vitam ingredi serua mandata*. Media ergo necessaria ad consequendum vltimum finẽ sunt præcepta Dei explicata, in Sacra Scriptura: nam quæ sint ista media necessaria ad finem consequendum non potest inuestigari per aliquem syllogismum practicum ab aliquo Philosopho, quia moralis doctrina Philosophorũ non potest hùc pertingere, sed solum innotuerunt per reuelationem diuinam factam in Sacris Scripturis, & Sanctis Patribus; vt diximus in p. p. quæstione Prologi. Qui ergo inordinatè se gerit circa actum præcepti, & non vult præceptum seruare, consequenter se auertit à Deo vltimo fine virtualiter; & hęc auersio est, q̃ est magis de ratione peccati, & in quolibet peccato clauditur.

74 Ex his colligit Scotus, quòd essentialis ratio peccati consistit in auersione, vel formali, vel virtuali ab vltimo fine. Nam sicut virtus essentialiter consistit in rectitudine, idest in conformitate actus ad regulam superiorem, & ad pręceptum, ita carentia istius rectitudinis, & conformitatis in actu ad regulam superiorem, & circa præceptum, est ratio formalis peccati; est enim inordinatio in actu, quæ deberet tolli, & pôni ordinatio iuxtà regulam Dei præceptam; & sic actus esset bonus non peccatum. Non ergo conuersio ad creaturam est quid formale pertinens ad peccatum; si enim talis conuersio non sit prohibita à regula superiori Deo, non est peccatum, sed pro tanto est peccatum, quia est prohibita. Conuersio ergo ad creaturam pertinet ad materiale peccati; sed non ad formale. Ex his patet variam esse quæstionem, quam excitant Caietanus, Medina, Vasquez, & alij 1. 2. quæst. 71. art. 6. ad quintum, An peccatum, eo quòd peccatum, vel vt contra rectam rationem, sit offensiuum Dei: nam si formale in peccato est transgressio præcepti diuini, siuè non conformitas ad eius voluntatem, & legem, & non conformare Deo est inobedientia, & offensa Dei, sequitur, clarum esse, peccatum, vt peccatum, esse offensiuum Dei.

Tertiò notandum.

Quomodo vnum peccatũ sit grauius alio.

Quomodo vnum peccatũ sit grauius altero.

75 Notandum est tertiò ex hoc facilè deduci, quomodo vnum peccatum potest esse grauius alio: nam licèt omnia peccata sint auersiones ab eodem bono, & priuatio non videatur accipere magis, & minus secundum Anselmum de Conceptu Virginali cap. 24. nihilominus potest declarari, quomodo vnum peccatum sit grauius altero. Inquit ergo Scotus breuiter, illud esse peccatum grauius ex genere suo, quod opponitur rectitudini meliori: illa autem est melior rectitudo, quæ est immediatior, & proximior fini vltimo, ceteris paribus. Hæc assertio probatur à simili in intellectu: ille enim error in intellectu est maior, qui magis redũdat in principia, siuè quo negatur. Conclusio verior, & principio propinquior: ita actus ille voluntatis est peior, qui respicit bonum maius, & primo bono propinquius: & hoc est verum loquendo de peccato ex genere, vel ex circunstantia; & ideò odium Dei est maximum peccatũ, quia est carentia rectitudinis maximè, quæ est velle, ipsum Deum esse. Loquendo verò de peccatis in eodem genere, illud est maius, & grauius, in quo voluntas maiori libidine peccat: probatur, quia actus ille est perfectior, quem voluntas maiori conatu producit: quanto autem actus est perfectior, tanto maiorem rectitudinem illi dare voluntas tenetur: quia tenetur dare illi rectitudinem proportionatam, si est capax rectitudinis: si verò non est capax rectitudinis, tanto magis tenetur cauere illum: ideò qui intensius odit Deum, quàm alius, facit maius peccatum, quia magis tenetur cauere actum odij intensiorem, quàm minus intensum, ideò non cauendo, magis peccat.

76 Quod confirmat exemplo in intellectu. Qui errat circa conclusionem de obiecto magis necessario; magis errat, & magis decipitur, quàm ille, qui errat, & decipitur circa conclusionem de obiecto minus necessario: & ratio est, quia actus oppositus, scilicet, verus, tanto deberet esse perfectior altero vero, quanto est de obiecto magis necessario: ita actus malus magis intensus, est grauius peccatum, quàm minus intensus: quia debebat voluntas elicere actum oppositum, bonum intensiorem, quàm sit alter actus bonus, oppositus alteri actui malo, minus intenso.

77 Ex hoc deducit corollarium hoc; quod si peccata

Non repugnat posse peccare in infinitum.

possent in infinitum continuari, nullum inconueniens sequeretur: quia non corrumperent aliquod bonum positiuum, per aliquam transmutationem, sed solum corrumperent rectitudines debitas, non actu inexistentes, sed inexistere debentes, quę est corruptio priuatiua, non transmutatio aliqua voluntatis, vel alicuius actus primi in ipsa voluntate. Ratio autem, propter quam non repugnat, peccata multiplicare in infinitũ, est, quia voluntas si in infinitum conseruetur, tenetur elicere infinitos actus bonos; si ergo semper ipsa esset inordinata, posset elicere infinitos actus sine debita rectitudine, & sic posset peccare in infinitum, quia ex peccato nihil positiuum in ipsa deperderetur.

Rationes aduersariorum soluuntur. Cap. V.

Ad primã rationẽ aduersariorũ ex 3. cap.

78 EX dictis facilè est soluere rationes aduersariorũ. Ad primam ex cap. 4. in qua faciunt maximam vim, iam dictum est primo notabili cap. præcedenti, quæ sit rectitudo positiua, cui opponitur vitiũ, & à qua habet distinctionem: neque enim immediatè loquendo illa est virtus aliqua moralis particularis, sed est iustitia vniuersalis, & legitimitas, siuè dictamen rectæ rationis: licet ipse virtutes particulares sint etiam quædam dictamina recta particularia, & vitia illis opposita sint carentiæ rectitudinis, & dictaminis illius, quod est virtus specialis. Ad primam ergo rationem aduersariorum negatur consequentia: ad probationẽ dico, quòd actus virtutis prodigalitatis, & similium est vnus formaliter, sed est duplex virtualiter: includit enim duplicem rectitudinem per respectum ad duo extrema, quæ duplex rectitudo non est nominata; & ideò illi actui opponuntur duo vitia, quæ sunt duæ priuationes eiusdem actus, secundum duos respectus ad illa duo extrema diuersa. Prodogalitas enim est carentia mediocritatis per excessum, & auaritia est carẽtia mediocritatis per defectum.

Ad primã confirmationem.

79 Ad primam confirmationem respondetur, iustitiam, etsi sit specialis virtus, esse tamen virtutem genericam, & habere sub se varias species rectitudinum, & actuum, quatenus ipsa, & eius actus circa diuersa obiecta versantur; & hac ratione etiam ipsi diuersa vitia opponuntur: nam iustitia est dictamen rationis rectum, quod vnicuique suum reddatur, & illud possideat. Quod dictamen clarius explicamus per negationem. Vndè Aristoteles ait, quòd iustitia, virtus versatur circa hoc, ne quis plus habeat, & lucretur: lucrum autem istud contingere potest præcipuè circa rem alienam, & circa salutem, siuè vitam alienam: ideò qui furatur, facit actum contra hoc dictamen rectum, vt vnusquisque habeat rẽ suam tantum, non plus: qui facit adulterium, facit actũ contra dictamen hoc rectum, quod vnusquisque fruatur, & possideat propriam vxorem solus: qui autem facit adulterium accipit plus, quàm sibi conuenit, quia fruitur vxore alterius: qui facit homicidium, facit contra dictamen rectum rationis, vt vnicuique relinquatur sua propria vita: qui committit homicidium, aufert vitam à proximo, ideò facit contra iustitiam. Vndè peccata contra iustitiam particularem sunt etiam contra iustitiam vniuersalem, vt dictum est suprà.

Ad secundam confirmationem.

80 Ex his patet ad secundã confirmationem: declarauimus enim, cuius rectitudinis priuatio sit furtum, & cuius adulterium, & homicidium, neque enim furtum opponitur defensioni propriorum bonorum, vel iustæ receptioni, sed dictamini rectæ rationis, vt vnusquisque habeat, & possideat, quod suum est: qui autem furatur, aufert alteri quod suum est: ideò est carentia talis rectitudinis. Adulterium opponitur huic dictamini rectæ rationis, vt solus maritus fruatur vxore sua, quia eius res est, ideò in adulterio tàm adultera, quàm adulter peccant cõtra iustitiam, quia auferunt marito, quod suũ est, scilicet, vsum vxoris propriè. Homicidium non opponitur rectæ defensioni alicuius, sed huic dictamini, vt vnusquisque fruatur, & habeat vitã propriam: homicidium verò est actus priuatus tali rectitudine, quia aufert vitam proximo, & sic de alijs. Et licèt non semper rectitudines habeant nomen impositum, tamen non ob hoc sequitur quin illæ dentur, & actus sint peccata per carentiam illarum.

81 Ad secundum respondetur, quòd malum morale includit duo, scilicet positiuum, vt actum vel habitũ, & malitiam, ac deformitatem: quo ad actum & habitum, habet speciem ab obiecto: quo ad malitiam, & deformitatem habet speciem à carentia debitæ rectitudinis, & conformitatis ad rationem rectam, vt dictum est. Vndè ad argumentum nego antecedens. Ad secundum.

82 Ad probationẽ, respõdetur, quòd vitia ipsa, vt furtũ, adulterium, & huiusmodi, continent in se duo; actũ, siuè habitũ, cui inest vitium; & ipsum vitiũ, siuè malitiã moralẽ. Quo ad actum, & substantiam eius habent distinctionem positiuam, quæ prouenit ab obiecto; obiectum enim est quod tribuit speciem positiuã actui; quo verò ad malitiam habent distinctionem, & speciem à malitia, sed hæc distinctio, & specificatio non est positiua, sed priuatiua. Vndè ad propositum, furtum, & adulterium distinguuntur positiuè per se, vt sunt entia positiua ex obiectis, vt verò sunt vitia distinguuntur per accidẽs, vt priuationes distinguuntur per distinctionem rectitudinum positiuorum, quorum sunt priuationes, vt dictum est suprà notabili primo in præcedenti capite. Possumus etiam dicere cum Scoto in quolib. 18. art. 1. versus finem litera I. quòd virtus, & malitia, licèt non sint qualitates, sed relationes, tamen denominant subiecta realiter, ac si essent qualitates, vt patet de sanitate, & pulchritudine, quæ denominant corpora, & tamen sunt relationes; ita malitia, etsi sit priuatio quædam, tamen habet modum qualitatis, & sic denominat actus, & tribuit illis speciem realiter, ac si esset qualitas positiua: malitia autem est relatio non per se, sed per accidens, quatenus, scilicet est priuatio opposita virtuti, quæ est relatio. Priuationes autem reducuntur ad illud genus, in quo sunt sua positiua; & sicut virtus appellatur conueniẽtia in actu ad rectam rationem, ita malitia est inconuenientia ad rectam rationem. Eo ergo modo, quo Aristoteles 2. phys. textu 15. dicit, priuationem esse quodammodo formam, quia adueniens materiæ eam denominat, & quodammodo afficit, vt forma: ita malitia licèt sit priuatio, quia adueniens actui ipsam afficit quodammodo sicut virtus actum, appellat eam Scotus relationem cum Aristotele 7. phys. textu 17. huiusmodi priuationes autem possunt denominare subiecta sua realiter, vt tenebra denominat corpus tenebrosum, & facit illud esse tenebrosum realiter non positiuè, ita malitia moralis dat speciem vitio realem, non positiuam.

83 Ad tertium respondetur, vnicuique actui correspondere propriam rectitudinem specificam, & numeralẽ, vt diximus suprà notabili primo, vbi ostendimus, quòd rectitudo debita in actu odij Dei est velle bonum ipsi Deo; dictat enim ratio recta, vt velimus, & gaudeamus de bono Dei: quia est summum bonum; & quod debeamus magis velle illum esse, quàm quodcunque aliud. Odire autem Deum est nolle ipsum esse, & habere bonum: at hic actus, vt patet, includit priuationẽ prædictæ conformitatis debitæ ad rectam rationem. Similiter rectitudo debita actui infidelitatis est, vt homo credat Deo reuelanti aliquam veritatem, & alteri rationabiliter, & debitè, & cum alijs requisitis proponenti illam credendam nobis. Qui ergo non vult credere aliquid sit reuelatum à Deo, habet actum carentem conformitate ad rationem rectam, & rectum dictamen rationis, & sic de alijs; licet quandoque non habeant istæ rectitudines nomina imposita, & ideò circumscribantur per negationes, sicut fieri solet de multis positiuis, quorum differentias, & proprietates proprias ignoramus. Ad tertiũ.

Ad quar-

Ad quartū. 84 Ad quartum, respondet Scotus eodem quolibet. 18. litera I. versus finem primi articuli; ait enim, quòd malitia duobus modis potest opponi bonitati in actu; vno modo contrariè; alio modo priuatiuè. Contrariè opponitur, quando malitia actus non est solum carentia debita rectitudinis, sed quando apponit aliquam circunstantiam repugnantem rectitudini, vt dare eleemosynam propter vanam gloriam. Priuatiuè verò, quando est carentia tantùm rectitudinis debitæ, vt dare eleemosynam non propter bonum finem, scilicet propter amorem Dei: non tamen propter malum finem, scilicet propter vanam gloriam, vel nocumentum alicuius. Ad propositum, malum & bonum morale possunt opponi, & contrariè, & priuatiuè: contrariè cum in actu vltrà carentiam propriæ rectitudinis apponitur circunstantia mala, & contra rectum dictamen rationis: priuatiuè, cum caret solum propria conueniētia ad rectum dictamen rationis. Ex hoc autem non habetur, quin malitia sit carentia, & priuatio debitæ rectitudinis: quia & illa appositio circunstantiæ contrariæ est contra rectitudinem, & ideò licèt opponatur contrariè, potest tamen dici, quòd etiam opponitur priuatiuè: quia est species oppositionis priuatiuè, & ex illa, vt in genere, cōtinetur.

85 Ad rationem verò, quæ subuectitur, posset negari, inter priuatiuè opposita nō dari medium: nàm Arist. in prædicamentis cap. de oppositis disertè probat, quòd oppositio priuatiua differt ab oppositione cōtrariorum immediatorum per hoc, quia inter contraria immediata, vt sanum, & ægrum, non datur medium: at opposita priuatiua habēt medium: vt catulus ante nonum diem, nec est cæcus, nec est videns; ergo in proposito licèt inter actum malum, & actum bonum detur medium, scilicet, actus indifferens, hoc non facit quod bonum, & malum non opponantur priuatiuè, sed potius hoc confirmat. Sed hoc omisso, est respondēdum, quòd dictum illud, inter habitum, & priuationem non datur mediū, intelligitur quando subiectum est aptum natum habere formam: nam tunc si illam non habet, dicitur priuatum illa, vt ait ibi Aristot. ponendo differentiam inter opposita priuatiuè, & contraria mediata; inquit enim, quando subiectum est aptum natum habere formā aliquam, non datur medium inter habitum, & priuationē respectu illius subiecti, vt catulus post nonum diem, vel est cæcus, vel videns: & per hoc differunt opposita priuatiuè ab oppositis contrarijs mediatis; quia in istis non est necesse alterum illorum semper inesse subiecto: at in oppositis priuatiuis quādo subiectum est aptum natum habere formam, semper vel inest forma, vel priuatio formæ. Et ideò in proposito dicimus, bonum, & malum opponi priuatiuè, quia cum actus est aptus esse conformis rectæ rationi, & non est conformis, est malus: & ideò talis actus necessariò est bonus, vel malus; nec potest esse medius, siuè indifferens, quia actus aptus natus habere rectitudinem debitam, vel illam habet, & tunc est rectus, vel illa caret, & tunc est vitium, & peccatum. Et hoc modo intelligit Scotus in 2. dist. 41. ad primum principale, quando dixit, quòd bonitas, & malitia moralis non opponuntur priuatiuè circa actum, quia actus non dicitur priuatus aliqua forma, licèt careat illa, nisi sit aptus natus habere illam.

Ad quintū 86 Ad quintum, respondet D. Thom. p. p. quæst. 48. art. 1. ad tertium, quòd illa propositio, A priuatione ad habitum, &c. non est vera de quocumque malo, & ideò nō est vera vniuersaliter, sed in aliquibus tantū, vt à cæcitate ad visum: & ideò licèt malum sit priuatio boni, tamen à malo datur regressus ad bonitatem. Scotus verò in 4. dist. 45. quæst. 2. §. *Quantum ad istum articulum*, respondet, quòd illa propositio de prædicamentis, A priuatione ad habitum non datur regressus, intelligitur in ordine naturalis generationis secundum descensum: quia in ea post priuationem, non redit forma, quæ corrupta fuit: & multa alia ibi dicit, quę non est necesse hic ponere. Ad nostrum propositum, sufficit, quòd non valet in moralibus, ideò in illis potest fieri transitus à malo ad bonum, & à bono ad malum; à virtute ad vitium; & à vitio ad virtutem: & redit in idem cum responsione D. Thomæ: negat enim D. Tho. præcisè illam propositionem habere locum in malo morali.

Ad sextum 87 Ad sextum, respondet Scotus in 2. dist. 35. ad primum principale, quòd in peccato duo sunt, materiale, & formale; cum dicit D. August. *Peccatum est dictum, factum*, &c. explicat materiale, cum ait *contra legem Dei*, explicat formale. Vndè illud *contra*, ibi non se tenet contrariè, sed priuatiuè; ergo ex hac auctoritate habetur, quòd ratio formalis peccati est carentia conformitatis in actu ad legem Dei.

Ad septimum. Ad septimum, respondetur ex Boetio in prædicamentis cap. de qualitate, exponendo primam proprietatem qualitatis, quòd iniustitia, illiberalitas, & huiusmodi vitia dicunt duo, scilicet, habitum, & carentiam perfectionis, & rectitudinis debitæ. Quatenus habitus quidam sunt generati ex actibus, sunt qualitates; & sic vt qualitates opponuntur virtutibus, quæ etiā sunt qualitates, & habitus oppositi. Quatenus verò habent carentiam perfectionis, & rectitudinis debitæ sunt vitia, & priuationes oppositæ priuatiuè virtutibus, & ad malum inclinant.

Ad octauū 88 Ad octauum patet per eandem responsionem: iniustitia enim quatenus est habitus contrariè opponitur iustitiæ, quæ est virtus, & habitus ex actibus cum debita rectitudine generatus; non tamen sequitur quòd formale, quo habitus iniustitiæ est vitium, sit aliquid positiuum, sed benè stat quòd sit priuatio debitæ rectitudinis in actu, vt dictum est suprà.

Ad rationes Caiet. 2. cap. adductas. Ad rationes Caietani 2. cap. adductas patet ex dictis: & ad duas quidem priores satis fusè dictū est in responsione ad primum, & secundum Vasquez, & Medinæ: sunt enim eædem rationes ex Caiet. desumptæ.

Ad tertiā. 89 Ad tertiā verò, quæ est auctoritas Prophetæ Hieremiæ, concedimus, auersionem à Deo esse rationē formalem in peccato, immo illam solam esse formalitatem in peccato, ratione cuius conuersio ad creaturam est malum: ideò ad auctoritatem concedimus per illa duo mala intelligi auersionem à Deo, quod est principale, & conuersionem ad creaturas, quòd est secundarium malum: at non concedimus hæc duo mala distingui specificè, vel genericè; ita quod vnum sit priuatio, aliud quid positiuum; sed dicimus esse idem malum nedum genericè, sed specificè, & numero: distingui tamen ratione terminorum à quo, & ad quem; sicut motus idem acceptus pro forma fluente, vt est ab agente dicitur actio, vt in patiente dicitur passio, ex Arist. 3. physicor. tex. 20.

Ad rōnes Vasquez, Cano, & aliorum. 90 Ad alias rationes pro opinione Vasquez in particulari non est necesse respondere, quoniam omnes illæ probant, quod bonum morale, & virtutis, & similiter malum est relatio; & quòd est relatio rationis: hoc autem nos concedimus. Nam vt visum est suprà in responsione ad secundum, Scotus concedit, immò probát, & asserit 1. dist. 17. quæst. 2. in principio, bonitatem moralem esse relationem conformitatis actus ad rationem: hæc autem necessariò est relatio rationis; est enim fabricata, & habet esse per operationem intellectus; ergo est relatio rationis, & ideò licèt expressè non dicat esse relationem rationis, tamen hoc subintelligitur. Cum autem bonitas moralis sit relatio rationis, sequitur etiam quòd malitia moralis sit relatio rationis, non positiua, sed priuatiua: & sic concedimus malitiam formaliter esse relationem, vt suprà ad secundum diximus. At non probat Vasquez, malitiam esse relationem positiuam; dicimus enim nos quòd est relatio rationis, sed priuatiua, vt ibi explicauimus, & nunc est magis explicandum. Nam videtur esse difficultas, quia malitia non videtur posse esse relatio, si sit priuatio rectitudinis, sed iam dictum est suprà in responsione ad secundum, quòd malitia dicitur

relatio per accidens, quatenus est priuatio bonitatis, quę est relatio positiua conformitatis actus ad rectam rationem; eo modo, quo ex Aristot. 2. phys. tex. 15. priuatio dicitur forma, quia scilicet opponitur formæ, & quodammodo afficit materiam, vt forma; licèt modo opposito, scilicet priuatiuo: deinde vulgatum est, priuationes esse in eo genere, in quo sunt earum positiua.

Ad rationes Medinæ.

91 Obiectiones autem Medinæ eadem quæst. 71. art. 6. quod virtus non possit esse relatio rationis nullæ sunt. Arguit primò, quia absurdum est, quòd virtus sit relatio: est enim in prædicamento qualitatis. Secundò sequitur, quòd virtus non sit operatiua boni, quia relatio non est de genere actiuorum, & maximè relatio rationis. Tertiò, sequeretur habitum iniustitiæ esse relationem, quod nullus concedit.

92 Respődetur enim ex Scoto vbi suprà, quòd virtus pőt considerari dupliciter, scilicet, vt habitus, & vt est cőformis rationi rectæ, siuè pro materiali, & pro formali. Primo modo virtus est qualitas, & est de prædicamento qualitatis. Secundo modo est relatio; & per hoc patet ad primum. Ad secundum dicendum est, quòd virtus est actiua, vt habitus, non vt virtus, idest pro materiali, non pro formali: potest tamen concedi, quòd pro formali sit actiua per accidens, quatenus habitus, cui est annexa ratio virtutis, est productiuus substantiæ actus, qui est conformis rationi rectæ: nam iustus, frequentatis actibus in rebus iustis, generat in se habitum, cui est annexa conformitas ad rectam rationem; & sic relatio illa per accidens est causa actus bonorum: & per hoc patet ad tertium, quòd iniustitia, vt est habitus, est qualitas; vt vitium, est relatio rationis.

Ad rationes opinionum secundi cap. principalis.

93 Ad rationes pro opinionibus secundi cap. principalis, respondetur eas nihil aliud concludere nisi, peccatum omne constare ex positiuo, & priuatiuo, tanquàm ex materiali, & formali; non autem concludere, quòd ex materiali, & formali fiat vnum per se, quod dicatur, & sit morbus animę, sed est actus ille positiuus, qui, quatenus habet annexam deformitatem, infert turpitudinem ipsi animæ; eam infirmat producendo in ea multos defectus, præsertim carentia gratiæ, & donorum supernaturalium: ideò causaliter dicitur turpitudo, & morbus animæ. Assumunt etiam falsum, quod actus ipse peccati sit malitia moralis: diximus enim malitiam moralem esse carentiam integritatis eorum omnium, quæ secundum rectam rationem conuenire habent actui.

Quòd est peccatum omne eo est peccatum, quia est contra legem Dei. Caput Sextum.

94 QVòd peccatum sit carentia rectitudinis debitæ magis probabitur, si probauerimus, omnem actum, qui est peccatum ideò esse peccatum, & malum, quia est à lege diuina, siuè positiua, siuè naturali prohibitum. Nam etiam Vasquez sustinet, quòd in ijs peccatis, quæ sunt peccata, quia sunt contra legem Dei, ratio formalis peccati sit priuatio conformitatis ad legem. Tota difficultas ergo est, An detur aliquod peccatum, quod sit sua natura peccatum, & ideò sit lege prohibitum, An verò omnis actus qui est peccatum, sit peccatum præcisè, quia est prohibitus.

Opinio asserens aliquid esse peccatū ex natura sua, non quia prohibitū.

95 In hac re sunt duæ sententiæ oppositæ: aliqui sustinent aliqua peccata esse, quæ sua natura sint peccata, & ideò esse prohibita, quia in se sunt mala; non autem ideò esse mala, quia sunt prohibita. Pro hac sententia citantur Durandus 1. Sent. dist. 47. quęst. 4. num. 16. Soto de iustitia lib. 2. quæst. 3. art. 8. Gabriel Biel in 3. dist. 37. quæst. 1. art. 2. conclusione 3. & 4. hanc sequitur ex professo Vasquez 1. 2. disput. 97. & hanc asserit esse opinionem quoque Scoti in 3. dist. 37. q. vnica; pro hac opinione adducuntur præsertim istæ rationes.

1. Ratio.

96 Prima. Est auctoritas D. August. 1. lib. de libero arbitrio cap. 3. nam ibi consentit Euodio asserenti, adulterium esse malum, non quia prohibitum, sed contra: ideò vetari, quia malum est.

2. Ratio.

Secundò. Quæcumque ita sunt inconuenientia naturæ rationali, vt calor aquæ, & vt igni frigiditas sunt inconuenientia illi, non ex aliqua lege, sed ex natura sua, nec possunt per aliquam voluntatem etiam diuinam, illis competere, & esse conuenientia; at actus quidam peccati sunt qui facti cum illis circunstantijs, quæ requiruntur, vt actus sit peccatum, repugnant naturæ rationali, sicut caliditas aquæ, &c. ergo hæc peccata, sunt peccata, & mala ex natura rei, non quia prohibita. Minor probatur nā actus adulterij factus à sciente volente, &c. videtur repugnare naturæ rationali constitutæ in eo esse, & conditione in qua est constituta. Et multo magis hoc patet de odio Dei de periurio: hæc enim de sua natura sunt inconuenientia ipsi naturę rationali, vt caliditas aquæ, & frigus igni; ita quod etiam si nő essent prohibita aliqua lege, adhuc essent disconuenientia ipsi naturæ rationali, & essēt mala. Maior probatur, quia Deus non potest pro voluntate variare naturas rerum, & facere quod est vni conueniens sit eidem disconueniens; & quod est alicui disconueniens sit eidem conueniens: neque enim potest facere, vt naturæ ignis sit conueniens humiditas, & sic de alijs; ergo Deus non potest facere, vt actus disconueniens naturæ rationali non sit illi disconueniens, sed conueniens: vndè cum actus peccati, scilicet, adulterium, periurium, & huiusmodi sint actus disconuenientes naturæ rationali non potest facere per suam voluntatem, & legem, vt non sint ei disconuenientes; ergo actus peccati est malum, non quia voluntate, & lege Dei prohibitus; sed quia natura sua est peccatum & malum.

97 Tertiò. Si omnia peccata essent peccata, quia prohibita, sequeretur, quod possent non esse peccata. Consequentia probatur, quia potuisset Deus non prohibere illos, vt adulterium, periurium, odium Dei; & tunc actus isti non essent mala, nec peccata, quia non essent prohibita. Falsitas autem consequentis videtur esse clara: quia periurium, odium Dei, etsi quæ alia sunt huiusmodi, ex terminis videntur esse mala, & esse impossibile illa esse bona; ergo non sunt peccata, quia non sunt prohibita, sed quia sunt natura sua mala, & peccata. 3. Ratio.

98 Quartò. Scotus in 3. d. 37. in corpore quæstionis concedit, præcepta primæ tabulæ esse indispensabilia, & adducit rationem: quia, inquit, illa duo prima præcepta sunt prima principia practica, quæ sunt nota ex terminis: at certum est, Deum quamcumque legem factam posse dispensare; ergo si ista præcepta essent contra legem, essent dispensabilia: at non sunt dispensabilia; ergo non sunt mala quia contra legem, sed quia ex natura sua sunt mala. 4. Ratio.

99 Oppositam sententiam tenent alij Theologi, sed non omnes eam eodem modo declarant. D. Bonauentura in 2. Sent. dist. 35. in expositione distinctionis dubio 4. tractans auctoritatem illam D. Ambrosij adductam à Magistro ex libro de Paradiso cap. 4. *Quid aliud est peccatum nisi diuinæ legis præuaricatio?* inquit, quòd lex aliquando accipitur strictè, scilicet pro lege scripta, vel data; aliquando accipitur largè pro quacunque lege, siuè scripta, siuè naturæ, siuè gratiæ. In proposito cum inquit D. Ambrosius, peccatum esse præuaricationem legis diuinæ, ait intelligi de lege largè, adeoquod secundum D. Bonauenturam, peccatum est contra aliquam legem semper, siuè scriptam siuè naturæ. In eandem sententiam citatur Okam in 2. dist. 19. ad tertiū, & quartum dubium, & nonnulli alij ex recentioribus. Gregorius de Arimino, etiam in 2. dist. 34. q. 1. art. 2. corollario 2. tenet, omne peccatum esse contra legem, sed distinguit de lege: alia enim, inquit, est lex propriè dicta, quę est prohibitio expressa, & strictè, & dicitur lex imperatiua: alia est lex indicatiua, quæ non imperat, sed indicat quod est malum; & tunc respondet, quòd

Opposita sententia.

OKam.

Gregorius de Arimino.

omnia

omnia peccata ſunt contra legem, vel imperatiuam, vel indicatiuam, & ſic odium Dei eſt contra legem indicatiuam, quia eſt contra dictamen rectum rationis: vndè licèt non eſſet aliqua lex imperatiua, quæ prohiberet hunc actum, eſſet tamen actus malus in ſe, & peccatū.

Gregorius confutatur à Vaſquez.

100 Vaſquez, vbi ſuprà, arguit contra hanc opinionem. Primò, quod malè diſtinguat prohibitionem in indicantem, & imperantem: nam ſimplex iudicium indicans, quòd aliquid ſit malum non facit illud eſſe malum; alioquin inferior iudicans aliquid non eſſe licitum alicui ſuperiori, faceret illud eſſe prohibitum illi ſuperiori, quod eſt abſurdum. Deindè, quòd eſt malum quia iudicatur eſſe malum, iam præſupponitur eſſe malum, non autem ſit malum per ipſam prohibitionem indicātem: recta ratio enim indicat, odium Dei eſſe malum; ergo odium Dei prius eſt malum, quàm indicatur; non ergo per prohibitionem indicantem fit malus actus.

Reijcitur Vaſquez.

101 Cæterum hæc confutatio nullius eſt momenti: quia Gregorius per prohibitionem indicantem intelligit legem naturæ ſcriptam in cordibus noſtris, quæ non eſt prohibitio expreſſa ſecundum eum, ſed eſt ſolum dictamen rectum regulans, & dirigens voluntatem creatam; ideò actus, qui eſt contra eam, eſt malus: non ergo iudicium, & indicatio eſt prohibitio, ſed dictamen, & regula inſita naturæ à Deo, quomodo voluntas ſe deliberat regere in actibus noſtris, eſt, quæ facit actum malum. Vndè nullus actus eſt malus, qui non ſit contra hanc legem, vel aliquam aliam legem ſcriptam, & imperatam expreſsè: ideò Gregorius eſt nobiſcum, & rationes Vaſquez non ſunt contra opinionem iſtam.

Opinio D. Thom.

102 D. Thomas quoque videtur apertè eſſe eiuſdem ſententiæ, ſcilicet quòd peccatum omne ſit peccatum, quia eſt lege prohibitum: nam 1.2. quæſt. 100. art. 1. et 8. ad ſecundum docet, ideò Deum non poſſe diſpenſare in præceptis naturalibus, quia eſt fidelis, & ſe ipſum negare non poteſt, neque id, quod ſemel lege prohibuit, poteſt diſpenſare, vt ſit licitū. Hoc vidit Vaſquez, & ideò nititur eum reducere in ſuam ſententiam, piè, vt inquit, eum interpretando. Sed D. Thomas illam pietatē, & interpretationem non admitteret. Eandem expreſsè habet Scotus in 4. diſt. 50. quæſt. 1. §. *Reſpondeo ergo ad quæſtionem*, &c. verſiculo, *Ratio ad hoc*, &c. vbi habet hanc propoſitionem, *quodcunque peccatum eſt peccatū, quia eſt contra præceptum diuinum*. Hanc autem propoſitionem omnes aſsūmunt, & ſupponūt tanquam per ſe notam, & veram, & proindè eam non probant, nec declarant; & colligitur ex Scoto varijs locis, & præſertim ex 2. diſt. 35. vt viſum eſt ſuprà, vbi tenet, peccatū eſſe carentiam debitæ rectitudinis, & pro hac ſententia ſunt auctoritates Sanctorum, & Sacræ Scripturæ expreſſè: res tamen eſt difficilis, propter quædam peccata, quæ videntur peccata eſſe ex ſe, licèt non eſſent prohibita, vt eſt odium Dei. Ego igitur citrà præiudicium veritatis, oſtendere enitar hanc aſſertionem. *Omne peccatū, ideò eſſe peccatum, quia eſt prohibitum; & nullum eſſe peccatum niſi ſit prohibitum*. Quod ſi hoc oſtendero de odio Dei, quod videtur ex ſua natura peccatum, non autem, quia ſit actu prohibitum, de alijs nulla erit dubitatio. Hoc autem ex principijs doctrinæ Scoti facillimè declaro, & probo: atque in primis ſuſtinendo, vt aliqui ſuſtinent, vt refert Scotus in 2. diſt. 6. quæſt. 2. §. *Ad videndum*, &c. in fine, quòd odiū Dei non poſſit eſſe reſpectu ipſius Dei, neque reſpectu iuſtitię eius, quia neque ex Deo, neq; ex iuſtitia eius eſt aliquid mali, ratione cuius poſſit aliquis nolle eſſe Deum, vel iuſtitiā, quod eſt odire Deū, ſed ſit reſpectu effectus iuſtitiæ eius, ſcilicet reſpectu vindicationis offenſę diuinæ, quam damnati, & peccatores nollent, ſequitur, quòd odium Dei non ſit maximum peccatum, quia non eſt contra Deum ipſum, neque contra iuſtitiam, ſed contra effectum iuſtitię principalem; & tunc patet quòd actus iſte poſſet eſſe bonus, quia non implicat repugnantiā: nam ſi ſicuti Deus ordinauit, quòd omne peccatum puniatur, faceret aliam legem, quòd peccatum non puniatur, ſed peccator etiam impenitens beatificetur (quod eſſe poſſibile de potentiā Dei abſoluta ſuſtinent, multi Theologi, vt infra 14. vt Scotus ibi quæſt. 1. §. *ex his*. Gabriel Okam, & aliqui ex recentioribus, vt oſtendam) non eſſet actus malus odire vindictam, ſed bonum, quia eſſet actus conformis ordinationi Dei ſecundum potentiam abſolutam. Verum ſuſtinendo etiam quòd ſit actus maximè malus, oſtendo, quòd poſſit eſſe bonus.

Opinio auctoris.

Odiū Dei eſſe peccatum, quia prohibitū.

103 Pro intelligentia autem dicendorum, & probatione opinionis noſtræ, notandum eſt, quod, vt habet Scotus in 3. diſt. 37. §. *Sed iſtæ expoſitiones*. Et in diſt. 39. §. *Quantum ad primum dico*. Et in Prologo quæſt. de praxi determinans an ſcientia Dei contingentium ſit practica, vel ſpeculatiua, hoc eſt axioma Theologicum. Voluntas diuina ad extrà, nihil vult neceſſariò, ſed omnia liberè, (& ſecundum nos contingenter) & quod voluntas diuina à nullo ad extrà regulatur, nec dirigitur in ſuis volitionibus, ſed ipſa eſt prima regula omnis operationis practicæ rectæ extra ſe. Hoc axioma certè eſt veriſſimum, & licet Caietanus 1. 2. quæſt. 100. art. 8. in reſponſione ad ſecundam rationem Scoti dicat, quod illa propoſitio, Voluntas diuina non determinatur ab aliquo extrà Deum, eſt vera de ſimplicib. tantum, non de complexis, vt ſit ſenſus. Voluntas diuina non poteſt determinari ab aliquo extrà ſe ad volendum, vel non volendum aliquid; tamen non inconuenit, voluntatem diuinam eſſe determinatam ad volendum aliquod cōplexum, quod eſt ex ſe bonum; & ad volendum aliquod complexum, quod ſit per ſe malum, (& hoc inquit Caietanus, eſt neceſſariò concedendum, ſuſtinendo quod detur aliquod præceptum, quod ſit per ſe bonum, & aliqua prohibita eſſe per ſe mala. Quod ſupponit quoque Scotum ſuſtinere in illa diſt. 37. ſed quæ ſit mens Scoti ibi poſtea dicemus) tamen ſubiungit poſtea Caietanus ipſe. *Si tamen cum debita reuerentia loquendum, & altiore veritate vtendum eſt dicere debemus quòd ſicut diuinus intellectus eſt determinatus ad intelligendum, Deū ipſum, et quæ in ipſo naturaliter relucent: ita voluntas diuina eſt determinata ad volendum ſolum ipſum Deum, & in ſe ipſa omnia recta naturaliter, qualia ſunt, huiuſmodi, quæ non niſi in Deo ſunt, antequam ab ipſo communicarentur*. Sentit ergo Caietanus ſecundum veritatem ipſam, voluntatem diuinam non determinari ad volendum aliquod rectum ad extrà: at ſi aliquod complexum extra Deum eſſet per ſe rectum & non quia volitum, voluntas diuina neceſſariò eſſet determinata ad illud volendum; alioquin fieri poſſet non recta, & haberet regulam ſupra ſe, & poſſet peccare. Eſt ergo veriſſimum, quod voluntas diuina nihil extrà ſe vult neceſſariò, ſed omnia contingenter, & quòd à nullo extrà ſe regulatur, & dirigitur in ſuis volitionibus, ſed ipſa eſt prima regula, & omnis regula ab ipſa pēdet; & ideò quidquid eſt bonum, eſt bonum quia volitum ab ea; & quidquid eſt malum, eſt malum, quia ab ea prohibitum. Ex hoc fundamento ſic arguo. Si datur aliqua veritas practica, ſeù aliquod principium practicum verum extrà Deum, vt hoc. *Creaturam rationalem diligere Deum eſt bonum, & iuſtum*. Quod ex ſe ſit verum, & non quia eſt volitum à Deo; vel Deus apprehendit illud vt verū ex ſe eſſe ſic verum, vel non. Secundum non eſt dicendum, quia in Deo eſſet ignorantia aliqua, nec eſſet omneſciens; ergo. Primum, tunc ſic, vel voluntas diuina neceſſariò illi aſſentiret, & illud vellet, vel eſſet in libera poteſtate eius illam veritatem velle, vel non velle: ſi ſic; ergo voluntas diuina determinaretur neceſſariò ab aliquo extrà ſe: nec vellet illud contingenter, ſed neceſſariò; hoc autem eſt falſum, & contra axioma prædictū. Præterea, ſequeretur, quod voluntas diuina nō eſſet primum efficiens, & quod omnia penderent ab ipſa, quod eſt falſum. Conſequentia probatur, quia tunc aliqua

veritas, vt ista, *Creaturam rationalem diligere Deum, est bonum*, daretur, quæ non penderet ab eo, sed ex se ipsa esset: omnis autem veritas est ens; ergo daretur aliquod ens creatum, quod non esset à Deo, sed esset ex se ipso ens. Si autem dicas, quod potest non esse à Deo, nec illud velle Deum, sequitur quòd voluntas Dei possit esse iniusta, quoniam illa voluntas est iniusta, & peccat, quæ non vult iustum: impium autem est dicere voluntatem diuinam esse posse iniustam, & posse peccare; ergo.

104 Ad propositum, quod dictum est de bono, dicendum est de malo. Si enim datur hoc principium verum ex se. *Creaturam rationalem odire Deum est malũ*. Necesse est quòd Deus illud agnoscat, & voluntas diuina illi assentiat; ergo aliquod extrà Deum, & voluntatem diuinam determinat, & regulat voluntatem diuinã in sua volitione: vel enim voluntas diuina assentit quod odire Deum sit peccatum; & tunc determinatur ab illa veritate, extrà se; vel illi non assentit, & eam non vult: & tunc peccat, quia non vult illud, quod est ex se volendum; & sic fit iniusta. Rursus daretur aliqua veritas in rerum natura extrà Deum, vt hæc, *odium Dei est malũ*, quæ non esset à voluntate diuina, quod est euidenter falsum.

Responsio tacita.

105 Quod si quis respondeat, non esse inconueniens aliquas veritates in moralibus ad extrà non esse à Deo immediatè, & determinare intellectum, & diuinam voluntatem, vt in speculatiuis sunt illæ propositiones, quæ ex terminis ipsis sunt veræ, vt hæc. *Caliditas est disconueniens aquę*: hæc enim est vera ex se, non quia sit volita à Deo immediatè, sed tantum mediatè, scilicet, quatenus terminos producit inesse: ita hæc. *Odium, Dei est malum*. Ex terminis enim habet veritatem, ideò intellectus, & voluntas diuina necessariò illi assentit: hãc enim complexionẽ esse veram, *creaturam odire Deum est malum*, patet ex simplici apprehensione terminorum.

Reijcitur.

Contrà. Propositio, quę est nota ex terminis tàm in speculabilibus, quàm practicis, habet euidentiam ex simplici apprehensione terminorum, ita quòd non pendet ex aliqua alia propositione, nec æget probatione ex aliquo alio medio extrinseco, vt patet de his. *Totum est maius sua parte*. Et, *Non possumus affirmare, et negare idem de eodem, secundum idem*: possunt enim istæ per exempla declarari, tamen non possunt probari, quia ex terminis ipsis habent euidentiã. At ista propositio in moralibus, *Odium Dei est malum*, non habet euidentiam, ex terminis, sed pendet ex alia propositione, scilicet ex ista, odium Dei est contra rectam rationem: si enim odire Deum non esset contra rectam rationem, non esset peccatum, nec malum. Vndè per hunc syllogismum probatur. Quidquid est contra rectam rationem, est malum: odium Dei est contra rectam rationem; ergo odium Dei est malum. Immò vltimò veritas illius pendet ex hoc, quia actus odij Dei est contra volũtatem Diuinam: nam si quis quærat, quæ est recta ratio cui odium Dei est contrarium, non possumus aliud respondere, nisi quod est dictamen, & ratio indita à Deo ipsi creaturæ rationali. Vndè sic arguitur, Odium Dei est malum, quia est actus contra rectam rationem, scilicet, legem naturæ, quæ est inserta à Deo creaturæ rationali; ergo odium Dei est malum, quia est prohibitum à Deo lege naturali indita cordibus nostris. Ablata ergo lege naturæ non esset malum.

Alia nõ efficacior.

106 Præterea, & efficacius. Hæc responsio retorquetur contra aduersarios. Intellectus diuinus apprehendit illam veritatem. *Ignis est calidus*, non quia illa sit vera ex parte rei, sed quia intellectus diuinus facit illam esse veram; & à pari voluntas diuina non vult aliquam propositionem practicam, quia sit vera; & aliquid esse bonum, quia sit bonum, sed quia illa facit illud esse verum & bonum; ergo bonitas non est in re præter voluntatem diuinam. Antecedens probatur res ad extrà non ideò intelliguntur à Deo, quia illæ tales sint in se: nec res ideo amantur, quia bonæ sint in se, sed quia diuinus intellectus res intelligit, ideò res ad extrà sunt, & tales sunt; & quia diuina voluntas illas vult, ideò sunt; & bonæ sunt; nam intellectus diuinus non accipit cognitionẽ à rebus; & à pari res non sunt in rerum natura, neque habent tales, & tales proprietates, quia sic ex se sint, sed quia Deus prius intelligit illas sub hac, & sub illa entitate, circunstantijs, &c. ergo bonitas, & conuenientia, vel inconuenientia rei, ad rem, ideò est in rerum natura, quia est à diuina voluntate volita; ergo bonum, & malum non est in re ex natura rei, sed quia est intentum, & volitum à diuina Voluntate. Vndè sicut scientia Dei est causa rerum ad extrà, non tamen sola, sed cum volitione diuina, ita voluntas, siuè volitio diuina est causa bonitatis rerum ad extrà, quia scientia rerum in Deo non pendet à rebus; nec bonitas inest rebus ex se, sed è conuerso, res & bonitas earum pendent à scientia, & voluntate Dei.

107 Secundò. Si odium Dei esset ex natura sua peccatum, omnis actus odij Dei elicitus esset semper peccatum, & peccatum nouum: at hoc est falsum; ergo. Maior est euidens: quia omne tale vbicunque ponatur semper erit tale. Minor probatur. In inferno, & statu damnatorum erit odium Dei, & blasphemia, iuxtà illud. *Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper*; & tamen odium Dei, tunc non videtur esse peccatum, quia damnati non merentur, neque demerentur: si autem illi actus essent peccata, demererentur, vt patet. Hæc autem mutatio est ratione status: quia damnati sunt in termino; qui autem est in termino, non potest mereri, nec demereri, nec peccare; ergo sequitur, quòd odium Dei sit peccatum non ex se, & natura sua, sed ratione status: diuersitas autem statuum, viatorum, & damnatorum pẽdet ex voluntate diuina; ergo odium Dei, est peccatum ex lege, & ordinatione diuina. 2. Ratio principalis.

Quod si quis dicat, odium Dei, & blasphemia Dei in damnatis est actus malus quoque: quia sunt actus disconuenientes naturę. Contrà. Ex hac responsione habetur, quod sunt actus contra legem diuinam naturæ, & ideò sunt mali; tamen ex hac ratione non habetur, quod sint ex se peccata, sed benè habetur, quod sint peccata ratione legis diuinæ: nam ratione status, & alterius legis, & ordinationis diuinæ non imputantur, vt peccata; & tamen si ex se essent peccata non posset Deus non imputare, & ordinare ea ad pœnam propriam, alioquin esset iniustus. Ideò habemus, quòd ratio peccati habet esse, & mutatur secundum quod placet diuinæ voluntati; ergo dempta lege diuina, nullum esset peccatum. Tacita obiectio. Refellitur.

108 Tertiò. Deus potest facere, quod actus, qui sũt peccata, non sint peccata; ergo peccatum non est ex se peccatum, sed quia est prohibitum. Consequentia est euidens quo ad primam partem, quia si actus peccati esset ex se peccatum, non posset ab alio mutari: quia quod est ex se tale, non pendet ab alio in esse tali: ideò nec ab alio potest mutari; & hac ratione, quia Deus habet ex se esse, non potest ab alio destrui, nec mutari. Quo ad secundam partem quoque est euidens, quia si malum, & peccatum non est ex se malum, & peccatum, sequitur, quòd sit ab alio malum: non potest autem esse malum ab alio, nisi quia prohibitum est. Antecedens probatur, Deus potest facere aliter res, quàm ordinatũ est ab ipso fieri; ergo potest facere, quòd actus, qui sũt peccata, non sint peccata. Consequentia probatur, quia si non posset facere, quod actus intemperantiæ, inuidię, &c. non sint vitia, non posset facere hos actus aliter, se habere, quàm ab ipso ordinatum sit. Antecedens probatur ex Scoto in 1. dist. 44. & secundum omnes duplex est potẽtia, ordinata, & absoluta. Ordinata est, quę regulatur lege, vt potentia qua iudex potest facere homicidam occidi, dicitur potentia ordinata, quia secundum legem hæc potentia sibi competit. Potentia absoluta 3. Ratio principalis

luta eſt, quæ nulla lege, nec regula comprehenditur: vt cum iudex aliquid facit de facto, nec reſpicit ad vllã legem. Duplex aũt eſt iudex: alius eſt qui non habet in poteſtate ſua legem: alius qui habet in poteſtate ſua legẽ, & rectitudinem legis, vt e. g. Princeps, hic poteſt prius facere vnam legem, vt quod homicida moriatur: deindè poteſt facere aliam legem contrariam, vt quod homicida fiat Princeps alicuius militiæ: hic ſi non faciat occidere homicidã, ſed faciat illum Principem militię, non dicitur facere aliquid contra potentiam ordinariã, quia licet hoc factum ſit contra primam legem, tamen non eſt factum contra ſecundam legem, ſed eſt conforme illi, ideò illud factum dicitur eſſe rectum, & ſecundum potentiam ordinatam. Ita in propoſito, Deus eſt Princeps, qui verè habet in poteſtate ſua legem, & rectitudinem legis: ideò licèt prius ordinauerit mũdum hoc modo, quo ordinauit, tamen poteſt omnia iſta creata, tàm ſecundum ſubſtantiam, quàm ſecundum accidentia, tàm abſoluta, quàm relatiua alio modo facere, & ſic poteſt facere, quod modo vni non conuenit, & non eſt bonum, ſit illi bonum, & conueniens, ſecundũ alium ordinem, & legem; ergo quod eſt modo ordinatum, rectum, & iuxtà legem Dei, poterit eſſe contra hanc legem Dei, & tamen eſſe bonum: quia erit conforme alteri legi Dei; ergo non inconuenit quod odium Dei, quod modo eſt contra legem Dei, & malum, & repugnans creaturæ, tunc eſſet bonum, & conforme legi diuinæ. De potentia etiam abſoluta, abſque ordinatione alterius legis nolle, quod homicida decapitetur, non eſt malũ: quia, vt nunc ſupponimus e. g. ipſe eſt ſupra legẽ, & habet in ſe diſpenſare legem: ideò etiam Deus poſſet diſpenſare, vt odium Dei non eſſet malum, ſed bonum, ſicut poſſet damnatum beatificare, & impęnitenti dimittere culpam, vt infrà dicemus.

4. Ratio principalis

109 Tandem cõfirmatur. Nam implicat repugnantiam, nec cõtradictionem, & odium Dei eſſe actum bonum; ergo poteſt Deus facere, vt odium Dei ſit actus bonus. Antecedens probatur quia bonum, quod eſt prædicatum huius propoſitionis, nõ eſt negatio odij Dei: nam bonum ſignificat perfectum, vel conueniens: odium autem Dei ſignificat nolitionem, quod Deus ſit; non ergo bonum, & odium Dei contradictoriæ opponuntur, vt album, & non album; ſed neque etiam opponuntur vt priuatio, & habitus; ſicut veritas, & mendacium, & ſimilia: & proinde repugnantia, quæ eſt inter iſtos terminos, odium Dei, & bonum, non eſt ex terminis, ſed extra; ergo Deus poteſt illam repugnantiam tollere, & facere, vt conueniant, & ſit vera propoſitio, odium Dei eſt bonum.

Cauſa erroris aduerſariorũ detegitur.

Et certè hoc veriſſimum eſt: nam quod hæc propoſitio ſit falſa, *Odium Dei eſt bonum*, prouenit, quia eſt contra hoc principium practicum. *Odium Dei eſt diſconueniens, & prohibitum lege naturæ diuina*. Vndè ſi Deus aliam legem naturæ infunderet huic oppoſitam, poſſet eſſe vera hęc propoſitio, Odium Dei eſt bonum. Vbi eſt obſeruandum, quod ea, quæ ſunt extra Deum, ſiuè ſint mala, ſiuè bona, nihil Deo obſunt, vel proſunt, ſed ſolũ creaturis ipſis: actus enim bonus ideò eſt bonus, quia facit nobis bonum, & perfectionem aliquam: & actus malus facit nobis imperfectionem aliquam, & defectum. Ideò parum refert Deo, quod creatura illum odio habeat, vel diligat: & ideò licet odium Dei videatur eſſe magnum malum, & indiſpenſabile, hoc prouenit, quia lege naturæ eſt valde prohibitum, & opponitur primis principijs eius: ideò ſtante natura, vt ſtat, eſt indiſpenſabile; non tamen abſolutè. Confirmatur, quia ſaltem odium Dei poſſet eſſe indifferens. Nam non erat neceſſe, Deum dare hominibus præcepta primæ tabulæ: dare enim legem eſt opus ad extra, quod eſt cõtingens, ſublatis autem præceptis primæ tabulæ, nec vlla facta ordinatione, & lege, qua creatura ſe deberet regere circa Deum, liberum fuiſſet creaturæ odire, vel amare Deum abſque vlla culpa; ſicut liberum eſt homini diligere, vel odire aliquem lapidem: quia nulla eſt lex, quæ peculiariter reguler hominis voluntatem circa lapidem.

5. Ratio principalis

Quintò. Hęc noſtra ſententia apertiſſimè eſt Sanctorum Patrum, & auctoritates Sacræ Scripturæ expræſſe ſunt pro ea. Primò eſt auctoritas D. Auguſt. lib. 22. contra Fauſtum Manicheum cap. 27. ab omnibus adducta, quæ eſt. *Peccatum eſt dictum, vel factum, vel concupitum contra legem æternam*. Ex hac auctoritate habetur apertè, quod ratio formalis, qua aliquid eſt peccatum, eſt prohibitio legis diuinæ; ergo ablata prohibitione actus peccati, non erit peccatum. Præterea eſt alia auctoritas eiuſdem D. Auguſt. lib. 2. de peccatorum meritis, & remiſſione cap. 16. *Neque peccatum erit, ſi quid erit ſi non diuinitus iubeatur, vt non ſit*. Quæ ſecunda auctoritas eſt magis expreſſa; dicit enim, actum peccati præcisè eſſe peccatum, quia eſt prohibitum, & ſi nullum haberemus præceptum, nullum eſſet peccatum.

Reſponſio Vaſquez.

110 Reſpondet Vaſquez vbi ſuprà ad has duas auctoritates, & ſimiles. Ex his haberi ſolum, peccatum eſſe contra diuinam legem, at non haberi, eo præcisè, & ſolum eſſe peccatum, quia ſit contra legem Dei, & prohibitum; ait enim, quod omne peccatum eſt ex ſe malum quoddam, & ideò etiam eſt prohibitum, & eſt contra legem Dei. Auctoritates ergò adductæ probant, peccatum eſſe prohibitum, & eſſe contra legem Dei; ſed non probant, eo præcisè eſſe peccatum, quia eſt prohibitum.

Reijcitur.

111 Verum hæc ſolutio facilè reijcitur. Nam hic D. Auguſt. aſſignat rationem formalem, propter quam actus eſt peccatum: ideò ſi actus eſſet peccatum, quia eſt natura malus, & non præcisè, quia prohibitus, D. Aug. non aſſignaret veram, ſed falſam cauſam. Præterea in prima auctoritate poſtquã dixit, *peccatum eſſe dictum factum, vel concupitum contra legem æternam*. Subiungit declarationem, quæ ſit lex æterna, & ait. *Lex verò æterna eſt ratio diuina, vel voluntas Dei ordinem naturalem conſeruari iubens, perturbari vetans*. Ergo lex illa, cui opponitur peccatum, & quæ facit actum peccati eſſe peccatum, eſt volũtas diuina iubens, & vetans. Nam ordo vniuerſi eſt bonum, perturbatio eius eſt malum: vtrumque eſt à Deo iubente, & prohibente; ergo bonũ, & malum eſt propter legem Dei iubentis, & prohibentis; ergo circunſcripta lege Dei iubente, & prohibente, nullum eſt peccatum.

112 Præterea. Si peccatum nõ eſt peccatum eo, quia ſit contra legem æternam Dei, ablata lege æterna iubente, vt ordo naturalis ſeruetur, ideſt bonum ſit in rerum natura, & vetante ne perturbetur, adhuc erit bonum, & peccatum, quod eſt contra D. Auguſt. Et præterea inferius in eodem capite declarans magis, quid ſit peccatum, habet hæc verba, *Eſt autem illicitum, quod lex illa prohibet, qua naturalis ordo ſeruatur*. Ecce ait, quod illud eſt illicitum, & peccatum, *quod lex prohibet*; ergo prohibitio legis eſt ratio formalis peccati; quare dempta prohibitione, actus non eſt peccatum. Et infra in eodem capite ait, quod beati non peccant, quia conformantur legi diuinæ, ideſt, iuſſionibus, & prohibitionibus eius: beſtiæ non peccant, quia non ſunt natæ obedire illius legibus: homo verò peccat, quia poteſt obedire, & non obedire illis legibus, adeò quod D. Auguſtinus ſemper ſummit rationem peccati in actu ex oppoſitione ad prohibitionem, & iuſſionem diuinam; Ergo iuſſio, & prohibitio legis diuinæ eſt præciſa ratio formalitatis peccati.

Secũda auctoritas.

113 Secunda auctoritas autem magis cõuincit: præcisè enim ait, quod ſi non eſſet prohibitio diuina, nullũ eſſet peccatum; ergo peccatum non eſt prius ex ſe malum, cui poſtea aduenıat prohibitio legis diuinæ, vt interprætatur Vaſquez: ait enim D. Auguſt. *neque peccatum erit, ſi quid erit, niſi diuinitus iubeatur, vt non ſit*; ergo ablata prohibtione peccatum non erit.

Tertiò.

Tertia auctoritas ex D. Ambrosio.

114 Tertiò. Hoc idem confirmatur auctoritate D. Ambrosij libro de Paradiso cap. 8. vbi inquit. *Quid aliud est peccatum, nisi legis diuinæ præuaricatio, & cælestium præceptorum inobedientia?* quasi dicat, nihil aliud. At si peccatum esset ex se malum, non autem quia sit præuaricatio legis diuinæ, possemus dicere D. Ambrosio, quid aliud est? Est ens ex se positiuum malum, cui ipsa præuaricatio legis aduenit, sed ipsa non facit illud malú, & peccatum, sed reperit malum, & peccatum iam factum: immò nō est præuaricatio legis, sed est quid prius ex se malum. Hæc autem quis non videt esse contra intentionem Diui Ambrosij in eo loco? Nam in verbis sequentibus adductis etiã à Magistro in 2. dist. 35. in principio subiungit. *Ergo in præuaricante peccatum est, sed in mandante culpa non est: non enim consisteret peccatum si interdictio non fuisset.*

6. Ratio.

115 Sextò. Est auctoritas D. Pauli ad Romanos 3. cap. vbi inquit. *Per legem enim cognitio peccati.* Et cap. 4. *Lex enim iram operatur: vbi enim non est lex, nec præuaricatio.* Et cap. 5. *Vsque ad legem enim peccatum erat in mundo, peccatum autem non imputabatur, quia non erat lex.* Ex omnibus his locis apertè patet, quod peccatum ideò est peccatum, quia est lege prohibitum: vbi enim non est lex, ait Apostolus, ibi non est præuaricatio, idest peccatum.

Responsio Vasquez.

116 Respondet Vasquez, intentionem D. Pauli in tota illa Epistola esse ostendere contra Iudeos, quod vetus lex sine fide, & gratia Christi non iustificabat, sed erat imbecillis, ideo dicit, quod lex præstat notitiam peccati, non vires ad eum vitandum, sed potius esse offendiculum, & efficere potius nos dignos ira, quàm adiuuare: ideò cum ait, Vbi non est lex, non est præuaricatio, vult dicere, quod vbi non est lex, ibi non est offendiculum: quia ipsa lex est potius offendiculum, quàm adiutorium, quando est sine gratia.

Reijcitur.

117 Hæc responsio destruit textum: præuaricatio enim legis non est offendiculum, sed transgressio eiusdē legis: ideò cum Apostolus dicit. *Vbi non est lex, non est præuaricatio legis.* Sensus obuius est, quod vbi non est lex, non est transgressio eiusdem, nec consequenter peccatum. Fateor quidem, Apostolū in illa Epistola intendere probare contra Iudeos, quod lex vetus sine fide Christi, & gratia ipsius non iustificabat, & non adiuuabat, sed potius erat offendiculum: sed hoc facit pro nobis, ostendit enim intentum Apostolus per hoc, quod lex ex se sola facit peccatum, quia dum prohibet actum aliquem, facit illum peccatum: si enim non esset lex, fornicatio non esset peccatum, quia est actus naturalis, sed quia est prohibita lege, ideo est actus malus, & peccatum: neque ex viribus legis solius habemus vim ad vitandum hos actus à lege prohibitos, sed requiritur fides & gratia Christi Domini; si ergo lex sola consideretur, operatur iram, vt inquit Apostolus, & est occasio peccati, & offendiculum: quia si non esset lex, actus ille non esset prohibitus, & sic homo faciendo illum non peccaret, nec incurreret iram Dei. Ideò nisi addatur gratia Christi nos liberans in peccato morimur; nec lex prodest quidquam.

Confirmatio.

118 Quod confirmatur, quia inquit Apostolus. *Per legem enim cognitio peccati:* tunc sic. Peccatum omne actuale est voluntarium; at quod est ignotum non potest esse voluntarium, vt omnes fatentur; ergo si non esset lex, quæ tradidit cognitionem, quis actus sit peccatum, nunquam actus ille fuisset peccatum, quia fuisset ignotum esse peccatum, & consequenter perpetratio illius non esset peccatum. Tandem hoc expresſè declarat auctoritate illa ex 5. cap. inquit enim. *Vsque ad legem peccatum erat in mundo peccatum autem non imputabatur: quia non erat lex.* Peccatum, quod erat ante legem, durauit etiam sub lege, sed non imputabatur ante legem, & id de quo ibi est sermo videtur esse peccatum pro materiali, scilicet actus, qui nondum erat prohibitus, & ideò non imputabatur ad culpam, sed lata lege à Moyse, de qua ibi loquitur, imputatur; ergo legis prohibitio facit actum materialē peccati formaliter esse peccatum. Et eo magis hoc deducitur ex alio textu, qui legit in præsenti sic. *Peccatum autem non imputatur, cum lex non est.* Est ergo concludendum, quod ratio formalis peccati est, quia est prohibitum. Alius tamen sensus est illius loci magis ad aures Sanctorum Patrum, scilicet quod peccatum propriè, scilicet contra legem naturæ factum, durauit etiam sub lege Moysi: nec per illam fuit dimissum, sed solum per gratiam Christi: tamen peccatum non imputabatur, idest, non cognoscebatur, quia non erat lex scripta: data verò lege scripta per Moysen innotuit, sed non fuit deletum nisi per Christum. Sed auctoritas ex 4. cap. cogit.

119 Ad rationes aduersariorum ex dictis patet. Ad primam, quæ est auctoritas D. Aug. ex 1. libro de libero arbitrio cap. 3. Respondeo, quod D. Aug. ibi non concedit Euodio adulterium esse malum, non quia sit lege prohibitum, sed quia ex se sit malum, vt sumitur in argumento; sed solum concedit Euodio adulterium esse malum, & quærit deinde, & disputat, vndè habeat, quod sit malum. Immò ibi D. Aug. facit pro nobis: nã cum Euodius multas rationes assignasset, cur adulteriũ, & quodlibet aliud peccatum sit malum, & D. Aug. illas reiecisset, in fine cap. 6. concludit, quod adulterium, & quodlibet aliud malum, & iniustum est iniustum, & malum, quia est contra legē ęternam, cui semper est obtemperãdum, & illud, quod est bonum, & iustũ, ideò est bonum, & iustum, quia est conforme illi legi æternæ: vndè habet hæc verba. *Simul etiam te credere arbitror in ista temporali vita nihil esse iustum, neque legitimum, quod non ex hac æterna lege sib. homines deriuauerint.* Ex lege ergo ęterna pendet, ꝙ actus aliquis sit iustus, & bonus; vel quod sit malus, & iniustus. — Ad primã rationē aduersariorũ.

120 Ad secundam negatur minor. Ad probationē, respondetur quod natura rationalis duobus modis considerari potest. Vno modo vt est natura nuda, & non subiecta alicui legi nec diuinæ, nec humanæ, & hoc modo dico, quod adulterium non est quid disconueniens; est enim actus naturalis: neque odiũ Dei; odire enim Deum nihil in natura rationali, quo ad esse naturale, corrumpit; multo minus periurium, vt patet. Alio modo potest natura rationalis considerari, non vt est nuda, sed vt est subiecta legi diuinæ, saltē naturali insertæ cordibus nostris; & tunc concedo, quod adulterium, odiũ Dei, & cętera peccata sunt illi disconuenientia; sed hæc disconuenientia prouenit, quia illi à Deo sunt prohibita & sunt contra dictamen rectum rationis, quæ est lex naturæ: vel sunt contra aliam legem Diuinam, vel humanam positiuam, cui ipse homo est subiectus, quã si transgrediatur, fit malus, & iniustus, & punitur. — Ad secundam.

121 Ad tertiam negatur falsitas consequentis: concedimus enim, quod omnis actus, qui est peccatum, non esset peccatum, nisi esset lege prohibitus, ad probationem, supra 3. & 4. argumento probatum est odium Dei esse malum, quia est contra legem Dei; & esse bonum, non implicare repugnãtiam, nec contradictionē ex terminis, & quod ideò de potentia Dei absoluta posset esse actus bonus, licet non de potentia Dei ordinaria. Idem dicendum de periurio, blasphemia, & alijs huius generis. Istæ enim propositiones non implicant contradictionem ex terminis. Periurium est bonum. Blasphemia est bona: quia ista prędicatio non est negatio subiecti, vt ostēdimus quarto argumēto de odio Dei. neque ex se sunt falsæ, sed sunt falsæ: quia repugnant alijs principijs practicis prioribus legis naturæ. Sunt ergo illa peccata disconuenientia naturæ rationali, non vt est natura nuda, sed quatenus est subiecta, & regulata lege naturali indita ei à Deo: huic autem legi repugnant istæ propositiones practicæ. Deus est odio habēdus. Deus est vocandus in testimonium falsi. Deus est — Ad tertiam

blasphe-

blasphemandus. Cum enim Deus sit verax, immò ipsa veritas, recta ratio dictat, ipsi fieri iniuriam; cum vocatur in testimonium falsi: significatur enim, Deum ipsum esse mendacem, quod est impium. Similiter dictat blasphemiam esse actum malum, quia Deus cum sit sūmum bonum, ei sunt attribuenda, quę ei competunt, nō ea, quæ illi non competunt; fit enim illi iniuria.

Ad quartū. 122 Ad quartam respondetur, Scotum asserere duo prima præcepta primæ tabulę esse indispensabilia, & esse nota ex terminis stante lege naturæ, cuius ipsa sunt prima præcepta, & prima principia, à quibus multa alia pendent: at lege naturæ mutata, vel ablata non negaret Scotus, illa præcepta posse auferri, & mutari secundum aliam legem datam à Deo: nam in 1. dist. 44. tenet, res aliter posse fieri, quàm ab ipso ordinatę sunt, vt supra argumento 3. & propter aliàs rationes ex eo adductas ostensum est.

Quid sit formale in peccato omissionis. Cap. VII.

123 QVę diximus superius cap. 4. & alijs de ratione formali peccati commissionis, dicenda quoque sunt de peccato omissionis, quia tamen recentiores nonnulli dicunt, in peccato omissionis nullum esse actum, & proinde formale in illo peccato non posse esse carentiam rectitudinis debitæ, si quidem vbi non est actus, nulla potest esse rectitudo illi debita, videndum est breuiter, quid sit dicendum de hac re. An scilicet in peccato omissionis sit aliquis actus; & dato, quod sit, an in eo ratio formalis peccati sit carentia debitæ rectitudinis: vt diximus de peccato commissionis. De hac re disputant Scholastici in 2. dist. 35. & Sectatores D. Thomæ 1. 2. quæst. 71. art. 5.

Duo capita opinionū. In hac difficultate sunt variæ opiniones, quæ tamen ad duo capita principalia reducuntur. Pro quarum intelligentia notandum est, quod in peccato omissionis vel nullus est actus positiuus, sed simplex negatio actus, vt puta, cum quis tempore, quo debet audire missam, optimè aduertit, quod debet audire missam, & tamen non audit, neque vllum actum voluntatis elicit, sed merè negatiuè se habet; vel pōt esse aliquis actus positiuus, & hoc duobus modis. Vno modo per se, vt cum quis vult non audire missam die festo: hic enim licet sciat esse peccatum non audire tali die, & hora missam; tamen vult non audire missam. Alio modo potest esse aliquis actus positiuus per accidens in omissione, vt cum quis se occupat, & vult facere aliquod opus, ad quod sequitur omissio: ita quod est incompossibile facere illud opus, & non omittere præceptum; vt qui vult dormire in lecto tempore, quo celebratur missa, vel denique facit aliquod opus, quod est occasio omissionis præcepti. Aliqui ergo dicunt, quod in peccato omissionis nullus est actus positiuus, siue quod omissio aliqua datur, quæ non habet actum aliquem positiuum, neque per se, neque per accidens, qui sit causa illius omissionis per se, vel occasionalis, siue per accidens; sed quod peccatum omissionis est illa simplex omissio actus quem ex præcepto tenemur efficere. Hanc opinionem tenent Riccardus in 2. dist. 35. ar. 1. quæst. 1. Durandus in 2. dist. 35. quæst. 2. Oxam 3. quæst. 10. ad primum dubium post quartam conclusionem, & multi alij in hanc sententiā citantur, in eandem sententiam conuenit D. Thomas 1. 2. quæst. 71. art. 5. Licèt aliquo modo differat, vt videbimus, Vasquez ibidem disputat. 92. Medina, & alij.

124 Notandum est tamen, quod isti auctores differunt: nam D. Thomas loco citato, cū quo est Vasquez ibidem disputatione q. 2. Medina, & alij, loquendo de actu per se pertinente ad omissionem, tenent, nullum actum positiuum esse necessarium; tamen loquendo de actu positiuo pertinente per accidens, vt causa, vel vt occasio ad omissionis peccatum, tenent, omnino esse necessarium aliquem actum positiuum: quia dicunt esse impossibile, voluntatem omittere aliquem actum debitum, nisi adsit aliqua causa, vel occasio, quæ est actus positiuus volendi aliquid, quod vel antecedenter, vel concomitanter est causa omissionis actus præcepti. Durandus verò, Riccardus, & alij absolutè tenent, nullum esse necessarium actum positiuū, neque per se, neque per accidens, ad peccatum omissionis; sed ipsam solam defectionem, & ipsum non velle voluntarium esse peccatum, & ipsam omissionis culpam.

125 Quoad primam partem nimirum, quod non requiratur aliquis actus positiuus per se ad omissionem, scilicet, velle omittere, probant Durandus, Vasquez ex eo, & alij: nam quis ex ignorantia, vel ex eo, quod non cogitat de præcepto potest omittere actum pręcepti: iste peccat peccato omissionis; at hic non potest habere actum volendi omittere; ergo. 1. Ratio.

126 Secundò. Potest contingere, quod quis eo tempore, quo deberet adimplere pręceptum, non attendat, quia tenetur desiderio alterius rei, cui est incōpossibilis obseruatio præcepti: qui ergo illud omittit tunc temporis, non habet actum positiuum volendi non obseruare præceptum; siue tunc temporis non habet nolitionem obseruationis præcepti, sed habet solum non volitionē, quæ est negatio, siue priuatio obseruationis præcepti, ad quod tenebatur. 2. Ratio.

127 Tertiò. Ex eisdem in corpore, & in responsione ad primum habetur alia ratio, quæ est fundamentum suæ positionis. Ipsa omissio per se sine aliquo actu positiuo potest esse peccatum; ergo non est necessarius aliquis actus positiuus. Antecedens probatur. Omnis defectus voluntarius est culpabilis; sed omissio actus debiti est huiusmodi; ergo. Maior patet. Minor probatur, quia ille actus est voluntarius, qui est in potestate voluntatis: at tàm velle hoc, & illud, quàm non velle hoc, & illud est immediatè in potestate voluntatis: non autem mediante aliquo alio actu: sicut ad hoc, vt actus positiuus sit in potestate voluntatis, non est necesse, vt mediet aliquis alius actus. Omissio ergo est immediatè in potestate voluntatis; potest enim omittere, & non omittere; ergo illa omissio per se ipsam est culpabilis, non propter aliquem alium actum, mediante quo sit in potestate voluntatis. 3. Ratio.

128 Quartò. Confirmatur, quia nulla causalitas positiua directè requiritur ad effectum priuatiuum: at omissio est effectus priuatiuus; ergo. 4. Ratio.

Quintò. Sequeretur, quod omne peccatum esset peccatum omissionis. Consequentia probatur, quia in omni peccato esset actus positiuus contra legem Dei. 5. Ratio.

Sextò. De ratione omissionis non est aliquis actus: nam omissio consistit in hoc, quod homo non facit id, ad quod tenetur, cū possit: hoc aūt est simplex negatio. 6. Ratio.

129 Septimò. Quod nō requiratur aliquis actus per accidēs, qui sit causa, & occasio ipsius omissionis, probat Durandus. Si aliquis actus positiuus requireretur, qui esset occasio, & causa omissionis, necesse esset, vt esset determinatus: at non datur aliquis talis actus determinatus; ergo. Maior probatur, quia omne peccatū, quod est contra determinatum pręceptum, si consistit in actu, necesse est consistere in vno determinato actu; alioquin non esset vnum determinatum peccatum. Minor probatur, quia aliquis potest omittere missam propter innumeras occasiones, vt quia vel vult dormire, vel ludere, vel aliquid facere ad quod est incompossibile audire missam, quod patet esse indeterminatum. 7. Ratio.

130 Præterea. Potest etiam aliquando contingere, vt actus bonus sit occasio omittendi missam, vt nimirū vigilare in oratione, vel in studio, & huiusmodi: at si iste actus pertineret ad omissionem, esset actus malus: hoc autem est falsum, quia nemo peccat in eo, quod nō est de se malum, neque est prohibitum; oratio, & studium non sunt huiusmodi, vt patet; ergo. 8. Ratio.

131 Nonò. Riccardus, & alij. Si omissio semper po 9. Ratio.

stularet

stularet actum positiuum, ex quo sequeretur, vel sequeretur ex illo necessariò, vel liberè. Si primum, ergo ille actus positiuus secundum se esset malus, nõ bonus: quia ex bono non sequitur necessariò malum. Præterea. In peccato omissionis semper essent duo peccata: alterum cõmissionis, scilicet actus ille, ex quo omissio sequitur: alterum omissionis, scilicet ipsamet omissio. Si secundum etiam eadem absurda sequuntur, vt patet.

10. Ratio.

132 Decimò. Marsilius, vt refert Vasquez, sic arguit. Aliquis potest amittere gratiam sola omissione aliqua absque vllo actu; at gratia non potest amitti sine peccato; ergo in sola omissione absque actu potest esse peccatum. Minor est clara. Maior verò probatur. Ponatur casus, quod aliquis sit intentus aliquibus operibus bonis vsque ad tempus somni, intra verò ipsum somnum omittat audire missam, quam audire tenetur, certè amittet gratiam: non amittet autem ante somnum, quia semper bonis operibus incubuit: nec post somnũ, vt patet; ergo in somno: tunc autem fuit pura omissio absque vllo actu, qui sit causa illius omissionis nedum per se, sed neque per accidens.

Opinio asserẽtium in omissione esse causã p accidens.

133 Ex altera parte multi, etsi conueniant cum præcedenti opinione quò ad primam partem, scilicet quod in omissione non adest aliquis actus, qui sit per se causa omissionis, tñ quoad secũdam partem discrepant; tenẽt enim quod etsi in omissione non sit aliquis actus, qui sit per se causa illius, tamen semper dicunt esse aliquã causam per accidens, quæ, scilicet, sit occasio, & causa omissionis. Hanc sustinent magister in 2. dist. 35. cap. 9. D. Tho. 1. 2. quęst. 71. art. 5. Medina ibidem cõclusione tertia pro tanto enim D. Tho. dicit se mediare inter duas priores opiniones, quia cõtra priorem tenet, quod semper adest aliquis actus, qui per accidens est causa omissionis. Et contra secundam tenet, quod non requiratur aliquis actus, qui sit per se causa eius. D. Bonau. 2. dist. 35. dubio 1. circa textum Magistri. Henricus quolib. 12. quæst. 14. Vasquez 1. 2. disputatione 93. qui multos alios citat; pro hac opinione præsertim istæ rationes adducuntur.

1. Ratio.

134 Prima ex Vasquez. Peccatum omissionis oritur semper, quia intellectus detinetur cogitatione alterius rei, quam illius ad quam ex præcepto tenetur, & voluntas diligit aliquid aliud, quod est diuersum, & incõpossibile cum dilectione, & volitione illius, ad quem tenetur; ergo in omissione semper adest aliquis actus, qui est causa omissionis ipsius. Antecedens probatur experientia; neque enim intellectus noster potest cessare ab omni actu, licet enim per imperium voluntatis possit cessare ab intellectione, & cõsideratione huius, vel illius rei, non tamen potest facere voluntas, vt cesset à consideratione omnis, & cuiuscunque rei; vt patet dum homo vigilat. Voluntas similiter licèt possit non velle hoc, vel illud, tamen non est possibile, vt omnino cesset à volitione cuiuscũque rei; ergo causa, & occasio, propter quam volũtas omittit actũ præcepti ad quod tenetur, est, quia ipsa, & intellectus detinentur circa cõsiderationem, vel volitionem alicuius alterius rei, cum qua est incompossibilis actus, qui per omissionem omittitur; siuè illud, quod est causa omissionis, præcedat, vel concomitetur ipsam omissionem.

Solutio.

Verùm hæc ratio non concludit, quia etsi intellectus non possit cessare ab omni actu, tamen voluntas potest, vt experientia patet: nam circa obiectum oblatum sibi ab intellectu potest nullum habere actum, sed se suspendere, vt aliàs visum est.

2. Ratio.

Secundò. Omnis negatio præsupponit aliquod positiuum, nec voluntas fugit, vel renuit, ac omittit aliquid facere, nisi quia amat aliquid oppositũ illi, & illud vult, & sequitur: vt si quis omittit surgere ad matutinum est, quia vult dormire, vel manere in lecto, aut quid simile; ergo cum quis omittit missam, hoc facit quia vult facere aliquid, cui est incompossibile audire missam.

Resolutio quæsiti.

Non memini de hac re aliquid legisse expresè apud Scotum, & ex dictis eius difficilè est videre, quæ fuerit mens eius. Ex vna parte videtur declinare in priorem opinionem, quòd in omissione nullus sit actus, sed sit sola negatio: nam in 2. dist. 42. quæst. 4. in fine §. *Ad quęstionem quartam dicendum*, &c. explicando diuisionem peccatorum factam à D. Hieronymo in vltimis verbis inquit, quòd illa diuisio peccatorum: peccatum consistit in cogitatione, locutione, & operatione: debet intelligi positiuè quo ad peccatum commissionis, negatiuè quo ad peccatum omissionis; ergo secundum eum, peccatũ omissionis est sola negatio; non ergo est aliquis actus, neque requirit aliquem actum. Similiter in 1. dist. 41. §. *Primum istorum soluitur*, &c. soluens primum argumẽtum contra se factum inquit, quod Deus præscit se cooperaturum Lucifero ad substantiam actus, si peccatum erit commissionis, vel præscit se non cooperaturum ad actum aliquem, si sit peccatum omissionis; ergo ex Scoto in peccato omissionis non est aliquis actus.

Scotus.

Opinio auctoris.

135 Ex altera parte, sine præiudicio veritatis, & melioris sententiæ, ego puto, peccatum omissionis nedum includere actum, qui sit occasio, & causa omissionis, vt auctores secundę opinionis dicunt, sed includere aliquem actum, qui per se sit causa omissionis; & hanc quoque esse opinionem Scoti existimo, & eam ex suis principijs probare conabor.

Aliud est omissio simplex, & aliud omissio, quæ est peccatum.

136 Pro cuius intelligentia notandũ est, quòd aliud est loqui de simplici omissione, & aliud loqui de omissione, quæ est peccatum: nam omissio simplex est sola negatio alicuius actus interioris vel exterioris, vt patet ex significatione ipsa vocis: at omissio, quæ est peccatũ, non potest esse simplex negatio, sed necesse est, quòd sit negatio voluntaria: non enim quælibet omissio actus præcepti est peccatum, sed omissio voluntaria: omissio enim ex impotentia, vel ex ignorantia inuincibili non est peccatum, quia non est voluntaria. Tunc stante hoc supposito, formo rationem, & subsumo: at omne voluntarium est actus voluntatis, vel cadit sub actu voluntatis: omnis autem actus voluntatis, vel est elicitus, vel imperatus: elicitus est duplex, scilicet velle, & nolle; ergo actus ille voluntarius omissionis est, vel velle, vel nolle, vel aliquid, super quod cadit velle, vel nolle; scilicet, actus imperatus sit aliquid imperatum à volũtate, quod cõmuniter dicitur actus imperatus. Probo primã propositionem assumptam, scilicet, quòd omne voluntariũ sit actus voluntatis, vel cadit sub eius actu: nam implicat repugnantiam dicere, hoc est voluntarium, & non est actus voluntatis; vel non est factum per actum voluntatis: illud enim voluntariũ significat aliquod ens, quod vel est actus voluntatis, vel subiectum voluntati. Secunda propositio est communiter concessa, & eam habet expresè Scotus in 2. dist. 7. quæst. 2. §. *In ista quæstione*. Et confirmatur, quia negatio actus, siuè non velle, non est actus voluntatis, sed est negatio; accipiendo non velle propriè, & negatiuè, non contrariè: quia si accipiatur contrariè est idem quod nolle, vt infrà magis patebit. Confirmatur ad hoc: quia actus voluntatis soli voluntate competit: at non velle, vt est negatio actus, cõpetit cuicunque rei diuersæ à voluntate. De bruto enim verum est dicere, brutum non vult, asinus non vult, lapis non vult. Consequentia est euidens, quia si omnis actus voluntatis est velle, vel nolle, omissio, si est actus voluntatis, necessariò erit vel velle, vel nolle. Si verò nõ est actus voluntatis, sed tamen est voluntaria, necesse est vt cadat sub velle, vel sub nolle; & sic erit actus imperatus, alioquin non erit voluntaria.

Reijcitur respõsio D. Thomæ.

Ex hoc impugnatur dictum D. Thom. & Durandi, qui respondent, quòd non velle, vt est actus negatiuus, potest dici voluntarium, licèt nõ sit actus voluntatis, nec super ipsum cadat actus voluntatis: quia etiam illud dicitur voluntarium ex 3. Eth. cap. 5. quod est in potestate nostra, vt fiat, vel non fiat; ipsum autem non velle, siuè omissio ipsa est in potestate nostra, ideò potest esse volun-

voluntaria, licèt non sit actus, nec cadat sub actu. Hæc inquam responsio non soluit argumentum, quoniam verum est quidem, Aristotilem 3. Ethicorum capite 5. dicere, quòd in nostra potestate est agere, & non agere secundum virtutem, & agere, & non agere secundum vitium, & propter hoc nobis imputatur actus virtutis, vel vitij: tamen Aristoteles ibi nō declarat, nec docet, quòd non agere secundum virtutem, vel non agere secundū vitium, sit pura negatio, & sine vllo actu; immo ex hac responsione, & ex loco illo Aristotelis deduco rationem optimam pro nobis. Illud omne, quod est in potestate nostra, vel est actus voluntatis, vel subijcitur actui voluntatis; sed omissio præcepti, vt omissio missæ tempore debito, est voluntaria; ergo vel est actus volūtatis, vel est subiecta actui voluntatis. Minor est euidens, alioquin non esset peccatum. Maior probatur, quia quidquid prouenit effectiuè à voluntate, & est in potestate eius, vel est actus elicitus, vel imperatus; & si est actus elicitus est vel velle, vel nolle, vel aliquid imperatum per nolle, & velle: non velle autem quod ab aduersarijs dicitur omissio pura, & negatio, non est velle; vt patet, nec nolle; ergo erit quid imperatū per velle, vel per nolle, alioquin non erit in potestate nostra.

Confirmatio prima. 138 Confirmatur, ac magis declaratur. Omissio simplex, non velle, vt est pura negatio, non facit esse voluntarium illud, super quod transit; ergo omissio missę tempore debito non est non velle simplex, & pura negatio. Antecedens probatur: nàm nunc non volo ire ad Indos; nunc non volo quærere aliquam dignitatem; non volo dormire, & huiusmodi: at hæc omissio itineris ad Indos, omissio inquisitionis dignitatis, omissio dormitionis in me, & alia huiusmodi non dicuntur voluntaria, vt patet; licet cogitem de isto itinere, de dignitate, & dormitione, & similibus: alioquin omne illud, quod possum facere, & cognosco me posse facere, & tamen non facio, esset voluntarium, quod est ridiculum. Consequentia est euidens, quia omissio actus alicuius præcepti est voluntaria, quia est peccatum: necesse est ergo, quòd omissio illa fiat per aliquem actum voluntatis, & sic sit actus imperatus, vel sit actus elicitus ipsius voluntatis; & sic erit nolle, seù nolitio talis actus præcepti.

Secūda cōfirmatio. 139 *Secundò confirmatur.* Vel illa omissio, quæ est negatio simplex actus, est volita, vel non est volita: non datur medium, quia hęc sunt contradictoria, vt patet. *Si dicas non est volita.* Contrà; ergo tunc non esset peccatum, quia omissio, quam quis non vult, non potest illi imputare ad culpam; ergo est volita: at omne volitum vel est actus elicitus, vt ipsa volitio, vel actus imperatus, vt actus potentiarum inferiorum ad voluntatē: necesse est ergo, quod omissio vel sit actus aliquis volūtatis, vel subijciatur actui voluntatis.

Secunda ratio principalis. 140 *Secundò principaliter.* Omnis omissio actus alicuius præcepti culpabilis, necessariò includit aliquem actum, qui est causa illius omissionis per se, vel per accidens; ergo in omissione semper est actus positiuus aliquis. Antecedens probatūr, cum quis sciens, & prudens omittit audire missam tēpore debito, ideò omittit quia directè, & per se non vult audire missam; vel quia eo tēpore, vult aliquid cum quo est incompossibile audire missam, vt puta vult manere in lecto, vel ludere. Si hoc secundo modo non vult audire missam, patet quòd in hac omissione est actus voluntatis positiuus, qui est causa per accidens omissionis missę, nempè, velle dormire, vel ludere. Si verò non vult audire missam primo modo, tunc quæro, vel illud non velle audire missam directè, se tenet contrariè, vel negatiuè tantum. Si se tenet contrariè; ergo est nolle audire missam, quia est actus positiuus, sed negatiuus; & est idem quod velle non audire missam. Si verò dicas se tenere negatiuè tantum. Contrà, quia videtur esse impossibile dari casū, in quo quis cognoscat adesse tempus, & alias conditiones adimplendi præceptum de audienda missa, & non sit distractus per volitionem alicuius alterius obiecti, sed consideret actum solum, ad quem tenetur, & cōditiones, quę ipsum obligant, vt quod nunc est tempus audiendi missam, & tamen se habeat purè negatiuè: nā licèt expressè, & explicitè non habeat actum positiuum, negatiuū, & nolle audire missam: tamen videtur habere illū implicitè, & tacitè, dum videt adesse tempus audiēdi missam, & tamen non audit. Videtur etiam illud nolle esse idem quod contemnere præceptum: quod possumus declarare exemplo adducto à Scoto in 4. dist. 4. quæst. 4. in fine solutionis quęstionis de eo, qui in baptismi susceptione merè negatiuè se habet: quia qui negatiuè tātum non consentit (non autem contrariè) negatiuè etiā non dissentit: quia nec actum, nec habitum oppositum habet: nàm, vt inquit Scotus, ibi difficile est inuenire talem casum, præcipuè in eo, qui aliquando cogitauit de baptismo: tamen si daretur, ita vt esset aliquis omnino non consentiens, nec dissentiens, nec actualiter, nec habitualiter, & tamen vtens ratione, ille non esset capax baptismi, quia videtur contemnere. Ita in proposito: si datur aliquis, qui tempore audiendi missam ex præcepto non sit omnino consentiens, nec disentiens, quia nō habet actum volendi nec nollendi, sed simplicem negationem actus, siuè dissensum negatiuum, si tamen habeat vsum rationis, iste videtur contemnere præceptum de audienda missa, saltem interpretatiuè, & tacitè; ergo in tali omissione esset necessariò actus positiuus, nempè contemptus.

141 Tertiò. *Secunda ratio principalis adducta pro opinione D. Thomæ, & aliorum cap. præcedenti, hic concludit, quia omnis priuatio præsupponit aliquod positiuum à quo dependet: omissio actus pręcepti est priuatio quædam: ergo præsupponit aliquem actum positiuum, à quo dependet.* 3. Ratio.

142 *Sustinendo ergo, quod in peccato ommissionis sit actus aliquis positiuus, patet quid sit ratio formalis in tali peccato:* est enim carentia debitæ rectitudinis in illo nolle, quod fertur super actum præcepti: nam ex diuina lege habemus regulam dirigendi, nō solum volitiones, sed ēt nolitiones nostras: ideò cum illę carent debita conformitate ad illam, sunt peccata, & culpabiles. In peccato omissionis formale est carētia rectitudinis debitæ.

143 *Quòd si quis velit sustinere priorem opinionē, quòd in peccato omissionis sit simplex defectus, & negatio;* adhùc dicendum est, rationem formalem in illa negatione esse carentiam debitæ rectitudinis: nam vt dictum est, habemus regulam dirigendi voluntatem nostram, nedum secundum actus positiuos, sed etiam circa negationes: vndè præcepta affirmatiua pręcipientia actus positiuos certis temporibus prohibent simplicem negationem illorum actuum eisdem temporibus: & ideò dum voluntas non vult actum præcepti, & se habet merè negatiuè circa actum præcepti, defecit à regula debita, quæ est, vt tunc temporis habeat actum positiuum præcepti, non negatiuum. Quæ sit ratio formalis in peccato omissionis, sustinēdo omissionē esse simplicē negationem.

144 *Ad primam rationem aduersariorum respondetur,* quòd si ignorantia, & inaduertentia est inculpabilis, omissio ex ignorantia, vel ex inaduertentia, nō est peccatum, nec imputatur ad culpam; si verò ignorantia, & inaduertentia sit culpabilis, omissio est peccatum, & habet pro causa actum illum positiuum, qui fuit causa ignorantię, & inaduertentię: est enim causa illius per accidens, licèt non per se. Ad primā rationē aduersariorū.

145 *Per hoc idem patet ad secundam:* nam tunc illa ignorantia, & inaduertentia si sit culpabilis licet non habeat causam per se, habet tamen causam per accidēs, nempe actum, qui est causa ignorātiæ, vel inaduertētię. Ad secundam.

146 *Ad tertiam negatur,* quòd omissio præcisa sit culpabilis: dictum est enim, quòd tunc est culpabilis, quando est voluntaria: tunc autem est voluntaria quando cadit sub actu voluntatis, vel est actus ipsius voluntatis, scilicet nolitio ipsa. Ad tertiam

Ad pro-

Ad probationem respõdetur, quod non velle potest accipi duobus modis. Vno modo, vt se tenet non contrariè, sed purè negatiuè, & est pura negatio; & tunc dico quòd non est immediatè in potestate voluntatis, sed mediatè: mediante scilicet actu positiuo voluntatis, vt dictum est. Si verò se tenet contrariè, est nolitio, siuè nolle, quod est actus positiuus, & tunc concedo, quod immediatè est in potestate voluntatis, sed tunc omissio est actus.

Ad confirmationem.

147 Ad confirmationem respõdetur, quòd duplex est omissio: alia quæ est simplex defectus, & omissio, non autem est peccatum: alia verò est omissio, quæ est voluntaria. Prima habet causam tantum deficientem, siuè non habet causam positiuam. At secũda habet causam positiuam, quæ est actus voluntatis. Omissio autem, quæ est peccatum, non est simplex omissio, sed omissio voluntaria.

Ad quartã.

148 Ad quartam respondetur, quòd peccatũ omissionis non dicitur omissio, quia nullum actum positiuũ includat, sed quia est omissio actus præcepti positiui. Peccatum cõmissionis dicitur, quia committitur aliquis actus contra præceptum, ideò non sequitur, quòd peccatum omissionis licèt contineat actum, debeat dici peccatum commissionis: quia non est actus commissus volũtariè contra præceptum, sed est actus, qui est causa omissionis voluntariæ actus præcepti.

Ad Sextã.

149 Ad sextam respondetur, omissionem puram, vt est negatio, non includere in sua ratione formali, & essentia actum aliquem positiuum: at omissio voluntatis, vt est omissio, quæ est peccatum, includere aliquem positiuum actum, vt visum est.

Ad septimam.

150 Ad septimam respondetur, quòd omnis actus, qui est causa omissionis, reducitur ad peccatum omissionis, vt si quis omittit missam audire, vt ludat, ludere dicitur peccatum omissionis missæ: quia malitia omissionis redundat in ipsum tanquam in causam suã. Hoc autem est verum, quãdo actus, qui est causa omissionis, non est malus propria malitia, vt in exemplo allato, ludere, vel manere domi propter pluuiam, vel incommoditatẽ temporis: hæc enim de se nõ sunt peccata, sed peccata fiunt, quia sunt causa omissionis missæ. Quando verò actus, qui est causa omissionis, habet propriam malitiam, vt qui omittit missam audire, vt furetur, est speciale peccatum. Ideò ad argumentum negatur maior: ad probationem, cum dicitur, quod vnum determinatum peccatum opponitur vni præcepto determinato, & consequenter consistit in vno determinato actu, respondetur, esse verum de actu, qui immediatè opponitur illi præcepto, vt omissio missæ est actus vnus, qui opponitur suo præcepto: at non est verum de actibus, qui opponuntur illi præcepto mediatè, & reductiuè, siuè causaliter, scilicet quatenus sunt causa talis actus, qui directè, & immediatè opponitur præcepto, & ideò omnes actus, quæcunque illi sint, qui sunt causa omissionis missæ, siuè sit ludus, siuè sit studium, siuè visitatio amici, & huiusmodi, reducuntur ad peccatum omissionis missæ.

Primũ notandum.

151 Vbi adhùc notanda sunt duo. Primum nõ omne opus, nec omnem actum, qui comitatur omissionẽ, esse malum, & fieri peccatum, eo quia comitatur omissionem, si alias ex se sit bonus: sed solum illum actum, & opus esse malum ex omissione, qui est causa per se, vel per accidens, modo exposito, omissionis. Prima pars patet, quia, si quis decreuit non audire missam tempore debito propter incommoditatem vitandam, si postea domi legat, vel oret, vel aliquid aliud faciat, illi actus, & opera non sunt peccata, quia non sunt causa omissionis, & ex se sunt bona. Secũda pars probatur, quia actus aliquis etiam bonus nedum indifferens, vt fiat malus, sufficit carentia alicuius circunstantiæ requisitæ: ideò orare, vel visitare infirmum tempore, quo quis tenetur audire missam, caret circunstantia debita: quia talis oratio, & visitatio non debet fieri tempore, quo tenetur audire missam. Præterea, ratione euentus est mala, scilicet ratione transgressionis præcepti.

Secundum notandum.

Secundum notandum est, quòd actus, & opus illud, quod est causa omissionis præcepti, non est peccatum distinctum ab omissione ipsa, vt dixi, si non sit ex propria natura actus malus: & ideò actus ille, & omissio non sunt duo peccata, neque vt duo peccata confitenda, sed vnum, scilicet ipsamet omissio, siuè peccatũ ipsum omissionis; probatur, quia voluntas occidendi aliquem, non est peccatum diuersum ab homicidio, sed idem. Sic etiã voluntas omittendi, vel occasiones omittendi, quæ ex se malæ non sunt, nõ habent aliam malitiam, quàm omissionis. Ad argumentum ergo respondetur, quod licet actus, qui sunt causa per accidens omissionis, possent esse diuersi secundum entitatem, tamen in ratione peccati reducuntur ad vnum genus, scilicet ad ipsam omissionem talis peccati.

Ad octauã.

152 Ad octauam patet ex dictis nunc: quia oratio, studium & alia huiusmodi opera, quæ ex se sunt bona ratione alicuius circumstantiæ possent fieri mala. In proposito autem deficeret orationi, & studio circũstantia temporis, quia non debet, quis orare, vel studere eo tempore, quo præcipitur ei, vt audiat missam, & exeat in actum primi præcepti, Vnum cole Deum, per actum sacrificij: tunc enim omittere orationem, vel studium, non est malum nec peccatum, sicut nec quando duo præcepta occurunt, quæ simul obseruari non possunt, obseruare illud, quod maius est, & omittere minus, non est malum, sed bonum: quia in tali casu præceptum minus obligans non tenet.

Ad nonam

153 Ad nonam ex eodem fundamento respondetur, ad primam partem, scilicet quòd actus, ex quo sequitur omissio, quocunque modo sequatur, dummodo ex illo sequatur verè, ita quod sit vera causa omissionis, (vbi nota, quòd cum suprà sæpius dictum est, aliquem actum, & occasionẽ esse causam peccati omissionis per accidens, non debet intelligi, ita quod accidentaliter, & non per se causet omissionem, sed intelligitur quod non directè fertur in omissionem, adeoquod idem est hic per accidens, quod indirectè, & secundariò: qui enim non vult audire missam, vt possit dormire, directè, & primariò non vult omissionem missæ, sed primariò, & directè vult dormire, secundariò verò, & indirectè vult omissionem missæ) semper ex circũstantia tẽporis fit malus siuè ratione euentus mali: actus enim, qui est causa mali nunquam est bonus. Cõcedimus ergo ex actu, qui natura sua est bonus, posse sequi malum, quando ei deficit aliqua circumstantia; vel quando est causa euentus mali verè, & realiter.

Quid sit actũ esse causam, per accidẽs omissionis.

154 Ad aliud iam dictum est ad septimam, quòd actus, qui est causa omissionis, non est aliud peccatum diuersum ab omissione, sed idem nisi ex natura sua malus sit.

Ad decimã

155 Ad decimam negatur maior, ad probationem respondetur, quod posito illo casu, quòd aliquis incumbat bonis operibus vsque ad tempus somni, intrà quem somnum omittit audire missam, vel ipsum incumbere illis operibus est perfectè circumstantionatum, & nullo modo culpabile, vt puta quia secundum rectam rationẽ indicauit, quòd potest incumbere bonis operibus vsque ad tale tempus, quia adhuc poterit, quantum opus est, dormire, & hora competenti surgere ad audiendum Missam: vel illud incumbere est culpabile, scilicet quia secundum rectam rationem probabile est, quod si vsque ad tantum tempus incumbat orationi, non poterit deinde competenter dormire, & hora oportuna surgere ad audiendum missam. Si primo modo, omissio missæ non est peccatum, quia causa omissionis non est culpabilis; siuè qui est in aliquo loco, in quo nullus adest sacerdos qui celebret. Si secundo modo, omissio est peccatum, quia causa omissionis est culpabilis. Cum autem quæritur, quando amittet gratiam, siuè quando incipiet

piet

piet imputari omiſſio ad culpam, an ante ſomnum vel poſt, vel in ſomno, dico, quòd ante ſomnum, ſcilicet tūc cum dat cauſam, ad quam ſequitur omiſſio. Et cum dicitur, quòd tunc non potuit amittere gratiam, quia ſemper incubuit bonis operibus, negatur hoc: quia dum incumbuit orationi, vel ſtudio inordinatè, ideſt cum circunſtantia mala, fecit peccatum omiſſionis.

Obiectio ex D. Tho. reijcitur.

Quòd ſi quis dicat cum D. Thoma 2.2. quæſt. 76. art. 3. ad tertium peccatum omiſſionis tūc incipere eſſe peccatum, quando incipit tempus in quo præceptum erat implendum, ea ratione: quia ſi quis caſu excitetur à ſomno eo tempore, quo e.g. Miſſa eſt audienda, & audiat Miſſam quam aliàs dormiens non audiuiſſet, verè non omittit pręceptum, nec peccat. Reſpondetur falſum eſſe peccatum tunc incipere, quoniam nullus negabit tunc temporis aliquem peccaſſe, cum primo decreuit non audire Miſſam tempore debito; ſicut homicidium incipit imputari tunc, cum quis in mente ſua determinat hominem occidere: cum autem quis ſe occupat impudenter circa aliquod opus, vt ſit probabile prericulum propter hoc omiſſurum eſſe actum præcepti, ſe exponit periculo peccati mortalis; & ſic tunc peccat, & amittit gratiam. Nec ratio adducta quidquā probat, quia licet quis excitatus à ſomno audiat Miſſam, & adimpleat pręceptū, quod iam prius nō adimplere ſtatuerat, non facit, quin illa prior deliberatio omittendi præceptū, vel illa prior expoſitio ſui ipſius ad periculum non audiendi Miſſam non fuerit peccatum; ſed in tali caſu iſte diceretur pænitere prioris peccati, nec velle in eo perſiſtere.

An actus exteriores mali facti in ſomno, vel ebrietate, &c. ſint diſtincta peccata.

156 An verò actus exteriores mali facti in ſomno, vel ebrietate, vt omiſſio ipſa actualis præcepti (& idem dicendum de pollutione, & huiuſmodi) ſint peccata in ſe diſtincta à peccato, quod eſt cauſa omiſſionis uel perpetrationis illorum, aliàs dicam. Pro nunc puto veriorē eſſe partem negatiuam, quia iſti actus, vt ſic, ſunt inuoluntarij, ideò vt ſic non poſſunt vt peccata imputari, ſed ſolum ex ratione qua in peccato ipſo, quod eſt cauſa omiſſionis ſunt volit. Ideò non habent aliam malitiam, quam illius actus, qui eſt cauſa omiſſionis, vel commiſſionis.

Vtrum peccatum pro formali ſit priuatio boni naturæ, vel habituum acquiſitorum. Cap. VIII.

157 Vidimus hucuſque quid ſit peccatū pro formali ſecundum veriorem ſententiam, nunc oportet reijcere quaſdam opiniones, quæ à noſtra diſcrepant, vt veritas magis eluceſcat. Tres autem remanēt opiniones reijciendæ. Prima eſt eorum qui aſſerunt, peccatum eſſe corruptionem naturæ. Secunda quæ ait, eſſe corruptionem habituum acquiſitorum. Tertia, quæ aſſerit, peccatum eſſe corruptionem gratiæ habitualis: primas duas reijciemus in hoc cap. tertiam in vltimo capite. Quamuis ergo multi Theologi conueniant cū Scoto in hac aſſertione, quòd ratio formalis peccati ſit carentia, & priuatio aliqua; tamen non omnes conueniunt in aſſignatione, quæ ſit hæc priuatio, & carentia. Prima opinio itaque eſt, quod non eſt priuatio rectitudinis debitæ, ſed eſt priuatio illius boni, in quo eſt, ſcilicet naturæ rationalis, cui ineſt: ſecundum hanc opinionem ergo peccatum eſt corruptiuum naturæ. Hanc ſententiam ſe-

Opinio D. Th. & aliorum.

quuntur multi. D. Thomas 1.2. queſtion. 85. artic. 1. D. Bonauentura in 2. diſt. 35. artic. 1. quæſtion. 1. & art. 2. quæſtion. 3. Richardus ibidem, art. 2. quæſt. 1. Gregorius Ariminenſis in 2. diſt. 33. & 35. quæſt. 1. artic. 1. Alenſis 2. p. quæſt. 95. memb. 3. art. 1. in corpore, & ad ſecundum, & multi alij pro hac opinione adducuntur variæ rationes.

1. Ratio.

158 Primò. Scotus in 2. diſtinct. 35. §. *Iſtæ quæſtiones*, pro ea arguit ſic, ex D. Auguſt. 12. de Ciuitate Dei capit. 6. malum illud bonum corrumpit, cui nocet: tunc ſic; at malum non nocet niſi illi, in quo eſt; eſt autem in natura rationali; ergo peccatum corrumpit naturam rationalem.

2. Ratio.

159 Secundò. Pro eadem arguit ſic Scotus, Lucę 10. *Homo quidam deſcendebat ab Hieruſalem in Iericho, & incidit in latrones. qui etiam diſpoliauerunt eum. & plagis impoſitis abierunt*, &c. Gloſſa in eum locum ait. Peccatum vulnerat in naturalibus; & hoc non eſſet verum, ſi peccatum nihil auferret à perfectione naturæ, ſed tantum prohiberet tales perfectiones ab actu ſecundo; ergo peccatum corrumpit naturam.

3. Ratio.

160 Tertiò. Aliqui adducunt Concil. Arauſicanum ſecundum, quod Can. 13. & Can. 25. aſſerit, liberum arbitrium infirmatum, inclinatum, & attenuatum fuiſſe per peccatum, quæ doctrina etiam eſt familiaris D. Auguſtino.

4. Ratio.

161 Quartò. D. Dionyſ. de diuinis nominibus c. 4. naturalia per peccatum in dęmonibus nō ſunt ablata, ſed integra permanſerunt, vulnerata tamen, at non eſſent vulnerata niſi aliqua parte fuiſſent corrupta; quod enim vulneratur, aliquam partem ſui amittit.

Allata opinio reijcitur. 1. Ratio.

162 Scotus in 2. ſent. diſt. 35. §. *Iſtæ quæſtiones*, &c. fuſius in Reportatis eadem diſt. 35. aduerſus hanc opinionem inſurgit, & primò ac principaliter ſic. Si peccatum eſſet priuatio boni naturæ, in qua eſt, ſequeretur, quòd natura aliquando per perpetrationem multorum peccatorum poſſet conſumi totaliter. Cōſequens eſt manifeſtè falſum, vt ex experientia ipſa patet; ergo. Conſequentia verò probatur, quia natura creata eſt finita: omne autem finitum per ablationem finiti tādem conſumitur; ſi ergo per quodlibet peccatum auferrur aliqua pars ipſius naturę, poſſet toties replicari peccatum, quod tandem tota natura conſumeretur.

Tacita reſpōſio reijcitur.

163 Quòd ſi quis reſpōdeat, inquit Scotus, quod iſta ablatio ſit per partes eiuſdem proportionis, non eiuſdē quantitatis, & ideò datur proceſſus in infinitum: hæc reſponſio reiecta eſt in phyloſophia naturali Theor. illo, *Continuum eſt diuiſibile in ſemper diuiſibilia*. Sed eam ſic Scotus impugnat in ſecundo loco citato. Malum, ſiuè peccatum ſecundum poteſt eſſe æquale primo peccato in malitia, vel maius eo; ergo corrumpit partē eiuſdem quantitatis, vel maiorem; ergo ſic procedendo in peccatis æqualibus vel maioribus, ſequitur, quod natura tandem totaliter conſumabitur.

2. Ratio.

164 Secūdò. Natura intellectualis eſt à ſolo Deo creabilis, & ex hoc ſolo eſt incorruptibilis ſimpliciter reſpectu creaturæ, ita quod nulla natura poteſt eam deſtruere: non enim ſubeſt cauſalitati, & actioni agentium naturalium; ergo peccans per actum ſuum non poteſt de natura ſua corrumpere aliquid, quoniam illa pars eſt eiuſdem rationis cum tota natura, quantum ad incorruptibilitatem: quia incorruptibile non componitur ex corruptibilibus.

Reſponſio Vaſquez.

165 Vaſquez 1.2. diſput. 137. cap. 3. hanc rationem Scoti dicit eſſe inualidam, quia, inquit, non eſt neceſſe, quòd productio illius partis ſit creatio, nec eius corruptio ſit annihilatio; tamen nullam rationem aſſignat:

Reijcitur.

at clarum eſt quòd deſitio eorum, quæ creantur, & ſunt incorruptibilia, vt angelus, & anima rationalis, eſt annihilatio. Generatio enim & corruptio competit tantum rebus materialibus. De qua re dictum eſt in 2. ſent. diſp. An productio gratiæ ſit productio, vel generatio.

3. Ratio.

166 Tertiò. Id, quod repugnat formaliter effectui, qui ab aliqua cauſa producitur contingenter, non corrūpit cauſam illam cauſantem contingenter illū effectum; ſed ſic eſt, quod peccatum formaliter repugnat rectitudini debitæ actus, quæ eſt effectus contingenter cauſatus à volontate, & à natura rationali; ergo peccatū non deſtruit voluntatem, vel naturam rationalem. Maior probatur per oppoſitum in ſimili. Nam ideò inducens qualitatem aliquam formaliter repugnantem effectui alicuius formæ deſtruit formam, quæ eſt cauſa ipſius, quoniam illa cauſa eſt incompoſſibilis cum illo effectu

repugnante. Exemplum, inducens frigiditatem in aliquod subiectum, quæ formaliter repugnat caliditati, destruit formam substãtialem, à qua causatur caliditas: quia forma substantialis, à qua causatur caliditas, non potest manere sine caliditate, & est incompossibilis frigiditati: at si forma illa substantialis causaret validitatẽ contingenter, ita quod posset manere, & non causare caliditatem, non esset necessarium, quod destructa caliditate, ipsa substantialis forma destrueretur. Minor verò quoad primam partem patet ex dictis suprà: quia peccatum dicit formaliter deformitatem, & obliquitatem repugnantem rectitudini actus, quæ rectitudo actus est effectus voluntatis, & naturæ rationalis. Quoad secundam partem, scilicet, quòd sit effectus contingenter causatus, probatur, tùm quia voluntas est causa libera, & contingenter efficit quemcumque actum efficit, tùm quia si causat actum non necessariò causat eum rectum, vt patet; potest enim eum causare rectum, vel non rectum.

4. Ratio. 167 Quartò. Sequeretur ex illa positione, quòd omnia peccata essent eiusdem speciei. Consequens est manifestè falsum. Consequentia verò probatur, quia tunc omnia peccata essent priuationes vnius boni: at priuationes non habent distinctionem specificam nisi ab habitibus, & bonis, quibus opponuntur. Ex omnibus his rationibus colligitur, quod peccatũ non est corruptiuum boni pertinentis ad naturam.

Rationes adductæ procedunt contra D. Tho. 168 Istæ rationes videntur procedere contra D. Th. 1.2. quæst. 85. art. 1. & alios, qui dicunt per peccatum minui bonum naturæ, & per bonum naturæ exponunt inclinationem naturalem ad bonum: nam inclinatio naturalis est entitas ipsa naturæ, non accidens aliquod superadditum, vt inclinatio ad intelligendum in homine. Non ergo potest diminui hæc inclinatio quin etiam ipsa natura, quo ad aliquam partem minuatur. Et hanc fuisse quoque mentem D. Th. citato loco ad secundum patet, quia concedit, quod etsi natura sit prior quam voluntaria actio, & quo ad principia ipsa naturæ, non mutetur, tamen quia habet inclinationem naturalem ad quandam voluntariam actionem circa Deum, variatur quo ad inclinationem naturalem, & 2. art. ait, inclinationem, naturalem non corrumpi omnino. Videtur ergo velle, quod diminutio fiat in natura, licèt non fiat in principijs naturæ.

Responsio recentiorũ Thomistarum. 169 Propter has rationes Vasquez 1.2. disput. 137. Medina quæst. 85. art. 1. & 2. conclus. 5. & alij ex recentioribus explicant mentem D. Tho. & aliorum Doctorum pro hac opinione citatorum non fuisse, vt per peccatum minuatur intrinsecè aliqua pars naturæ, vel natiua inclinati ad virtutem, neque aliquem Doctorem fuisse huius opinionis: & rationes Scoti hoc optimè cõcludere, sed eorum sententiam esse, vt inclinatio naturalis corrumpatur extrinsecè, scilicet per appositionem impedimenti extrinseci, propter quod non ita facilè feratur in virtutem. Quomodo autem inclinatio naturalis extrinsecè corrumpatur per appositionem impedimentorum, reiectis multis aliorum modis dicendi explicant sic. Anima ex se est libera ad operandum bonũ, & malũ, ita quod licèt inclinetur ad virtutem, est tamen libera ad peccandũ quoque, & est ita libera, vt in hanc, vel illam partem possit facilius inclinari ab habitibus aduenientibus: vndè si ei insit habitus virtutis facilius inclinatur ad virtutem: si insit habitus vitiosus facilius inclinatur ad actum vitiosum: & quia quanto magis inclinatur in vnam partem, tãto magis remouetur, & impeditur ab alia, hinc fit, quòd quo quis magis peccat, tanto minus promptus fit ad virtutem. Hæc est diminutio inclinationis naturalis secundum hos auctores, quæ extrinseca dicitur, quia intrinsecè manet eadem, sed extrinsecè ratione habituum, & formarum extrinsecatũ, quæ sunt impedimenta, minuitur, & retardatur ab operatione secundum virtutem.

170 Hæc responsio quidem potest facilè accommodari D. Bonauent. locis citatis, vbi ferè hoc modo se declarat, & alijs; D. Thom. verò difficilè accommodatur. Quidquid, tamen sit de opinione eius, & aliorum si exponatur eius opinio iuxtà istam interpretationem nulla est dissensio inter Scotum, & ipsos: nam Scotus quoque loco citato §. *Ex ista solutione*, &c. ferè in fine respondens ad secundum argumentum, superius pro illa opinione factum fatetur vulnerationem, quam facit peccatum in natura, esse inhabilitatem quandã ad operationes bonas, quæ causatur per crebram carentiam rectitudinis actualis; sed hoc magis verificatur de peccato habituali, quam de actuali: peccatum ergo, & maximè habituale est impedimentum externum debilitans naturam, & ipsam inclinans ad actus contrarios actibus rectis, & quatenus peccatum elongat naturam à gratia, & à diuinis auxilijs, potest dici destruere naturam, sed est satis improprius modus dicendi. Est ergo dicẽdum, peccatum non esse priuationem boni naturæ, nec diminutionem inclinationis naturalis, sed esse impedimentum externum eam retardans ad operandum bonum. Quid sit dicendum de hac responsione.

171 Ideò ad argumenta pro priori opinione, cuiuscunque illa sit, respondetur. Ad primũ quidem desumptum ex auctoritate D. August. respondet ipse Scotus, quòd peccatum nocere naturæ cui inest, potest intelligi duobus modis: vno modo auferendo aliquod, quod sit de natura intrinseca eius, & hoc nõ: alio modo auferendo ab eo aliquam perfectionem extrinsecam sibi conuenientem: & hoc modo est verum, peccatum nocere naturæ: quia aufert iustitiam, & rectitudinem actualem quæ eius actui inesse deberet. Possumus etiam addere, quòd peccatum, & malum nocet naturæ rationali, quia corrumpit bonum eius habituale, scilicet gratiam non formaliter, sed demeritoriè. Ad primã rationẽ aduersariorũ.

172 Ad secundum respondet ipsemet Scotus, quod qui vulneratur, nullam partem sui amittit, sed continuitas soluitur; & per hoc redditur minus habilis ad operationes suas, immò priuatur bono vsu sui. Quod confirmatur per auctoritatẽ D. Dionysij de Diuinis nominibus, vbi inquit, quod tunc natura vulneratur, quando fit inhabilis ad vsum rectum, quod fit per crebram carentiam rectitudinis actualis. Ad argumentum ergo respondetur, quod peccatum dicitur vulnerare naturalia, non quia auferat aliquam partem ipsius naturæ, sed quia est impedimentũ ipsam retardans à recto vsu suarum potentiarum: actus enim mali sępius repetiti inducunt habitum inclinantem ad malum. Ad secundam.

173 Ad tertium, & quartum respondetur Cõcilium illud, & Sanctos Patres in eodem sensu loquutos fuisse, ac loquutus est D. Dionysius Areopagita, nimirum, liberum arbitrium per peccatum esse attenuatum, infirmatum, & inclinatum esse non quantum ad entitatem aliquam naturalem, quam amiserit, sed quantum ad habilitatem, & vsum actus secundi; quoniam peccatum est impedimentum ipsum impediens à recto, & bono vsu suæ libertatis: & per hanc eandem responsionem patet ad quartum. Ad tertiam & quartam

174 Quantum ad habitus acquisitos, vt sunt virtutes morales, aliqui dicunt, quòd peccatum est corruptiuum habituum bonorum acquisitorum, vt virtutum. Cuius sit hæc opinio, non assignat margo Scoti; videtur tamen eam sequi Gregorij Ariminensis in 1. dist. 17. quæst. 3. art. 2. ad 10. nam ibi docet habitum per actus oppositos remitti, & tandem per vltimum actum corrumpi, & introduci habitum oppositum; ergo videtur velle, quòd exempli gratia, per actum peccati intemperantiæ corrumpatur habitus acquisitus temperantię, & sic de alijs. Citantur multi alij in hanc sententiam; eandem verò apertè sequitur Medina 1.2. q. 53. An peccatum sit priuatio habituũ acquisitorum.

175 Fundamentum principale huius opinionis est hoc. Illud formaliter corrumpitur per actum peccati cui actus peccati virtualiter repugnat, sed sic est, quod Primũ arg. pro hac opinione.

actus

actus peccati virtualiter repugnat habitui acquisito bono, scilicet virtutis, vt e.g. actus intemperantiæ repugnat habitui, & virtuti temperantiæ; ergo habitus acquisitus corrumpitur per actum peccati, vt habitus temperantiç per actum intemperantiæ. Maior probatur, quia actus producens formaliter habitum oppositum, virtualiter repugnat, & destruit habitum alium oppositum: nàm actus, producēs habitū liberalitatis, virtualiter repugnat, & destruit habitum vitij auaritiæ. Ex hoc etiam patet minor: nam actus peccati generat habitum vitij: actus intemperantiæ habitum intemperantiæ; ergo actus vitij virtualiter repugnat, & destruit habitum oppositum virtutis; ergo habitum oppositum formaliter corrumpit.

2. Ratio. 176 Secundò. Habitus agit per actum, sicut ignis per calorem, & calefactionem; ergo actus est qui immediatè dissipat, & corrumpit habitum.

3. Ratio. 177 Tertiò. Si habitus non corrumperetur per actū contrarium, sequeretur, quòd habitus nunquam posset corrumpi, nisi prius habitus oppositus esset acquisitus, quod experientia patet esse falsum. Consequētia est euidens, quia si habitus non corrumpitur per actus oppositos, sed solum per habitum oppositum, necesse est, quòd in subiectum prius introducatur habitus oppositus, deindè præcedens corrumpatur.

Opin. Scoti contra præcedenti. 178 Oppositam sententiam tenet Scotus loco citato 2. Sent. dist. 35. §. *Istæ quæstiones*, ac in eandē sententiam citantur Henricus quolib. 5. quæst. 18. Gabriel Biel in 3. dist. 23. quæst. 1. artic. 3. dub. 6. & hanc quoque sequitur Vasquez 1. 2. disp. 81. Hanc rem breuibus absoluemus, quia pertinet ad tractatū de virtutibus, de quibus aliàs. Scotus ergo loco citato aduersus hāc opinionem arguit

Prima ratio Scoti. primo sic. Quando aliqua manent simul in aliquo subiecto illa priuatiuè non opponuntur; sed sic est, quòd habitus acquisitus virtutis potest manere, & de facto manet in peccante mortaliter; sicut in non peccante mortaliter; ergo peccatum non est priuatio habitus acquisitæ virtutis. Maior est euidens: cæcitas enim, & visio non possunt manere simul in eodem oculo. Minor probatur, quia habitus virtutis acquisitus non amittitur per vnum actum contrarium: neque enim habitus continentiæ amittitur per vnum actum incontinentiæ, alioquin non resurgeret facilius habens habitum virtutis, quam non habens resurgat; quod experientia falsum esse comprobatur.

Responsio aduersariorum reijcitur. 179 At responderent, quòd idem habitus manet in peccante mortaliter, sed diminutus, quia per peccatum amittitur aliquis gradus illius habitus, vt puta si erat decem graduum, remanet nouem graduum, & gradus decimus corrumpitur.

180 Contrà, arguit Scotus, & probat, quod vnus actus non potest minuere, nec corrumpere vnum gradū habitus. Probat autē, quia hoc posito, sequeretur quod ex duobus peccantibus eodem genere peccati omnino, vnus peccaret, & alter nō peccaret. Consequens est apertè falsum; ergo & antecedens. Consequentia probatur, & primò supponit, certum esse, quòd habitus aliquis potest esse intensior in vno, quàm in altero, vt puta habitus iustitiæ potest esse in vno quoad nouem gradus, in alio quoad decem gradus: ponatur nunc casus, quòd qui habet habitum intensum quoad gradus decē, peccet mortaliter; ponamus etiam, quòd per hoc peccatum corrumpatur in hoc habitu decimus gradus: tunc remanebit habitus ille, quoad nouem gradus; ergo ille habebit adhuc habitum çqualem alteri, qui non peccauit, & habebat habitum quoad nouem gradus. Ex hoc ergo habetur, quòd peccatum illud mortale non repugnat habitui iustitiæ nouem graduum; manet enim cum eo: tunc ponamus casum, quòd qui habet iustitiam nouem graduum, peccet simili peccato, illud peccatum non corrumpet illum habitum iustitiæ nouem graduum, nec aliquem gradum in illo: probatur consequentia, quia tale peccatum mortale non repugnat habitui nouem graduum, sed cum illo stat; ergo à primo ad vltimum sequitur, quòd ex duobus facientibus çquale peccatum, vnus peccet, alter verò non peccet: ille, qui habebit habitum decem graduum, faciēdo actum peccati, peccabit; quia corrumpet habitum virtutis quoad decimum gradum: ille verò, qui habebit habitum nouem graduum, faciendo illum actum peccati, non peccabit; quia ille actus peccati nō corrumpet habitum nouem graduum, nec aliquem gradum in illo, siquidem illi habitui in illo gradu nono nō repugnat. Prçterea. Dato quòd actus peccati semper minuat aliquem gradum habitus acquisiti, non tamen destruit nec corrumpit totum illum habitum, sed cum illo manet, vt patet; ergo actus peccati non est priuatio habitus, quia tunc non posset manere cum eo in eodem subiecto.

2. Ratio. 181 Secundò. Possumus adducere tertiam rationem, quam suprà ex Scoto fecimus contra eos, qui dicebant, peccatum esse corruptiuum naturæ, quod est istud. Id, quod repugnat formaliter alicui effectui, qui contingenter ab aliqua causa efficitur, non corrumpit talem causam contingenter producentem. Sed sic est, quod actus peccati mortalis formaliter repugnat actui virtutis: ille autem contingenter producitur ab habitu virtutis; ergo actus peccati non corrumpit habitum virtutis. Maior est probata ibi suprà. Minor verò quoad primā partem est euidens: quia sicut habitus oppositi apponuntur formaliter, & contrariè ita actus eorum. Quoad secundam partem quoque est euidens: quia actus virtutis potest produci etiam à non habente habitum virtutis: nam actus continentiæ producitur ab incontinenti, cum incipit ex incontinente fieri continens; & ex vitio mutatur ad virtutem.

3. Ratiò. 182 Tertiò. Si peccatum esset peccatum, eo quia sit corruptiuum habitus virtutis, sequeretur, quòd aliquando peccatum non esset peccatum. Consequens implicat apertam contradictionem. Consequentia verò probatur, quia potest peccare aliquis, qui non habeat habitum aliquem virtutis oppositum illi actui peccati; ergo actus peccati in isto non esset corruptiuus habitus virtutis; ergo actus ille non esset peccatum.

Resolutio quæsiti. Est ergo dicendum, quòd habitus vitiorum etsi non sit incorruptibilis, vt est natura, non tamen per vnicum actum oppositum corrumpitur, vt patet experientia: sicut neque per vnum actum habitus generatur, vt patet etiam experientia. Est autem notandum in formis accidentalibus esse varios gradus, & illos introduci in subiecto, & expelli paulatim per suos gradus, vt diximus in Phylosophia naturali, Theor. 65. cap. 4. non tamen semper per quemcumque actum appositæ formæ corrumpitur aliquis gradus formæ oppositæ, vt ibi diximus de alijs qualitatibus. Quod ergo dictum est de caliditate, frigiditate, & similibus, dicendum est quoque de habitibus, qui etiā sunt qualitates. Sic enim proportionaliter se corrumpunt, & generant; ex quo sequitur, quòd vnus habitus corrumpitur per aduētum alterius habitus tanquàm formæ sibi formaliter contrariæ, per actum verò corrumpitur tanquàm per causam efficientem: & ideò vnus actus, cum non inducat habitum, non potest esse corruptio habitus oppositi formaliter, sed solum effectiuè: nec semper effectiuè corrumpit, sed cum sæpius, replicatur per agens contrarium: adeò quod actus contrarius potest stare simul cum habitu contrario; ergo actus peccati non est priuatio, & corruptio formalis habitus virtutis acquisitæ, quod est intentum nostrum. Quando etiam corrumpit aliquem gradū habitus, non tamen corrumpit habitum, sed solum illum minuit, & actus ille peccati manet cum illo habitu diminuto, vt patet in continente, qui vnicum peccatum incontinentiæ committat: dato enim, quòd habitus per actum illum aliquantulum remittatur, non tamen corrumpitur secundum essentiam: & ideò manet cum actu peccati; ergo

actus peccati non est priuatio habitus acquisiti, quia non manerent simul in eodem subiecto.

Ad primã rationẽ aduersariorũ

183 Ad primam rationem pro altera opinione respondetur ad maiorem, quòd actus non opponitur formaliter, nec priuatiuè habitui, sed solum effectiuè; non tamen semper actu effectiuè corrumpit habitum cum agit in ipsum, sed per multiplicationem sui ipsius, per quam multiplicationem inducit habitum oppositum habitui præexistenti per quem postea formaliter habitus corrumpitur; & actus ipse manere potest cum habitu opposito. Cum ergo dicitur in maiori, illud corrumpi formaliter per actum, cui actus virtualiter repugnat, est falsum: corrumpitur enim effectiuè, non formaliter, & tunc etiam effectiuè corrumpitur quando causa corrupens est adæquata causa corruptiua effectus: at actus vnus non est causa adæquata corruptiua vnius habitus, vt visum est: ideò actus peccati oppositi potest manere simul cum habitu opposito, vt dictum est.

Ad secundam.

184 Ad secundam patet per idem, actus enim agit, & corrumpit effectiuè non formaliter, nec semper agendo obtinet victoriam, ideò aliquando agit nihil corrumpendo.

Ad tertiũ.

185 Ad tertiam similiter respondetur habitum corrumpi per actum effectiuè, non formaliter, & ideò concedimus, quòd formaliter nunquam habitus aliquis virtutis corrũpitur, nisi cũ introducitur oppositus habitus, (loquendo de corruptione habitus per suum contrariũ, non de alijs modis vt cum corrumpitur ad corruptionẽ alterius, vel per aliquam aliam causam; vt per valetudinem aliquam, &c. de quibus in materia de virtutibus) eo modo quo diximus in Phylosophia naturali Theor. 65. cap. 4. caliditatem ignis non corrumpi per frigiditatis actionem, nisi quando est inducta frigiditas in subiectum ad gradus incõpossibiles formæ ignis: tunc enim expellitur; ita proportionaliter de habitibus. Et ideò duo habitus oppositi nõ possunt manere quidem simul in eodem subiecto, sicut nec duæ formæ contrariæ, sed benè actus aliquis, & habitus oppositi, vt explicatũ est.

Vtrum peccatum ex se opponatur priuatiuè gratiæ, vel sit corruptiuum illius formaliter, aut demeritoriè tantum. Caput IX.

186 AD exactam confirmationem doctrinæ Scoti de quidditate formali peccati, quam diximus esse carentiam rectitudinis debitę actui secundo, remanet ostendendũ, peccatum nõ esse priuationem gratiæ, neque illi opponi formaliter, nec effectiuè illã corrumpere, ex qua doctrina pẽdent solutiones, deinde multorum dubiorum. Et licèt istæ videantur esse duæ quæstiones, tamen ad vnicam reduci videntur, ideò simul tractantur.

Opin. Thomistarum.

187 In hac ergo re sunt duæ extremæ opiniones. Prima est D. Tho. 2. 2. quæst. 24. art. 10. Caietani ibidem, Medinæ 1. 2. quæst. 113. art. 2. & Caietani ibidem, Soto lib. 2. de natura, & gratia, Vasquez 1. 2. disput. 91. & nonnullorum aliorum. Omnes isti sustinent, peccatum opponi gratiæ formaliter, & peccatum esse realiter, & verè corruptiuũ gratiæ; differũt tamen, quia, qui sustinent, peccatum pro formali esse priuationem, habent dicere, peccatum opponi gratiæ priuatiuè, siuè peccatum esse carentiam, & priuationem gratiæ, & illam corrumpere per incompossibilitatem sicut priuatio, & habitus ei oppositus: qui verò sustinent, peccatum esse formam positiuam, vt Caietanus, Vasquez, & alij suprà relati, habent dicere, quòd peccatum contrarietur formaliter gratiæ, vt calidum, & frigidum, quæ effectiuè se destruunt. Sed de hoc discrimine particulari inter ipsos non est disputandum; satis enim suprà dictum est; solum consideranda est eorum opinio, quo ad hoc commune in quo conueniunt, scilicet peccatum opponi gratiæ ita quod sit incompossibilę ei, & corruptiuum eius ex sua natura.

188 Primò ergo loco probatur, quòd peccatum opponatur gratiæ formaliter, vel priuatiuè à Medina ex Caietano 1. 2. quæst. 113. art. 2. Peccatum est offensa Dei, qua homo est offensus, & inuisus Deo; gratia verò est, qua homo est gratus, & acceptus Deo: at esse inuisum Deo, & gratum Deo, sunt res repugnantes, & mutuò se destruentes; ergo peccatum, & gratia sunt res repugnantes, & se destruentes. 1. Ratio.

189 Secundò. Est euidens repugnantia, quòd idem homo eodem tempore sit Deo gratus, & inuisus Deo: at est gratus per gratiam, inuisus per peccatum; ergo peccatum, & gratia repugnant. 2. Ratio.

190 Tertiò. Ponamus casum, quòd gratia non esset qualitas, & habitus quidam infusus, sed esset solum id, quo quis Deo est gratus, & acceptus; tunc patet manifestè, quòd gratia, & peccatum ex diametro opponuntur; nã peccatum est id, quo quis Deo est offensus, gratia aũt est qua quis Deo est gratus; ergo gratia, & peccatum formaliter opponuntur. Ex quo deducit Medina, quòd dum Theologi disputant, An peccatum, & gratia opponantur ex sua natura, & formaliter, nõ disputant de gratia, quæ est qualitas, & habitus animæ, nec de peccato, dato quod sit aliquid psitiuũ in anima, sed de peccato vt est offensa Dei, & de gratia, vt est id, quod facit hominem gratum Deo. Subiungit tamen Medina, quod etiã gratia, quæ est qualitas, scilicet gratia gratũ faciens contrariatur peccato formaliter. 3. Ratio.

191 Quod probat sic. Gratia, quæ est qualitas infusa à Deo suaptè natura habet facere hominem gratũ Deo; alioquin non magis faceret hominem gratum Deo, quàm albedo, vel nigredo: peccatum ex aduerso suaptè natura habet facere hominem inuisum Deo; ergo peccatum, & gratia formaliter opponuntur. 4. Ratio.

192 Quintò. Vasquez 1. 2. disput. 91. & disput. 204. fusè sermone probat, quòd peccatum, & gratia opponuntur, vt duæ formę incompossibiles in eodem subiecto: tenet enim, peccatum corrumpere gratiam, non efficiendo aliquid in gratiam, quod sit gratiæ corruptiuũ: immò in hoc damnat Caietanum 1. 2. disput. 91. cap. 2. sed asserit, peccatum esse corruptiuum gratiæ, eo quia est forma incompossibilis peccato, etiam per absolutam Dei potentiam. Hoc autem probat 1. 2. disput. 204. pluribus rationibus. Ex secundo autem tertio, & quarto cap. conficitur hæc, quã putat validissimam. Gratia habitualis est iustitia inhærens, qua homo formaliter est iustus absque vllo fauore, vel acceptatione externa Dei superaddita ipsi gratiæ habituali: peccatum ex aduerso est forma faciẽs hominem formaliter iniustum, & inimicum Deo ex sua natura; ergo peccatum formaliter, & contrariè, vel priuatiuè corrumpit gratiam. Antecedens quo ad primam partem probatur à Vasquez 2. 3. & 4. capitibus illius disputationis, summa autem est: quia si gratia habitualis se sola non esset perfecta iustitia, & sanctitas, sed ægeret externo Dei fauore, vel acceptatione, sequeretur, in nobis non esse veram, & perfectam iustitiam, quod est dogma hæreticum. Consequentia autem est euidens: quia si gratia habitualis se sola esset perfecta iustitia, & sanctitas non ægeret auxilio, & acceptatione externa. Præterea. Tunc causa formalis nostræ iustificationis non esset vnica, sed duplex, scilicet gratia habitualis, & fauor ille externus; vel ille fauor externus esset tota causa, quod tamen est contra Concilium Tridentinum sess. 6. can. 7. vbi dicitur, *Demum vnica formalis causa* (nempè iustificationis nostræ) *est iustitia Dei, non qua ipse iustus est, sed qua nos iustos facit, qua videlicet ab eo donati, & renouati spiritu mentis nostræ non modo reputamur, sed verè iusti nominamur, & sumus, iustitiam in nobis recipientes.* Quibus verbis solam iustitiam ipsam habitualem esse iustitiam, & sanctitatem nostrã formalem apertè tradit. Antecedens illud primum verò, quò ad secundam partem, scilicet quod peccatum faciat hominem formaliter iniustum, est euidens de se. 5. Ratio.

Conse-

Conſequentia verò principalis probatur, quia formæ quæ ſe mutuo expellũt ab eodem ſubiecto, & in eodem ſunt incompoſſibiles, contrariè, vel priuatiuè opponuntur; quæ autem ſic opponuntur mutuo ſe corrumpunt; ergo peccatum eſt corruptiuum gratiæ formaliter, etſi non effectiuè.

6. Ratio. 193 Sextò. Si peccatum non eſſet corruptiuum gratiæ formaliter, ſed demeritoriè tãtum, ſequeretur, quòd per Dei potentiam abſolutam poſſent manere ſimul in eadem anima. Conſequens eſt falſum; ergo. Falſitas cõſequentis probatur, quia illo admiſſo, ſequitur, quòd iuſtitia inhærens non ſit vera, & perfecta iuſtitia, quod eſt contra dicta præcedenti ratione, & contra Concilium Tridentinum. Conſequentia hæc adhùc probatur, quia iuſtitia, quæ non abſtergit maculam, nec iniuſtitiã, non eſt vera iuſtitia, nec perfecta; neque enim fieri poteſt, vt quis dicatur iuſtus, vel ſanctificatus, qui adhùc in ſordibus peccati manet: at ſi gratia poteſt per Dei potentiam abſolutam manere, cum peccato; ergo non abluit peccatum; ergo non eſt perfecta iuſtitia.

7. Ratio. Septimò. Si peccatum, & gratia formaliter, & contrariè non opponuntur, ſequitur, quod in iuſtificatione impij infuſio gratiæ, & expulſio culpæ, & è conuerſo nõ ſunt duæ mutationes connexę omnino, ita quod ex vna alia ſequatur, vt generatio vnius, ſcilicet frigoris, eſt corruptio caloris, ſed quod ſint duę mutationes tantum per accidens ſe comitantes, vt liquatio ceræ, & expulſio frigoris: iſtæ enim ſe concomitantur quidem, ſed generatio vnius non eſt corruptio alterius: quia non ſunt inter formas contrarias. Et proinde non dicimus, de frigido fit liquidum; vel de frigido transfertur ad liquidũ; ſed benè, de frigido fit calidum. Conſequens autem eſt falſum. Conſequentia eſt euidens, & conceditur à Scoto in 4. diſt. 16. quæſt. 2. §. *Reſpondeo*. Falſitas conſequentis probatur: quia in Sacra Scriptura deſcribitur iuſtificatio impij, vt ſit translatio de ſtatu peccati ad ſtatum gratiæ, & iuſtitiæ: ad Coloſſ. 1. *Tranſtulit nos in regnum filij dilectionis ſuæ*. & Concilium Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 4. ait, quòd iuſtificatio impij eſt translatio ab eo ſtatu, in quo homo naſcitur filius primi Adæ in ſtatum gratiæ, & adoptionis filiorum Dei; ergo ex Sacro Concilio habemus, mundationem à peccato, & renouationem interiorem per gratiam eſſe mutationes connexas.

194 In capitibus 4. & 5. proſequitur Vaſquez adducere alias rationes, quæ probant, ſolum iuſtitiam inhærentem, ſcilicet gratiam habitualem abſque vllo alio fauore, vel acceptatione Dei eſſe iuſtitiam perfectam, ac reddere hominem perfectè, & adæquatè æqualem diuinę voluntati, ideſt iuſtum; ideò implicare contradictionem, quod macula, ſiuè peccatum ſtet cum gratia habituali: quia ſemper ſequeretur hoc abſurdum, quòd ille non eſſet perfectè, & adęquatè iuſtus, & mundus ab iniuſtitia, & à culpa.

8. Ratio ex Caietano, Medina, & alijs. 195 Octauò. Ex Caietano, & Medina vbi ſuprà. Illud eſt corruptiuum gratiæ efficienter, quod inducit indiſpoſitionem contrariam gratiæ, qua poſita neceſſariò gratia deſinit eſſe: at peccatum inducit diſpoſitionem in anima repugnantem gratiæ; ergo peccatum eſt corruptiuum gratiæ efficienter. Maior probatur exemplo; nam licèt ignis nõ poſſit producere efficienter animam rationalem: quia illa à ſolo Deo creatur; tamen poteſt illam expellere à corpore, ſcilicet producendo in corpus diſpoſitionem repugnantem informationi animæ. Vndè ſi expulſio animæ à corpore eſſet corruptio animæ rationalis, ignis efficienter eſſet corruptiuus animæ rationalis. Ita in propoſito, peccatum expellit gratiam efficiẽter, quia inducit in animam rationalem indiſpoſitionẽ repugnantem gratiæ, quæ indiſpoſitio eſt ipſum peccatum, & per hoc patet minor.

9. Ratio. 196 Nonò. Peccatum eſt cauſa motiua, propter quã Deus hominem à ſua gratia abijciat; hæc enim cauſalis eſt vera, quia homo peccat peccato mortali: ideò priuatur gratia; ergo peccatum eſt cauſa efficiens, & motiua, vt gratia corrumpatur, &c.

197 Decimò. Faciamus hãc hypotheſim, quod Deus nullum ſtatueret meritum, vel demeritum reſpectu alicuius rei, neque ſimiliter ſtatueret præmium, vel pęnam pro aliqua re: adhuc tunc odium Dei, & amicitia Dei non poſſent ſimul manere, & vnum eſſet deſtructiuum alterius: at tunc peccatum, illud odium Dei, non eſſet meritoriè deſtructiuum amicitiæ Dei, ſiuè gratiæ; quia ex hypotheſi, nullum daretur meritum, vel demeritum: ſequitur ergo, quòd eſſet deſtructiuum gratiæ efficiẽter. 10. Ratio.

198 Ex altera parte Scotus in 2. diſt. 35. §. *Iſtæ quæſtiones*, tenet, peccatum non eſſe corruptiuum gratię, quę eſt habitus infuſus, nec effectiuè, nec formaliter, ſed ſolum demeritoriè, ſcilicet quia faciens peccatũ, demeretur, vt Deus ab eo auferat gratiã ſuam, & illam deſtruat. Hanc eandem ſentẽtiam ſequuntur D. Bonau. 2. diſt. 35. art. 1. q. 1. tenet enim, quod peccatũ eſt formaliter corruptio, & priuatio rectitudinis debitæ ineſſe actui, quæ eſt ſententia Scoti, vt ſuprà vidimus. Opin. Scoti. D. Bonau.

199 Ricardus in 3. diſt. 31. art. 1. quæſt. 1. Rationes autem, quæ probant opinionem noſtram deſtruunt opinionem aduerſariorum. Quod ergo peccatum non ſit formaliter corruptiuum gratiæ habitualis, quæ eſt donum infuſum à Deo nobis inhærens, vt infrà, vbi & de gratia agam, manifeſtum erit. Scotus loco citato probat primò ſic. Ricardus.

200 Illud, quod à ſolo Deo producitur per creationem, & ab eodem ſolo conſeruatur, non poteſt ab vlla creatura corrumpi; ſed ſic eſt, quod gratia habitualis à ſolo Deo creatur, & conſeruatur, & cum deſinit eſſe, annihilatur; ergo peccatum, quod eſt actus creatus, non poteſt effectiuè corrumpere illam: quoniam non ſubeſt eius cauſalitati. Maior, & minor ſunt euidentes. 1. Ratio Scoti.

201 Reſpondent Medina, & nonnulli alij, quod homo plus poteſt in malo, quàm in bono: ideò licèt homo non poſſet producere gratiam, tamen poteſt illam deſtruere; ſicut, licèt non poſſimus facere opera bona ex nobis ipſis, poſſimus tamen facere opera mala, iuxtà illud Oſeę 13. *Perditio tua ex te Iſrael eſt, tantummodo ex me auxilium tuum*. Prima reſponſio aduerſariorũ.

202 Contrà. Deſtruere gratiã, eſt annihilatio: at creatura non poteſt annihilare; ergo, licèt homo poſſit plus in malo, quàm in bono, non poteſt hoc malum, quod eſt annihilare. Reijcitur.

203 Vaſquez vbi ſuprà, reſpondet, falſum eſſe, gratiæ corruptionem eſſe annihilationem; tenet enim gratiam generari, & corrumpi non creari, nec annihilari. At hanc opinionem ſatis ſuprà reiecimus in 2. ſentent. diſt. 1. & in 4. diſput. de cauſalitate Sacramentorũ: ideò non eſt opus hic immorari circa hoc. Quod enim generatur ex aliqua materia, & ex aliquo ſubiecto, conſtituitur ex illo: at gratia non eſt quid compoſitum, ſed forma ſimplex: ergo non generatur. Maior patet, quia omnia corpora naturalia generantur ex materia, ideò ſunt compoſita ex materia. Minor eſt euidens, quia ſi anima generaretur ex materia aliqua, illa eſſet anima, vel corpus; ergo gratia eſſet compoſitum ex anima rationali, vel corpore hominis, & ipſa forma gratiæ, quod eſt abſurdum. Quod ſi quis dicat, maiorem eſſe verã de compoſito, non de formali ſimplici. Contrà. Solum compoſitum eſt terminus generationis non forma, niſi formalis, ſed non eſt terminus adæquatus, & non poteſt dari generatio, quæ ſit ad terminum formalem, & non ad aliquod tantum, quod ſit terminus adæquatus illius generationis. Quod ſi quis dicat, datur terminus adæquatus, & ille eſt homo gratus. Contrà. Hoc totum, homo gratus, non generatur, quia eſt vnum per accidens; vnũ autem per accidens non poteſt eſſe terminus generationis. Præterea. Quod non annihilatur, ſed corrumpitur, vertitur in aliquid aliud, quia corruptio vnius eſt generatio alterius; ergo ſi eſſentia gratiæ non annihilatur, ſe- Reſponſio Vaſquez.

quitur, vt versatur in aliquid aliud, vt in animam rationalem, vel corpus aliq[illegible]d, quod omninò ridiculum est.

Alia respōsio Caiet.

Ideò est alia responsio Caietani, quem Medina, & alij sequuntur, quod peccatum corrumpere gratiam contingit duobus modis. Vno modo, quòd efficienter attingat ipsam gratiam per corruptionem. Alio modo, quòd introducat dispositiones in animam contrarias, ac repugnantes ipsi gratiæ. Primo modo peccatum non corrumpit gratiam, & sic concludit argumentum. Secundo modo verò maximè, neque hoc per argumentum impugnatur.

Reijcitur.

204 Hæc responsio est sine fundamento: nam primò, si peccatum corrumpit gratiam, non quia efficienter per corruptionem ipsam attingat, sed solum quia inducit dispositionem in subiecto, quæ sit incompossibilis gratiæ, sequitur, quòd gratia ipsa corrumpatur verè, & realiter à Deo non à peccato, & sic redit in nostram sententiam, quòd peccatum corrumpat gratiam demeritoriè solum: nam dicunt, quòd nō attingit efficienter physicè gratiam, sed solum inducit in dispositionem incompossibilem gratiæ: hæc tamen incompossibilitas non attingit gratiā, sicut (vt stemus in exemplo eorum,) combustio corporis, licèt sit expulsio animæ à corpore, non est corruptio, & annihilatio ipsius animę, sed si ad talem combustionē annihilaretur, illa annihilatio esset à Deo verè, non à combustione. Non ergo physicè, & realiter peccatū est corruptio gratiæ, sed solum moraliter, quod est idem, ac demeritoriè.

2. Ratio.

205 Sed vlterius quæro, quænam sint hæ dispositiones contrarię, quas actus peccati introducit in animam, quæ sunt incompossibiles gratiæ? vel enim sunt dispositiones morales, vel physicè: si morales; ergo solum demeritoriè expellunt: quia res morales non physicè, sed moraliter agunt, & sic non corrumpunt physicè: si verò sunt physicè debent assignare, quænam sint: si enim aliquæ dentur, illæ erunt ordinis naturalis; gratia autem est ordinis supernaturalis: at ex aduersarijs ea, quæ sunt ordinis naturalis non possunt opponi ijs, quæ sunt ordinis supernaturalis: quia contraria sunt sub eodem genere: naturale autem, & supernaturale differunt plusquam genere. Vndè nullum creatum dicimus opponi lumini gloriæ, beatitudini, & huiusmodi, nisi dicamus, opponi, vt perfectum, & imperfectum, quod non est ad propositum.

206 Præterea. Forma, quæ corrumpitur per introductionem dispositionum contrariarum in subiectum, requirit certas qualitates in subiecto, quibus ablatis ipsa manere non potest in illo subiecto, & quæ qualitates sunt contrariæ qualitatibus formæ producendæ, quibus introductis priores pereunt. Exemplum, forma ignis corrumpitur dispositiuè à forma aquę: quia forma ignis requirit in subiecto certos gradus caliditatis, quibus ablatis ipsa in ligno conseruari non potest. Corrumpitur autem illa caliditas à frigiditate, ideò introducta frigiditate in lignum desinit ibi esse forma ignis: at gratia habitualis non requirit in anima aliquas huiusmodi qualitates physicas distinctas ab ipsa, & ab ea manātes; neque peccatū habet qualitates reales, & physicas præuias contrarias gratiæ, vt patet: quia nullus Theologus eas assignat; ergo peccatum non potest corrumpere gratiam dispositiuè, sed si corrumpit, corrumpit efficienter, vt calidum frigidum: hoc autem ipsi negant & est falsum, vt nunc suprà dictum est. Si autem dicant, quod peccatum corrumpat gratiam, quia est impedimētum; & causa, vt anima, quæ est subiectum, non habeat dispositiones conuenientes sibi, hoc est dicere, quod corrumpit demeritoriè.

207 Præterea. Id, cuius esse habetur per creationem, & non esse per annihilationem, non habet aliquā præuiam dispositionem, per quam creetur, & annihiletur, vt patet, & diximus in 2. sent. in disput. An creatura possit creare: at secundum Thomistas, licèt hoc neget Medina, gratia creatur, & cum desinit, annihilatur, vt loco citato ostendimus; ergo non habet præuias dispositiones, quibus corruptis ipsa desinat esse; ergo hæc responsio est voluntaria.

Exemplū aduersariorum reijcitur.

208 Exemplum verò ipsorum de igne expellente animam rationalem, quam tamen efficere non potest, non est ad propositum: quia anima rationalis est forma physica, quæ, antequam inducatur in subiectum, requirit quasdam dispositiones physicas, quæ sunt qualitates consequentes corpus humanum, cuius anima est actus, ac requirit illas dispositiones secum manere, vt possit informare corpus: sicut forma ignis necessariò requirit caliditatem ad certum gradum, vt possit conseruari in ligno: ideò corruptis istis dispositionibus corrumpitur forma, & anima rationalis desinit informare corpus: etsi desitio illa informandi corpus esset corruptio animæ rationalis, corrumpens illas dispositiones posset dicere corrumpere physicè dispositiuè animam rationalē. At in proposito gratia habitualis non est forma physica, seù naturalis, sed ordinis supernaturalis, & maximè secundum eos, quæ non requirit in anima rationali, in qua est tanquàm in subiecto aliquas qualitates physicas præuias ad sui productionem, & conseruationem in anima, neque enim est assignare quænam istæ qualitates sint; sed requirit tantum quosdam actus transeuntes, vt in adulto peccatore requirit contritionem, vel actum baptismalē, qui sunt actus transeuntes. Vndè si isti actus dicantur dispositiones præuię, sunt dispositiones morales non physicè, quia, vt dictum est, non manent, sed transeunt, & sunt tantum conditiones morales ex instituto Dei ordinatæ secundum legem ordinatam à Deo; de potentia autem absoluta posset infundere gratiam in anima alicuius absque vlla istarum actionum. Ideò istæ dispositiones tantum sunt dispositiones morales, & meritoriæ non physicè: vndè sicut qui facit actum bonum, meretur de cōgruo recipere gratiam iustificantem habitualem, ita qui peccat, demeretur gratiam conseruari in anima, & sic peccatum corrumpit gratiā demeritoriè tantum, non effectiuè dispositiuè.

209 Tandem D. Tho. 2. 2. q. 24. art. 12. declarans, quomodo gratia, & peccatū sint contraria, inquit, quòd gratia fluit à Deo sicut lumen à Sole, & ideò sicut si poneretur obstaculum inter Solem, & aerem, lumen cessaret esse in aere: ita peccatum est ostaculum, quod positum in anima impedit influentiam charitatis à Deo, & hac ratione peccatum corrumpit effectiuè gratiam. At ex hoc modo dicendi D. Tho. non habetur, quòd peccatum dispositiuè corrumpat gratiā effectiuè, sed quod sit causa per accidens corruptionis gratiæ. Nam ponens obstaculum inter Solem, & aerem est causa corruptionis luminis solum per accidens: quia ponit impedimentum ne lumen generetur; ponens autem impedimentum, sicut remouens impedimentum ex Arist. 8. physic. tex. 23. & inde, est causa per accidens: nam remouens impedimētum impediens, ne lapis deferatur deorsum, est causa efficiens motus lapidis deorsum, sed est causa per accidens effectiua non dispositiua, vt patet, & expressè docet ibi Arist. loquens de motu grauium, & leuium. Ex quo vlterius deduco, quòd cum peccatum nō sit impedimentum conseruationis gratiæ, nisi ex dispositione, & lege diuina, peccatum est verè causa demeritoria, non effectiua.

Responsio Vasquez.

210 Ideò Vasquez p. 2. disput. illa 91. cap. 3. respondet parum referre, quod gratia à solo Deo producatur, & conseruetur: quia dummodo habeat formam contrariam, quæ ab agente naturali propria virtute possit induci, hoc satis est, vt à causa creata possit corrumpi. Exemplum esse potest: nam accidentia in sacramento altaris, vt dulcedo in vino consecrato conseruatur à solo Deo, & tamen ab agente creato contrario possunt corrumpi, vt patet, & omnes concedunt. Peccatum autem, & gratia sunt formæ sua natura contrariæ, & incompossibiles:

sibiles:

sibiles: peccatum autem ab agente naturali potest produci, & de facto producitur; ergo creatura, mediante peccato, corrumpit gratiam, licèt gratia à Deo solo producatur.

Reijcitur.

211 Contrà. Hęc responsio supponit, ꝙ peccatum, & gratia sint formæ contrariæ formaliter, & quod vna nō possit destrui nisi per aduentum alterius, vt patet ex dictis ab eo; hoc autem est, quod est in cōtrouersia, & dicimus esset falsum: quia peccatum per potentiam Dei absolutam potest deleri ex anima absque infusione gratię habitualis, vt ostendimus in 4. disput. 3. cap. 2.

212 Pręterea. Aliud est loqui de forma producta ab agente naturali, & conseruata à Deo, in absentia agentis naturalis, & aliud est loqui de forma immediatè ꝓducta, & conseruata ab ipso Deo, & ab ipso solo apta nata produci, & destrui: nam prima potest corrumpi ab agente naturali inducente formam continuam, quia Deus in conseruatione illius formæ gerit vicem agentis naturalis: ideò non agit, efficacius in conseruādo illam formam, quàm ageret agens proprium naturale: at forma ab ipso solo inducta, & conseruata, & ab ipso solo apta nata induci, & conseruari absque vllo agente naturali, & quæ est ordinis supernaturalis, quæ regulariter non subest causalitati agentium naturalium, non potest corrumpi ab agente naturali; huiusmodi est gratia, quia eius productio est creatio, eius destructio est annihilatio, quæ sunt propriè actiones Dei solius. Vndè potest sic formari ratio, Quando duo agentia particularia sic se habent, quòd vnum nititur conseruare formam in subiecto, & aliud nititur illam destruere, illud vincit, quod est fortius; sed sic est, quod Deus respectu gratiæ est agens particulare, & proprium illam producens, & conseruans in anima; ergo creatura per formam peccati illam corrumpere nitens non poterit illam destruere, sed vincetur, & superabitur à Deo, quia est potentior.

213 Præterea, vt superius arguebamus; Formæ contrariæ mutuò se corrumpentes sunt sub eodem genere proximo, vt calidum, & frigidum, album, & nigrum: at forma naturalis, & supernaturalis plusquam genere differunt secundum eos, (licèt ponantur in eodem prædicamento, & forsan in eadem specie qualitatis secundum rei veritatem) quia vna est ordinis naturalis, alia supernaturalis; ergo peccatum ex sua natura non est forma contraria destruens gratiam.

214 Præterea. Accipiamus aliquod peccatum, quod etiam secundum Vasquez non sit peccatum ex se, sed solum quia prohibetur, vt esus carnium tempore prohibito, tunc certum est, quod hic actus secundum esse suum naturale non est forma contraria gratiæ, nec eius corruptiua, sed solum tunc est contrarius gratię, & expulsiuus eius, quādo ei aduenit lex prohibens, per quam formaliter fit peccatum; tunc sic arguo per Vasquez. Ratio formalis peccati est relatio rationis, scilicet disconuenientię ad naturam rationalem: at relatio rationis non est forma physica verè, & realiter corruptiua alterius formæ; ergo peccatum istud non est corruptiuum gratiæ. Consequentia est euidens; quia esus carnium, vt est actus naturalis, non est contrarius gratiæ, nec illius corruptiuus, sed solum, vt est peccatum. At vt peccatum addit solam relationem rationis, quæ non est actiua, nec corruptiua; ergo tale peccatum non est corruptiuum gratiæ. Subinferens; sed omne peccatum est peccatum, quia prohibitum; ergo nullum peccatum est contrarium, & corruptiuum gratiæ physicè, sed solum demeritoriè. Nec valet responsio Medinę, quòd actus ille post latam legem accipit proprietatem quandam moralem, virtute cuius expellit gratiam effectiuè, hæc enim responsio per argumentum directè reijcitur: quia actus ille per legem nihil aliud acquirit, nisi relationem disconuenientiæ, quæ est relatio rationis, vt dictum est, vel carentiam rectitudinis debitæ secundum nos, quæ etiam est quid intentionale: at ens rationis, & intentionale non potest effectiuè, & physicè expellere formam realem; si ergo expellit, expellit tantùm demeritoriè, quod est intentum.

215 Secundò principaliter adducit Scotus aliam rationem, quæ est euidentissima, cui aduersarios nihil respondere video: adducunt enim ex rationibus Scoti solum præcedentes, alias verò omittunt. Ratio autem est hæc. Si peccatum esset peccatum formaliter, quia sit corruptiuum gratiæ habitualis, sequeretur quod secundum peccatum mortale, & tertium, ac sequentia non essent peccatum. Consequens est apertè falsum. Consequentia verò probatur, quoniam per primum peccatum iam gratia habitualis est corrupta: per vnum enim peccatū tota gratia corrumpitur, non enim diminuitur, licèt paulatim augeri possit, vt omnes fatentur. Hæc ratio certè est efficacissima. Quòd si quis dicat, in secundis peccatis semper peccans poneret magis ac magis obicem ad diuinam amicitiam, hoc nihil est: quia non propter hoc fit, quòd illa posteriora peccata essent corruptiua gratię: quia iam illa non adesset; ergo peccatū est aliud, quàm corruptio gratię. Infrà agendo de reatu peccati confirmabitur hęc ratio. — 2. Ratio principalis Scoti.

216 Tertiò. Gratia est causa contingens rectitudinis in actu, non necessaria; ergo peccatum non destruit effectiuè gratiam. Antecedens patet, quia potest gratia esse in anima, & tamen anima potest peccare causando actum malum: at si gratia esset causa necessaria rectitudinis in actu, posita gratia in anima, anima semper causaret actum rectum. Consequentia verò probatur, quia ideò agens destruit formam aliquam in subiecto, quia illa est incompossibilis formæ, quam inducere intendit; quod si sit compossibilis cum ea, priorem formam non destruit: vndè ideò ignis destruit frigiditatem, & formam aquæ in subiecto, quia vult inducere in idem subiectum formam ignis, cui repugnat effectus aquæ, & causa talis effectus, qui ab igne prouenit necessariò, non contingenter. At in proposito peccatum pugnat cum rectitudine actus, & illam corrumpit, & consequenter corrumpit etiam causam necessariò producētem talem rectitudinem: quia est illi incompossibilis; gratia autem nō producit necessariò talem rectitudinem in actu, sed contingenter; ergo peccatum non est corruptiuum gratiæ, sed solum illius causæ, quæ necessariò producit rectitudinem actus, quæ non est gratia vt dictum est, quia ipsa solum contingenter agit. — 3. Ratio principalis Scoti.

217 Quartò. Stante opinione aduersariorum sequeretur, quòd omnia peccata mortalia essent eiusdem speciei. Consequens est manifestè falsum; ergo & antecedens. Consequentia probatur, quoniam omnia essent priuationes eiusdem formæ specificæ: priuationes autē distinguuntur per habitus quibus opponuntur: at tunc omnia peccata opponerentur eidem habitui secundum speciem, scilicet gratiæ; ergo. — 4. Ratio principalis Scoti.

218 Quintò. De potentia Dei absoluta etiam secundum aduersarios, vt docet Bartholomeus Medina p. 2. quæst. 110. art. 4. posset manere gratia cum peccato; posset enim Deus dare vitam æternam alicui existenti in peccato, posset eundem diligere, & in illo conseruare gratiam habitualem; ergo peccatum & gratia habitualis non opponuntur, quia formæ oppositæ priuatiuè, vel formaliter non possunt manere simul in eodē subiecto. — 5. Ratio.

219 Respondet Medina vbi suprà, quæst. 113. art. 2. soluendo tertium ibi factum contra suam opinionem, eo dubio gratia, & peccatum opponuntur, & quæst. 111. art. vlt. quòd etsi gratia de sui natura sit apta nata facere hominem gratum Deo, & peccatū facere infensum, & ingratum, tamen Deus potest suspendere hūc effectū gratiæ, sicut in fornace Nabuchdonosor potuit facere, quod ignis non calefaceret; & sic gratia, & peccatum possunt per potentiam absolutam manere in eodem subiecto: quia non repugnant nisi propter effectus contrarios. Subiungit tamen Medina, quòd gratia tunc nō faceret hominem illum peccatorem gratum, & dile- — Responsio

ctum

ctum ipsi Deo: quia licèt facere hominem gratum Deo sit effectus formalis gratię, est tamẽ effectus formalis secundarius, & extrinsecus, & ideò est separabilis à gratia.

Reijcitur. 220 Contrà. Effectus formalis est inseparabilis à forma etiam per potentiam Dei absolutam, & hoc est verũ de effectu quocumque formali, si sit effectus verè formalis: effectus enim formalis est essentialis nõ accidentalis formæ cuius est: vndè est impossibile, quòd Deus faciat ignem, esse ignem & non ignire, licèt possit auferre effectũ efficiẽter ab ipso prouenientẽ, qui est calefacere, vel vri aliud. Et est impossibile, animã informare corpus, & nõ facere illud viuere, & esse animal: quia esse animal, & viuere est effectus formalis. At facere gratum, & dilectũ aliquẽ Deo est effectus formalis gratię non effectiuus; nã gratia habituali homo est formaliter gratus Deo, & illi dilectus, gratia nõ est productiua dilectionis Dei & gratitudinis in genere causæ efficientis: quia illa causa est Deus: neque in genere causæ materialis, vel finalis, vt patet; ergo est causa dilectionis, & acceptationis hominis ad Deum in genere causæ formalis; ergo iste effectus est inseparabilis à gratia. Si ergo gratia, & peccatũ formaliter opponuntur, est impossibile, quòd in eadem anima sit simul peccatum, & gratia, quia simul esset grata, & non grata Deo: sicut idem subiectum non potest esse simul calidum, & frigidum per potentiam Dei absolutam, quia implicat contradictionem: esset enim idem subiectum simul calidum, & non calidum, frigidum, & non frigidum? Vndè Aristot. 4. Metheor. probans, duo contradictoria non posse esse simul, vtitur hoc medio tanquàm manifestiori: quia si duo contradictoria possent esse simul vera, etiam in eodem subiecto possent esse duo contraria, vt calidum, & frigidum, quod impossibile esse supponit. Aduersarij autem sustinẽt, peccatum, & gratiam habitualem per potentiam absolutam manere simul in eodem subiecto; ergo non sunt formæ ex natura sua pugnantes, sed solum demeritoriè. Illud autem de fornace trium puerorum, non est simile: quia vri non est effectus formalis ignis, sed effectiuè causatus: Ideò Deus potest illum suspendere. Illa distinctio etiam Medinæ de duplici effectu formali gratiæ, quorum altero efficitur rectus, pulcher, iustus, & hic est inseparabilis; alter, quo homo actu redditur gratus, & acceptus corã Deo, & quod primus est inseparabilis, secundus verò separabilis, est fictitia: nam cum homo est rectus, & iustus est etiam gratus Deo, & illi acceptus secundum eos, vt patebit in disput. An Deus possit dimittere peccatum, sine dispositione præuia, argumento primo pro Thomistis. Præterea. Si hic secundus à primo naturaliter dimanat, & primus est inseparabilis, sequitur etiam hunc secundum esse inseparabilem, & dato quòd esset separabilis, non esset effectus formalis, sed accidentalis. Est ergo dicendum quòd est effectus formalis, & inseparabilis, sed solum secundum legem Dei ordinariam, nõ secundum potentiam Dei absolutam, vt infrà patebit.

Ad rationes aduersariorum. 221 Ad rationes aduersariorum facilis est respõsio. Sed pro intelligentia notandum est, quòd, vt habet Scotus in 1. dist. 17. in solutione 1. quæstionis, §. *Ad solutionem huius quæstionis*, art. 1. & 2. gratia habitualis sola non facit hominem gratum Deo, nec iustum complетè, sed requiritur acceptatio diuinę voluntatis, non quidem noua, vt putant aduersarij, & de qua putant Scotum loqui, sed antiqua, vt diximus in 3. sent. disput. 42. loquentes de ratione meriti de condigno: nã habitus ille qualitatis, qui est gratia secundum se, vt est qualitas creata, & exclusa diuina acceptatione, siue pacto, & statuto diuino, & æterno, quo decreuit, vt actus proueniens ab homine informato gratia, esset meritorius, & quòd homo ornatus gratia habituali sit gratus, & acceptus Deo: non potest ex proprijs viribus facere hominem iustum, & gratum Deo: quod probatur per illas duas rationes Scoti, quibus ibi probat, actum prouenientem ex gratia, & libero arbitrio, sine acceptatione Dei non esse completè meritorium: illæ enim æquè probant, hominem non posse esse gratum, & acceptum Deo completè ex solo habitus gratię decore: nam decor gratię est quid creatum, & finitum, nihil autem tale est dignum ex se amicitia Dei, & amore ipsius: nec aliquid creatum secluso actu Dei, & pacto ipsius potest facere aliquem dignum amicitia Dei: alioquin habens talem donum creatum non posset non diligi, & non acceptari à Deo. Pręterea. Non posset Deus habentem tale donum diligere, & præmiare vltra condignum, quod tamẽ est falsum etiam secundum Thomistas; ergo quod aliquis habens gratiam habitualem sit gratus Deo prouenit ex sola voluntate diuina gratuitè ordinante, quòd habens gratiam habitualem sit gratus, & acceptus sibi: de qua re fusè agam in materia de gratia. Requiritur ergo acceptatio diuina, sed non noua superaddita infusioni actuali gratiæ, sed antiqua, qua decreuit, quòd habens gratiam habitualẽ esset gratus sibi, & dilectus; qui non haberet eam nequaquàm esset gratus. Et hac ratione differimus ab illis recentioribus contra quos arguit Vasquez vbi suprà, qui dicunt, gratiam non esse sufficientem remittere peccatum ex se, sed vltrà requiri fauorem, & condonationem Dei, gratiæ superadditam: isti enim ponunt hanc acceptationem, & fauorem subsequi actum meritorium, & infusionem gratiæ. Hæc autem opinio est falsa, & contra illam valent rationes Vasquez, & Suarez, vt diximus prædicta disput. 42. At nos ponimus hanc acceptationẽ esse antiquam, & nihil aliud esse quàm pactum ęternum secundum legem ordinariam factum circa iustificationem peccatoris, & gratificationem illius. Hoc ergo supposito ad argumenta facilis est responsio. Nam argumenta omnia aduersariorum procedunt de charitate, siuè gratia simul cum acceptatione illa, quæ est conditio quædam moralis, consequens gratiam secundum legẽ ordinariam Dei, non autem de gratia in se considerata secundum entitatem suam naturalem, quam vt creatura talis habet, sec usa acceptatione Dei, quæ est quid extrinsecum, & quid morale, siuè ens rationis. Nos autem consideramus gratiam habitualem in se, vt est qualitas, & entitas quędam creata secundum potentiam absolutam Dei separabilis ab illa acceptatione: & sic patet, eam nõ esse tanti valoris, vt faciat hominem gratum, & acceptũ Deo. Præterea non concludunt, peccatum corrumpere gratiam formaliter, sed tantummodo demeritoriè, tamen ad vnumquodque argumentum est respondendum breuiter.

222 Ad primum respondetur, quòd gratia considerata præcisè secundum entitatem propriam physicam, & realem non est ratio perfecta, qua homo formaliter est gratus Deo, sed requiritur acceptatio diuina: ideò falsum assumit primum argumentum, Quòd charitate, & gratia, vt sic, homo sit gratus, & acceptus Deo, & consequenter gratia repugnet peccato, & peccatum gratiæ. Si gratia verò consideretur cum acceptatione diuina, & secundum legem ordinariam, concedo, quod est, qua homo est formaliter, & completè gratus Deo, & sic concedo, quòd peccatum repugnet gratię, sed non sequitur, quòd repugnet absolutè, & physicè, & vt est entitas physica, sed solum secundum ordinationem diuinam: ideò non sequitur, quòd peccatum sua natura sit forma contraria gratiæ, & illius corruptiua, sed solum sequitur, quòd repugnet illi, & sit corruptiuum illius ratione ordinationis diuinæ. Quod autem repugnat, & corrumpit aliquod, non ex entitate naturali, sed ex ordinatione voluntatis Dei est corruptiuum illius demeritoriè, nõ physicè & formaliter, vt volunt aduersarij. Ad primũ.

223 Per hoc idem patet ad secundum, nam in minori accipitur gratia non pro sola qualitate, sed cum qualitate simul cum acceptatione æterna, quomodo conceditur: at accipiendo gratiam præcisè, prout est qualitas, est falsa, vt dictum est. Quòd si quis objiciat: homo habẽs gratiam habitualem seclusã illa acceptatione adhuc Ad secundum.

esset

esset gratus Deo; ergo simul esset gratus, & ingratus. Respondetur, quod gratia habitualis, seclusa illa acceptatione, nõ faceret hominem gratum Deo, nec ingratum, sed esset indifferens: ideò manere posset cum peccato, quod faceret hominem ingratum.

Ad tertiũ. 224 Ad tertium respondetur, quod in illo casu gratia esset sola acceptatio, & dilectio diuina hominis. Concedo autẽ, quod gratia accepta pro fauore, & acceptatione, qua sic aliquis Deo sit gratus, opponitur peccato: immò, quòd plus est, concedimus gratiam habitualem solum repugnare peccato secundum legem ordinatam Dei. Vndè in 4. disput. 3. cap. 3. diximus cum Scoto, secundum legem Dei ordinariam peccatum non posse dimitti sine infusione gratiæ: at considerando gratiam secundum entitatem suam internam, & vt est qualitas talis, dicimus, quod non repugnat peccato, & quòd potest per potentiam Dei absolutam manere in eodem subiecto cum illa, quia vt sic non faceret hominem gratũ, nec ingratum, & de gratia in hoc sensu esse contentionem inter Theologos visum est suprà.

Ad quartũ. 225 Ad quartum respondetur per idem. Negatur enim, gratiam suaptè natura, vt est qualitas, & entitas physica, sine acceptatione illa æterna facere hominem gratum Deo. Et cum dicitur, quod non magis gratia, vt est qualitas, tunc faceret hominem gratum Deo, quàm albedo. Respondetur, quòd proculdubio si Deus ordinasset, vt habens albedinem esset gratus, & acceptus sibi, etiam homo esset gratus, & acceptus Deo per albedinem, sicut modo per qualitatem, quæ est gratia habitualis: differunt tamen de facto, quia Deus statuit, vt albedo esset qualitas ordinis naturalis perficiens naturaliter substantiam naturalem: statuit verò gratiam habitualem, & alios habitus infusos esse ordinis supernaturalis, & perficere creaturam rationalem in ordine ad vitam æternam: ideò gratia habitualis habet annexam acceptationem æternam Deo illius, in quo ipsa est.

Ad quintũ ex Vasquez. 226 Ad quintum, quæ est Vasquez. Negatur antecedens quo ad primam partem, scilicet quòd gratia habitualis sit iustitia inhærens homini faciens ipsum iustum formaliter absque vllo alio extrinseco fauore vel acceptatione. Ad probationem negatur consequentia. Ad primam probationem breuiter respondetur, quòd acceptatio addita gratiæ potest esse duplex: altera noua, & sequens infusionem gratiæ habitualis: alia antiqua ex decreto Dei annexa gratiæ habituali; si loquamur de prima concludit argumẽtum illud, & reliqua; at nos loquimur de acceptatione antiqua, secundum enim legem ordinariam Deus decreuit, quòd habens iustitiam habitualem sit perfectè sibi gratus, & acceptus: ideò cum quis habet gratiam habitualem infusam sibi, est perfectè iustus, nec æget nouo alio fauore, vel acceptatione: ideò suprà nos diximus, Scotum differre ab istis Theologis recentioribus ponentibus necessariam esse acceptationem, vel fauorem subsequentem infusionem gratiæ.

227 Per idem patet ad aliam confirmationẽ ex Concilio Tridentino; est enim vnica causa formalis nostræ iustificationis: quia gratia habitualis de facto, & secundum legem ordinatam habet annexam illam acceptationem æternam tanquàm complementum ipsius, ita vt vtraque simul integret perfectam iustitiam inhærentem.

Ad sextũ. 228 Ad sextum nego falsitatem consequentis. Ad probationẽ negatur, quòd iustitia inhærens non sit perfecta iustitia: ad probationem respondetur, quòd illa iustitia, & gratia potest duobus modis considerari: vno modo secundum legem ordinariam: alio modo secundum legem absolutam. Gratia habitualis secundum legem ordinariam est perfecta iustitia, & abstergit omnem maculam: vndè diximus quòd de lege ordinaria Dei peccatum, & gratia non possunt manere simul in eadem anima, & hoc quia gratia de facto habet annexam acceptationem æternam: at loquendo de potentia Dei absolutè, secundum quam ab illa posset separari, illa acceptatio diuina dicimus, quòd non esset perfecta iustitia, & quòd cum illa manere posset peccatum, vt dicemus infrà agendo de penitentia.

229 Ad septimum respõdetur, quòd iustificatio impij, siuè illa mutatio ex iniusto in iustum, duobus modis potest considerari: vno modo secundum legem ordinatam Dei, & sic concedo quòd sunt duæ mutationes connexæ, quia secundum legem ordinatam Dei non datur medium inter filium regni, & filium perditionis: alio modo secundum naturam absolutam formarum secundum quas fit mutatio, scilicet gratiæ habitualis nudæ, (idest seclusa acceptatione diuina) & peccati, & hoc pacto dico esse mutationes non necessariò connexas, sed neque necessariò se comitantes: immò dico, quòd formæ illæ possunt manere simul in eodem subiecto: & ita cum absoluta potentia possit omne id, quod non implicat contradictionem, fieri potest quòd maneant simul peccatum, & gratia habitualis, vt suo loco infrà cũ multis alijs Theologis dicam. Ad septimum.

230 Ad alias obiectiones, quòd iustitia nostra inhærens non esset perfecta, quia inadæquata, patet ex dictis ad sextum, est enim adæquata de facto, & secundum legem ordinariam, & acceptationem Dei, non ex natura intrinseca ipsius gratiæ, vt est qualitas.

231 Ad octauum superius probatum est, peccatum nullam inducere posse dispositionẽ in animã repugnantem gratiæ; tamen respondetur, quòd peccatum, & gratia possunt cõsiderari, vel secundum potentiam Dei absolutam, vel secundum legem ordinariam: secundo modo opponuntur, & peccatum est dispositio contraria gratiæ habituali, non primo modo; & sic patet ad probationem minoris, quæ est falsa secundum potentiam absolutam, vera secundum legem ordinariam. Ad octauũ.

232 Ad nonum respondetur illud concludere, peccatum esse causam meritoriam, vt Deus efficiẽter destruat gratiam; non autem concludere, quòd ipsum peccatum immediatè per se sit corruptiuum gratiæ. Ad nonum

233 Ad decimum superius dixi, quòd de potentia Dei absoluta fieri posset, quòd odium Dei non esset peccatum, sed actus indifferens; sed admisso quòd semper sit peccatum: nego quòd gratia, & odium Dei, quod est peccatum, non possint esse simul sicut alia peccata, loquendo de gratia, vt est habitus, non secundum, quod est acceptatio diuina, vt dictum est: verum est quidem, quòd Deum odire peccatorem, & diligere peccatorem, non possunt manere simul, quia implicant cõtradictionem; sed creaturam odire Deum, & Deum diligere creaturam peccatricem non posse manere simul, negatur, vt dictum est. Ideò illa hypothesi data, negatur, quòd odium Dei in peccatore, & amicitia Dei non possent manere simul: quia tunc peccatum non esset destructiuum, nec corruptiuum gratiæ: quia vt dictum est ex propria natura suæ entitatis non repugnant, &c. Ad decimũ

DISPVTATIO II.

Vtrùm actus exterior addat aliquid bonitatis, vel malitiæ, actui interiori.

Titulus quæstionis exponitur, & declaratur opinio Thomistarum, ac aliorum quorundam.
Caput Primum.

1 HAnc quæstionem ex professo tractat Scotus in quolib. quæst. 18. in cuius explicatione multa pulchra docet, quæ suis locis exposuimus: fusius autẽ tractatur à Theologis, inter quos est maxima contentio, & pro vtraque parte variæ rationes adducuntur, vt est videre apud Capreolum in 2. Sent. dist. 42. q. 1. nos potiora adducemus,

In

Tribus modis pot hęc quęstio intelligi.

In præsenti autem pro explicatione tituli quæstionis notandum est, quòd hæc quæstio potest tribus modis intelligi, & pertractari: primo modo de actibus istis secundum esse naturale, & quo ad hunc sensum nulla est difficultas: patet enim, quòd actus exterior, & actus interior sunt diuersi actus in esse entis: nam à diuersis potentijs immediatè producuntur, interior à voluntate, & exterior à potentia aliqua exteriori, licèt per imperium voluntatis, vt homicidium mentale, & homicidium exterius: nam homicidium mentale producitur à voluntate, homicidium exterius, scilicet occisio hominis producitur à potentia exteriori. Cum ergo illi duo actus sint duæ entitates conditionis, & naturæ diuersæ, & vnumquodque ens sit bonum bonitate entis sequitur quòd actus exterior addat bonitatem super actum interiorem, sicut addit entitatem.

2 Difficultas ergo est de bonitate, & malitia moralis sed etiam loquendo de ista potest esse duplex sensus. Primus, vtrùm actus interior, & exterior, quando sunt diuersi, scilicet, vel quia sunt in diuersis subiectis, siuè suppositis, vt cum vnus habet actum interiorem, & alius exteriorem: vel si sint in eodem supposito, tamen nunc habet vnum actum scilicet interiorem, alio tempore habet alium actum, scilicet exteriorem, habeant diuersam bonitatem & malitiam: & in hoc sensu nulla quoque est difficultas, quia cum sint actus omnino diuersi, & secundum entitatem, & secundum esse moralem; & vnus ab alio non pendeat, dicendum est quoque ipsos habere diuersas bonitates, & malitias. Alter sensus verò est, vtrùm, quando sunt coniuncti, puta quando in eodem supposito ex actu interiori sequitur actus exterior, actus exterior addat malitiam super actum interiorem, & in hoc sensu hæc quęstio habet difficultatem, & de ea in hoc sensu tractamus.

3 Notandum est etiam, quòd additio in hac quæstione nõ intelligitur de additione intensiua, sed de additione extensiua: nam loquendo de additione intensiua, certũ est, quòd actus exterior semper addit aliquid actui interiori, causaliter, vel occasionaliter; quod probatur ex D. August. 9. de Trinitate cap. vlt. vbi in sententia habet, quòd actus amoris, qui sequitur ad actum desiderij, est intensior actu ipso desiderij: per actum autẽ amoris intelligit actum voluntatis, quo fruitur obiecto præsente; & per actum desiderij intelligit actum voluntatis in obiectum absens: patet autem quòd frequẽtius actus desiderij est remissior, quã actus amoris, siuè fruitionis: & hoc modo possumus dicere, quòd actus homicidij exterior addit aliquid malitię actui interiori homicidij occasionaliter, siuè causaliter: causat enim intensionem aliquam in actu interiori; ideò de additione intensiua nulla est dubitatio: tota difficultas est de additione extensiua, quæ est additio bonitatis distinctæ realiter à priori bonitate, sicut actus exterior est distinctus ab actu interiori quo ad substantiam, & entitatem. Vndè hic est intellectus tituli quæstionis, Vtrùm actus exterior, quando in eodem est coniunctus interiori, habeat bonitatem, vel malitiam moralem propriam distinctã à bonitate, vel malitia actus interioris, vel potius nullã propriam bonitatem, vel malitiam habeat, sed actus interior efficax perficiendi opus exterius, sed impeditus ab exteriori exequutione habeat tantam malitiam, vel bonitatem, quantũ haberet si simul iungeretur actu exteriori. Exemplum, Vtrum voluntas subeundi martirium, pro Christo, sed non habens facultatem subeundi actu illud, tantum mereatur, ac si actu subiret martirium. Et similiter in malitia, Vtrùm efficaciter volens committere adulterium, sed non potens propter impedimentum, tantum demereatur, & habeat tantam malitiam, quantam si actu opere exteriori committeret adulterium.

Explicatio tituli quæstionis.

Opin. Thomistarum.

4 Hæc quæstio pertractatur à D. Tho. 1. 2. quæst. 20. art. 3. & 4. Vndè Thomistæ in illis articulis eam attingunt, Caiet. & aliqui alij art. 3. Medina, & alij art. 4. in principio, qui proponit quæstionem sub hoc titulo, Vtrũ quando voluntas est efficax perficiendi aliquod opus, si non datur facultas illud perficiendi, tàm bona, vel mala sit, atque si actus exterior poneretur inesse. Fusè quoque de ea agit Capreolus in 2. dist. 42. vt dictum est. In hac re sunt duæ oppositæ sententię, prima est D. Thom. 1. 2. quæst. 20. art. 4. & suorum sectatorum vbi suprà, & Capreoli in 2. sent. dist. 42. q. 1. art. 1. concl. 12. Durand. eadem dist. quæst. 1. num. 8. & 9. D. Bonauent. art. 1. q. 1. & Ricard. eadem dist. art. 1. & 4. Gregorij Ariminensis dist. 42. conclus. 6. Vasquez 1. 2. disput. 76. qui alios citat. Pro hac sententia variæ auctoritates, & rationes adducuntur.

Prima est auctoritas D. Augustini primo libro de libero arbitrio cap. 5. vbi habet hæc verba. *Si quis habet voluntatem concubandi cum vxore aliena, & non datur facultas, coram Deo tam reus est, atque si opere complevisset.* & hæc sententia D. August. refertur de pęnitentia dist. 1. Idem habet D. August. epist. 49. in expositione quartæ quæstionis super illa verba D. Matthei 7. *In quacumque mensura mensi fueritis, remetietur vobis:* idest, In quacumque voluntate feceritis, remetietur vobis. Et in sequentibus dicit, quòd voluntatis effectus est mensura factorum, & meritorum omnium. 1. Ratio.

5 Secundò est auctoritas D. Ioan. Chrysostomi homilia 26. in Matthæum vbi ait. *Sola voluntas remuneratur pro bono, aut condemnatur pro malo:* opera verò exteriora sunt signa huius voluntatis. 2. Ratio.

6 Tertiò. Ex D. Bernardo epist. 77. vbi ait. *Quid plenius, quàm quod volũtas pro facto reputatur, vbi factum excludit necessitas.* 3. Ratio.

7 Quartò. D. Gregorius homilia quinta in Euangelia, inquit. *Nemo dicat, imitari volo huius mundi contemptores, sed quod relinquam non habeo; exteriora enim nostra Deo quantumlibet parua sufficiunt: Cor namque, non substantiam, pensat.* 4. Ratio.

8 Quintò. 2. ad Corinth. cap. 8. habet Apostolus. *Vt quemadmodum prõptus est animus voluntatis, ita sit, & perficiendo ex eo quod habetis: si enim voluntas prompta est secundum id, quod habet, accepta est, non secundum id, quod non habet.* 5. Ratio.

9 Sextò. Vbi non est noua libertas, nõ est nouum meritum, aut demeritum, vt apertè constat; sed in actu exteriori nõ est noua libertas; ergo. Minor probatur, quia actus exterior necessariò sequitur ex efficaci voluntate, sic quod membra exteriora obediunt voluntati ad nutum: non habent ergo propriam libertatem resistendi voluntatis actui interiori, & per consequens nõ sunt voluntarij alia libertate, nisi libertate voluntatis. 6. Ratio.

10 Septimò. Si actus exterior adderet aliquam bonitatem, vel malitiam actui interno, sequeretur esse in potestate vnius adimere bonam partem meritoriam alterius, illo inuito: consequens est falsum; ergo. Consequẽtia probatur: quia in facultate alterius est impedire actum exteriorem, quod argumentum amplificat valdè D. Tho. in art. illo 4. 7. Ratio.

11 Octauò. Actus exterior non imputatur ad meritum, vel ad demeritum, nisi ratione actus interioris, & propter actum interiorem; ergo actus exterior non est peior actu interiori. 8. Ratio.

Nonò. Sanum, quod est in vrina, non addit aliquam sanitatem ad sanitatem animalis: quia vrina dicitur sana denominatione extrinseca, scilicet quia est signum, vel effectus sanitatis: sed actus exterior est effectus bonæ, vel malæ voluntatis liberæ; ergo non addit bonitatem, vel malitiam. 9. Ratio.

12 Decimò. Si actus exterior addit bonitatem, vel malitiam ad actum interiorem, vel illa malitia est ęqualis, vel maior, vel minor: non maior, nam si occidere est malum vt quatuor, actus interior scilicet velle occidere est malum vt quatuor: quia benè valet hæc consequentia, volo peccare vt quatuor; ergo pecco vt quatuor. Nec 10. Ratio.

minor,

minor, propter eandẽ cauſam; ſi enim occidere eſt malum, vt duo, velle occidere eſt malum, vt duo: non eſt æqualis; quia tunc ſequeretur, quòd actus exterior adderet duplam malitiam cum actu interiori, quod eſt inopinabile. Conſequentia eſt euidens. Falſitas conſequentis etiam eſt euidens: nam tunc ille, qui impeditur, ne audiat ſacrum contra ſuam voluntatẽ in duplo minus meretur eo, qui audit ſacrum, quia non habet actum exteriorem coniunctum cum interiori.

11. Ratio. 13 Pro eadem opinione arguit Scotus citato quolib. 18. §. *Contra iſta.* Eadem eſt veritas actus intelligendi, & obiecti intellecti; ergo eadem eſt bonitas obiecti voliti, & actus volendi illud. Antecedens patet, quia ſicut veritas principiorũ eſt immediata, ſic actualis cognitio principiorum eſt immediata; & ſicut veritas concluſionis eſt mediata, ita cognitio actualis concluſionis eſt mediata.

12. Ratio. 14 Præterea. Vbi vnum eſt propter aliud, ibi eſt tantum vnum; ſed actus exterior non habet bonitatem niſi per actum interiorem; ergo in vtroque eſt vna bonitas, & malitia.

13. Ratio. 15 Decimotertiò. Peccatum eſt carentia iuſtitiæ debitæ in ſola voluntate; ergo in ſolo actu interiori eſt bonitas, & malitia. Antecedẽs probatur ex Anſelmo lib. 1. de Conceptu virginali, vbi eo modo definit peccatũ. Prima conſequẽtia probatur, quia iuſtitia ſecundum eum, & iniuſtitia nata ſunt eſſe ſolum in voluntate.

14. Ratio. 16 Præterea. Vbi eſt vna auerſio, & vna libido, ibi eſt vnum peccatum tantum; ſed in actu interiori, & exteriori eſt tantum vna libido, & auerſio, quia ſola voluntas eſt illa potentia, quæ eſt apta nata auerti à Deo, ideò in illa ſola eſt auerſio: libido etiam eſt cupiditas, & à D. Auguſtino appellatur venenum charitatis: hęc etiam eſt in voluntate, alioquin non opponeretur charitati; ergo nõ in actu exteriori, ſed ſolum in interiori eſt peccatum.

Allata opinio reijcitur. Caput Secundum.

Reijcitur. 17 HÆc opinio eſt minus probabilis, & rationes, quæ contra ipſam procedunt probant, probabiliorem eſſe oppoſitam ſententiam, quæ eſt Scoti, & aliorum, quos infrà adducam, ſcilicet, quod actus exterior addit malitiam ſuper actum interiorem. Quolib. 18. art. 3.

1. Ratio Scoti. 18 Primò ergo Scoto loco citato arguit auctoritate D. Auguſt. 13. de Trinit. cap. 5. vbi inquit. *Mala enim voluntate, vel ſola quilibet miſer efficitur, ſed miſerior poteſtate, qua deſiderium malæ voluntatis impletur.* Ex hoc loco habemus, quòd homo miſer quidem fit deſiderio, ſiuè actu elicito voluntatis, quo vult malum aliquod, ſed ſi illud deſideriũ actu exteriori poteſt adimplere, & adimplet actu, eſt miſerior; ergo actus exterior ſuperaddit miſeriam actui interiori ex D. Auguſt. at hic D. Auguſt. loquitur de miſeria culpæ, non pœnæ; ergo actus exterior addit malitiam, & culpam actui interiori. Aſſumptum hoc vltimum probatur: quia ille qui aliquid deſiderat, & actu exteriori implet, non habet pœnam; ſed ille, qui habet deſiderium alicuius rei, & actu exteriori illud non poteſt adimplere, habet pœnam. Vndè ſi loqueretur de miſeria pœnæ non rectè diceret, eum, qui malę voluntatis deſiderium implet, eſſe miſeriorem eo, qui deſiderium non adimplet. Hæc auctoritas, quia eſt euidens, valdè torquet aduerſarios, vndè vario modo illi reſpondent.

Prima reſponſio Medinę, & Vaſquez. 19 Medina vbi ſupra dat tres reſponſiones. Prima, quæ etiam affertur à Vaſquez, eſt: quia ſemper aut ferè ſemper accidit, vt voluntas operi coniuncta fiat intenſior, & ideò tunc conceditur ea opere exteriori augeri malitiam: non quia opus exterius addat malitiam, ſed quia occaſione operis exterioris præſentis creſcit affectus voluntatis, & magis perſeuerat.

2. Reſponſio Medinę. 20 Secundò reſpondet Medina, quòd homo per actum exteriorem fit miſerior: quia ex actu exteriori; ſequuntur maiora damna, quàm ex actu interiori ſcilicet ſcandalum, damnum fratris, & aliquando malefactor ſuſpenditur, quæ damna non eueniunt ex actu interiori ſolo.

21 Tertiò. Senſus D. Auguſt. ibi eſt, quod ille, qui poteſt adimplere deſiderium malum ſui, eſt infeliciſſimus, & miſerimus, quia eos, quos maximè odit Deus, punit hoc ſupplicio, vt poſſint adimplere deſideria praua cordis ſui, iuxtà illud Rom. 1. *Tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum.* 3. Reſponſio.

22 Cæterum, & ſi vnaquæque iſtarum reſpõſionum, poſſit eſſe vera in re, & quolibet modo horum trium aliquis poſſit dici miſerior actu exteriori, quam interiori: tamen nulla eſt ad mentem D. Auguſt. loco citato. Nam D. Auguſt. eodem cap. paulò ſuperius cum Cicerone reddit rationem, propter quam ille, qui adimplet deſideriũ prauum actu exteriori, eſt miſerior eo, qui nõ adimplet: illa autem nõ eſt, quia actus voluntatis prauus tunc magis intẽdatur, vel quia alia mala ad illum actum ſequantur, vel quia hæc ſit pœna inflicta à Deo: ſed eſt iſta, quia qui adimplet deſiderium ſuum actibus exterioribus, facit plura mala, quàm qui non adimplet. Nam diſputat ibi D. Auguſt. quid ſit beatè viuere, & laudat Ciceronẽ reprehendentem ad quoſdam, qui aſſerebant benè viuere eſſe viuere, vt quemque delectat. Redarguit autẽ hos Cicero, & eum laudat D. Auguſt. quia nemo dicet eum beatè viuere, *qui nequiter viuit, ac turpiter & nullo prohibente, nullo vlciſcente, & nullo ſaltem reprehendere audente. Inſuper & laudantibus plurimis: quoniam ſicut ait Scriptura laudatur peccator in deſiderijs animæ ſuæ, & qui iniqua gerit benedicitur, implet omnes ſuas facinoroſiſſimas, ac flagitioſiſſimas volũtates:* & deindè ſubiungit illa verba. *Profecto, & quamuis ſic eſſet miſer, minus tamen eſſet miſer, ſi nihil eorum, quæ perperam voluiſſet, habere potuiſſet.* Dicit ergo D. Auguſt. eum, qui adimplet actu exteriori ſuum deſiderium, eſſe miſeriorem, quàm ſi non adimpleret: quia facit plura mala, quàm faceret, ſi ſolum haberet actum interiorem; ergo actus exterior malus ex D. Auguſt. addit miſeriam culpæ, & malitiæ ſuper actum interiorem: quia qui poteſt adimplere deſiderium malum interiorem, & actu adimplet, facit vitam flagitioſam, & facinoroſam, & ſic eſt magis malus, quàm ſi haberet ſolum actum interiorem: quia ſic non eſſet ita flagitioſus, & facinoroſus. Hæc ergo auctoritas conuincit, & per hæc confutatur quæcumque alia reſponſio afferatur. Reijciũtur

23 Caietanus verò loco citato art. 3. & 4. reſpondet, quòd ex hac auctoritate nihil aliud habetur, niſi fortè, quòd exterior actus addit, & facit hominem peiorem. Sed quomodo faciat hominem peiorem declarat in ar. 4. ſic. Non quòd actus exterior addat aliquam malitiã, vel aliquem gradum malitię actui interiori, & actus exterior bonus addat aliquam bonitatem, vel gradum bonitatis actui interiori, ſed quia actus exterior apponit eandem malitiam actus interioris, ſed in eſſe ſuo perfectiſſimo: vult enim Caiet. quòd actus interior non habeat ſuam malitiam, vel bonitatem in ſeipſo in eſſe perfectiſſimo, ſed vult, quòd malitia actus interioris conſumetur in actu exteriori, ac in illo habeat eſſe in ſummo, & perfectiſſimo: vndè concludit, quòd melior eſt volẽs & faciens bonum, quàm volens facere bonum, & non faciens: quia voluntatis actus bonus conſumatur actu exteriori, & idem dicendum de actu malo. Reſponſio Caietani.

24 Hæc reſponſio videtur coincidere cum prima reſponſione Medinæ, & Vaſquez, qui eam ex Caiet. deſumpſiſſe videntur: nam dicere, quòd actus exterior addit ad bonitatẽ, & malitiam actus interioris, non malitiam, nec gradum malitiæ, nec bonitatem, nec gradum bonitatis, ſed eandem bonitatem in ſuo perfectiſſimo eſſendi modo, eſt idem ac ſi dicat, addere intenſionem malitiæ actui interiori. Ideò reijcitur, vt illa reſponſio: quia licèt ſit verum, quòd addito actu exteriori intenditur ſẽper actus interior, & hac ratione poſſit dici, quòd Reijcitur.

actus

actus exterior addit malitiam intensiuè actui interiori, vt diximus in principio primi cap. declarando titulum disputationis. Tamen dicimus, quòd etiam addit malitiam extensiuè, quia, vt vidimus ex D. August. loco citato, qui adimplet actu exteriori voluntatem malam, fit facinorosus, & flagitiosus. Vndè possumus sic arguere. Ille actus addit malitiam extensiuè, qui facit hominem in peiori statu vitiorum, & in alio genere vitiorum esse, quā prius erat: at qui habet malas voluntates tantū quantumcunque intensissimas, non est facinorosus, nec flagitiosus, sed tantum quando adimplet actu exteriori illas voluntates; ergo actus exterior addit malitiam scilicet illam, qua ille fit facinorosus, & flagitiosus. Præterea. Esse flagitiosum, & facinorosum est status peior, & alterius generis à statu peccatoris, qui habet tātum voluntatem malam, nec illam adimplere potest; est enim peccator intrinsecè, & extrinsecè. Infrà, post rationes, alias auctoritates adducam.

2. Ratio principalis Scoti.

25 Secundò principaliter arguit Scotus ratione. Pro cuius intelligentia, & maiori explicatione huius difficultatis, quæ est satis ardua, & necessaria, notandum est illud, quod habet Scotus eodem quolibet. 18. art. 2. principali, & ex toto illo quolib. desumitur, quòd ratio formalis peccati non est esse voluntarium, alioquin omnis actus volūtarius esset peccatum, quod est absurdum; sed ratio formalis peccati est carentia rectitudinis debitæ in actu siuè carentia integritatis eorum, quæ secundum rectam rationem debent ei competere. Hæc enim est non conformitas actus ad rectam rationem: voluntariū verò est ratio imputabilitatis: laudabile enim, & vituperabile, immò generalius præmiabile, & punibile continentur sub hoc communi, quod est imputabile; licèt aliquo modo differant, vt disput. sequenti dicam. Imputabile autem est, quod est in libera potestate agentis; nullus enim actus bonus imputatur alicui, nisi illum voluntariè faciat; ad voluntatem enim pertinet determinare se ad actum bonum, vel malum, & determinare potentias inferiores ad actum prohibitum, & malum, vel ad actū præceptum, & bonum. Et proindè homo tunc peccare dicitur, cum elicit actum malum, vel imperat actum malum. Imputabilitas ergo actus dicit duos respectus. Primus est ad malitiam, vel bonitatem actus, quæ est conformitas ad rationem rectā, & non conformitas ad rationem rectam. Secūdus respectus est ad potestatem, & dominium agentis ita quòd ille actus imputatur, vt malus, qui in se caret conformitate ad rectam rationem; deindè est in libera potestate elicientis. Idem dicendum de actu bono: vndè non ab eodem formaliter actus est bonus bonitate morali, & imputabilis: sed primum habet ex conuenientia ad regulam iuxtà quam debet elici: secundum ex eo, quòd est in libera potestate agentis. Ex hoc vlterius infertur, quòd actus formaliter non dicitur bonus, vel malus, quia sit voluntarius, sed quia est conformis, vel difformis rectę rationi. Ex quo aliud deducitur, quòd quicumque actus siuè sit intellectus, siuè voluntatis siuè alterius potentiæ, potest habere propriam bonitatem, & malitiam: si enim actus aliquis intellectus, vel sensus sit contra rectum dictamen rationis, & sit prohibitus, ille habet propriam malitiam: si verò est cōformis rectæ rationi, est bonus. Ex hoc sequitur, quòd actus exteriorum potentiarum aliquis est bonus, & aliquis malus: furtum est actus malus: ieiunium est actus bonus. Ratio est, quia vnus est conformis rectę rationi, alter verò non. Similiter actus voluntatis potest esse bonus, & malus: ille, qui est conformis rectæ rationi, est bonus: ille, qui est difformis, est malus & peccatum. Ex his omnibus vltimò habemus, quòd actus interior voluntatis, & actus exteriorum potentiarum habent proprias bonitates & malitias, quia sunt actus distincti, scilicet elicitus, & imperatus; vterque autem est natus elici conformiter, vel difformiter ad rationem rectam; ergo quilibet habet propriam bonitatem & malitiam, & vterque est imputabilis voluntati: quia vterque est in potestate eius, licèt vnus primariò, & alter secundariò. Licèt ergo vnus sit primò volitus, & alter secundò volitus, & vnus sit primò imputabilis, & secundus secundò imputabilis, hoc non tollit, quia vnusquisque habeat propriam bonitatem, & malitiam. His prænotatis, prima ratio est hæc, quæ est euidentissima. Alia est bonitas, & malitia moralis actus interioris, & alia est bonitas, & malitia moralis actus exterioris; ergo actus exterior malus addit malitiam actu interiori. Consequentia est euidens. Si enim sunt diuersæ malitiæ, vna non continetur in alia, & vna addita alteri crescit malitia. Antecedens probatur, bonitas actus est integritas omnium eorū, quę secundum rectam rationem operantis debent competere actui; ergo è conuerso malitia moralis est carentia integritatis eorum quæ secundum rectam rationem debent competere actui; sed alia integritas secundum rectam rationem debet competere actui interiori, & alia actui exteriori; ergo ex cōsequenti, alia est carentia integritatis eorum, quæ ad actum bonum internum requiruntur, & alia, quæ ad actum externum requiruntur; & consequenter, malitia est alia, & alia. Maior patet ex primo articulo illius quæstionis 18. & nos suprà fusè explicauimus prima quæstione, & infrà, agendo quid sit peccatum, & conceditur cōmuniter. Minor verò probatur, quia potentia interior, scilicet voluntas, & potentiæ exteriores, vt motiua, progressiua &c. sunt diuersarū rationū, & eorum actus habent propria dictamina rationis, quibus conformari debent, vt dictum est nunc suprà.

Quomodo voluntariū & inuoluntariū se habeat ad peccatum.

26 Caietanus eodem art. 3. respondet, quòd illa minor, scilicet, quòd bonitas actus exterioris est omninò alia, & diuersa à bonitate actus interioris, vniuersaliter est falsa, licèt sit vera quoad aliquos actus particulares: hoc autem secundum gratis conceditur, sed si Scotus eam intelligat vniuersaliter, vt intelligere habet, Scotus debet eam probare: eam autem Scotus probat, sed ratione satis obscura.

Responsio Caietani.

27 Potest tamen illa minor facilè probari ex notabili superius adducto, quia vterque actus tàm interior, quā exterior, est natus elici conformiter rationi rectæ. & quando est conformis, est bonus, quando est difformis, est malus. Sicut ergo sunt distincti actus, ita sunt distincta fundamenta relationis conformitatis, vel carentiæ conformitatis ad rectam rationem, & proindè conformitas, vel difformitas vnius non est conformitas, vel difformitas alterius.

Reijcitur.

28 Præterea, vt rectè hęc minor intelligatur, notandū est, quòd duplex est actus voluntatis ex Scoto in prologo quæst. de praxi art. 1. in principio, & quolibet. illo 18. & ex communi omnium consensu, scilicet elicitus, & imperatus: actus elicitus est actus, quo voluntas appetit, & vult aliquod obiectum: actus imperatus est, quo voluntas imperat potentijs inferioribus consequutionem illius obiecti, siuè finis voliti. Isti duo actus distinguuntur: nàm actus elicitus sæpè est sine actu imperato: actus enim elicitus potest esse, & quandoque est circa immaterialia, vt cum quis vult beatitudinem, vel aliquid simile immateriale, circa quod potentię exteriores nullam possunt habere operationem, tunc enim circa talia obiecta voluntas non potest habere actum imperatum; quia nō potest imperare potentijs inferioribus, vt talia obiecta, & fines consequantur, & hoc est clarum. Quando ēt volūtas habet actum elicitum circa obiecta materialia bona, vel mala, & similiter circa eadem obiecta habet actum imperatum, adhùc isti actus distinguuntur; vt cum voluntas vult ieiunium, & illud imperat potentijs exterioribus, actus elicitus circa ieiunium, & actus imperatus circa idem differunt: quia etsi versentur ambo circa ieiunium, tamen versantur diuerso modo: nam actus elicitus qui dicitur actus interior versatur circa ieiuniū tanquàm circa obiectum proximū, & vltimum finem; sed actus imperatus versatur circa motionem potentiarum

inferio-

inferiorum ad ponẽdum in esse actum ieiunij; ita quod obiectum proximum actus eliciti est ieiunium: obiectũ proximum verò, & immediatum actus imperati est motio potentiarum exteriorũ ad operationem. Vndè actus imperatus est medium ad consequendum obiectum volitum actu elicito. Ex his patet, quòd cum sint diuersi actus secundum esse reale ipsorum, diuersæ quoque conditiones, & circunstantiæ secundum rectam rationem illis competunt: recta enim ratio non dictat competere alicui actui eam circunstantiam, quam illi cõuenire est impossibile: actus elicitus est actus solius voluntatis, actus imperatus est actus voluntatis, sed circa potentias inferiores, siuè circa actus potentiarum inferiorum, vt imperantur à voluntate. Potentijs autem inferioribus, vt vegetatiuæ, & sensitiuæ, est impossibile competere id, quod competit voluntati; ergo necessariò secundum rectam rationem aliæ conditiones competunt actui elicito, & aliæ actui imperato. Ex hoc autẽ deducitur, quòd alia est bonitas, & malitia actus eliciti, & alia est bonitas, & malitia actus imperati: nam cum bonitas moralis sit integritas omnium eorum, quæ secundum rectam rationem operantis competunt actui; & malitia moralis sit carẽtia integritatis eorundẽ, & requisita ad actum elicitũ sint diuersa à requisitis ad actũ imperatũ, sequitur, quòd eorum malitia, & bonitas est diuersa (& hæc ratio probat, quòd est diuersa bonitas, & malitia specie, nõ autẽ solũ numero.) Quod autem recta ratio dictet, aliud cõpetere actui elicito, aliud actui imperato, probatur: quia recta ratio dictat, vt volũtas eliciat actus suos circa obiecta bona, & conuenientia, vt putà, velit bonum Deo, velit bonum proximo, & consequenter, vt non velit obiecta mala, & prohibita lege, vt adulterium, furtum, & huiusmodi. At recta ratio non dictat, vt voluntas imperet, & moueat potentias inferiores, sensitiuam, vegetalem, & motricem ad volendum bonum Dei, vel proximi, & ad non volendum malum proximi, vt adulteriũ, furtum, & huiusmodi: quia isti actus istis potentijs non competere possunt, sed dictat, vt moueat vegetalem, sensitiuam, & alias potentias ad producẽdum operationes circa sua obiecta debito modo: istæ autem operationes non possunt conuenire actui elicito; ergo &c.

Obiectio tacita. 29 Quòd si quis adhuc dicat, idem esse dictamen rationis circa actum elicitum, & imperatum, quando sunt de eodem obiecto, vt cum voluntas vult furtum, & imperat potentijs inferioribus vt furtum faciant: quia recta ratio, quæ dictat voluntatem non debere elicere actum furti, etiam dictat voluntatem non debere imperare potentijs inferioribus actum furti; & sic dicit esse eadem requisita ad actum elicitum, & ad actum imperatum secundum rectam rationem.

Solutio. 30 Respondit Scotus, quòd etsi aliquo modo illud dictamen, quod competit actui elicito, possit competere quoque actui imperato, scilicet denominatiuè denominatione extrinseca, & quatenus actus exterior est obiectum volitum: tamen quatenus consideratus actus imperatus in esse suo reali non potest ei competere: quia cum sit actus realiter distinctus ab elicito per se, vt sic est natus habere suam conformitatem ad rationem rectã: quia omnis actus humanus est illius capax: vndè ipse illa carere non debet. Et dato quod ei competat eadem conformitas, & dictamen, non tamen eodẽ modo competit vtrique actui. Quod possumus sic declarare: quia potentiæ operatiuæ non sunt capaces eiusdem dictaminis eodem modo, & secũdum eandem rationem: quod patet: quia dictamen rectæ rationis, vt competit actui elicito, dictat, vt non eliciat actum circa furtum: idest, dictat vt non velit furtum, quia est obiectum malum: vt competit verò actui imperato, dictat, ne voluntas imperet potentijs operationem, & exequutionem furti. Isti autem sunt diuersi modi, & diuersæ rationes, sub quibus hoc dictamen competit his actibus, quia primò competit in ratione finis, secundò competit in ratione medij ad finem. Vndè ad minus habemus, quod licèt isti duo actus, elicitus, & imperatus, habeant idem dictamen, & eadem requisita, tamen habent illa secundum aliam, & aliam conueniẽtiam: quia vni competit in ratione finis, alteri in ratione medij: ratione primi dictat recta ratio, ne volũtas eliciat actum malum: ratione secundi dictat, ne imperet media ad malum obiectum, & finem malũ consequendum. Et licèt aliqui teneant, eandem esse malitiam finis, & mediorum ad finem, tamen in disput. illa, An voluntas sit nobilior intellectu, ostendemus, media habere propriam bonitatem, & malitiam distinctã à bonitate, & malitia finis, alioquin omnia media essent æqualiter bona, quod est absurdũ. Et ex Arist. 8. Ethic. cap. 2. triplex est bonum, vtile, honestum, & delectabile; honestum, & delectabile est finis: vtile est mediorum ad finem; ergo bonitas, & malitia in medio est alterius rationis à bonitate finis, licèt ordinetur ad finem; ergo cum actus imperatus sit medium ad cõsequendum finẽ, scilicèt obiectum exterius, habet propriam malitiã, &c.

31 Tertiò principaliter ex dictis sic arguo. Aggregatum ex pluribus actibus malis est maius malum, quam quodlibet malum illorum seiunctim, sed sic est, quòd actus, in quo actus exterior additur actui interiori, est aggregatum ex pluribus actibus malis; ergo est maius malum, quàm actus elicitus simplex. Maior est euidens. Minor probatur: quia actus imperatus circa obiectum malum est actus malus, vt patet; est autem distinctus ab actu elicito voluntatis secundum substantiam; ergo est malus propria malitia, vel malitia actus eliciti reperta in ipso: & ita actus malus exterior cum interiori faciunt aggregatum maius mali. Quòd si quis dicat cum Caiet. est eadem malitia numero actus interioris, & exterioris. Contrà. Ergo malitia migrat de subiecto in subiectum, vel eadem malitia numero est in duobus subiectis numero distinctis, quod est impossibile: actus enim elicitus, & imperatus sunt duo actus numero, & substantia diuersi; ergo eadem malitia numero non potest esse in vtroque actu.

Si dicas. In actu imperato non est malitia vlla, sed solum denominatio extrinseca à malitia actus eliciti, vt etiam videtur velle Caiet. Contrà. In primis ex hoc sequitur, quòd eadem malitia numero non est in vtroque actu, siquidem in actu imperato non est malitia realiter, sed solum per denominationem extrinsecam, & sic sibi contradicunt: quia expressè dicunt, quòd eadem malitia numero est in vtroque actu. Deindè, quod est tale per denominationem extrinsecam, non est formaliter tale: vrina enim non est formaliter sana, & tamen est sana per denominationem extrinsecã; ergo actus imperatus non esset formaliter malus. Si autem non est formaliter malus; ergo est formaliter bonus, quod est absurdum. Consequentia probatur: quia actus voluntatis imperatus circa obiecta bona, vel mala nõ est de numero actuum indifferentium, sed necessariò est bonus, vel malus: quia est aptus natus habere conformitatem ad rationem rectam, vel ergo illam habet, & sic est bonus, vel caret, & sic est malus: quia inter priuationem, & habitum in subiecto apto nato nõ est dare medium, vt Catulus post nonum diem, vel est videns, vel cæcus. Et confirmatur: quia secundum multos auctores contrarię sententiæ nõ solum actus exterior est formaliter malus, sed est primariè malus malitia ex obiecto: quia ille est, qui lege prohibetur, vt sustinet Vasquez 1.2. disput. 73. ergo actus imperatus, non est denominatiuè, sed formaliter malus &c.

4. Ratio principalis. 32 Quartò principaliter arguit Scotus ibidem §. *Cõtra ista instatur* &c. versiculo. *Ad confirmationem*. Vbi deducens quandam confirmationem factam contra se ad oppositum facit hanc rationem, quam contra aduersarios sic formare possumus. Ex aduersarijs actus exterior habet suam bonitatem, & malitiam ex actu interiori; ergo actus exterior habet aliã bonitatem, & malitiam,

tiam, quàm actus interior. Antecedens patet: quia dicunt, quòd bonitas, & malitia actus interioris descendit in actum exteriorem, & quòd actus exterior non habet aliam bonitatē, & malitiam, nisi quatenus prouenit ab actu interiori. Consequentia verò probatur: quia causa, & causatum realiter distinguuntur, sed malitia actus interioris ex aduersarijs est causa, malitia actus exterioris est causata; ergo malitia actus interioris, & exterioris est diuersa. Maior patet: quia nihil est causa sui ipsius, nec est medium respectu sui ipsius. Minor probatur, q a ratio, & medium, propter quod actus exterior est malus, est malitia actus interioris.

Responsio Caietani. 33 Respondet Caietanus, & alij, hoc argumentum procedere ex falsa intellectione positionis aduersariorum, quoniam ipsi non dicunt, quòd eadem numero bonitas, & malitia sit causa, & causatum, sed dicūt, quòd est eadem numero bonitas, & malitia vtriusque actus, & quod eadem descendit ab actu interiori in exteriorē; (vel, vt alij volunt, ex exteriori in interiorē, vt Vasquez) sicut sanitas vna numero non diuersificatur in animali, vrina, & medicina; & tamen à sanitate animalis descendit in vrinam, & medicinam.

Reijcitur. 34 Hæc responsio non satisfacit, nam argumentum nō procedit ex falsa intelligentia positionis aduersariorum, scilicet quia supponat, aduersarios dicere, eandem malitiam numero esse causam, & causatum, sed probat ex eorum positione sequi eandem malitiam, vel esse causam, & causatum, vel est diuersam malitiam in illis actibus: primum autem est inconueniens; ergo sequitur secundum, quod est intentum. Quod autem hoc sequatur ex eorum positione, probatur: quia certum est, quod actus exterior est malus, vel ergo est malus malitia incausata, & primaria, vel malitia causata, & secundaria: si primum; ergo malitia eius non deriuat ab aliquo alio actu, quia ipse formaliter, & independenter est primò malus, si verò est malitia causata, & dependens, vel est eadem numero cum malitia actus interioris, & sic eadem malitia erit causa, & causata, siuè incausata, & causata, quod est absurdum: vel erit alia malitia distincta numero à malitia actus interioris, & ab illo causata, & hoc est intentum.

35 Præterea. Exemplum illud de sanitate animalis, vrinæ, ac medicinę est falsum, & non est ad propositum. Est falsum, quia non est verum, quod eadem numero sanitas, quæ est in animali, sit in vrina, & medicina: quia sanitas, quæ est in animali, est sanitas formalis: vndè animal formaliter est sanum, sanitas autem, quæ est in vrina, & medicina non est sanitas formalis, alioquin vrina, & medicina dicerentur sana formaliter; sanitas ergo, quæ est in vrina, & medicina non est sanitas formalis, sed signum, vel causa sanitatis formalis. Non est autem ad propositum, quia bonitas, & malitia, quæ est in actu exteriori non est ibi denominatiuè tantum, neque vt in signo, vel vt in causa, sed est ibi formaliter. Vndè actus exterior, scilicet homicidium, non dicitur actus malus causaliter, vel signum mali; sed dicitur formaliter malus. Vndè ille in lege formaliter prohibetur &c.

Confirmatio. 36 Confirmatur: quia actus imperatus est actus voluntaris aptus natus elici conformiter rationi rectæ sicut actus elicitus, ideò potest elici conformiter rationi rectæ, & elici non conformiter rectæ rationi; si primo modo est bonus; si secundo modo est malus, & peccatum: at quicunque actus potest elici, & non elici conformiter rectæ rationi, habere potest propriam bonitatem, & malitiam; ergo actus imperatus malus est malus propria malitia, & non aliena. Licèt ergo mediante actu elicito interiori actus exterior eliciatur, vel conformiter rationi rectæ, vel non; non habet ab illo rectitudinem, & malitiam suam formalem, sed causaliter tantum.

5. Ratio principalis ex Greg. Arimin. 37 Quintò principaliter adduco rationem Gregor. Arim. quam facit eadem distinctione 42. concl. 5. nam licèt conclus. 6. & alijs sit cum aduersarijs, tamen illa concl. 5. tenet, quod actus exterior, & interior sunt duo peccata, quod facit pro nobis; si enim actus exterior est aliud peccatum ab interiori, sequitur, qđ qui peccat actu interiori, & exteriori, magis peccet, quàm qui peccat solum actui interiori: ratio autem eius est. Actus exterior est peccatum, & non est illud peccatum, quod est actus interior; ergo sunt duo peccata. Minor probatur: quia adulterium non est velle adulterari, sed agere adulterium; nec homicidium est velle occidere, sed efficere homicidium; ergo actus interior, & exterior nō sunt idem peccatum.

Responsio Capreoli, Caiet. & aliorum. 38 Respondent Capreolus, Caietanus, & alij, quòd minor potest intelligi dupliciter, scilicet vel materialiter, vel formaliter; vera est materialiter, scilicet, quòd actus interior, & exterior non est idem secundum esse materiale, tamen formaliter sunt idem peccatum: quia eadem est malitia actus interioris, & exterioris: nam actus exterior per se sumptus sine actu interiori non habet malitiam, sed illam accipit ab interiori. Adiungit Caietanus, substantiua non multiplicantur nisi formæ multiplicentur in ipsis: ideò licèt actus exterior, & interior secundum substantiam sint duo actus, non sequitur tamen, quòd sint duo mala, & duo peccata; quia malitia non multiplicatur in eis, sed sunt tantum duo actus habentes eandem malitiam.

Reijcitur. 39 Contrà. In rebus creatis, & seclusa potentia absoluta Dei, forma accidentalis vna numero non potest esse in pluribus subiectis numero distinctis: at malitia est forma accidentalis, sicut etiam bonitas rei: actus interior & exterior sunt duo actus realiter, & numero diuersi, vt patet; ergo malitia eadem numero non potest esse in vtroque istorum actuum secundum suum esse formale; ergo sunt diuersæ malitiæ formaliter in his actibus, & consequenter actus imperatus addit malitiam actui interiori. Vbi nota, quòd dixi, in rebus creatis, ad excludendum Patrem, & Filium in diuinis, qui eadem vi spiratiua formaliter spirant: & ideò nō dicuntur duo spiratores, sed vnus spirator. Et addidi, exclusa potentia Dei absoluta: quia si duo supposita assumerent eandem naturam, vt puta leoninam, non essent duo leones, sed duo habentes eandem naturam leoninam; sed seclusis rebus diuinis, & potentia absoluta Dei, in rebus creatis forma accidentalis vna numero non est in pluribus subiectis numero distinctus; neque enim duo homines possunt esse Grammatici eadem grammatica, neque possunt dici esse habentes eandem grammaticam, & maximè secundum Thomistas, qui volunt, quòd formę accidentales distinguantur numero ad distinctionem subiectorum: ideò eadem malitia numero non potest esse in duobus actibus numero distinctis; dicere autem, quòd actus exterior, scilicet occidere, non sit actus formaliter malus, est omnino inconueniens: quia hic per actum exteriorem non accipimus actum purum potentiarum exteriorum, vt motiuæ, vel generatiuæ, vel sensitiuæ, sed accipimus actum illarum potentiarum, vt subest actui imperato voluntatis: qui quidem cum sit actus voluntatis est capax malitiæ, & bonitatis in se, licèt sobordinetur actui elicito eiusdem: insuper actus imperatus, est, qui formaliter prohibetur, dicit enim lex, *Non occides.*

Confirmatio. 40 Quod confirmare possumus à simili, vt cōfirmat Scotus ex actibus intellectus: nam cōclusio licèt habeat veritatem à principio, tamē habet propriam veritatem distinctam à veritate principiorum: quia habet propriā conformitatem eius, quod affirmatur ad existentiā rei, & ad ipsos terminos conclusionis: non enim conclusio est vera formaliter veritate principij, sed est vera veritate mediata, & demōstrata per principia, & ita habet veritatem demonstrabilem.

6. Ratio principalis 41 Sextò principaliter arguo ex dictis D. Thomę, & Thomistarum. D. Tho. 1. 2. quæst. 20. art. 4. & à Capreolo refertur 42. dist. 2. concl. 2. tenet, quòd actus comparatus

ratus

ratus ad actum interiorem, vt terminus addit bonitatẽ, & malitiam: & ratio eius est, quia omnis motus tunc est perfectus, cum attingit terminum: sed actus exterior est terminus actus interioris; ergo actus interior non est perfectus in bonitate, & malitia, nisi cũ attingit actum exteriorem realiter. Et Caietan. in Commentario illius articuli dubio secundo, dicit, quòd voluntas potest dici perfecta duplici modo: vno modo secundum habitudinem, qua volitum est in voluntate: alio modo secũdum habitudinem, qua voluntas tendit in realem assecutionem voliti: & ait, quòd voluntas parata, si posset, est perfecta primo modo, sed hęc perfectio est perfectio secundum quid, sed est imperfecta simpliciter. Secunda verò est perfecta simpliciter, quia peruenit ad realem assecutionem finis: & dicit, quòd prima voluntas, siuè actus interior solus quantumcunque intensissimus sit, nunquã peruenit ad hoc, vt sit perfectus simpliciter sine assecutione exterioris actus. Quod probat auctoritate Saluatoris Ioan. 5. *Maiorem charitatem nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis. Ponat dixit*, (inquit Caietanus) *non velit ponere*. Ex hoc sic arguo. Ille actus addit bonitatem, & malitiam super actum interiorem, qui ipsum perficit in bonitate, & malitia, & sine quo esset imperfectus in bonitate, & malitia, sed sic est quod actus exterior perficit in bonitate, & malitia actum interiorem; ergo omnia assumpta sunt ab aduersarijs concessa.

7. Ratio principalis. 42 Septimò. Principaliter, & est argumentum principale Scoti quolib. illo 18. Illi actus, qui prohibentur diuersis præceptis, habent diuersas, & distinctas malitias: sed vno præcepto prohibetur actus interior, scilicet, *Non concupiscas rem proximi tui*: per alterum prohibetur actus exterior. *Non furtum facies*; ergo velle furari, & actu furari, sunt actus habẽtes diuersas malitias, & distinctas.

43 Respondẽt Capreolus, & alij, quod in illo præcepto, *Non concupisces*, non prohibetur illa voluntas furandi, quæ est coniuncta actui exteriori, sed illa voluntas furandi, quæ non est coniuncta actui exteriori: quia illa etiam sine actu exteriori habet quandam turpem iucunditatem: illa verò, quæ est coniuncta actui prohibetur illo pręcepto, quo furtum prohibetur. Hæc responsio omnino est nulla: nam si actus exterior nullam addit malitiam super actum interiorem, nõ erat opus prohibere actum exteriorem; sufficiebat prohibuisse actum interiorem, in quo est malitia: actus enim exterior esse non potest sine actu interiori: ideò prohibendo actum interiorem prohibuisset omne peccatum; nam actu interiori posito completo, siuè sequatur actus exterior, siuè non, est idem, & æquale peccatum per eos; ergo non erat cur actus exterior prohiberetur speciali præcepto, & distincto.

8. Ratio. 44 Octauò. Ecclesia damnat errores Petri Abailardi, inter quos hic est præcipuus, quod Deus solum puniat, & punit voluntatem, & quod propter opera non efficitur homo melior, vel peior, nisi fortè in ipso opere voluntas augeatur.

Responsio Gregorij. 45 Respondet Gregorius Ariminensis, quem refert Capreolus, & Medina, Vasquez, & alij sequuntur, quòd hic non fuit error Abailardi: & impudentiæ videtur esse dicere, quòd opinio D. Tho. fuerit damnata ab Ecclesia, cum tot Sancti, & Scholastici eam tueantur, & D. Bernardum, qui diligenter recenset errores Abailardi nunquam hunc errorem hoc modo, quo in argumento narratur, recitare epistola. 194. & 187. Nec Alphonsus de Castro huius erroris meminit.

Reijcitur. 46 Contrà. Nondum videre potui quo loco errores Petri istius Abailardi damnẽtur, ex quo propositio eius damnata formaliter habeatur: tamen stante eo, quod ait Gregorius Ariminẽsis, scilicet quòd art. 13. eius damnatus, esset hic. *Quod propter opera nihil melior, vel peior efficiatur homo*. Opinio hæc Thomistarum videtur illi

errori fauere aliquo modo. Nam per opera bona, & mala communiter intelliguntur opera exteriora, vt furtum, homicidium, &c. quæ lege prohibentur. Et rursus ieiunia, orationes, obseruationes præceptorum, quæ in lege præcipiuntur, non autem actus interiores, licèt etiã illi sint operationes bonæ. Vndè videtur sensus esse, quòd operationibus exterioribus nemo fit peior, vel melior, sed solum operationibus interioribus. Modò hæc est sententia aduersariorum: hæc tamen, salua reuerentia aduersariorum, dicta sint.

47 Nonò. Si vera esset opinio aduersariorum sequeretur, non plus mereri eum, qui actu subijt martirium, quàm eum, qui æquali volũtate vellet martirium idem sustinere, non tamen actu sustineret; & eum qui actu ieiunat, ac eum, qui eadem voluntate vellet ieiunare, sed actu non ieiunaret propter aliquod impedimentum. Consequens autem est falsum: quia opus quo magis est laboriosum, & pœnale, & difficile, tanto est maioris meriti: at actio exterior martirij, ieiunij, & similium sunt actus laboriosiores, & magis pœnales, & difficiliores, quàm actus interiores volendi; ergo. Præterea. Frustrà adderetur opus exterius martirij ipsi voluntati interiori, quod videtur omnino absurdum: qui enim actu subeunt martirium, coronam martirij habent, non qui actu non subeunt &c. 9. Ratio.

48 Respondent Gregorius, & alij Thomistæ, & sequentes illam opinionem, quòd si daretur casus, actus interior martirij esset ita intensus, & perfectus æqualiter, & per omnia, ac actus cum martirio exteriori, & ille actus interior sine martirio esset ita meritorius sicut actus interior cum exteriori. Ad quod facit illud, quod cantat Ecclesia de D. Martino. *O sanctissima anima, quã etsi gladius persecutoris non abstulit, palmam tamen martirij non amisit*, &c. Responsio Thomistarum.

49 Contrà. Ex D. Thoma 1.2. quæst. 20. art. 4. & ex aduersarijs, ideò actus exterior non addit bonitatem actui interiori, quia cum additur actus exterior actus interior quoque crescit: ita quod bonitas, & malitia in actu exterior nõ crescit ex ratione actus exterioris præcisè, sed ex intensione actus interioris. Vndè si maneret actus interior in eodem gradu quãtumcunque augeretur, vel minueretur actus exterior, nunquam actus ille, esset melior, vel peior. Habetur etiam ex eodem D. Th. & ex ipsis loco citato, quod aliqui actus exteriores sunt nati intendere actum interiorem, in quantum sunt delectabiles, & aliqui sunt nati remittere actum interiorem, in quantum sunt pęnosi. Tunc sic. Si vera est opinio aduersariorum, quod actus exterior ex se non addat aliquã bonitatem actui, vel malitiam, sequitur, quòd qui actu suscipit martirium minus mereatur, quàm ille, qui actu exteriori non suscipit martirium, habet tamen voluntatem efficacem suscipiendi illud, sed non adest facultas. Consequens est falsum: ergo. Non puto negarent falsitatem consequentis. Consequentia verò probatur: quia martirium est opus pœnale; ergo eius præsentia est nata magis remittere actum voluntatis, sicut delectabile; vt copula carnalis est apta nata augere; ergo actus interior voluntatis in subeunte martirium actus est minus intensus, quàm illius, qui actu non subit martirium; ergo subeundo martirium actu exteriori, quis minus meretur, quàm non subeundo propter defectum non pręben tis martirium. Reijcitur.

50 Confirmatur ex Scoto in 4. dist. 49. quæst. 9. §. *quo ad secundum articulum*. Quia est impossibile, quòd voluntas per habitum aliquem quantumcumque perfectũ magis habilitetur, & inclinetur ad aliquid volendum, quàm per appetitum naturalem: ideò martyr, siuè homo iustus cum quocumque habitu etiam cum difficultate vult mortem, & est sibi materia patientiæ, quia est contra appetitum naturalem; ergo actus voluntatis interior est minus intensus cum mors est præsens, & actu quis eam subit, quàm solum quando est volita, & est in

voluntate, vt volitum. Idem dicendum de ieiunio, & similibus: ideò opinio Scoti mihi longè probabilior videtur.

10. Ratio.

51 Tandem hæc eadem nostra sententia videtur esse eadem ac opinio D.Tho. Vndè Scotus qui hanc quæstionem tractat, non arguit contra D.Thom. nec ei tribuit opinionem aduersariorum, neque alijs antiquioribus: vndè verisimile est, eos in hac quæstione nõ fuisse discordes in re ipsa, licèt diuerso modo ab ijs sit explicata. Nam D.Thom. 1.2. quæst. 20. art. 4. in argumentis ad oppositum, & pro parte vna probat, quòd actus exterior addit bonitatem supra actum interiorem hoc argumento. Omne agens intendit consequi bonum, & vitare malum: si ergo per actum exteriorem nihil additur de bonitate, vel malitia, frustrà, qui habet bonam voluntatem, vel malam, facit opus bonum, aut desistit à malo opere, quod est inconueniens; ar. verò 3. eiusdem quæst. D.Thom. ait, quod actus interior & exterior sunt vnus actus moraliter, & quod quando actus interior ordinatur ad exteriorem, & non est de aliquo alio obiecto malo, habet eandem malitiam cum actu exteriori. In quarto articulo verò in responsione ad secundum argumentum, quod erat hoc. Eadem est malitia actus interioris, & exterioris. Respondet, quòd est verum de malitia ex fine, siuè ex obiecto: sic enim cum sint vnus actus moraliter haberet vnam malitiam ex genere, quæ est malitia ex obiecto. Et subiungit D.Tho. quòd si consideretur, actus exterior secundum materiam, & circunstantias, & circunstantias debitas, quòd actus exterior addit malitiam actui interiori; & probat ratione nunc supra adducta; quia est terminus, & finis actus interioris, omne autem agens intendit consequi bonum, alioquin frustrà faceret opus exterius bonum, & vitaret malum: & sic concedit, quòd actus exterior addit malitiam interiori. Modo hoc idipsum concedimus nos: concedimus enim, quòd actus interior, & exterior sunt vnus actus moraliter ex obiecto, & sic habent vnam bonitatem ex obiecto, & fine; & dicimus actum exteriorem quoad materiam, & circunstantias, addere malitiam super actum interiorem, tùm quia secundum suam substantiam, & naturam est prohibitus, & carens debita rectitudine, tùm quia est perfectio actus interioris, & consequenter dato, quòd eadem malitia sit in vtroque actu, tamẽ sub diuersa ratione fundatur in illis: quia in vno est sub ratione principij, in alio sub ratione finis, & complementi, & sic accipitur. Præterea. D.Tho. art. illo 3. dicit, quòd actus exterior addit malitiam interiori, quãdo actus interior ordinatus ad exteriorem habet propriam malitiam, at in proposito actus exterior habet propriam malitiam, quia est speciali præcepto prohibitus; ergo &c.

D. Tho. & Scotus concordes.

11. Ratio. Aliæ auctoritates Sacræ Scripturæ, & Scholasticorum pro eadem opinione.

52 Pro hac sententia facit auctoritas Glossæ super illud Exodi 20. *Non mœchaberis*. Vbi sic habet. *Qui opus adijcit voluntati iniquitatem addit iniquitati*. Ergo actus exterior addit malitiã actui interiori, siquidem ex glossa, opus exterius est iniquitas addita iniquitati, quæ est actus interior.

D. Aug.

53 Præterea. D. August. de verbis Domini Sermone 43. Tomo 10. ferè in fine differit de peccato interiori, & exteriori, & videtur pulchrè rem hanc pro nostra sententia diffinire. Nam ibi docet cum Apostolo Paulo, peccatum regnare in corpore nostro mortali, idest concupiscentias malas. D. August. ait, nos istas non facere, quia illæ ex se insurgunt in nobis, sed illas facimus, quando illas perficimus: perficimus autem quando exhibemus illis concupiscentijs membra nostra ad seruiẽdum. Vndè hortatur nos, vt non exhibeamus membra corporis nostri ad seruiendum ipsis concupiscentijs: quia tunc illas perficimus. Vndè inquit. *Perfecisti si decernas faciendum esse adulterium, & ideò non facis, quia locus non est inuentus, quia oportunitas non datur, quia illa fortè casta est, de qua videris esse commotus. Ecce iam illa casta est, & tu adulter es: quare? quia perfecisti concupiscentias*, deinde subiungit. *Quid est perfecisti? in animo tuo faciendũ esse adulterium decreuisti: iam quod adsit, & membra fuerint operata, in mortem deuolutus es*. Ecce quod D. August. primò dicit, quòd cum quis animo decernit facere adulterium, perficit cõcupiscentiam innatam nobis; cum verò membra fuerint operata adulterium, *iam ille in mortem deuolutus est*. Signum est ergo quod actus exterior addit malitiam actui interiori perfecto, cum illi additur; & quòd ille, qui actum exteriorem addit actui interiori, quo decreuit perficere actum exteriorem, sed non potest, magis peccat: quia inquit tunc in mortem deuoluitur. Sed infrà ibidẽ clarius hoc innuit his verbis. *Suscitauit Christus mortuam in domo filiam archisynagogi in domo erat, elata nondum erat; sic est homo, qui flagitium decreuit in corde mortuus est, sed intus iacet, si autem vsque ad membrorum perpetrationem peruenerit, elatus est foras*.

54 Hoc tandem efficaciter confirmatur ex Gloss. in caput. *Si cui*. de pœnitentia dist. 1. quod est caput adductum ab aduersarijs: habet enim sic. *Si cui etiã nõ contingat facultas concubendi cum hac muliere aliena, planum tamen aliquo modo sit, id eum cupere, & si potestas detur facturum esse, non minus reus est, quàm si in ipso facto deprehenderetur*. Glos. super illud verbum, *non minus* dicit haberi contrarium infrà de pœnit. dist. 2. cap. *sicut tribus*, & soluens contradictionem dicit: quod re vera magis reus est, si opus adhibeatur, & illud dictum istius capitis, *si cui*, intelligi quoad sufficientiam æterni interitus: idest, consensus voluntatis in opus exterius sufficit sine opere exteriori ad peccatum mortale. Dat deinde aliam responsionem, quæ nostram opinionem etiã probat ratione à Scoto adducta in his verbis. *Vel dic, quod non minus reus est, idest nihilominus reus est, quamuis ad factum non perueniat, non quia plus non peccet (vt dixi) si opus sequatur; quod patet ex eo, quia prohibitum est, malam voluntatem in opus producere, sic ergo contra prohibitionẽ illam faciens plus peccat: qui ergo opus adijcit volũtati, iniquitatem addit iniquitati*: Ecce quòd apertè dicit, eum plus peccare, qui voluntati adijcit opus exterius: & adducit rationem aductam à Scoto, quia opus exterius speciali præcepto prohibetur, sicut & actus interior speciali præcepto prohibetur. Hoc etiam egregiè comprobat ex dist. 2. de pęnitẽtia cap. *sicut tribus*, quòd est desumptum ex hoc loco citato D. August. vbi ponit tres mortes peccati interioris, operis exterioris, & habitus, quarum secunda est deterior prima, & tertia secunda, & prima.

Efficax locus.

55 Eandem sententiam tenet Magister Sentent. in 2. dist. 42. in principio, vbi respondens ad quæstionem illam, An actus interior, & exterior sint vnus actus, vel duo, adducit responsionem quorundam, & eam non reijcit, vndè approbare videtur; quæ est, quòd actus interior & exterior sunt vnum peccatum: quia vnus contemptus in vtroque actu, sed minor cum in voluntate solum peccatum continetur, maior verò cum voluntati etiam operatio adiungitur, & ideò fit maius peccatum, sed non plura peccata.

Magister Sent.

56 Alexander Alensis 2. p. q. 96. m. 3. a. 3. §. 3. apertè sentit nobiscum: nam respondens huic quæstioni, An ex actu exteriori, & intentione fiat vnum peccatum, inquit, quòd peccatum habet duas rationes: prima est carentia, & defectus boni: secunda est esse voluntarium. Ratione secundæ radicis scilicet voluntarij est vnum peccatum: quia eadem voluntate vult actum exteriorẽ, quando illi est coniuncta; si verò consideretur secundum primam rationem & radicem, inquit, quòd est duplex peccatum: quia est duplex defectus boni: nam actus exterior habet defectum boni: quia non est circa debitam materiam, actus interior etiam caret debita bonitate: quia est auersio à Deo. Quæ omnia ex disput. sequenti magis confirmabuntur, &c.

Alex. Alensis.

Rationes pro prima opinione soluuntur. Cap. III.

Distinctio notãda pro respõsione ad oẽs auctoritates ĩ oppositũ.

57 PRo responsione ad auctoritates pro prima opinione, & pro solutione rationũ eiusdem, est notanda hæc distinctio. Actus interior bonus duobus modis considerari potest: vno modo quo ad bonitatem requisitã ad perfectionem actus ad hoc, vt sit plenè, & perfectè bonus: alio modo quo ad quantitatem bonitatis actus, siuè quantum ad perfectionem actus in bonitate; neque enim hæc idem sunt, sed valde differunt: quia in actibus plenè, & perfectè bonis dantur gradus; vnus enim est magis bonus alio etiam in eodem genere: & similiter actus malus duobus modis considerari potest, vno modo quo ad malitiam requisitam illi, vt sit actus perfectè malus: alio modo quo ad quantitatem, siuè intentionẽ, aut extensionem malitiæ. Primo modo actus interior bonus nullam sumit bonitatem ab actu exteriori; neque actus malus sumit malitiam ab actu exteriori: quoniam actus voluntatis, quo efficacius, & quantum est ex se vult obiectum bonũ, est actus perfectè bonus, ac si actu efficiat actum exteriorem; & similiter actus interior voluntatis, quo vult aliquod obiectum malum efficaciter; & quantum est ex se, si posset, est actus perfectè malus absque actu exteriori. Sed actus bonus consideratus secundo modo, scilicet ratione quantitatis bonitatis; & actus malus consideratus ratione quantitatis malitiæ, actus interior bonus recipit bonitatẽ ab actu exteriori, qa addit aliam bonitatem, nempè illam, quæ cõpetit actui exteriori ex se; & actus exterior malus addit malitiam, quæ competit actui exteriori ex se: & sic est magis malus actus interior cum exteriori, quàm solus. Ad propositum, Sancti Patres quando dicunt, quòd actus interior, quo quis vult facere opus exterius efficaciter, non tamen efficit, quia non potest, reputatur pro facto, & est apud Deum ac si fecisset opus exterius, intelligunt primo modo, non secundo. Pro cuius intelligentia sciendum est, quod apud aliquos peccata interiora voluntatis videntur esse parui nocumenti, & quasi non esse peccata, nisi sequatur actus exterior. Ideò Sancti Patres hos valde reprehendunt, & ostendere nituntur, quòd peccatum interius etiam sine opere exteriori habet plenam rationem bonitatis, vel malitiæ: itaquod si est bonus est verè meritorius, si est malus est verè peccatum: quando scilicet consensus voluntatis in opus malũ est perfectus, plenus, & non subreptitius, vel semiplenus: quia talis actus non est peccatum mortale, vt suo loco dicam. Quando autem actus voluntatis sit plenus, & perfectus, maximè cognoscitur ex hoc, quando quis obiectum exterius consequeretur si posset, & non esset impeditus. At Sancti Patres non intendunt asserere quòd actus bonus, & malus interior solus secundo modo cõsideratus sit æquè bonus, & malus, ac quãdo illi est additus actus exterior, vt patet ex auctoritatibus D. August. superiori capite adductis, & maximè ex secunda in fine ferè cap. adducta: quia quo ad perfectionem in bono, & malitiam in malo, actus interior iunctus exteriori crescit in bonitate, & malitia.

Ad oẽs auctoritates ĩ oppositũ.

58 Hinc ad omnes auctoritates respondere possumus, quòd illæ intelliguntur de bonitate actus quo ad hoc, vt actus sit verè, & plenè bonus, vel malus, præmiabilis, vel punibilis apud Deum: hoc enim modo actus interior nõ recipit ab exteriori aliquam bonitatem, vel malitiam, sed in seipso habet totam bonitatem, & malitiam requisitam, non autem intelligunt de bonitate, & malitia, quantum ad quantitatem, & grauitatem malitiæ, & bonitatis: & hoc modo præsertim intelligitur prima auctoritas ex D. Augustino ex primo libro de libero arbitrio.

Ad primã.

Ad secundam.

59 Ad secundam ex D. Ioan. Chrisost. respondetur, quòd per illam habetur, actum exteriorem recipere imputabilitatem ex actu interiori voluntatis, quòd est verissimum: nam opus externum adulterij, & similia, ideò sunt peccata, quia sunt voluntaria. Vndè D. Ioan. dicit, quòd apud Deũ sola voluntas remuneratur pro bono, & condemnatur pro malo: at ex hoc nõ habetur, quòd actus exterior additus interiori non crescat malitiam.

60 Ad tertiam respondetur vt ad primam. Nam etiã D. August. sæpè habet eandem propositionem; Voluntas pro facto reputatur; & tamen concedit, opus exterius addere miseriam, & maiorem offensionem, quàm solus actus interior. Ad tertiam

61 Ad quartam per idem. Nam sensus est, quòd si quis velit ieiunare, & non possit Deus acceptat actum illum pro meritorio, ac si ieiunaret actu exteriori; non tamen habetur, quod actus ille interior pro tanto merito, & valore acceptetur à Deo, pro quanto acceptaretur simul cum actu exteriori propter rationes superius adductas. Ad quartã.

62 Ad quintam eodem modo, sensus est enim, quòd prõpta voluntas acceptatur pro facto, sed non habetur, quòd tantum acceptetur sine facto, quãtum cum facto. Ad quintã.

63 Ad sextam, quæ est ratio, respõdetur, quòd actus à voluntate non habet bonitatem, vel malitiam, sed imputabilitatem; ex seipso autem habet bonitatem & malitiam, scilicet, quia vel est conformis rectæ rationi, vel caret conformitate ad illam, & non habet requisita ad bonitatem actus, vel malitiæ. Ad propositum dicimus, quòd actus exterior non addit malitiam actui interiori ratione nouæ libertatis, sed ratione propriæ malitię, quę est alia carentia bonitatis differens à carentia bonitatis actus interioris. Ad sextam

64 Ad septimam respondetur, aliquid impedire bonum alicuius alterius potest contingere duobus modis: vno modo per se, & directè, & sic est inconueniens: alio modo per accidens, & indirectè. Sicut per accidens, & indirectè quis potest esse causa augumenti bonitatis, & meriti alicuius, vt patet in martiribus: nisi enim fuissent tyranni, martyres non fuissent passi, & sic non meruissent tantum quantum meruerunt: fuissent enim solum Confessores, & hoc tempore multi non sunt martyres: quia illis non offertur occasio, quòd si illis offerreretur, subirent martyrium, & sic plus mererentur quàm faciunt. Ita cum adest impedimentum addendi opus exterius malum interiori, illud impedimentum tollit maiorem malitiam, & gratias agere debemus Deo de tali impedimento, quod non esset faciendum, si opus exterius non adderet aliquam malitiam. Ad septimam.

65 Ad octauam iam dictum est, quòd actus exterior habet imputabilitatem à voluntate: quia non est peccatum nisi sit voluntarium, & hac ratione potest dici habere malitiam ab actu interiori; sed tamen ex se ipso habet propriam malitiam, scilicet carentiam rectitudinis debitæ: quia est prohibitus, & secũdum hanc rationem addit malitiam super actum interiorem. Ad octauã.

66 Ad nonam. Actus exterior est effectus actus interioris ratione libertatis, nõ ratione malitiæ: habet enim propriam malitiam ex se distinctam a malitia actus interioris: tamen quantum ad imptabilitatem: quia est imperatus à voluntate, habet ab illa imputabilitatem; & hac ratione potest dici habere à voluntate malitiam. Præterea, suprà ratione quarta contra aduersarios ostensum est, exemplum illud de sanitate, & vrina non esse ad propositum, nec esse simile &c. Ad nonam

67 Ad decimam dicitur, quòd malitia actus exterioris non potest dici nec maior, nec minor, nec æqualis; quia non est malitia eiusdem generis cum malitia actus interioris; cum enim sit actus diuersus secundũ substantiam, habet etiam suam rectitudinem, & malitiam distinctam. Loquendo tamen eo modo, quo potest comparari ad actum interiorem, potest dici, quòd actus exterior duobus modis potest considerari: vno modo vt est actus potentiarum exteriorum præciso actu voluntatis: alio modo, vt includit actum imperatum voluntatis. Ad decimã

tatis. Primò modo habet minorem malitiam, quàm actus interior, quia habet solum suam propriam malitiam formalem, quæ est carentia propriæ rectitudinis debitæ; sed actus interior semper habet carentiam debitæ rectitudinis, & sic habet malitiam propriā formalem; & vlterius habet imputabilitatem, quia est voluntarius. Secundò modo verò actus exterior habet maiorem malitiam, quia habet propriam malitiam formalem, scilicet carētiam debitæ rectitudinis; & insuper habet actum imperatum, qui est actus voluntatis, qui facit eum imputabilem. Tertiò præsupponit semper actum elicitum interiorem voluntatis, & sic addit malitiam super actum interiorem elicitum. Vndè sicut circunstantia adulterij facit peccatum luxuriæ maius, quàm peccatum simplex fornicationis, quia vltra propriam malitiam, presupponit peccatum fornicationis, & addit propriam malitiam super illud: ita actus exterior præsupponit actum interiorem elicitum peccati, & insuper addit actum imperatum voluntatis, & actum exteriorem speciali lege prohibitum, qui habet propriā malitiam, vt dictum est, & sic addit malitiam. Hinc ad argumentum; cum dicitur. Si occidere est malum vt quatuor, velle occidere est malum vt quatuor. Nego consequentiā, quia occidere includit actum exteriorem, qui habet suā malitiam formalem: includit etiam actum voluntatis imperatum, per quem est imputabilis, & denique præsupponit actum elicitum voluntatis, quo vult homicidium: ideò actus exterior semper addit malitiam, & proinde si occidere est maiū, vt quatuor, actus interior, volo occidere, erit malus vt duo, vel vt tria: semper tamen erit minus malum. Et cū probatur illa consequentia per illam rationem, quia valet hæc consequentia; volo peccare vt quatuor; ergo pecco vt quatuor. Respondetur, quòd non est simile: quia hæc consequentia, volo peccare vt quatuor, ergo pecco, vt quatuor, valet; quia non fit transitus ab actu interiori ad exteriorem, sed statur intra actum interiorem: at in nostro quæsito fit transitus ab actu interiori ad exteriorem: ideò non est ad propositum.

Ad vndecimam, quæ est prima ratio Scoti.

68 Ad vndecimam, quæ est prima ratio Scoti, ipse Scotus eodem quolib. loco citato sic respondet: concedendo, quòd eadem est veritas actus intelligendi, & ipsius obiecti, licèt diuerso modo eisdem competat: nam veritas illa competit actui intelligendi formaliter: ille enim est, qui formaliter est verus, obiecto verò competit obiectiuè, siuè inquātum virtualiter illam veritatem continet, & actus intellectus ab illo denominatiuè dicitur verus: ita bonitas actus voluntatis, & bonitas obiecti voliti est eadem. Et similiter dicendum est de malitia vtriusque, sed tamen adest hæc differentia, quòd illa bonitas competit actui voluntatis formaliter, & obiecto ipso obiectiuè, siuè virtualiter: vndè ab illo actus voluntatis denominatur bonus; tamē actus voluntatis preter illam bonitatem, quam recipit ab obiecto, potest habere propriam bonitatem distinctam à bonitate obiecti, quatenus ponitur in esse reali proprio: sicut enim habet proprium esse reale, ita habet propriam conuenientiam, & propriam inconuenientiam ad rectam rationem, & sic actus voluntatis habet propriam bonitatem, & malitiam distinctam ab obiecto, qui est actus exterior.

Ad duodecimam.

69 Ad duodecimam respondet, quòd argumentum illud deduci potest ad oppositum, vt fecimus superiori cap. ratione quarta: nam si actus exterior habet suam bonitatem, & malitiam ab actu interiori; ergo habet diuersam malitiam; quia idem non potest esse causa sui; sicut alia est veritas cōclusionis, & principiorum; ita alia est bonitas actus eliciti volūtatis, & alia est bonitas actus imperati: quia vterque habet suam conuenientiam, & disconuenientiam ad rectam rationem, licèt conuenientia, & disconuenientia vtriusque sit respectu eiusdem rectitudinis, siuè dictaminis.

Ad tertiam decimam.

70 Ad tertiamdecimam respondet Scotus longo sermone, & docet multa pulchra pertinentia ad declarandam propositam difficultatem, quæ supra adduximus, præsertim secunda ratione. Ad propositum respondet, quòd duplex est iustitia, & iniustitia, altera habitualis, & altera actualis; habitualis nempè habitus virtutis, & vitij est in sola voluntate, quia habitus habent esse per modum quietis in aliquo subiecto, ideò illud est voluntas: sed iustitia actualis est rectitudo actus, quę simul est & transit cum ipso actu: hæc autem est duplex, primaria, & secundaria: primaria est iustitia, & rectitudo actus voluntatis interioris, scilicet eliciti, & hæc est in voluntate, quia est in actu voluntatis; sed iustitia actualis secundaria est in actu exteriori formaliter, siuè in actu imperato: est verò in voluntate causaliter, & sic potest dici iustitia, & rectitudo voluntatis. Et sic patet, quòd etsi malitia, & iniustitia particularis sit in actu exteriori adhuc, tamen potest dici, quòd sit quoque in ipsa voluntate.

Ad decimā quartam.

71 Ad quartamdecimam respondet ibidem, quòd triplex est auersio ab vltimo fine. Alia est, quæ est nolitio actualis ipsius finis, & hæc est odium Dei, quod est peccatum speciale; talis autem auersio non est in quolibet peccato, quia clarum est, quòd multi peccant, nec actu considerant de Deo, vel si de illo cogitant, illum ex malitia sua respuunt. Alio modo sumitur auersio pro nolitione Dei nō actuali, sed quasi virtuali, quæ est, quando aliquis vult aliquid, quod est contra præceptum Dei: tunc enim virtualiter auertitur à Deo, licet non formaliter. Tertio modo accipitur auersio pro quacunque inordinabilitate, quæ separat à fine vltimo, siuè fiat volendo, siuè imperando: & hoc modo illa inordinabilitas ad Deum, quæ est in actu imperato, potest dici auersio. Duæ priores sunt in voluntate, tertia est in potentijs inferioribus, quibus voluntas imperat. Ad argumentum cum dicitur, quòd non est nisi vna auersio in actu interiori, & exteriori, est verum accipiendo auersionem altero duorum primorum modorum: immò talis auersio non est nisi in actu interiori: & accipiendo hoc modo auersionem, negatur, quòd hæc sit ratio formalis peccati: auersio ergo, quæ est ratio formalis peccati est auersio tertio modo dicta, scilicet inordinabilitas ad finem vltimum. Et tunc negatur, quòd vna, & eadē sit in actu interiori, & exteriori; dicimus enim, quòd est duplex, at alia est in actu interiori, & alia in actu exteriori: quia vterque actus est natus ordinari ad finem vltimum, & cōformari ad rectam rationem: ideò inordinabilitas in vtroque, & carentia eiusdem in vtroque est auersio, & sic sunt duæ auersiones.

72 Quod dicitur etiam, quòd in vtroque actu est vna libido, respondet, quòd si libido ibi intelligatur improba voluntas, hoc est immoderatum velle, libido formaliter non est in omni peccato, sed concurrit ad quodlibet peccatum, vel causaliter, vel formaliter. Ad argumentum ergo respondetur, quòd in actu interiori, & exteriori est vna libido, sed differenter: in actu interiori est formaliter: in actu exteriori verò, scilicet imperato, est causaliter, idest dependenter ab actu interiori &c.

DISPVTATIO III.

Vtrùm bonitas, & malitia exterioris actus dependeat ex bonitate, & malitia interioris actus.

Aliorum opinionibus reiectis, opinio Scoti comprobatur. Caput Primum.

1 Dictum est in superiori disputatione, actum exteriorem addere malitiam super actum interiorem. Verùm hoc videtur difficile: quia secundum communem opinionem, eadem videtur esse bonitas, & malitia actus interioris,

&

& exterioris, cum exterior sit iunctus interiori: furtum enim exterius videtur esse vnicum peccatum, & vnicam habere malitiam; vidēdum est ergo quomodo hæc malitia insit istis duobus actibus, An scilicet vni primariò competat, & per illum in alterum deriuetur, An sint duę malitiæ, quarum vnaquæque competat suo actui, & si sunt duæ malitię, quomodo ex his fiat vna malitia, siquidem vnum peccatum numero vnicam habet malitiam; actus autem interior, & exterior videntur esse vnum peccatum, vt infrà videbimus: qua in re sunt diuersæ opiniones, & res hæc diuerso modo explicatur.

Prima opinio afferēs malitiā esse in actu īteriori, formaliter, & primario.

2 Prima ergo opinio videtur esse multorū antiquorum Theologorum in 2. Sent. dist. 42. qui videntur asserere, malitiam formaliter, & primariò esse in actu interiori voluntatis, secundariò, & per deriuationem esse in actu exteriori. In hac sententia sunt D. Bonau. in 2. Sent. dist. 42. art. 1. quæst. 1. in corpore, & in responsione ad tertium. Ricardus eadem dist. art. 1. quæst. 1. ad tertium, idem omninò docet, quòd D. Bonauent. Durandus eadem dist. quęst. 1. num. 6. & 7. Citantur quoque Gabriel ibidem q. 1. ar. 1. notatione 2. & Okam quodlib. 1. q. 20. & in 3. q. 10. ad tertium. Scotus etiam in 2. dist. 42. §. *Ad quæstiones istas*, & §. *Ad secundam quæstionem*, & §. *Ad tertiam quæstionem*, tenet enim ibi, quod malitia primò, & formaliter non est nisi in aliquo actu voluntatis. Ex hoc autem sequitur, quòd actus exterior non habet primò, & per se malitiam, sed ab alio, scilicet ab actu interiori voluntatis. Sed de opinione Scoti dicemus capite sequenti.

1. Ratio.

3 Pro hac opinione adducuntur pręcipuè istæ rationes. Actio humana eatenus est bona, vel mala moraliter, quatenus est voluntaria, & libera: at ratio voluntarij, & liberi primò, & formaliter competit actui interiori, scilicet voluntatis, secundariò, & mediante illo, actui exteriori; ergo bonitas, & malitia est primò, & formaliter in actu interiori, secundariò verò in actu exteriori. Omnia assumpta patent.

2. Ratio.

4 *Secundò. Si actio exterior ex se, & formaliter haberet propriam bonitatem, & malitiam posset opus exterius esse bonum, & malum per se, secluso actu interiori voluntatis. Consequens est falsum; ergo. Consequentia est euidens: quia quod ab alio non dependet, potest sine eo manere. Falsitas consequentis quoque est euidens: quia certum est, quòd homicidium casuale, & inuoluntarium non est peccatum, nec malum, & sic de alijs. Etiam opus bonum exterius coactè factum non est bonum, nec meritorium. Confirmatur, quia actio eadem exterior potest esse bona, & mala absque eo, quod in se varietur, si actus interior varietur; ergo actio exterior non habet malitiam, & bonitatem suam ex se. Antecedens patet: quia si ieiunium factum propter honorem Dei est bonum, factum verò propter innanem gloriam est peccatum, hic est variatio solum actus interioris voluntatis.

3. Ratio.

5 Tertiò. Si actio exterior haberet aliquam bonitatem in se formaliter, & non deriuatam, ista necessariò esset aliquid præter substantiam actus. Tunc quæritur quid illa sit; non erit quid absolutum: quia nihil tale in actu exteriori reperitur, quòd non pertineat ad substantiam actus. Neque erit aliquod respectiuum, quia si esset aliquod respectiuū maximè videretur esse respectus hic, quòd actus exterior dependet ab actu interiori; ab illo enim imperatur: at hæc relatio non est sufficiens facere actum exteriorem habere propriā malitiam: quia tunc sequeretur, quod etiam actiones animalium brutorum, & causarum naturalium haberent malitiam formaliter, & propriam. Consequentia probatur: quia etiā actiones brutorum possunt imperari à voluntate hominis, vt patet in domitoribus equorum, auium, & aliorum brutorum, & etiam rerum inanimatarum: hoc autem est absurdum, quia tunc sequeretur, quòd incendiū domus factum per applicationem ignis ad domum esset actus malus formaliter: & actio bruti pascendi in agro alieno esset peccatum in se, si volūtate humana ad id applicaretur, quæ omnia videntur ridicula.

4. Ratio.

6 Quartò. Ex eadem opinione sequitur, quòd aliquis simul posset peccare actu, & esse in gratia, & hoc secundum legem ordinatam Dei. Consequens est absurdum; ergo. Consequentia probatur, quia potest aliquis propinari venenum alicui quod ad certum tempus inferat mortem; poterit deindè ille pœnitere de hoc peccato propinationis veneni, & agere pœnitentiam, & obtinere gratiam; ergo tunc ante mortem illius, cui propinauit venenum, erit in gratia, & erit simul in peccato: quia actio illa venenationis adhuc duraret, ille autem ex se est peccatum formaliter ex aduersario: quia a voluntate humana est imperata; ergo simul erit in peccato mortali, & in gratia, quod repugnat de lege Dei ordinaria.

2. opinio, quę asserit, bonitatē & malitiā esse formaliter in actu exteriori.

7 Secunda opinio asserit bonitatem & malitiam primariò esse in actu exteriori, secundariò, & deriuatiuè in actu interiori, & hæc est D. Tho. 1. 2. quæst. 20. art. 2. & suorum sectatorum, & aliorum; licèt ab illis diuerso modo explicetur. D. Thomas ergo loco citato distinguit de bonitate, & malitia actus: alia enim, inquit, est bonitas, & malitia conueniens actui ex materia, & circunstantijs, alia verò conuenit actui ex fine. De priori nunc est sermo; de secunda infrà dicemus. Loquendo ergo de bonitate, & malitia, quæ competit actui ex materia, & circunstantijs, dicit D. Thom. quòd hæc competit actui exteriori primariò, & formaliter, actui verò interiori competit secundariò, & deriuatiuè.

Opinio D. Thom. varijs modis exponitur.

8 Cæterum hæc opinio diuersis modis à Thomistis, & aliquibus alijs exponitur. Nam aliqui eam intelligūt modo exposito: ita scilicet, vt malitia, quam actus exterior habet ex materia, sit in ipso formaliter, & vt obiectum eam communicet actui interiori, cuius est obiectum; malitia verò, quam habet, vt voluntarius, eam habet ab actu interiori denominatiuè, & secundariò, & hęc est opinio Ferrariensis 3. contra gentiles c. 10. §. *Circa tertium*, & recentiorum Thomistarum. Ratio est, quia actus exterior (& hæc est ratio D. Thomæ,) habet suam bonitatem, & malitiam ex relatione ad rationem rectam. Si enim est conformis rectæ rationi, quia scilicet est circa debitum obiectum, & cum debitis circunstantijs, actus exterior est bonus; si verò est circa materiam non conuenientem, neque cum debitis circunstantijs, actus est malus. Cum autem actus voluntatis recipiat bonitatem, & malitiam ex obiecto, & ex circunstantijs, sicut omnis actus moralis, hinc fit, quòd malitia actus exterioris communicatur actui interiori: quia est eius obiectum: cum enim voluntas vult furtum, actus ille voluntatis est malus: quia est circa obiectum malum, & non cōforme rationi rectæ; cum verò vult ieiunium, orationem, & similia actus interior est bonus, quia est circa obiectum bonum, quòd obiectum est actus exterior, & sic ab actu exteriori deriuatur bonitas, & malitia in actum interiorem. Subiungūt deinde, etiam posse dici, bonitatem, & malitiam esse primariò in actu interiori, & secundariò in actu exteriori, nimirum si consideretur actus exterior quatenus est imperatus ab actu interiori elicito voluntatis; sic enim malitia, quæ inest actui ratione qua est voluntarius, primò est in actu elicito: deindè secūdariò deriuat in actū exteriorem: quia ille actus exterior est exequutio actus interioris. Hæc secunda pars probatur rationibus duabus prioribus adductis pro præcedenti opinione. Prima pars verò, præter rationem supra adductam, quæ est D. Thomæ, & Scoti, vt videbimus, istis alijs rationibus probari solet.

1. Ratio. (*beside "Ratio est," in § 8*)

9 Secundò ergo sic probatur. Ista propositio est vera, velle furari, ideò est actus malus: quia furari est actus malus non è contra; ergo actus voluntatis sumit malitiā ex actu exteriori, non è contra. Antecedens est verum: nam ideo velle furari est malum, quia est circa materiā, & obiectum prohibitum, quod est furari.

2. Ratio.

Tertiò.

3. Ratio.

10 Tertiò. Sicut bonum delectabile cõparatur cum potentia ſenſitiua, ita bonum honeſtum cum voluntate, & appetitu rationali: at bonum delectabile habet ſuam bonitatem obiectiuam ex ſe, & eam cõmunicat actui; ergo bonum honeſtum, & malum illi oppoſitum habet ſuam bonitatem, & malitiam ex ſe ipſo, & illam communicat actui voluntatis.

Modus dicendi Caietani.

11 Caietanus verò in comment. illius ſecundi art. eſt valdè obſcurus, & quæ dicit minimè neceſſaria ſunt. Tamen, vt etiam obſeruauit Vaſquez diſput. illa 73. cap. 3. videtur velle, quòd bonitas, & malitia ſit quidem in actu exteriori formaliter, & non denominatiuè tantum: tamen non vult, quod illam habeat ex ſe, & primariò, ſed vult quòd actus exterior, vt eſt obiectum actus interioris, communicet bonitatem, & malitiam actui interiori non formaliter, ſed denominatiuè denominatione extrinſeca, & mediante actu interiori, poſtea illam cõmmunicet actui exteriori formaliter quatenus in exequtione ponitur. Quod declarat exemplo: nam ſanitas hominis denominat medicinam ſanam denominatione extrinſeca; (neque enim medicina eſt formaliter ſana, ſed denominatione extrinſeca) medicina tñ eſt cauſa ſanitatis formalis in homine. Ita in ꝓpoſito, actus exterior malus, vt obiectum voluntatis denominat voluntatis actum malum denominatione extrinſeca, per actũ autem interiorem volũtatis denominat actum exteriorem malum formaliter, qui eſt cauſa exequtiua illius, & ſic facit eum formaliter malum.

Opin. Caietani reijcitur.

12 Quorſum hæc dicat Caietanus, vt dixi, non video. Sunt obſcura, & rem non declarat. In primis autem notandum eſt, Caietanum ſibi contradicere: nam artic. 3. eiuſdem quæſtionis, vt ſolueret argumenta Scoti, dicebat, malitiam in actu exteriori eſſe ſolum denominatiuè denominatione extrinſeca, vt vidimus diſput. præcedenti: nunc autem dicit, malitiam in actu exteriori eſſe formaliter, non denominatiuè denominatione extrinſeca. Secundò notandum id, quod ait, actum exteriorem, quatenus eſt obiectum actus interioris, tribuere malitiam actui interiori denominatione extrinſeca, & actũ interiorem poſtea eandem malitiam in exequtione tribuere actui exteriori, eſſe vanum: quia, vt rationes ſuperius factæ etiam ex D. Thoma oſtendunt, actus exterior habet illam malitiã, non ex volũtate, neque ex actu interiori, ſed ex relatione ad rationem; licèt habeat à voluntate rationem imputabilitatis, vt dicam explicando opinionem Scoti. Eſt etiam illa aſſertio omninò contra D. Thom. quia ipſe apertè ait malitiam, quæ eſt in actu exteriori, quæ eſt ex materia, & circunſtantijs, non prouenire à voluntate, ſed à ratione; ergo dicere, quod actus exterior, vt obiectum tribuat malitiam actui interiori, ſcilicet voluntati denominatione extrinſeca, & deinde ab actu ipſo interiori, & voluntatis cauſari, & communicari, in exercitio actui interiori, eſt repugnare apertè Doctrinæ D. Tho. qui vult, quòd illa malitia, quæ formaliter eſt in actu exteriori, illi inſit à ratione, non à voluntate, vt diximus.

Modus dicendi Vaſquez.

13 Vaſquez verò diſp. illa 73. cap. 5. tenere videtur, vtramq; malitiã eſſe formaliter, & primariò in actu exteriori: ſuſtinet enim contra Thomiſtas priori loco adductos, Ferrarienſem, & alios, quòd actus exterior malus eſt malus non ſolum quia eſt obiectum tribuens malitiã radicaliter actui interiori, vt dicebãt illi, ſed quia etiam eſt malus, tanquam actio moralis, quæ eſt capax pęnæ, & ſupplicij, atque etiam meriti. Apud eum autem actio moralis eſt actio voluntaria; ergo in eius ſententia actus exterior primariè, & formaliter eſt malus; non ſolum quia eſt obiectum malum ex materia, & ex circunſtantijs, & propter hoc dat malitiam actui interiori, ſed etiã quatenus eſt voluntarius, & hac ratione quoque tribuit malitiam actui interiori.

1. Ratio.

14 Hanc ſententiam probat duabus rationibus, quarum prima probat, quòd actio exterior eſt primariè, & formaliter mala quauis malitia, & eſt hęc. Illa actio moralis eſt formaliter, & primariò, & nõ ratione alterius, mala, quæ lege prohibetur, vel apta nata eſt prohiberi; ſed actio exterior conſiderata in ſe, & vt eſt obiectum actionis interioris, eſt huiuſmodi; ergo. Maior eſt clara: minor probatur faciliter: quia in lege prohibentur actus exteriores, homicidia, furta, &c.

2. Ratio.

15 Secunda ratio probat, quòd malitia tota deriuet ab actu exteriori in interiorem, & eſt hæc. Illa actio, cui ſecundariè conuenit eſſe prohibitam, aut prohiberi poſſe, & non ratione ſui, ſed ratione alterius, non poteſt habere primariè, & per ſe, malitiam, ſed habet eam deriuatam aliundè: huiuſmodi eſt actio interior; ergo. Maior videtur eſſe euidens. Minor patet: quia prohibetur, in lege velle furari, quia prohibetur furari: quoniam enim non licèt furari, ideò neque licèt velle furari. Actus ergo interior habet omnẽ malitiam ẽt moralem, ſiuè, vt ipſe intelligit, etiam quæ ſibi ineſt, vt voluntaria, & libera.

Reijcitur.

16 Hæc opinio rem confundit, & eſt omninò irrationalis. Nam certum eſt, quòd ratio voluntarij primò ineſt actui interiori voluntatis, ſecundariò verò actui exteriori, ſi quidem exterior eſt imperatus ab interiori: ideò eſt pœnitus irrationabile, dicere, quòd malitia, quæ ineſt actui exteriori quatenus voluntario inſit illi primò, & per illum deriuet in actum interiorem. Rationes autem eius procedunt ex falſo intellectu iſtius rei, vt patebit ex dicendis in explicatione opinionis Scoti.

Malitia ex fine primariò ineſt actui interiori, ſecundariò exteriori.

Malitiam verò, quæ ineſt actui ex fine, rectè D. Tho. & omnes aſſerunt ineſſe primariò, & formaliter actui interiori voluntatis, ſecundariò verò, & deriuatiuè ineſſe actui exteriori. Quod facilè probatur, & declaratur exemplo. Cum quis facit eleemoſynam pp inanem gloriã, actus exterior eleemoſynæ in ſe nõ habet malitiam, ſed ſolum habet malitiam ex fine, ad quem ordinatur à voluntate: quia ergo voluntas ordinat illam actionem ad malum finem, ipſa volũtas primariò eſt mala, & eius malitia ſecundariò, & denominatione extrinſeca ineſt actui eleemoſynæ. Idem dicendum, cum quis occidit aliquem propter vanam gloriam, homicidium, vt eſt actus in ſe conſideratus, eſt malus ex materia, & ſic eſt primariò malus; quatenus verò ordinatur à voluntate, vt medium ad inanem gloriam, vel furtum, & huiuſmodi, eſt malus ſecundariò, & deriuatiuè malitia proueniente ab actu interiori voluntatis ordinantis, & volentis illud, vt medium ad alium actum malum. Hic autem diſtinguit Vaſquez de fine duplici: alius eſt, qui eſt operatio noſtra, vt cum quis appetit voracitate aliquid vt delectabile per ſe: alius eſt non operatio noſtra, ſed aliquid extrà, vt operatio alterius, vt cum quis appetit inanem gloriam. Et primo modo ait, malitiam non eſſe primariò in actione interiori, ſed exteriori, & in hoc reprehendit Caietanum. Secundo modo verò ait, eſſe primariò in interiori, ſecundariò in exteriori. Ego verò hanc litem puto nullius eſſe momenti: nam cũ finis eſt res prohibita, & mala, ſiuè ſit operatio noſtra, ſiuè operatio alterius, quam nos vitare debemus; ſemper ordinare aliquam operationem ad illum finem conſequendum eſt actio formaliter & primariò, ac de ſe mala, & malitia eius deſcendit in actum exteriorem, qui ſi per ſe non ſit malus, vt facere elemoſynam, propter ordinationem voluntatis ad malum, eſt malus; ſi verò etiam in ſe ſit actus malus, habet duplicem malitiam, ſcilicet ex propria materia, & ſecundariò ex ordinatione ad malum finem.

Opinio Scoti.

17 Nullus eſt qui hanc rem explicatius declaret, quã Scotus. Notandum eſt ergo ex ipſo in quolib. 18. art. 2. vt dixi diſput. præcedenti cap. 2. ratione ſecunda, quod in actu morali duo ſunt. Primum eſt bonitas, & malitia moralis. Secundum eſt imputabilitas, propter quam aliquis de actu bono laudatur, & de malo vituperatur: laudatur enim homo, & vituperatur de actu bono, vel malo, quando ſibi imputatur; non autem quando ſibi

non

non imputatur. Notandum est secundò, quòd ista duo insunt actui, sed non ab eodem formaliter: nam bonitas inest actui ex ratione; ille enim est actus bonus, qui est conformis rectæ rationi, & ille est malus, qui est difformis, & dissentaneus à recta ratione; ex comparatione ergo ad rationem rectam oritur bonitas, vel malitia moralis in actu: imputabilitas verò inest actui ex libera potestate agentis: actus enim malus non imputatur alicui ad demeritum, nisi actus ille sit in potestate liberæ suæ voluntatis ad faciendum illum, vel non faciendum. Et similiter actus bonus non imputatur alicui ad meritum, nisi actus ille sit in mera potestate sua libera ad fieri, vel non fieri: in necessarijs enim nõ meremur, nec demeremur. Laudabile autem, & vituperabile important ambo ista: quia licet formaliter dicant hoc, quod est imputabile cum determinatione illius, ad quod est imputabile, tamen materialiter cõnotant illud, propter quod ipsum est ad hoc imputabile, scilicet bonitatem, & malitiam, propter quæ ad præmium, vel pœnam est imputandum. Vndè ille actus est laudabilis, qui est conformis rectæ rationi, & est in potestate nostra, & actus ille dicitur vituperabilis, qui est difformis rationi rectę, & est in potestate nostra. Imputabile tamen distingui potest. Nam vno modo aliquid dicitur imputabile proprijssimè, secundo modo communiter. Primo modo illud est imputabile, quod est immediatè in potestate voluntatis nostræ, & sic solum velle est imputabile. Secundo modo imputabile potest dici quidquid est simpliciter in potestate nostræ voluntatis, licèt non immediatè: & sic actus alterius potentiæ, quem voluntas mediante suo actu volendi potest imperare, vt eliciatur, vel impedire, ne eliciatur, est imputabilis voluntati: quia tota coordinatio vsque ad illum actum etiam includendo illum actum, est in potestate voluntatis.

Actus interior habet propriã malitiam formaliter.

18 Ex his ad propositum, accipiendo nunc bonitatem, & malitiam propriè, quæ est conformitas actus ad rectam rationem, vel difformitas ad eandem, dicẽdum est, quòd tàm actus exterior, quàm interior habet formaliter propriam suam malitiam, & nullus habet eam denominatione exteriori tantum. Hoc probatur, quia vterque actus est natus elici conformiter rationi rectæ: ideò cum actus exterior est circa debitam materiam, & cum debitis circunstantijs, est actus bonus formaliter; cum verò caret debita materia siuè obiecto, & debitis circunstantijs, est malus: quia caret conformitate debita ad rectam rationem. Idem dicendum de actu interiori: nam etiam ille habet præscriptam regulam à recta ratione, circa quod obiectum debeat elici, & quomodo sicut actus exterior: vndè sine actu exteriori potest esse bonus, & malus. Et nota, quòd ista bonitas, & malitia inest actibus istis absque vlla relatione ad voluntatem, siuè ad voluntarium; quia vt dixi, bonitas, & malitia inest istis actibus ex relatione ad rationem; non tamen habent imputabilitatem. Vndè si quis furiosus occidat aliquem, actus ille est malus formaliter, non tamẽ imputatur furioso, quia in illo non est voluntarius. Loquẽdo verò de malitia accepta pro imputabilitate, quomodo loquuntur cæteri Theologi, qui rem hanc minus rectè distinxerunt, etiam dicendum est, quòd vterque actus tàm interior, quàm exterior, habet formaliter propriam malitiam: quia vterque est propriè voluntarius, & in potestate voluntatis, licèt vnus immediatè, & alter mediatè, vt dictum est.

Vterque actus habet propriã imputabilitatem formaliter.

Malitia, & imputabilitas inest actui interiori, & exteriori ordine quodã.

19 Possumus tamen addere, quòd licèt malitia, & imputabilitas sint formaliter in vtroque actu; tamen ordine quodam insunt; malitia enim primariò, siuè principaliter inest actui exteriori quàm interiori: ratio est, quia actus exterior est, qui maximè recta ratione prohibetur, & quodammodo ratione illius prohibetur actus interior illius; imputabilitas verò primò inest actui interiori: quia ille immediatè est in potestate libera voluntatis, neque actus exterior potest elici, nisi mediante actu interiori: ideò hæc imputabilitas primò inest actui interiori, deindè actui exteriori, & hoc est quod dicit Scot. in 2. dist. 42. quòd malitia inest primò actui voluntatis, & mediante illo in alijs; loquitur enim ibi de malitia accepta pro imputabilitate. Et hæc sint satis, loquendo de malitia actus ex obiecto, de qua nunc est præcipua disputatio, &c.

20 Loquendo de malitia actus ex fine, dicendum est vt suprà, quòd illa tota est in actu interiori formaliter: in actu verò exteriori per accidens, siuè denominatione extrinseca: quia, vt diximus suprà, actus exterior potest esse secundum se bonus, & conformis rationi rectæ; & tamen ex ordinatione voluntatis, siuè ex actu interiori fieri contrarius rectæ rationi: quia scilicet ordinatur ad finem malum, vt cum quis facit eleemosynam propter vanam gloriam, vel, vt mediante eleemosyna, possit fornicari, vel operari aliquod aliud malum.

Malitia ex fine est in actu interiori formaliter, in exteriori denominatione extrinseca.

21 Ex his habemus quomodo inter Scot. & D. Thomam nulla est dissensio si rectè intelligantur. Habemus etiam, quòd prima, & secunda opinio quo ad aliquid rectè dicunt; quo ad aliquid etiam errant. Vndè rationes pro prima opinione concludunt, malitiam acceptã pro imputabilitate primariò esse in actu interiori, deinde in exteriori, non autem de malitia propriè dicta, quę sumitur ex conformitate ad rationem rectam: quia hæc inest actibus exterioribus, circumscripto omni voluntario, licèt sine voluntario non sint imputabiles, vt dictum est. Et per hoc satis patet ad primam, & secundam rationem. Ad confirmationem, ipsa procedit de actu malo ex fine, quem diximus habere totã malitiam ab actu interiori. Ad tertiam verò dicitur, quòd bonitas, & malitia in actu exteriori est relatio, scilicet conformitatis, & difformitatis ad rectam rationem. Ad quartam respondetur, quòd actus ille venenationis semper habet malitiam moralem propriam, scilicet carentiam conformitatis ad rectam rationem; sed non semper durat malitia imputabilitatis: quia non durat volitio, siuè voluntarium in illo. Rationes Vasquez quoque hoc idem probant, non plus.

Opinio prima, & secũda, quomodo verę, & falsæ sint.

Rationes pro prima opinione concludũt pro malitia accepta pro imputabilitate.

Ad primã, & secundã rationem.

Ad confirmationẽ.

Ad quartã.

Ad rationes Vasquez.

22 Rationes verò pro secunda concludunt de malitia propriè dicta, non de malitia pro imputabilitate; patet enim, quòd etsi vterque actus habeat propriam regulam, cui debet confirmari, primariò tamen recta ratio respicit actum exteriorem, & quodammodo in ordine ad illum prohibet actum interiorem. De imputabilitate autem iam satis patet, quòd cum proueniat ex voluntario primò inest actui interiori; deinde exteriori. Rationes Vasquez quoque hoc idem probant, non plus.

Rõnes pro secũda opinione concludunt de malitia propriè dicta.

23 Hinc habere possumus, quòd etsi peccatum, & malum pro eodem accipiãtur communiter, & isti termini confundantur; vt dictum est disput. 1. cap. 1. tamen propriè loquendo differunt; nam præter dicta vbi suprà malum morale dicitur actus ille, qui caret conformitate ad rectam rationem, siuè sit voluntarius, siuè non; peccatum verò vltra malitiam moralem, quæ est carentia debitæ rectitudinis addit imputabilitatem ad pœnam: quia actus malus non est peccatum propriè nisi sit voluntarius. Ex quibus magis confirmantur ea, quæ diximus superiori disputatione.

Quomodo peccatum, & malum differant.

Vtrum actus interior, & exterior sint vnum, vel plura peccata; &, An quoties effectus voluntatis repetitur, plura sint peccata.

Caput Secundum.

24 EX dictis superiori disputatione, & cap. præcedenti potest haberi solutio duorum aliorum dubiorum, de quibus est controuersia etiam inter Doctores. Primum est. Vtrum actus interior, & exterior sint vnum peccatum, vel duo. Qua in re duæ opiniones referuntur. Prima est Nominalium, Okam scilicet quodlib. 1.

Opinio OKam, & Biel.

lib. 1.

lib.1.q.20. & Gabrielis Biel in 2.dist.42.q.1. in fine,qui asserunt esse duo peccata. Est autem sermo nunc de actu interiori, & exteriori coniuncto simul, vt cum quis vult homicidium,& illud actu facit. Et hęc opinio à Vasquez tribuitur quoq; Scoto,quam dicit habere in illo quolib. 18. & conuincere hoc nititur, quia Scotus ait, quod vterq; actus interior, & exterior habeat propriam malitiam, & quod actus exterior illam addat super interiorem,at actus,inquit Vasquez,qui habent propriam malitiam, sunt per se peccata; ergo illi duo actus sunt duo peccata. Sed de opinione Scoti postea. Greg. Arim. in 2.dist.42.q.1.concl.5.eandem sustinet opinionem.

Hæc opinio tribuitur Scoto.

1. Ratio. 25 Pro hac opinione afferuntur istę rationes. Primò, hic sunt duo actus distincti,& realiter separati;ergo duo peccata. Antecedens patet; quia alius est actus interior voluntatis,& alius est actus exterior, qui est potētiarum exteriorum. Consequentia probatur,quia peccatum nihil aliud est,quàm actus malus, siue actus contra legem, vterque est actus malus, & contra legem; ergo vterque peccatum; ergo duo peccata.

2. Ratio. 26 Secūdò. Dato qđ vna albedo esset in duobus parietibus,tūc essēt duo alba;ergo à simili,dato quòd eadē malitia sit in duobus actibus,debēt dici duo peccata &c.

3. Ratio. Tertiò. Illa,quæ prohibentur diuersis pręceptis,sunt diuersa peccata;Sed actus interior,& exterior prohibētur diuersis pręceptis;vnū enim pręceptum est, *Nō cōcupisces rem alienā*,& aliud,*Nō mœchaberis*;at quæ diuersis pręceptis prohibentur sunt diuersa peccata; ergo,&c.

4. Ratio. 27 Quartò. Quod iure punitur est peccatum; Sed actus interior sine exteriori iure punitur à Deo, iuxta Illud Euangelij; Qui viderit mulierem ad concupiscendū iam mœchatus est in corde suo: actus exterior verò sine interiori punitur à Republica; quoniam de interioribus Ecclesia non iudicat: Vnde siuè quis actu voluntatis consentiat in homicidium, siuè non consentiat, dummodo sequatur homicidiū,homicida punitur; ergo tàm actus interior, quàm exterior est peccatum particulare, &c.

5. Ratio. 28 Quintò. Causa, & effectus idem esse non possunt; at bonitas, & malitia actus interioris est causa bonitatis,& malitiæ actus exterioris, & è contra, vt visum est suprà;ergo est impossibile,quòd actus interior,& exterior habeant eandem malitiam, & sint idem numero peccatum. Maior est euidens, quia nihil est causa sui ipsius. Minor superius est explicata.

Opinio cōtraria, qđ sint vnum peccatum.

29 Ex altera parte multi Theologi tenēt partem oppositam, scilicet, actum exteriorem, & interiorem esse simpliciter vnum peccatum. Hanc opinionem sustinent Capreolus in 2.dist.42.q.1.a.1.concl.1.D.Tho.ibidem q.1.art.1.Richardus ibidem ar.1.q.1. in corpore, & ad tertium. Durandus ibidem q.1.n.6.Medina p.2.q. 20. a.3. & ibidem alij Thomistę. Vasquez p.2.disp.44. citatur etiam Magister, sed de eo postea dicemus. Quomodo autem duo actus possint esse vnum peccatum diuersomodo explicatur ab istis; tamen pro hac opinione sic in communi sumpta, scilicet, quòd actus interior,

30 & exterior sint vnus actus, arguunt, & primò sic. Ne-

1. Ratio. mo hominum explicat in confessione de aliquo homicidio,quod fecit, se voluisse occidere,& simul occidisse, tanquam de duobus peccatis, sed solum explicat se occidisse; ergo ex hoc sumitur signum euidens, quòd vterque actus sunt vnum peccatum.

2. Ratio. 31 Secundò. Actus exterior de se sine actu interiori non habet laudem,nec vituperium;neque meritum,aut demeritum,sed hoc totum habet ab actu interiori;ergo actus exterior non potest esse peccatum distinctum ab actu exteriori, si quidem actus, qui nullam habet malitiam,non potest esse peccatum,&c.

3. Ratio. 32 Tertiò. Actus interior,& exterior coniuncti prohibentur eodem pręcepto,vt patet in pręceptis, *Non occides,Non mœchaberis*,& similiter eodem pręcepto pręcipitur actus interior, & exterior, vt patet in his pręceptis, *Sabatha Sanctifices, Honora Parentes*, &c. neque enim pręcipitur actus exterior solus, quia ille haberi nō potest sine interiori, neque interior solus pręcipitur, vt patet,sed actus exterior; ergo actus interior, & exterior sunt vnum peccatum.

33 Vltimò. Vbi est vnum propter aliud,ibi est tantum vnum: Sed sic est,quod actus exterior est tantum bonus,vel malus propter actum interiorem; ergo est vnum peccatum. Maior est Aristotelis 2. Top. cap. 2. Minor quoque est euidens,& ex dictis patet. 4. Ratio.

Modus explicādi allatam opinionem ex Richardo, & Durando.

34 Quo ad modū verò explicandi hanc sententiam, variant. Richardus & Durandus assignant hanc rationem. Peccatum est formaliter malitia; ergo, vbi sunt plures malitię, ibi sunt plura peccata. Vnde si quis cognoscit mulierem alterius in Ecclesia,hoc est duplex peccatum adulterij, & Sacrilegij. Si autem in duobus actibus sit vnica malitia,erunt vnum peccatum. Non est autem possibile, quod eadem malitia numero formaliter sit in duobus actibus distinctis realiter, quia idem accidens numero non potest esse in duobus subiectis numero distinctis; relinquitur ergo, vt sit in illis ordine quodam, & analogicè:in vno erit formaliter, in altero analogicè, & denominatione extrinseca. Et sic contingit in proposito in actu interiori, & exteriori est vna, & eadem malitia numero, ideò est vnum peccatum: Sed in interiori est malitia formaliter, in exteriori est per denominationem extrinsecam,&c.

35 Hic modus dicendi est reijciēdus: quia supponit, in actu exteriori non esse malitiam propriè, & formaliter, quod est falsum, accipiendo malitiam tàm pro carentia debitę rectitudinis,quàm pro imputabilitate: nā suprà visum est, quòd vterque actus est aptus natus elici conformiter rationi rectæ, & vterque est propriè voluntarius;licèt vnus primariò, & alter secundariò. Reijcitur.

36 Preterea. Dato etiam, quòd in actu exteriori sit malitia denominatione extrinseca,adhuc videntur posse dici duo peccata:quoniam,vt inquit Vasquez, nomina concreta adiectiua, aut significantia per modū adiectiui,licèt sint substātiua, plurificantur non ad plurificationem formę,sed subiecti. Vnde in primo dist. 12.dicebamus,Patrem, & filium esse duo spirantes, licèt habeant vnicam vim spiratiuam. Ad propositum,cum peccatum sit concretum, quod significat per modum adiectiui, (peccatum enim significat actum habentem malitiam), & actus interior,& exterior sint duo subiecta licèt sit eadem malitia,videntur multiplicari, & posse dici esse duo peccata: quia sensus est, sunt duo actus habentes malitiam peccati, &c.

Modus dicendi Diui Thomę.& Sectatorū.

37 Ideo D. Tho. quē Capreolus, Medina, Vasquez, & alij multi sequuntur in 2.dist.42.q.1.a.1. ait quòd actus interior,& exterior dicūtur vnus actus,quia vnitas actus in genere moris sumitur ex vnitate actus voluntatis, & propter hoc euenit, quod multi actus secundum naturam sunt vnus actus in genere moris, vt patet in furto: omnes enim actus,& media, quæ concurrunt ad furandum, quæ possunt esse multa,reputantur vnum propter vnam voluntatem:sic actus exterior, & interior cum ab vnica voluntate proueniant, sunt vnus actus.

38 Cæterum contra hunc modum dicendi est argumentum Durandi:quia potest quis furari, vt committat adulterium,& polluere Ecclesiam,vt cognoscat vxorem alterius. Hic est vna voluntas, & tamen sunt duo peccata;ergo peccatum multiplicatur ex malitia,nō ex actibus voluntatis. Vasquez in fine illius disputationis videtur innuere responsionem,quod cum actus habet duplicem malitiam, debet quis confiteri illum cum duplici malitia,ac si esset duplex peccatum:quia tunc hoc nomen, peccatum,sequitur normam nominum abstractorum: non tamen in rigore est duplex peccatum, sed vnum ratione subiecti. Reijcitur. Responsio Vasquez.

39 Cæterum hæc responsio non videtur tuta:quia si cogimur confiteri illud vt duo peccata,& punitur vt duplex peccatū, nulla videtur esse posse ratio, propter quā Reijcitur.

non

non sit duplex peccatum, & consequenter pluralitas peccati non sumatur à malitia, non ab actu voluntatis.

Opinio Scoti.

40 Quæ sit opinio Scoti in hac re non inuenio explicitè, neque enim quæstionem sub hoc titulo pertractauit: tamen ex dictis in illo quolib. 18. & ex superius dictis possumus secundũ eius principia dicere, quòd actus exterior, & interior possunt duobus modis considerari. Vno modo in se formaliter, & hoc pacto propriè loquẽdo possemus dicere, quòd sunt duo peccata propriè, & formaliter: ratio est, quia, vt vidimus, vterque est aptus natus habere propriam bonitatem, & malitiam, scilicet conformitatem ad rectam rationem, seclusa comparatione ad voluntatem, & ad voluntarium: quia hęc bonitas, & malitia illis inest non à voluntate, sed à ratione. Si etiam considerentur quantum ad malitiam imputabilitatis, quæ prouenit ex voluntario, vterque est imputabilis propriè, quia vterque est verè, & per se voluntarius, licet vnus primariò, alter secundariò, vt vidimus; & ideò sic vterque est formaliter malus, & vterque habet malitiam propriam. Et hæc aspexit Scotus, cùm quolib. 18. dixit, actum exteriorem addere malitiam interiori: in vtroque enim multiplicatur subiectum, & forma, & sic sunt duo concreta, & duo peccata propriè. Alio modo possunt considerari quatenus sunt adinuicem subordinati, & connexi naturaliter, & hac ratione possunt dici vnum peccatum. Et hùc maximè aspicere videtur Scotus, cum in 2. dist. 42. dicit, primò malitiam esse in actu interiori, & ab illo deriuari in actum exteriorem: nam actus exterior naturaliter subordinatur actui interiori, à quo pendet in esse; & actus interior pendet ab exteriori tanquam ab vltimo complemento, & obiecto suo, & hac ratione dicuntur vnum peccatum. Et hinc oritur, quare, cum quis cognoscit mulierem alienã in Ecclesia, dicuntur duo peccata, licèt sit vnus actus voluntatis, & tamen actus interior, & exterior homicidij dicuntur vnum peccatum. Nam ratio differentię est: quia sacrilegium, & adulterium ex naturali eorum essentiã non habent connexionem, nec subordinationem, sed tunc solum per imperium voluntatis cõiunguntur, & vnum est medium ad aliud, sed naturaliter sunt omnino actus diuersi ex materia, & ex obiecto, & nullo modo subordinati; at actus interior, & exterior sunt subordinati naturaliter, & sunt de eadem materia, & obiecto.

Rationes durũ opinionũ adductarum, quid concludant.

41 Vndè hęc opinio mediat inter opiniones allatas, & rationes vtriusque illarum facilè soluuntur. Nam rationes prioris opinionis concludunt pro prima parte nostrę opinionis, scilicet, quòd actus interior, & exterior considerati per se sunt duo peccata. Rationes verò secundę opinionis, quę concludunt, concludunt pro secunda parte nostrę opinionis, scilicet quod actus interior, & exterior considerati secundum subordinationem, & annexionem naturalem, quam habẽt ad inuicem pro vno habentur. In illis tamen rationibus sunt aliqua falsa: Nam secundum argumentum pro prima opinione supponit opinionem Durandi, scilicet, quod eadem malitia possit esse in vtroque, in vno formaliter, in alio denominatione extrinseca; Quod etsi possit esse verum in aliquibus subiectis, & formis, tamen in proposito est falsum, quia in vtroque actu est propria malitia, & imputabilitas formaliter non vna in duobus. Si tamen considerentur duæ malitiæ imputabilitatis, quatenùs vna subordinatur alteri, & ab ea in esse pendet, dici potest vna; & sic conceditur, & nihil habet contra nos. Ratio secunda pro secunda opinione assumit falsũ, quod actus exterior non habeat propriam malitiam, & imputabilitatem, vt visum est. Solum concludit, quod non habet illam primariò, neque ex se, sed ab alio; quod non tollit quin ipse sit formaliter malus, sed solum cõcludit, quod non est primariò malus. Tertia, & quarta, concludunt, actus istos interiorem, & exteriorẽ esse naturaliter subordinatos, & hac ratione habere, vnicam malitiam, quod est intentum nostrum.

Ad secundam pro secunda opinione.

An quoties volũtas repetitur circa aliquod peccatum, toties peccet.

42 Aliud dubium est. Vtrũ quoties circa idem obiectum malum repetitur voluntas toties peccet, & sint peccata plura numero. Exemplum. Aliquis semel constituit occidere aliquem, & nunquam id expressè retractanit; interrumpit tamen illud decretum, quia aliquando dormit, & aliud facit, nec cogitat de illo; sed quoties occurrit cogitatio de illo occidẽdo semper repetit affectũ, & voluntatem occidendi. Hìc sunt duæ opiniones, altera dicit, esse vnum peccatũ, quia ista interruptio actus non est interruptio contrariæ voluntatis, sed naturalis obliuionis, vel distractionis: ideò videtur esse vnus actus continuus saltem habitualiter. Si autem fieret interruptio per retratactionem voluntatis; & deinde assumeretur eadem voluntas, siue volitio, vtique essent plura peccata, quoties talis repetitio fieret: Et tunc vt duo, & vt plura in confessione essent explicanda; non autem si fieret repetitio primo modo; licèt esset explicanda illa duratio, quia est circunstantia aggrauans. Et hic est modus dicendi Melchioris Cano, relectione de pœnitentia p. 5. §. *Huic, & aliud*.

Opinio asserens esse vnum peccatum.

43 Alia est opinio, quòd cum fit ista repetitio, & interruptio solum in actibus interioribus voluntatis, qui nullo opere exteriori consumantur, sed interius solum perficiuntur, vt est Hęresis, odire Deum, & similia, tunc ad talẽ repetitionẽ multiplicãtur peccata. Sed cum actus interior voluntatis nõ consumatur interius, sed exteriori aliquo opere, licèt in perficiendo, & consumando opere exteriori perficiatur, non sunt plura peccata, sed vnum. Exemplum. Quis vult occidere suum inimicum, huius causa progreditur Venetias, parat comites, arma, & alia multa facit, quæ pertinent ad finem homicidij obtinendum. In his actibus necesse est fieri plures repetitiones eius voluntatis occidendi inimicum, illa non sunt plura peccata, sed vnum, & idem; quia censetur eadem voluntas permanere, neque interrumpi: donec opus exterius non interrumpitur, sed in illo perficiendo ille incumbit. Et hęc est opinio Nauar. in Man. cap. 6. nu. 16. quam accepit ex Caiet. in Opusculis tom. 1. tractatu 31. responsione 17. quam sequitur Vasquez p. 2. disp. 75. & fauet Suarez de pœnitentia disp. 22. sect. 5.

Opinio Auctoris.

44 Mihi autem videtur ex principijs in superioribus statutis, quod loquendo de actibus internis, & interius absque vllo opere exteriori consumatis, sint plura peccata actu, habitu verò sint vnum. Ratio primę partis est: quia ibi certum est esse plures actus numero; quotiescunque enim voluntas pręuia cogitatione repetit eandem volitionem occidendi, semper est nouus actus: habet etiã semper malitiam suam propriam: quia caret debita rectitudine, & est voluntarius: ideo semper est nouum, & nouum peccatum. Ratio secundę partis est, quia cum actu nunquam retractet illam voluntatem occidendi, sẽper habitualiter manet in eodem peccato. Clarum est autem, peccatum habituale addere grauitatem peccatis actualibus: nam licèt quis sępè in mente habeat actus nouos interiores fornicandi, tamen si circa illos non habet voluntatem semper continuandi; vel quia cum determinauit fornicari, determinauit fornicari semel, & pro illa vel duobus vicibus, & de reliquis vicibus nihil determinauit (habitis enim illis duabus vicibus, terminatur actus voluntatis, nec dicitur amplius habere voluntatem virtualem peccandi, licèt expressè non retractet voluntatẽ: quia iam actus ille est finitus, & terminatus, & nihil illius retractandum remanet.) Vel quia etsi determinauit plures vices committere, tamen deinde sępè se retractat, & deinde repetit, minus peccat quàm ille, qui habet tot actus fornicandi ex voluntate aliqua continuãdi eos, & nunquam illum actum continuandi eos, retractat. Et propter hoc peccatum concubinatus est maximum peccatũ: quia etsi actu non semper peccet, peccat tamẽ semper virtualiter. Similiter si loquamur de peccato opere exteriori consumato, dicendum est: nam omnes actus, qui in homicidio efficiuntur, vt parare arcum, parare

comites,

comites, mittere exploratores, sunt actus physicè distincti numero, qui habent suas malitias distinctas: tamen quia ordinatur ad vnum finem, possunt dici vnum peccatum: habitualiter, vel moraliter, vt suprà diximus: quia in vna actione totali clauduntur; & ideò in confessione non est necesse omnes illos actus particulares, & media confiteri, sed sufficit confiteri principalem actum, scilicet, homicidij, quia in illo intelliguntur.

45 Est tamen notandum, quòd si inter illa media, quæ adhibentur pro consequendo fine malo, vt puta homicidij inimici, contineãtur aliqua media, quæ sint mala ex suo genere, & ex materia; & regulariter non clauduntur in illo actu principali, vt si quis furetur vt homicidium faciat, tunc non sunt omnia illa vnum peccatum habitu & moraliter, sed plura. Si etiam omnia illa non sint volita propter eumdem finem malum, sed propter diuersa, sunt plura peccata, & illa particulariter sunt explicanda in confessione: adeò quod solum verum est, omnia media, & omnes actus adhibitos ad finem malum consequendum esse vnum peccatum habitu, vel moraliter, quando illa alia media non sunt alia ratione mala, nisi quia sunt ordinata ad vnum finem malum, à quo sumunt omnem suam malitiam: & ideò quia volitiones internæ homicidij nõ sunt alia ratione malæ, nisi ratione homicidij, & ad illam ordinantur, ideò faciunt vnum peccatum non numero, sed habitualiter, & moraliter.

Vnde sumatur distinctio numeralis omnium peccatorum.

46 Ex quo possumus assignare rationem vniuersalẽ, qua omnia peccata numero distinguantur. Ad clarius intelligendum puto esse videndum, quo modo actus secũdum esse physicum, & naturale distinguantur: ex hoc enim nos habebimus facilè resolutionem dubij propositi, scilicet, Vnde peccata numero distinguantur. Nam dictum est suprà, quòd ratio formalis peccati est carentia debitę rectitudinis in actu; ergo quot sunt actus numero distincti, tot sunt malitiæ, & peccata numero distincta. Et licèt in eodem actu possint esse plures malitiæ morales, vt in eodem subiecto plures formę, vt videbimus, saltẽ non possunt esse plures actus mali numero distincti, nisi sint quoq; plures malitię numero distinctę.

47 Quantum autem ad distinctionem physicam, certum est, actus non distingui primò, & per se per subiectum: quia, & si certum sit, quòd actus idem numero, & eodem modo, & eodem genere à pluribus personis non possit prouenire; tamẽ vt plurimum videmus in eodem subiecto esse plures, & diuersos numero actus, vt plures volitiones, sensãtiones, &c. Relinquitur ergo, vt non distinguantur numero ratione subiecti, sed obiecti, & rursus ratione interruptionis actus. Ratione obiecti, quoniam sunt circa diuersa obiecta numero, vt diligere Petrum, & diligere Ioannem sunt duo actus numero: quia terminantur ad duo obiecta, diuersa numero, quibus habent distinctionem, iuxta illud Aristot. 2. de Anima. Potentię distinguuntur per actus, & actus per obiecta. Ratione interruptionis actus verò distinguuntur, quia potentia tendens per suam actionem in obiectum, potest cessare à tendentia, & actione in illud obiectum, vt Petrus tendens per visionem in obiectum album, potest cessare ab illa visione per aliquod spatium temporis, & deindè iterum illud obiectum incipere videre, & sic de alijs. Quod patet esse verum ex doctrina Arist. 5. phys. tex. 34. qui dixit, motus multiplicari numero per interpositionem quietis, seù interruptione tẽporis: tria enim requiruntur ad vnitatem singularem motus; mobile, subiectum, & tempus. Cum ergo interrumpitur tempus, cessat vnitas motus numeralis.

48 Ad propositum. Actus, qui est peccatum, potest multiplicari numero per interruptionẽ actus; quæ duobus modis fieri potest. Vno modo transeundo ab vno subiecto malo in aliud malum: vt volens modo occidere Petrum, immediatè transit ad volendum occidendi Paulum; & qui vult fornicari cum vna, immediatè etiã transit ad actum volendi fornicari cũ alia; & sic de alijs. Hęc interruptio manifestè multiplicat actus numero: quia actus isti cum sint circa diuersa obiecta numero, ipsi quoque sunt diuersi numero: Et hæc diuersitas procul dubio est explicanda in confessione. Alio modo faciendo interruptionem actus circa idem obiectum interponendo aliquam quietem ab illa volitione: deindè redeundo ad volitionem eiusdem obiecti. Hæc enim est diuersa volitio, idest diuersus motus secũdum subiectum; & sic est diuersus actus, & diuersum peccatum numero. Quo fit, si quis continuet actum internum volitionis circa aliquod obiectum, & nunquam quiescat ab illa actione, semper sit vna actio, & vnus actus numero; licèt videatur plures reflexiones facere, & quasi denuò inchoare actus: ille autem actus, qui est diuturnior, & intensior in peccato est grauior, licèt sit vnum numero. Cum verò adest interruptio, quot interruptiones, tot actus, & peccata numero sunt, vt dictum est.

49 Hæc, quæ dicta sunt, verificantur nedum de actu interiori solo, sed de actu interiori quatenus etiam consumatur actu exteriori: qui enim cõtinuato tempore ab homicidio vnius transit ad occidẽdum alium, facit duo peccata, & sic de alijs. Et qui post vnum actum fornicationis cum vna muliere, interposito paruo tempore redit ad alium actum cum ea, duo peccata facit, & sic de alijs. Ratio est, quia isti sunt plures actus numero physicè: ideò quoque sunt plura peccata. Ex quo sequitur, quod qui continuat actum exteriorem, licèt cesset actus interior actualiter, vt qui vult occidere inimicum, & ideò parat arma, & socios, facit diuersa itinera ad hunc effectum, tot peccata faciat, quot actus exteriores facit, licèt non adsit semper voluntas actualis occidẽdi hominem illum. Ratio est, quia vnusquisque actus istorum est actus vnus humanus physicè, quia habet proprium actum volũtatis interiorem, & materiam propriam, ex quibus componitur; habet verò malitiam non ex voluntate actuali, qua fit sed virtuali, & ex fine ad quem ordinatur. Similiter oscula, & tactus impudici in actu fornicationis sunt particularia peccata, etiam si in illis non continuetur voluntas actualis fornicationis: quia actus illi ex propria deformitate sunt mali, & vlterius ordinãtur ad actum fornicationis: non tamen speciatim in cõfessione sunt explicandi, vt diximus suprà, & in materia de confessione dicemus quoad circunstantias peccatorum, quia regulariter se consequuntur, & includuntur in principali. Ex quo sequitur, opinionem Nauarri asserentis, non esse necessarium confiteri actus impudicos, qui quãdoque fieri solent post vnam fornicationẽ consumatam: Similiter neque delectationem, quam quis habet ex fornicatione, vel homicidio consumato, vel laudare se de tali actu, esse minus probabilẽ, vt optimè tradit Suarez ea disp. 22. sect. 5. n. 26. ea ratione: quia per se mali, & non includuntur neque regulariter consequuntur actum principalem, sed ex malitia particulari oriuntur. Vndè non quicunque facit actum fornicationis, eo absoluto, redit ad oscula, & alios actus impudicos, qui ordinantur ad copulam carnalem.

50 Similiter si actus exterior, & interior interrumpantur actualiter, interior autem maneat virtualiter, vt in meretrice exposita, & concubinario, quot actus committunt, tot numero peccata sunt: tamen quia virtualiter eadem voluntas manet, pro vno videntur haberi, & sufficit in confessione exponere, quòd tanto tempore habuit voluntatem virtualem, & quoties accessit occasio actu commisit actum peccati. Si verò actus sit vnus, & malitiæ plures, vt si quis eodem die, quò duplici obligatione tenetur ieiunare frangat ieiunium; & si vxoratus adulterium committat cum vxore alterius, & similia, est quidem vnum peccatum: quia concretum non multiplicatur ad multiplicationem formarum tantum, sed requiritur multiplicatio quoque subiecti. In proposito autem non multiplicatur subiectum, scilicet actus: est tamen illa multiplex malitia confitenda, quia est, ac

si essent

fi essent duo, vel plura peccata. Quod etiam sentire videtur Suarez disp. 22. sec. 5. contra Nauarrum, & alios, &c.

DISPVTATIO IIII.

Vtrum omnis actio humana sit bona, vel mala, & nulla indifferens.

Opinio asserentium nullam actionem humanam esse indifferentem. Caput Primum.

Actus humanus qs sit.

1 QVæstio hęc, vt apertè notatur in titulo quæstionis, est de actibus, non quibuscunque, sed humanis. Actus aũt humanus est actus voluntarius, & deliberatus, seù ex intentione factus: vndè actus incõsideratè factus ex sola imaginatione, vt confricatio barbę ex accidenti, & inconsideratè, cum non sint actiones humanæ, non cadunt sub pręsenti consideratione.

Durandus.

Neque Durandus in 2. dist. 40. quest. 1. n. 8. docet oppositum, vt se explicat num. 9. sed cum ait actus prouenietes ab imaginatione posse esse peccata, loquitur de actibus imaginationis, qui possunt regulari a ratione: non de his, qui non sunt regulabiles à ratione, cuiusmodi sũt isti, de quibus loquimur. Proposita ergo quæstio duobus modis potest tractari, sicut eam dupliciter tractant D. Thomas p. 2. q. 18. ar. 8. & 9. & Scotus vbi infra, & alij. Primus modus est intelligendo eam de actu considerato secundum speciem, & in communi, non descendendo ad circumstantias eum indiuiduantes, & singularizantes. Secundo modo intelligendo eam de actu considerato secundum indiuiduum, & in particulari. Primo modo eam tractat D. Thomas loco citato art. 8. Secundo modo tractat eandem citato loco a. 9.

An actus ex genere indifferẽs detur.

2 Quò autem ad vtrunque modum est difficultas: & quidem quantum ad primum modũ videtur Scotus apertè dissentire à D. Thom. D. Bonau. & multis alijs, quoniã D. Thomas loco citato, & D. Bonau. in 2. dist. 41. a. 1. q. 3. & alij multi tenent, quòd considerando actum in specie, seù in genere, & in se ipso ratione sui obiecti pręcisè detur actus indifferens, qui, nec sit bonus, nec malus moraliter ex genere suo, siuè ex obiecto: & ratio eorum est, vt elicitur ex Diuo Thoma loco citato, & alijs auctoribus: quia prima bonitas, & malitia in actu est ex obiecto; obiectum autem, vel est conueniens actui secundum rectam rationem, vt dare eleemosynam indigenti: est enim actus transiens super obiectum conueniens; vel obiectum est disconueniens secundum rectam rationem, vt odire Deum; vel obiectum, nec est conueniens, nec disconueniens: dantur enim quædam alia obiecta, circa quæ ratio recta nihil pręscribit in ordine ad actum, vt leuare festucam de terra, ire ad cãpum, & huiusmodi: ideò actus circa ista obiecta dicuntur indifferentes, & neque boni, neque mali ex genere, seù vt alij vocant in specie: & sic in communi considerando actus, non sunt boni, neque mali, quia non sunt conformes rectæ rationi, neque contrarij.

Opinio D. Thomę, & aliorum.

Opinio D. Thomę, D. Bonau. & aliorum.

Opinio Scoti.

3 Ex altera parte Scotus in 2. sent. dist. 7. in solutione quæstionis apertè videtur negare dari actum indifferentem ex genere suo, seù ex specie sua: asserit enim, quòd bonum ex genere, & malum ex genere sunt contraria immediatè, sicut inter priuationem, & habitum nullum est medium; & ratio ipsius est, quia, inquit, actus non potest esse, quin transeat super obiectum: illud autem necessariò est conueniens, vel disconueniẽs actui, & ità necessariò actus est bonus ex genere, & ex obiecto conuenienti, vel malus ex genere, & ex obiecto disconuenienti.

4 Ex aduerso in eodem secundo libro dist. 41. videtur apertè admittere dari actum indifferẽtem in genere, qui, nec sit bonus, nec malus: inquit enim ferè in fine solutionis quæstionis. *Sunt ergo multi actus indifferentes non tãtùm secundum esse, quod habent in specie naturæ, sed etiam secundum esse, quod habent in esse morali*, &c. Videtur ergò loqui de actibus secundum esse in communi, & in specie, non autem tantùm in indiuiduo: quia infrà loquitur etiam de actibus singularibus, & in indiuiduo. Ait enim, *multi etiam singulares actus eliciti sunt indifferentes, qui non sunt tales, nec tales: nec solum actus non humani, de quibus non est sermo, &c. sed etiam de actibus liberè elicitis.* Insuper Scotus eadem dist. 41. refert opinionem D. Bonau. nominatim, dicens. *Hic dicitur, quod nullus singularis actus est indifferens; actus tamen in communi est indifferens: quare Bonau.* &c. quæ est opinio eadem, quæ Diui Thomæ: & deinde illam non confutat in corpore quæstionis: immò videtur illam approbare quoad actum in communi, & vlteriùs addere, quòd etiam actus in indiuiduo, & singularis possit esse indifferens: quare Scotus videtur sibi contradicere, & est valdè obscurus. Ratio etiam, quam adducit Scotus pro hac assertione, quòd omne obiectum sit vel conueniens, vel disconueniens actui, & nullum indifferens: assumere videtur falsum, vt probat ratio D. Thomæ, & aliorum per exempla de leuando è terra festucam, eundo ad campũ, & similia: ad quæ Scotus nihil respondet: patet enim, quòd recta ratio nihil dictat, vel ordinat in his actibus circa ista obiecta, quod sit faciendum, vel non faciendum, ex cuius appositione, vel omissione actus reddatur bonus, vel malus.

Contradicere sibi videtur Scotus.

Resolutio.

5 Propter has rationes ego in hac re difficili puto duobus modis responderi, primus est, Scot. non discrepare à D. Thoma, D. Bonau. & alijs, sed ipsum quoque admittere, dari actum indifferentem in genere modo exposito. Cum autem ait in 2. dist. 7. quod omnis actus, ex genere est bonus, vel malus, nec vllus indifferens, & medius; & omne obiectum esse, vel conueniens, vel disconueniens, puto eum hoc asserere non de actu considerato in communi, sed in indiuiduo, & vt comparatur ad voluntatem vniuscuiusque operãtis in particulari, quomodo etiam alij intelligunt. Puto verò differre ab illis in secundo sensu, & secundo modo tractandi huius quæstionis: quia etsi omnis actus in particulari, & in indiuiduo sit bonus, vel malus ex gẽnere: tamen cum hoc stat, quòd etiam adsit aliquis actus, qui non sit bonus, nec malus in genere moris, sed indifferens. Nam actus bonus ex genere potest carere aliqua circunstantia debita, & tamen non apponere circunstantiam malam, & tunc non erit bonus moraliter, nec meritoriè, quia non esset perfectè circunstantionatus; nec malus moraliter, & demeritoriè, quia non apponit circunstantiam malam: & sic erit indifferens moraliter, vt probabimus.

6 Quod autem hæc sit mens Scoti elicitur ex eo, quod 2. sent. dist. 7. asserit, quòd malitia ex genere accepta contrariè, & accepta priuatiuè coincidunt: modò malitia contrariè in actu est, quæ ponit aliquid repugnans bonitati actus; ergo omnis actus malus ex genere secundum Scotum ponit aliquid repugnans bonitati actus: actus verò bonus ex genere est qui non ponit aliquam repugnantiã bonitati actus, idest non facit actum esse malum contrariè, Verissimum autem est, quòd omnis actus respectu cuiuscunque obiecti, vel ponit aliquam malitiam repugnantem rectę rationi, vel non; si primo modo est malus moraliter, si non, est bonus.

7 Quòd etiam hoc intelligatur de actu nõ in communi, sed in indiuiduo, videtur elici ex eodem Scoto in quolib. 18. a. 1. ibi enim declarans; vndè sumatur, quòd aliquod obiectum est conueniens, vel disconueniens actui, inquit, quòd desumitur ex tribus. Primò ex natura agentis. Secundò ex potentia, secundum quam agit. Tertiò ex ratione quidditatiua actus, quòd declaratur, e. g. in actibus naturalibus: nam ex cognitione quidditatiua agentis, puta hominis, & ex cognitione potentiæ intellectiuæ, hominis, & ex cognitione actus intelligendi patet, quòd cõuenit homini intelligere per intellectũ, non autẽ tangere hoc tangibile, &c. Patet etiã, quodnã obiectũ conueniat huic actui intelligere: est enim scibile, & intelligibile.

Aliud exemplum. Ex cognitione naturæ hominis, & potentiæ nutritiuæ, & actus comestionis elicitur, quòd

obiectum conueniens actui nutritionis est cibus, & quod actus comedendi conuenienter transeat super cibum restauratiuum deperditi;non autem super lapidem, & huiusmodi, quæ nõ sunt apta nata nutrire: ità ex cognitione agentis, qui est homo, & potentiæ eius intellectiuæ, & volitiuæ, & actus eorum elicitur, quæ sint obiecta illis conuenientia, & disconueniẽtia secundum rectum dictamen rationis, & in genere moris; & hęc est prima bonitas in genere moris, quæ dicitur bonitas ex genere, quia sicut genus est vniuersale, & potentiale ad suas differentias, ità bonitas ex genere se habet tanquam vniuersale potentiale receptiuum determinationis moralis, secundum circunstantias morales eum indiuiduantes, & singularizantes, à quibus actus perfectè moralis fit.

Quomodo oĩs actus sit bonus, vel malus, ex genere, secundum Scotum.

Modò ad propositum, homo, qui est agens liberum, & rationale habet exercere actus suos humanos circa omnia obiecta creata, & increata, & nullum est obiectum, circa quod non possit versari actus eius humanus. Rursus circa quodcunque obiectum potest apponere malitiã positiuè, & contrariè, & non apponere: circa enim quodcunque obiectum potest apponere finem bonum, vel malum, & sic erit actus bonus positiuè, vel malus contrariè, & positiuè: ideò si secundum rectam rationem agit circa obiectum, & non apponit malitiam, est actus moraliter bonus: si verò non agit secundum rectam rationem, sed apponit malitiam, est contrariè malus moraliter. Et ideò rectè dicit Scotus, quod nullum obiectum est indifferens, sed omne illud, vel est cõueniens, vel discõueniens actui: in quo etiam alij Theologi habent cõuenire, dum aiunt, quod homo rationalis tenetur agere secundum rectam rationẽ; hoc enim competit homini, nõ solum secundum aliqua obiecta, sed secundum omnia. Vnde leuare festucam de terra, ire ad campum, & huiusmodi actus, qui videntur respicere hæc obiecta indifferenter, & nec esse boni, nec mali, si comparentur ad potentiam in particulari, possunt esse boni positiuè, & mali contrariè: quia volũtas potest apponere aliquem finem bonum, vel saltem non apponere aliquam malitiam, & sic erunt boni, quia non erunt mali contrariè: si apponant aliquam malitiam, erunt mali contrariè.

8 Quod autem si non apponant aliquam malitiam contrariè, sint boni, in quo est difficultas, probatur, quia actus illi sunt susceptiui bonarum circunstantiarum, vt finem honestum, tempus, & locum debitum, & alias circunstantias debitas, vt leuare festucam de terra ad intingendam eam oleo, & curandum vulnus, est actus benè circunstantionatus, & bonus moraliter: hoc autem non esset verum, nisi actus ille esset bonus ex genere: quia, vt dictum est, prima bonitas moralis est ex obiecto: vnde actus malus ex obiecto non potest esse bonus ex circunstantijs, vt patet.

Quomodo Scotus sibi nõ contradicat.

Quomodo autem cum hoc stat, quod actus in indiuiduo possit esse indifferens, declaratur sic. Actus qui ex genere suo sic in indiuiduo consideratur, potest esse duplex: vel enim ponit malitiam repugnantem, & sic est malus contrariè: vel non ponit malitiam positiuè, & contrariè, sed solum omittit aliquam circunstantiam debitam, ita quod non est actus perfectè bonus moraliter, vt dare eleemosynam non propter virtutem, sed, vel propter cõpassionem naturalem, vel vt pauper subleuatus à paupertate sibi in aliquo opere honesto inseruiat. Hic actus secundum Scotum non est bonus moraliter, quia non habet finem debitum: neque est malus moraliter, idest contrariè, quia non apponit finem, nec circunstantiam malam: actus ergo, qui est malus priuatiuè moraliter, si non apponat circunstantiam malam positiuè secundum Scotum, est bonus ex genere, quia non est malus contrariè: est tamen indifferens, nec bonus, nec malus in genere moris: non bonus, quia non est perfectè circunstantionatus: nec malus, quia non est contrariè malus.

Quod autem hæc sit mens Scoti, & sit opinio vera, vel saltem probabilior opposita, patebit ex dicendis cap. 2. explicando mentem Scoti circa hãc quæstionem in secundo sensu, in quo propriè tractatur ab auctoribus.

Secundum modus dicendi.

9 Secundo modo dicere possumus, quod Scotus etiam in hoc primo sensu discrepat à D. Thoma, & alijs, & tenet omnem actum humanum in genere, seù spetie esse vel bonum, vel malum, nullum indifferentem. Ratio autem est ea, quam ipse adducit nimirum: quia inter priuatiuè opposita non datur medium; actus autem bonus in genere, & malus in genere sunt priuatiuè opposita: ideò inter illos nõ datur medium; ergò non datur actus indifferens. Minor probatur: quia actus bonus in genere, vt supra dictum est, est ille, in quo obiectum est conueniens actui; malus in genere est, in quo obiectum est disconueniens actui: esse autem conueniens, & disconueniens priuatiuè opponuntur. Et confirmatur ex doctrina eiusdem, quia in malitia ex genere non distinguitur malitia priuatiuè, & malitia contrariè, sed conuertuntur; cum enim obiectum est disconueniens actui, non solum priuat actum bonitate debita, sed apponit malitiam repugnãtem, & sic est malus contrariè. Furtum enim est actus malus non solùm priuatiuè, sed contrariè. Tunc sic vel actus apponit malitiam ex obiecto, & sic est malus ex genere, vt patet: vel nõ apponit, & tunc est bonus, quia actus, in quo nulla est malitia, non potest esse malus; ergo est bonus ex genere: quia est circa obiectũ conueniens, neque enim repugnat actui.

Ad rationes pro opinione Diui Thomæ.

10 Ad exempla adducta pro opinione D. Thomæ de leuare festucam de terra, &c. Respondeo illos actus esse bonos ex genere: quia nõ sunt circa obiecta disconuenientia. Nam leuare festucam de terra, vel ire ad campum non sunt obiecta prohibita actui volũtatis, & virtutis motiuę à recta ratione; & proinde tendere in illa obiecta nõ est contra rationem rectam. Quod confirmatur, quia si illi actus de genere suo non essent boni, non possent fieri boni moraliter perfectè: sed consequens est falsum; ergo. Falsitas consequentis probatur, quia possunt illis addi circunstantiæ debitæ, & tunc erunt moraliter perfectè boni. Potest enim quis leuare festucam de terra ex obedientia sui superioris, vel ad aliquem alium bonum finem, & sic de reliquis. Consequentia autem probatur: quia bonitas perfecta moralis pręsupponit bonitatem ex genere secundum omnes. Ad probationem autem D. Thomæ: quia recta ratio nihil pręscribit circa istos actus, quod sit faciendum, vel non faciendum. Respondeo sufficere, quod recta ratio non prohibet actum voluntatis, & potentiarũ exteriorum versari circa hæc obiecta; cum enim hęc obiecta non sint prohibita, non sunt disconuenientia eisdem actibus: quia quod aliquod obiectum sit disconueniens alicui actui habetur ex prohibitione legis naturæ, vel positiuè; vnde cum nulla talis sit, relinquitur, vt sit obiectum conueniens, & consequenter actus sit bonus ex genere.

Ad loca Scoti in cõtrarium.

11 Ad loca illa ex Scoto in 2. dist. 41. Respondetur cùm ait dari actus indifferentes *non solum secundum esse, quod habent in spetie*. Illa verba dicere non secundum propriam mentem, sed ad mentẽ aliorum sic opinãtium; non autem, quod Scotus hunc modum dicendi approbet vt verum. Nunc ad secundum sensum in quo absque dubio est controuersia transeamus.

An actio in indiuiduo semper sit bona, vel mala. Opinio D. Thomæ, & aliorum.

12 Quoad secundum sensum ergo scilicet de actu humano in indiuiduo sunt duæ pręcipuę opiniones oppositæ. Altera asserit omnem actum humanum esse bonum, vel malum, nullum indifferentem. Altera asserit aliquem indifferentem dari. Primam opinionem sequuntur D. Thomas vbi supra a. 9. & alij Thomistæ in eodem loco, Albertus in 2. dist. 40. a. 4. Gregor. de Arimino in 2. dist. 28. quæst. vnica, Ricardus in 2. dist. 40. a. 2. q. 3. licèt oppositam quoque probabilem iudicet, & nonnulli alij. Pro hac opinione istæ rationes præsertim adducuntur.

1. Ratio.

Primò ex D. Th. vbi supra, Vasq. & alijs. Bonitas moralis non dependet solummodo ex obiecto, sed ex circunstantijs, pręsertim verò finis; sed sic est, quod omnis deliberatè, & ex intentione operans, debet operari propter bonum finem; ergo omnis actus in indiuiduo, & in particulari

ticulari

ticulari erit propter bonum finem, & ſic erit bonus moraliter. Vel non erit propter bonum finem (quomodocunque hoc contingat) & ſic erit malus moraliter: & conſequenter, licèt actus ſecundum ſpeciem, & in genere, neque ſit bonus, neque ſit malus, tamen in indiuiduo, vt elicitur ab hoc operante, debet elici propter finem debitum, quo poſito eſt bonus, & quo ablato eſt malus: & ſic omnis actus eſt bonus, vel malus. Maior propoſitio eſt communiter conceſſa. Minor probatur: quia operans ſecundum rationem debet ordinare operationem ad rectum finem, alioquin priuaret actum ſub debito fine, & faceret contra rectam rationem, & conſequenter actus eſſet malus moraliter, reliqua patent.

2. Ratio. 13 Secũdò ex Caietano, & eodem D. Thoma. Si cùm homo operatur, non teneretur operari propter bonum finem, & operi indifferenti ex genere apponere rectum, & debitum finem; ſequeretur, quod nullum eſſet verbum otioſum: ſed hoc eſt abſurdum, & contra ſacram ſcripturam in qua dicitur nos reddituros fore rationẽ de omni opere otioſo; ergo omnis operans ex intentione, & deliberatè, vel apponit rectum finem, & eſt opus moraliter bonum; vel non apponit, & eſt opus moraliter malum. conſequentia probatur: quia verbum otioſum ſecundum Sanctos Patres, Baſilium in Regulis breuioribus interrogatione 23. D. Bernardum ſermone de triplici cauſalitate, & alios, eſt, quod caret honeſto fine, etiam ſi aliàs ex ſe indifferens ſit; at ſi homo non teneretur apponere finem debitum, licèt actus ille careret fine, non eſſet otioſum, quia non careret debito fine, ſiquidem nullus finis eſſet debitus tali actui.

3. Ratio. Tertiò. Si actus indifferentes in indiuiduo darentur, ſequeretur, quòd in nobis generarentur habitus indifferentes, ſed conſequens eſt falſum; ergo. Conſequentia patet, quia habitus generatur ex frequentatis actibus: falſitas conſequentis quoque eſt euidens experientia ipſa: quia videmus omnem habitum eſſe ad bonũ, vel ad malum.

4. Ratio. 14 Quartò probatur auctoritate Diui Aug. lib. 2. de peccatorum meritis, & remiſſione capit. 18. vbi inquit. *Quamquam voluntas mirum ſi poſſit in medio quodam conſiſtere, vt ne bona, nec mala ſit: aut enim iuſtum diligimus, & bona eſt: aut ſi omninò non diligimus, non bona eſt: quis verò dubitet dicere voluntatem nullo modo iuſtitiam diligentem non modo eſſe malam, ſed etiam peſſimam voluntatem: ſi ergo voluntas, aut bona eſt, aut mala, & vtique malam non habemus a Deo, reſtat vt bonam voluntatem habeamus à Deo.* Apertè ergo D. Aug. aſſerit omnem voluntatem eſſe bonam, vel malam, nec vllam in medio eſſe poſſe, vt nec ſit bona, nec mala.

5. Ratio. 15 Quintò facit ratio, quam adducit Caiet. cõtra Scotum, qui in 2. diſt. 7. loco citato tenet, quod actus carens debito fine ex inconſideratione ſit actus indifferens, quia non eſt malus contrariè, ſed priuatiuè tantum; vt poſtea videbimus ſic. Si priuatio debiti finis in actu humano non conſtituit actum malum contrariè. Pari ratione imò maiori, priuatio alicuius alterius circunſtantię non faciet actum malum contrariè. Conſequens eſt falſum; ergo. Conſequentia probatur: quia circunſtantia finis eſt prima, & magis intima. Falſitas conſequentis patet ex eo: quia actus boni ex genere ſuo ſi careant alijs circunſtantijs, ſcilicet tempore, & loco debito, ſunt mali moraliter, vt patet de actu coniugali, & alijs circunſtantijs ex Ariſtotele, & Tullio vbi agunt de circunſtantijs; ergo actus carens debito fine erit malus contrariè.

Opinio Scoti explicatur, & defenditur.
Caput Secundum.

16 OPortet nùnc explicare opinionem Scoti, quæ ab aduerſarijs non rectè intelligitur, neque exponitur. Locis ergo citatis 2. ſent. diſtin. 7. & diſt. 41. & quolib. 18. art. 1. Scotus primò diſtinguit de triplici bonitate actus, quæ ordinatè ſe habet. Prima eſt bonitas ex genere, ſiuè ex obiecto in communi conſiderato, vt capite precedenti diximus. Triplex bonitas actus. Hæc bonitas eſt prima bonitas, quæ ſupponitur à bonitate morali, & virtuoſa, & à bonitate meritoria. Secunda bonitas eſt moralis, ſeù ex circunſtantia; cum enim actus habet omnes circunſtantias ſibi competentes ſecundum rectam rationem eſt actus bonus moraliter perfectè. Tertia bonitas eſt meritoria, quę adeſt in actu, quando actus elicitur ex habitu charitatis, & gratiæ habitualis; tunc enim eſt dignus vita æterna. Exemplum primi. Dare eleemoſynam. Exemplum ſecundi. Dare eleemoſynam de proprio pauperi, qui eget, & in loco, quo melius poteſt competere ſibi, & propter Dei amorem. Exemplum tertij. Facere eleemoſynam non tantùm ex inclinatione naturali, vt fieri poterat in ſtatu innocentiæ, vel modo fieri poteſt à peccatore, ſi adhùc peccator exiſtens, & non penitens ex pietate naturali moueretur ad proximo benefaciendum; ſed ex charitate, ex qua faciens eſt amicus Dei in quantum reſpicit opera eius.

17 Huic triplici bonitati opponitur triplex malitia, ſcilicèt malitia ex genere quæ eſt, quando tranſit ſuper obiectum diſconueniens. Malitia ex circunſtantia, quando ſcilicèt deficit ei aliqua circunſtantia debita. Tertia malitia eſt ex demerito. Quælibet iſtarum malitiarum poteſt accipi contrariè, vel priuatiuè reſpectu ſuæ bonitatis. Priuatiuè accepta priuat tantum actum ſua bonitate. Contrariè accepta, vltra carentiam propriæ bonitatis actus, addit malitiam aliam, ſcilicet aliquid repugnans bonitati tali actui debitæ. Hanc diſtinctionem comprobat Scotus auctoritate Boetij ſuper prædicamenta cap. 4. Ad propoſitum, inquit Scotus, quod in prima malitia, quę eſt ex genere, idem ſunt malitia contrariè, & malitia priuatiuè. Et ratio eſt: quia, vt dictum eſt capite præcedenti, cum quis habet actum circa obiectum diſconueniens ſecundum rectam rationem, non ſolùm priuat actum bonitate ſibi debita; ſed etiam apponit illi malitiam repugnantem, ſcilicet obiectum repugnãs rectę rationi, & ſic actus eſt malus contrariè. In ſecunda verò, & tertia malitia inquit Scotus, quod malitia priuatiuè, & malitia contrariè non coincidunt. Ratio eſt, quia quoad ſecundam malitiam, quæ eſt ex circunſtantia contingere poteſt, quod aliquis actus eliciatur cum carentia alicuius circunſtantiæ requiſitæ ad perfectionem actus virtuoſi; & tamen non apponat aliquam circunſtantiam repugnantem bonitati illius actus. Tunc enim erit actus malus priuatiuè non contrariè. Vt ſi quis det eleemoſynam pauperi non ex circunſtantia finis debiti: quia non conſiderat, nec ſecundum alias circunſtantias requiſitas ad actum virtuoſum; ſi verò daret eleemoſynam pauperi propter vanam gloriam, eſſet actus malus contrariè. Similiter malitia contrariè, & priuatiuè ſumpta in tertio modo non conuertuntur: quia actus poteſt eſſe malus priuatiuè: eò quia non eliciatur ex gratia; non tamen erit malus contrariè, nec demeritorius, quia erit ſimpliciter bonus in genere moris ſecundo modo: talis autem actus, etſi non ſit meritorius, quia non procedit à gratia; tamen non eſt demeritorius, neque peccatum. Et ità tàm in ſecundo membro, quàm in hoc tertio poni videtur actus indifferens, qui licèt ſit malus priuatiuè, non tamen eſt malus contrariè, & ſic eſt indifferens. Et hic eſt actus indifferens ſecundum Scotum, & de hoc loquitur in 2. diſtinct. 41. & vbique, cùm ait, & probat dari actum indifferentem, qui nec ſit bonus, nec malus moraliter, & meritoriè. Sententia ergo Scoti eſt, quod cùm quis habet actum bonum ex genere, & ommittit aliquam circunſtantiam requiſitam ad perfectionem moralem actus, non tamen apponit circunſtantiam aliquam repugnantem rectæ rationi; quod actus ille in genere moris ſit indifferens, ideſt non ſit nec bonus, nec malus moraliter, ſed ſolùm cum apponit omnes circunſtantias requiſitas, & eſt perfectè circunſtantionatus; tũc ſit verè actus bonus moraliter: cùm verò apponit aliquam circunſtantiam repugnantem bo-

Triplex malitia actus.

nitati actus, tunc sit verè malus moraliter. Exemplum. Dans eleemosynam pauperi indigenti propter honestatem virtutis, & cum cæteris circunstantijs est actus moraliter verè bonus. Cùm quis dat eleemosynam pauperi propter vanam gloriam, vel quid simile, est actus moraliter verè, & simpliciter malus. Cum verò dat eleemosynam pauperi, sed non propter honestatem virtutis; quia non considerat, nec aduertit hūc finem, vult hunc actum non esse moraliter simpliciter bonum, sed indifferentem moraliter, scilicet nec bonum, nec malum. Similiter est dicendum de actu meritorio, cùm enim est circa obiectum conueniens, & est bonus in genere, & habet omnes circunstantias requisitas ad perfectionem moralem, & est ex charitate, est actus simpliciter meritorius: cùm verò caret vltima conditione, quod non est ex gratia, licèt sit bonus ex genere, & moraliter perfectè, est actus indifferens, scilicet nec bonus, nec malus meritoriè. Hæc est germana opinio Scoti ab ipso fusè explicata in 2. dist. 7. in solutione quæstionis, & probata in dist. 41. eiusdem secundi, vt nunc nunc videbimus.

1. Ratio Scoti.

18 Probat ergo Scotus primò, quod detur actus indifferens in indiuiduo moraliter. Et prima ratio desumitur ex Aristotele secundo Ethicorum capite quarto: nam ibi Aristoteles vult vniuersaliter, quod habitus virtutum generetur ex actibus virtutis, non ex virtute factis, vt quod habitus iustitiæ generetur ex actibus, & operibus iustis, non iustè factis, idest non factis ex virtute iustitiæ, quod est verissimum: si enim habitus virtutis, vt iustitiæ, fieret ex operibus iustis iustè factis, iam iustitia virtus inesset operanti iustè, antequàm virtus ipsa in eo esset genita; quod repugnat. Ad hoc enim vt actio sit virtuosa, & benè moraliter fiat, tria requiruntur ex Aristotele eodem capite scilicet scientia in operante; debet enim esse agens operans per cognitionem. Debet adesse electio. Tertiò debet adesse finis debitus scilicet vt fiat propter se ipsam. Ex hoc loco sic arguit Scotus. Actus ille iustus, sed non factus iustè, nec ex virtute non est bonus moraliter perfectè: quia non est ex virtute; neque est malus moraliter: quia est iustus ex Aristotile. Actus autem iustus non est malus; sequitur ergo quod sit actus indifferens, scilicet nec bonus moraliter, nec malus moraliter. Non est bonus, quia non habet omnes circunstantias perfectæ bonitatis moralis, neque est malus moraliter, quia generat habitum bonum moraliter: Et ideò Aristoteles appellat eum bonum, nimirum iustum. Necesse est ergo quod sit bonus, quia non apponit aliquam circunstantiam repugnantem. Est ergo solùm malus moraliter priuatiuè; ergo actus malus moraliter priuatiuè non est simpliciter malus, nec bonus moraliter; ergo est indifferens.

Tria requiruntur ad actum moraliter bonum.

Responsio Caietani.

19 Ad hoc argumentum respondet Caietanus, quod actus moralis carens aliqua circunstantia debita est malus moraliter, quia sola priuatio bonitatis moralis absque appositione alicuius malitiæ oppositæ, sufficit ad faciendum actum illum malum moraliter. Hæc responsio Caietani non est responsio, sed repetitio suæ opinionis. Nam ipse dicit, quod sola carentia alicuius circunstantiæ moralis facit actum moraliter malum, & quod non requiritur appositio contrariæ malitiæ: at hoc est quod vertitur in controuersiam, quia Scotus dicit priuationem circunstantiæ requisitæ non facere actum moraliter malum, sed indifferentem: hoc autem Scotus probauit ex Aristotele, & ex ratione ipsa ab Arist. adducta cōuincitur. Nā si habitus iustitiæ generatur ex operibus iustis nō iustè factis, certè sequitur, quod actus illi iniustè facti sint boni moraliter; alioquin non possent generare habitum virtutis, qui est bonus moraliter; malum enim per se non gignit bonum; at opera illa iniustè facta certè carent aliqua circunstantia requisita ad bonitatem moralem. Alioquin non essent iniustè facta. Cum ergo hæc contraria videantur, dicendum est, quod opus carens aliqua circunstantia non est perfectè actus bonus moraliter: non est etiam malus, quia non apponit circunstantiam repugnantem; ergo dicendum est, nec esse malum, nec bonum, sed indifferentem moraliter.

Reijcitur.

Replica Caietani.

20 At respondet Caietanus, quod cum Arist. inquit, quod actus iusti ex quibus fit habitus iustitiæ non iustè fiunt; non vult dicere, quod reuera non sint iusti, & boni moraliter; sed quod non sunt iusti, quia non fiunt promptè delectabiliter, & breuiter, vt faciat ab habituatis. Vnde inquit Caietanus sophisma consequentis est. Actus non fiunt ex virtute iustitiæ habituali; ergo non sunt iusti. Hæc responsio Caietani reijcitur ab ipso Arist. atque simul ostenditur Caietanum non intellexisse, in quo consistat essentia bonitatis moralis actus, quam ignorantiam ipse tribuit Scoto. Ait enim Arist. vbi suprà, non quemcunque actum rectè circunstantionatum esse actum virtutis, & moraliter bonum: nam si quis semel casu efficiat aliquem actū moralem cū omnibus circunstantijs requisitis, non pp hoc inquit Arist. ille actus erit actus virtuosus, & moraliter perfectè bonus, sed requiritur, quod efficiens huiusmodi actum efficiat illum. Primò sciens. Secundò ex electione. Tertiò firmo, ac immutabili animo. In his cōsistit essentia bonitatis actus moralis. Falsum est ergo quod actus iusti, ex quibus generatur habitus iustitiæ, & bonus, sint simpliciter boni: quia non sunt ex virtute, nec habēt ista requisita. Ideò cum ex opposito non apponat aliquam conditionem repugnātem bonitati actus, sequitur quod iure possint dici indifferentes, nec boni, nec mali; & quod indifferentia in bonitate, & malitia actus moralis debeat sumi ex ipsa priuatione alicuius requisiti, & non appositione aliquius conditionis contrariæ, & repugnantis; bonitas verò moralis constituatur ex appositione omnium conditionum debitarum moraliter; & malitia moralis, constituatur ex malitia contraria, seù ex appositione circunstantiæ repugnantis. Quod autem ait Caietanus operantem secundum rationem teneri ad apponendum semper omnes circunstantias debitas, alioquin semper peccaret moraliter, est omninò falsum, vt infra patebit de actibus meritorijs: esset enim nimis restricta vita ciuilis, si homo semper teneretur moraliter perfectè operari, & numquam facere actum indifferentem, sed quoties aliquam circunstantiam omittit, actus esset malus moraliter.

Reijcitur.

2. Ratio Scoti.

21 Secunda ratio Scoti ibidem est. Habens virtutem non necessariò tenetur in omnibus actibus vti virtute, & elicere omnem actum ex virtute; sed solum quando occurrit passio ità vehemens, quæ subuerteret rationem, nisi vteretur virtute; ergo in tali casu homo haberet actum non elicitū à virtute, & consequenter carentem hac conditione, vt sit à virtute, & tamen hic actus non esset malus moraliter: quod probatur, quia actus ille esset aptus natus generare virtutem, si non adesset; ergo dicendum est, quod non sit perfectè bonus, nec reuera malus, sed indifferens.

Responsio Caietani.

22 Respondet Caietanus, quod etsi habens virtutem non teneatur ad semper vti virtute, tenetur tamen quandocunque operatur vti forma virtutum, idest recta ratione; ac per hoc numquam potest indifferenter operari.

Reijcitur.

23 Contrà. Hæc Caietani propositio, Homo tenetur quandocunque operatur vti recta ratione, potest habere duplicem sensum. Alter est, quod tenetur vti recta ratione, ità quod non operetur malum, quod propriè sit malum, & hic sensus est verus; quia nunquam licet homini operari malum. Alter sensus est, quod homo teneatur semper quemcunque actum facit, illum facere perfectè moraliter, & in hoc sensu accipitur à Caietano, & est falsa: quia nimis dura esset vita ciuilis, si quotiescunque quis non habet actum perfectè circunstantionatum, ille peccaret, & esset actus malus moraliter, & ipse semper teneretur facere actum perfectè moraliter bonum.

Præterea. Et si homo teneatur semper vti recta ratione quādocunque operatur; tamen falsum est, quod recta ratio dictet vt semper eliciat actum perfectè circunstantionatum; ità quod si omittat aliquam circunstantiam re-

quisitam

quisitam ad perfectionem actus, actus sit malus, & peccet moraliter: nam si verum esset rectam rationem dictare, vt semper eliciat actum perfectè circunstantionatum, dictaret quoque, vt semper vteretur virtute: quia actus est tunc perfectè circunstantionatus, cùm est ex virtute: falsum est autem semper requiri, vt operetur ex virtute; ità quod si non operatur ex virtute peccet moraliter: quia tunc actus, qui elicitur à non habente virtutem, esset malus moraliter, nec posset generare virtutem, & habitum bonum. Quod iam supra ex Aristot. 2. Ethicorum cap. 4. esse falsum ostendimus.

De opere bono meritorio opinio Scoti cum fundamẽtis suis.

24 Sed hæc veritas euidentiùs manifestatur in opere bono meritoriè. In hoc enim genere euidenter manifestatur, quod datur actus indifferens, qui nec est bonus, nec malus meritoriè. Quod Scotus dist. illa. 41. sic explicat. Actus ad hoc, vt sit bonus meritoriè ad vitam æternam, debet iam habere bonitatem ex genere, & bonitatem moralem perfectam: istas enim duas bonitates, præsupponit; fit verò deindè meritorius ex charitate, seù gratia habituali inexistente, & ex relatione illius actus ad Deum, vt finem ex impulsu eiusdem charitatis. Hæc sunt certa. Adiungit Scotus, quod actus iste, qui ex charitate ordinatur ad Deum, potest ad ipsum Deum tripliciter referri. Vno modo actualiter, sicut cogitans actualiter de fine diligit illum, & vult aliquid propter illum. Secundo modo virtualiter, vt quis iam ex charitate cognoscens, & diligens Deum determinat agere pœnitentiam propter ipsum Deum; & deindè postea agit pœnitentiam, sed tũc cùm actu agit pœnitentiam nõ refert actu illam ad Deũ, quia de illa relatione tunc nihil cogitat: hic enim actus refertur in Deum in virtute prioris dilectionis Dei, & decreti faciendi pœnitentiam propter Deum. Tertio modo habitualiter, vt omnis actus, qui fit in charitate, est referibilis in Deum habitualiter: quia etsi actu, nec virtute referatur in Deum: tamen est aptus natus referri in Deũ, vt in finem ex charitate ipsa. Ex opposito, aliquis actus tripliciter potest dici non referri in Deum. Primo modo negatiuè absolutè, vt actus qui non refertur in Deũ actualiter, nec virtualiter. Secundo modo priuatiuè, quia non est natus referri, sicut peccatum veniale; quia licèt stet cũ charitate, tamen non est aptum natum cum charitate referri in finem. Tertio modo contrariè, scilicèt, quia corrumpit principium referendi scilicet charitatem, vt peccatum mortale.

Ad propositum. Actum, qui ex charitate refertur in Deum primo, & secundo modo, scilicet actualiter, & virtualiter, certum est esse meritorium. De tertio autem scilicet, qui nec actualiter, nec virtualiter refertur, sed solùm habitualiter, est difficultas, an sit meritorius, vel peccatũ veniale, vel indifferens, seù nec bonus, nec malus meritoriè. Et quidem certum est non esse peccatum mortale. Relinquitur ergò, quod sit vel actus meritorius, vel sit peccatum veniale, vel sit actus indifferens. Non videtur autem esse actus meritorius: quia tùnc sequeretur, quod homo existens in gratia semper mereretur: quia continuè elicit multos actus, qui nec actualiter, nec virtualiter referuntur in Deum, quod videtur absurdum. Neque videtur quod sit peccatum veniale: quia tũc sequeretur, quod existens in gratia cõtinuò peccaret venialiter: quia habet continuò plures huiusmodi actus, quos non refert, nec actualiter, nec virtualiter in Deum, quod quoque videtur absurdum. Videtur ergo dicendum, quod illi actus sint indifferentes, nec meritorij, nec demeritorij. Et confirmatur, quia tales actus non habent sufficientem rationẽ malitiæ peccati venialis: quia possibile est in eis nullam esse deordinationem, quæ sufficiat ad rationem peccati. Non enim tenetur homo nec tentione necessitatis, contra quam sit peccatum mortale, nec tentione minori, contra quãm sit peccatum veniale, referre semper actum suũ in Deum actualiter, vel virtualiter: quia Deus non obligauit nos ad hoc. Neque videtur in his actibus esse sufficiens ratio bonitatis, vt sint meritorij: quia non videtur sufficere minor relatio ad meritum, quàm relatio virtualis, qualis non est hic. Propter has rationes concludit Scotus, quod isti actus in genere meritorij sint indifferentes, nec boni, nec mali, idest nec meritorij, nec demeritorij. Vnde in fine illius quæstionis determinat, quod, & in genere naturæ, & in genere morali, & in genere meritorio sunt multi actus indifferentes, qui nec boni, nec mali sunt præter eos actus, qui non sunt humani: quia ab imaginatione procedunt, non à libero arbitrio, vt mouere barbã, leuare festucam, &c. de quibus non est sermo nunc, vt suprà in principio quæstionis diximus.

Respõsio, quæ à Thomistis afferri posset.

25 Ad hæc fundamenta respondent Caieta. & alij aduersæ sententiæ, quod ad malum morale sufficit malitia priuatiua, siuè contraria: quia dicunt, quod omne agens debet agere propter finem; ergo vel agit propter finem debitum, & cum alijs circunstãtijs omnibus requisitis ad actum perfectum, & sic est actus bonus moraliter; vel nõ est finis debitus, & sic est malus: hoc enim est eorum fundamentum principale. Ad id de opere meritorio nihil respondent. At hæc responsio confutata est à Scoto: quia nullibi apparet hęc obligatio, quod homo operans per rationem, & producens actum humanum teneatur semper adhibere omnes circunstantias debitas: quia esset nimis rigorosa vita ciuilis: & iam Arist. concedit aliquem actũ esse iustum; & tamen non esse iustè factum, vt sunt actus, qui generant virtutem: hoc autem maximè concurrit in bonitate meritoria. Nam vita Christiana esset valde arcta, si homo teneretur semper ad operandum ex charitate, & ad dirigendum omnes actus in Deum actualiter, vel virtualiter. Reijcitur.

26 Præterea. Semper vel mereretur, vel peccaret quocunque actu suo, quod non conceditur communiter propter rationem superius factam: quia non omnis actus habet semper tantam bonitatem, vt sit meritorius; nec tantam malitiam, vt sit peccatum. Ad fundamentum eius capite sequenti respondetur. 2. Ratio.

27 Tertiò. Nostra sententia confirmatur auctoritate D. Hieron. epist. ad D. August quæ inter epistolas D. Augustini est ij. ait enim. *Neque enim indifferentia sunt inter bonum & malum sicut dicunt Philosophi. bonum est continentia, malum luxuria; inter vtrunque indifferens ambulare, digerere, alui stercora, capitis purgamenta proucere, sputis reumata iacere. Hoc nec bonum, nec malum est.* Admittit ergo D. Hieronymus opera indifferentia moraliter, & in genere meriti. Hanc opinionem cum Scoto tenent. Alexander Alensis 3. p. q. 35. n. 3. D. Bonau. in 2. dist. 41. 2. 1. q. 3. Gabriel Biel in 2. dist. 41. q. 1. a. 2. conclu. prima. & alij ex recentioribus, Gabriel Vasquez p. 2. disp. 52. licèt opinionẽ Scoti malè, & benè in parte intelligat, saluet, & defendat, vt patet ex dictis à nobis, & legentibus ipsum Vasquez; tamen ait in praxi opinionem Scoti etiã multos ex aduersarijs amplecti, cum iudicent innumera opera, quæ fiunt sine hac relatione ad finem honestum non esse peccatum. Omitto hic opinionem Gregorij Ariminensis, qui vult omnem actum non relatum in Deum esse malum moraliter: quia contra ipsum habebimus particularem quæstionem de operibus moralibus. 3. Ratio.

Obiectiones Aduersariorum contra allatam sententiam adducuntur, & soluuntur, & rationibus primo capite adductis fit satis. Caput Tertium.

28 VErùm cõtra hanc opinionem Scoti præter rationes primo capite adductas Aduersarij sic arguũt. Caietanus vbi supra sic insurgit. Dionysius 4. cap. de diuinis nominibus, adductus à Scoto quolib. 18. art. 1. ait, quod bonum est ex integra causa, malum ex singularibus defectibus: vnde secũdum Dionysium ad hoc, vt actus sit bonus, requiritur integritas omnium requisitorum, & si aliquod illorum deficit, actus est malus; ergo ex Dionysio priuatio alicuius circumstãtiæ facit actum malum; etiam secundum expositionem Scoti ibidem; ergo ad hoc, vt

Prima obiectio ex Caietano.

actus sit malus sufficit carentia debiti finis, vel alicuius alterius circunstantiæ requisitæ, non autem ex malitia contrariè, seu ex appositione alicuius circunstantiæ repugnantis.

Confirmatio. Confirmatur, quia alioquin sequeretur, quòd Dionysius ibidem non assignasset diffinitionem mali, sed actus indifferentis: actus enim, cui aliqua circunstantia singularis deficeret non esset malus, sed indifferens, quod est absurdum euidens.

2. Ratio. 29 Secundò ait Scotus, quod ex his actibus indifferentibus generantur habitus indifferentes, qui nec sunt boni, nec mali; at falsum est, dari huiusmodi habitus: inquit enim Caietanus neminem hoc experiri in seipso, & proinde ridiculum esse illos ponere.

3. Ratio. 30 Tertiò arguit Vasquez par. 2. disp. 52. cap. 2. quòd Scotus non assignauerit regulam verā cognoscēdi actum indifferentem à bono, & malo, sic, Omne agens agit propter finem; ergò faciens iustum actum, & non propter honestatem iustitiæ facere debet propter alium finem; tunc quæro, vel ille finis est bonitas alicuius alterius virtutis, vel obiecti boni, vel mali, vel indifferentis: si propter alium finem bonum; ergò actus ille erit bonus: si propter aliquem finem malum, actus erit malus: si autem propter obiectum aliquod indifferens, sequitur dari obiectum indifferens, quod negauit Scotus, dum asseruit omnem actum ex genere, & obiecto esse vel bonum, vel malum, neque vllum indifferentem, vel medium dari.

Ad primā obiectionem. 31 Ad primam obiectionem respondetur ex Scoto eodem quolib. 18. a. 1. malitiam moralem esse duplicem, scilicet priuatiuam, & contrariam. Dionysius vt ibi ait Scotus loquitur de malitia morali, priuatiua. Concedit enim ibi Scotus, quod actus carens aliqua conditione necessariò requisita est actus malus moraliter priuatiuè; sed inquit, quòd hæc malitia priuatiua non facit propriè, & perfectè actum malum moraliter, sed requiritur, quod adsit malitia contraria. Vnde videmus Aristot. vocare actum carentem aliqua circunstantia necessaria ad perfectionem moralem actum iustum, & bonum. Ratio etiā recta hoc dictat: quia videmus habitum bonum virtutis generari ex actibus, qui tamen nō sunt perfectè boni moraliter, vt visum est ex Arist. 2. Eth. cap. 4. de actibus generantibus habitum iustitiæ, & alios habitus virtutis.

Ad confirmationē. 32 Per hoc patet ad confirmationem. Dionys. enim assignauit diffinitionem mali moralis, quod opponitur bono morali perfecto, & simpliciter bono, non mali moralis, quod opponitur bono morali communiter sumpto: hoc enim est malum morale contrariè sumptum. Actus autem malus priuatiuè moraliter, & non contrariè potest dici actus indifferens communiter: quia nec est perfectè bonus moraliter, cum ei deficiat aliqua circunstantia requisita; nec sit malus propriè, & verè: quia non apponit conditionem contrariam. Et hac ratione ab Aristot. appellatur actus bonus.

Ad secūdā. 33 Ad secundam, mirum est Caiet. negare in hominibus esse, & generari habitus indifferentes, atque in hoc exultare; quasi Scotus quid ridiculum dixerit; nam certū est, quod multi ex diuersis deambulationibus, vel ad vitandum frigus, vel quia piget semper sedere, sæpiùs deambulare consueuerunt absque eo, quod in aliquem honestum finem, vel malum hanc deambulationem referant; atque ex his frequentatis actibus generare in se habitum deambulandi, ita intensum, vt quandoque nesciant, ab ambulatione abstinere. Idem euenit de actibus purgandi caput, reumata sputis reijciendi, & similibus, quos ipsa experientia, ad quam Caiet. recurrendum esse vult, docet.

Ad tertiam 34 Ad tertiam rationem ex Vasquez respondetur verum esse omne agens per cognitionem agere propter finem, & consequenter facientem actum humanum facere propter aliquem finem. Et cùm quæritur, vel iste finis est honestas virtutis, vt putà faciens actum iustitiæ, facit propter virtutem iustitiæ; vel propter bonitatem alicuius alterius virtutis; vel propter obiectum bonum, vel malum, vel indifferens.

35 Respondeo hanc esse insufficientem enumerationem. Potest enim facere actum illum propter aliquem finem, qui non sit virtutis, nec tamen sit malus, vt e. gr. propter vtilitatem propriam (E. G.) potest quis facere eleemosynam, non propter honestatem actus, sed vt pauper subleuatus à paupertate ei inseruiat in aliquo opere honesto. Hic finis non est debitus finis moraliter huius actus: quia debitus finis est, vt operetur propter virtutem; tamen nemo dicet hunc finem esse malum, & hominem ex tali fine operantem peccare moraliter. Similiter aliquis potest facere actum iustitiæ absoluendo innocentem nō propter amorem iustitiæ, sed ex compassione naturali. Hic finis non est finis debitus moraliter, sed honestas virtutis, vt dictum est; nec tamen est malus; ergo est indifferens. Et sic actus iste est moralis indifferens, quia est malus priuatiuè tantum, non contrariè.

36 Præterea. Diximus etiam cum Scoto dari actum indifferentem ex genere in communi cōsideratum, licèt in ordine ad operantem omne obiectum sit bonum, vel malum: quia vel apponit malitiam cōtrariè, & sic est malus: vel non apponit malitiam contrariè, & sic est bonus ex genere. Si verò apponit deindè omnes circunstantias moraliter requisitas ad actum moralem est bonus moraliter; si verò omittit aliquam, nullam tamen contrariam apponit est indifferens moraliter, vt dictum est. Tunc sic potest responderi, Quod quis potest velle obiectum indifferens in genere propter se, vt scalpere barbam, leuare festucam de terra propter se; & tunc actus iste sicut est indifferens ex obiecto, & in genere, ita erit indifferens in indiuiduo ex circunstantia: quia finis, qui est circunstātia, est indifferens. Quod autem aiunt D. Thom. & alij, quod talis actus esset malus in indiuiduo: quia operans debet ordinare actum suum ad finem honestum, scilicet virtutis. Respondetur nullibi haberi hanc regulam, & falsum esse rectam rationem dictare, vt operans per rationem, debeat semper omnem actum ordinare ad honestatem virtutis, & apponere omnem circunstantiam moralem, quæ faciat actum perfectè bonum moraliter, ita quod si deficiat, actus sit moraliter malus: nā vt vidimus supra ex Aristot. habitus boni virtutis fiunt ex actibus carentibus aliqua circunstantia necessaria ad perfectionem actus moralis. Malitia ergo priuatiua non facit actum moraliter malum, sed indifferentem, malitia verò contraria maximè.

37 Ad primam rationem primo capite adductam ex D. Tho. negatur minor propositio, scilicet, quod homo cum liberè, & ex intentione operatur, debeat semper operari, propter finem honestum, & propter virtutem ipsam, ita quod positiuè adhibeat circunstātiam finis debiti. Ad probationem, cum dicitur, quod operans secūdùm rationem debet ordinare actum ad finem debitum. Respondetur hoc esse falsum. Sufficit, quod nō ordinet ad finem malum, & non apponat malitiam contrariè. Quod enim homo teneatur semper operari opus studiosum; ita quod si non operatur studiosè sit peccatum, nulla ratione probare possunt auctores contrariæ sententiæ, vt supra ostendimus: ideò datur actus indifferens in genere moris, & multò magis in genere meritorij. Ad primā rationem primo capite adductā.

38 Ad secundam respōdeo, falsum esse, opus otiosum esse omne illud, quod caret fine honesto: variè enim Patres loquuntur, & exponunt quid sit verbum, & opus otiosum. Præsertim ergo opus otiosum est illud, quod cum ex se sit aptum alteri afferre ædificationem, & vtilitatem, ita fit, vt nulli afferat vtilitatem: & hoc modo videtur intelligere D. Basilius loco citato: loquitur enim ad Monachos, quia cum sint vitæ arctioris, & tendere maximè debeant ad perfectionem, omnia verba, & opera eorum videntur esse otiosa, cum non ordinantur ad vtilitatem alicuius. D. Chrysost. super illum locum Matthei per verba otiosa intelligit verba mendacia, & calumniosa: & hæc Ad secūdā.

expo-

expoſitio eſt ad mentem textus: quia Chriſtus Dominus ibi reprehendit Pharisæos, qui calumnijs, & mendacijs afficiebāt Chriſtum Dominum. Vnde ipſe Chriſtus inquit homines reddituros rationem de omni verbo otioſo idest mendaci, & calumnioſo. Denique verbum otioſum non eſt omne illud, quod caret fine honeſto, ſed illud, quod poſſet afferre aliquam vtilitatem ſpiritualem, & cauſare aliquod bonum, & non cauſat, nec ordinatur ad cauſandum illud, vt verba fabuloſa, & vana in quotidianis conuictibus, & ſimilia: non autem volunt dicere Patres, quod ſi quis tollat feſtucam de terra ad intingendum eā in liquore ad guſtandum illum, vel moneat aliquem, vt emundet veſtem, vel tollat pulicem, iſta ſint opera otioſa, de quibus in die iudicij homo teneatur reddere rationem Deo.

Ad tertiā. 39 Ad tertiam reſpondeo, falſum eſſe, non dari habitus indifferentes generatos ex actibus indifferentibus, & quod Caiet. miratur reperiri huiuſmodi habitus videtur eſſe ſtupiditas hominis: nam videmus aliquos habituatos eſſe magis in vno loco ambulare, quàm in alio, nō alia de cauſa, niſi quia ille locus ſibi videtur aptior; vel quia commodiorem non quærunt: generatur autem habitus ambulandi in eo loco ex frequentatis actibus ambulandi, qui actus ambulandi, nec eſt bonus, nec malus. Similiter videmus aliquos ſæpe conſueuiſſe expuere, reumata iacere; qui certe habitus, nec boni, nec mali ſunt, & alia ſimilia: ideò cum hæc exempla pateant non ſunt neganda.

Ad quartā. 40 Ad auctoritatem D. Auguſ. reſpondeo eum non negare voluntatem aliquando nec eſſe bonam, nec malam, & indifferentem; ſolummodo ait non poſſe eſſe mediam, & indifferentem, quando comparatur ad actum iuſtitię, & pręcepti. Nam vel amplectitur iuſtitiam tunc, vel non: ſi primum, eſt iuſta, quia facit id, ad quod tenetur: ſi verò non, eſt mala, quia non datur medium: cum enim offertur voluntati tempus, quo quis tenetur habere actum diligendi Deum, vel confitendi eum coram hominibus, vt cum fides ab eo exigitur, tenetur habere actum diligendi, & confitendi Deum. Vndè ſi habet meretur, ſi verò non habet, peccat: quia hic non datur medium. At hoc non eſt ad propoſitum: ideò non negaret dari actum indifferentem eo modo quo dicimus nos, & apertè admittit Sanctus Hieronymus vbi ſuprà.

Ad quintā. 41 Ad quintā conceditur conſequentia. Omnis enim actus moralis carens aliqua circunſtantia requiſita, niſi apponat circunſtantiam repugnantem, non eſt malus cōtrariè, ſed ſolùm priuatiuè, & conſequenter eſt indifferēs, vt explicatum eſt. Negatur verò falſitas conſequentis. Ad probationem reſpondetur, actus humanos carentes aliqua circunſtantia requiſita eſſe malos priuatiuè, non contrariè ſecundum Philoſophos; eſſe verò malos contrariè, quando apponitur circunſtantia repugnans. Iam verò dictum eſt, aliquos actus ſic malos priuatiuè moraliter eſſe indifferentes, quia non ſunt perfectè virtuoſi: nec omninò ſimpliciter mali, quia nō ſunt mali contrariè. Quod ſi aliquando aliquis actus carens aliqua circunſtantia dicitur malus contrariè, hoc euenit non propter carentiam ſolam illius circunſtantiæ, ſed quia apponitur circunſtantia repugnans. Sæpe enim multæ habitudines priuationis vocabulo nominantur, quæ ſunt quid poſitiuum, vt illiberalitas, imprudentia, & ſimilia, vt habet ſimplicius in prędicamentis relatus à Scoto in quolib. illo 18. art. 1. in propoſito autem ſæpe contingit, quod actus dicatur carere circunſtantia debita; quia appoſita eſt circunſtantia cōtraria, vt habere copulā matrimonialem in loco ſacro, dicitur carere circunſtantia loci, & eſſe ſacrilegium: & tamē apponitur circunſtantia poſitiua cōtraria, quæ facit actū non ſolùm priuatiuè, ſed contrariè malum: ideò ſæpè propter hanc ambiguitatem actus ſimiles videntur mali priuatiuè, & tamen ſunt mali contrariè.

DISPVTATIO V.

De Differentia inter peccatum mortale, & veniale.

Peccata omnia non eſſe paria, variæ diuiſiones peccatorum, & de peccato cogitationis, ſermonis, & operis, Caput Primum.

1 Vidimus ſupra diſp. prima, quod etſi peccatum differat à malo, tamen, vt plurimùm pro eodem accipi: ideò cum ſupra oſtenderimus omnem actum eſſe malum, vel bonum, vel indifferentem videndum eſt modo, quomodo actus mali, ſeu peccata inter ſe conueniant, & quomodo inter ſe diſtinguantur, vt intelligere poſſimus quomodo deleri poſſint.

In primis ergo certū eſt, non omnia peccata eſſe æqualia. Hic enim fuit error Stoicorum, quem deinde ſequutus fuit Cicero, & Iouinianus hæreticus. Stoici enim, vt refert Cicero in oratione pro Morena, & 3. paradoxo aſſerebant peccatum nihil aliud eſſe, quàm trāſgreſſionem pręcepti, non aliter quàm ſi quis terminum aliqua linea ſibi præfixum tranſiret. modo ſub inferebant, omnes, qui tranſgrediuntur terminum illum, ęqualiter tranſeunt; neque enim vnus magis, quàm alius terminum impoſitum linea pręfixum tranſit; ergo neque vnus magis peccat, quàm alter. Non omnia peccata sūt æqualia. Ratio Stoicorum.

2 Addere poſſumus aliam rationem pro ipſis. Ex communi ſentēnia Theologorum Scholaſticorum peccatum formaliter cōſiſtit in priuatione: vna autem priuatio non eſt maior alia; ergo vnum peccatum non eſt maius alio. Alia ratio pro eodem errore.

3 Hæc tamen hæreſis à D. Hieronymo confutata eſt contra Iouinianum teſte D. Auguſtino Epiſtola 29. aliquantùm à principio, & falſitatis conuincitur multis teſtimonijs Sacrę ſcripturę, pręſertim auctoritate D. Pauli prima ad Corint. 5. verbis iſtis. ***Auditur inter vos fornicatio, qualis nec inter gentes, vt ſi quis habeat vxorem patris ſui.*** Iudicabat ergo D. Paulus fornicationem illam habendi vxorem patris ſui fuiſſe magis nephariam quàm fornicationē, quæ inter gentes eſſe ſolebat. Et Ioannis 19. inquit Saluator, ***propterea qui me tradidit tibi maius peccatum habet.*** Secundùm enim Diuum Auguſtinum in his verbis fit comparatio inter peccatum Iudęorum, qui tradiderūt Chriſtum Pilato, & peccatum Pilati. Peccatum autem Iudæorum fuit maius, quia tradiderunt Chriſtum propter inuidiam: at Pilatus tradidit Chriſtum propter timorem Romanorum. Reijcitur.

4 Rationes autem Stoicorum nullius momenti ſunt. Nam conceſſo, quod peccatum ſit trangreſſio legis, & termini præfixi vt diximus prima Diſp. tamen illa tranſgreſſio termini prefixi poteſt eſſe maior, vel minor. Si enim aliquis Dux pręfixiſſet terminū aliquibus militibus, qui tranſiret illum quoad decem paſſus, magis peccaret contra legem, quam qui tranſgrederetur quoad vnum. Pręterea mala prohibita per leges, & bona præcepta ſunt inæqualia: maius enim malum eſt homicidium quam furtum; ergo tranſgreſſio legis prohibentis homicidiū eſt maius peccatum, quam tranſgeſſio legis prohibentis furtum. Ad primā rationē pro Stoicis.

5 Ad ſecundam iam diximus in prima diſputatione, quomodo etſi peccatum pro formali ſit priuatio, tamen vnum ſit grauius altero. Vnuſquiſque enim actus peccati eſt carentia rectitudinis debitæ: vnde illud peccatum eſt grauius, quod maiori, & meliori rectitudini ex genere opponitur. Vnde cum peccata ex genere ſic ſe habeāt, quod vnum opponitur maiori bono, & iuſtitiæ, quàm alterum, ſequitur, quod etiam vnū peccatū ſit maius altero. Ad ſecūdā.

6 Cum ergo peccata ſint inęqualia, & vnum magis, vel minus graue alio; vt hęc grauitas, & eorū ſpecies dignoſcātur, varię diſtinctiones peccatorū afferūtur à ſacris Theologis ex Sacra ſcriptura, vt eſt videre apud Magiſtrum. Variæ diſtinctiones peccatorū.

Sen-

Sententiarum in 2.dist.42. & Scholasticos ibidem, & D. Th. p. 2. quæst. 72. Alensem 2. par. multis omissis, præcipuè sunt istæ. Prima diuisio, quam refert Magister Sent. prædicta distinctione 42. & Scotus eadem dist. est ex D. Hieronymo super Ezechielē c.43.tomo 5.nempè triplex esse peccatum, cordis, verbi, & operis; quæ diuisio etiam ab alijs plurimis adducitur. Secunda diuisio est Diui Augustini in lib. de sermone Domini in Monte, relata in capite *sicut*, de pœnitentia dist.2. in peccatum cordis, facti, & consuetudinis. Tertia diuisio est Sancti Gregorij in lib. 33. Moralium cap.31. relata a Magistro Sent. in 2.dist.42. in septem peccata capitalia superbiam, auaritiam, luxuriam, gulam, iram, inuidiam, & accidiam. Huic annecti potest diuisio D. Ioannis in canonica, *omne quod est in mūdo, aut est concupiscentia carnis, aut oculorum, aut superbia vitę*. Quarta diuisio est Isidori in lib. de Summo bono relata à D. Tho. p.2.quæst.72.a. 2. in Deum, proximum, & in se ipsum. Quinta diuisio est in peccatum per excessum, & in peccatum per defectum, quam affert D. Tho. eadem q. 72.a. 8. Sexta diuisio est in peccatum omissionis, & commissionis. Septima diuisio est peccati in filiū, & Spiritum sanctum, quæ ab omnibus ponuntur. Octaua diuisio, quæ est principalis, & maximè necessaria seu est diuisio in peccatum mortale, & veniale, quæ est communis omnium Catholicorum Theolgorum, & de hac pręsertim est agendum. De his verò contendunt, an specie differant; sed nos vnamquamque breuiter explicabimus, deinde quid de distinctione specifica dicendum sit videbimus.

1. Diuisio peccati. 2. Diuisio. 3. Diuisio. 4. Diuisio. 5. Diuisio. 6. Diuisio. 7. Diuisio. 8. Diuisio.

1. Diuisio explicatur. Quomodo peccatū sit in cogitatione.

Ex his autem diuisionibus adductis, prima est valdè vtilis, quam Scotus diligenter tractat in secundo dist. 42. explicans eam tribus quæstionibus breuiter. Quærit ergo primò Scotus, quomodo peccatum sit in cogitatione: pro cuius solutione pręmittit aliqua generalia, quæ sūt necessaria ad cognoscendum etiam quomodo peccatum sit in sermone, & opere, & ad totam materiam de peccato. Primum est quod malitia primò, & formaliter non est, nisi in aliquo actu voluntatis. Hoc probatur, quia tàm peccatum originale, quàm actuale est in voluntate. Et de originali patet in disp. de ipso habita 3. lib. dist. 3. peccatum enim originale est voluntarium non voluntate nostra, sed parentū nostrorū Adæ, & Euę. Sicut enim peccatum originale non est peccatum actuale in nobis, sed habituale transfusum à parentibus, ita nō est voluntarium in nobis actu, sed habitu, scilicet voluntate parentum. Allata autem propositio, quod malitia primò, & formaliter sit in voluntate, probatur diffusè ab Anselmo lib. de conceptu, & peccato originali cap. 4. & ante à D. Aug. 3. de libero arbitrio, vbi inquit, *causa primò peccandi est voluntas. Nihil enim est peccatum, nisi quod est in potestate facientis, & nihil est in potestate facientis, nisi quod est in potestate voluntatis eius: quia nihil pręter hoc est imputabile*. Et propter hoc 12. de Ciuitate Dei cap. 8. asserit, quod debita pęna sequitur defectus voluntatis, & ibi D. Aug. ex professo probat defectus omnes, & malitias oriri à voluntate. Ex hoc ergo habetur, quod peccatum est in solo velle, & in alijs rebus, in quibus est peccatum, est solum mediante actu voluntatis, scilicet mediante velle.

Malitia primò, & formaliter est in actu voluntatis.

1. Ratio.

2. Ratio.

7 Secundò probatur eadem assertio, omnis alia causa in vniuerso præter voluntatem, naturaliter agit; ergo nulla propter suam actionem est vituperabilis, sicut nec laudabilis; ergo in nulla sua actione sic per se considerata est peccatum. Hæc ratio confirmatur ex D. August. lib. 3. de libero arbitrio, vbi ait, quod causa naturalis non agit, nisi secundum quod accipit ab alio, vt agat; & propter hoc in nulla sua actione est vituperabilis, & consequenter in nulla sua actione est peccatum. Ex his duabus rationibus concludit Scotus, quod malitia, & peccatum non potest esse primò, & formaliter in cogitatione, sermone, & opere exteriori; sed est primò, & formaliter in actu voluntatis.

2. Assertio Scoti.

8 Secunda assertio. Licèt peccatum non possit esse formaliter, nisi in voluntate; tamen materialiter potest esse in cogitatione, sermone, & opere exteriori. Hæc assertio probatur; quia secundum D. Anselmum vbi supra, voluntas est motor in toto regno animæ, & omnia ei obediunt; sicut ergo voluntas tenetur habere rectitudinem in actu suo, ita tenetur habere illam in alijs actibus exterioribus, ad quos cooperatur vt motor. Vnde sicuti mouendo potentias inferiores ad actus bonos, actus illorum sunt boni bonitate participata; ita mouēdo malè illas, earum actus non sunt recti, sed mali; voluntas autem tenetur dare illis rectitudinem. Hęc ratio habetur apud D. Anselmum in eodem lib. cap. 4. vbi loquens in forma aliarum potentiarum, inquit. *Dedisti nobis Dominum, cui obedire non possumus*, & dicit, quod voluntas mouet alias potentias in nobis, sicut instrumenta. Deducit ex eodem fundamento Scotus aliud corrolarium, nimirum, quod nullus actus potest esse malus etiam materialiter, nisi sit imperatus ab actu voluntatis formaliter malo, quod est euidentissimum ex eodem principio.

Malitia, & peccatū est in cogitatione, sermone, & opere exteriori materialiter.

9 Ex istis respondet Scotus ad quæstionem propositam, an in cogitatione possit esse peccatum, & duo declarat. Primum an cogitatio sit in potestate voluntatis. Secundum est, quomodo cogitatio ex hac subiectione ad voluntatem contrahat malitiam: circa primū tractat Scotus quęstionem prolixam, de qua infra, An cogitatio sit in potestate intellectus; sed resolutio est cogitationem aliquam esse in potestate voluntatis, quod probat: quia si cogitatio non esset in potestate voluntatis, intellectus staret semper in cogitatione obiecti perfectissimi, neque voluntas posset auertere illum à cogitatione talis obiecti, quod videmus experientia esse falsum. Consequentia probatur: quia agens perfectius circa idem obiectum agit fortius, & impedit minus perfectum agens: patet, nā si ignis, & aqua agant circa idem obiectum, ignis impediet actionem aquæ, data proportione: sed causę producentes intellectionem sunt naturales, scilicet obiectum, & intellectus agens, & possibilis; ergo posito obiecto nobiliori præsente intellectui fortius mouebit intellectum, quàm moueat obiectum ignobilius, & sic semper detinebit intellectum in contemplatione sui, & sic non poterit auerti ab illo.

Solutio quæstionis an cogitatione possit esse peccatū.

An cogitatio sit in potestate voluntatis.

10 Verùm contra hoc facit, quod intellectio, & cogitatio præcedit actum voluntatis; voluntas enim non fertur nisi in pręcognitum; ergo videtur, quod cogitatio non sit in potestate voluntatis. Propter hoc distinguit Scotus, quòd duplex èst cogitatio, alia antecedens, & prior actu voluntatis, alia posterior. Prior non est in potestate voluntatis, quod probat Scotus ratione, & auctoritate. Ratione, quia talis cogitatio præcedit actum voluntatis saltem natura, quod autem sic præcedit actum voluntatis non est in potestate nostra. Auctoritate verò ex D. August. de libero arbitrio cap. 15. vbi ait, *non est in potestate nostra, quia visis tangamur*. Ista autem cogitatio præcedens appellatur primus motus, qui communiter dicuntur non esse in potestate nostra.

Primi motus nō sunt in potestate nostra.

In qua re tamen sunt diuersæ opiniones. Solet enim communiter distingui inter Scholasticos, quod motus appetitus, seù voluntatis sunt in duplici discrimine, quidam sunt primò primi, quidam secundò primi, quæ est distinctio Alēsis 2.p.q.108. Motus primò primi sunt, qui inopinanter, & subito ante omnem actum considerationis in nobis insurgunt: secundum alios verò sunt motus, qui ex aliqua corporis perturbatione oriuntur. Motus secundò primi sunt motus, qui primò statim succedūt. Sed melius, & clarius distinguitur cū Scoto, ꝙ motus, seù intellectus seù sensus, (idē enim est iudiciū de omnibus potentijs naturalibus) vel præcedunt actum deliberatiuum voluntatis, vel subsequuntur. Priores dicuntur primi motus; posteriores dicuntur motus secundi. Ad propositum nonnulli Doctores dixerunt primos motus quoscunque, qui præcedunt actum deliberatiuum voluntatis, esse peccata, etiam in baptizatis, non vitio voluntatis, sed fomitis peccati originalis. Et hanc opinionem sequuntur hęretici nostrorum temporum, sed facilè reijcitur: quia in baptismo tollitur

Opinio Hereticorum reijcitur.

tollitur omne illud quod habet veram rationem peccati: concupiscentia verò, quæ remanet, & aliquando appellatur ab Apostolo peccatum ad Romanos 8. & ad Galatas 3. non est peccatum formaliter sed materialiter, scilicet, quia est à peccato, & ad peccatū inclinat. Alij vero Theologi, vt Alensis loco citato, D. Thomas quæst. 74. a. 3. ad secundum, Albertus in 2. dist. 36. a. 4. D. Bonau. a. 1. quęst. 2. Caietanus p. 2. quæst. 74. a. 3. tenent, quod primi motus prædicti sint peccata venialia propter negligentiam voluntatis, quæ potuit hos motus comprimere ne insurgerent, & probant auctoritate D. Pauli ad Romanos 7. *non quod volo bonum hoc ago, sed quod nolo malum*. Sed hæc sententia iam communiter derelinquitur, & opinio Scoti acceptatur, quam habet dist. 42. quęst. 3. ad 1. & Ricardus in 2. dist. 21. a. 2. quæst. 3. & nonnulli alij ex recentioribus quos adducit, & sequitur Vasquez p. 2. disp. 106. quæ opinio est quod prædicti primi motus, qui præcedunt deliberationem voluntatis nullo modo sint peccatum, nec mortale, nec veniale. Ratio à Scoto adducta est: quia quod præcedit actum voluntatis non est in potestate nostra: ideò neque est laudabile, neque vituperabile. Et confirmatur auctoritate adducta ex D. August. ex primo lib. de ciuitate cap. 25. sub fine, vbi inquit, *quod si illa concupiscentialis inobedientia, quæ adhuc in membris moribundis inhabitat præter nostræ voluntatis legem, quasi lege sua mouetur: quantò magis est absque culpa in corpore non consentiente, si absque culpa est in corpore dormiente?* Ergo primi motus non sunt peccata.

Reijcitur.

Obseruat tamen Scotus in responsione ad illud primū argumentum, quod delectationes, quæ sunt in voluntate tanquam primi motus, tunc sunt peccatum, quando ipsa voluntas condelectatur appetitui sensitiuo: quia illi non sunt sine actu rationis, & voluntatis præcedente: cum enim voluntas se delectat in obiecto illicito sibi prȩsentato à potentijs inferioribus, signū est quod consentit: quia si non consentiret in illud, eniteretur cogitationem illius expellere; quod non faciendo, signum est eam assentire, & sic actus illi non præcedunt, sed subsequuntur actum voluntatis, & sic sunt peccata.

Consensus interpretatiuus.

11 Obseruandum est adhuc, quod ad hoc, vt actus sit peccatum, necesse est quod intellectus respiciat legem æternam, idest legem naturalem, vel positiuam, diuinam, & humanam, & iudicet, an actus ille sit contra illam; si enim nouerit esse contra, & tamen consentiat, est peccatum; si verò non respexit legem æternam, sed solum commodum temporale non aduertens aliquid de lege diuina, & hoc sine negligentia (ita quod non debuit tunc respicere legem æternam, & proindè non potest iudicari quod interpretatiuè consentiat) non est peccatum. Et hoc est, quod alij dicunt peccatum esse in portione superiori, non in inferiori, de qua agunt Theologi cum D. Thoma p. 2. quæst. 74. art. 7. & nos infrà tangemus. Ad auctoritatem Apostoli, *Hoc ago, quod odi malum*, patet loqui de primis motibus: hi enim aguntur à nobis sine consensu. Sed contra hoc est replica Scoti illa quæstione tertia, dist. 42. in responsione ad secundum, quod primi motus videntur esse peccata: quia voluntas non prȩuenit. R. Scotus ibidem quod si hoc modo in illis motibus est peccatum hoc erit peccatum omissionis non commissionis, idest peccatum erit in voluntate, quæ potuit facere aliquid, ad vitandos hos motus primos, & non fecit, & sic peccauit omittendo. Ex hoc autem sequitur, quod peccatū formaliter est in actu voluntatis interiori, præcedente tamen notitia. Et proinde primi motus, qui propriè præcedunt actum voluntatis nunquàm sunt peccata. Hæc de cogitatione præcedente actum voluntatis.

Peccatum est in possessione superiori necessariò.

12 Redeundo ad alteram cogitationem, quæ est posterior actu voluntatis. Hæc secunda, est in potestate voluntatis, & potest à voluntate imperari: nihilominus quomodo hæc secunda cogitatio sit in potestate nostra, sunt varij modi, quos adducit, & confutat Scotus, vt postea tractando de libertate voluntatis videbimus. Modus dicendi Scoti est hic; quod, dùm in intellectu est vna intellectio perfecta, & distincta in eodem, sunt plures intellectiones imperfectæ, & indistinctæ. Hoc patet in visu: in puncto enim pyramidali visionis oculus videt vnum perfectè: tamen in eadem pyramide videt multa indistinctè, & imperfectè. Videmus in platea multos homines, tamen pyramidalis visio tendit in vnum solum perfectè, in alios imperfectè. Modò potest voluntas se complacere in aliquo obiecto indistinctè cognito, & auertere intellectum ab illo, quod distinctè intuebatur, & facere vt intueatur aliquod illorum aliorum obiectorum, quod imperfectè intelligebatur; & tunc illud obiectum distinctè cognosceretur, & non illud aliud, quod erat primum, & sic de alijs. Hoc autem fieri potest: quia anima perfectius, & fortius agit, quando agit pluribus potentijs, & præsertim superiori, & inferiori, quàm quando agit sola inferiori: in illo autem actu, quo voluntas auertit intellectum à priori obiecto operatur non solum intellectu, sed voluntate, quę est potentia superior: ideo producit fortiorem actum, & sic facit, vt intellectus cogitet de illo obiecto, quod prius confusè cogitabat, principaliter, & auertatur a priori obiecto, & sic patet qualiter secunda cogitatio sit in potestate voluntatis, & possit illam, & quamlibet talem imperare.

Ad auctoritatem Apostoli.

Quomodo volūtas, ad libitū, moueat intellectū ad cognoscendū hoc, vel illud obiectum.

13 Quantum ad secundum principale, quomodo cogitatio ex hac subiectione ad voluntatem possit contrahere malitiam, breuiter respondet Scotus, quod in voluntate sunt duo actus, scilicet complacentię, & concupiscentiæ: prior autem est actus complacentię, quàm concupiscentię: nam voluntas habita mediante intellectu cognitione de obiecto, vel in illo se complacet, & illud concupiscit, vel non se complacet, & illud reijcit. Ad propositum, sicut voluntas potest se complacere in aliquo obiecto disconuenienti, & illud sibi concupiscere; ità potest complacere sibi in aliquo obiecto potentiarum inferiorum non conuenienti, & illud eis concupiscere: sicut se complacet in actu intellectionis alicuius obiecti, & illud concupiscit ipsi intellectui. Quando igitur voluntas imperat cogitationem alicuius illiciti, quia vult, quod obiectum sit sibi prȩsens ad continuandum delectationem, & complacentiam in illo, si illud cogitatum sit illicitum in complacentia plena illo modo prædicto, est peccatum mortale; & hoc non solum de carnalibus, vt cogitare de aliquo actu luxuriæ, sed etiā de actibus intellectus illicitis; vt cogitare, & imaginari, & morari in cogitatione mortis inimicorum cū delectatione etiam sine consensu in opus, est peccatum mortale, & appellatur communiter cogitatio morosa. Patet ergo, quod cogitatio de obiecto illicito procedens ex complacentia voluntatis in illo post deliberationem est peccatum mortale.

Qūo cogitatio accipiat maliciā ab actu voluntatis.

Quæ sit cogitatio morosa.

Cogitatio morosa est peccatum.

14 Hanc opinionem esse veram probat Scotus auctoritate D. August. 12. de Trinitate cap. 1. quam auctoritatem adducit Magister in 2. dist. 24. cap. illo, *itaque, vt breuiter summam perstringam*, atque probat, quod D. Aug. loquatur de sola cogitatione sine consensu in opus, & asserat esse peccatum mortale. Habet enim D. Aug. hæc verba. *Si sola mulier cogitat de re illicita, totus homo damnabitur, nisi mediatoris gratia interueniente liberetur*. Si autem talis cogitatio esset peccatum veniale, posset dimitti sine gratia mediatoris.

Opinio allata à Scoto pbatur.

15 Obseruat tamen Scotus pulchram regulam, quod etiam contingere potest, quod eadem cogitatio non sit peccatum; vnde potest esse peccatum, & non esse peccatum; est peccatum, quando cogitatio delectabilis est de obiecto, tanquam si obiectum sit prȩsens sibi, vt delectetur in illo tanquam obiecto; non est verò peccatum si delectatio, & complacentia sit de cogitatione, sed non de obiecto. Vnde si cogitatio placet, & continuatur, nō propter obiectum cogitatum, sed vt quis per eam ad finem debitum deducatur, non est peccatum, inquit Scotus. Et sic Sancti delectātur in cogitatione alicuius peccati, quod detestantur: sed si delectatur propter obiectum illicitum, vt in illo delectetur, sic est peccatum; & isto modo Sancti

Cogitatio de peccato quandoque nō est peccatum.

viri

viri detestantur cogitationes illicitas. Hoc probat auctoritate D. August. 9. de Trinitate cap. 10. vbi ait. *Diffinire intemperantiam, verbumque eius dicere pertinet ad artem moralem; esse autem intemperatum pertinet ad illud, quod in illa arte culpatur.* Sicut noscere, & diffinire, quid sit solæcismus pertinet ad artem loquendi; facere autem illum vitium est, quod in eadem arte reprehenditur. Et hæc doctrina est communis; eam enim tradunt D. Tho. p. 2. q. 74. a. 8. & Thomistæ omnes. Alens 2. p. q. 109. m. ij. D. Bonau. in 2. dist. 24. 2. p. a. 2. q. 2. Richard. eadem dist. 1. a. 4. q. 4. & alij multi, quos citat, & sequitur Vasq. par. 2. disp. 109. licèt nonnulli antiqui tenuerint contrariam sententiam, quos D. Tho. supra, & alij confutant, & rationabiliter, vt visum est.

Quomodo peccatū sit ī sermone.

16 Secūdo loco quærit Scotus, quomodo peccatum sit in sermone. Ad cuius intelligentiam primò præmittit, quomodo sermo sit in potestate voluntatis; deinde ex hoc declarabit, quomodo malitia sit in sermone. Quoad primum inquit voluntatem habere potentiam absolutam, & dispositam super facultatem motiuam, ita quod nullū est membrum habile ad motum, quod resistat imperio voluntatis; sed formare voces articulatas, quod est loqui, est actus potentiæ motiuæ, licèt non possit elici nisi præcedente actu imaginationis, vel intellectus; ergo sermo est in potestate voluntatis, si lingua non sit impedita, sed disposita ad motum. Habemus ergo, quod sermo est in potestate voluntatis.

17 Ex hoc patet, quomodo malitia est in sermone: est enim in eo nō formaliter, sed materialiter eo modo, quo dicebamus esse in cogitatione: est verò in voluntate formaliter. Et probatur. Recta ratio indicat, & dictat omnes actus humanos debere esse rectè circunstantionatos rectitudine sibi debita; rectitudo autem debita potentijs inferioribus est rectitudo participata à voluntate: sunt enim recti, & mali secundum quod volūtas, quæ eos mouet, est recta vel mala. Tunc subsumo. Sed actus potentiæ motiuę subest voluntati; ergo debet esse circunstantionatus, & rectus rectitudine debita sibi; rectitudo autem debita sibi est, vt ædificet proximum, & quod notificet illud, quod est in conceptu mentis; (aliter enim est mendacium) ergo, tunc actus loquendi, & sermo est rectus, quando voluntas apponit debitas circunstantias; quando verò facit voluntas, vt ei deficiat aliqua ex circunstātijs debitis; tunc malitia est in volūtate formaliter, & in sermone materialiter.

Quomodo peccatū sit in operatione.

18 Tertio loco quærit Scotus, quomodo malitia sit in operatione, & quod hoc procedit, sicut in duobus præcedentibus. Primò quomodo operationes aliarum potentiarum sint in potestate voluntatis. Secundò declarat propositum, quomodo malitia sit in earum operationibus. Quoad primum Scotus declarat, quid per operationes potentiarum inferiorum intelligat in hac quæstione, & inquit intelligere omnes operationes potentiarum inferiorum excepta motione linguæ, seù locutione: licet enim sermo sit quędā operatio potentiarū inferiorū; tamen cōtradistinguitur ab alijs operibus earumdem potentiarum: quia homo secundum opus sermonis se habet politicè, & ciuiliter: ideò est opus quodammodo altioris dignitatis cęteris operibus. Hoc habito ponit conclusionem hanc affirmatiuam, vt supra, quod potentia motiua est in potestate voluntatis, vt supra visum est; cęteræ verò potentiæ, scilicet sensitiua, & vegetatiua sunt in potestate voluntatis, non absolutè, sed in quantum dependent à motiua. Hoc declaratur. Potentia vegetatiua quantum ad vim nutritiuam requirit appositionem cibi, & nutrimenti; similiter requirit approximationem actiui ad passum: & secundum hoc potentia vegetatiua est in potestate nostra; & hoc modo similiter se habet potentia generatiua. Requirit enim motum aliquem localem: idem dicendum est de virtute sensitiua: hæc enim in quantum pendet à potentia motiua subest voluntatis imperio: & proinde potest in ea esse malitia participata materialiter, sicut dictum est de sermone.

Quòd confirmatur auctoritate D. August. ij. de Trinitate cap. 8. vbi asserit, quod quia operatio palpebrarum necessariò requiritur ad visionem, & motus localis palpebrarū obedit animæ, eatenus visio est in potestate animę.

Alio modo potentię inferiores sūt in potestate voluntatis, quā per potētiam motiuam.

19. Præter assignatum modum, quo potentiæ inferiores sunt in potestate voluntatis, adducit alium modum cognitu necessarium, qui est, quod potentiæ inferiores sunt in potestate voluntatis quoad perfectionem, & imperfectionem actus sui, seù quoad intēsionem, & remissionem actus circa obiectum proprium, quando voluntas habet actum suum quoque circa idem obiectū, circa quod versatur potentia inferior. Hoc declaratur in potentia visiua. Nam stante eadem dispositione obiecti, & oculi potest voluntas imperare visui, vt absque motu locali intueatur nunc aliquem punctum perfectius, quam priùs, & hoc in eadem pyramide, & infra eandem basim propter copulationem voluntatis. Vnde propter hoc imperium voluntatis circa intentionem, vel remissionem actus potest esse malitia aliqua, & bonitas in actu.

20 Quoad secundum, scilicet quomodo malitia sit in actibus potentiarum inferiorum, patet ex dictis supra. Est enim in eis non formaliter, sed materialiter, & per participationem, vt dictum est de sermone, & cogitatione.

1. Obiectio contra conclusionem determinatam.

Contra conclusionem, quod peccatum sit in opere exteriori, adducit Scotus duas rationes. Prima est ex auctoritate D. Pauli ad Roma. 7. vbi ait, *non quod volo bonum hoc facio, sed quod odi malum*; ergo videtur, quod in operatione non sit malitia, quia actio exterior non videtur libera, nec subiecta voluntati, quæ est potentia libera. Respondet ipse Scotus, quod Apostolus ibi loquitur de motibus primis, quos diximus suprà non esse in potestate nostra: quia præcedunt operationem voluntatis, non de operationibus sequentibus, & posterioribus actu voluntatis: quia istæ sunt liberæ. Et actus potentiarum inferiorū iā esse in potestate nostra ostēsū est per vim motiuam.

2. Ratio.

21 Secundò in eo quod est commune brutis, & hominibus, non potest esse peccatum, sed in multis operibus, in quibus deberet esse peccatum communicamus cum brutis; ergo in illis non debet esse peccatum. Maior probatur: quia per illud, quod est commune nobis cum illis, nō possumus nos cōuertere ad finem, nec ab illo auerti: alioquin etiam ipsa bruta hoc possent. Minor patet: quia communicamus cum brutis in appetitu vegetatiuæ, & sēsitiuę.

22 Respondet Scotus, quod appetitus, & potentiæ, cū quibus conuenimus cum brutis sunt liberæ per participationem, & non per essentiam: vt explicatum est. In brutis verò nullo modo sunt liberæ: & ideò non est par ratio.

Opinio Thomistarum, quomodo peccata cordis oris, & operis distinguantur.

Hic autem est obseruandum D. Thom. Caiet. & alios p. 2. q. 72. art. 7. qui tenent actum exteriorem peccati non addere malitiam actui interiori, neque specie differre inter se, laborare multum, quomodo hęc diuisio sit per mēbra diuersa specie, & quomodo ista peccata differant specie: & inquiunt, quod aliqua habent speciem completam, aliqua incompletam. Peccatum cordis, oris, & operis dicunt differre tanquam species incompletas, sicut differunt domus completa, erectio fundamentorum, & constructio parietum. Erectio enim fundamenti est species incompleta, sicut & constructio parietum: illi enim ordinantur ad domum, quæ est consumatio operis, nimirum ædificatio domus. Sic enim peccatum cordis est inchoatio peccati: peccatum oris est secundus gradus: peccatum operis est consumatio.

Reijcitur.

23 Verùm nos supra ostendimus esse diuersa peccata, & vnum addere malitiam super alterum: ideò hæc diuisio non bene explicatur, & patet ex verbis Diui Hieronymi, quod ista peccata sunt, vt res nedum specie perfectè, & completè diuersa, sed genere. Verba enim D. Hieronymi adducta etiam à D. Thoma, vbi supra in argumento ad oppositum sunt hæc. *Tria sunt generalia delicta, quibus humanum genus subiacet, aut enim cogitatione, aut sermone, aut opere peccamus.*

24 Melius ergo Scotus eadem dist. 42. q. 4. respondet quod

Diuiſio peccati cordis, oris & operis à Scoto melius explicatur.

quod diuiſio iſta peccatorum aſſignata à D. Hieronymo non eſt diuiſio peccati actualis pro formali; nec diuiſio ſubiecti peccati formalis, quod eſt ſubiectum actus voluntatis, non autem cogitatio, nec ſermo, nec operatio exterior. Non diſtinguit etiam hic D. Hieronymus peccatum originale, quia hic eſt ſolum in anima. Diſtinguit ergo hic peccatum pro materiali ſiuè mateteriale peccati. Hæc enim tria ſunt in quibus peccatum formaliter ineſt tanquam in materia. Subiungitque Scotus, quod hæc diuiſio Diui Hieronymi poſſet contineri ſub hac diuiſione bimembri. Aliud eſt peccatum in actu interiori, & aliud, quod conſiſtit in actu exteriori. Primo modo eſt peccatum cogitationis. Secundo modo ſubdiuiditur, vel enim conſiſtit in locutione, vel in operatione; locutio enim contradiſtinguitur ab operatione; quia locutio maximè conuenit homini, vt eſt rationalis, & vt eſt homo; per ſermonem enim homo communicat alijs, quod non competit alijs animãtibus; cęterę verò operationes ſunt communes homini cũ brutis. Et ſic circumloquimur actum exteriorem per duo membra: & hæc duo membra amplectuntur omnia peccata; quia poſitiuè intellecta comprehendunt omnia peccata commiſſionis; negatiuè intellecta comprehendunt omnia peccata omiſſionis: peccat enim homo habendo cogitationem, ſermonem, & operationem non conformem rectæ rationi, quod eſt peccare committendo: peccat etiã non cogitando, nec loquendo, nec operando, quãdo dictat recta ratio: & hoc eſt peccare per omiſſionem.

Aliæ diſtinctiones explicantur, & quomodo ſpecie diſtinguantur peccata enodatur, & de peccato in Spiritum ſanctum diſſeritur. Caput Secundum.

Diuiſio peccati in peccatū cordis facti, & conſuetudinis.

25 SEcunda diſtinctio, quam ſupra adducebamus, erat in peccatum cordis, facti, & conſuetudinis, quam adducit D. Auguſt. in lib. de ſermone Domini in monte, & refertur in cap. *Sicut tribus*, de pœnitentia diſt. 2. Hęc peccata comparat D. Auguſt. tribus mortuis in Euangelio à Chriſto reſuſcitatis. Primum illi, quem Dominus in domo ſuſcitauit Matthæi 9. Secundũ filio viduæ Naim, quẽ extra portam ſuſcitauit Lucę 7. Tertium Lazaro quatriduano, quem ex ſepulchro reſuſcitauit Ioan. ij. Hęc autem diuiſio reduci poteſt ad bimembrem ad quã reduximus diuiſionem D. Hieronymi capite pręcedenti: nam hęc diuiſio non eſt per ſpecies formales peccati, ſed eſt diuiſio ſubiecti materialis peccati, ſcilicet cordis, quæ eſt cogitatio, & facti, quod eſt opus; tertium membrum, ſcilicet conſuetudo, non eſt aliud membrum à ſecundo, ſed conditio aggrauans peccatum.

3. Diuiſio in ſeptem peccata mortalia S. Gregorij.

26 Tertia diuiſio eſt Sancti Gregorij diuidentis peccatum in ſeptem capitalia: hęc quidem diuiſio eſt diuiſio peccatorum in ſuas ſpecies formales: quia iſta peccata ſunt formaliter priuationes quædam rectitudinis ſibi oppoſitæ: tamen non eſt ſufficiens diuiſio omnium peccatorum. Nam deſperatio, & infidelitas ſunt peccata principalia, neque tamen ſub aliquo iſtorum continentur; eſt ergo dicendum cum Scoto in 2. diſt. 6. q. 2. in fine, quod iſta ſeptem peccata non ſunt primæ radices omnium peccatorum, ſed tamen ſunt radices quędam multum communes ad alia peccata, propter quod appellãtur vitia, & peccata capitalia. Sed de hac diuiſione in fine huius capitis plura dicemus. Illa verò diuiſio D. Ioan. in Canonica eſt diſtinctio peccatorum penès obiecta materialia, circa quæ homines communiter peccant, quod innuunt illa verba, *omne quod eſt in mundo*. Vt obſeruauit Scotus diſt. illa 6. q. 2. ad ſecundum: ideò neque illa eſt ſufficiens, neque prima. Quæ autem ſit prima, in calce huius capitis oſtẽdam.

Opinio Scoti.

4. Diuiſio peccati in Deum, proximum, & ſeipſum.

27 Quarta diuiſio eſt peccati in Deum, proximum, & ſeipſum, quæ ſumitur ex obiectis in quæ tendere poſſunt peccata: licèt enim omnia peccata ſint contra Deum, quatenus ſunt contra legem ipſius; tamen quædam ſpecialiter tendunt contra legem, quæ dirigit nos in Deum, vt infidelitas, ſacrilegium, & huiuſmodi: quædam contra legem, quæ nos ſpecialiter dirigit in proximum, vt homicidium, furtum, & quædam contra eam, quæ nos ſpecialiter dirigit circa nos ipſos, vt luxurioſus, guloſus.

5. Diuiſio peccati per exceſſum, & defectũ.

28 Quinta diuiſio eſt ſecundum exceſſum, & defectũ, quæ ſimiliter reſpicit obiectum. Quædam enim ſunt obiecta, quæ mouent ad actum inordinatum per exceſſum, vt amor delectationum corporalium, inducit peccatum intẽperantię; odiũ earũ inducit in peccatum inſenſibilitatis.

6. Diuiſio in peccatũ commiſſionis, & omiſſionis.

29 Sexta diuiſio eſt in peccatum cõmiſſionis, & omiſſionis, quæ de ſe patet, & de ipſa ſuprà plura diximus diſputatione prima.

7. Diuiſio peccati in Patrem, in Filium, & Spiritũ ſanctum.

30 Septima eſt diuiſio peccati in Patrem, Filiũ, & Spiritum ſanctum, circa quam explicãdum eſt, quod ſit peccatum in Spiritum ſanctum, & quid peccatum in Filium, & quid peccatum in Patrem: præſertim verò quid ſit peccatum in Spiritum ſanctum. De hoc peccato plura dicit Magiſter in 2. diſt. 43. & D. Tho. 2. 2. q. 14. per totam, ſed quia hic nulla eſt controuerſia, breuiter exponam quomodo Scotus hoc peccatum explicet.

Quid ſit peccatum ĩ Spiritũ ſanctum.

31 Scotus ergo primò quærit, quomodo poſſit eſſe aliquod peccatum, quod dicatur peccatum pręcisè in Spiritum ſanctum. Deinde exponit, quodnam ſit illud, quod propriè appellatur peccatum in Spiritum ſanctum. Ad hoc autem inueſtigandum primum notat, quod in peccato duo ſunt, vt ſupra oſtenſum eſt ſæpius, ſcilicet auerſio à Deo, & conuerſio ad creaturam; auerſio autem à Deo poteſt eſſe triplex, ſcilicet formalis, virtualis, & actualis. Loquendo de auerſione formali, & virtuali, inquit Scotus nullum poſſe eſſe peccatum pręcisè in perſonam Spiritus ſancti. Ratio eſt: quia peccatum, in quantum cedit in irreuerentiam perſonæ alicuius, non poteſt cedere in irreuerentiam vnius, quin cedat in irreuerentiam omnium. Loquendo verò de auerſione actuali tenet Scotus poſſe aliquem peccare in perſonam Spiritus ſancti pręcisè non in alias. Quæ aſſertio eſt contra communem ſententiam aliorum: ſicut in primo diſt. prima ſuſtinuit, quod viator poteſt de facto frui vna perſona non fruendo altera. Vnde eiſdem ferè rationibus hic vritur, quibus ibi. Quod ergò quis peccare poſſit ſpecialiter actu in Spiritum ſanctũ, non in Patrem, nec in Filium auertendo ſe in ſpeciali à Spiritu ſancto non ab alijs perſonis, probat primò ſic.

Quomodo quis poſſit peccare in Spiritũ ſanctum tãtũ.

1. Ratio.

Tres ſunt articuli reſpicientes diſtinctè tres perſonas; at poſſibile eſt aliquem errare in vno articulo, non errando in alijs; ergo poteſt peccare in vnam perſonam, non peccando in aliam. Maior patet. Minor probatur, quia habita actuali conſideratione de vna, non eſt neceſſariũ, vt habeat actualem conſiderationem circa aliam. Subſumit, ſed in vnaquaque perſona eſt ratio ſummi boni, & vltimi finis: quia in qualibet eſt omnis ratio boni; ergo illi poteſt fieri reuerentia, & irreuerentia, non habita conſideratione ad alias perſonas.

32 Confirmatur, quia Eccleſia videtur hoc facere: vt patet in collectis, in quibus concluditur in fine per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, &c. pręmittit etiam primò Pater, ad quem dirigitur oratio; ergo videtur, quod Eccleſia in orando, oret vnam perſonam, & non aliam actualiter. Confirmatur ex illo Hymno. *Veni creator Spiritus*. Vbi multa ponuntur, quæ non conueniunt, niſi Spiritui ſancto, vt puta, quod ſit donum, & ſimilia.

2. Ratio.

33 Pręterea. Magis diſtinguitur perſona à perſona, quam eſſentia à perſonis: quia inter perſonas eſt oppoſitio relatiua: non ſic autem eſt inter eſſentiam, & perſonas, ſed poſſibile eſt aliquem ſtare in actuali conſideratione eſſentiæ diuinæ nihil cogitando de perſonis: vt patet in Phyloſophis, & ſic habere illi reuerentiam, vel irreuerentiam; ergo multò magis poteſt actualiter conſiderare vnam perſonam, non conſiderando aliam, & illi facere irreuerentiam, non alteri.

34 Quod ſi quis dicat non eſſe parem rationem de eſſentia, & perſonis, quia perſonæ ſunt relatiuæ: ideò non poteſt conſiderari, & intelligi vna quin alia intelligatur. Reſpondet quod hoc non valet: quia quãtumcunque ſint

relatiuæ;

relatiuæ; tamen circa extrema sunt duo actus intellectus, sicut patet de accidente, & subiecto, inter quæ est relatio dependentiæ: & tamen qui considerat subiectum, non considerat, nec intelligit accidens, & è conuerso eadem intellectione, sed diuersa. Auctoritas autem illa Arist. in prędicamentis, *Si quis diffinitè cognoscit vnum relatiuum, cognoscit, & reliquum*, facilem fert solutionem: est enim sensus, quòd qui noscit diffinitionem vnius relatiui, necessariò cognoscit quoque diffinitionem sui correlatiui: quia vnum includit alterum. At non ob hoc sequitur, quòd quia actu intellectus tendit in vnum relatiuum eodem actu tendat in reliquum: vt diximus in primo Sententiarum in illa disputatione.

Quodnam propriè sit peccatum i Spiritū sanctum.

35 Subiungit deindè Scotus, quòd peccatum in Spiritum sanctum acceptum hoc modo nō est peccatum illud, quod dicitur peccatum in Spiritum sanctum, sed peccatum in Spiritum sanctum dicitur illud, quod tendit non in personam ipsam Spiritus sancti, sed in appropriatum Spiritus sancti, quod est bonitas. Vnde peccatum ex certa malitia dicitur peccatum in Spiritum sanctum; & quia Patri appropriatur potentia; ideò peccatum ex infirmitate dicitur peccatū in Patrem. & peccatum ex ignorantia, dicitur peccatū in Filiū: quia Filio appropriatur sapiētia.

Quodnam sit peccatū in Patrem, & Filium.

36 Obseruandum est tamen, quòd etsi peccatum in Spiritum sanctum non intelligatur illud, quod directè tēdit contra personam Spiritus sancti, & est blasphemia in ipsum: tamen huiusmodi peccatum quoque dicitur peccatum in Spiritum sanctum à multis Patribus, & habetur in Sacra scriptura Matthæi 12. Nam cum Iudæi dicebant Christum voracem, potatorem vini, & publicanorum amatorem Matthæi 11. blasphemabant, & peccabant in Filium; cum verò opera, quæ ipse operabatur virtute diuinitatis, & per operationem Spiritus sancti tribuebant Sathanæ, peccabant in Spiritum sanctum directè, quia personam illius blasphemabant.

37 Vlterius progreditur Scotus, & magis declarat, quodnam sit peccatum in Spiritum sanctum. Atque, quòd etsi peccatum in Spiritum sanctum sit peccatum ex malitia; tamen non omne peccatum ex malitia est peccatum in Spiritum sanctum. Nam omne peccatum, quod est in voluntate non præcedente perturbatione, vel passione, vel ignorantia in ratione, est peccatum ex certa malitia; & fortè hoc modo (ait Scotus) peccauit Adam: quia in eo non fuit perturbatio ex passione pręcedēti, nec ignorantia; sed tamen hoc peccatum, non est peccatum in Spiritum sanctum: probatur, quia peccatū in Spiritū sanctū à Sacra scriptura appellatur grauissimum; ita quòd dicitur, quòd nō remittitur neque in hoc, neque in futuro sæculo.

38 Prętęrea peccatum ex certa malitia potest quoque esse contra præcepta secundæ tabulæ, & tamen hæc peccata non sunt grauissima: quia auertunt tantum virtualiter ab vltimo fine. Necessarium est ergo, quòd si peccatum in Spiritum sanctum est grauissimum, & est ex certa malitia, quòd sit contra pręcepta primæ tabulæ: quia ista auertunt formaliter, & actualiter ab vltimo fine.

39 Verùm neque adhuc peccata omnia contra pręcepta primæ tabulæ ex malitia certa sunt peccata in Spiritum sanctum; quia oportet ad hoc, vt sit grauissimū, quòd opponatur actui perfectissimo conuersiuo in Deum. Vnde quia actus charitatis, vt dilectio Dei, est actus perfectissimus conuersiuus ad Deum. Odium Dei, qui est actus ei oppositus, si posset dari (neque enim dari potest, vt probat Scotus in 2. d. 6. q. 2. §. *ad videndum* in fine,) esset peccatum in Spiritum sanctum.

40 Verùm quia hic actus dari non potest, erit actus oppositus actui perfectissimo post actum dilectionis Dei; actus autem perfectissimus post dilectionem Dei, quo voluntas tendit in Deum, est actus spei, & eius oppositum est actus desperationis, seu obstinatio in malo cum desperatione, & proposito non pænitendi; ergò peccatum in Spiritum sanctum erit desperatio, seu obstinatio in malo cum desperatione, & proposito non pœnitendi.

Quodnam sit peccatū in Spiritū sanctum.

Tria requiruntur ad peccatum i Spiritū sanctum.

41 Ex hoc deducit Scotus, quòd ad peccatum in Spiritum sanctum tria requiruntur. Primò quod sit certa malitia. Secundò quòd sit contra preceptum primæ tabulę. Tertiò, quòd sit actus oppositus perfectissimo actui conuersiuo. Peccatum autem habens has tres conditiones, dicitur peccatum in Spiritum sanctum. Hoc peccatum etiam dicitur finalis impęnitentia; non quia homo decedens in illo decedat sine pœnitentia: quia sic omnes damnarentur propter peccatum in Spiritum sanctum: quoniam omnis, qui damnatur, damnatur, quia decedit sine pœnitentia. Sed dicitur finalis impœnitentia: quia homo habēs peccatum illud in Spiritum sanctum, habet propositum nunquam pœnitendi; quod propositum oritur ex desperatione. Vnde D. August. lib. de fide ad Petrum inquit, quòd pessimi homines incidunt in hoc peccatum, vt patet de Caim, qui dixit Genes. 4. *Maior est iniquitas mea, quàm vt veniam merear*. Credidit enim misericordiam Dei esse minorem suo delicto: misericordia autem est attributum, quod appropriatur Spiritui sancto: ideò dicitur peccatum in Spiritum sanctum, vt docet Magister in dist. 43. Eodem modo Iudas peccauit Matth. 22. & ponitur in distinctione illa 43. vbi adducitur auctoritas D. August. lib. 1. de sermone Domini in monte, qui asserit, quòd Iudas desperans facilius cucurrit ad laqueum, quàm humiliatus veniam peteret à Deo. Eodem modo fecit Architofel 2. Regum cap. 17. Hæc Scotus de essentia, & formalitate peccati in Spiritum sanctum.

Dubitatio, quia Scotus non videtur enumerare omnes species peccati in Spiritū sanctum.

42 Verùm hic occurrit dubitatio: quia Scotus non videtur assignare omnes species peccati in Spiritum sanctū, quas tamē esse sex constat ex varijs authoritatibus D. August. adductis à D. Thom. 2. 2. quæst. 14. art. 2. neque enim facit mentionem de pręsumptione misericordiæ Dei sine meritis: quæ tamen appellatur peccatum in Spiritum sanctum à D. Aug. li. de fide ad Petrum: & de alijs sex speciebus, quas ibi enumerat D. Tho. & alij Theologi.

43 Respondetur, quòd Scotus omnes illas sex species implicitè assignauit, dum dixit, quòd peccatum in Spiritum sanctum est obstinatio in malo, cum proposito non pœnitendi. Vndè omnia illa, quæ inducunt contemptum eorum, quæ possunt impedire pœnitentiam, & remouere à peccato, & inducere in obstinationem, dici possunt species peccati in Spiritum sanctum. Principalis autem est desperatio; & ideo de ipsa pręsertim adducuntur exempla: sicut autem desperatio inducit obstinationem in peccato; sic nimia confidentia, seu pręsumptio inducit propositum non pœnitendi, & obstinationem, dum quis confidit sine pœnitentia consequi veniam, & sine meritis gloriam. Impugnatio etiam veritatis, seu contemptus eius, vt hæresis, inducit obstinationem in malo: quia impugnatio veritatis fidei, non alio fine fit, nisi, vt quis licentiùs peccet. Quod maximè verificatur in hęreticis nostrorum temporum, qui impugnant bonorum operum necessitatē, vt liberius peccent. Inuidia etiam fratris, scilicet dum quis non solum inuidet personæ fratris, sed etiam inuidet gratiæ Dei crescenti in fratribus, & in mundo, inducit obstinationem in malo: quia certum est sine gratia Dei, neminem posse pœnitere; & proinde inuidere gratiam in fratrem, est velle fratrem in peccato obstinatum manere. Impęnitentiam autem, & obstinationem per se manifestum est esse species peccati in Spiritum sanctum: quia formaliter repugnant pœnitentię, & proposito pœnitendi. Desperatio autem, obstinatio, & impęnitentia, seu propositum non pœnitendi sunt principales species peccati in Spiritum sanctum: quia immediatius opponuntur actui spei; pręsumptio autem opponitur spei per excessum inordinatum; oppugnatio verò veritatis fidei, & inuidentia gratiæ opponuntur actui spei remotè, quatenus actus earū est dispositio ad obstinationē, & propositū non pœnitēdi.

Nostri hęretici impugnant necessitatē bonorum operum, vt licentius peccent.

Quomodo peccatum i Spiritū sanctum sit irremissibile.

44 Dubium autem est quomodo hoc peccatum in Spiritum sanctum sit irremissibile. Dicitur enim Matthæi. 12. *qui dixerit verbum in Spiritum sanctum non remittitur ei in hoc, neque in futuro sæculo*. Et tamen ex altera

parte

parte verum est, quòd quandiù durat status viæ quilibet potest à quocunque, peccato pœnitere. Et scimus Medici nostri Dei virtutem esse infinitam, ac omnes infirmitates nostras delere posse, iuxta illud Psalmi, *qui sanat omnes infirmitates nostras*.

Responsio Magistri reijcitur à Scoto.

45. Respondet Scotus adducendo prius responsionem Magistri, quæ est quòd peccatum in Spiritum sanctum est irremissibile, quando non habet pœnitentiam comitem, sed quando illam habet, est remissibile. Sed hanc responsionem reijcit Scotus; quia sic omne peccatũ est irremissibile: at peccatum in Spiritum sanctum speciali ratione est irremissibile. Ideò inquit Scotus, peccatum in Spiritum sanctum esse irremissibile; non quia non possit remitti.

Responsio Scoti.

Omnes enim Theologi tenent, quòd est remissibile simpliciter propter rationes adductas, sed dicitur irremissibile in comparatione ad alia peccata propter duplicem rationem sibi propriam, & nulli alio peccato cõuenientem. Prima est; quia nullum aliud peccatum opponitur directè principio remissionis in remittẽte, nisi illud: quia hoc solum directè aufert à Deo misericordiam, quæ est principium remittendi peccatum, & nõ dat sibi nisi iustitiam, & hoc habet inquantum est cum desperatione; talis enim diffidit, & desperat de misericordia Dei. Secunda ratio est; quia peccatum in Spiritum sanctum corrumpit dispositionem ad remissionem in eo, qui debet remitti, quæ dispositio est aliqualis displicentia, & pœnitentia de peccato cum conuersione ad Deum. Hoc autem peccatum inquantum habet propositum de nõ pœnitendo, in tali obstinato tollit omnem hanc dispositionem; & sic secũdum se est irremissibile non simpliciter, & respectu misericordiæ infinitæ Dei, sed quantum est ex se, & sua conditione.

Dubiũ ex verbis D. Ioan.

46 Sed maiorem difficultatem faciunt verba illa Ioann. Epist. 1. cap. 5. *Est peccatum ad mortem, non pro illo dico, vt roges*. Similes locutiones sunt illæ Ioann. 8. *Quæretis me, & in peccato vestro moriemini*. Et Apostolus ad Hebreos 6. *Impossibile est, eos qui semel sunt illuminati gustaueruntque donum cœleste, &c. & prolapsi sunt, rursus renouari ad pœnitentiam*. Respondetur huiusmodi locutiones nõ adstruere peccatum ad mortem, & in Spiritum sanctum esse simpliciter, & absolutè irremissibile: quia hoc eidem Sacræ scripturæ repugnat, vt supra diximus, & ex verbis eiusdem Pauli ad Hebreos 6. colligitur: nam eodem loco paulo post inquit, *Confidimus autem meliora de vobis, & viciniora saluti, tametsi ita loquimur*. Respondendum est ergo, quod ista verba significant difficultatẽ remissionis peccati prędicti pp rationes adductas, nõ impossibilitatem.

De distinctione peccatorum in suas species

Regula generalis ad cognoscendũ quomodo peccata specie distinguantur.

47 Vltimò obseruandum est hic Theologos multùm laborare circa distinctionem peccatorum in suas species, & varias esse sententias, secundùm quod variè opinantur de ratione formali peccati, de qua egimus supra disputatione prima de peccato. Regula tamen generalis est, quam adducit Scotus in 2. dist. 35. & dist. 42. q. 5. tractando de distinctione peccati in septem peccata capitalia adducta à D. Gregorio: quòd peccata duobus modis possunt considerari, vel quoad materiale, vel quoad formale; quoad materiale distinguuntur penes obiecta, circa quæ versantur. Actus enim distinguuntur penes obiecta, actus autem peccati quoad substantiam est materiale peccati, & sic prima diuisio peccatorum est in spiritualia, & carnalia. Obiecta enim, circa quæ peccata versari possunt, sunt vel res spirituales, vel res carnales, seù corporales, & materiales.

Diuisio in septem peccata capitalia expenditur.

Huius diuisionis rationem assignat Scotus vbi supra; quia voluntas coniuncta appetitui sensitiuo nata est tendere in obiecta delectabilia talis appetitus, & intensiori modo, circa magis delectabilia: sicut intellectus cõiunctus natus est intelligere sensibilia, & prius ea, quę sunt prius sensibilia. Voluntas verò secundum se nata est versari circa illud, quod est delectabile in se: secundum hanc rationem diuisio in septem peccata capitalia habet locũ: nam duo sunt carnalia capitalia, luxuria, & gula: quatuor spiritualia, superbia, ira, inuidia, & accidia: auaritia autem non videtur esse, nisi circa appetibile vtile, quod ordinatur ad voluptatem, & sic tendit ad carnalia, vel ad honorem, & sic tendit ad spiritualia. Et hoc pacto diuisio illa in septem vitia capitalia, etsi non sit in prima genera obiectorum omnium peccatorum: tamẽ est in valde communia obiecta, & occasiones peccatorum.

Distinctio peccatorũ quoad formale.

Loquendo verò de peccatis quoad formale dicendum est cum Scoto dist. 42. secundi, & dist. 35. eiusdem, quòd peccata distinguuntur penès carentiam rectitudinis debitę, vt diximus suprà prima disp. de peccato; & tunc est dicendum, quòd prima genera peccatorum, & distinctio eorum sumitur penès oppositionem ad decem prima precepta Decalogi, quæ sunt decem primæ regulæ omnium bonorum actuum, sub quibus continentur; deinde varia genera, & species subalternæ actuum bonorum, veluti sub decem generibus generalissimis; adeò quòd sicut sunt decem prima genera, & decem primę regulę actuum bonorum iuxta decem præcepta; sic prima decem peccata capitalia sunt carentię bonitatis, & rectitudinis illorum decem actuum, sub quibus varia genera, & species subalternæ peccatorum oppositæ actibus bonis continentur.

Peccata capitalia sunt decem.

Quomodo peccata capitalia sint septem.

48 Vel dicẽdum est, quòd prima genera peccatorum sumuntur per oppositionem ad virtutes morales; & sic dicẽdum est, quòd sicut sunt septem habitus boni virtutum, quorum tres sunt theologici, & quatuor morales cardinales; sic sunt septem habitus peccatorum mortalium oppositi his septem regulis, seu septem habitibus virtutum. Et sic peccata capitalia erunt septem, sed alio modo, quàm assignauerit D. Gregorius. Nam primùm erit infidelitas, quæ opponitur fidei. Secundùm desperatio, quæ opponitur spei. Tertiùm odium, quod opponitur charitati. Quartùm imprudentia, quæ prudentię opponitur. Quintùm iniustitia, quæ opponitur iustitiæ. Sextùm timor, qui opponitur fortitudini. Septimùm intemperantia, quæ opponitur temperantię. Quomodo autem formalis ratio peccati consistat in priuatione rectitudinis debitę, non in aliquo positiuo dictum est prędicta disp. prima.

De Differentia inter peccatum veniale, & mortale, Opinione hæreticorum reiecta, & quorundam Scholasticorum opinio Scoti comprobatur.

Caput Tertium.

49 VLtima distinctio peccati assignata primo capite huius disputationis erat in peccatum mortale, & veniale, quæ distinctio est prę cęteris diligẽter expendenda. Hæc enim maxime refert: quia omnes species peccatorum superioribus distinctionibus assignatorum reducuntur ad alterum horum membrorum. Vel enim sunt peccata mortalia, vel venialia. Est autem necessaria cognitio peccati venialis, & mortalis ad vitam æternam cõsequendam, & mortem æternam fugiendam: nã si ignoremus quæ sint peccata mortalia, & quæ venialia, non poterimus rectè pœnitere, & nobis ipsis consulere ad salutem. Ad hoc autem rectè intelligendum, in primis est supponendum, quòd, vt habet D. Thom. p. 2. q. 88. art. 2. aliquod peccatum potest dici veniale tribus modis. Vno modo: quia est veniam consecutum, & sic dicit D. Ambr. lib. de Parad. cap. 14. à medio, quòd omne peccatum per pœnitentiam fit veniale; & hoc dicitur veniale ex euentu. Alio modo dicitur veniale ex causa: quia scilicet non habet ex se, vnde nõ mereatur veniam ex parte; vt cum quis peccat ex infirmitate, vel ex ignorantia. His duobus modis non accipitur peccatum veniale in prẹsenti. Tertio modo ergo peccatum dicitur veniale: quia non tollit gratiam Dei, nec coniunctionem cum vltimo fine, & de hoc veniale hoc modo loquimur. Supponendum est ergo significatum commune peccati mortalis, & venialis secundum quod loquimur in prẹsenti esse hoc, quòd peccatum mortale est illud, quod priuat animam gratia Dei, facit eam inimicam Dei, & est dignam pœna æterna, ac illa in inferno punitur. Veniale verò peccatum est illud, quod non est ita graue, quod auferat gratiam, & faciat homi-

Aliqđ peccatum dicitur veniale tribus modis.

Quid intelligatur per peccatum mortale, & qd per veniale.

nem inimicum Dei, neque est causa damnationis æternæ alicuius, sed stat cum gratia, & amicitia Dei; licèt sit aliqualis offensa Dei, vt postea videbimus.

Distinctio inter peccatum mortale, & veniale à solis hæreticis nostrorum téporum negari.

50 De hac distinctione inter Catholicos, an detur, nulla est dissensio. Semper enim catholica Ecclesia, & Sancti Patres, vt veritatem certissimam tenuerũt, & docuerunt; solùm his temporibus ab hæreticis magna impietate negatur. Volunt enim omnia peccata esse mortalia, vt sic faciant legem Christi impossibilem ad obseruãdum, & suadeant consequenter suis sectatoribus eos posse peccare absque vllo remorsu conscientiæ: quia peccata vitare est impossibile, cum quilibet vel minimus motus sensualitatis, & concupiscentiæ quotidie accidat hominibus quantumcumque laborantibus, vt illos vitent. Quòd autem hęc sit opinio hęreticorum nostrorum temporum patet ex propositione illa lutheri lib. de captiuitate Babilonica cap. de baptismo. *Nulla peccata possunt hominem damnare, nisi sola incredulitas.* Contra quem Concilium Tridentinum promulgauit 27. canonem sess. 6. qui sic habet. *Si quis dixerit nullum esse peccatum mortale nisi infidelitatis &c. anathema sit.* Caluinus quòque lib. 2. institutionum cap. 8. num. 19. inquit. *Habeant filij Dei omne peccatum mortale esse: quia est aduersus voluntatem Dei rebellio, quæ eius iram necessariò prouocat, quia est legis pręuaricatio, in qua edictum est Dei iudicium sine exceptione Sanctorum delicta venialia esse, non ex suapte natura, sed quia ex Dei misericordia veniam consequuntur.* Ex quibus manifestè patet eum velle peccata venialia, & mortalia non differre: quia vnum peccatum ex sua natura sit mortale, seu dignum morte æterna, alterum verò nequaquàm, & proindè veniale dicatur; sed vult, quòd omnia ex sua natura sint mortalia, & digna morte æterna; tamen ista peccata in electis non puniri morte æterna: non quia illam non mereantur, sed propter misericordiam Dei, qui illa non vult imputare, vt mortalia, & punire. Contra quem facit pręedictus Canõ. Hic autem error fuit prius Vviclephi; & antea multorum aliorum, vt Stoicorũ, Iouiniani, & aliorum, qui dixerunt omnia peccata esse paria.

Reijcitur.

51 Hæc autem hæresis doctè confutatur à Scribentibus contra hæreticos. Nobis sufficiant istæ auctoritates, Prouerbiorum 24. dicitur, *septies in die cadit iustus, & resurgit; impij autem corruent in malum.* Ex hoc loco colligitur, quòd in iustis sunt quædam leuiores, & veniales culpæ, aliòquin omnis, qui caderet semper caderet in malũ, & corrueret: nec posset dici iustus septies in die, sed esset iniustus, & impius in die: quia septies caderet in die in malo mortali. Secundò hanc veritatem ostendunt verba illa orationis Dominice. *Dimitte nobis debita nostra.* Illa enim sunt verba iustorum. Pręcepit enim Christus Dominus, & docuit illam suos discipulos, qui certè erãt iusti: & pręcepit, vt illam dicerent cum orare vellent, in quo casu iustitiam, & sanctitatem exercebant. Colligitur ergo etiam in iustis esse peccata; ergò ista non possunt esse digna morte æterna. Tertiò accedit testimonium Ioannis Epist. 1. cap. 1. *Si dixerimus: quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Et Iacobi 3. *In multis offendimus omnes.* Cum ergo ista sint verba iustorum, dicendum est in iustis esse peccata quædam leuia, quæ non faciunt eos amittere iustitiam, nec faciunt illos inimicos Dei: ista autem sunt peccata venialia, quæ Catholici admittunt, & hæretici negant. Adest tandem Concilium Tridentinum, quod sess. 6. cap. ij. sic habet. *Licet enim in hac vita mortali quantumuis sancti, & iusti in leuia saltem, & quotidiana, quæ etiam venialia dicuntur, peccata quandoque cadant, nõ propterea desinunt esse iusti, nam iustorum illa vox est, & humilis, & verax. Dimitte nobis debita nostra.*

1. Auctoritas Prouerbiorum ca. 24.

Cõc. Trid.

Confirmatur ex Patribus.

52 Confirmatur auctoritatibus Patrum quorum multę adducuntur à Vega lib. 14. super Concilium Tridentinum, & expressè habentur à Patribus 1. Corinth. 3. ad illa verba *lignum fœnum, stypulam.* Per illa enim D. Hieronymus, Ambrosius, Sedulius, Primasius, Anselmus, & alij intelligunt peccata venialia. Diuus Augustinus inter alia sermone 41. de Sanctis Tom. 10. longo sermone de his differit: ait enim, *& quàmuis Apostolus capitalia plura cõmemorauerit: nos tamen, ne desperationem facere videamur, breuiter dicemus, quæ sunt illa. Sacrilegium, Homicidium,* &c. Et infra. *Quæ autem sint minuta peccata, licèt omnibus nota sint, tamen quia longum est, vt omnia replicentur, opus est, vt ex ijs vel aliqua nominemus. Quoties aliquis in cibo, aut potu plus accipit, quàm necesse sit, ad minuta peccata pertinere nouerit. Quoties quis plus loquitur, quàm oportet,* &c. Ista autem minuta peccata sunt quæ venialia dicuntur à Catholicis.

Ratione probatur.

53 Ratione etiam probatur. Ostensum est enim contra Stoicos suprà, peccata omnia non esse æqualia, sed alia maiora, alia minora. Peterea multa ex fragilitate humana committuntur, alia ex malitia; cur igitur inter hæc non erit aliquod peccatum leue, & non auferens amicitiam Dei, & aliud auferens? Peterea vel omnia peccata notabiliter Deo displicent; & hoc est absurdum: nam, quòd verbum otiosum displiceat Deo, quãtùm homicidium, est omnino vanum. Vel omnia peccata leuiter ei displicent; & hoc magis falsum est: quia videmus in Scriptura aliqua peccata puniri morte æterna. Vel denique dicendum aliqua notabiliter illi displicere, & aliqua leuiter; & ista dicimus venialia, illa mortalia.

An differentia īter peccatũ veniale, & mortale sit ex natura rei, an ex voluntate diuina.

54 Obseruandum verò est, aliquos Doctores disputare inter se, An differentia ista inter peccatum veniale, & mortale sit ex natura rei, an ex voluntate Dei, & aliquos tenere esse ex voluntate Dei, non ex natura rei. Alios verò è contrà tenere quòd sit ex natura rei non ex voluntate Dei. Prior tribuitur Gersonio 3. p. tractatu de vita spirituali lectione prima quæ habetur alphabeto 61. litera A. & sequentibus, Almayno tractatu 3. Moralium cap. 2. & Rophenso a. 32. cõtra Lutherum, & impugnatur à Petro de Soto tractatu de discrimine peccatorum lectione 6. circa finem. Secundam verò amplectuntur Valdensis tomo 2. ca. 155. & multi alij ex recentioribus citati à Vasq. p. 2. disp. 143. cap. 2. quos etiam ipse sequitur. Cæterùm opinio ista, quòd differentia inter peccatum mortale, & veniale sit ex naturà rei, non ex lege Dei, potest habere bonum, & malum sensum. Si intelligant, quòd omnia ex sua natura sint peccata mortalia; tamen aliqua ex misericordia Dei non imputantur, vt mortalia illis, qui illa faciunt: quia sunt electi, & pręedestinati, & merito fidei; hęc sententia est falsa: quia coincidit cum hæresi Lutheri, Caluini, & aliorum hæreticorum nostrorum temporum, qui dicunt peccata quantumcunque grauia non imputari habentibus, sed sola infidelitate damnari. At si asserant ex lege diuina iam explicata in Sacra scriptura veteris, & noui testamenti aliqua esse mortalia, & aliqua venialia, certè est veritas catholica. Nam vt suprà disp. prima nos docuimus contra Vasquez, & quosdam alios, omnia peccata ideò sunt peccata, quia sunt contra legem Dei, & ablata lege Dei nullus actus esset peccatum. Pro tanto ergo discrimen mortalis, & venialis culpæ potest dici à natura, quia non fit mortalis, vel venialis per volũtatem Dei consequentem actum, postquàm factus est, & acceptantem pro mortali, vel veniali, vt dictum est intelligere hæreticos; sed est à lege iam ante actum peccati determinãte talem actum circa tale, & tale obiectum cum hac, vel cum illa circunstantia esse mortale, illud verò veniale. Quod etiam Vasquez animaduertit, licèt discrepet à nobis in hoc, quòd putet etiam aliqua peccata esse, quæ non ex lege diuina, sed ex propria natura sint peccata, & mala. Nos autem sustinemus, omnia peccata ideò esse peccata, quia prohibita sunt.

Vnde est q̃ peccatum mortale differat à veniale.

55 Constituta ergo conclusione catholica, vt certa, quòd peccatum mortale, & veniale differant ex propria natura, videndum est, vnde hæc differentia oriatur, quòd illud, quod est mortale inferat mortem spiritualem animæ, quæ est damnatio æterna: veniale verò nequaquam. Circa hoc sunt varij modi explicandi inter Theologos Scho-

Opinio D. Th. asserẽtis peccatũ mortale eẽ circa finẽ, veniale circa media.

Scholasticos. Primo loco sit opinio D. Thom. p. 2. q. 88. art. 1. qui asserit differentiam oriri ex hoc, quia peccatum mortale est contra finem; veniale verò est contra media ad finem. Actus ergo illi, qui immediatè tendunt contra finem sunt mortalia; qui tendunt contra media ad finem, vt sunt creaturæ, sunt venialia.

Impugnat à Scoto.

56 Hanc opinionem impugnat Scotus in 2. sent. dist. 21. q. 1. §. *Dico ergo* hac breui ratione. Vtrumque tàm peccatum veniale, quàm mortale potest esse circa finem, & circa media ad finem; Ergò hæc differentia est nulla. Scotus non probat antecedens, sed supponit verum. Illud autem alij probant, Richardus in 4. d. 16. a. 2. q. 2. & Maior in 1. dist. 42. q. 6. in requisito: nam tàm circa Deum, quàm circa creaturam potest esse mortale, & veniale peccatum: vel ex leuitate, & grauitate materiæ; vel ex plena, aut imperfecta libertate voluntatis, & consideratione intellectus, quod est manifestum; ergò clarũ remanet circa vtrunque obiectũ posse esse peccatũ veniale, & mortale.

Responsio Caietan. & aliorum.

57 Respondent Caietan. & alij eodem articulo mentem D. Thomæ fuisse non assignare hic differentiã inter peccatum veniale, & mortale quodcunque, sed solum inter mortale, & veniale ex genere suo. Certum autem est veniale peccatum ex genere suo non esse circa Deum; sed omnia huiusmodi esse ea, quæ ex genere suo sunt mortalia, quæ postea efficiuntur venialia, vel ex leuitate materię, vel ex imperfecto consensu, & imperfecta deliberatione: & denique D. Th. hic assignare differentiam inter peccatum per se mortale, & peccatum per se veniale: non autem inter peccatũ mortale per accidens, & veniale per accidẽs, quæ sunt illa, quæ nõ ex genere suo, sed ex circunstãtijs fiunt, vel ex veniali mortale, vel ex mortali veniale.

Reijcitur.

1. Ratio.

58 Cæterum hæc responsio reijcitur à recentioribus multis: quia etsi verum sit, quòd peccata circa Deum sunt ex genere suo mortalia, & fiunt venialia ex paruitate materiæ, vel ex imperfecto consensu: tamen verissimum est circa media, idest circa creaturas, vtrunque peccatum veniale, & mortale per se, & ex genere suo versari. Nam furtum est ex se mortale, & tamen non versatur circa Deum, sed circa creaturam, & circa media: verbum otiosum autem, quod est de suo genere veniale, patet quod est circa media, non circa finem.

2. Ratio.

59 Addere possumus confirmationem ex D. August. qui pluribus in locis recenset peccata quædam, quæ mortalia esse docet, & contradistincta à leuibus, & venialibus, atque puniri morte æterna, pręsertim tomo 10. sermone 41. de Sanctis, enumerat homicidium, adulterium, falsum testimonium, & hujusmodi alia. Certum est autem ista ex genere suo, & per se non tendere in Deum, sed esse circa media, scilicet circa creaturas; ergò falsum est, peccata mortalia per se, & ex genere esse solũ circa Deũ; ergo nulla est ista differentia inter veniale, & mortale, quòd mortale sit circa finem, veniale circa media.

3. Ratio.

60 Pręterea. Assignãda est differentia in communi inter peccatum veniale, & mortale, & hoc intendit ibi D. Thom. sicut alij Theologi tractantes de differentia inter mortale, & veniale: ideò non satisfacit responsio, quòd D. Tho. intenderet assignare solum differentiam inter veniale, & mortale per se, seù ex genere suo.

Responsio Vasquez.

61 Vasquez p. 2. disp. 143. aliter tuetur D. Tho. inquit enim Caietanus, & alios non intellexisse D. Tho. Nam, inquit, D. Tho. non dixit veniale, & mortale differre, quia veniale versetur circa media, & mortale circa finem, sed inquit inter peccata, quædam tollere ordinationem ad finem vltimum, qualia sunt mortalia, quæ tollunt coniunctionem cum fine vltimo, quæ coniunctio est vita animę: quædam tollere ordinem circa media seruato semper ordine ad finem: & ista sunt venialia, quia non auferunt vitam animæ, neque principium medicationis, & sanitatis spiritualis animæ, & possunt corrigi, quia non auferunt vitam animæ.

Reijcitur.

62 Sed hæc responsio nulla est, quia si esset vera, vel D. Tho. non satisfaceret quæsito, vel coincidit cum responsione Caiet. Probatur primum: quia iam supponimus, quòd peccatum mortale differt à veniali, quia mortale est mors animæ; veniale nequaquam. Quærimus autem vnde hæc differentia oriatur in actibus istis; quodnam sit illud, propter quod actus hic dat mortem animæ, & dicitur mortalis; non autem actus ille, & dicitur venialis. Huic autem quæsito, stante hac responsione, non satisficeret. Solum enim habetur per hanc responsionem, quòd mortale tollitur coniunctionem cum vltimo fine, veniale autem nequaquam, sed solum inordinationem circa media. Secundum verò probatur, quia si hæc responsio debet satisfacere quæsito proposito in hac opinione, debet tandem assignari pro differentia; quia hic actus est circa finem, ille circa media, vt dicebat Caietanus, & alij Doctores imponunt D. Thomæ.

63 Secunda ergò opinio principalis est eorum, qui dicunt peccatum veniale differre à mortali, quia mortale est contra pręceptum, & legem. Veniale verò est pręter legem, non contra legem, neque contra pręceptum. Hanc sententiam tradunt D. Tho. eodem articulo in responsione ad primum; & hunc modum secutus est deinde Caiet. tomo primo opusculorum tractatu 21. & eodem articulo ad 1. & alij Thomistæ, & recentiores, & fuit Alexandri Alensis 2. p. q. 106. m. 1. §. *contra quintam diffinitionem.* ad 5. D. Bonau. in 2. dist. 42. a. 2. q. 1. in corpore ad primũ. Hæc opinio probatur. Primò, quia Matthæi 19. dicitur *si vis ad vitam ingredi, serua mandata*, tunc sic. Qui peccat venialiter intrat ad vitam; ergò seruat mandata; ergo peccatum veniale non est contra mandata, sed benè mortale. Secundò 1. Io. 2. dicitur, *si quis dixerit quoniam diligit Deum, & mandata eius non seruat, mendax est*; ergo ex hoc loco se consequuntur seruare mandata Dei, & diligere Deum; sed sic est, quòd qui peccat venialiter diligit Deum; ergo etiam eius mandata seruat; ergo peccatum veniale non est contra pręcepta.

2. Opinio.

1. Ratio pro hac opinione.

2. Ratio.

64 Hæc opinio reijcitur à multis. Primò: quia, si peccatum veniale esset pręter legem, & non contra legem, & mandata Dei; sequeretur, quòd esset actus indifferens: quòd enim non est contrarium legi, nec illi vllo modo opponitur, non est malum, neque etiam est bonum: quia non esset peccatum veniale; ergo dicendum esset, quòd esset actus indifferens.

Reijcitur.

1. Ratio.

65 Secundò, quòd nõ est contra aliquod mandatum, & legem, vel scriptam, vel naturæ non est contra rectum dictamen rationis; ergò si actus peccati venialis non est contra legem aliquam saltem naturæ, non est contra rationem rectã; at hoc est falsum, quia omne, quod est malum naturæ rationali, disconueniens est.

2. Ratio

66 Pręterea. Matthæi 5. Saluator inquit, *ego autem dico vobis non iurare omninò*. Vel ergo hoc est consilium, vel pręceptum; si consilium, sicut non nubere; ergo iurare non est peccatum: (secundum istos) quia secundum eosdem nubere est contra consilium, non nubendi: & tamen non est peccatum. Si verò est mandatum, habetur intentum, quòd peccatum veniale non est pręter legem, & mãdatum, sed contra legem, & mandatum.

3. Ratio.

67 Est ergo opinio Scoti in 2. dist. 21. q. 1. §. *dico ergo*, quæ non rectè refertur, nec benè intelligitur à Caietano, & recentioribus. Dicunt enim Scotum asserere peccatum mortale esse actum, qui est contra pręceptum; peccatum veniale verò esse actum, qui est contra consilium. Atque deinde hanc opinionem impugnant eò quia, si esset vera, sequeretur, quòd nubere esset peccatum veniale: quia nubere est contra consilium de virginitate seruanda, iuxta illud Pauli 1. ad Corinth. 7. *De virginibus pręceptum Domini non habeo, consilium autem do, &c.*

Opinio Scoti malè intellecta, & malè impugnata.

68 Cæterum Scotus non asserit peccatum mortale esse contra pręceptum, peccatum veniale esse contra consilium: sed inquit peccatum mortale esse *deordinationem oppositam ordinationi, sine qua finis non potest sequi aliquo modo, quæ quidem ordinatio habet pręceptum contra quod deordinatio sit.* Peccatum veniale verò est *deordinatio op-*

Opinio falsò tributa Scoto refellitur.

posita ordinationi, quæ non est necessaria ad finem consequendum, sed est vtilis, & quæ non est de præcepto, sed potius de consilio. Ista sunt verba Scoti. Modo multum differt dicere, quod peccatum mortale sit contra præceptum, & veniale contra consilium: & dicere peccatum mortale est contra ordinationem, quæ cadit sub præcepto, & sine qua finis nullo modo obtineri potest: & veniale est contra ordinationē, quæ non est necessaria ad cōsequēdum finem: est tamen vtilis, ac potius de consilio, quàm de præcepto. Hæc autem opinio est ea, quam recentiores impugnantes, & non intelligentes sequuntur, & fuit antiquitus Ricardi in 4. dist. 16. a. 2. q. 2. & Durandi in 2. dist. 43. q. 6. num. ij. Maioris in 2. dist. 41. q. 6. in 2. quæsito. Nam illi respondentes ad hoc quæsitum vtuntur distinctione Durandi, vbi supra, quæ est quodammodo clarior, sed tamē est eadem, quòd opinio Scoti, & est hæc, quòd præcepta sunt in duplici discrimine in quacūque Republica. Quædam enim sunt leges, & præcepta omnino seruanda ad conseruationem ipsius Reipublicæ: quædam vero vtilia, sine quibus tamen potest seruari Respublica, sed non ita commodè. Eodem modo in Republica, & Regno Cælorum debent esse aliquæ leges, & præcepta sine quarum custodia nemo saluabitur: aliæ verò ad hunc finem vtiles tantum, quarum violatio non impedit salutem. Contra primam est peccatum mortale, contra secundam est peccatum veniale. Patet autem esse idem dicere peccatum veniale esse deordinationem oppositam ordinationi, quæ non est necessaria ad consequendum finem, sed vtilis tantùm, & potius de consilio, ac dicere peccatum veniale esse transgressionem legis, & mandati, cuius transgressio non impedit consecutionem finis, & est tantùm vtile, non necessarium.

69 Quod siquis obijciat, idem est dicere peccatū mortale est deordinatio opposita ordinationi, quæ cadit sub præcepto, & dicere peccatum mortale est, quod est contra præceptum: similiter idem est dicere peccatum veniale est deordinatio opposita ordinationi, quæ cadit sub cōsilio, & dicere peccatum veniale est contra consilium. Dico, quod si hoc argumentum concludit, valet etiam contra aduersarios. Nam primò ipsi dicunt quod peccatum mortale est contra præceptum necessariò obligans, & sic quantum ad hoc idem dicimus. Dicunt secundò, peccatum veniale esse contra præceptum, quod non est necessarium ad salutem, sed vtile tantum. Tunc infero, at præceptum, quod est tantum vtile, non necessarium, non est propriè præceptum, sed consilium; ergo peccatum veniale secundum Aduersarios quoque est contra consilium. Hoc vltimum assumptum, quod præceptum non obligans sub necessitate, est consilium, non præceptū præterquàm quod est de se euidens. Optimè docetur à D. Tho. p. 2. q. 108. a. 4. in principio corporis, vbi ponit differentiam inter cōsilium, & præceptum, penès hoc, quod præceptum importat necessitatem, consilium verò est in optione eius, cui datur, & est de ilis, per quę melius, & expeditius potest homo consequi finem suum. Impugnant ergo aduersarij Scoti, quod non intelligunt, & coincidunt in opinionem Scoti, quam impugnant.

Obiectio difficilis cōtra sententiam allatā dissoluit.

70 Verum contra hanc determinationem adest obiectio, quam aduersarij faciunt contrà opinionem Scoti: hæc enim etiam procedit contra eos, siquidem in re consentiunt cū opinione Scoti; ideo tàm ipsi, quàm nos soluere coguntur. Est autem difficilis, nec rectè solui potest nisi bene intellecta opin. Scoti; vnde ex eius solutione magis manifestabitur veritas opinionis Scoti. Obiectio erat ista. Si peccatum veniale est deordinatio cōtrà consilium, seu contra ordinationē, quæ est de consilio, sequitur, quod nubere sit peccatum veniale. Consequēs est falsum; ergo, & antecedens. Falsitas consequentis est euidens: quia ducere vxorem non est peccatum, sed bonum ex Apostolo adducto. Consequentia probatur: quia ducere vxorem, opponitur illi ordinationi, & consilio de non ducenda vxore, & seruanda virginitate. Confirmatur alijs exemplis: quia etiam retinere bona sua, & facere elemosinam esset peccatum veniale: quia opponitur illi consilio, *vade, & vende quæ possides, & da pauperibus.* Et sic de alijs multis. Quòd etiam obiectio hæc valeat contra aduersarios patet: quia dicunt peccatum veniale esse contra præcepta illa, quæ sunt vtilia, non autem necessaria ad finem consequendum: hæc enim sunt consilia, vt probatum est supra.

Solutio.

71 Pro solutione dubitationis, & maiori declaratione difficultatis præsentis est obseruandum, quod aliquid apponi alteri contingere potest duobus modis: vno modo vt minus bonum maiori bono: alio modo vt malum bono. Ad propositum, nubere, & ducere vxorem opponitur virginitati, & cœlibatui, non tanquam malum bono, sed tāquam minus bonum maiori bono: & idem dicendum est de alijs exemplis adductis. At peccatum veniale opponitur consilio tanquam malum bono. Vnde est vlterius obseruandum, quod peccatum veniale est malum: est enim peccatum; peccatum autem est species mali, & propter hoc Scotus declarando essentiā peccati venialis, dicebat, quod est deordinatio opposita ordinationi, quæ est vtilis: non tamen cadit sub præcepto, sed potius sub consilio. Quasi dicat, quòd peccatum veniale est deordinatio opposita ordinationi vtili, quæ cadit sub cōsilio, at non quæcunque sed deordinatio mala, seu contra rectam rationem, opposita ordinationi, quæ cadit sub consilio, non sub præcepto propriè sumpto. Solutio ergo consistit in hoc, quod transgressio cōsilij potest esse duplex, alia est cum peccato, aliā sine peccato, sed est cū minori bono; vt nubere est trāsgressio consilij de seruanda virginitate, sed non est transgressio mala, & cum peccato, sed cum minori bono; alia est transgressio consilij cum peccato, vt verbum otiosum, plus in potu, vel cibo accipere, quàm necesse est; quoties quis plus loquitur, quàm oportet, aut plus tacet, quàm expedit, & similia, quæ inter venialia enumerat D. Aug. sermone illo 41. de Sanctis. Illæ enim sunt transgressiones, & oppositiones ordinationibus, quæ cadunt sub consilio, & sunt vtiles ad finem vltimum consequendum, & ideò sunt peccata venialia.

Ad formā argumēti.

72 Vndè ad argumentum negatur consequentia. Ad probationem respondetur, quod nubere, & reliqua opponuntur consilio, non vt malum, sed vt minus bonum: peccatum verò veniale opponitur consilio, vt malum.

Primū corrolarium.

Ex hac doctrina sequuntur aliqua corrolaria. Primum quod peccatum veniale, cum sit deordinatio, seu trāsgressio ordinationis, quæ proponitur non sub præcepto propriè, sed sub consilio, & sit transgressio consilij, est tamen quoq; trāsgressio, & opposita præcepto, & legi aliquo modo, scilicet impropriè: quia omnis ordinatio est lex, seu præceptum. Ordinatio autem vtilis ad vltimum finē consequendum necessariò procedit ab aliqua lege diuina, saltem naturali: ideo facere contra ordinationem datā sub consilio, est facere aliquo modo contra legem, saltem naturæ, & rectum dictamen rationis. Et sic etiam rectè dicunt asserentes, peccatum veniale esse contra aliquod præceptum, & legem, videlicet contra illas leges, quarum obseruatio est vtilis, nō autem necessaria ad finem vltimum consequendum. Sequitur similiter, quod rectè dicunt ij, qui diffiniunt, Peccatum veniale esse illud, quod non est mortale: quam diffinitionem assignat Nauarrus in Manuali, preludio 9. num. 19. Nam, cum peccatum veniale sit deordinatio opposita ordinationi bonę, necesse est, quòd sit peccatum; omne autem peccatum actuale est mortale, vel veniale; nō est mortale; relinquitur ergo vt sit id, quod non est mortale.

Secundum corrolariū.

73 Secundò sequitur, quòd diffinitio peccati venialis assignata à Scoto optimè explicat essentiam peccati venialis, & est ista. Peccatum veniale est deordinatio opposita ordinationi vtili ad vltimum finem consequendum, quæ non cadit sub præcepto, sed potius sub consilio, tamen potest facilius sic exprimi. Peccatum veniale est transgressio, seu deordinatio contra rectam rationem, opposita ordinationi vtili ad vltimum finem consequendum, quæ non

Definitio quidditatiua peccati venialis.

cadit

cadit ſub pręcepto,ſed potius ſub conſilio. Appoſuimus illam particulam,tranſgreſſio contra rectam rationem, ad diſtinguendum peccatum veniale ab illis tranſgreſſionibus,quæ non ſunt peccata: vnde genus in hac diffinitione eſt, tranſgreſſio, contra rationem, ſeu mala, ordinationi diuinæ oppoſita. Reliquæ particulę, ſcilicet vtilis ad vitam ęternam, quæ tamen non cadit ſub pręcepto, ſed potius ſub conſilio, ponuntur ad differentiam peccati mortalis,vt viſum eſt. Et ſic habemus perfectam,& claram diffinitionem peccati venialis competentem peccato veniali, tàm ex genere, quàm ex circunſtantijs: omne enim tale eſt deordinatio oppoſita conſilio, modo prędicto: furari enim leuem rem, verbum otioſum, & huiuſmodi patet, quod ſunt tranſgreſſiones ordinationis vtilis ad vltimum finem conſequendum.

Tertium corrolariũ.

Diffinitio quidditatiua peccati mortalis.

74 Tertium corrollarium eſt, Verã,& quidditatiuam diffinitionem peccati mortalis eſſe iſtam. Peccatum mortale eſt deordinatio oppoſita ordinationi, ſine qua finis non poteſt ſequi modo aliquo, quæ quidem ordinatio habet pręceptum, contra quod fit illa deordinatio. Quam clariorem reddere poſſumus, ſi dicamus, Peccatum mortale eſt tranſgreſſio ordinationis ad vltimum finem, quæ cadit ſub pręcepto. Et denique breuius, ſi dicamus, Peccatum eſt trãſgreſſio pręcepti diuini propriè ſumpti. Hęc eſt diffinitio recta,& quidditatiua,in qua genus eſt deordinatio,ſeu tranſgreſſio; ſubintelligitur, contra rectam rationem: tranſgreſſio enim omnis notat actum malum. Differentia eſſentialis,& quidditatiua habetur in reliquis illis particulis, Oppoſita ordinationi, ſine qua finis nullo modo ſequi poteſt,& quæ cadit ſub pręcepto. Quod breuius dici poteſt, ſi aſſeramus, tranſgreſſionem eſſe genus; ordinationis,& pręcepti diuini eſſe differentiã: per hanc enim particulam diſtinguitur mortale à veniali. Hæc eſt diffinitio peccati actualis mortalis quidditatiua.

Quartum corrolariũ.

Calumnia hæreticorũ refellitur.

75 Quartum corrolarium eſt, Ex hoc patere, calumniam hęreticorũ noſtrorum temporum eſſe vanam, qua dicunt, Catholicos neſcire diſtinguere adhuc veniale à mortali: nam clariſſimum eſt, ſemper in Eccleſia Catholica fuiſſe cognitum, peccatum mortale eſſe peccatum, & ſcelus maximum, priuans hominem amicitia Dei, & dignum morte ęterna; veniale vero eſſe peccatum leue, & minutum, quod non tollit amicitiam Dei, tamen eſſe aliqualem offenſam, aliqua pœna dignam. Cognouerunt etiam ſemper Catholici violationem pręceptorum Dei, ſiue immediatè prouenientium à Deo: ſiue mediantibus ſuis miniſtris, eſſe peccatum mortale, & tranſgreſſionem conſiliorum nõ eſſe ita graue peccatum. Subtilem autem rationem, vnde hæc differentia proueniat, & quædam dubia circa illa emergentia non curauit Eccleſia Catholica diſcutere: quia non erat opus, ſicut nec de multis alijs difficultatibus; ſed ea reliquit ſapientibus,& verſatis in Sacris literis examinanda, ſicut, & multos alios caſus, qui nõdum ſunt determinati. Theologi autem Scolaſtici, qui laborant,vt myſteria fidei noſtræ declarent, has, quas vidimus, dubitationes,& rationes adduxerũt, ex quibus veritas aperitur; diſcutiendo enim,& quærendo more Apoſtolorum, actorum cap. 15. veritates Catholicę eluceſcunt.

Quintum corrolariũ.

76 Quintum corrolarium eſt, Quòd allatę diffinitiones ſunt non ſolum de peccato veniali,& mortali in genere, & per ſe conſideratis, ſed etiam de peccato veniali, & mortali ex circunſtantijs: nam etiam furtum ex leui materia, licèt ſit contra pręceptum, non tamen eſt contra ordinationem, ſine qua vltimus finis ſequi non poſſit: quia ordinatio, quod nemo furetur feſtucã, vel quid leue, non eſt pręceptum, & ordinatio, ſine qua finis vltimus ſequi non poſſit, ſed eſt ordinatio, quæ cadit ſub conſilio propriè in ſe conſiderata, licèt contineatur materialiter ſub pręcepto non furandi. Et ſimiliter, dicere verbum otioſum propter malum finem, licèt ſit deordinatio, quæ videatur opponi ordinationi, quæ ſit ſub conſilio, tamen re vera opponitur ordinationi, ſine qua finis ſequi non poteſt, & quæ cadit ſub pręcepto. Adeò quod veriſſimum eſt, Quod omne peccatum mortale, tàm veniale, quàm mortale eſt deordinatio, quæ opponitur ordinationi neceſſariæ ad finem conſequendum, & cadit ſub pręcepto. Veniale verò eſt deordinatio oppoſita ordinationi vtili tantum, nõ autem neceſſariæ ad finem conſequendum, & quæ cadit potius ſub conſilio, non ſub pręcepto. Tamen peccatum ex genere mortale,& ex circunſtantijs, ſiuè per accidens mortale in prędicta diffinitione implicitè continentur, & veniale ex genere,& ex circunſtantijs in allata diffinitione venialis continentur. Ad maiorem claritatem poteſt aſſignari alia diffinitio, in qua explicetur ſimul peccatum mortale ex genere,& ex circunſtantijs omnibus, per quam dignoſcatur differentia in ſpeciali à veniali. Huiuſmodi autem eſſe poteſt diffinitio allata à Nauarro in Manuali, pręludio 9. num. 7.& ſequentibus, quæ mihi ſemper valdè placuit: qui enim mandat memoriæ illam diffinitionem, & eius declarationem, optimè cognoſcere poteſt ſtatim, quis actus ſit mortalis, & quis venialis: quia in ea includuntur omnes particulę deſignantes peccatum mortale in genere,& ex circũſtantijs, ex quibus ex oppoſito innoteſcit poſtea, quis ſit actus venialis: certum eſt enim, quòd actus, qui ex ſuo genere eſt mortale peccatum, ex circunſtantijs poteſt eſſe veniale, & è conuerſo, peccatum ex ſuo genere veniale poteſt fieri mortale, vt infrà videbimus.

Diffõ peccati mortalis aſſignata à Nauarro cõmendatur.

Diffinitio aſſignata à Nauarro.

77 Diffinitio autem aſſignata à Nauarro hæc eſt, *Peccatum mortale eſt peccatum contra pręceptum diuinum, vel humanum promulgatum, receptum, & nõ derogatum, æterna pœna munitum, vel contra aliquid pro tali habitum, vel an tale ſit dubitatum, quòd ignorantia, ſubreptio, vel paruitas rei, aut diſpenſatio iuſta, quo ad legem humanam ab ea non excuſat: vel contra Diuinum conſilium contemptum, vel contra ſalutem animæ proximi ſpretam, vel ob finem malum, vel in quo finis vltimus ponitur.* Illæ particulæ omnes ſunt notæ, ſeu differentiæ ſpecificæ, in quibus mortale à veniali differt. Priores illæ particulæ. *Contra pręceptum diuinum, vel humanum promulgatum, receptum, & non derogatum, æterna pœna munitum*, pertinent ad peccatum mortale ex genere; illud enim eſt contra pręceptum diuinum, vel humanum intendens obligare ad mortale. Adiungit verò illas particulas, *Promulgatum, receptum, & non derogatum*: quia ſine his conditionibus pręceptum non obligat. Aliæ verò particulæ pertinent ad peccatum mortale ex circunſtantijs, ſcilicet, *vel contra aliquid pro tali habitum, vel an tale ſit dubitatum*: tangit enim circunſtantiam conſcientiæ erroneę, quæ facit veniale ex genere, mortale. *Quòd ignorãtia, ſubreptio, vel paruitas rei.* Iſtæ ſunt circunſtantiæ, quæ faciunt ſimiliter actum de ſuo genere veniale, mortale; ſimiliter reliquæ aliæ. *Aut diſpenſatio iuſta, vel cauſa iuſta, quoad legem humanam, ab ea non excuſat, vel contra Diuinum conſilium contemptum, vel contra ſalutem animæ proximi ſpretam, vel ob finem malum, vel in quo finis vltimus ponitur.* Iſtæ omnes faciunt peccatum de ſuo genere veniale, mortale; vt ſuo loco infrà dicemus. Ideò eſt valdè completa,& multum facilis, & complectens in compendio omnes quæſtiones pertinentes ad cognoſcendum omnes actus mortales.

Vltimum corrolariũ.

78 Ex dictis patet etiam ſolutio illius dubitationis, An peccatum veniale, & mortale dicantur vniuocè peccata, an analogicè: nam dictum eſt ſupra diſp. 1. quòd formalitas peccati eſt carentia rectitudinis debitæ actui. Cùm ergo omni peccato actuali competat hæc ratio, & quidditas, nulli dubium eſt, peccatum dici vniuocè de mortali,& veniali; quòd enim prędicatur de aliquibus pluribus ſecundum nomen, & ſecundum rationem, vniuocè dicitur de illis; tamen cum hoc etiam ſtat, quòd etiam analogicè dicatur de illis; ſuſtinemus enim nos, analogiam ſtare ſimul cum vniuocatione, vnde ſolemus diſtinguere vniuoca, in vniuoca pura,& vniuoca analoga: cùm conceptus vniuocus dicitur de pluribus inferioribus, ſed ordine quodam de illis, vniuocè analogicè dicitur; vt ens de Deo,& creatura, de ſubſtãtia, & accidẽte; per prius enim

dicitur de Deo, quàm de creatura, & de substantia, quàm de accidente; ita in proposito, ratio peccati in communi dicitur de mortali, & veniali: quia vtrunque caret rectitudine sibi debita; tamen hæc carentia dicitur de illis per prius, & posterius: quia per prius dicitur de mortali est enim magis carentia rectitudinis debitæ, quàm veniale, vt patet ex dictis. Hæc, quæ dicta sunt brobantur in Philosofia naturali de Vniuocatione entis: ideò hic satis.

DISPVTATIO VI.

Vtrum peccatum veniale fieri possit mortale.

An peccatum veniale fieri possit mortale. Cap. Primum.

Quomodo veniale fiat mortale, & èconuerso, valde necessarium scitu.

1 AD intelligẽdum rectè, quomodo actus humani de venialibus peccatis fiant mortalia, & è conuerso, quæ est materia magis necessaria, & magis vtilis cuicunque Christiano, vt se in vita spirituali, & praxi, quæ ducit ad vitam æternam, sciat regere, & ideò est maximè obseruanda, & ipsis Confessarijs est maximè necessaria, quia principalis conditio Cõfessarij est scire, quodnam sit peccatum mortale, & quod veniale. Est in primis obseruandum id, quod disp. 4. cap. 2. & disp. pręcedenti capite vltimo dicebamus, scilicet, Quòd peccatum mortale diuiditur primò in peccatum mortale ex genęre, & in peccatum mortale ex circunstantia, siuè per accidens; & similiter peccatum veniale diuiditur in peccatum veniale ex genere, & in peccatũ veniale ex circunstantia. Et quòd peccatum mortale ex genere est, quòd est circa obiectum malum, & prohibitum per aliquam legem vel pręceptum, quæ obligat sub pœna amissionis amicitię Dei, & pœnę æternæ. Peccatum veniale verò ex genere est contra ordinationem, & legẽ, seù pręceptum, quòd nobis proponitur, non sub ratione pręcepti propriè, sed per modum Consilij. Vndè breuiter loquendo, Peccatum mortale ex genere est, quòd est contra pręceptum. Peccatum veniale ex genere, quòd est contra consilium, exponendo consilium modo supradicto disput. pręcedenti cap. vltimo.

Scotus in 4. d. 17. a. 1. A. de hoc infra d. 17.

2 Ex hoc autem sequitur, quòd cum pręceptum, & lex sit triplex, scilicet diuina, quæ est duplex, scilicet naturalis, & positiua; & lex humana. Ille actus, qui est contra aliquam harum legum, vel pręceptorum, est peccatum mortale ex genere suo. Vndè de his pręceptis dicitur in Psalmo 118. *Maledicti qui declinant à mandatis tuis.* Et iterum Psalmo 88. *Si iustitias meas profanauerint, & mandata mea non custodierint.* Hæc autem mandata sunt pręcepta legis naturæ, scripta in cordibus nostris, & in Euangelio confirmata: nam Christus Dominus de lege naturæ Matthæi 7. ait. *Omnia ergo quæcunque vultis, vt faciant vobis homines, ita & vos facite illis: hæc enim est lex, & Prophetæ.* Rursus pręcepta positiua legis scriptæ, scilicet pręcepta Decalogi, & Euãgelicæ, de his enim Matth. 22. habetur. *Magister, quòd est mandatum magnum in lege? ait illi Iesus, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, tota anima tua, & tota mente tua. Hoc est maximum, & primum mandatum; secundum autem huic simile, Diliges proximum tuum, sicut te ipsum: in his duobus mandatis vniuersa lex pendet, & Prophetæ.* Et de pręceptis Decalogi Marci 10. *Magister bone, quid faciam, vt vitam æternam percipiam? Iesus autem dixit. Quid me dicis bonum? nemo bonus nisi Deus: pręcepta nosti. Ne adulteres, ne occidas, ne fureris, ne falsum testimonium dicas, nę fraudem feceris, honora patrem tuum, & matrem tuam.* Et alibi. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Et denique in tota lege Euangelica habemus, decem pręcepta Decalogi esse obseruanda. Ratio etiam hoc conuincit; quia pręcepta Decalogi sunt de lege naturæ; sunt enim vel principia prima, nota per se, vel conclusiones ex illis deductæ, vel conformia rectę rationi; quòd docent omnes Theologi. Lex autem naturæ non est abolita, sed confirmata in Euangelio, vt visum est.

Lex naturę confirmata à Christo.

Pręceptalegis scriptæ & Euangelicæ.

Præcepta Decalogi cõfirmata à Christo

3 In pręceptis autẽ Decalogi continẽtur omnes actus virtutum, vt docet D. Thom. p. 2. q. 94. a. 5. & alij Theologi in 3. d. 37. asserunt vel supponunt: nam virtutis actus, & habitus sunt conformes rectæ rationi; ergo pertinent ad legem naturæ. Omnes ergo actus contra pręcepta Decalogi, & contra pręcepta virtutum sunt peccata mortalia ex genere. Rursus, quia in Euangelica lege, & pręceptis cerimonialibus non habemus nisi pręcepta de septem Sacramentis, Ecclesiæ, vt habet idem D. Tho. p. 2. q. 108. a. 2. Scotus in 3. dist. 40. & alij Theologi supponunt vel explicant actus oppositi pręceptis de Sacramentis sunt peccata mortalia ex genere. Quæ autem pręcepta tradita sint circa Sacramenta in vnoquoque Sacramento explicando patent, & nos agendo de illis dicemus.

Alia est lex humana, quæ est duplex, spiritualis, & temporalis. Spiritualis continet leges, & pręcepta Ecclesiastica emanãtia à Prelatis, & Superioribus Ecclesiasticis, quibus Deus dedit potestatem condendi leges ad vtilitatem Ecclesiæ, & ad finem vltimum consequendum; dum dixit Apostolis, & in eis suis successoribus Episcopis, & Pręlatis. *Ecce ego mitto vos, sicut misit me Pater.* Ioan. 20. Vbi eis potestatem iurisdictionis dedit, & Petro principaliter, cũ dixit illi, *Tibi dabo claues Regni Cęlorum.* Matthæi 16. & *Pasce oues meas.* Ioan. 21. & iterum, ipsi, & alijs. *Qui vos audit me audit, qui vos spernit, me spernit.* Lex autem temporalis est, quæ prouenit à Principibus temporalibus, qui habent potestatem condendi legem obligantem in conscientia ad regendum Rempublicam quoad temporalia, iuxta illud Apostoli Rom. 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus sit subdita.*

Pręcepta legis humanæ spiritua lis, & temporalis.

Prĩcipes tẽporales habent potestatem condẽdi leges obligantes sub pœna pctĩ mortalis.

4 Obseruandum verò adhuc est, quòd istæ leges humanæ, tàm Ecclesiasticæ, quàm temporales non obligant sub pœna peccati mortalis, nisi prius sint promulgatę, receptæ, & non derogatæ in totum, vel in parte illa, contra quam agitur, vt habetur §. *leges, dist.* 4. & tradit Nauarrus in Commentario in caput, Fraternitas 12. q. 2.

Leges humanæ quãdo oblig̃t

5 Obseruandum est etiam, quòd huiusmodi leges humanæ, sicut neque diuinæ, obligãt sub pœna peccati mortalis, nisi intendant hoc modo obligare. Multę enim sunt leges diuinæ, & humanæ, quæ proponuntur non per modum pręcepti, rigoroso modo accepti; ita quod eorum ordinatio sit necessaria ad vltimum finem, sed proponuntur vt vtiles ad illum consequendum; & hæc sunt consilia, seù ordinationes, & pręcepta, quæ proponuntur à Pręlatis per modum consilij; & leges, quæ proponuntur à Principibus solum sub pœna temporali. Ille actus ergo est ex suo genere peccatum mortale, qui est contra legem, seù pręceptum diuinum, vel humanum, promulgatum, acceptũ, non derogatum, æterna pœna munitum.

6 Peccatum verò mortale ex circunstantia, seù per accidens est actus ille, qui ex genere est veniale, sed ex circũstantia aliqua opposita fit mortale; vt dicere verbũ otiosum est peccatum ex suo genere veniale; tamen si dicatur ad malum finem, qui sit peccatum mortale, vt ad adulterandum, fit mortale. Huiusmodi autem circumstantiæ, propter quas peccatum veniale fit mortale, vt videbimus, sunt pręsertim finis, qui sit peccatum mortale; & aliæ circunstantiæ, quæ mutant speciem, & prohibitæ sunt, speciali pręcepto obligante sub pœna æterna; conscientia erronea, ponere pro fine vltimo actum peccati venialis, contemptus consilij, & salutis animæ proximi; quæ explicantur à Nauarro in illis particulis. *Vel contra aliquid pro tali habitum, vel dubitatum, an tale sit, vel contra consilium contemptum, vel contra salutem animæ proximi spretum, vel ad finem malum, vel in quo finis vltimus ponitur.* Rursus, quia peccatum mortale potest fieri veniale ex quatuor causis, scilicet. *Ex ignorantia, vel leuitate materiæ, vel ex consensu imperfecto, vel ex dispensatione, per quam, quando est iusta, etiam nullum est peccatum.* Nauarrus apposuit illas particulas. *Quod ignorantia, subreptio, vel paruitas rei,*

Peccatum mortale ex circũstãtia.

Circunstãtiæ quæ faciũt actum ex veniali peccatum mortale.

aut

aut dispensatio iusta quo ad legem humanam eum non excusat. Adeo quod in hac diffinitione Nauarri continentur omnes notæ, & differentię, quibus peccatum mortale ex genere, vel ex circunstantijs fit, & distinguitur à veniali.

Peccatum veniale qđ nam ex genere.

7 Peccatū verò veniale ex genere ex aduerso est actus omnis, qui est contra consilium, seù præceptum propositum sub ratione consilij tantum non autē sub pœna mortis eternæ. Quæ autem sint hæc consilia, seù præcepta proposita per modum consilij in speciali esset longum ea enumerare, licèt ea omnibus nota sint: vt habet D. Aug. Sermone 41. de Sanctis, tomo 10. quorum tamen multa ipse ibi enumerat, dùm enumerat actus veniales, quos vocat peccata minuta, & opponit peccatis grauissimis, quæ vocat scelera, his verbis. *Quæ autem sint minuta peccata, licèt omnibus nota sint, tamen, quia longum est, vt omnia replicentur, opus est, vt ex ijs, vel aliqua nominemus. Quoties aliquis in cibo, aut in potu plus accipit, quàm necesse est, ad minuta peccata nouerit pertinere. Quoties plus loquitur, quàm oportet, aut plus tacet, quàm expedit. Quoties pauperem importunè petentem exasperat. Quoties cum corporesit sanus, alijs ieiunantibus, prandere voluerit, aut somno deditus tardius ad ecclesiam surgit. Quoties, excepto desiderio filiorum, vxorem suam cognouerit. Quoties in carcere inclusos & in vinculis positos tardius requisierit. Quoties infirmos tardius visitauerit. Si discordes ad concordiā reuocare neglexerit. Si plus, aut proximum aut vxorem, aut filium aut seruum exasperauerit quàm oportet. Si cuicunque personæ, aut ex voluntate aut ex necessitate adulari voluerit. Si pauperibus esurientibus cibum non dederit, aut nimium delitiosa aut sumptuosa sibi conuiuia præparauerit*. Hæc D. Aug. in speciali.

Regulæ duę ex Scoto cognoscendi peccata venialia.

8 Possumus tamen assignare regulam generalem, seu legem, & præcepta: quædam generalia, quorum violatio est peccatum veniale, ex Scoto in 2. dist. illa 21. quæst. 1. §. *contra quia illud donum*, & sunt ista duo. Homo obligatur ad faciendū semper quod est melius, & expediencius & vltimum finem consequendum. Secundum: Homo tenetur ad fugiendum quodcunque retardatiuum ad melius, pro consequendo vltimo fine. Patet autem, quod istæ duæ ordinationes, & leges proponuntur homini ex lege naturæ, & dictamine rectæ rationis; non tamen per modum præcepti propriè sumpti, itaquod eorum omissione amittatur amicitia Dei, sed per modū consilij, tanquam ordinationes vtiles ad finem prædictum cōsequendum. Peccatum veniale per accidens, & ex circunstantia est, quando peccatum ex obiecto, & ex genere suo est mortale, tamen propter aliquam circūstantiam fit veniale; vt sunt paruitas rei, & imperfectus consensus, ignorantia, iusta causa: cum enim quis furatur rem leuem, est ex genere peccatum mortale; tamen ex paucitate rei excusatur à mortali, vt suo loco infrà dicemus.

Quid peccatū veniale ex circūstantia.

9 His ergo visis, proponitur quæstio, An peccatum veniale fieri possit mortale: ex enodatione enim huius quęstionis, & eius oppositæ, prædicta superius facilia reddentur, & hæc materia magis declarabitur. Proposita ergo quæstio potest habere duplicem sensum secundum communem sententiam Theologorum. Primus est, An peccatū veniale pro formali fieri possit mortale, idest, quòd actus idem, qui iam est peccatum veniale, fiat mortale. Et in hoc sensu est impossibile, quod veniale fiat mortale, quia peccatum veniale distat in infinitum à mortali: veniale enim stat cum gratia Dei, mortale nequaquam. Vnde si actus ille, qui prius erat veniale, fiat mortale, necesse est, quod actus ille mutetur moraliter: mutatio autē moralis facit actū moraliter diuersum, & sic idem actus, qui erat venialis, non potest esse mortalis, sed erit alius, & diuersus; & hoc est, quod dicit Scotus in quolib. 18. ar. 3. principali in responsione ad quartam obiectionem, vbi dicit, quòd idem actus non potest esse bonus, & malus, quia raptim transit, & sic non potest mutari ex bonitate in malitiam; & si permaneat, permanet secum sua bonitas: intelligit enim de bonitate sua morali. Et D. Th. 1.2. quæst. 78. art. 2. & 4. & alij Doctores passim. Additur, quod non solum peccatum veniale hoc modo nō potest fieri mortale, sed neque plura venialia, immo omnia peccata venialia non possunt fieri vnum mortale: quia omnia peccata venialia simul non auferunt charitatem, nec amicitiam Dei; sed vnum peccatum mortale maximè, tamen plura peccata venialia sunt dispositio ad peccatum mortale: quia ex hoc, quod quis assuescit transgredi ordinationem positam sub consilio, facilè fiet, vt etiam transgrediatur ordinationem positam sub præcepto, & sic peccet mortaliter. Vel ex eo, quòd transgreditur sæpè consilium ita assuescat, vt in actu veniali vltimum finem ponat, & sic peccet mortaliter, vt nunc dicam.

An peccatum veniale fieri possit mortale

Actus venialis quomodo non possit fieri mortalis.

Plura venialia non possunt fieri vnū mortale.

Alio modo potest intelligi, vt actus ille, qui est venialis ex genere, fiat mortalis ex circunstantia aliqua addita, & hoc modo secundum omnes Theologos peccatum veniale fieri potest mortale quattuor modis, scilicet ratione finis conscientiæ erroneæ, ratione contemptus consilij, & ratione contemptus salutis proximi. Ratione finis quia, vt dictum est supra, inter circunstantias morales finis est principalis, qui dat bonitatē, & malitiam moralem, & completam actui. Ratione autem finis dupliciter actus ex genere venialis potest fieri mortalis. Primò quia potest contingere, vt voluntas ordinet actum illum, qui ex genere est peccatum veniale, ad obiectum ex genere mortale: vt si quis dicat verbum otiosum propter adulterari, fit peccatum mortale. Secundo modo potest fieri mortale, scilicet si in actu illo veniali constituat suum vltimum finē; quod contingit tunc, quando quis ita diligit actum ex genere suo veniale, vt non curet transgredi aliquod præceptum obligans sub pœna peccati mortalis: vt si quis tempore, quo deberet audire sacrum, velit ludere; tunc magis diligit creaturam, quàm Deum, & sic est frui creatura, & vti Deo: quod est maxima peruersitas. Hoc elicitur ex D. Thoma, vbi supra art. 2. & 4. & ex Scoto in 2. dist. 40. vbi asserit, quòd actus bonus moraliter debet habere bonitatem, & rectitudinem secundum quatuor causas: secundum materialem, quę est bonitas ex obiecto, seu ex genere: secundum efficientem causam, quæ est voluntas, vt scilicet sit libera: secundum finem debitum, & secundum causam formalem, cui respondent cęteræ circūstantiæ, scilicet quando vbi. Quando ergo quis constituit suū vltimum finem in actu ex genere suo veniali, veniale fit mortale: actus enim ille, cum sit res creata, non potest esse finis vltimus debitus actus voluntatis humanæ.

Peccatū veniale quatuor modis potest fieri mortale.

Peccatum veniale fit mortale ratione finis.

10 Secundò principaliter. Actus venialis ex genere fit mortalis ex conscientia erronea. De qua capite sequenti agemus.

Conscientia erronea facit actum de veniali mortale.

11 Tertiò. Contemptus consilij diuini facit actum de suo genere veniale peccatum mortale peccatum: nam, vt diximus, transgredi consilium diuinum est ex se peccatū veniale, vt supra ostendimus, quia est transgressio ordinationis vtilis ad vitam æternam consequendam: licèt aliquando non sit etiam peccatum veniale illius transgressio. Nimirum enim transgreditur consiliū faciendo opus illi oppositum, non contra rationem rectam, sed tamen minus bonum, vt cum quis ducit vxorem, transgreditur enim consilium de virginitate seruanda, non tamen peccat vllo modo, quia non facit opus rationi rectæ contrarium, sed facit aliud opus bonum, licèt minus bonum, & hoc modo debet intelligi caput, *Quisquis* 14. quæst. 1. & Glossa in caput; *Quis autem* dist. 10. non enim ex illis locis habetur, quod facere contra consilium diuinum regulariter non sit peccatum veniale, vt vult Nauarrus in Manuali eodem prœludio 9. num. 7. & 17. sed solum habetur, quòd non semper transgressio consilij est peccatum veniale, quod est verum, vt diximus, & illud etiam asseruit Scotus in 3. dist. 39. quæst. 1. §. *Dico tertiò*. M. vbi asserit, quod licèt absolutè liceat non facere opera perfectionis, quæ sunt opera consiliorum, non tamen licèt habere fixum velle nunquam illa faciendi. Si ergo licet non

Contēptus consilij diuini, facit de veniali mortale.

facere

facere opera perfectionis, quæ sunt opera, quæ cadunt sub consilio, illa non facere, non est semper peccatum veniale. Ad propositum licèt nemo cogatur sub pęna peccati mortalis obseruare consilia diuina, & aliquando liceat illa transgredi, ita vt transgressio illorum non sit peccatum veniale; tamen aliquando est peccatum veniale. Quando autem talis actus trãgressionis est peccatum veniale, si illi addatur contemptus, fit peccatum mortale. Hoc docet Scotus in 4. dist. 3. quæst. 4. §. *Hoc ergo supposito*, vbi apertè asserit, quod promulgatio facta de diuino consilio obligat ad non contemnendum: & rationem adducit, quia, qui contemnit consilium, contemnit consulentem, inquantum consulentem, & sic contemnens consilium Euangelicum contemnit Christum. Idem habet D. Th. 2. 2. quæst. 186. art. 9. & communiter concedunt cęteri Theologi, & habetur dist. 10. cap. *Quis autem*, & in glossa illius cap. singulariter recepta.

Quid sit cõtemnere cõsilium aliquod.

12 Obseruandum est autem, quod quando quis dicatur contemnere consilium, non eodem modo exponitur à D. Thoma, & à Scoto: nam D. Thomas loco citato ad tertium ait, quòd tunc quis contemnit, vel transgreditur aliquid ex contemptu, quando voluntas eius renuit subijci ordinationi legis, vel regulæ alicuius, & ex hoc procedit ad faciendum contra legem, & regulam. Scotus verò loco citato dicit, quòd tunc quis contemnit consilium (& idem dicendum de præcepto, & regula, vt ibidem Scotus paulò infrà asserit) quando iudicat illud irrationabile, vel infructuosum, nihilominus est dicendum, Scotum in hoc non discrepare à D. Thoma, sed rem magis explicare: nam etiam Scotus ibidem asserit, non licere contemnere Prælati præceptum, non obediendo; ergo secundũ Scotum nolle subijci præcepto, vel regulæ superioris, & consilio, est contemptus. Sed præter hunc modum contemnendi alter modus assignatus à Scoto est clarior, & magis explicat essentiam contemptus, nimirum, quòd sit reputare pręceptum, vel consilium superioris irrationale, & infructuosum. Hoc etiam vis vocabuli indicat; contemnere enim est paruifacere rem aliquam, & illam nullius valoris, & vtilitatis iudicare.

Contemptus salutis proximi facit de veniali mortale.

13 Quarto loco contemptus salutis proximi facit de veniali mortale; nemo enim tenetur sub præcepto consulere saluti alicuius in particulari, quia præceptum charitatis ad hoc non obligat, sed est tantum consilium: nam præceptum charitatis de diligendo proximo potest intelligi secundum Scotum in 3. dist. 30. in solutione quæstionis A. vel positiuè, idest, quòd teneamur elicere actũ dilectionis proximi: vel quasi prohibitiuè per modũ actus contrarij arcendi à dilectione, quod est idem, quod non odisse: hoc secũdo modo obligat præceptum quo ad duo, scilicet quo ad bona spiritualia, quæ sunt omnia illa, quibus attingit, vel natus est attingere Deum; & quo ad bona indifferentia, quæ sunt ea, quæ possunt ordinari ad bonum Spirituale, & ad oppositum. Exemplum bonorum spiritualium. Non odisse proximo ipsum diligere Deum, siuè velle proximum ipsum diligere Deum amore amicitiæ, vt est bonum honestum, vel concupiscere sibi Deum, vt est bonum commodi: ipsum audire Missas, prædicationem, correctionem, instructionem per quæ conuertitur ad diligendum Deum. Exemplum bonorum indifferentiũ non odisse proximo vita corporalem, siuè illi non velle vitam corporalem, esse sanam, diuitem, fortem, & huiusmodi. Quo ad bona spiritualia certum est ea nos illi non posse odisse, siuè nolle: quia odium istud non stat cum perfectè diligère Deum: quia est nolle ipsum Deum condiligi ab alio, cuius amicitia noscitur ei non displicere. Quo ad bona indifferẽtia, inquit Scotus, & rectè nos posse odisse, & nolle illa proximo ordinatè: quia ipse posset illa sibi ordinatè nolle, & nos nobis ipsis. Quæcunque autem possumus nolle nobis ordinatè, & quæcunque potest sibi proximus ordinatè nolle, ea possumus nos quoque illi ordinatè odisse, & nolle. Hoc assumptum probatur, quia possum mihi ordinatè nolle diuitias, sanitatem,

Præceptum charitatis de diligendo proximo quomodo obligat.

& vniuersaliter necessaria ad vitam corporalem: & hoc dupliciter, vel contemnendo ea, sicut si fiã pauper voluntariè; vel volendo Deum infligere ea mihi propter peccata mea: vel voluntate consequente; vt si sint inflita acceptare ea, & gaudere de his iam inflictis. Idem dicendum est de reliquis bonis fortunæ, & bonis corporis. De vita corporali autem est dubium. Respondet tamen Scotus neminem posse absolute odisse, seu nolle vitam corporalem alicui, sed solum sub conditione. Primam partem probat, quia post mortem non est pœnitentia: non videtur autem, quòd possim velle ordinatè alicui illud, per quod simpliciter excluditur à possibilitate diligendi Deum. Secunda pars probatur: quia siquis credat aliquem finaliter futurum malum, potest ei nolle vitam, vt det locum Sanctis, quos impedit: & ne addat peccata peccatis. Sub hac ergo conditione possumus nolle vitam proximo, scilicet si finaliter est permansurus malus.

14 Loquendo verò de alio intellectu præcepti, scilicet de actu positiuo diligẽdi proximum, quo ad bona indifferentia non tenetur aliquis velle proximo illa positiuè. De vita corporali iam dictum est. Quo ad bona Spiritualia etiam nemo tenetur ad velle illa positiuè proximo suo: probat Scotus, quia, inquit, posset quis ita occupari circa contemplationem Dei, vt nunquam cogitaret de proximo cum plena deliberatione; tunc autem non posset hęc bona velle positiuè proximo, nec tamen peccaret: sed stãte communi vita, qua quis cogitet aliquando de proximo plena deliberatione, adhuc Scotus ait, neminem cogi sub præcepto elicere actum volendi bona spiritualia proximo. Probat, quia absque hoc actu potest quicunque habere actus ordinatos circa finem necessarios: tamen in casu, quod mihi appareat necessariũ habere hunc actum positiuum, teneor. Exempli gratia. Est aliquis infidelis, quem existimo sine doctrina mea non posse conuerti ad veritatem. Vel aliquis est malus, nec puto posse conuerti à malitia sine mea correctione: tunc teneor velle proximo non solum salutem finalem, sed etiam ista media ordinata ad salutem finalem illius. Hæc doctrina est cõmunis omnium Theologorum, licèt non ita benè explicata, vt à Scoto, vt est videre apud D. Tho. 2. 2. q. 25. per totam, & alios Doctores in 3. dist. 30. & sequentibus.

15 Ad propositum nostrum tunc actus aliquis, qui ex suo genere est venialis, fit mortale propter contemptum salutis proximi: quando quis vult actum illum veniale facere, etsi sciat illum esse causam peccandi proximo mortaliter: tunc enim spernit bonum spirituale proximi, quod est esse in gratia Dei. Ad quod dicebamus suprà, nos teneri ex præcepto charitatis non possumus enim odisse, seù nolle salutem proximi. E. g. Mulieris vana exornatio ex se est peccatum veniale; tamen si credat aliquem per illum spiritualiter periturum, & tamen se exornat, illa exornatio fit de veniali peccatum mortale; quia ordinatur ad nolle bonum spirituale proximi: vndè licèt displiceret mulieri, quòd alter ex eius exornatione peritnitetur, non tamen excusatur; quia tenetur non præbere illi illam occasionem, nec licet illi contemnere salutem proximi. Nunc remanet agendum, quomodo ex conscientia erronea peccatum veniale fiat mortale, quod fiet cap. sequenti.

Quomodo veniale fiat mortale ex conscientia erronea, vbi de synderesi, & conscientia agitur.
Caput Secundum.

16 ANte omnia oportet prius videre, quid sit conscientia, hoc enim ignorato, nõ possumus cognoscere, quæ sit conscientia recta, & quæ erronea. Antequam autem videamus, quid, & quæ sit conscientia, necesse est videre, quid sit synderesis, habẽt enim maximã cõnexionẽ.

Quid sit synderesis, & conscientia.

17 Quantum autem ad vtranque, Omnes Theologi ferè conueniunt, non esse particulares potentias aliquas distinctas ab alijs, scilicet ab intellectu, & voluntate, vt est videre

videre in 3. sent. dist. 39. tamen aliqui antiqui dixerunt, Synderesim esse potentiam superiorem ratione. Et alij dixerunt, esse ipsam rationem, non vt est ratio, sed vt est natura, vt tradidit D. Tho. p. p. q. 79. a. 12. Hanc opinionem videtur sequutus Henricus quol. 1. q. 18. prout ei tribuunt Marginistæ Scoti, qui eam confutat in 3. dist. 39. q. 1. & 2. Nam Henricus loco citato videtur velle, pro vt refert Scotus, quòd synderesis sit aliqua potentia, seù vis, seù portio quædam existens in voluntate, quæ actu elicito necessariò tendat in bonum, & resistat malo. Vndè Henricus appellat synderesim pondus voluntatis, & legem naturæ, quæ contineat principia naturalia agendorum, & quantum ad conscientiam dicit, illam esse habitum voluntatis.

Opin. Henrici.

Reijcitur à Scoto.

18 Scotus autem hanc opinionem Henrici reijcit. Et primò quo ad synderesim, probat, quòd quidquid ipsa synderesis sit, siuè potentia, siuè vis aliqua, siuè portio non potest poni in voluntate: & primò sic. Synderesis ponitur habere actum elicitum necessariò tendentem in bonum, & resistentem malo; at nihil tale est in voluntate; ergo synderesis non est in voluntate. Assumptum probatur, quia voluntas non necessariò fruitur fine ostenso, vt ostēdit Scotus in 1. dist. 1. q. 4. Preterea. Nihil, quòd sit in voluntate, potest esse potentia, vel vis, vel habitus necessariò volendi aliquid, vel fruendi aliquo; sed synderesis ponitur ab Henrico potentia, quæ necessariò elicit actum bonum, & conformem principijs naturalibus rectis; ergo synderesis non potest esse in voluntate. Secundò. Si in voluntate poneretur talis potentia necessariò eliciens actus bonos, sequeretur non posse esse aliquod peccatum in voluntate, consequens est falsum. Consequentia probatur, quia ista synderesis esset potentia, seù vis habens esse in portione superiori volūtatis: respicit enim finem vltimū, & prima principia dirigentia ad illum, quòd est munus proprium portionis superioris voluntatis: at portio superior dominatur inferiori; ergo vis ista, & potentia in portione dominaretur portioni inferiori voluntatis, & sic faceret eam semper elicere actus bonos, & conformes primis principijs practicis, & consequenter impediret omne peccatum, & faceret ipsam facere semper elicere actus rectos, quæ sunt manifesta inconuenientia.

1. Ratio.

2. Ratio.

Conscientia non est in voluntate contra Hēricum.

1. Ratio.

19 Contra etiam illud, quòd ait Henricus de conscientia, arguit Scotus, & probat, quòd ipsa non sit habitus, seù pondus generatum in voluntate, vt dicebat Henricus: & primò sic. Habitus non generatur ex vnico actu, sed ex pluribus; at conscientia generatur ex vnico actu, scilicet ex vnica conclusione deducta ex vnico syllogismo practico: statim enim conscientia viso vno actu contra rectam rationem, & principia prima practica recta, accusat, & iudicat esse malum.

Quod conscientia nō est potētia aliqua, seù vis distincta ab intellectu, & voluntate, neque aliquis habitus insertus.

20 Ex hac ratione deducit quoque Scotus, quòd conscientia non sit potentia, seu vis aliqua innata ipsi animæ, nec portio voluntatis: nam si generatur ex vnico actu discursus, seù per vnicum syllogismum practicum, vt dictū est, non potest esse aliquod illorum, quia illa semper permanerent, & semper essent in anima. Sed hoc magis patebit, cum exponemus opinionem Scoti.

2. Ratio.

21 Secundò probat contra Henricū, quòd non sit habitus ille, seù pondus generatum ab intellectu in voluntate, qualem esse ponebat Henricus, sic. Habitus voluntatis natus est causari ab actibus voluntatis, non ab actibus intellectus; ergo intellectus non potest causare habitum hunc, & pondus in voluntate; nisi dicamus, quòd actus intellectus virtualiter contineat perfectionem actus voluntatis, & ideò possit quidquid potest actus voluntatis; sed hoc est falsum, quia etiam secundum Henricum, Voluntas est potentia perfectior intellectu: est enim Regina in Regno animæ: & consequenter actus voluntatis est perfectior actu intellectus.

3. Ratio.

22 Tertiò. Aut voluntas potest non recipere hunc habitum, quem causat intellectus in ea, aut non potest non recipere, sed cogitur illum necessariò recipere. Si primū, sequitur, quòd intellectus non sit causa sufficiens productiua illius habitus, & consequenter posset contingere, quòd quantumcunque intellectus ageret actuali consideratione, tamen non esset conscientia in voluntate, & sic posset non esse conscientia; quòd tamen est falsum. Si autem necessariò recipit, sequitur, quòd etiam necessariò retineat, nec possit voluntas, stante actuali consideratione intellectus, qua producit hunc habitum cōscientiæ, quòd voluntas non posset deponere pondus illud, & conscientiam: hoc autem est falsum, quia conscientia erronea est deponenda, & deponitur, vt videbimus infra.

4. Ratio.

23 Quartò. Aut necesse est voluntatem agere secundum illud pondus, & habitum, aut non: si primum; ergo voluntas non est libera, quia pondus illud est causa naturalis: est enim habitus causatus ab actibus intellectus, qui est causa naturalis. Si non; ergo est libera, & sic potest agere contra illum habitum per actus frequentes, & ita illum corrumpere; ergo conscientia non est habitus productus ab intellectu in voluntate, quia voluntas non posset illum corrumpere.

Opin Scoti, & vera.

24 Respondet ergo Scotus, & consentit D. Thom. p. 1. q. 79. a. 12. & 13. quod synderesis, & conscientia non sunt potentiæ particulares distinctæ ab intellectu, & voluntate, neque sunt vis aliqua innata, nec portio aliqua animæ rationalis; sed Synderesis est habitus principiorum practicorum: conscientia verò est habitus cōclusionis practicæ, cuius actui actio recta debet conformari in agibilibus. Primum declaratur, & probatur simul. Sicut in speculabilibus sunt quædam prima principia, quæ, notum est esse vera per se, seù ex terminis, quæ dicuntur dignitates, & eorum cognitio non est aliqua potentia, seù vis, vel portio distincta ab intellectu, sed est habitus quidam, qui dicitur intellectus ex Arist. in Ethicis, & libro primo Post. cap. 2. ita in practicis, & operabilibus sunt quædam principia, quæ ex ipso lumine naturali patet esse bona, & conformia rectæ rationi, & opposita illis esse mala, & cōtra rationem rectam. Ad propositum, cognitio horum principiorum practicorum dicitur synderesis: quòd probatur, nam synderesis ponitur quædam res habens semper actum elicitum necessariò tendentem in actum iustum, & resistētem peccato: habitus autem principiorum primorum practicorum est huiusmodi; est enim dictamen quoddam semper, & necessariò tendens, & inclinans ad operandum bonum, & resistendum malo: vndè semper instigat ad bonū, & murmurat de malo; ergo synderesis est habitus ille primorum principiorum practicorum. Et quoniam liberum arbitrium, vt dicam infra in disp. An voluntas sit nobilior intellectu, constat ex intellectu, & voluntate, vt docet etiam Scotus in 3. dist. 25. & in 2. dist. 38. liberum arbitrium natum est conformari huic habitui, & dictamini ex ea parte, qua constat ex intellectu, quia est habitus principiorum, qui pertinet ad intellectum. Quantum tamen ad aliam partem liberi arbitrij, quæ est voluntas, quia est libera, potest deficere. Quando ergo voluntas deficit ab actu bono, & elicit actum malum, synderesis murmurat, idest dictamē, & habitus horum principiorum reclamat: quia semper instigat ad bonum, & resistit malo. Est ergo clarū, synderesim esse habitum primorum principiorum operabilium, & practicorum, & consistere in intellectu. Et hoc est, quod vult dicere D. Hieronymus super Ezechielem citatus à Magistro in 2. dist. 39. dum ait, quod superior portio rationis est synderesis: non enim vult dicere, quòd sit eadem portio superior, sed solum quòd est in portione superiori intellectus, quia est habitus principiorum practicorum primorum, qui est in intellectu, non in voluntate.

Quid sit cōscientia.

25 Ex hoc patet, quòd etiam conscientia est habitus proprius conclusionis practicæ: nam ex cognitione illa primorum principiorum practicorum dictantium bonum esse agendum, & malum fugiendum, & ex alia propositione minori sub illa, nimirum, quod furari est malum, sequitur conclusio iudicans, & asserens, furari esse fugiendum. Illa ergo scientia ex syllogismo practico, & iudicium est propriè

propriè cõſcientia, quæ habet diuerſos actus. Vnde ſecundum D. Thom. loco citato iſti ſunt actus conſcientię Teſtificari, Ligare, vel Inſtigare, Accuſare, Remordere, ſiue Reprehendere: ſecundum enim quod applicamus hanc cognitionem, & iudicium practicum diuerſis operabilibus, diuerſis actus illi competunt: quatenus enim recognoſcimus per hanc cognitionem nos feciſſe aliquod malum, vel non feciſſe, ipſa dicitur, Teſtificari: iuxta illud, Ecc. 7. *Scit conſcientia tua, te crebro maledixiſſe alijs*. Quatenus verò iudicamus aliquid, eſſe vel nõ eſſe faciendum, dicitur conſcientia Ligare, & Inſtigare, vt non eſſe furãdum, vel eſſe ſubueniendum proximo maximè in extrema neceſſitate; quatenus verò iudicamus aliquid, quod eſt factum eſſe bonum, vel malum, diciturq; recuſare, vel remordere, vel excuſare: ſi cognoſcit enim eſſe malum remordet, & accuſat: ſi cognoſcit non eſſe malum excuſat, & oritur conſolatio. Iure ergo conſcientia dicitur eſſe habitus concluſionis practicę, ſeu cognitio ipſa, & ſcientia concluſionis practicæ. (Licèt enim vna cognitio, ſeu concluſio practica non faciat habitum, neque dicatur habitus, tamen plures poſſunt dici habitus, ſicuti in ſpeculatiuis, multæ concluſiones, vt puta, Philoſophię naturalis faciunt habitum Philoſophiæ naturalis) Et propter hoc D. Baſilius in principio commentariorum in prouerbia appellat cõſcientiam *iudicatorium naturale*, & Damaſcenus lib. 2. de Ortodoxa fide cap. 2. vocat conſcientiam, *legem intellectus practici*.

26 Notandum eſt autem, quod extendendo vocabulum, & minus propriè loquendo, opus ipſum conſcientiæ bonum, vel malum, ideſt voluntas bona, vel mala ſolet appellari quoque conſcientia, iuxta illud Pauli 1. ad Timotheum, vbi hortatur ipſum ad retinendũ fidem, & bonam conſcientiam: nam ibi per conſcientiam, non intelligit conſcientiam propriè dictam, ſed opus bonum dictatum à conſcientia, ſcilicet bonam voluntatem. Et ad Hebręos 9. cum inquit, *Emundauit conſcientiam noſtram ab operibus malis:* accipitur ibi conſcientia pro actu voluntatis, & ſenſus eſt, emundauit voluntatẽ noſtrã ab operibus malis.

Obiectio ex Scoto. 27 Sed contra determinatam aſſertionem eſt argumentum Scoti, Quod ſi conſcientia pertineret ad intellectum, qui plus ſciret, eſſet plus conſcientiatus, quod videmus vt plurimum eſſe falſum. Solutio. Reſpondet Scotus, quod re vera qui eſt plus ſciens ſcientia practica, eſt etiam magis conſcientiatus: & ideò ſi aliquis ſciens non habet conſcientiam, re vera non eſt ſciens, ſed apparet ſciens: nam ratio excœcatur à malitia; & proinde non habens conſcientiam, non eſt ſciens, ſed excœcatus; & quo minus habet conſcientiam, eo magis eſt excœcatus. Quod confirmat Scotus ex auctoritate Ariſt. 7. Ethicorum cap. 3. vbi inquit. *Quod in paſſionibus exiſtentes quidam dicunt verba enigmatica, ſciunt autem nequaquam.*

Quomodo peccatur cõtra conſciẽtiam. 28 Vlterius accedendo ad propoſitum, vt videamus quomodo peccatum veniale fiat mortale ex conſcientia erronea; oportet videre, quomodo ſit peccatum operari contra conſcientiam. Pro quo obſeruandum eſt, quòd conſcientia, ſeù concluſio practica deducta ex aliquo illorum principiorum primorum practicorum, & altera pręmiſſa particulari poteſt eſſe triplex, ſcilicet vel falſa, vel dubia, vel vera. Triplex cõſcientia erronea, dubia, & vera. Et hoc poteſt accidere, quia minor ſumpta ſub maiori certa vel eſt falſa, vel dubia, vel vera. Incipiemus à conſcientia falſa, ſeù erronea. Conſcientia eſt falſa, ſeù erronea, quando iudicat, & credit id, quod eſt bonum, eſſe malum: vt ſiquis crederet, quòd ducere vxorem ſit malum, vel quando iudicat malum eſſe bonum; vt ſiquis exiſtimaret, audire Miſſam eſſe malum: vel quando iudicat actum indifferentem eſſe malum, vel prohibitum, vt ſiquis exiſtimaret eſſe malum leuare feſtucam de terra. Ad propoſitum quæritur. An conſcientia erronea obliget, vt illam ſequamur, adeò quòd illam non ſequi, & non facere, quòd illa dictat, ſit peccatum. Aliqui dixerunt, quòd conſcientia, quæ dictat bonum eſſe malum, & illud eſſe fugiendum, & quæ dictat malum eſſe bonum, & illud eſſe faciendum, non obligat: & conſequenter non eſſe peccatum agere contra ſolam conſcientiam erroneam. Sed hæc opinio communiter reijcitur à Theologis, à D. Tho. p. 2. q. 19. a. 5. à Scoto in 2. diſt. illa 39. q. 2. vbi apertè ait, quòd aliquod peccatum poteſt committi contra conſcientiam, & adducit auctoritatem Apoſtoli ad Rom. cap. 14. de qua infrà, & paſſim ab alijs Theologis in diſt. prędicta 39. à D. Bonau. Ricardo, & alijs.

29 Ratio eſt, quia quotieſcunque volũtas facit actum malum, ſeu contra rectam rationem, & prohibitum, peccat. Malum autem eſt duplex per ſe, & per accidens. Per ſe eſt illud, quod actu eſt prohibitum aliqua lege diuina, vel naturali, vel humana obligante ſub pœna peccati. Per accidens eſt, quod ex ſe non eſt prohibitum, ſed quia homo iudicat illud malum; & ſic eſt malum per accidens. Vnde cum voluntas facit actum illum, quem conſcientia dictat eſſe malum, licèt per ſe non ſit malum, errat, & facit malum: quia eſt malum per accidens. Ratio autem principalis eſt, quia bonum, vel malum non imputatur noſtrę voluntati, quia in ſe ſit bonum vel malum, ſed quia proponitur, voluntati, vt bonum, vel vt malum. Vndè voluntas redditur culpabilis, & imputatur illi ad peccatum, quia apprehendit malum eſſe malum, & tamen vult facere illud, (vnde, quando adeſt ignorantia, nõ peccat.) & apprehendit bonum eſſe bonum, & faciendum & tamen non vult illud facere. Vndè cum ratio, & conſcientia iudicat aliquem actum, qui eſt bonus, eſſe malum, & eſſe fugiendum, voluntas tenetur illud fugere, quia ſibi proponitur vt malum. Similiter ſi iudicat aliquem actum malum eſſe bonum, & eſſe proſequẽdum, tenetur illi obedire, quia proponitur vt bonum, & eſt bonum per accidens; quia proponitur vt bonum, licèt in ſe nõ ſit bonum. Vndè pro tãto actus pręceptus à lege diuina obligat nos, & tranſgreſſio illius imputatur ad peccatum, pro quanto ratio iudicat, actum illum eſſe pręceptum à lege diuina, & nos obligare: Et hac ratione tenetur voluntas obedire, & ſi non obediat, peccat.

30 Quod confirmatur, immò eſt totum fundamẽtum huius aſſertionis auctoritate D. P. ad Rom. 14. aſſerentis, *Omne, quod non eſt ex fide, peccatum eſt*, ideſt, Omne, quod eſt contra conſcientiam, peccatum eſt: ibi enim fidem intelligit, non credere in Chriſtum, ſed conſcientiam, vt exponunt Origen. Amb. Chriſoſt. Oecomenius, Theofilatus, Theod. & Anſelmus ad illum locum.

31 Obſeruandum eſt autem hic, quòd conſcientia erronea poteſt eſſe duplex, ſicut ignorantia, ex qua oritur, eſt duplex, ſcilicet inuincibilis, & vincibilis. Conſcientia ex ignorantia inuincibili obligat nos dupliciter, nimirum ad non faciendum aliquid contra ipſam, & rurſus ad ſequendum dictamen, & iudicium eius. Conſcientia verò ex ignorantia vincibili obligat tantum vno modo, ſcilicet ad non faciendum aliquid contra eam; non tamen obligat ad ſequendum eam poſitiuè, ideſt ad faciẽdum illud, quod dictat, ſed obligat ad eijciendum illam ignorantiã, ſeù ad faciendum poſſibile omne, vt expellat ignorantiã, & ad deponendum illam conſcientiam erroneam, & ſi expellit ignoratiam, deponit conſcientiam; ſi verò expellere nõ poteſt, ſit inuincibilis, & tunc tenetur illam ſequi, non ſolum non faciendo contra eam, ſed faciendo poſitiuè, quòd illa dictat. Adeò quòd quantum ad actum poſitiuum ſequendi illam, debet ſuſpendere actum, nec illam ſequi, ſed laborare, vt cognoſcat, An conſcientia ſit erronea. Quando autem ſit ignorantia vincibilis, cognoſcitur ex eo, quod adeſt aliqua dubitatio pulſans animum de ſua malitia; ſi autem non adſit tempus, nec modus expellendi ignorantiam illam, tunc ſit inuincibilis, & obligat ad ſequendum eam poſitiuè quoque. Exemplum. Conſcientia erronea dictat eſſe mentiendum pro ſaluanda vita; hęc conſcientia non me obligat ad iurandum poſitiuè, ſed ad ſuſpendendum actum, & ad nõ faciendum contra eam; ſed ad inueſtigandum, an verum ſit, quòd conſcientia dictat, & expulſa ignorantia ad deponendum conſciẽ-

tiam

tiam erroneam: quòd si ignorãtiam expellere nequeant, sit inuincibilis, & tunc obligat ad sequendum ea positiuè, & ad mentiendum, dato casu. Hanc opinionem inter alios tenent D. Bonau. 3. distin. 39. a. 1. q. 3. & Alensis 2. p. quæst. 120. m. 3. a. 1. dum asserunt, in rebus per se bonis, & per se malis non obligare, sed esse deponendam.

32 Est verò hic difficultas, An peccatum contra conscientiam erroneam sit mortale, vel veniale. Ad hoc breuiter respondetur, quòd tale est peccatum quale apprehenditur, & iudicatur à conscientia; si ergo iudicat illud mortale, & facit illud, est mortale; si iudicat veniale, est veniale (nisi ex se esset mortale, nam error conscientiæ illi non suffragatur) si etiam iudicat esse graue, non tamen determinatè, est etiam mortale, quia se exponit periculo peccandi mortaliter. Est tamen facilè iudicare, quale peccatum sit: quia vt plurimum actus ille offertur vt oppositus alicui virtuti in speciali, & sic potest iudicare, quale peccatum sit; Si tamen in confuso proponatur, vt dixi, quia se exponit periculo peccandi mortaliter, est mortale. Hoc obseruauit Nauarrus in Manuali, prçludio 9. n. 9. Vasquez p. 2. disp. 59. cap. 3.

33 Sed contra hanc determinationem est argumentum, per quod videtur probari, quòd conscientia erronea iudicans bonum actum esse malum, & ideò fugiendum, non obliget: nam si conscientia erronea dictet, diligere Deum esse actum malum, & ideò fugendum, facio contra Religionem obedire; & sequi conscientiam; ergo in tali casu conscientia erronea non obligat. Respondetur communiter, quòd talis conscientia obligat; nec sequẽdo eam facio actum contra virtutem Religionis, vel alterius virtutis: nam est impossibile, diligere Deum super omnia amore amicitiæ, & existimare id esse peccatum: nam hoc ipso, quòd aliquis putat, diligere Deum, esse peccatum, & tamen diligit Deum, illum offendit scienter, & liberè, quia intendit facere, & actu facit contra voluntatem Dei. Diligere autem Deum verè amore amicitię, & facere contra eius voluntatem, sunt pugnantia: ideò in tali casu quis non peccat contra virtutem Religionis, nec facit peccatũ conformando se conscientiæ erroneę.

Quõo peccatũ veniale fit mortale ex consciẽtia erronea.

34 Ex his patet, quomodo peccatum veniale ex genere fit mortale ex conscientia erronea; nam, verbi gratia, dicere verbũ otiosum, de sui natura, & ex genere est peccatum veniale; si tamen conscientia iudicaret esse mortale, & esse fugiendum, & nihilominus voluntas vellet illum actum facere, & non se conformare conscientiæ erroneę, peccatum illud, mortale fieret. Similiter actus indifferens, vt leuare festucam de terra, si iudicetur, peccatũ mortale esse fugiendum, & nihilominus à voluntate perpetretur, fiet peccatum mortale, & sic de alijs.

An magis obliget cõscientia erronea, quã pręceptum superioris.

35 Quæri etiam solet, quanta sit obligatio conscientiæ erroneæ. Et circa hoc sunt duo dubia. Primum. An magis obliget pręceptum superioris. Secundum. An ita obliget, quòd neque etiam Deus possit dispensare, vt quis faciat contra conscientiam erroneam sinè peccato. Quoad primum sunt variæ opiniones. Aliqui dicunt, quòd magis obligat pręceptum Principis, & Superioris, quàm conscientia erronea, vt D. Bonau. in 3. d. 39. art. 1. q. 3. ad vltimum. Inquit enim, quòd plus est standum pręcepto Prę-lati, quàm conscientiæ, maximè quando Pręlatus pręcipit id, quòd potest, & debet. Et Alensis p. 2. q. 120. m. 3. art. 2. dicit in indifferentibus magis obligare pręceptum Superioris, quàm conscientiam erroneam. Aliqui alij dicunt, magis obligare consciẽtiam, quàm pręceptum Principis, & Superioris: quia dicunt id, quòd proponit sequendum conscientia erronea, proponit vt pręceptum Dei. Pręceptum autem Dei est maius pręceptum Superioris creati. Et hæc tribuitur D. Tho. in 2. d. 39. a. 2. ad 3.

Opinio D. Bonau. & Alensis.

Opinio opposita recẽtiorum.

Opinio authoris.

36 Mihi videtur dicendum, quòd vel conscientia erronea est ex ignorantia inuincibili, vel vincibili. Si ex inuincibili, procul dubio magis obligat cõscientia erronea, quia nõ tenemur obedire Pręlatis, & Superioribus in his, quæ sunt contra Deum, & contra salutem nostram. Si ergo aliquis iudicet pręceptum Superioris esse cõtra Deum, licèt erret, dummodo ignorantia inuincibilis sit, pro tali debet illud habere, & sic tenetur euitare. Si verò ignorantia sit vincibilis, debet quærere, & laborare, vt illã eijciat, & deponat conscientiam erroneam; quòd si illam ignorantiam vincat, tenetur obedire superiori; si autem illam vincere non potest, nec superior pręcipiendo possit ignorantiam subditi vincere, conscientia erronea magis obligat. Exemplum. Subditus certò scit emanasse constitutionem, & mandatum Pontificis de aliqua re facienda, quæ tamen postea est reuocata, sed subditus ignorat inuincibiliter reuocationem, & superior pręcipit aliquid contra illud pręceptum, & dicit apertè se nescire aliquid de pręcepto contrario Pontificis, quod nec emanauerit, nec reuocatum fuerit, vndè non potest auferre ignorantiam illam in subdito; dico saluo meliori iudicio, quòd conscientia erronea in hoc casu magis obligat: quia ignorantia illa fit inuincibilis, quæ omnino obligat, & obligat magis quàm pręceptum superioris, quia sibi proponit, & iudicat pręceptum illud, contra quod pręcipit superior, esse pręceptum superioris maioris, cui magis obedire tenetur, quàm superiori illi inferiori. Opinio autem D. Bonauen. & Alensis habet locum, quando superior potest auferre ignorantiã illam ex conscientia, quòd facere potest in indifferẽtibus docendo subditum illud, quod habet pro peccato, non esse peccatum, & in quibus potest dispensare, iuxta Regulam generalem illam. *Tutum est sequi sententiam Prępositi sui, & indicio illius propriam conscientiam erroneam deponere.* Verùm si ignorantia perseueret, & inuincibiliter, non autem culpabiliter, dicendum omninò mihi videtur, conscientiam erroneam magis obligare, & pręcepto Superioris derogare. Quam sententiam etiam amplectitur Vasquez p. 2. disp. 61. cap. 1.

37 Aliud verò dubium, An Deus dispensare possit, quòd peccatum contra conscientiam erroneam non sit peccatum? Vasquez p. 2. disp. 61. cap. 3. tenet partem negatiuam; ratio eius est, quia, inquit, implicat cõtradictionem, quod stante pręcepto, aliquis agat cõtra pręceptum, & non peccet. Conscientia autem erronea apprehendit actum, quem dictat fugiendum, esse contra pręceptum. Ergo agens contra conscientiam est, ac si agat contra pręceptum: quia conscientia apprehendit actum illum esse contra pręceptum, licèt non sit; Ergo implicat contradictionem, agere contra conscientiam non esse peccatum. Ceterùm licet hoc verum sit de potentia, & lege Dei ordinaria, tamen de potentia Dei absoluta, non est verum. Nam vt diximus supra, nihil est peccatum, nisi quòd est lege prohibitũ: nullum enim est peccatum ex se; & in hoc deceptus est Vasquez, vt suprà disput. prima ostendimus: ideò in proposito posset Deus dispensare, quòd agere cõtra conscientiam erroneam non sit peccatum: hoc enim pendet ex illa lege, quòd qui apprehendit aliquid vt malum, debet illud, fugere, licèt in se non sit malum; at nulla est repugnantia, quòd Deus hanc legem tollat: nam vt diximus, Deus ad extra liberè agit; & omne illud est bonũ, quod Deus vult; illud verò est malũ, quod Deus non vult, & prohibet: ideò si nollet, agere contra conscientiam, esse peccatum, procul dubio non esset peccatum: vt ibi diffusè sustinuimus.

An Deus dispensare possit, vt peccatũ cõtra consciẽtiã erroneã non sit peccatum.

Opin. Vasquez.

Reijcitur.

Quid agendum quando conscientia est dubia.
Caput Tertium.

38 Dicebamus, conscientiam esse conclusionem syllogismi practici, & hinc euenire, ut aliquando sit vera conscientia: nimirum, quãdo maior, & minor sunt manifestè verę, vt v. g. dùm intellectus sic syllogizat: malum est vitandum; homicidium est malum; deducit hanc conclusionem; ergo homicidium est vitandum, quæ est vera: & sic, iudicium conscientiæ est verum, & vera conscientia. Quandò verò minor sumpta sub aliqua maiori notissima est falsa, vt si sub hoc principio, Malum est vitandum,

tandum, ratio assumat istam; sed leuare festucam de terra die festo est malum: deducet conclusionem, idest iudicium falsum, nimirum, quòd festuca die festo de terra non est leuanda: & sic erraret, & esset iudicium, & conscientia erronea. Propter hanc eandem rationem aliquãdo conscientia est dubia: contingit enim sub aliqua maiori notissima accipere minorem dubiam, & sic sequi conclusionem, & iudicium dubium de conclusione, an sit vera nec ne. Exempli gratia. Si quis sub hac maiori certa, malè ablatum est restituendum, assumat hanc propositionem dubiam. Hoc est ablatum; faciet conclusionem dubiam; ergo hoc est restituendum. Hoc ergo sæpius contingit, scilicet quòd conscientia sit dubia in aliqua conclusione, & iudicio: ideò videndum est quomodo tunc se gerere debeat, ne peccet, & quando peccat, & non peccat.

39 Res hæc est difficilis, de qua D. Thomas agit quolib. 8. art. 3. Henricus quolib. 4. quæst. 33. Adrianus quolib. 2. in 3. puncto. Soto 3. de iustitia, & iure quæst. 6. art. 5. ad quintum. Summistæ verbo, *Opinio*, vt Angelus, Syluester, Rosella, præsertim verò Nauarrus in capite. *Si quis autem*, dist. 7. per totum longo sermone; & in summa cap. 27. num. 286. & sequentibus. Item Caietanus in summa verbo, *Opinio*. Vasquez p. 2. disp. 62. & multi alij ab his adducti. Hæc enim quæstio est multùm necessaria ad sciendum regulare conscientiam nostram, ne peccemus, & ad vitandum perplexitatem, quam certum est, non reperiri in fide nostra Christiana.

Responsio Scoti ad quæstionẽ propositam.

40 Ad hanc difficultatem respondet Scotus quæst. 2. Prologi in responsione ad vltimum principale argumentum, quod erat istud. Cognitionem supernaturalem necessariam viatori non esse sufficienter traditam in Sacra Scriptura, eò quia multa sint, de quibus non cognoscitur certitudinaliter ex Sacra Scriptura, vtrùm sint peccata mortalia, vel non: quorum tamen cognitio est necessaria ad salutem: quia nesciens illud esse peccatum mortale, nõ sufficienter vitabit illud. Ad hoc argumentum respondet Scotus ex Origene, homilia de Arca Noæ, vbi dicit, quòd nulla scientia explicauit omnia scienda, sed illa, ex quibus alia possunt sufficienter elici. Vnde licèt multæ veritates necessariæ non exprimantur in Sacra scriptura explicitè; tamen ibi virtualiter continentur, sicut conclusiones in principijs, circa quarum inuestigationem vtilis fuit labor Expositorum, & Doctorũ. Subiungit Scotus. Si quis obijciat, multa in actibus humanis esse adhùc dubia, vtrum sint peccata mortalia, etiam suppositis omnibus doctrinis Doctorum, & Expositorum. Respondet in hæc verba. *Respondeo. Non est dubia via salutis simpliciter, quia à talibus actibus tanquam à periculosis debet homo sibi cauere, & custodire se ne homo dum se exponit periculo, incidat in peccatum, quod si noluerit quærere salutem, sed non curando, exponat se periculo, vbi fortè de genere actus non est peccatum mortale, tamen peccabit mortaliter se tali periculo exponendo.* Hæc Scotus. Regula ergo Scoti, qua homo se gerere debet in re dubia, An sit peccatũ mortale, est abstinere ab ea. Idẽ habet in 3. dist. 25. §. *Sed hic occurrunt*. Vbi loquens de dubitatione in rebus moralibus, An sit peccatum mortale, habet hæc verba. *In moralibus, quando sunt altercationes de aliquo peccato, quando primò est mortale; vt si vnus peritus in scientia dicat, quòd licet sic mercari. & alius dicat, quod non licet sic, tutius est non procedere sic, nec sic, sed expectare, quousque veritas pateat aliunde.* Item in 4. dist. 3. quæst. 2. §. *De tertio*. In fine, loquens de dubitationibus orientibus circa materiã, vel formam, vel aliquod aliud in Sacramentis, ait esse tres maximas obseruandas. Prima est. *Si possibilitas adest, via tutissima est eligenda. Secunda. Si non adest possibilitas viæ tutissimæ, proxima est tenenda.* Et eodem 4. dist. 11. quæst. 6. loquens de dubitatione circa materiam, ex qua conficienda est Eucharistia, inquit, quòd cum sit dubium, An panis confectus ex amido sit materia consecrabilis, & opinio negatiua sit probabilior, ille peccaret, qui consecraret in illa: quia se exponit tali dubio. Adeò quòd opinio Scoti videtur esse hæc, quòd cum conscientia dubitat de aliquo actu, an sit peccatum mortale, debet semper sequi viam tutiorem, nimirum abstinere ab illo, & rationis est, quia aliter faciendo, se exponit periculo peccãdi: qui autem se exponit periculo peccandi mortaliter, et si actus ille non sit de suo genere mortale, peccatũ fit mortale: quia ille magis diligit actum illum, quã salutem suã, quod est peccatum mortale: quia salutem nostram super omnes res creatas diligere debemus, quæ est assertio communis Theologorum, & habet fundamentum in illo Ecclesiastici 3. *Qui amat periculum peribit in illo.* Et in præcepto charitatis, quo tenemur diligere animam nostram super omnia infra Deum. Obseruanda verò est illa alia regula Scoti ex 4. Quòd si via tutissima haberi non potest; tutissimæ proxima eligenda est: coincidit enim cum illa alia regula. De duobus malis minus est eligendum; tunc enim viam proximiorem tutissimæ eligimus, cum ex quo tutissimam sequi non possumus, quæ est fugere peccatum & periculum peccati, eligimus minus malum, vel minus periculum: hæc enim est via proximior tutissimæ. Illa autem propositio, De duobus malis minus est eligendum, habetur in cap. *Duo mala* dist. 13. & sumitur ex D. Greg. lib. 32. Moralium cap. 18. Neque contra hoc facit regula illa ex cap. *Is qui* in 6. quòd in dubio nemo irregularis est iudicandus, & tamen tutior pars est se irregularem putare: quoniam caput illud non dicit, quòd in dubio irregularitatis, nemo existimet se irregularem: sed quòd si in iure non sit expressa talis pœna per similitudinem rationis, non deducatur, aliquem esse irregularem.

Obiectio contra opinionẽ Scoti.

Verùm hæc opinio Scoti videtur nimis dura, quia sepè accidit, quòd pars tutior appareat minus probabilis parte minus tuta: immo, quòd pars tutior nullam habeat probabilitatem. Tunc autem videtur nimis durum, quòd teneamur sequi partem tutiorem. Exempli gratia. Dubiũ est, An ego certam partem pecuniæ restituere debeam. Pars tutior est restituere: restituendo enim, non est periculum vllum, quòd ego peccem; tamẽ quòd ego debeam restituere, nulla apparet ratio, & magnum incommodũ mihi affert: vel si adest aliqua ratio, illa est probabilis, & pro opposita parte sũt rationes efficaciores; ergo videtur valde durum, quòd in hoc quis teneatur eligere partem tutiorem, & derelinquere minus tutam, etsi sit magis probabilis: immò ista sit probabilis, pars tutior verò nullam habeat probabilitatem.

Opinio recentiorum

41 Propter has, & alias rationes Recentiores asserunt communiter, nõ esse necessarium semper sequi tutiorem partem, sed licere absque peccato aliquando eam derelinquere, & sequi partem minus tutam. Quod maximè tenet Nauarrus in comment. capitis, *Si quis autem*, dist. 7. num. 5. & sequentibus, multis rationibus, sed præsertim, quia si semper cogeremur sequi tutiorem partem, necessarium esset mille opiniones, ad salutem necessarias iampridem receptas in Ecclesia, explodere. Exemplum adducit D. Bonau. in 4. dist. 17. p. 2. art. 2. quæst. 2. tenet, quòd statim, cum quis peccauerit mortaliter, tenetur confiteri sub pœna peccati mortalis noui. (Hoc tamen D. Bonau. ibi tenet tantùm de Religiosis, nõ de Laicis, quos dicit posse expectare tempus quadragesimæ) D. Th. tamen in 4. dist. 17. quæst. 2. art. 1. quæst. 3. tenet non obligari ad statim confitendum sub pęna peccati mortalis noui, quem sequũtur communiter omnes in praxi: & tamen opinio D. Bonau. tutior est. Præterea, tutius est cõfiteri omnes circunstantias, etiam speciem non mutantes, & tamen communiter recipitur opinio asserens non esse necessarium confiteri nisi circunstantias, quæ mutant speciem, vel notabiliter aggrauant.

Nauarrus.

Quando pars tutior sit tenẽda.

42 Propter hoc ergo communiter Doctores quærunt, quando tutior pars est tenenda, & quando potest derelinqui sinè peccato, & teneri minus tuta. Vbi sunt varij modi dicendi. Aliqui dicunt, quòd quando pars minus tuta sit adeò certa, & firmis principijs, & rationibus fixa, quòd euellat ex animo omnem dubitationem, tunc esse præponendam

nendam parti tutiori, quæ non habet huiusmodi fundamenta fixa. Verùm si non habet talia fundamenta, quæ omnem formidinem ex animo euellant, esse tenendam partem tutiorem. Hæc est opinio Caietani in Summa, verbo, *Opinio*, & fuit desumpta ex D. Thoma quolib. 8. ar. 15. vbi ait, quòd si quis existimet se posse habere plures prębēdas absque vlla formidine, potest illas tenere: si verò habeat aliquam formidinem, nequaquam posse, sed peccare contra conscientiam. Idem videtur docuisse Henricus quolib. 4. quæst. 33. vbi asserit, quòd si quis videat partem tutiorē à viris probis, & doctis defendi, & ipse cognoscat rationes pro illa esse euidentes, tenetur illā sequi: sed si sit illiteratus, & videat partem minus tutā defendi à doctis, & peritis viris sustineri, & teneri, posse sequi partem minus tutam.

Opinio D. Thomæ, & Caietani.

Aliorū opinio.

43 Alij verò absolutè dicūt, eam opinionem esse amplexandam, & alijs præferendā semper, quæ firmioribus innixa est fundamentis, & est probabilior: quando autē vtranque validis est innixa fundamentis, illa est tenenda, quæ est communior, & benignior, & pręsertim, quę faciet iuramento, voto, matrimonio, testamento, pupillo, aut peregrino. Et rursus quando vtraque est æquè probabilis tutior est eligenda. Quæ sententia videtur esse Sūmistarum in verbo, *Opinio*. Syluestri quæst. 2. Angeli n. 1. Tabienæ quæst. 3. & Nauarri in Manuali cap. 27. num. 286. qui tamen in cap. *Si quis autem* dist. 7. nu. 48. addit, quod qui sequitur partem minus tutam putans esse veram bona fide, non peccat peccato dubietatis, quia non dubitat, sed alteri parti firmiter assentit.

Aliorū opinio.

44 Alij distinguunt de viro docto, & indocto, & dicunt, loquendo de viro docto tria. Primum. Illa opinio, & pars debet semper retineri, quæ probabilior, & tutior est iudicio virorum Doctorum, et peritorum, si illa habeatur, & hæc debet esse regula nostrarum operationum. In hac parte conueniunt Doctores citati suprà pro alijs opinionibus, & adhuc Maior in 4. dist. 2. prologi. Soto de Iustitia, & iure lib. 3. quęst. 6. art. 5. ad quintum, & alij. Secundum. Si vtraque pars sit probabilis, sed altera sit tutior, sequendam esse tutiorem. Hæc pars etiam est Doctorum prius adductorum. Tertium. Quando pars minus tuta est probabilior nos posse illam sequi, licèt sit minus tuta. Hæc pars probatur rationibus suprà adductis ostendētibus, non esse semper sequendam tutiorem partem. De viro etiam illiterato asserunt sufficere, vt sequatur opinionem, quæ sibi videtur probabilior, & quam videt homines peritos sequi, licèt non sit communis, & sit minus tuta: quia ipse cùm sit ignorans, non potest scire, quæ sit probabilior, & communior: est enim in ipso ignorantia inuincibilis, quæ eum tutum reddit, quæ est opinio Henrici, vbi suprà.

Opinio vera.

45 Omnes istæ opiniones videntur conuenire in hoc. Cum opinio, & pars tutior est etiam probabilior, nulli dubium esse, semper ipsam esse amplexendam: & similiter, cū vtraque opinio tàm tutior, quàm minus tuta sunt æquè probabiles, tutiorem esse amplexendam. Cum verò pars tutior est parùm probabilis, pars verò minus tuta est maximè probabilis, itaquòd aufert ex animo omnem dubitationem, tunc posse amplecti partem minus tutam. Præsertim verò in hoc conueniunt D. Thomas, & Caietanus, vt vidimus. Addunt D. Thomas, & Caietanus tantam debere habere probabilitatem opinio minus tuta, vt euellat ex animo non solum dubitationem, sed omnem formidinem. Sed de hoc dubio, quò ad formidinem infrà hoc cap. erit agendum.

Opinio Scoti.

46 Ego hac in re puto, opinionem Scoti, & veriorem, esse hanc, quòd cum commodè, vel saltem sine graui incommodo quis potest vitare partem minus tutam, quantumcunque probabilem, saluberrimum consilium est sequi partem tutiorem. Ratio est, quia qui commodè, vel saltem sine aliquo graui incommodo, & iactura vel personæ, vel famæ, vel bonorum temporalium potest sequi partem tutiorem, quam sequendo, nullum est periculum peccandi; & tamen vult sequi partem minus tutam: licèt magis probabilem, videatur propriè incidere in sententiā illam Ecclesiastici. *Qui amat periculum peribit in illo*. Ille videtur enim magis amare illud temporale cōmodum, quàm propriam salutem, immo eam spernere, siquidem vt habeat illud commodum, non curat, quòd anima sua in eo periculo ruat, quod est contra præceptum charitatis erga seipsum: debemus enim amare magis animam nostram, quàm corpus, & quamcunque rem temporalem. Exemplum esse potest illud Scoti ex 3. dist. 25. quæst. 1. cū enim quis videt Doctores contendere circa aliquem casum, vt puta, an mercari sic, liceat; & vnus asserit, quod non licet, sed habet parum probabiles rationes; alter verò dicit, quòd licet & habet probabiliores rationes: si nō adest graue damnum, sed commodè, potest abstinere ab eo modo mercandi, certè saluberrimum cōsilium est abstinere. Ad quid enim se illi periculo quantumuis paruo exponere absque vrgēti necessitate, cum possit tutissimè, & sine graui incommodo alia via incidere. Cum verò non ita commodè, sed non nisi cum aliqua iactura graui potest sequi tutiorem partem, tunc puto, opinionem Doctorum allatam habere locū, & exempla, & rationes adductas à Nauarro: quod enim quis statim cōmisso peccato, sub peccato mortali teneretur confiteri, esset graue incommodum; similiter confiteri omnes circunstantias nō mutantes speciem: in his casibus locum habet, probabiliorē partem esse amplexandam: & puto Scotum ab illa non dissentire. Nàm Scotus etsi dicat, semper esse sequendam tutiorē partem, & oppositam derelinquendam, ne quis se periculo peccandi committat: tamen in quæst. illa 2. prologi loco citato ad vltimum argumentum, inquit, multas veritates necessarias contineri in Sacra scriptura virtualiter tantum, sicut conclusiones in principijs, circa quarum inuestigationem non est inutilis labor Expositorum, & Doctorum. Vult ergo Scotus, quòd in rebus dubijs locum habeat labor Doctorum, et Expositorū; ergo sequitur, quòd quando ipsi Doctores docēt aliquam opinionem esse probabiliorem altera, etsi sit minus tuta, esse illi diffinitioni standum absque periculo vllo peccandi: alioquin si semper pars tutior esset amplexanda, non liceret, vnquàm recurrere ad consilium peritorum: vnusquisque enim per se noscit, quæ sit tutior, & quæ minus tuta: quia in lege Christi non datur perplexitas. Cum ergo dicit Scotus ibidem, quòd à dubijs est abstinendum, & amplexanda est pars tutior, intelligit, quādo adhibito studio, & doctrinis Doctorum, & Expositorū, & adhuc res seù opinio illa manet dubia, itaquòd non aufert omnem dubitationem ex animo, sed adhuc iudicium fluctuat, tūc esse amplexandam partem tutiorem; sed cum ex doctrinis Doctorum dubitatio tollitur, nos posse sequi partem minus tutam: quia tunc non adest dubitatio, per quā exponamus nos periculo peccandi: illud enim periculum tunc adest, cum adest dubitatio, non quando ablata est. Quando autem non solū dubitatio, sed etiam omnis formido ablata est, vt dicebat D. Thomas, tunc maximè via probabilior est tuta: & sic opinio D. Thomę, & Scoti est eadem. Hoc etiam apertè tradit Scotus in 4. distinct. 11. quæst. 6. vbi ait, quòd cū sit dubium, An materia ex amido sit materiā consecrabilis, & pars negatiua sit probabilior, non sine peccato aliquis se exponit tali dubio. Vult ergo Scotus, quod probabilior opinio in dubijs habeat locum, & quòd possimus illam sequi, sicuti faciendo contra illam, quis peccat. Hoc autem est verum tàm de literato, quàm de illiterato: si enim est literatus, ex se ipso cognoscit omne dubium auferri per rationes Doctorum: si verò est illiteratus ex testimonio Doctorum, & peritorū, quibus credere tenetur, pellit omne dubium, & quiescit iudicium suum. Vbi obseruandum est illud, quod omnes asserunt, in tali casu esse necessarium deponere omnē dubitationem, & formare iudicium particulare in se ipso, quod licet sequi opinionem illam, licèt sit minus tuta: & quod nullum est periculum errandi sequendo illam, quia est ve-

est vera, alioquin non faciendo hoc iudicium, sed adhuc hæsitando, peccaret contra conscientiam.

An liceat aliquando agere contra propriã cõscientiã.

47 Verùm hic insurgit dubium, An liceat aliquando agere contra propriam opinionem, licèt illa sibi videatur probabilior; & ratio dubitandi est: quia iam dictum est, nos posse sequi partem minus tutam, cum est probabilior, modo autẽ potest contingere, quòd aliqua pars mihi probabilior videatur, & tamen alij eam nequaquam probabiliorem iudicent, tunc quæritur, An ego possim derelinquere opinionem meam, quam iudico probabiliorem, & sequi opinionem aliorum, quæ mihi minus probabilis, alijs verò probabilior videtur, & sic possim agere contra propriam opinionem. Videtur enim, quòd non, quia dum derelinquo meam opinionem, quam puto probabiliorem, videor agere contra conscientiam, quòd nunquam licet, vt vidimus suprà.

48 Ad hanc dubitationem dissoluendam, supponendum est quandoque accidere posse, vt aliquis vir doctus, & magni acumine ingenij pollens examinãs opinionem aliquam Doctorum antiquorum, eam iudicet minus veram, ac suam existimet probabiliorem, nam videmus de facto multas opiniones nouas inuentas esse in scholis contra antiquiores, quæ factæ sunt communes: neque enim temerarius est ille, qui contra communem sententiã Scholasticorum aliquid asserit, sed qui asserit sine solido fundamento, & maturo iudicio.

Quæ sit assertio temeraria.

Modus dicendi recẽtiorum.

49 Ex hoc ad dubitationem propositam respondetur. Virum doctum posse agere contra propriam opinionem, & conscientiam, licèt eam putet probabiliorem, & sequi opinionem aliorum, quam putat minus probabilẽ; nec tamen agere cõtra conscientiam, neque peccare. Probatur, quia non repugnat, quod duæ opiniones contrariæ mihi ambæ probabiles videantur absque vlla contradictione; quia ex diuersis principijs diuersi assensus, & conclusiones oppositæ de eadem re in me generari possunt absque eo, quod vnus destruat alterum, & se destruant. Nam contingit, quod aliquis assentiat alicui conclusioni propter medium aliquod, seu aliquam rationem, deductam ex natura rei, & ex intrinsecis principijs; deinde verò ex extrinsecis principijs scilicet propter auctoritatem Virorum Doctorum assentiat oppositæ opinioni, & parti. Nam licèt isti duo assensus sint contrarij, & oppositi respectu eiusdem rei; non tamen se destruunt, quia sunt generati ex diuersis principijs: ideo dum quis sequitur opinionem aliorum, non facit contra conscientiam suam: quia illam iudicat veram, & amplexandã propter auctoritatem Doctorum; licèt propter alia principia iudicet suã opinionem esse magis probabilem, & magis amplexandam, & sic patet, licere derelinquere propriam opinionem, seu facere contra propriam opinionem, quam magis probabilem quis putat, & tamen non agere contra propriam conscientiam. Sic respondent Recentiores, Vasquez disp. 62. cap. 4.

Reijcitur.

50 Verùm quia difficile est sustinere, quòd duo assensus, & iudicia opposita sint in eodem intellectu de eadem assertione: duo enim opposita principia non possunt inducere in eodem subiecto oppositas formas: nam, licèt calidum, & frigidum sint diuersa principia, non tamen possunt in eodem subiecto inducere simul caliditatem, & frigiditatem, & sic oppositæ formæ non possunt esse in eodẽ subiecto etiam à diuersis principijs. Ideò dicendum puto, quod in tali casu qui sequitur opinionem aliorum, non habeat duplicem opinionem, & assensum, sed vnicum tãtùm, atque, quòd propriam opinionem amittat, & cadat in opinionem aliorum, & sic opinio aliorum fiat sua quoque. Et sic re vera dum operatur secundum opinionem aliorum, operetur secundum propriam, quia aliena opinio facta est sua. Et sic magis clarè apparet, quod ille non agit contra propriam conscientiam, quia licèt iudicet per rationes intrinsecas suam opinionem probabiliorem, tamen victus auctoritate aliorum cedit, & mutat sententiã, & quæ non erat sua, fit sua opinio.

Vera solutio.

51 Aliud dubium non contemnendum est, An cum sequimur aliquam opinionem, debeat esse tantæ probabilitatis, vt auferat à nobis omnem formidinem: dictum est enim, cum nos sequimur partem minus tutam, illam debere esse magis probabilem, quàm pars tutior. Quæritur ergo an debeat esse tantæ probabilitatis, vt auferat omnem formidinem ex animo illius, qui illam sequitur. Respondet Caietanus, Tomo 1. Opusculorum tractatu 31. resp. 13. ad septimã dubitationem, quem sequitur Nauarrus in cap. *Si quis autem*, de pœnitentia d. 7. nu. 61. 62. & 63. quòd dubitatio, vel oritur ex parte appetitus, vt contingit in scrupulosis, qui in aliqua re dubitant ex leuissima causa: vel est dubitatio ex parte intellectus, sed in vniuersali, & in esse speculatiuo, vel in esse practico: idest, dubitat in particulari hic, & nunc, an sit peccatum. Exempli gratia. Quis in vniuersali dubitat, An die festo sit pulsandũ; non dubitat autem in particulari, an hodie, qui est festus dies sit pulsandum, sed firmiter credit sibi esse licitum pulsare. Dicit, quod formido primo, & secundo modo non est expellenda, sed solum formido tertio modo, qui enim sequitur partem minus tutam cum hac formidine in esse practico, & in particulari peccat; qui verò sequitur eã cũ formidine primo, & secundo modo, scilicet cum formidine in esse speculatiuo, nõ peccat. Hoc probat, quia speculatiua cognitio non pertinet ad operationem, neque aliquid dictat circa illam, sed cognitio practica. Iste autem in hoc casu licèt dubitet speculatiuè, non tamen dubitat practicè. Confirmat, quia si esset necesse deponere formidinem speculatiuã, sequeretur tàm doctos, quàm indoctos non posse vnquam sequi partem minus tutam: quia semper est aliqua dubitatio sequendo partem minus tutã.

An cum sequimur opinionem aliquam debeamus carere omni formidine.

Cõfirmat.

52 Hæc opinio reijcitur rationabiliter, quia casus ille, quem ponit Caietanus, scilicet, quòd quis possit speculatiuè, & in vniuersali dubitare de aliqua re, & in indiuiduo, & in particulari de eadem esse certum, & nullam habere formidinem, est impossibilis: est enim impossibile, quòd dubitet in vniuersali, an sit laborandum, vel pulsandum in die festo, & posteà sit certus hoc die festo particulari posse licitè laborare, vel pulsare. Ad destruẽdũ enim, vnum sufficit, & vniuersalis propositio vna, singulari falsa, redditur falsa. Si ergo certè scio absque vlla formidine, quòd hoc die licitè possum pulsare, & laborare, non est possibile, quòd simul dubitem, an hæc vniuersalis sit vera, vel falsa. In nullo die festo licet pulsare, nec laborare: quia certitudo huius particularis destruit dubitationẽ de illo vniuersali; & dubitatio de vniuersali destruit certitudinem de illo particulari: qui enim dubitat, An omnis homo sit rationalis, non potest esse certus, quòd Franciscus sit rationalis.

Refellitur.

53 Fundamenta autem eius nullius momenti sunt. Ad primum respõdetur, quòd cognitio practica ipsa quoque est vniuersalis, & de vniuersalibus, non de particularibus, nisi inquantum continentur sub vniuersalibus. Vnde regulæ practicæ sunt vniuersales, quibus actus particulares decidimus, & dignoscimus quales sint, an boni, vel mali: ideo falsum est, quòd cognitio in vniuersali non seruiat, & non sit regula actionum particularium practicarum: quia illa non est speculatiua, sed practica: ordinatur enim ad opus, licèt sit vniuersalis. Ad secundum dicimus, hoc esse, quòd vertitur in dubium, & quærimus: proindè ex solutione dubij patebit, quæ dubitatio manere, & nõ manere possit in rectè operante, & sequente minus tutam partem. Ad exemplum autem illud, quòd si aliquis in particulari crederet sine dubitatione sibi licere pulsare in die festo, non peccaret. Respondeo, quòd non peccaret, qui in particulari sine dubio crederet sibi licere, non quia dubitaret in vniuersali, quia hoc esse impossibile, vt dictum est: sed quia excusaretur si esset ignorantia inuincibilis, sed si esset vincibilis, peccaret.

Ad primã rationem.

Ad secundam.

54 Puto ergo dicendum esse, quòd aliud est formido, aliud verò dubitatio, seu hæsitatio: Quæ duo confundunt Caietanus, & Nauarrus: nam dubitare est intellectum

Solutio vera.

pendere

pendere in vtranque partem contradictionis, & nulli adhærere determinatè per consensum vt docet Scotus in 3. dist. 39 q. vnica, vbi agit de periurio. Formidare verò est in alteram partem quidem assentire, sed non per rationes demonstratiuas, & euidentissimas, sed tamen valde probabiles propter quas sibi videtur opposita pars habere aliquam probabilitatem, sed tamen longè minorem. Assertio ista probatur, quia ad rectè operandum in moralibus, non requiritur assensus euidens, & demonstratiuus, sed sufficit probabilis; ergo cum pars minus tuta est probabilior, sufficit, vt nos possimus illam sequi sine peccato: ratio enim, propter quam nos nō possumus sequi minus tutam opinionem, est, quia illa videtur esse contra præceptum: cum autem opposita opinio est probabilior, ostendit nobis eam partem minus tutam non esse contra præceptum, & sic facit nos deponere conscientiam, quam prius habebamus ostendendo illam esse erroneam, & falsam. Licèt ergo non demonstratiuè concludat, sicut in speculabilibus, nihil refert, quia scientia practica non est ita certa, sicut speculatiua, vt habet Philosophus 1. Metaph. in prohemio, & 1. Ethic. cap. 2. & docet Scotus q. 4. Prologi in responsione ad quartam rationem principalē primæ quæstionis, & alibi.

Quomodo conscientia erronea sit deponēda.

Quid sit scrupulus.

55 Ex his patet, quomodo quis deponere possit conscientiam erroneam, & dubiam: nam vel conscientia generata est sine vlla ratione, vel saltem leuissima, vt contingit in scrupulosis. Nā scrupulosus secundum omnes Summistas in verbo *Scrupulus*, & alios Auctores, est leuis quędam suspicio, aut existimatio orta ex leuibus fundamentis, qua quis credit, aliquid esse peccatum, quod re vera nō est. Cum ergo aliquis assentit his scrupulis, vel propter illos dubitat, & generat conscientiam erroneam, vel dubiam, potest illam conscientiam deponere abijciendo, & contemnendo illas leues rationes. Si verò generata est cōscientia erronea, vel dubia propter aliquam rationem probabilem, quam dissoluere nescit, debet per aliam rationem efficaciorem illam expellere; neque enim sine ratione iudicium conscientię prius conceptum per aliquam rationem probabilem, deponi potest: quia intellectus nō potest assentire determinatè alicui parti, nisi aliqua ratione efficaciori cōuincatur. Vnde rationabiliter à Vasquez p. 2. disp. 67. reijcitur opinio Caietani p. 2. q. 19. articulo 5. asserentis, quòd quilibet sine vlla ratione potest deponere conscientiæ iudicium ex eo tantùm, quòd existimet sibi illud licere, quod antea iudicio conscientiæ iudicabat sibi non licere. Nam, vt dictum est, intellectus sine ratione aliqua efficaciori non potest prius iudicium deponere, & alteri parti adhærere. Vnde rectè colligitur, quòd cum quis contemnit iudicium, quod prudenter prius conceptū erat, vel per culpabilem ignorantiam illud deponit, vel per rationes leuiter examinatas, peccet contra conscientiam. Et notandum est, hanc causam, & rationem debere esse probabiliorem opposita, itaquòd pariat in intellectu assensum non leuem, sed certum; licèt adsit deinde aliqua formido, nihil refert: quia suprà diximus, formidinem differre à dubio. Qui ergo hac regula vtitur in formando iudicium conscientiæ, rectè deponit dubium, & potest minus tutam partem sequi propter rationem probabiliorem ratione partis magis rectæ.

An in administratione Sacramentorum liceat sequi probabiliorem partē.

Opin. Vasquez.

56 Aliud dubium satis graue est, An in administratione Sacramentorum amplexanda sit probabilior opinio, an verò tutior. In hac difficultate Vasquez p. 2. disp. 63. c. 2. & 3. distinguit in Sacramento duo sunt: primum est reuerentia debita Sacramento ex virtute religionis: alterum est obligatio charitatis prouidendi proximo de remedio per Sacramentum. Tunc respondet quoad primā partem. In primis, vbi est modus pręscriptus ab Ecclesia, illum esse seruandum, & aliter facientem certum esse peccare. Vbi verò non est pręscripta consuetudo Ecclesiæ, & opiniones Doctorum sunt variæ, seù circa formam, seù materiam Sacramentorum licitum esse sequi partem probabilem, immò minus probabilem. Hanc partem probat

1. Ratio.

Fab. de Pœnitentia.

ratione adducta à sequenti opinione: quia non videtur maior ratio, quòd in hac materia debeamus sequi probabiliorem, & non tutiorem partem, quàm in alijs materijs. Secundò licitum est administrare Sacramentum ei, quem nouit confessarius conscium esse, se habere solam attritionem de peccatis confessis; quamuis in opinione positum sit, Vtrum attritio scita sufficiat, an potius requiratur attritio putata contritio. Nam quàmuis Concilium Tridentinum Sessione 14. cap. 4. diffiniat contritionem imperfectam, quam vocamus attritionem, esse sufficientem dispositionem, vt cum Sacramento pœnitentiæ, quis iustificetur; tamen non diffinit, an hoc intelligatur de attritione cognita, an de existimata contritione: ideò illud est sub opinione; ergo licet administrare quodlibet Sacramentum cum opinione probabili, etiam si sit minus tuta.

2. Ratio.

57 Quò ad secundam partē verò, scilicet ratione charitatis, qua proximo debemus prębere remedium ratione Sacramenti, ait, non esse licitum sequi opinionem probabilem, immò neque probabiliorem magis tuta, sed eligendam esse semper magis tutam. Ratio est, quia qui relinquit tutiorem partem, facit contra pręceptum charitatis, & misericordiæ, quo debemus proximis nostris remediū necessarium ad salutem. Ideò si possumus certum remedium adhibere absque periculo, ratio pręcepti expostulat, vt illud adhibeamus, ac non exponamus proximum nostrum illi periculo, vt Sacramentum sit nullum: & consequenter careat beneficio illius, & hoc intelligit vniuersaliter, tàm in adultis quàm non adultis.

Reijcitur.

58 Hæc opinio mihi videtur sibi ipsi aduersari: nam magis obligat pręceptum charitatis erga se ipsum, quàm circa proximum; ergo si non potest quis sequi minus tutam partem, etsi probabilem propter periculum, cui exponit animam proximi, multò minus potest sequi opinionem minus tutam, etsi probabilem, vbi est periculum incurrendi in peccatum mortale. Ministrare autem Sacramentum, exempli gratia, in materia, de qua est dubium, quòd non sit apta, & probabilior pars est, quòd non sit consecrabilis, licèt etiā pars minus tuta sit aliqualiter probabilis, vt exemplificabat Scotus de pane ex amido confecto in Sacramento Eucharistiæ, est exponere se periculo irritum faciendi Sacramentum, & facere sacrilegium; & consequenter peccandi mortaliter. Tenemur enim pręcepto Religionis ad administrandum Sacramentum debito modo, & ritu proprio; ergo si non licet sequi partem probabilem, sed minus tutam ratione charitatis debitæ erga proximum, neque etiam licebit sequi partem probabilem, sed minus tutam in administratione Sacramentorum, ratione virtutis, & pręcepti Religionis.

Aliorū opinio.

59 Alij ergo Recentiores existimant absolutè licitum esse sequi partem minus tutam, dummodo sit probabilis, licèt pars magis tuta sit probabilior. Ratio istorū est, quia docent in alijs materijs licitum esse sequi opinionem probabilem, licèt sit minus tuta, & minus probabilis tutiori. Quemadmodum licitum est vti opinione probabili, ne aliquid restituatur, cum periculum, seu dubium est, an res illa sit aliena. Addūt, liberum esse homini sequi iudicium probabile, & in re incerta vti iure suo, & potestate, quam ex se habere probabiliter credit.

Reijcitur.

60 Hæc opinio falso innititur fundamento, nimirum, quòd in alijs materijs liberum, & licitum sit vti opinione probabili, quando tutior est probabilior, vt visum est suprà. Ideò illa sic absolutè prolata est falsa; & ratio superius adducta hic quoque optimè concludit: qui enim sequitur opinionem minus tutam, & minus probabilem, licèt habeat aliquam probabilitatem, se exponit irritum faciendi Sacramentum; & sic peccat peccato sacrilegij.

Opin. Suarez.

61 Alij ergo, vt Suarez Tomo 3. in tertiam partem S. Thomæ disp. 16. sectione prima, ait nunquam licere sequi partem minus tutam, & minus probabilem, nisi necessitas grauis, vel causa vrgens impellat ad sequendum mi-

nus probabilem, & minus tutam opinionem. Ratio est, quia si semper in praxi quis teneretur ad tutiorem, & etiã probabiliorem partem, sæpe conijceretur in varias angustias, & perplexitates, & denique est nimis dura, & rigorosa. Ideò in praxi adhibenda est prudentia, & circunstãtiæ sunt considerandæ: & quando omnibus pensatis aliud melius non occurrit, minus probabilis, & minus tuta est amplexanda.

Reijcitur 1. Ratio.

62 Verùm contra hanc opinionem arguit Vasquez vbi suprà: quia si non licet absolutè sequi opinionem probabilem, quæ sit minus probabilis tutiori in administratione sacramentorum, eo quia sit periculum irritum faciendi sacramentum, sequitur quòd nulla vtilitas, vel causa vrgens dari possit, propter quam hoc licitum sit. Quòd enim de se est illicitum, nõ potest licere alicui, vel propter vtilitatem, vel propter necessitatem: quia cum periculo faciendi sacrilegium non est occurrendum alicui necessitati, vel vtilitati. Et confirmat ex hoc suam opinionem superius adductam, quia nemo dicet in articulo mortis, non licere dare beneficium absolutionis petenti illam, solùm per signa contritionis, & tamen minus probabilis opinio est licere, quàm non licere. Licet ergo sequi opinionem minus probabilem, & minus tutam ratione charitatis erga proximum.

Confirmatur.

Opinio Scoti.

63 Verissimam ego puto opinionem Scoti, qui ad hoc dubium respondet in terminis in 4. dist. 3. quæst. 2. §. *Tertio de forma*, in fine; vbi tres maximas vniuersaliter esse seruandas docet, vt suprà diximus in praxi in administratione Sacramentorum, cum adest aliquod dubium circa materiam, vel formam: & idem dicendum circa reliqua dubia, quæ occurrere possunt proportionaliter. Prima est. *Si possibilitas adest, via tutissima est eligenda*. Secunda. *Si non adest possibilitas, via tutissima proxima eligenda est*. Tertia. *Cessante impossibilitate, cautè supplendum est, quod impossibilitas prohibebat*. & innititur eisdem fundamentis, quibus suprà diximus tutiorem partem, quando est probabilior, vel æquè probabilis, ac minus tuta, esse amplexandam semper: quãdo verò pars minus tuta est probabilior tutiori, posse nos sequi minus tutam. Et quidem de priori parte nulla est dubitatio, vt suprà diximus. Secunda etiam, nimirum, quòd quando pars minus tuta est probabilior tutiori, liceat illam sequi, patet: quia potest adesse aliqua impossibilitas, vel aliqua grauis necessitas, propter quam recta ratio tunc dictet non obligare præceptum ad illam partem tutiorem eligẽdam, vt suprà diximus, & Scotus ipse supponit, dum ait in secunda propositione, quòd si via tutissima non potest haberi, proximam illi esse tenendam. Nunquam autem licet viam minus tutam, & simul minus probabilẽ sequi. Et quò ad hoc concludit prima ratio Vasquez contra Suarez: & ratio superius adducta conuincit: qui enim partem minus tutam, & simul minus probabilem sequitur, videtur amare magis commodum illud temporale, quàm propriam salutem: eam enim contemnit, dum se periculo illam amittendi se committit.

Ad primã rationẽ Vasquez.

64 Ad primam rationem Vasquez, prout facit contra nos, Respondeo, nunquam licere sequi partem minus tutam, cum etiam est minus probabilis, sed solum, quando est probabilior tutiori. Tunc enim ideò licet sequi illam: quia ratio recta, & probabilis suadet illam sequi non esse facere contra præceptum; & proinde licèt adsit aliqua formido, tamen non est verè, & propriè dubitatio. Ad secundam dico, probabiliorem opinionem esse attritionẽ scitam esse sufficientem dispositionem, & Concilium Tridentinum loqui de illa: attritio enim putata contritio nõ habetur vt imperfecta contritio, sed reputatur contritio perfecta, sed scita attritio est, quæ est, & habetur pro imperfecta contritione.

Ad secundam rationem.

65 Secunda ratio etiam contra Suarez non valet contra nostram opinionem, quia dare absolutionẽ alicui in articulo mortis petenti illam solis signis est pars tutior, licèt sit minus probabilis. Est tutior, quia Sacramentũ pœnitentiæ ordinatur ad salutem hominis: ideò denegare illud petenti signis, est facere contra charitatem, & institutionem huius sacramenti. Et est probabile, quòd in casu illo necessitatis, quo verba exprimere non potest, nec aliquod peccatum in particulari explicare, illa signa sint materia sufficiens administrandi Sacramentum illud.

Dubia quædam circa Aduocatum, Iudicem, Medicum, & alia huius generis de modo formandi conscientiam in suis operationibus.
Caput Quartum.

Opinio cõmunis.

66 EX dictis suprà variæ aliæ dubitationes incidentes solui possunt: & primò quomodo Aduocatus se gerere debet circa patrocinium alicuius causæ, quæ est dubia, & sunt variæ opiniones. Et primò quidem omnes Doctores conueniunt, quando causa est manifestè iniusta, nõ posse illam tueri, & si illam tueatur, teneri ad damna partis aduersæ, & etiam suæ. Addit Nauarrus, si illam nõ aduerterit: sic Siluester verbo, *Aduocatus*, n. 5. & alij ibidẽ. Nauarrus in Manuali cap. de Aduocato. D. Antoninus 2. p. titul. 1. cap. 19. §. 8. ante hos autem eam tradiderunt Scholastici, præsertim D. Thomas 2. 2. quæst. 71. art. 3. & ratio est, quia illicitum est cooperari ad faciendum malũ quomodocunque secundum Apostolum prima ad Roman. Manifestum est autem, quòd Aduocatus affert auxilium, & consensum præstat ei, cuius causæ patrocinatur. Si autem ex ignorantia tueatur causam iniustã, si est ignorantia, quæ sit apta excusare, non redditur culpabilis. Quæ autem sit hæc ignorantia, infrà dicetur. Si autem credidit à principio esse iustam, & in processu cognouit esse iniustam, (& hoc modo in praxi vt plurimum euenire credo, vnusquisque enim sua iura solùm adducit coram Aduocato, ipse autem stantibus illis aggreditur causam, putãdo, quòd ex processu possit magis dilucidari veritas eius,) tunc debet cessare absque eo, quod prodat causam aduersario, vel secreta reuelet, & laborare, vt inducat suum clientulum ad cedendum, vel ad aliquam honestam cõpositionem sine damno aduersarij.

Quid dicẽdũ quando Aduocatus & alij scienter defendunt causã iniustam.

67 Sed quid dicendum, cum Clientulus, & Aduocatus sciunt causam, quam defendunt esse iniustam, & tamen eam pro aliquo tempore nituntur defendere certis quibusdam subterfugijs ad prolongandam solutionem pecuniæ, vel rei, quam certò sciunt debere; sed differunt solutionem, quia Clientulus non habet commodum restituendi statim, nisi cum magno suo detrimento? Respõdeo, quòd si affert notabile damnum, & subornet testes, ne verum fateantur, aut præsentando instrumenta falsa, aut falsos testes, aut mendacia, & similia, tenetur ad restitutionem. Verùm si sine fraude, mendacijs, & falsitatibus procedit, & damnum sit modicum, non tenetur ad restitutionem, nec peccat: ratio est, quia ille non tenetur statim restituere; qui totum restituendo statim, non posset decenter viuere pro dignitate sui status, vt habet D. Antoninus 2. p. titulo 21. cap. 8. col. 7. adductus à Nauarro in Manuali cap. 17. num. 62. ideò cum Clientulus hac de causa quærit differre solutionem, & interim quærit modum satisfaciendi, tractat causam iustam, non iniustam: ideò Aduocatus eum defendendo non dicitur agere causam iniustam. Et sic potest prudenter occultare, & tacere id, quod ius suæ partis impedire potest, iuxta glossam cap. *Nequis* 22. quæst. 2. & honestè simulando suum Aduersarium fallere, iuxta glossam cap. *Dominus* 23. quæst. 2. absque tamen mendacijs, argum. d. cap. *Nequis*.

Quid cum causa ẽ dubia.

68 Cum autem dubium est, An causa sit iusta, omnes Doctores suprà citati cõueniunt, Aduocatum posse patrocinari pro altera parte, siue dubitatio oriatur ex iure quod diuersimodè a Doctoribus exponitur siue ex facto. Cum his etiam sentit Sotus in lib. 5. de iustitia & iure quæst. 8. art. 3. qui insuper addit, hanc sententiam esse veram, quo-

tics

ties vtraque opinio est æquè probabilis tàm propter probationes facti, quàm propter fundamenta iuris. At quando aduocatus intelligit, alteram partem esse probabiliorem, vel propter probationes facti, vel fundamenta iuris, tunc est dubium. Aliqui dicunt esse distinguendum: vel enim agitur de causa sanguinis, vel mortis, vel honoris, vel de omnium bonorum possessione, vt de primogenitura, &c. & tunc inquit Sotus, non licet patrocinari contra probabiliorem partem, quia (inquit) in dubijs melior est conditio possidentis. in alijs verò causis minoris momenti licet contra probabiliorem partem patrocinari.

Opinio Soto.

Reijcitur à Vasquez.

69 Hanc opinionem reijcit Vasquez p. 2. disp. 64. cap. 1. eo, quia distinctio allata a Soto non videtur ad propositum: quòd enim causa sit maioris, vel minoris momenti, nō facit, vt contra probabiliorē non possit patrocinari, contra minus probabilem verò maximè: quia ratio, propter quam licet patrocinari, vel non patrocinari est iustitia, vel iniustitia causæ, licèt quo causa est maioris momenti, maius peccatum sit contra eius iustitiam agere; & consequenter sit maius peccatum patrocinari aduersus causam maioris momenti iustam, quā minoris momēti.

Opin. Vasquez.

70 Sustinet ergo Vasquez absolutè quando causa est dubia, & vtraque pars est probabilis, licèt vna sit altera probabilior, Aduocatum posse pro altera, vt placet sibi, patrocinari; & ratio eius est, quæ sanè est efficacissima, quia munus Aduocati non est, rem diffinire tradēdo vni, quod petitur, & alteri auferendo; sed proponere sincerè fundamenta iuris, & facti, & rationes, quæ causæ sui clientis fauere possunt. Vnde proponit hanc regulam seruandam, quòd quoties litis contestatio coram Iudice est licita contra aliquem, etiam tunc Aduocatus potest patrocinari pro altera causa, etiam si cognoscat eam partem, quā tuetur, esse minus probabilem; contingere enim potest, quod id, quod Aduocato videtur minus probabile, Iudici magis probabile videatur. Ideò cum non est manifestè iniusta, videtur tuta conscientia illius patrocinium suniere posse.

Opin. Vasquez nō plenè satisfacit.

Solutio.

71 Verùm adhuc nō quiescit animus, quia aliquis dubitabit, quādo iustè aliquis potest contestari litem? propterea iudico dicendum, quòd vel lis est de facto aliquo, vel de iuris alicuius intellectu. Primo modo ego puto rarò accidere posse, vt in principio ad litem contestandam Aduocatus cognoscere possit quæ sit probabilior, & minus probabilis pars, quia ignorat quid aduersarius in contrarium sit adducturus. Sufficere ergo puto in tali casu, quòd clientulus habeat probabilia fundamenta mouendi litē: quia si non haberet rationabilem causam, esset calumniā statuere, cap. *Calumniam*, de pœnis. Si verò lis mouetur circa iuris intellectum, quia diuersæ sunt opiniones doctorum, licèt etiam minus probabilem tueri vsque ad sententiam: quia hic Aduocatus nihil aliud facit, nisi quòd proponit rationes pro sua parte, sed non iudicat, nec aliquid aufert alicui: ideò nihil iniustè facit ex hoc præcisè, quod tuetur partem minus probabilē; & eo magis, quia, vt dictum est, quod illi videtur minus probabile, fortasse Iudici videbitur probabilius.

De Iudice in iudicando.

72 De Iudice quomodo se gerere debeat in iudicando quando sunt diuersæ opiniones, tractant Summistæ in verbo, *Opinio*, & adhibent diuersas distinctiones, quæ videri possunt. Vasquez disp. 64. distinguit de Iudice superiori, & inferiori, & inquit, quòd Iudex superior debet sequi opinionem, quam ipse putat probabiliorem, nec satisfacere muneri suo, si Iudicet secūdum opinionem aliorum, quàm putat esse minus probabilem. Ratio est, quia hoc ipso, quòd constitutus est Iudex, committitur eius iudicio diffinitio reliquarum causarum, prout magis rationi consentaneum videbitur; si ergo non sequatur propriū iudicium, sed aliorum, muneri suo non satisfaceret. De Iudice verò inferiori inquit, eum posse secundum opinionē aliorum iudicare, quando aliorum opinio magis recepta est in praxi, ne sententia, quam ferret secundum propriū iudicium notari posset minus prudens ab alijs superioribus Iudicibus; tum quia videt suam sententiam nullius fore vtilitatis.

73 Mihi autem videtur frustra hanc distinctionem adhiberi, sed puto, quemlibet Iudicem teneri ad sequendum tutiorem opinionem; illa autem in hac materia est tutior, quæ est probabilior, & potioribus innititur fundamentis. Vt in causa dubia ex facto, ea est tutior, quæ secūdū allegata, & approbata est magis euidens. Iudex enim est persona publica, & vt publica persona se gerere debet, non vt persona priuata: ideò debet iudicare secundum cognitinnem publicè in actis deductam, non per propriā; etiam si sciat, quod publicè deductum est, esse falsum. In dubia causa aūt ex parte iuris ea est tutior, quæ est magis conformis sensui recepto legis, & cōsuetudini, & denique ea opinio, quæ adhibita diligentia, & studio conuenienti magis æquitati, & iustitiæ conuenire iudicatur, (lex enim humana tunc est recta, cum ordinatur ad diuinam, vt suprà diximus ex Scoto in 4. dist. 15. quæst. 2.) hoc enim iudicium erit rectum, & secundum conscientiam, non contra eam, & sequenter non peccabit.

74 De Medico eodē modo est respōdendum, scilicet cum in dubio quodnam medicamentum sit profuturum ægroto, debere sequi opinionem tutiorem: illa autem est quæ secundum artem iudicatur tutior. Vndè Summistæ verbo, *Medicus*. Angelus n. 2. Syluester quæst. 4. p. 1. Nauarrus in cap. *Si quis* de pœn. dist. 7. num. 58. aiunt, Medicum peccare, qui tribuit ægroto medicamenta, de quibus dubitat, an sint profutura. Si tamen Medicus credat, medicamentum illud potius profuturū, quàm nociturū, etiamsi sit aliquod periculum, quòd noceat, potest illud adhibere, cum est in extremo periculo, nec suppetit aliud remedium; tunc enim tutius est adhibere hoc remedium aliquo modo dubium, quàm nullum: quia nullum adhibendo certus est Medicus ægrotum moriturum. Debent autem maximè Medici multò magis fidere in experimētis assiduis, quàm in Theoricis, & Philosophicis rationibus: quia experimento edocti primi Medici ceperunt in sua arte philosophari. In qua re tamen prudentia adhibenda est, ne illis contingat, vt quibusdam rusticis, qui casu, quibusdam experientijs discentes quædam medicamēta ad aliquem morbum valere, ea ad diuersos adhibent, quibus maximè nocent.

De Medico in curationibus.

75 Sed dubium occurrit graue in matrimonio: nam sæpè potest alter coniugum dubitare, An matrimonium sit legitimè contractum: vt puta alter coniugum quando contraxit non habebat intentionem contrahendi, sed explendi libidinē suam tantùm, deinde hoc manifestat alteri coniugum, qui bona fide contraxit. Ista persona simplex videtur tunc perplexa, quia non potest reddere debitum certitudinaliter, nec petere; neque potest recedere à contractu ad alterum matrimonium, quia se exponit periculo fornicationis. Respondet Scotus in 4. dist. 30. q. 1. ad secundum dubium, rem hanc esse multum controuersam, tamen ipse iudicat, personam illam simplicem non esse perplexam, sed eam in tali casu debere sequi tutiorē viam, quæ est deponere dubium, quod coniux non contraxerit verè, & se se gerere debere cum eo, vt cū vero cōiuge: dum enim petit debitum videtur verè contraxisse.

De eo, qui dubitat, an matrimonium sit rectè contractum.

Responsio Scoti.

76 Sed contra hoc arguit Vasquez p. 2. disp. 66. cap. 2. quia inquit, ex sola petitione debiti à coniuge non potest tolli dubitatio: quia dubitatio de validitate matrimonij potest aliunde prouenire, vt putà quia dubitat forsan, an prior coniux mortuus sit. Sed hæc obiectio contra Scotum nulla est, quia Scotus non loquitur de dubitatione, quæ aliundè proueniat, sed solum de ea dubitatione, quæ oritur ex reuelatione alterius coniugis, qui reuellat, quòd non præbuit consensum. In hoc autem casu certè tutior pars est deponere dubium, & hoc fieri potest, quia, vt inquit Scotus ibi, credibilius est, vt mentiatur coniux tunc, quàm quod non præbuerit consensum: ideò rationabiliter potest deponere dubium generatum ex illa reuelatione coniugis tantum. Si verò dubitatio aliundè oriatur,

Obiectio Vasquez.

Solutio.

aliter est dicendum. Vnde cum quis aliundè dubitat de validitate matrimonij, neque potest dubitationem repellere, verissimam puto sententiam communem, quòd dubius tenetur reddere petenti bona fide, sed non potest petere; fundatur enim hæc opinio in decreto Pontificum sancito in cap. *Dominus de secundis nuptijs*, & in cap. *Inquisitionis, de sententia excommunicationis*, & eam sequuntur Summistæ in verbo, *Matrimonium*, & Nauarrus in cap. *Si quis* dist. 7. de Pœnitentia n. 102. & multi alij ex Recentioribus. A qua sententia Scotus non recedit cum loco citato dicat apertè, quòd si coniux non potest pellere dubium, non potest petere, nec reddere coniugi doloso, qui dixit non consensisse. Signum est ergo, quòd cũ adest bona fides in vno, ille potest petere, & reddere: cum verò non adest bona fides, vel dubitatio in altero, ille non potest petere, sed tantùm reddere. Præterea, vt dixi suprà, Scotus in 4. dist. 3. quæst. 2. dixit circa dubitationes occurrentes circa materiam, & formam Sacramẽtorum, semper tutissimam partem esse seruandam, si habere potest: si verò tutissima haberi non potest, eam esse eligendam, quæ tutissimæ proxima est. Quam alij alijs verbis dicunt, ex duobus malis minus esse eligendum. Quæ sententia est verissima, & habetur dist. 13. cap. *Duo mala*, & desumitur ex D. Grægorio Magno lib. 32. moralium cap. 18. Cum ergo quis est dubius de validitate matrimonij, nec potest deponere dubitationem, videtur perplexus: nam si reddat, se exponit periculo fornicationis: si nõ reddat, se exponit periculo iniustitiæ; at minus malũ est se exponere periculo incontinentiæ, & fornicationis, quã iniustitiæ: ideò tenetur reddere, non tamen potest petere. Vndè hæc regula seruanda est in omnibus dubijs ad regulandum iudicium conscientiæ, ne contra illam peccemus.

Regula seruãda in dubijs quibuscunque ex Scoto, & cõmuniter cõcessa.

Ex duobus malis, minus est eligẽdum, est regula ĩ dubijs valdè vtilis ad pplexitatem tollẽdam.

77 Esset hic agendũ de dubio circa dominium rei possessæ: sed de hoc agemus in tractatu de restitutione.

De dubio circa dominiũ rei possessæ.

Contingit etiam dubitare circa legitimam, aut illegitimam conditionem filij: sed hæc res facilè deciditur à Doctoribus. Syluester verbo, *Filius*, quæst. 11. Angelus verbo, *Filius*, num. 16. Couarruuias 2. p. de matrimonio cap. 8. §. 3. num. 8. Gabriel Vasquez p. 2. disp. 66. ca. 8. qui citat alios: est enim communis sententia in dubio, An sit legitimus, vel illegitimus: naturalis, vel spurius, censendum esse legitimum, & naturalem: ratio est, quia in dubijs præsumitur id, quod est honestius, aut minus inhonestum: et fauet regula iuris in 6. *Cum sunt obscura iura partium fauendum est potius reo, quàm actori*, & ratio naturalis dictat, neminem in dubio esse condemnandum. Vndè licèt illa alia regula, *In dubijs, & pari causa potior est causa possidentis*, huic determinationi, & priori regulæ non obstat: quia cum obscura sunt iura partium Rei, & Accusatoris, causa non est par, & proinde non obstat.

De dubio circa illegitimitatẽ filij.

DISPVTATIO VII.

Vtrùm peccatum mortale possit fieri veniale.

An peccatum ex genere suo mortale possit fieri veniale ex parte consensus imperfecti, & ex paruitate materiæ. Caput primum.

1 Omnes Theologi conueniunt, peccatum ex genere suo mortale posse fieri veniale, sicut suprà dicebamus; veniale quoque posse fieri mortale, non quidem, quòd peccatum, quod est mortale possit fieri veniale, quia hoc implicat repugnantiam, sicuti suprà dicebamus repugnare etiam, quòd actus, qui est peccatum veniale, fiat mortale, sed qa actus ille, qui ex suo genere, & ex obiecto est mortale, potest per aliquam causam non esse mortale, sed veniale. Hoc ergo supposito, quærunt Doctores, quæ sint, illæ causæ, propter quas actus ex genere suo mortalis fiat venialis; & assignatur præsertim tres, nimirum, Imperfectus consensus, Paruitas rei, & Ignorantia. Nauarrus assignat quartam causam respectu peccati, quod contrahitur ex transgressione legis humanæ, quæ est dispensatio iusta, vel causa iusta. Ideò de vnaquaque istarum causarum agendum est, & primò, quo ad imperfectionẽ consensus. Hic autem obseruandum est, ad perfectum cõsensum requiri considerationem ex parte intellectus, vt cognoscat quid agit: requiri etiam in voluntate consensũ verum; ideò de vtraque est agendum ad cognoscẽdum, quando verè cõsensus est imperfectus, & quando est perfectus: & primò agendum est de notitia, & cognitione, quam habere debet intellectus.

Peccatum mortale fit veniale ex triplici causa.

2 Quo ad hanc partem ergo fuit opinio quorundam, & tribuitur Okam, quæ asseruit, omnem motum voluntatis quacunque existente cognitione intellectus circa materiam notabilem malam, esse peccatum mortale: vnde cõcedit solùm peccata venialia in motibus appetitus. Sed hęc opinio, vt falsissima, ab omnibus reijcitur: nam motus infidelitatis, & blasphemiæ sunt in voluntate; versantur enim circa res spirituales, & intellectuales, & tamen aliquando non sunt peccata mortalia, sed venialia tãtùm. Pręterea, suprà ostendimus primos motus non esse peccata, quia non sunt in potestate nostra, & tamen fieri non potest, quin aliquo modo circa illos volũtas habeat aliquem motum, iuxta illud D. August. supra adductum, *Non est in potestate nostra, quin visis tangamur*. Non ergo quæcunque cognitio præcedens sufficit ad peccatum, & maximè mortale.

Opinio Okam.

Reijcitur.

3. De libero arbitrio cap. 15.

3 Alij dixerunt, sufficere ad peccatum mortale illam rationis considerationem, qua etsi ratio actu non considerat, nec considerauit illud, de quo appetitus, vel voluntas delectatur, esse peccatum, & malum, potuit tamen, & debuit considerare. Quæ opinio tribuitur Adriano quolib. 7. a. 1. ad primum, & Gersono alphabeto 33. littera H. & alphabeto 24. Pro hac opinione variæ rationes adducuntur. Prima. Si esset necessaria expressa consideratio malitiæ, sequeretur, quòd multi excusarentur à pluribus peccatis grauissimis exterioribus, quòd est absurdum. Consequentia probatur, quia multi vt plurimum perpetrantur peccata grauissima absque consideratione actuali, quòd illa sint mala, vel bona, sed solum intendunt opus illud facere, quia sibi est delectabile.

Aliorũ opinio.

1. Ratio.

4 Pręterea, sequeretur, quòd nemo peccaret mortaliter, nisi qui consideraret actum peccati, quem committit, habere malitiam mortalem: istud autem est absurdum, quia tunc infidelis, qui ignorat, actum aliquem peccati mortalis esse malum, & proinde in eo nullam malitiam expresè considerat actu, excusaretur à peccato, quòd est omnino falsum.

2. Ratio.

5 Pręterea, sequeretur, quòd in quocunque peccato semper adesset expressus remorsus conscientiæ, quòd tamen est falsum. Consequentia est euidens, quia cum ratio actu considerat aliquid esse malum, synderesis remurmurat. Falsitas tamen consequentis probatur per illud Pauli 1. ad Corinthios 4. *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum*.

3. Ratio.

6 Hæc opinio, licèt recentioribus quibusdam placeat, nihilominus contra eam est ferè communis cõsensus Doctorum Scholasticorum, quos refert, & sequitur Gabriel Vasquez p. 2. disp. 107. cap. 3. (licèt apud multos illorum hoc ego non reperiam) isti enim asserunt, & communiter supponunt, nullum esse peccatum mortale, nisi pręcedat cogitatio, & cognitio expressa, seù actualis, quod opus illud, quòd volũtas efficit, sit malum morale, & peccatum: vel nisi pręcedat aliqua dubitatio, seù scrupulus; adeò quod si nullum horum pręcedat, dicunt, actum illum procedere ex inconsiderantia naturali; & cõsensum in illum, non esse peccatum mortale. Hanc sententiam tradunt sine dubio Scotus in 2. dist. 43. dum ait, quòd omne peccatum, quod est in voluntate, non pręcedente perturbatione, vel passione, nec ex ignorantia in ratione, est peccatũ ex certa malitia, & 3. dist. 39. q. 1. §. *Videtur ergo*, vbi simul

Reijcitur.

Opinio cõmunis, & Scoti.

Scotus

Scoti ratio efficaciſſima.

Scotus hoc aſſerit,& probat ratione fundamentali, & efficaciſſima, ait enim, quòd ſicut actus meritorius debet eſſe humanus: ita, & demeritorius debet eſſe humanus, ideſt,*ex plena deliberatione*: quia inquit, Deus non eſt pronior ad condemnandum, quàm ad parcendum. Cum ergo actus meritorius neceſſariò prærequirat conſiderationem actualem aliquam,quòd actus,quem facit, ſit bonus;alioquin non eſſet ex charitate,quia non ordinaretur ad debitum finem,ſequitur apertè, quòd actus non poſſit eſſe malus,nec peccatum mortale, ſi non præcedat cognitio aliqua, vel dubitatio, vel ſcrupulus, quòd actus ille ſit peccatum mortale. Vndè rectè obſeruauit Nauarrus in Manuali præludio 9.n.9. quòd ad hoc, vt peccatum cõtra conſcientiam ſit peccatum mortale,non ſufficit,quòd conſcientia erronea dictet eſſe peccatum in cõmuni, ſed opus eſt,vt dictet eſſe peccatum mortale.

Conſcientia erronea debet dictare, actum eſſe peccatum mortale ad hoc, vt actus ſit peccatum mortale,aliter non.

7 Præterea, ſi quis ſciat tali die ex præcepto Eccleſiæ eſſe ieiunandum, tamen eo die non occurrit ſibi, quòd teneatur ieiunare,& ideo non ieiunat,nemo dicet hũc peccaſſe mortaliter;ergo inconſiderantia actualis excuſat; ergo ad peccatum mortale requiritur actualis conſideratio, quòd ſit peccatum mortale.

Alex.Aleſ.

8 Eandem ſententiam apertè habet Alex.Alenſis p.2. q.108.memb.11. dum ait. *Quod, cum deliberat ratio illicitam eſſe delectationem,& poſt delectationi conſentit auerſa à delectatione,quæ eſt in Deo per contemptum,illicitæ delectationi,quæ eſt in creatura,adhæret, & ideò peccat mortaliter*.
9 Hoc idem habet dicere cæteri Doctores, præſertim D.Tho.dum p.2.q.88.art.6.ait,actum, qui ex genere ſuo eſt mortalis, fieri venialem ex imperfecta deliberatione: imperfecta enim deliberatio circa actum peccati oritur quoque ex inaduertentia, an actus ſit malus, vel bonus,& ar.5.eiuſdem quæſtionis ad ſecundum ait,delectationem moroſam dici moroſam propter approbationem rationis deliberantis. Supponit ergo,rationem prius cognoſcere,& deliberare circa delectationem illam. Citatur etiam q.13. de veritate art.4. ad. 10. Syluester verbo *Cogitatio* q.1.p.4.Nauarrus etſi paſſim in ſumma damnet eum peccati mortalis,qui aduertens, aut aduertere debẽs aliquid eſſe peccatum mortale, illud facit; tamen vbi ex profeſſo de his motibus agit,inquit, conſenſum ex ſurreptione abſque plena deliberatione, ſolum eſſe peccatum veniale: & multi alij. Eſt ergo certum,debere præcedere actualem, & expreſſam conſiderationem de malitia in actu,& opere, quòd ſit peccatum mortale.

D. Thom.

Quæ ſit imperfecta cõſideratio, q̃ actũ ex genere mortalẽ facit venialem.

10 Reſtat modo difficultas principalis, quænã ſit hæc imperfecta conſideratio, & inaduertẽtia malitiæ in actu, quæ facit actum de ſuo genere mortale, veniale peccatũ. Vaſquez diſp.illa 108.ca.4.ait,ſufficere ad mortale, quòd animaduertat,& conſideret plenè eſſe malum in communi,vel dubitet, actum illum eſſe malum in communi, inquit enim, Qui conſiderat aliquem actum eſſe malum in communi, vel dubitat eſſe malum in communi, & illud facit, exponit ſe periculo peccati mortalis, & ſic peccat mortaliter.

Reijcit opinio Vaſq.

11 Hæc ſententia mihi non probatur, ſed ſentio cum Nauarro vbi ſupra in Manuali præludio 9. requiri, vt aduertat,vel dubitet eſſe peccatum mortale;neque ſufficere, quòd ratio, vel conſcientia dictet eſſe peccatum in communi; ratio eſt, quia cum duplex ſit peccatum, graue, vt mortale;& leue,vt veniale,poteſt quis animaduertere aliquem actum eſſe malum,vt quædam verba iocoſa, tamẽ exiſtimare eſſe malum leue, & illud perpetrare; certè ob hoc non eſt dicendum,illum ſe exponere periculo peccati mortalis; quòd denique ibidem approbat Vaſquez, quia etſi exiſtimet eſſe malum, vel dubitet eſſe malum in communi, tamen exiſtimat eſſe malum leue, & proinde non eſt dicendum, eum peccare mortaliter; eſſet enim nimis rigoroſa,& erecta via ſalutis. Accedit, quòd, vt dicebat Scotus,& communiter conceditur,Deus non eſt pronior ad condemnandum, quàm ad miſerandum; ergo ſicut Deus non acceptat quẽcunque actum, quem homo cognoſcit eſſe bonum, vel putat eſſe bonum ad dimittendũ peccatum,vt puta attritio;ſed requirit actum valde bonũ, ſcilicet contritionem;ita non eſt dicendum,quòd damnare velit aliquem propter actum, quem putat eſſe malum, vel dubitat eſſe malum in communi: non tamen iudicat, nec dubitat,an ſit graue, & mortale, ſed ſolum eſſe in genere mali;quia ſic exiſtimare videtur eſſe peccatum, & malum leue,& ideò non eſſe peccatum.

12 Præterea ex hac reſponſione non habetur ſolutio dubij principalis, quia exiſtimare aliquid eſſe malum in communi,vel dubitare,an ſit malum in communi, competit mortali,& veniali;nam qui peccat venialiter, etiam cognoſcit, vel dubitare poteſt, an ille actus ſit malus, & peccatum in communi; ergo debet aſſignari regula, qua aliquis certò cognoſcat, quando cognitio mali generaliter eſt ſufficiens ad peccatũ mortale, & quãdo ad veniale.

Opinio vera.

13 Puto ergo dicendum cum Scoto vbi ſupra, & in 2. diſt.22.maximè in reſponſione ad ſecundum, & alijs Doctoribus, communiter requiri ad actum peccati mortalis, ex parte intellectus, cognitionem actualem claram, abſque vlla perturbatione, vel paſſione, vel ignorantia, quòd actio illa ſit peccatum mortale, vel dubium, an ſit mortale. (& de ignorantia quidem infrà ſuo loco dicemus) Cum enim perturbatio aliqua eſt in homine, vel paſſio vehemens,impedit rectum iudicium rationis, iuxta illud,*Impedit Ira animum ne poſſit cernere verum*,& ſic non poteſt cernere,an illud ſit peccatum mortale verè,an dubium. Etenim licèt paſſiones animi,vt ira, & cupiditates, non faciant actum inuolontarium, quando antecedunt actum liberi arbitrij, ſcilicet intellectus, & voluntatis,vt habet D.Thom.p.2.q.6.art.7.& q.77.art.6. & 7.& Scotus vbique ſupponit cum alijs Theologis; & elicitur ex Ariſt.3.Ethic.cap.1.tamen diminuunt peccatum,quia diminuunt voluntarium. Immò aliquando paſſiones adeò impediunt,vt faciant actum omnino inuoluntariũ; ſicut quando tollunt vſum rationis, vt euenit in illis, qui amore vel ira inſaniunt. Quando verò non tollunt totaliter vſum rationis, etſi non faciant actum omnino inuoluntarium,tamen faciunt minus, & minus voluntarium, ſecundum maiorem, vel minorem intenſionem. Et hac ratione minus peccat, qui fœminæ alicuius pulchritudine allectus concupiſcit, quàm qui deformem appetit; & minus peccat, qui ſpe magni præmij aliquid turpe admittit, quàm qui nulla ſpe lucri contra ius. faſque delinquit. Et hinc oritur, quòd peccatum ex paſſione quandoque eſt mortale, quandoque eſt veniale,vt elicitur ex D.Tho. p.2.q.77.art.8.dum enim quærit,An peccatum ex paſſione poſſit eſſe mortale, ſupponit aliquod peccatum ex paſſione eſſe veniale;illud, ſcilicet, quòd propter paſſionem procedit ex imperfecto, & indeliberato conſenſu.Quando verò paſſiones ſubſequuntur actum liberi arbitrij non minuunt,ſed augent peccatum.Et hac ratione verum eſt, quòd quantò quis maiori libidine peccat, maiori peccato peccat;quia voluntas impellit cupiditatem,& paſſionem ipſam potius,quàm impellatur. Quando ergo paſſio præcedit,diminuit iudicium rationis, & conſequenter tollit libertatem ab actu voluntatis,ſicut ignorantia;ideo cum voluntas ſequitur iudicium rationis ſic perturbatũ, eſt minus culpabilis. Et hoc eſt,quòd dicere habent Caietanus in ſumma verbo,*Delectatio*, & Nauarrus in ſumma præludio 9.quos etiam ſequitur Vaſquez vbi ſupra, cũ exemplificant de ſemidormientibus, & ſemiebrijs,& de illis,qui non plenè excitati à ſomno attendunt ad malitiã pollutionis, quàm patiuntur; non enim attendunt ſicut perfectè excitati à ſomno,nam tunc eſt ita tenuis conſideratio,vt non ſufficiat ad mortale: perturbationes enim illę impediunt iudicium rectum rationis, & ſic conſenſus voluntatis eſt imperfectus, non plenus.

Poſſumus addere cum Almayno tractatu 3.moralium cap. 24. Hieronymo ab Angeſto cap. 1. Moralium in 5. parte tex. Corduba lib. 2. q. 17. dub. p. citatis à Vaſquez vbi ſupra,conſenſum etiam extra paſſiones fieri imperfe-

ctum,

ctum, nimirum ex defectu firmitatis indicij, scilicet, quia ratio indicat cum formidine, vel ex leui cõiectura actum esse peccatum mortale; & ideo voluntas in actum illum consentit, quia non videt rationem firmiter, & cum solido fundamẽto iudicare actum illum esse peccatum mortale; quòd si secus esset in actum illum non consentiret.

Ad primã rationẽ pro secũda opinione.

14 Ad rationes pro opinione secunda superius adducta facilis est responsio. Ad primam dicitur cum recentioribus, quòd cum opus siuè interius, siuè exterius fit ex actuali inaduertentia, vt dictum est de non ieiunante tali die propter inaduertentiam, nunquam est peccatum mortale; opera verò exteriora, quæ ex se sunt peccata, certè vt experientia videmus, non committuntur sinè actuali cognitione, quòd mala sunt, nisi in primis motibus, (licèt nõ fiat actualis reflexio super illum actum, quòd malus sit; hæc autem non est necessaria, vt patet) de quibus diximus, eos non esse peccata. Sed si quis siuè internum, siuè externum aliquod opus committeret de suo genere mortale, vt occideret hominem ex ira ita vehementi, vt non aduerteret, quid faceret, non peccaret mortaliter, sed excusaretur.

Ad secũdã.

15 Ad secundam respondetur hoc argumentum procedere contra auctores suos; nam infidelis, qui nunquam habuit cognitionem peccati mortalis, & venialis, non potuit, nec debuit considerare, quòd actus ille esset peccatũ mortale; sicut nec infidelis, qui de fide Christi nihil vnquam audiuit, tenetur ad habendum fidem, sed excusatur à peccato infidelitatis: licèt damnetur propter alia peccata, vt ait D. Tho. 2. 2. q. 10. a. 1. & nos diximus in hoc 4. agendo de cessatione legalium d. 3.

16 Respondetur ergo, infidelem habere posse, & de facto habere cognitionem, an peccatum sit graue, vel leue, precepta enim Decalogi sunt de lege naturæ: ideò licèt infideles ita explicitè nõ habeãt cognitionem actuum mortalis, & venialis; habent tamen tantam cognitionem quòd sufficit ad peccandum mortaliter; Sicuti etiam simplices in lege Euangelica, qui minimam cognitionem habent de distinctione peccatorum, sciunt discernere, quale sit graue peccatum, & quale leue.

17 Ad tertiam conceditur, nunquàm fieri peccatum, quin conscientia, & synderesis non remurmuret; licèt ex parte voluntatis aliqui quandoque grauis habitibus affecti sinè timore, & cruciatu ex parte voluntatis illa peccata committant.

18 Ad auctoritatem D. Pauli respondetur, nolle dicere ibi, quòd aliqua peccata fiant sinè cõsideratione actuali malitiæ, & quòd talia in se ipso fuisse dubitaret, sed voluit dicere, quòd licèt conscientia sua eum non accusaret de aliquo peccato; poterat nihilominus re vera esse reus alicuius peccati pręteriti, quod tunc eum lateret, eo quòd obliuioni traditum tunc esset. Potest etiam dici, quòd Paulus ibi loquitur de peccato veniali, qui quandoque in actu virtutum obrepit. Vndè cum magna cautela facienda sunt: quia quandoque ex surreptione, & parua attritione aliquo peccato veniali inficiuntur, quod nos facilè latere potest.

Quomodo cõsensus sit impfectus, ex parte voluntatis.

19 Quantum verò ad consensum ex parte voluntatis, omnes asserunt requiri, vt consensus sit omnino plenus ad hoc, vt actus de suo genere mortalis fiat peccatum mortale, & deficiente plenario consensu, peccatum illud ex genere suo mortale fieri veniale.

Sic D. Tho. p. 2. q. 88. art. 6. in corpore, & art. 5. eiusdem quæstionis ad primum. Scotus in 2. dist. 6. q. 1. §. *ad argumenta*. vbi loquens de peccato Angeli, An potuerit appetere æqualitatem Dei, ait, quòd Angeli potuerunt peccare appetendo æqualitatem ex electione, *hoc est ex non surreptione, sed ex perfecta volitione illius æqualitatis*. Et eodem 2. dist. 42. q. 1. §. *Sequitur secundum*. vbi loquens de peccato in cogitatione, inquit, Voluntatem esse Reginam in Imperio animæ, cui omnes potentiæ etiam inferiores obediunt, & quòd proindè ipsa tenetur regulare, & mouere potentias inferiores ad bonos motus; quòd si non moueat illas ad bonos motus, illi imputatur. In explicatione autem horum dicit, quòd tunc voluntas peccat in cogitatione de re, quæ est peccatum, quando voluntas se complacet complacentia *plena* in illa cogitatione turpi. Dum ergo dicit, quòd peccat in complacentia plena, significat, si complacentia non sit plena, eam nõ esse peccatum mortale. Idem habet in 3. dist. 39. q. 1. §. *Videtur ergo*, & ratio est, quia, vt suprà dicebamus, Deus non est pronior ad condemnandum, quàm ad parcendum; actus autem imperfectè deliberatus à voluntate non est humanus ex imperfectione assensus voluntatis. Sicut autem actus imperfectus ex consensu voluntatis non est meritorius, ita non est demeritorius mortaliter. Idem habẽt alij Doctores, quos citat, & sequitur Nauarrus in Manuali pręludio 9. & in com. *inter verba* 11. q. 3.

Quis sit actus ĩdeliberatus ex parte volũtatis.

20 Sed quis rogabit, quis sit actus imperfectus, & indeliberatus ex parte voluntatis? Respondetur. Nauarrus adducit exemplum de quibusdam displicentijs bonorũ diuinorum, quæ accidere solent in materia accidiæ: illæ enim non sunt perfectæ deliberationes, non ex defectu cognitionis, quia optimè cognoscit illa esse bona diuina, vt est displicentia, quam habet Accidiosus de audiendo missam, & similibus. D. Thomas p. 2. quæst. 88. art. 5. ad primum, dat exemplum de ira: nam cum ira sit motus animi ad nocendum proximo, si sit ad nocumentum graue, vt homicidium, ira huiusmodi, ex suo genere est mortale: tamen in quantum hic motus est motus subitus sensualitatis, est actus imperfectus, & est peccatum veniale. Sed hoc exemplum docet potius, hunc actum iræ esse peccatũ veniale ex parte iudicij intellectus, quia procedit ex quadam inaduertentia orta ex passione. quæ impedit rationis iudicium perfectum, vt suprà diximus. Alij communiter dicunt, tantam deliberationem requiri ad peccatum, quanta ad votum emittendum; & ideò sicut votum factum ex imperfecta deliberatione est nullum, sic actus peccati ex genere suo imperfectè deliberatus, non est peccatum mortale, sed veniale. Sed adhuc est difficultas in cognitione, quãdo deliberatio etiam in actu voti est imperfecta. Alij distinguunt de motibus primò primis, & secundò primis, & hos dicunt, non sufficere ad peccatum mortale; sed motus sequentes. Sed hæc distinctio non facit ad rem: quia motus primò primi, & secundò primi præcedunt perfectam cognitionem intellectus, vt suprà diximus, & hac ratione dicuntur inuoluntarij, & propter hoc non sunt culpabiles. Pro intelligentia ergo huius rei satis difficilis obseruandum est ex Scoto in 2. dist. 6. quęst. 2. in solutione quæstionis, & ad primum argumẽtum pro opinione, quòd actus volendi est duplex: alter est efficax alter est complacentiæ, siuè sub conditione, & inefficax. Volitio efficax est, qua voluntas vult obiectum, & etiam media ad consequendum effectum. Volitio inefficax, siuè complacentiæ tantum, est, quæ vellet obiectum, si posset, sed quia cognoscit illud esse impossibile sibi, non vult media ad illud consequendum. Exemplum. Alio modo. Infirmus sperans sanitatem vult sanitatem, & alio modo infirmus desperans de sanitate vult sanitatem: nam primus vult sanitatem efficaciter, & ideò imperat media inducentia illam; sed desperans vult sanitatem volitione complacentiæ, sed non volitione efficaci: quia non quærit media inducentia sanitatem pro eo, quia nõ existimat, illam posse sibi acquiri. Prima est solum possibilium. Secunda est quoque impossibilium: vndè existimat, Angelum hoc secundo modo peccasse appetendo æqualitatem Dei, quam tamen cognoscebat esse sibi impossibilem. Ad propositum, inquit Scotus, nõ solum volitio efficax est sufficiens ad meritum, & demeritum, sed etiam volitio inefficax: & de prima quidem non est dubium: de secunda autem probatur, quia volitio complacentiæ potest pleno consensu in illo impossibili se complacere, & ista volitione potuit Angelus appetere æqualitatẽ Dei. Ex hoc ergo loco Scoti habemus, quòd voluntas habita plena cognitione obiecti mali, & peccati, potest duobus modis se ge-

Resolutio.

rere

gere circa volitionem illius. Primus est volendo illud efficaciter, scilicet volendo obiectum, & imperando media ad illud obtinendum. Secũdus, volẽdo illud inefficaciter, scilicet volendo illud, si esset sibi possibile; & hæc volitio quoque est plena, & sufficit ad actum peccati. Hoc ergo duplici modo actus voluntatis est perfectus, non imperfectus, nec subreptitius.

21 Rursus obseruãdum est ex eodem Scoto, in 2. dist. 42. q. 1. §. *Sequitur secundum*, quòd in volũtate est duplex actus, scilicet complacentiæ, & concupiscentiæ: actus complacentiæ est, quò voluntas vult aliquid, & illud diligit, ac in eo se complacet, & hæc volitio est communis voluntati efficaci, & inefficaci, de qua nũc suprà loquuti sumus cum Scoto ex 2. dist. 6. nam vtraque est volitio, & complacentia. Volitio concupiscentiæ est, qua voluntas ex eo, quod se complacet in alio obiecto, illud sibi concupiscit, & optat. Quæ concupiscentia postea vel est efficax, vel inefficax, vt suprà dicebamus. Quando ergo voluntas se complacet in aliquo obiecto inordinato, & illud concupiscit sibi, vel potentijs alijs, vt turpem cogitationem intellectui, vel aliquẽ alium actum inordinatum alijs potentijs inferioribus, vt luxuriæ, vel huius generis, si voluntas plenè se complacet in illo obiecto inordinato, est peccatum mortale; si verò non se complacet plenè, neque concupiscit illud sibi, vel alijs potentijs inferioribus plenè, non est peccatum mortale. Adeo quòd habemus regulam cognoscendi quando consensus sit plenus, & perfectus ex parte voluntatis, & quando non. Si voluntas volitione efficaci se complacet in aliquo obiecto, quod est peccatum mortale, ita quòd non solum in illo se complacet, sed imperat media ad illud obtinendum, est consensus procul dubio plenus, & est peccatum mortale; si etiam in illo se complacet, sed tamẽ ex eo, quia ostenditur sibi impossibile, vel maximè difficile, non imperat media ad illud consequendum in se, vel in potentijs inferioribus, est etiam plenus cõsensus, & sufficiens ad peccatum mortale. Si autem offertur sibi obiectum inordinatum, & plenè cognoscit esse malum, & potentiæ inferiores, & ipsa voluntas, vt est naturalis potentia, habet inclinationem in illud, & posset tẽdere in illud, & per media consequi, nec tamẽ imperat media ad illud obtinendum, signum clarum est, illam in eo se non complacere plenè, neque peccare. Denique quando obiectum aliquod inordinatum præsentatur voluntati, & ipsa voluntas, etiamsi posset illud consequi, in illo non se complacet, nec delectatur, signum clarum est, quòd ei non consentit; & ideò non est peccatum mortale. Hoc autem cognoscere potest reflectendo actum intellectus super actum illum voluntatis, & considerando, an delectetur verè in illo obiecto inordinato, vel nullo modo delectetur, & sic cognoscet, an consentiat plenè, nec ne. Sed regula certior quando voluntas plenè consentiat habetur ex solutione dubij sequentis.

An cõsẽsus Interpretatiuus sit peccatum.

Dubium ergo graue est, An cum voluntati offertur ab intellectu obiectum aliquod inordinatum, vt actus luxuriæ inordinatus, & voluntas circa illud obiectum suspendit actum suum, & negatiuè se habet, seu potius neutraliter, quia nec habet velle nec nolle; sinit tamẽ intellectum versari in illius consideratione, nec illam auertit, cũ tamẽ posset, voluntas peccet. Idem dubium est de potentijs inferioribus, quas voluntas optimè medio intellectu cognoscit delectari in aliquo obiecto inordinato, nec eas impedit, & tamen posset. Aliqui dixerunt, voluntatem non peccare in hoc casu, quia requiritur cõsensus expressus in actũ peccati, non autem sufficere hunc consensum, qui dicitur interpretatiuus.

Opinio tenens partẽ negatiuã.

Alij dixerunt, eam in hoc casu solum peccare, si aduertat esse periculum consentiendi, in eo enim casu tenetur repellere, & nisi repellat, vel nitatur saltem repellere, aiunt, peccare mortaliter; sed si non aduertat esse periculum consentiendi, aiunt non esse peccatum mortale. Hæc opinio quò ad secundam partem est Angeli verb. *Cogitatio* n. 2. & tribuitur Adriano in 4. q. 5. de Eucharistia, præsertim §. 2. & Caietano in Summa verbo *Delectatio*, versiculo, *Magna tamen*. Eam tenet etiam Nauarrus in Manuali cap. 16. n. 9.

Refellitur.

22 Hæc opinio vt falsa repellitur à pluribus Doctoribus huius temporis. Ex Antiquis verò, alijs omissis, D. Bonau. in 2. dist. 24. p. 2. a. 1. q. 2. vbi hanc rem exactè tractat in vltimis verbis, asserit peccatum esse non posse, nisi vbi est consensus viri, scilicet rationis verus, vel interpretatiuus. D. Th. p. 2. q. 76. a. 6. asserit, voluntatem peccare, vel imperando illicitos actus inferiorum virium, vel post deliberationem non reprimendo. Certissimè autem hæc sententia est Scoti, quam ratione efficaci etiam ab alijs tacta insinuat in 2. dist. 42. q. 1. §. *Ad istas quæstiones*, quæ ratio probat, voluntatem peccare non repellendo motus illicitos virium inferiorum, siuè adsit periculum consentiendi plenè, siuè non. Ratio autem est ista, secundum Anselmum de peccato originali cap. 4. Voluntas est motor in toto Regno animæ nostræ, & omnia obediunt sibi, quæ est etiam assertio communis omnium Theologorum. Sicut ergo voluntas tenetur habere in actu suo rectitudinem, sic tenetur habere illam in alijs actibus exterioribus, ad quos cooperatur vt motor. Sicut igitur rectè mouendo potentias inferiores, actus earum sunt recti rectitudine participata; ita etiam per oppositum mouendo non rectè, actus earum non sunt recti rectitudine, quam voluntas illis dare debet; & ita mouendo eas non rectè, priuat eas illa rectitudine. Hæc est ratio Scoti, ex qua possumus sic deducere. At cum voluntas plenè cognoscit, intellectum, vel vires inferiores versari circa actum prauum, & illicitum, & non auertit illas ab actu illo, non mouet eas rectè, neque dirigit vt debet; ergo peccat, & actus illi mali imputantur ipsi voluntati, quæ est motrix illarum. Rursus Scotus eadem q. 1. in responsione ad secundum principale inquit, quòd licèt non sit in potestate voluntatis prima cogitatio, tamen complacere se in illa, & retinere intellectũ in ea, est in potestate voluntatis. Cum ergo potentia inferior, vel intellectus detinentur in aliquo actu inordinato, est in potestate voluntatis eas ab illo actu auertere; tenetur autem auertere, quia tenetur dare rectitudinem illis; ergo non auertendo, sed suspendẽdo actum suum, & neutro modo se habendo, peccat, quia tenetur ad alteram partem se determinare, scilicet ad bonam, & hæc est ratio efficax, & fundamentalis.

Opinio vera ratione Scoti probatur.

Ratio Vasquez reijcitur.

23 Ratio autem, quam adducit Vasquez ad hoc p. 2. disp. 108. cap. 2. quæ est, quia prima radix voluntarij, & liberi est cognitio, qua deficiente cessat libertas; & vbi adest ipsa plena cognitio, ibi est voluntarium, & proinde si voluntas debeat reprimere aliquem actum, & illum cognoscens non reprimat, ille actus est illi plenè volũtarius, nulla est: procedit enim ex illo falso fundamento, quod infrà reijciemus, scilicet primam radicem libertatis esse in intellectu: nos enim sustinemus, primam radicem libertatis esse in voluntate, deinde patet, quòd stante plena apprehensione intellectus alicuius obiecti vel in intellectu, vel in potentijs inferioribus, potest voluntas nec velle, nec nolle; isti enim duo actus non sunt contradictoriè oppositi, sed contrariè, & ideò potest dari medium, scilicet suspẽsio actus, & respectu vtriusque voluntas se potest habere negatiuè. Non ergo ex eo, quia plenè cognoscit actum illum, sequitur, quòd voluntas illi plenè consentiat. Ratio ergo vera est, quia voluntas est Regina, & motrix potentiarum intellectus, & inferiorũ, & tenetur illas rectè mouere; ideò cum non rectè mouet, vel positiuè mouendo illas ad illicitos actus, vel negatiuè non remouẽdo illas ab actibus illicitis, ipsi voluntati malitia imputatur. Regula ergo generalis ad cognoscendum quando voluntas plenè consentit est, quando præcipit media ad consequendum obiectum volitum, vel præciperet si posset consequi, vel quia non remouet, nec impedit intellectum, & potentias inferiores ab illicitis actibus. In duobus primis est consensus expressus, in tertio est consensus interpretatiuus.

Quando actus volun

24 Adhuc aliud dubium occurit, An scilicet actus illicitù mortaliter in se inuoluntarij, voluntarij tamen in causa,

tarij ex causa sint peccata.

causa, sint peccata mortalia: quandoque enim actus illiciti mortaliter sunt voluntarij, quia etsi in se directè non sint voliti, tamen indirectè sunt voliti, scilicet, quia causa, à qua pendent, est volita; & sic dicuntur voluntarij ex causa. Ad hoc breuiter secundum omnes respondetur, quòd motus inordinati ex duplici causa accidere possunt; vel ex causa illicita, vel licita. Si causa sit illicita, vel est illicita, & mala venialiter, vel mortaliter: si venialiter, actus est malus venialiter: si mortaliter, actus est malus mortaliter, (requiritur autem semper quòd sit præuisa, & potuerit vitari, vt dictum est de actibus ipsis: hæc enim duo semper requiruntur in omni actu peccati) & sic actus luxuriæ mortalis, vt pollutio nocturna, inuoluntarius in se, causatus à causa mala venialiter, est actus malus venialiter, non mortaliter: actus verò luxuriæ mortalis, & huiusmodi, in se inuoluntarius, causatus à causa mortali, est mortalis. Si verò causa est honesta, etiam si præuideatur futurus aliquis motus inordinatus, non imputatur actus neque ad veniale, neque ad mortale. Vt si ex confessione alicuius mulieris præuideat confessarius in se ipso futurum aliquem inordinatum motum, & tamen audiat confessionem, & sequatur motus inordinatus, ille motus non est peccatum quia oritur ex infirmitate naturæ: neque propter sequelam illius motus orientis ex imperfectione naturæ debet quis cessare ab audienda confessione, vel ab illa causa honesta quæcunque sit: neque enim opus aliàs bonum propter hoc periculum debet ommitti; sed in tali casu incũbendum est orationi, & fidendum diuinæ pietati, quòd adiuuabit laborantem in tali periculo. Ratio prioris partis, scilicet quòd quando causa fuit mortalis, actus mortalis sequens ex illa causa sit mortalis, est, quia licèt in se non sit volitus, tamen fuit volitus in causa, à qua dependet; & sic est volitus voluntate antiqua, non noua. Quod si quãdo effectus sequitur etiam non reprimatur, sed adhuc in se sit volitus, est peccatum nouum, quia tunc voluntas etiã tenebatur vitare illum; & sic quia habet volitionem nouam illius actus illiciti mortaliter, facit peccatum nouum mortale. Et hoc est, quod docuit Scotus in 2. dist. 42. q. 3. in Respõsione ad secundum principale, cum respondens ad obiectionem factam ibi contra solutionem argumenti, quæ erat, quod primi motus sunt peccatum, quia volũtas non præuenit illos, dixit, quod tunc non est in eis peccatum commissionis, sed omissionis; voluit enim dicere, quòd tunc primi motus inordinati sunt peccata, quando voluntas potuit præuidere causam illorum, & vitare, seù impedire, & non impediuit: tunc enim peccauit peccato omissionis; & illa omissio, si motus, qui præuidebatur sequi, erat mortalis, fuit mortalis: & sic primi motus tunc essent voluntarij in causa, & proindè essent tunc peccata, & mortalia, si essent de obiecto mortali. Sed tunc illi motus non essent veri primi motus, quia non præcederent cognitionem intellectus, sed subsequerentur.

Opinio Scoti.

Secunda cã q̃ actus de mortali fit veniale, est paruitas rei.

25 Secunda causa, propter quam actus de suo genere mortale peccatum fit veniale, est paruitas rei. Hæc est assertio communis omnium Theologorum, quam assignãt agendo de furto; dicunt enim furari paruam, & leuem rem, vt puta furtum vnius acus, vel vnius pennæ, non esse peccatum mortale: quia excusatur propter paruitatem, & leuitatem rei. Sic habet D. Thomas 2. 2. quæst. 66. art. 5. ad tertium, & eam supponit p. 2. quæst. 88. art. 5. & 6. eandem supponit Scotus vbique, præsertim in 2. dist. 21. q. 1. in responsione ad secũdam pro opinione, vbi ait, quòd leuis motus per surreptionem de aliqua opinione circa articulos fidei non est peccatum mortale: & tamen malè opinari circa articulos fidei est peccatum ex suo genere infidelitatis, quod est ex suo genere mortale. Eandem sententiam tradit Adrianus quolib. 8. & Sanctus Antoninus secunda parte titulo 4. cap. 5. §. 7. & 8. & communiter alij hoc, vt verissimum supponunt. Nauarrus autẽ, qui tenet hanc sententiam in Manuali cap. 11. nu. 4. eam probat auctoritate D. Aug. Homilia de igne Purgatorij adducta à Gratiano dist. 25. cap. *Vnum*. §. *Ad hos autẽ*. nàm eo loco referens D. Aug. peccata minuta, quæ venialia sunt, inter alia enumerat ista. *Ebrietas, si assidua sit*. Ebrietas ergo secundum D. Aug. est ex suo genere peccatum graue, & mortale: enumerat enim eam inter mortalia; tamen inquit, *si assidua sit*. Est ergo mortalis ebrietas si assidua sit; ergo si non sit assidua, sed casualis non erit mortalis; ergo ex leuitate fit venialis. Rursus ibi inter mortalia peccata enumerat. *Si plus proximum, aut filium aut vxorem, aut seruum exasperauerit, quàm oportet*. Exasperare autem proximum est ex genere suo mortale, quia est contra charitatem debitam proximo, & tamen ex leuitate, & paruitate materiæ fit veniale.

26 Ratio autem est, quam assignat D. Thomas vbi suprà ad tertiam: quia, quod est modicum, apprehenditur à ratione quasi nihil: ideò in his, quæ minima sunt, homo non reputat nocumentum sibi inferri. Proinde inconueniens est asserrere, quòd Deus pro huiusmodi paruis, & modicis offensionibus puniat creaturam rationalẽ æterna pœna. Et confirmatur ex differentia inter peccata venialia, & mortalia superius adducta ex D. Aug. & alijs. Clarum est autem, quòd in genere superbiæ, detractionis, & iniuriæ in proximum sunt quædam actiones ita leues, quod non sunt peccata mortalia; vnde Scotus in 3. dist. 25. quæst. 1. §. *Sed hic occurrit*, ait, quod est difficile cognoscere in quo gradu superbia sit peccatum mortale, vel gula: quia nec multi in scientia experti hoc sciunt, sed circa hoc sunt altercationes. Clarum est ergo, quòd aliquis actus superbiæ, & gulæ, quæ ex se, & suo genere est peccatum mortale, sit peccatum veniale; hoc autem non potest esse nisi ex leuitate, & paruitate materiæ.

Quomodo peccatum ex mortali fiat veniale propter ignorantiam, & ex dispensatione, & causa iusta.
Caput Secundum.

27 EST communis consensus Doctorum Scolasticorũ, quos infrà addocam, ignorantiam excusare à peccato, & consequenter à mortali: & ratio est, quia ignorantia causat inuoluntarium; peccatum autem non est, nisi sit voluntarium, vt patet. Quæ doctrina nedum est Theologorum, sed Arist. 3. Ethicorum cap. 7. Verùm quia non omnis ignorantia excusat à peccato, quia non omnis ignorantia causat inuoluntarium, videndum est, quæ ignorantia causet inuoluntarium.

28 Obseruãdum est ergo, quòd ex Scoto in 1. dist. 22. quæst. vnica, ignorantia varijs modis accipitur. Aliquando accipitur pro nescientia simplici: hoc modo de ea loquitur D. Tho. p. 2. quæst. 76. art. 2. & hæc est simplex sciẽtiæ negatio tàm eorum, quę quis scire non potest; quomodo ponitur in Angelis, quia neque ipsi possunt scire omnia secundum Dionisium 7. cap. de Cæleiti Hierarchia, quàm etiam eorum, quæ quis scire potest, sed non sit, ita quod illorum habet simplicem negationem: & talis ignorantia ab Arist. 1. Post. cap. 12. appellatur ignorantia simplicis negationis. Hæc nescientia distinguitur ab ignorãtia propriè dicta: quia ignorantia propriè dicta est priuatio scientiæ, quam quis habere aptus natus est. Secundò ignorantia aliquando accipitur pro errore: & hæc constituit conscientiam erroneam, quando scilicet aliquis iudicat rem aliter esse, quàm sit: quæ solet dici ignorantia prauæ dispositionis ab Arist. vbi suprà. Dantur aliæ distinctiones, & acceptiones de ignorantia, de quibus infrà. In præsenti non est sermo de nescientia, nec de ignorantia pro errore accepta, sed de ignorantia propriè accepta, quę est priuatio scientiæ, quam quis est aptus natus habere. Hæc ex Scoto vbi suprà, & ex D. Tho. p. 2. quæst. 6. art. 8. est triplex, vel enim præcedit peccatum, vel cõcomitatur, vel subsequitur. Ignorantia antecedens est, quæ præcedit omnem actum voluntatis, ita quod nullo modo est volita, nec explicitè, nec implicitè, seù virtualiter. Ignorantia concomitans est, quæ habetur de aliqua re, quæ agitur, tamen etiam si illa res sciretur, adhuc illã res ageretur; vt, cũ

Ignorantia pro nesciẽtia.

Ignorantia pro errore.

Ignorantia propriè dicta triplex.

quia

quis occidit inimicũ ignorans esse inimicum, quẽ tamẽ si sciuisset esse inimicum, nihilominus occidisset. Hæc ignorantia concomitatur accidentaliter opus, sed non est causa operis. Ignorantia subsequens peccatum est duplex: alia subsequitur tanquam pęna peccati, vt contigit in Adã qui peccando, ignorantiam incurrit, & hanc certũ est nõ esse peccatum, quia vt ait rectè D. Bonau. in 2. dist. 22. art. 2. quæst. 2. est in nobis, sed non à nobis: ideò ipsa nec meremur, nec demeremur, sed est pœna peccati primi parentis. Alia ignorantia subsequitur actum volũtatis, quæ est voluntaria, idest causata ab actu voluntatis, & hæc est duplex, scilicet affectata, & crassa, siuè supina. Ignorantia affectata est ignorantia, quam voluntas vult, & affectat, vt per eam habeat excusationem peccati, vel vt non retrahatur à peccando, iuxta illud Iob 21. *Scientiam viarum tuarum nolumus*. Crassa, & supina est, qua quis potest scire aliquid, & debet illud scire, & tamen negligit scire: hæc enim ignorantia est voluntaria indirectè: quia cum quis possit, & debeat scire aliquid, & tamen non scit, imputatur sibi, quod nolit scire; & sic hæc ignorantia est voluntaria, & sequitur ad voluntatem ipsam.

Ignorantia affectata, et crassa.

29 Ad propositum, cum communiter Doctores dicũt ignorantiam excusare à peccato, hoc intelligunt de ignorantia pręcedente actum peccati, quæ appellatur ignorantia inuincibilis: contingit enim sæpè, quòd aliquis velit aliquid, quia ignorat illud esse peccatum, & malum; sed si sciret esse peccatum, non vellet, nec efficeret: vt cum quis adhibita diligentia nesciens aliquem transire per viam, proijcit sagittam, qua interficit hominem. Hæc actio excusatur à peccato, quia propter ignorantiam illam est inuoluntaria: si enim sciuisset, hominem transire illa via, non eiecisset sagittam. Hæc ergo ignorantia, quæ non est voluntaria, est, quę excusat à peccato, & propter hanc peccatum ex suo genere mortale fit veniale, vel nullũ. Ignorantia verò subsequens actum voluntatis, tàm affectata, quàm supina, licèt præcedat actum peccati, non excusat à peccato: quia illæ sunt voluntariæ. Et proinde actus, qui causatur ab illis est quoque voluntarius. Vndè qui iacit sagittam, & interficit hominem, quia non voluit adhibere debitam diligentiam, an homo transiret per viam, non excusatur à peccato, quia illud homicidium imputatur, vt voluntarium. Similiter qui noluit scire præcepta legis, ad quę obligatur, vt excusaretur à peccato, vel ne retraheretur à peccato, transgrediendo aliquod præceptum non excusatur: quia illa transgressio non est inuoluntaria, sed voluntaria. Ignorantia verò comitans non est causa peccati quantum est ex se: quia opus factum ex illa re vera non est voluntarium, quia voluntas affecta ignorantia comitante, vt e.g. occidens inimicum putans occidere feram, non ponit in voluntate rationem voluntarij actualiter: ad actum enim, vt sit voluntarius, requiritur, vt actu sit volitus: non autem sufficit, quod aliàs habitu fuerit volitus, & quando actu elicitur non sit voluntariè elicitus. Vndè licèt qui facit peccatum per ignorantiam comitantem peccet, non peccat, quia actus ille sit peccatũ propter ignorantiam, sed peccat propter affectum malum peccãdi, qui manet in operante cum ignorantia comitante: affectus enim ille est malus, & peccatũ; vndè etiamsi ignorantia illa non adesset, sed sciret, illum esse inimicum, adhuc illum occideret: ideò ratione illius affectus peccat, non quia actus ille sit voluntarius ratione ignorantiæ cõcomitantis, inquantum est peccatum; quod rectè obseruauit Vasquez p. 2. disp. 126. Vndè communiter ignorantia culpabilis ponitur duplex, scilicet affectata, & crassa, seù supina. Quæ doctrina de ignorantia etiam multis canonibus probatur, quos adducit Nauarrus in præludio 6. n. 8. licèt ad diuersas species ignorantiæ adducantur, vt est videre in illis, quorum aliquos infrà videbimus.

An ignorãtia secundũ se sit peccatum.

30 Cum autem dictum sit, quod ignorantia affectata, et crassa sunt peccatum, litigant Recentiores, An propriè, & secundum se ipsa ignorantia sit peccatum, an non. Et cum apertè Doctores D. Bonau. in 2. dist. 22. art. 2. quæst. 2. D. Thomas p. 2. quæst. 76. art. 2. Alensis 2. p. quæst. 112. m. 1. & ad tertium, & alij dist. illa 22. dicant, ignorantiã esse culpam, & peccatum, nituntur eos facere discordes, et aliquos asserrere, ignorantiam ipsam secundum se esse peccatum, & culpã: alios verò, vt D. Tho. asserrere, ignorantiam ipsam esse pœnam, & effectum peccati secundũ se, non autem culpam; sed culpam consistere in negligentia illa sciendi, & addiscendi. Et hos sequitur Vasquez p. 2. disp. 118. Sed hæc lis facilè dissoluitur secundum doctrinam Scoti superius probatam, quam habet in 2. dist. 42. §. *Ad quæstiones illas*, vbi ait, quòd malitia, & culpa formaliter est in voluntate, in alijs verò potentijs materialiter, & per participationem. Sola enim voluntas est liberum principium, ideò omnes actus aliarum potentiarum subsunt eius imperio; & propterea omnis carentia rectitudinis, & obliquitatis in illis imputatur voluntati. Ad propositum, ignorantia propriè est in intellectu, quia opponitur scientiæ, quæ est in intellectu; in eodem autẽ subiecto sunt habitus, & priuationes oppositæ, & propterea ignorantia est peccatum materialiter, & per participationem; sicut hæresis, & cogitatio illicita, quæ in intellectu ponuntur. Sicut ergo homicidium, furtum, & huiusmodi dicuntur secundum se peccata, licèt sint peccata solùm materialiter, quatenus sunt in potentijs exterioribus, & formaliter quatenus in voluntate: ita ignorantia secũdum se est peccatum materialiter, vt est in intellectu; licèt vt est in voluntate sit peccatum formaliter. Quod autem ignorantia secundum se sit peccatum, probatur ex eo, quia est contra præceptum, quo vnusquisque obligatur ad sciẽdum ea, quæ pertinent ad salutem consequendam; quod præceptum continetur in præcepto charitatis, quo vnusquisque se ipsum ex charitate diligere tenetur, & cõsequẽter ad ordinare se per illa media, quæ dicunt ad salutem, quorum vnum est cognitio eorum, quæ sunt media ad salutem vnicuique necessaria.

Solutio.

31 Rursus recentiores dubitãt, An ignorantia sit speciale peccatum distinctum à peccato, quod ex ignorantia illa committitur: vt, An ignorãtia affectata, per quam cõmittit quis homicidium, sit peccatum aliud diuersum ab homicidio, ita quòd sint duo peccata. Et aliqui asserunt, quòd sunt duo, alij quòd vnum tantùm, scilicet homicidium: alij distinguunt de ignorantia in speculatiuis, & ignorantia in practicis. Mihi autem ista omnia nugæ videntur. Breuiter patet, ignorantiam esse speciale genus peccati, sicut homicidium, furtũ, & reliqua huiusmodi: opponitur enim præcepto particulari, vt visum est; tamen non facit duo peccata cum actu particulari peccati, qui ex illo fit; vt cum quis ex ignorantia affectata occidit aliquem, homicidium illud non est duplex peccatum, scilicet semel propter homicidium, & semel propter ignorantiam. Ratio est, quia ignorantia non est circunstantia dans propriam malitiam illi actui; (vt iurare contra iustitiam, nimirum iurare occidendi aliquem, & huiusmodi actus, qui sunt contra duo præcepta) ignorantia .n. ista nihil aliud facit in illo actu, nisi quòd non excusat illum à peccato, & tamen si non esset culpabilis, excusaret. Remanet ergo actus ille particularis homicidij in suo esse, quod haberet, si scienter contra præceptum fieret, tunc quidem peccat quis peccato ignorantiæ, quando decernit nolle scire ea, quæ sunt sibi necessaria ad salutem, vt excusetur à peccato: sed ille actus deinde nihil facit circa actus peccaminosos, qui ex illo procedunt, nisi quòd ignorantia procurata, & causata per illum actum, non excusat illos à ratione peccati.

An ignorãtia sit speciale peccatum.

32 Scotus vbi suprà, & communiter Doctores distinguunt ignorantiam illam triplicem, scilicet inuincibilem, quæ præcedit actum voluntatis, & ignorantiam affectatam, & crassam, in ignorantiam iuris, & facti, & quærũt, An ignorantia tàm iuris, quàm facti excuset à peccato, vel quænam illarum. Et dimissa ignorantia affectata, & crassa tàm iuris, quàm facti, quas diximus non excusare à peccato, remanet videndum, quid sit dicendum de igno-

De ignorãtia iuris, & facti.

rantia

Quæ sit ignorantia iuris, & facti.

rantia iuris, & facti inuincibili, an hæc semper excuset. Ignorantia iuris est ignorantia legis, vel precepti, quo aliquid prohibetur, ne fiat, vel precipitur vt fiat. Ignorantia facti est, qua ignoratur res ipsa prohibita, vel precepta, vt e. g. prohibetur, ne occidatur homo: quis autem occidit hominem putans esse feram, hæc est ignoratia facti: quia ille ignorauit factum illud, scilicet illam occisionem esse homicidium. Loquendo primò de ignorantia iuris, cum lex sit triplex, scilicet diuina positiua, diuina naturæ, & lex humana. De vnaquaque est videndum, An ignoratia illarum excuset à peccato, & sit inuincibilis. Dicitur autem ignorantia inuincibilis, quæ superare non potest adhibito quantocunque studio, & diligentia; & dicitur inuincibilis ad distinctionem ignorantiæ affectatæ, & crassæ, quas si voluntas vellet, posset repellere, & vincere; Vndè quia illas non vincit, nec superat, dicuntur illæ ignorantiæ esse à voluntate volitæ: & ideò non faciunt actum inuoluntarium, vt suprà diximus.

Ignorantia inuincibilis, quæ.

De ignorãtia iuris diuini quò ad infideles, an excuset à peccato.

33 Quãtum ergo ad ius diuinum potest esse sermo de infideli, & de fideli. De vtroque est dicendum. Et primò quidem videtur Scotus asserrere vniuersaliter ignorantiam iuris diuini nullum excusare ab eius obseruatione, & proindè nullam esse ignorantiam iuris diuini inuincibilem, sed omnem esse vincibilem; & consequenter esse culpabilem: Et hoc dicere videtur in hoc 4. dist. 6. q. 8. vbi loquitur de pœna rebaptizationis. Sed, vt diximus eo loco, Scotus ibi est intelligendus eo modo, quo se explicat in 3. dist. 25. dum docet, quàm fidem explicitam teneantur habere fideles de mysterijs fidei, vbi sine dubio admittit aliquam ignorantiam iuris diuini esse inuincibilem inter fideles, de qua nunc infrà dicemus.

Opinio negatiua.

Alensis.

34 Quantum ergo ad infideles, nonnulli Theologi dicunt, nullum infidelem absque culpa ignorare posse ea, quæ sunt iuris diuini, & fidei nostræ: & hæc opinio tribuitur Alexandro de Ales p. 2. q. 112. num. 8. qui tamen non dicit apertè, omnem ignorantiam infidelis esse culpabilẽ, sed loquitur de ignorantia fidei. Et ad dubium, An puer clausus in carcere à Saracenis ab infantia, peccet ignorando ea, quæ sunt fidei. Respondet, quòd cum venerit ad vsum rationis si faciat quòd in se est, idest seruet legem naturę, vocabitur vocatione interiori, vel exteriori à Deo, & docebitur in necessarijs ad salutem. Tribuitur etiam D. Bonau. in 3. dist. 25. a. p. q. 2. ad vltimum, & q. 3. ad penultimum. Sed ibi ipse quoque loquitur de ignorantia fidei, & loqui videtur de Christianis, & patribus antiquis, quibus aliqua cognitio vera diuinitatis reuelata fuerat; neque dicit, vllam omnino ignorantiam fuisse inuincibilem, sed aliquam. Tribuitur autem alijs multis, vt Altissiodorensi in Summa lib. 3. tractatu 3. cap. 2. q. 3. in prima q. ant dubio incidente. Alberto in 2. d. 22. a. 10. Adriano quolib. 2. sine argumentis q. 1. ad secundum, Gersono alphabeto 61. littera K. & alijs multis, qui nedum loqui videntur de ignorantia fidei, sed de ignorantia etiam preceptorum diuinorum.

1. Ratio.

35 Pro hac sententia adducitur illa ratio. Facienti, quòd in se est, Deus non denegat gratiam suam, & necessaria ad salutem; ergo quicunque est negligens non faciẽdo quòd in se est, sua culpa est, si non illuminetur interius, vel exterius: si enim faceret quòd in se est, Deus mitteret illuminationem exteriorem, vel interiorem, & sic vitaret ignorantiam. Tunc autem quis facit quòd in se est, quando non solum propria industria, & oratione postulat à Deo illuminari, sed etiam peritiores consulit. Alij addunt etiam preparationem ad iustificationem, seù penitentiam peccatorum esse necessariam. His adhibitis pro certo habent, Deum illuminaturum fore certè eum interius, vel exterius p aliquẽ Doctorẽ, vel aliquo alio modo.

2. Ratio.

36 Secundò. Nisi hoc dicamus, sequeretur, quòd, aut aliquis sinè fide saluari posset, quòd est contra illud Apostoli, *Sinè fide impossibile est placere Deo*, aut quòd alicui esset impossibilis salus, quòd est erroneum. Consequentia autem est euidens, quia si sinè fide est impossibilis salus: & infideli est impossibilis fides; ergo illi esset impossibilis salus.

3. Ratio.

37 Preterea. Post Apostolorum predicationem sufficienter innotuit toto orbi fides Christi; ergo saltem post predicationem Apostolorum ignorantia infidelium est inexcusabilis. Antecedens est Apostoli ad Romanos 10. *Et quidem in omnem terram exiuit sonus eorum*, &c. Ergo saltem ignorantia fidei Christianæ necessariæ ad salutem in infidelibus est peccatum: licèt aliorum preceptorum legis Christi ignorantia possit esse inuincibilis.

4. Ratio.

38 Quartò. Ponamus casũ, quòd aliquis habeat ignorantiam mysteriorum fidei Christianę, & nullum habeat peccatum actuale: vel iste saluabitur, vel damnabitur: non saluabitur, quia requiritur fides; ergo damnabitur. Tunc quæro, vel punietur sola pœna damni, & hoc non, quia hæc solis pueris decedentibus sine baptismo deputata est; ergo punietur pœna sensus: at pœna sensus intelligitur solum propter peccatum actuale; ergo dicendum est, ignorantiam fidei in illo esse peccatum actuale mortale.

Opinio probabilior.

39 Ego puto in hac re veram esse opinionem Recentiorum communem, quæ asserit, in infidelibus posse dari ignorantiam inuincibilem, quæ excuset à peccato: neque puto Alexandrum Alensem, D. Bonau. & multos ex citatis pro opinione precedenti ab hac sententia discrepare, si attentè considerentur prima pars huius opinionis, quam expressè tradidit D. Thom. 2. 2. q. 10. a. 1. dum dixit, circa mysteria fidei posse esse infidelitatem negatiuam absque peccato, & infideles eos, qui habent solam infidelitatem negatiuam non damnari propter illam, sed propter alia peccata, quæ faciunt. Scotus vbi infrà. Durandus in 3. dist. 25. q. 1. ad primum. Almaynus tractatu 1. moralium cap. 4. propositione secunda. Victoria relectione de Indis Insulanis concl. 1. & sequenti. Vasquez p. 12. disp. 121. cap. 3. qui alios citat, & sequitur, & alij multi. Probatur efficaciter hac ratione. Illa ignorantia facit inuoluntarium, & est inuincibilis, quæ precedit actum voluntatis, non ab illo prouenit, idest non est affectata, nec crassa, sed adhibita omni diligentia possibili est insuperabilis; sed sic est, quòd in multis infidelibus reperiri potest talis ignorãtia mysteriorum fidei, & preceptorum Christi; ergo talis ignorantia eos excusat à peccato infidelitatis. Minor probatur exemplo adducto ab Alexandro Alensi de paruulo infideli à pueritia ante vsum rationis incluso in carcere, in quo nihil vnquam audiuit de vera Religione. Vel de nutrito in syluis, quòd exemplum affert Scotus in 1. q. Prologi, vt diximus in primo 1. disp. qui similiter nunquã audiuit aliquid de vera Religione Christi, & proindè nec potuit suspicari dari Religionem aliquam veram, quam teneatur sequi; & proindè non potuit, nec rogare Deum, vt eum illuminaret ad cognoscendum hanc veram Religionem, nec potuit aliquos cõsulere de veritate huius Religionis; vbi enim nulla est precognitio, vel dubitatio, nulla potest aduenire cogitatio de petendo consilium.

40 Preterea. Simplices inter infideles, vel hæreticos, si dubitent aliquando de sua Religione, videntur satisfecisse suæ conscientiæ, si adeant eos, quos ipsi, & alij sibi proximi communiter putant esse sapientes: si autem illi confirmarent eos in suo errore, videntur excusandi, quia fecerunt, quòd potuerunt, & quòd sibi videbatur fuisse faciendum in conscientia. Ignorantia ergo ista est inuincibilis. Adsunt preterea authoritates D. August. expressæ, quas infrà nunc adducam.

Secunda pars huius opinionis veræ probatur.

41 Secunda pars nostræ assertionis probatur: nam cũ Alexander, D. Bonau. locis citatis, cum quibus etiam facit Scotus: (adducit enim exemplum de nutrito in syluis, vt diximus suprà, ac de eo sentit idem quod Alexander,) dicunt, ignorantiam in infideli mysteriorum fidei non excusare eum à peccato, non intelligunt, quòd non excuset à peccato ipso particulari infidelitatis, sed intelligunt, quòd non excuset eum à reliquis peccatis suis, ita quòd saluetur eo modo, quo saluantur fideles; sicut tenet etiam D. Tho. & eorum ratio hoc ostendit: nam dicunt, quòd potest fa-

cere

cere quòd in se est cum auxilio diuino; & quòd si faceret quod in se est, Deus illi non denegaret gratiam suam, & alia dona necessaria ad salutem. Voluit ergo dicere, quòd potest seruare legem naturæ cum gratia, & auxilio preueniente Dei, quod Deus nulli denegat; si autem seruaret legem naturæ, Deus paulatim eum illuminaret, vel exterius per Angelum, vel aliquem magistrum, vel interius manifestando quid sibi esset credendum explicitè, vt fecit Cornelio Centurioni, vel dando fidem infusam, & implicitè absque explicita, vel saluando eum sinè fide, & Sacramentis, quòd Deus potest facere, quia non est alligatus Sacramentis. Infidelis ergo, qui non assentit gratię preuenienti, & auxilijs sufficientibus, quæ Deus nulli denegat, meretur non illuminari; & sic ignorantia fidei verè est in illis pęna suorum peccatorum. Et proinde licèt infidelitas eius excusetur propter predictam causam, tamen alia peccata eius, quæ in illa infidelitate habet, & si esset fidelis per remedia fidelium, vt sunt Sacramenta, delere posset, non excusantur propter illam eius ignorantiam, & sic propter illam damnantur.

Probatur ex D. Aug.

42 Hæc est sententia expressa D. Augu. multis in locis, sed prȩsertim Tractatu 89. in Ioannem super illa verba: *Si non venissem, & locutus eis non fuissem, peccatum non haberent*; Dicit enim Saluatorē dixisse allata verba de ijs, de quibus iam suprà dixerat, *Si me persequuti sunt, & vos persequentur*, &c. qui erant Iudæi infideles, qui habebant illud magnum peccatum, in quo omnia peccata continentur, quòd non credebant in Christum. Ibi autem paulò infrà habet hæc verba, quæ ad nostrum propositum apertè faciunt. *Sed quod adiunxit, atque ait, nunc autem excusationem non habent de peccato suo, potest mouere quærentes, Vtrum hi, ad quos non venit Christus, nec locutus est eis, habeant excusationem de peccato suo? si enim non habent, cur hic dictum est, propterea istos non habere, quia venit, & locutus est eis; si autem habent, Vtrum ad hoc habeant, vt à pœnis alienentur, an vt mitius puniantur? Ad hæc inquisita pro meo captu, Domino donante, respondeo, habere illos excusationem non de omni peccato suo, sed de hoc peccato, quo in Christum non crediderunt, ad quos non venit, & quibus non est locutus. Sed non in eo sunt numero hi, ad quos in Discipulis suis venit, & quibus per Discipulos loquutus est*, &c. Expressè ergo D. August. asserit, infideles laborantes in ignorantia inuincibili, quales sunt ij, qui de Christo nihil audierunt, excusari à peccato infidelitatis, non autem ab alijs peccatis, quæ in infidelitate habent, & faciunt.

Ad primā rationē pro prima opinione.

43 Ad primam rationem pro prima opinione respondetur, eam concludere, infideles non habere excusationem quò ad alia peccata, per quæ damnantur, non autem concludere, eos non habere excusationem quò ad peccatum infidelitatis. Ratio discriminis est, quia Deus dat omnibus auxilia sufficientia, & necessaria ad salutem, & lex naturę est omnibus nota, cum sit inserta cordibus nostris: ideò infidelis omnis habet media, quibus potest, vel vitare peccata, vel illorum veniam impetrare si faciat, quòd in se est, illis pręuenientibus auxilijs assentiendo; & sic patet, veram esse primam partem. At quòd quantum ad speciale peccatum ignorantiæ fidei excusetur, patet: quia ignorantia illa est omnino inuoluntaria, & insuperabilis, dicente Apostolo, *Quomodo credent sine prȩdicante?* necessaria enim est reuelatio, vel aliqua cognitio ad hoc, vt possit illi adhærere; est ergo illa ignorantia non culpę, sed pœnæ peccatorum aliorum; quia si benè vterentur auxilijs diuinis, illuminarentur, & sic reciperent veram cognitionem rerum sibi necessariarum ad salutem, & vitarent, vel delerent omnia alia peccata.

Ad secūdā.

44 Ad secundam respondetur, fidem esse necessariam posse intelligi, vel de infusa, vel de acquisita. Infusa est necessaria tantùm de lege ordinaria Dei, non secundum potentiam absolutam Dei. Acquisita verò neque etiam de lege ordinaria est necessaria semper, sed solum quando est publicata, & nota. Vndè qui habet ignorantiam inuincibilem, vt dictum est de nutrito in syluis, excusatur, & sine illa saluari potest, si seruet, vt dixi, legem naturæ.

Ad tertiā.

45 Ad tertiam respondetur, falsum esse, post predicationem Apostolorum innotuisse omnibus fidem Christi, & mysteriorum eius, vt patet nunc apud Indos, & simplices inter infideles, qui de Christi fide nihil audierunt, & si audierunt, non audierunt tali modo, vt possent illi credere, quia à suis magistris decipiuntur. Ad probationem ex Paulo, respondetur, eum solum inferre velle, quòd Deus nunquam dereliquit mundum, nec homines sinè aliquali gratia, & cognitione, licèt imperfecta Dei, qua potuissent eum inuocare, cui si assensissent, alia dona, & ipsam adiunxisset, vt fecit Cornelio Centurioni in Actis Apostolicis, sed quia illam repulerunt, indigni facti sunt reliquis abundantioribus donis.

Ad quartā.

46 Ad quartam respondetur casum illum esse impossibile: quia si quis perueniat ad adultam ætatem, licèt non habeat cognitionem mysteriorum fidei, vel seruat legem naturæ, & sic ei dat Deus fidem infusam, seù internam solùm, & implicitam, vel internam, & externam, & sic saluatur; vel absolutè sine fide saluat; vel non seruat legem naturæ, & sic peccat mortaliter, & damnatur in inferno.

De ignorātia inuincibili inter fideles.

47 Quantum ad fideles, nulli dubium est aliquorum mysteriorum fidei ignorantiam inuincibilem dari: nam Scotus in 3. dist. 25. q. 1. & alij Theologi eadem dist. & D. Tho. 2. 2. q. 2. a. 7. asserunt quidem fidem infusam de omnibus credibilibus semper fuisse, & esse omnibus necessariam; similiter fuisse, & esse necessarium habere actum implicitum de omnibus credibilibus: at loquēdo de actu explicito, dicunt non fuisse, nec esse necessarium, omnes habere actum explicitum de omnibus credibilibus; sed distinguunt, simplices in Ecclesia teneri ad habendum actum explicitum circa illos articulos, qui in Symbolo Apostolorum continentur, & proponuntur communiter ab Ecclesia fidelibus, & maximè circa eos, qui sunt faciles captu; circa alios articulos verò, & maximè difficiles, sufficit, quòd habeant actum explicitè in generali, scilicet quòd credant quod credit Ecclesia. Et ratio Scoti est, quia nemo ad impossibile tenetur; impossibile est autem, simplices habere cognitionem distinctam omnium articulorum fidei, cum multorum illorum neque simplices terminos agnoscāt; in his ergo simplicibus datur ignorantia inuincibilis, quæ eos excusat à peccato. Maiores verò in Ecclesia tenentur scire omnes articulos distinctè; ratio est, quia nisi maiores scirent omnes articulos, & fidē rectam, facilè fides simplicium deficeret. Vndè D. August. lib. 14. de Ciuitate Dei cap. 1. citatus à Scoto, ait, *Aliud est scire tantummodo, quid homo credere debeat propter adipiscendam vitam beatam, quæ non nisi æterna est; aliud est scire quemadmodum hoc ipsum, & pijs opituletur, & contra impios defendatur, quòd est maiorum in Ecclesia.*

Vasquez p. 2. disp. 122.

48 Addo cum nonnullis Recentioribus, etiam simplices excusari ab ignorantia quorundam articulorum, etiā facilium; quia nec à Parochis, nec à parentibus circa illos instruuntur; neque alios adire vel possunt, vel sciunt, qui illos in illis instruant: vt sunt quidam rustici valdè agrestes in syluis, & montibus nutriti, quos proindè eorum cognitionem explicitam habere, est maximè difficile.

Obiectio ex Scoto.

49 Sed contra hoc esse videtur Scotus, qui in 4. dist. 6. q. 8. loquens de pœna, quam incurrunt qui rebaptizant aliquem, apertè ait, quòd ignorantia iuris diuini prohibentis baptizari non excusat à peccato, nec à pœna infligenda à Deo propter illud: & idem dicit de lege humana. Respondetur, quòd ibi loquitur de lege pertinente ad statum proprium Parochi, & habentis curam animarum; ignorantia autem illa non potest esse inuincibilis; ideò non excusat, vt infrà dicetur.

An iuris naturalis detur ignorātia inuincibilis.

De ignorantia verò iuris naturalis est difficultas, An illa aliquando excuset, & sit inuincibilis. Nonnulli Theologi

logi respondent absolutè, ignoratiam iuris naturalis non excusare, & non posse esse inuincibilem. Sic respondet Alensis 2.par.q. 153.m. 3. & hanc sententiam desumit ex Gratiano, quem ibi citat 1. quæst. 4. in cap. *turbatur* §. *Notandum*, quem locum citat quoque Nauarrus in Manuali preludio 6. num. 8. Durandus in 3. dist. 25. quæst. 1.ad 1. Alphonsus de Castro libr. 2. de lege pœnali capit. 14. & alij.

Refellitur. 50 Hæc opinio sic vniuersaliter prolata non videtur vera: ratio est, quia sæpius, licèt aliquis habeat vniuersalē notitiam de preceptis vniuersalibus naturæ, tamen in applicatione ad conclusionem particularem potest accidere aliqua circunstantia, propter quam excuset eum à transgressione illius. Exempli gratia. Potest aliquis scire vniuersaliter, quòd non est mentiendum, tamen in aliquo casu particulari, vt pro tuenda vita, potest aliquis existimare licere: siuè non ita clarè deduci in casu particulari quo immineat periculum mortis, obligare; ergo tunc hæc ignorantia excusabit, & sic erit ignorantia inuincibilis.

Opinio vera. 51 Proindè ego iudico dicēdum cum Scoto in 3. dist. 37. q. vnica, & 4. dist. 17. A. quòd precepta legis naturæ sunt in duplici discrimine: quædam sunt de iure naturæ strictè sumpta, & ista sunt precepta illa prima practica, quæ ex terminis esse vera nota sunt; sicut principia prima in speculabilibus sunt, quæ ex terminis nota sunt. Et rursus conclusiones, quæ ex illis euidenter, & necessariò deducuntur, & huiusmodi, sunt precepta Decalogi primæ tabulæ. Illa enim sunt conclusiones euidentes, & necessariò deductæ ex primis principijs practicis. Quædam alia verò sunt precepta legis naturæ largè loquendo, non strictè, quia scilicet sunt multum consona legi naturæ, licèt nō sequantur necessariò, & euidenter ex principijs primis practicis, quæ nota sunt ex terminis, & omni intellectui apprehendenti terminos sunt necessariò nota. Huiusmodi sunt precepta omnia secundæ tabulæ, quia eorum notitia est valdè cōsona primis principijs practicis necessariò notis: licèt necessariò, & euidenter non deducantur ex illis. Quòd autē precepta secundæ tabulæ non sint prima principia practica vera, est notum, & concessum. Quod etiam non sint conclusiones necessariò, & euidenter deductæ ex primis illis principijs, probat Scotus allata q. §. *ad quæstionem igitur*, hac ratione: quia in preceptis secundæ tabulæ affirmatiuis, bonitas quæ precipitur, nō est simpliciter necessaria ad vltimum finem consequendum; & malitia, quæ prohibetur in negatiuis non est simpliciter abductiua ab vltimo fine. Hoc non probat ibi Scotus, sed infrà. §. *contra primum*, hoc probat soluendo obiectionem ibi motam. Vndè breuiter ex eo colligo hanc rationem. Quicunque obseruat preceptum charitatis, *Diliges Dominum Deum*, &c. *& proximum tuum*, &c. adimplet legem. & saluatur, quia iuxtà dictum Saluatoris Matt. 22. *In his duobus mandatis pendet tota lex, & Prophetæ*; sed precepta secundæ tabulæ non includuntur necessariò, nec necessariò sequuntur ex his; ergo non sunt simpliciter necessaria ad salutem (loquendo de eis quatenus pendent ex hoc precepto charitatis, non quatenus explicata, & precepta sunt deindè à Christo Domino, quia sic sunt necessaria ad salutem.) Minor probatur, quia diligere proximum, est velle proximo ipsum diligere Deum; possum autem velle proximo eum diligere Deum, absque eo quòd cogar velle vt non occidatur, vel non adulterium patiatur, vel res eius furentur, & similia, quia ista non necessariò sequuntur ex precepto dilectionis proximi inquantum est preceptum naturæ, si quidem dilectio proximi est velle illi, vt diligat Deum; reliqua sequuntur ex eo secundum explicationem Christi Domini, vt dictum est.

52 Ad propositum ergo dicendum est, quòd de præceptis legis naturæ strictè sumptæ, vt de præceptis primæ tabulæ, non est ignorantia inuincibilis, nec excusabilis, sed omnis ignorantia illorū si in aliquibus est, ex vitio est, & culpa eorum, qui illa ignorant, si enim fecissent, quod in se erat, nec passionibus, & vitijs se tradidissent, illa non ignorassent, nec ignorarent, si modo aliqui sint qui illa ignorent. De præceptis verò secundæ tabulę, potuit apud aliquos esse ignorantia inuincibilis: vt quondam apud Germanos, qui existimabant, furtum non esse peccatum, teste Iulio Cesare lib. 6. de bello Gallico; & apud Lacedemones, adulterium non erat peccatum, teste Plutarcho in vita Licurgi. Ignorantia primorum principiorum, quæ omnibus patent, ab Arist. appellatur 3. Ethicorum cap. 1. ignorantia vniuersalis, quia est ignoratio de aliqua re vniuersaliter omnibus nota; & ait, hanc non excusare, quia omnes possunt illam superare, & excludere: ideò qui peccat per talem ignorantiam, non excusatur. Ignorantia autem præceptorum, vel conclusionū, quæ ex primis principijs deducuntur, appellatur ibi ab Arist. ignorantia secundum circunstantias, & ait, hanc excusare, quia nō omnes illas scire possunt; quod est dictu, quia non potest sciri, an ex primis principijs deducantur.

53 Hanc opinionem sequuntur Recentiores multi, licèt non hoc modo explicent, vt Corduba lib. 2. quæst. 4. concl. 1. Vasquez p. 2. disp. 122. & alij ex Recentioribus, dum dicunt primò, quòd prima principia vniuersalissima legis naturæ nullo modo vnquam ignorari possunt; & dum dicunt secundò, quòd precepta Decalogi quando occurrunt cum aliqua circunstantia, quæ videatur excusare, tunc ignorantiam eorum esse inuincibilem: hoc enim est dicere, non apertè deduci ea esse conclusiones necessarias, & necessariò deductas ex principijs primis per se notis; & dum tertiò dicunt, conclusiones remotiores, quàm sunt præcepta Decalogi deductas ex iure naturæ, quæ obscuriores sunt, posse ignorari inuincibiliter toto tempore vitæ.

54 Quantum ad legem humanam de regulis iuris in 6. Regula 13. habetur, quòd ignorantia facti excusat, nō autem ignorantia iuris: tamen hæc regula intelligitur in foro interiori, non exteriori, vt constat ex titulo de iuris & facti ignorantia, in Codice: quoniam in foro interiori quandoque excusat: quando scilicet facit actum inuoluntarium, & est inuincibilis, vt diximus suprà in principio huius capitis ex sententia omnium Theologorum suprà citatorum, (excepto Vuilelmo Parisiense, tractatu de legibus cap. 21.) asserentium, ignorantiam excusare: intelligunt enim vniuersaliter de omni ignorantia inuincibili, tàm iuris, quàm facti. De ignorātia legis humanæ. Ignorantia facti nō excusat in foro exteriori sed interiori tantum. D.Th.p.1. q.76.art.2. Scotus in 2. dist. 22. & alij citati.

55 Quando ergo ignorantia legis humanæ (est autem ignorantia iuris humani ignorantia legis, vel præcepti superioris, ad quod obseruandum tenetur sub pœna peccati) sit inuincibilis, & excuset à peccato, non est ita clarum. Aliqui dixerunt, illam ignorantiam esse inuincibilem, & excusare, quam quis faciendo quid quid facere debet, & communiter faciunt homines probi ad illam vincendam tamen superare non potest: & hæc regula ascribitur Almaino tractatu 1. moralium cap. 4. Sed hæc regula nō satisfacit, quia adhuc posset quis dubitare quādo homo adhibeat diligentiam debitam, & faciat quod communiter faciunt boni viri. Ideò alij dicunt primò supponendum esse, hominem scire omnia statuta, & leges humanas esse impossibile: proindè esse necessarium scire illas leges, & statuta, quæ ad proprium statum pertinent, vt Prætor debet scire leges Prætoris, & sic de alijs. Et rursus esse necessarium scire omnes leges, & statuta, quæ contractibus, & operationibus humanis deseruiunt quoties, quis facere vult aliquem talem contractum, aut aliquod huiusmodi opus: quod si ignoret, debet interrogare virum doctum, à quo instruatur, & hæc tribuitur Alphonso de Castro 2. lib. de lege pœnali cap. 14. Sed adhuc non sufficit hæc regula, quia potest contingere, quòd aliqua lex circa aliquē contractum sit statuta, de qua contrahens nullum verbū audierit, vndè nec dubitare possit, & consequenter non teneatur aliquem doctum consulere, & tamen hæc ignorātia excusabit. Quando ignorantia iuris humani sit inuincibilis.

56 Alij dicunt primò illam esse ignorantiam inuincibilem legis, quam quis habet de aliqua lege, eo quòd nul-

lam

lam vnquam habuit notitiam de illa lege, nec habuit vllam rationem dubitandi, nec in vniuersali, nec in particulari, an talis lex, & statutum detur. Probatur hæc pars, quia vt suprà dicebamus, non est in potestate nostra aliquid amplecti, vel fugere, nisi nos de illa re aliquam cognitionem habeamus. Non est autem in nostra potestate cogitatio rerum, nisi prius per sensus externos ad intellectum aliquod eius phantasma, vel in se, vel in alio delatum fuerit. Ex hoc sequitur, quod leges pertinentes ad proprium statum quisque scire tenetur, quia de his potest habere cognitionem, vel dubitationem, cum proprium statum cognoscere teneatur. Secundò, dicunt, illam esse debitam diligentiam, & excusare à peccato, quando quis interrogat peritos in ea re, vel aliam adhibet diligentiam sufficientem ad iudiciũ viri periti prudẽtis. Si viris peritis adhibitis, vel qui pro peritis cõmuniter habentur, adhuc non potest scire adesse aliquam legem, vel si aliqua adsit, non impedire talem actionem, hæc facit ignorantiam inuincibilem probabiliter, seù ignorantiam probabilem quia dicitur debitam diligentiam adhibuisse.

Ignorantia probabilis, quæ.

De ignorãtia facti.

57 De ignorantia facti eodem modo dicendum est: quando enim de facto aliquo nulla præcedit notitia, neque suspicio, neque in vniuersali, neq; in particulari, ignorantia illius est inuincibilis: quando verò præcessit aliqua dubitatio, debet quis consulere viros, à quibus veritas de tali facto cognosci possit, vt suprà, de ignorantia iuris dictum est. Quod si habita diligentia debita, adhuc ignorantia facti non potest vinci, illa ignorantia est inuincibilis probabiliter; seù est ignorantia inuincibilis non absolutè, sed probabilis, & excusat. Exẽpli gratia. Quis accedit ad vxorẽ non suam sibi expositam, putans esse suam, qui, quòd non sit sua, nec vllam habuit suspitionem. Hæc ignorãtia excusat à peccato, quia est inuincibilis: si verò adest aliqua dubitatio, & ipse quærit diligenter, an sua vxor sit; & adhibita diligentia prudenti, non potest expellere illã ignorantiam, quod sua non sit, sed adhuc putat esse suam, est ignorantia probabilis, siuè probabiliter inuincibilis, quæ excusat à peccato.

An dans operam rei illicitæ habeat ignorãtiã culpabilem.

58 Aliqui tamen dicunt, quòd ignorantia facti semper est vincibilis, & nunquam excusat, quando quis dat operam rei illicitæ: quando verò dat operam rei licitæ, semper est inuincibilis. Hæc opinio tribuitur Gabrieli Biel in 4. dist. 15. quæst. 14. ar. 3. dub. 2. dum asserit, illum, qui dat operam rei illicitæ, etiam si casu occidat aliquem in loco, vbi nullus esse consueuit, debere restituere damna homicidij. Scotus etiam in 4. dist. 6. quæst. 8. loquens de pœna rebaptizantis, videtur esse eiusdem sententiæ; ait. n. quòd occidens Sacerdotem nesciens esse, fieret irregularis, quia dat operam rei illicitę. Sed respondetur aliud esse loqui de peccato, aliud de irregularitate, Scotus illud dicit de irregularitate, non de peccato: ideò verum est quidem, illum incurrere pœnam irregularitatis propter Canonem id statuentem, at non incurreret peccatum, nec peccaret propter rationem dictam. Quantùm autem ad irregularitatem cum Scoto sentit D. Thomas p. 2. quæst. 73. art. 8. & alij multi. Oppositum autem tenet Vasquez p. 2. disp. 124. Sed de hoc agemus tractando de irregularitate, & alijs pœnis, & Censuris Ecclesiasticis.

Scotus.

Obiectio ex Genesi 20. de Abimelech, q. vxorem Abrahã sibi accepit.

59 Sed adest obiectio grauis, quòd ignorantia probabiliter inuincibilis nõ excuset à peccato, nam Genesi 20. Abimelech accepit Saram vxorem Loth in suam vxorẽ, ignorans esse vxorem Abraham, dixerat enim Abraham esse sororem suam, ex quo testimonio Abimelech ignorãtia probabilis fuit; & tamen Deus minatus est mortem Abimelech, quia Saram sibi accepit in vxorem.

Solutio.

60 Respondetur varias adesse responsiones. Hæc mihi placet adducta ab Adriano quolib. 4. ar. 1. & à Recentioribus, quod re vera Abimelech non peccauit hoc facto, quòd patet ex textu ipso scripturæ quò dixit Abimelech ad Deum. *Nunquid gentem ignorantem, & iustam interficis?* ergo Abimelech post factum illud erat iustus. Dicendum est ergo, quòd deces minatus fuit mortẽ Abimelech, non quia peccauerit, sed vt dimitteret vxorem Abraham propter honorem ipsius Abraham.

Dispensatio iusta excusat à mortali.

61 Vltima causa, propter quam peccatum mortale factum contra legem humanam ex genere mortale fit veniale, est, vel dispensatio iusta, vel causa iusta. Dispensatio iusta est ea dispensatio, quæ valet ipso iure, licet non fuerit iustè facta: vt habet diffusè Nauarrus in Manuali in præludio 9. citato num. 13. Etiam causa iusta excusat à mortali: illa autẽ est causa iusta, quam legislator, si adesset, eum pro excusato haberet. Ratio est, quia rationabilis causa semper excusat saltem à mortali transgressione legis humanæ: vt latè tradit Nauarrus in Manuali præludio 9. num. 16. & ratio communis Theologorum, & Legistarum est, quia omnis lex humana est iusta, cum descẽdit à lege diuina, sicut conclusiones practicæ à principijs practicis, vel quæ concordat legi diuinæ, vel ad minus ab illa non discordat, iuxta sententiam D. Aug. primo de libero arbitrio adductam à Scoto in 4. dist. 15. q. 3. G. Tunc autem est conformis legi diuinæ, quando ordinatur ad commuoem hominum salutem: & lex, quæ caret hoc, nòn habet virtutem obligandi, vt ait quoque D. Th. p. 2. quæst. 96. art. 6. contingit autem quandoque in aliquo casu particulari accidere aliquam causam, quæ efficeret obseruantiam legis cedere in damnum publicũ: ideò illa causa excusat ab obseruatione legis. Exemplum. Lex statuit, quòd in Ciuitate obsessa portæ Ciuitatis clausæ maneant; si tamen contingat, quòd Hostes insequantur aliquos Ciues per quos Ciuitas conseruatur, damnosissimum esset Ciuitati, nisi eis portæ aperirentur. Hæc causa ergo iusta est, propter quam quis excusatur ab obseruatione legis humanæ.

Causa iusta excusat à mortali.

Quinam actus vitiorũ sint ex genere mortalia peccata.

62 Hucusque vidimus qui sint actus, qui ex suo genere sunt peccata mortalia, & qui venialia: & quomodo ex mortalibus fiant venialia, & ex venialibus fiant mortalia. Reliquum esset ad perfectam cognitionem huius tractatus explicare, quinam actus vitiorum tàm capitalium, quã aliorum, sint ex genere suo mortalia peccata, & quę omissiones actuũ virtutum similiter sint peccata, ex suo genere mortalia. Verùm quia res hæc exigit discursum longum circa vitia, & virtutes pro nunc supersedebo: aliàs breuiter rem hanc positurus sub oculis vniuscuiusque, vt statim quis agnoscere possit, quando vel circa vitia, vel virtutes peccet mortaliter.

Regula generalis.

63 Pro nunc ex dictis hæc regula generalis elicitur, quòd illi actus vitiorũ soli sunt ex se, & ex genere suo peccata, qui speciali pręcepto obligante sub pęna peccati mortalis prohibentur: neque enim omnis actus superbiæ, vel gulæ est peccatum mortale ex suo genere: diximus enim suprà, hæc vitia esse capitalia, & mortalia, quia sunt primę radices peccatorum: & ideò actus ab illis prodeuntes possunt esse peccata mortalia, & venialia. Similiter omissiones illorum actuum virtutũ sunt peccata mortalia ex suo genere, quæ speciali præcepto obligante sub pęna mortali ad obseruantiã pręcipiuntur, neque omnis omissio actus virtutis est peccatum mortale, sed potest esse, vel mortale, vel veniale. Idem dicendum est de actibus circa sacramenta: actus enim illi, qui circa ea prohibentur modo prædicto sunt peccata mortalia: similiter qui sub eadem pœna pręcipiuntur, si omittantur, sunt peccata mortalia: illa verò sunt venialia, quæ sunt contra consilia tradita de actibus vitiorum fugiendis, & actibus virtutum amplexandis, vt dictum est. Ista autem ex venialibus fiunt mortalia, & ex mortalibus venialia modis supra explicatis: ideo ad hæc cognoscenda oportet noscere, quæ sint præcepta obligantia sub pœna peccati mortalis, in virtutibus, in vitijs, & Sacramentis, de quibus, vt dixi, aliàs Deo dante, &c.

DISPVTATIO VIII.

Vtrùm Deus sit causa peccati.

Quid sit certum in proposita difficultate secundùm fidem catholicam, & quid dubium, & quomodo à Durando, & Aureolo, & nonnullis alijs soluatur. Caput Primum.

1 Circa propositam difficultatem nulla est dissensio inter Catholicos quò ad cõclusionem principalem: omnes enim Catholici Doctores sustinent, Deum non esse causam peccati vt est videre apud Scolasticos in 2. Sent. d. 37. præsertim autem apud Scotum §. *Sed tunc restat videre, quomodo*, &c. Et D. Thoma p. 2. quæst. 79. art. 1. & hęc veritas, adeò est clara in Sacra scriptura, vt non nisi cęci hæretici nostrorum temporum ipsam negare possint: qui tamen, vt diligenter, & doctissimè obseruauit Bellarminus lib. 2. de amissione gratiæ, cap. 2. 3. & sequentibus, ore negant, sed tamen factis Deum esse causam peccati, quàm maximè affirmant, ne authoritatibus apertissimis Sacræ scripturæ aduersari videantur, vt breuiter videbimus. Nihil enim frequentius habetur in Sacra scriptura, quàm odium Dei contra peccatum: continuò enim Deus in scripturis, & per Prophetas, & Apostolos clamat, vt peccatores conuertantur, & derelinquant vias malas, & incumbant iustitię, & operibus bonis, quarum aliquas adducemus. Iudit 5. *Dùm non peccauerint in conspectu Dei sui erant cum illis bona; Deus enim illorum odit iniquitatem.* Ecclesiastici 26. *Qui transgreditur à Iustitia ad peccatum Deus parauit eũ ad rompheam.* Cap. 21. *Filij peccasti ne adijcias iterum, & de pristinis deprecare, vt tibi dimittantur, quasi à facie colubri fuge peccata.* Et cap. 15. *Non dixeris per Deum abest* (idest sapiẽtia) *quæ enim odit ne feceris: non dicas; ille me implanauit: non enim sunt ei necessarij homines impij: omne execramentum erroris odit Deus, & non erit amabile timentibus eum.* Et Iacob 1. *Neque cum tentatur, dicat, quoniam à Deo tentatur, Deus enim intentator malorũ est; ipse autem neminem tentat.* Isaiæ 1. *Vę genti peccatrici, populo graui iniquitate, semini nequam, filijs sceleratis: dereliquerũt Dominum, blasphemauerunt Sanctũ Israel*, &c. Et cap. 13. *Ecce dies Domini veniet crudelis, & indignationis plenus & iræ, furorisque ad ponendam terram in solitudine, & peccatores eius conterendos de ea.* Et paulò infrà. *Et visitabo super orbis mala, & contra impios iniquitatem eorum.* Dauid in Psalterio Psalm. 5. *Mane astabo tibi, & videbo: quoniam non Deus volens iniquitatem tu es. Neque habitabit iuxta te malignus, neque permanebunt iniusti ante*, &c. Et Psal. 10. *Qui diligit iniquitatem odit animam suam: pluet super peccatores laqueos: ignis, et sulphur, & spiritus procellarum pars calicis eorum. Quoniã iustus dominus et iustitias dilexit: æquitatem vidit vultus eius.* In quibus omnibus locis patet apertè scripturam loqui de malo culpę, & de peccato, non de malo pænæ. Et Psalmo 44. adducto ab Apostolo ad Hebreos 1. *Ad filiũ autem. Tronus tuus Deus in seculum seculi: virga æquitatis virga regni tui. Dilexisti Iustitiã, & odisti iniquitatẽ: propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo exultationis præ participibus tuis.* Et cap. 10. habet illa terribilia verba. *Voluntariè enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hostia; sed terribilis quædam expectatio Iudicij, & ignis æmulatio; quæ consumptura est aduersarios.* Et paulò infrà. *Horrendum est incidere in manus Dei viuentis.* Quibus apertè ait nos volũtariè peccare; ergo peccatum est à nobis non à Deo; & comminatur Iudeis non credentibus terribile iudicium; ergo Deus nõ fecit peccatum infidelitatis Iudeis; sed ipsi soli. Et Idem Apostolus ad Romanos 2. cum in priori capite enumerasset multa peccata, quæ gentes faciunt, in principio illius 2. cap. inquit. *Propter quod inexcusabilis es ò homo omnis, qui iudicas: in quo enim iudicas alterum, te ipsum condemnas, eadem enim agis quæ iudicas.* Et paulò infrà. *Existimas autem ò homo, qui iudicas eos, qui talia agunt, & facis ea, quia tu effugies Iudicium Dei? An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis; ignoras quoniã benignitas Dei ad pœnitentiã te adducit? secundum autem duritiam tuam, & impænitens cor tesaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis, iusti iudicij Dei, qui reddet vnicuique secundum opera eius*, &c. Pondera illa verba, *Secundum duritiam tuam & impęnitens cor thesaurizas tibi iram Dei.* Non ergo Deus vult peccatum, sed odit, & dum tu peccas per malitiam tuam, & obstinationem tuam abutens misericordia sua, & benignitate qui expectat te ad pœnitentiam thesaurizas tibi ipsi iram Dei: quia cum ad iracundiam prouocas, volens contra eius voluntatem peccare. Et denique tota scriptura, & doctrina eius tendit ad hunc scopum, vt homines faciant opera bona, & vitent mala, vt consequantur vitam æternam, iuxta illud. *Si vis ad vitam ingredi serua mandata.*

Iudit 5.

Ecclesiastici 26.

Eccl. c. 21.

Eccl. c. 15.

Iacobi 1.

Psal. 5.

Hebreos 1.

Hebreos 10.

Roman. 2.

Math. 19.

Hæreticorũ cæcitas.

2 Quare ego non video qua ratione potuerit venire in mentem istorum hæreticorum, qui profitentur se continuò Sacram scripturam habere præ manibus, Deum esse causam peccatorum propriè, & per se, sicut & bonorum operum; ita quòd non minus sit opus proprium Dei perditio Iudæ, quàm vocatio Petri, nisi quia cæci sunt, & duces cæcorum.

Hæresis noua, quod Deus sit cã peccati.

3 Dixi autem, hæreticorum nostri temporis, quia vt rectè adnotauerunt Recentiores scribentes contra eos, licèt quidam antiqui hæretici dixerint, Deum esse authorem mali, hoc tamen dixerunt in alio sensu, ac hæretici nostrorum temporum. Nam quidam illorum statuerunt duos Deos, bonum, & malum, & dixerunt, Deum bonum esse authorem boni, malum malorum, vt fuerunt Manichei, & quidam alij de quibus D. August. lib. de hæresibus cap. 27. & Recentiores copiosè suis locis: at non dixerunt, Deum bonum esse authorem mali, & peccatorum: immo illi hæretici non dixerunt, Deum bonum esse authorem mali culpæ, & peccati, sed dicebant, Deum malum esse causam quarumdam naturarum, & substantiarum, quas dicebant esse malas; contra quos latè disputat D. Aug. probans, omnem substantiam secundum essentiam esse bonam; at non dixerunt Deum esse causam per se, & propriè cuiuscunque adulterij, latrocinij, homicidij, blasphemiæ, sacrilegij, & huiusmodi actuum malorum culpæ. Quod etiam ipsi Phylosophi lumine naturali ducti reputauerunt impossibile, quòd enim Deus, qui est bonus, sit author mali, est destruere naturam ipsius Dei, & dicere repugnantiam, vt infrà magis patebit.

Cõcilium Arausicanum.

4 De hac autem veritate præsertim in Conc. Arausicano 2. cap. 25. habentur hæc verba. *Aliquos ad malum diuina potestate prædestinatos esse non solùm non credimus, sed etiam si sint, qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione in illos, anathema dicimus.* Et nouissimè in Conc. Tridentino præsertim sessione 6. can. 6. idẽ habetur, vt infrà videbimus, & per varias authoritates Sacræ scripturę preter superius adductas probatur à D. Thoma loco citato Sapientiæ 14. *Odio est Deo Impius, & impietas eius.* Et Sapientiæ lib. eodem capite 11. dixit. *Nihil odisti eorum quæ fecisti.* & 1. Gen. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* Deus autem odit peccatum, & peccatum est malum; ergo non est factũ à Deo.

Concilium Tridentinum.

D. Thom.

Scotus.

5 Scotus etiam vbi suprà in p. argum. ad oppositum eamdem veritatem probat per illud Ioan. 1. *sine ipso factum est nihil.* Vbi D. August. ait. *per Verbum, non est factum peccatum.* Ad hanc conclusionem adducit Scotus in eodem 2. dist. 37. §. *sed tunc restat videre*, &c. tres rationes desumptas ex Sanctis Patribus. Prima est ex D. August. lib. 83. q. q. 3. nullo homine sapiente authore homo fit deterior; at Deus est omni homine sapiente præstantior; ergo non Deo authore fit homo deterior, nec peccat. Maior probatur quia esse authorem, vt alius pec-

ect, non est parua culpa, sed tanta, vt neque in homine sapiente cadat; ergo multò minus cadere potest in Deo. Minor est euidens.

2. Ratio. 6 Secunda ex eodem lib. q. 21. Qui est causa omni enti vt sit, non est causa non essendi illi rei. Hæc maior probatur, quia esse est bonum, non esse est malum: qui ergo est causa essendi alicui rei, est causa boni illius rei: qui verò est causa non essendi illi rei, est causa mali illi rei: tunc sit minor: at Deus est causa essendi omni rei; ergo Deus non est causa non essendi alicui rei: at peccatum est non esse formaliter, & malum illi rei cui inest; ergo Deus, qui est causa boni, & esse, non potest esse causa peccati: quia simile à simili prouenit, & bonum à bono, non malum à bono prouenit.

3. Ratio. 7 Tertia ratio est ex D. Anselmo libro de libero arbitrio cap. 8. vbi conficit hanc rationem. Illa voluntas hominis est iusta tantùm, quæ vult id, quod vult Deus eam velle: iniusta verò est ea voluntas, quæ vult id, quod non vult eam velle: at si Deus vellet hominem peccare, vellet hominem velle id, quod Deus non vult eum velle, quæ est manifesta contradictio; est ergo impossibile Deum velle peccatum, & consequenter Deum esse posse causam peccati.

8 Verùm cōtra has tres rationes facit varias obiectiones Scotus, ac illas dissoluit, vt earum efficacia magis pateat, quas infrà, postquam veritatem aperuerimus, adducemus, & soluemus cum eodem magis hanc veritatem confirmando.

Deū nō esse causam peccati, est nobis assertio Theologorum, sed discrepant in explicando, quomodo sit vera.

9 Conueniunt ergo omnes Theologi in hac assertione catholica, quòd Deus non est causa peccati; sed differunt in explicando quomodo eadem sit vera. Pro cuius intelligentia notanda est communis distinctio, quod duo sunt in actu peccati, scilicet materiale, & formale: materiale est entitas, & substantia positiua actus peccati, vt operatio ipsa adulterij; formale est malitia, & deformitas illius actus, quæ est carentia debitæ rectitudinis, vt postea videbimus. Omnes Theologi dicunt, Deum non esse causam peccati pro formali, immo neque hæretici, vt postea videbimus, sed solùm pro materiali atque auctoritates, & rationes superius adductas dicunt probare, Deum non esse causam peccati pro formali; non autem probare eum nō esse causam peccati pro materiali.

Argumentum principale difficilimum.

10 Verùm adest hîc difficultas principalis quam Scotus sæpe repetit, circa quam soluendam laborant Theologi, & quam nescientes soluere hæretici, vel solutionem intelligere non volentes, factis Deum esse authorem peccati asseueranter affirmant. Difficultas ergo est, quia Deus secundum omnes concurrit, & operatur ad materiale peccati. At illud materiale habet annexam deformitatem peccati; ergo videtur Deus esse etiam causa peccati pro formali. Declaratur exemplo. Actus peccati est duplex: alter, qui habet semper annexam turpitudinem, vt odiū Dei: alter qui quandoque habet turpitudinem annexam, quandoque non, vt dare eleemosinam propter malum finem. Ad propositum, Odium Dei est actus malus ex obiecto, & habet semper malitiam annexam: ideò non potest elici à voluntate quin secum habeat annexam deformitatem suam; ergo qui est causa actus istius, quò ad substantiam, est etiam causa illius quò ad deformitatem. Deus est causa actus istius quò ad substantiam; ergo est etiam causa ipsius quò ad malitiam.

11 Confirmatur hæc ratio: quia non alia de causa liberum arbitrium hominis est causa peccati, nisi quia est causa positiua operationis tali loco, & tempore, & cum talibus circunstantijs, quæ necessariò habet annexum defectum, & malitiam moralem, vt quod Frater Minor feria 6. sciens, & absque vlla necessitate comedat bis, vel comedat carnes, peccat mortaliter: quia actus ille positiuus, stantibus illis circunstantijs inseparabiliter habet annexam deformitatem, & malitiam. Vndè elicitus à Fratre Minore cum illis circūstantijs necessariò habet annexam malitiam, & defectum moralem. Cum ergo Deus coo-

peretur huic actui quo ad substantiam; videtur etiam esse causa deformitatis, sicut liberum arbitrium creatum. Hoc argumentum varijs modis soluitur, qui omnino sunt videndi, vt dilucidior res fiat, breuiter tamen.

Solutio hæreticorum.

12 Duo autem sunt modi dicendi, qui omnino à Catholicis reijciuntur. Primus est hæreticorum nostri temporis Zuingli, Caluini, Bezæ, & Sectatorum: nam isti omnino contendunt, Deum non solùm permittere peccata, sed velle propriè, & per sè, atque ab æterno decreuisse absque prçuisione vlla determinationis voluntatis humanç, vt quæcunque peccata fiunt ab hominibus, fierent: immò etiam imperare Sathanæ, & improbis hominibus vt conficiant maleficia, eosque ad hoc inclinare, impellere, & etiam cogere: immò Deum non solùm imperare Sathanæ, ac inclinare, & impellere eum vt inducat homines ad peccandum; sed etiam ipsummet Deum per semetipsum operari in mentibus impiorum hominum, & per eos, vt per sua instrumenta, ipsum tanquam primam causam facere ea omnia, quæ respectu hominum dicuntur, & sunt verè peccata. Tamen dicunt hæc omnia, quatenus sunt à Deo non esse peccata, sed solum quatenus sunt ab hominibus. Ratio discriminis est, quia dicunt Deum hæc omnia facere bona intentione, homines verò mala intentione: & hac ratione ipsi dicunt non esse Auctorem peccati, neque peccare, etsi faciat peccata vt dictum est. Hanc esse hæreticorum sententiam colligit Bellarminus eodem lib. 2. de amissione gratiæ cap. 2. & 3. ex eorum scriptis adducendo eorum verba, prçsertim ex li. 1. Instit. Caluini cap. 17. & 18. & lib. 2. cap. 4. & lib. 3. cap. 23. in quibus Caluinus asserit, Deum non permissiuè (irridet enim Caluinus distinctionem Theologorum de voluntate Dei permissiua, & actiua) sed propriè, & per se eo modo, quo suprà diximus, Deum esse causam peccati. Quòd verò peccata, vt fiunt à Deo, non sint peccata, deducit Bellarminus ex verbis Caluini eisdem locis, & lib. de æterna prçdestinatione edito Geneuç Anno 1552. pag. 944. & alibi, vbi Caluinus prçsertim negat allatam distinctionem Theologicam de duplici voluntate permissiua, & per se propriè actiua. Bellarm.

Reijcitur hæc hæreticorum solutio.

13 Quòd autem hæc Hæreticorum non solutio, sed elusio minimè efficiat, quòd si Deus est causa actus peccati, vt ipsi tenent, non sit causa peccati, vt ipsi contendunt, ne inuidiam tam horribilis blasphemiæ subeant, sed immò quòd stante illa opinione efficaciter sequatur Deum verè, propriè, ac per se causā peccati esse, efficacissimè, & clarè Bellarminus ibidem cap. 4. conuincit. Primò sic. Quicunque facit peccatum per se, & propriè bona intentione non excusatur à peccato propter illam bonam intentionem; sed illa non obstante est verè auctor peccati, & vt tale habetur, & punitur; sed per Hæreticos Deus est verè, propriè, & per se causa actus peccati; ergo licet bona intentione hoc faciat, nō excusatur à peccato, nec propter hoc fit quin sit auctor peccati, & vt talis habeatur. Maior est Apostoli ad Romanos cap. 3. *Non sunt facienda mala, vt veniant bona*: alioquin qui adulterat, vt habeat filium, non peccaret; & qui priuata authoritate furem interficit, vel alium hominem ne alijs noceat, non peccaret: quia faceret bona intentione: Minor est positio Hæreticorum.

14 Secundò. Ideò homines peccāt, quia faciunt actus peccati mala intentione; at Deus secundum eos est auctor malæ intentionis, vt visum est: quia non possunt peccare homines nisi per malam intentionem secūdum istos Hæreticos: at Deus impellit eos ad faciendum peccatum; ergo impellit etiam eos ad malam intentionem; ergo Deus est auctor malæ intentionis: qui autem est auctor intentionis malæ, à qua actus peccati est peccatum, necessariò est causa quoque peccati. 2. Ratio.

15 Tertiò. Possumus addere falsum esse, homines semper peccare propter malam intentionem: nam licèt quandoque aliquis occidat alium propter aliquem malum finem: tamen cum quis furatur pecuniam alteri vt illa vtatur ad proprios vsus, ad quos est deputata, non furatur mala intentione; & cum quis committit adulterium ad pro- 3. Ratio.

creandum filium, vel etiam ad fruendum delectatione naturali, quæ ex actu illo consequitur, non habet malam intentionem; & tamen peccat, quia actus illi sunt prohibiti à lege diuina; ergo intentio non facit hos actus peccata, sed quia sunt contra legem Dei, & prohibita.

Cõfirmat. 16 Confirmatur: quia sunt multi peccatores, qui nollent actus quorundam peccatorum esse prohibitos, vt illos absque iniuria Dei efficere possent; ergo illi non habent intentionem faciendi iniuriam Deo in illis actibus, sed vt delectatione naturali illorum actuum fruantur; ergo illi non habent malam intentionem, & tamen peccãt.

4. Ratio. 17 Preterea. Dicere quòd Deus est causa peccati bona intentione, non saluat Deum non esse auctorem peccati, sed concedit, Deum esse auctorem illius actus, qui est peccatum: licèt asserat esse causam, & auctorem peccati, alia intentione quàm homo: at Sacra scriptura negat absolutè, Deum esse auctorem peccati, scilicet illius actus, & operis quod est peccatum: nam Deus prohibet peccatum, irascitur aduersus peccatores, vt patet presertim ex illo Isaiæ. *Veh genti peccatrici*, &c. Et illo Romanorum 2. *Thesaurizas tibi ipsi iram in die Iræ*, &c. Deus odit peccatum; ergo Deus non est causa peccati, quia Deus non odit ea, quæ efficit. Quicquid enim efficit, efficit per voluntatem suam: at odire est nolle; ergo si efficeret peccatum non odiret illud. Dicere ergo Deus efficit peccatum bona intentione, non est negare, Deum esse auctorem peccati, nec asserere, Deum odire peccatum, sed est dicere, Deum diligere peccatum, quia quæ efficimus bona intentione re vera efficimus, & ea diligimus: nec irascimur ijs, qui nobiscum cooperantur circa illa; nec illa prohibemus.

5. Ratio. 18 Preterea qui est causa efficiens peccati, duobus modis efficere potest illud, vel immediatè per se, vel mediatè per aliquem alium: vt iubendo, impellendo, inducendo, vel vtendo illo, vt instrumento ad actum illum: Deus non est causa peccati, vt puta blasphemiæ, furti &c. primo modo, vt patet: neque enim Deus ipse est, qui blasphemat; ergo secundo modo: at Sacra scriptura disertis verbis asserit *Deum neminem tentare*. Iacobi primo; neminem implanare. Ecclesiast. 15. vt supra vidimus: asserit etiam Deũ non iubere peccatum, sed prohibere, vt patet dando precepta Decalogi. *Non habebis Deos alienos*, &c. non impellit, nec inducit, sed irascitur contra eum, qui facit peccatũ: non diligit, sed odit, & punit committentes peccata pœna æterna: hortatur ad penitentiam, & ad delendum peccata in ieiunio, & planctu. Ioel. *Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, fletu & planctu. Scindite corda vestra, & non vestimenta vestra.* Et denique ostendit omnibus modis peccatum nolle, vt patet ex auctoritatibus adductis suprà. Dices, Sunt aliæ authoritates, quæ videntur asserere Deũ ordinare, & facere peccata. Respondeo, oportet earum bonum sensum penetrare, & non in sensum, quem non intendunt, eas interpretari, de quibus infrà videbimus.

6. Ratio. 19 Tandem ex hoc modo dicendi hæreticorum sequitur, vel solum Deum peccare, vel nec Deum, nec hominem peccare, & peccatum non esse peccatum, sed opus bonum, & à Deo dilectum: quod est hæresis Libertinorum, contra quos ipsi Caluinistæ tam acriter inuehuntur, & eos damnant. Prima consequentia probatur: quia si Deus iubet, impellit, & efficaciter vult peccata hominum propter bonum finem, quem ipse decreuit, homines non possunt resistere voluntati Dei, quia volũtati Dei efficaci nulla creatura resistere potest, cum sit omnipotens. Nemo autem peccat in his, quæ vitare non potest verè, & propriè ita quòd sit in potestate sua potẽtiam reducere ad actum: vt ipso lumine naturali clarum est, & omnes fatentur. Secunda consequentia probatur, quia secundum aduersarios, velle peccatum propter bonum finem non est peccatum. Deus autem vult peccatum propter bonum finem, homo volendo peccatum cooperatur bonæ intentioni, & voluntati Dei: non autem facit contra voluntatem Dei; ergo in illo actu non habet malam intentionem, sed bonã, & sic non peccat. Quod homo non habeat malam intentionem, stante hac opinione hereticorum, probatur, quia homo intendit agere opus peccati, vt occidere hominem, vel actum adulterij, non autem offendere Deum: at actus homicidij, adulterij, &c. est opus intentum à Deo; ergo homo non habet malam intentionem dum intendit efficere id, quod Deus intendit. Et dato, quòd haberet aliquã intentionem secundariam, vt frui delectatione peccati, vel aliquid aliud, illa est intentio secundaria, & ex consequenti, quæ non posset esse mala, cum necessariò sequatur ad actum bonum: ex bono autem non sequitur malum necessaria consequentia, hæc ergo intentio secundaria nõ esset peccatum. Vltima consequentia probatur, quia opus peccati esset opus Dei ab ipso predestinatum, efficaciter volitum, & ordinatum, ac positum in esse, sicut Incarnatio Verbi, Glorificatio Sanctorum, Collatio gratiæ, & huiusmodi: at operatione Dei non sunt peccata, sed opera sancta, tàm peccata verò, quàm opera bona sunt æqualiter volita à Deo; Ergo vel nulla opera quantumuis scelestissima sunt peccata; vel omnia sunt peccata, & sequitur hæresis Libertinorum, quòd peccatum est nihil, & quòd omnia opera sunt bona. Quæ hæresis Libertinorum est tàm impia, vt ipsi Caluinistæ etiam nouerint per eam tolli omnem Religionem, omnem fidem, omnem politiã: quia iniustè aliqua opera punirentur, & alia premiarentur. Tota scriptura esset falsa quæ reprehendit peccata, & punit tanquam opera mala. Et denique nihil remaneret, quòd haberet vestigium, ne dum Christianitatis, sed nec humanitatis.

Hic ergo modus respondendi non soluit argumẽtum, sed illud cõfirmat, & in multas absurditates inducit: ideò à Catholicis omnino reijcitur. Alius modus dicendi ab omnibus Catholici reijcit.

20 Ideò alij nonnulli veteres, vt refert Magister Sent. 2. dist. 37. in aliud extremum declinauerunt. Cum enim viderent actum positiuum, & materiale peccati habere annexam turpitudinem, vt saluarent Deum non esse causam, & auctorem peccati, dixerunt, Deum non concurrere sua causalitate ad actum illum positiuum peccati, sed illum fieri, vel à voluntate creata vel à Diabolo: nullo modo autem à Deo. Fundamentum huius opinionis, est vt colligitur ex Magistro loco citato, quia id, quod fit à Deo est aliquid: peccatum verò est nihil, & de ipso dicitur Ioan. 1. *Sine ipso factum est nihil:* Vbi per *nihil* D. August. intelligit peccatum: peccatum autem dicitur nihil, non quia sit omnino nõ ens, & nihil: quia peccatum est actus, & operatio aliqua positiua, vt homicidium, adulterium, &c. sunt enim actiones quædam; sed dicuntur nihil, quia separant homines à vero esse, & ad malum trahunt; Et sic ad non esse deducunt: qui enim à summi boni participatione recedunt, quod solum propriè, & verè est, meritò non esse dicuntur. Magister Sentent. etiam pro hac opinione adducit nonnullas authoritates ex D. August. quæ huic sententiæ fauere videntur. Nam pluribus in locis D. August. distinguit operationes, & actus à substantijs: & inquit, substantias esse res ipsas, & quæ naturaliter concreta sunt eis: sicut anima naturaliter habet ingenium, intellectum, voluntatem, & huiusmodi: actus verò, & operationes ait, nõ esse res. Vndè D. Aug. lib. 1. Hypognosticon ait. *Opera Diaboli quæ vitia dicuntur, actus sunt non res.* Fundamentum huius opinionis.

21 Verùm hęc opinio communiter à Catholicis quoque reijcitur: quia omnes tenent, omne illud, quòd habet rationem entis in peccato, esse à Deo: illud verò quòd habet rationem defectus deformitatis, & malitiæ, non esse à Deo, sed à voluntate creata: vt est videre apud Scholasticos in 2. Sent. dist. 37. & apud D. Tho. & Sectatores p. 2. q. 79. a. 2. & Magister Senten. in eadem dist. §. *in hoc autem verbo.* Illud idem docet ex auctoritate D. August. super Psalmum 68. vbi distinguit, quòd res possunt duobus modis considerari, vel in quantum res sunt, vel in quantum malæ sunt, siuè quo ad vitia quæ habent. In quãtum res sunt, à Deo sunt; & in quantum malæ sunt, & vitia habent, non sunt à Deo. Et hanc distinctionem considerandam Reijcitur allata sententia, & Catholica aperitur.

dam esse, ait D. August. ab auctoritatibus dicentibus, peccati actum non esse à Deo: secundum enim hanc distinctionem poterunt rectè intelligere, quomodo peccatum sit à Deo, & non sit à Deo: nam vt substantia est, & entitas est à Deo, & est bonum: vt habet malitiam annexam, est malum, & non est à Deo. In distinctione autem præcedenti in fine §. *Satis diligenter*, etiam dicit esse communem sententiam Catholicorum, actus omnes essentia sui esse bonos in quantum sunt, quosdam verò actus, in quantum inordinatè fiunt, esse peccata. Est ergo sententia Catholica, actum peccati quò ad materiale esse bonum, & à Deo esse, quò verò ad formale esse malum, & non esse à Deo, atque authoritates D. Aug. superius adductas, cum dicit actus non esse substantias, nec res, debere intelligi, non in quantum entia sunt, sed in quantum malæ sunt, & quò ad formale: Magister etiam in dist. 34. probat, peccatum, & malum esse à bono, quòd non potest intelligi nisi de peccato pro materiali, vt in sequentibus distinctionibus se declarat.

Sententia catholica probatur ex Scoto.

1. Ratio.

22 Pro hac sentẽtia variæ rationes, & authoritates adduci possent, & adducuntur à Magistro d. 34. & ab alijs. Ego tamen adduco solùm rationem quam facit Scotus in 2. d. 34. in corpore, quæ est breuis, & est rerum fundamẽtum huius assertionis catholicæ. Peccatum secundum esse materiale (secundum quod solùm potest habere causam efficientem, secundum enim, quòd est defectus habet solùm causam deficiẽtem) vel est à primo malo, vel à primo bono qui est Deus: at non à primo malo; ergo à primo bono, qui est Deus. Maior patet, & supponitur à Scoto: quia omne ens per participationem reducitur in primum ens per essentiam, qui est Deus, à quo habent esse. Minor probatur, quia primum malum increatum, & summum ex æquo oppositum ad primum bonum non datur: probatur, quia implicat repugnãtiam asserere dari summum malum: probatur quia ex eo, quod ponitur primum, & summum debet habere omnem perfectionem: ex eo verò quod est summum, & primum malum debet carere omni perfectione. Si ergo daretur summum malum, natum esset habere summam perfectionẽ, & sic esset Deus, & rursus careret omni perfectione, quia esset summum malum; ergo si daretur summum malum, esset simul summum bonum, quòd implicat repugnantiam.

23 Confirmatur: quia si ponatur summum malum primum ex æquo oppositum ad summum bonum, sequitur, quod illud sit necesse esse, & omnino independens, & impartitum, & tamen ista nõ conueniunt nisi enti perfectissimo. Hæc hæresis ergo, quæ ponit duos Deos, quorum vnus sit simpliciter bonus, & causa omnium bonorum, & alter malus, et causa omnium malorum, vt ait Scotus ibidem, non solùm est contra fidem catholicam, sed contra phylosophiam, & destruit se ipsam, quia inuoluit contradictionem.

2. Ratio.

24 Secundò hanc eandem assertionem probat auctoritate D. Aug. 2. de Ciuitate Dei cap. 6. vbi inquit. *Ipsi sibi ipsis videntur fecisse voluntatem malam*, &c. Vbi videtur velle, quòd propria voluntas sit causa cadendi in peccatũ, fruendo aliquo bono creato, idest aliquo, quod est in potestate volũtatis immoderatè, & sic à sola voluntate creata immediatè potest esse primum peccatum.

25 Sed dices, Scotus hic non probat peccatum, quò ad materiale esse à Deo, sed probat non esse à 1. malo, & tãtum à bono creato, idest à voluntate creata. Respondetur Scotum in solutione quæstionis apertè dicere, peccatũ in eo, quod potest habere causam esse à bono. Probat insuper ex D. Aug. habere esse à voluntate, infrà autem in quæstione particulari probat, quòd voluntas non est causa totalis sui velle, & actus, sed cum ea concurrit Deus. Cum ergo asserit, actum peccati esse à bono, intelligit non solùm à voluntate creata, sed etiã à Deo, & declarat deindè, quomodo differenter Deus sit causa actus peccati à voluntate creata, vt videbimus, scilicet quia Deus solum cõcurrit cum voluntate creata ad actum peccati pro materiali non pro formali; sed voluntas creata sola est causa peccati pro formali.

Opinio Durandi reijcitur. Caput Secundum.

Opin. Durandi, Aureoli, Altisiodorẽsis.

26 INter catholicos etiam sunt varij modi dicendi. Durandus 2. Sent. dist. 37. quæst. 1. in corpore. Aureolus eodem libro & dist. quæst. 1. prout refert Gregorius Ariminensis in 2. Sent. dist. 35. 36. 37. quæst. 1. art. 3. in quorum sententia etiam citatur Altisiodorensis lib. 2. Summæ, tractatu 27. cap. 3. Respondent, Deum esse causam actus materialis peccati contingere posse duobus modis: vno modo, quod est causa proxima, & immediata actus illius quatenus est operatio, & ens tale particulare: alio modo, quòd sit causa vniuersalis, & remota tãtùm, scilicet quatenus Deus creauit hominem cum libero arbitrio, quod quidem liberum arbitrium postea est ex se indifferens, & liberum, & à se ipso solo se determinat ad operandum: tenet enim Durandus in eodem 2. dist. 1. quæst. 5. quòd Deus non concurrit cum causis secundis ad actus proprios ipsarum in particulari, & in Indiuiduo immediatè de qua re diximus disp. de concursus Dei cap. 1.

Fundam. huius opinionis ex Durando.

27 Ad propositum inquit, Deum non esse causam peccati, & culpæ, quia non est causa actus particularis propinquè, & immediatè sed mediatè, & remotè: si autem esset causa actus illius in particulari, vt est liberum arbitrium creatum verè esset causa peccati, & culpæ, vt peccatum, & culpa est: quia culpa imputatur agenti proximo, non remoto.

Aliæ rationes ex Scoto pro opinione ista.

28 Scotus in 2. Sent. dist. 37. in solutione quæstionis huius, An Deus sit causa peccati, mouet quæstionem sine argumentis quæ est, An voluntas creata sit totalis, & immediata causa sui esse; & pro parte affirmatiua adducit multas rationes, quæ pro opinione allata Durandi afferri possunt: nam rationes, quæ probant, voluntatem esse causam totalem, & immediatam sui velle, probant quoque Deum non concurrere immediatè, & partialiter cum voluntate ad suam volitionem: & ita hæ rationes probant, Deum non esse causam peccati proximè, & immediatè: arguit autem quinque vijs.

1. Ratio.

29 Prima ratio sumitur ex libertate voluntatis sic. Illa potentia sola habet perfectè in potestate sua effectũ illum, qui potest causari ab ea immediatè, vel ab aliqua alia causa, quæ subdetur potestati suæ. At causatio Dei nõ est subiecta voluntati creatæ, vt patet; ergo si volitio voluntatis non causatur totaliter, & immediatè à voluntate creata, sed necessariò requiritur causatio Dei, voluntas creata non est libera, neque habet in potestate sua suum velle; ergo voluntas non esset libera, quòd est absurdum. Minor est euidens. Maior probatur, quia causa, quæ habet in potestate sua perfectè effectum suum, & verè liberè potest producere, & non producere illum; vel ex se sola potest in effectum illum, vel causatio cuiuscunque alterius causæ concurrentis est in potestate illius, vt faciat causare, vel non causare. Hoc patet ex terminis.

2. Ratio.

30 Secunda ratio ex eadem via est hæc. Quod ab alio determinatur ad aliquem effectum faciendum non habet perfectè illum in potestate sua: at voluntas creata supposita hac opinione, quòd Deus immediatè, & proximè concurrat ad actum suum, determinatur à voluntate diuina ad illum; ergo non producit illum actum contingenter, & liberè. Maior est euidens. Minor probatur: quia, aut voluntas vna determinat aliam, & sic est dicendum; quod non nostra determinat diuinam, sed è conuerso diuina humanam: patet, quia temporale nõ est causa æterni, & tunc habetur propositum, aut nulla voluntas determinat aliam, & tunc neutra erit mouens mota: nec erit inter ipsas ordo essentialis, quòd est absurdum. Et confirmatur: quia si voluntas diuina non determinat humanam, diuina voluntas poterit velle aliquid, quod non vult humana voluntas; & sic illud non fieret: quia voluntas nostra non concordat: hoc autem est inconueniens, quia

Cõfirmatur.

diuina

diuina voluntas posset impediri ab humana, quòd est impossibili.

3. Ratio. 31 Tertiò arguit ex secunda via, scilicet ex ratione cõtingentiæ rerum. Quandocunque causa superior est determinata ad producendum aliquem effectum, & ad determinationem illius causæ superioris, sequitur determinatio omnium causarum inferiorum, euentus illius effectus non est contingens: sed si voluntas diuina sit causa immediata meæ volitionis, iam causa superior est determinata respectu illius. Voluntas enim diuina est causa superior, & est ab æterno determinata ad alterum contradictoriorum, & ad determinationem illius sequitur determinatio meæ voluntatis respectu eiusdẽ effectus, alioquin simul starent, Deum velle hoc, & hoc non fore; ergo illud velle non est effectus contingens ad vtrumlibet propter potestatem voluntatis meæ. Minor est probata secundum omnes partes. Maior verò est euidens, & declaratur exemplo. Si voluntas mea esset determinata ad alteram partem contradictionis, vt ad scribendum cras, & non esset impedibilis, nec mutabilis, meum scribere cras non esset effectus contingens propter habitudinem sui ad manum: quia sicut volũtas mea, vt est causa superior, modò est determinata ad alteram partem, ita in ipsa virtualiter sunt determinatæ omnes causæ inferiores ad illum effectum; & propterea euẽtus illius effectus, scribere cras non est contingens propter habitudinem ad causam inferiorem proximam, scilicet ad manũ, quia, illa iam est determinata ad ponendum illum in esse propter determinationem causæ superioris. Ita si voluntas diuina est determinata ad producendum talem effectum cum voluntate mea, & ad determinationem voluntatis diuinæ, sequitur necessariò, meam voluntatem, quæ est causa inferior, quoque determinari ad illam, quia non potest voluntati diuinæ resistere: sequitur, quòd etiam si voluntas creata sit in se libera, non tamen propter istam libertatem erit contingentia in effectu illo.

4. Ratio. 32 Quartò ex tertia via, quę est ex ratione peccati. Cũ duæ causæ, scilicet principalis, & minus principalis, concurrunt ad causandum aliquem effectum, causa principalis prius natura causat, quã minus principalis: at si Deus, & voluntas causant volitionem, cõstat Deum esse causam principalem, & voluntatem creatam minus principalem; ergo Deus prius natura causabit volitionem, quàm voluntas creata. Subsumo, vel Deus in illo priori dat rectitudinem perfectam velle, & tunc voluntas non peccat in secundo signo naturæ, dum illi coagit, vel non dat rectitudinem debitam immediatè; & tunc sequitur, quòd volũtas in secundo signo naturæ rectitudinem dare non possit: quia non potest nisi in illud, quod causa prior in primo signo producit. Cum autem non possit dare rectitudinem, excusatur à peccato; ergo si Deus immediatè concurrit ad actũ peccati, voluntas creata non potest peccare.

5. Ratio. 33 Quinta ratio ex quarta via. Stante opposita sententia, sequeretur quòd voluntas creata nullam actionẽ haberet: consequens est falsum; ergo. Consequentia probatur. Si Deus esset causa immediata volitionis creatæ, esset causa totalis eius: at causa totalis nullam aliam causam secum admittit; ergo voluntas creata nullam haberet causalitatem circa propriam volitionem. Minor est euidens. Maior probatur, quia si Deus esset causa volitionis voluntatis creatæ, esset volendo, dùm autem est causa volendo est causa totalis respectu volentis: patet, quia in creatione Angeli, & cuiuscunque creaturæ quam de nihilo produxit, volitio sua fuit totalis causa.

6. Ratio. 34 Sextò. Arguitur ex quinta via, scilicet ex comparatione ad alias causas creatas. Si aliqua causa creata potest esse totalis causa sui effectus; ergo & voluntas: at aliqua causa creata hoc potest; ergo. Maior probatur, quia voluntas inter causas actiuas creatas est principalior. Minor ꝓbatur. Primò, quia hoc non repugnat creaturæ, quia non ponit aliquam infinitatem, nec perfectionem repugnantem creaturæ; nam si est causa vniuoca, debet esse ita perfecta sicut effectus: si est causa æquiuoca, debet esse perfectior, sed non oportet, vt excedat effectum in infinitum; sed in aliquo gradu determinato. Secundò, quia subiectũ circunscripto omni alio esset productiuum suę passionis; ergo est causa totalis eius, quia nihil aliud requiritur.

35 Septimò arguitur per auctoritates Ecclesiastici 15. *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit eum in manu consilij sui. adiecit mandata, & pręcepta ei. Si volueris mandata seruare cõseruabunt te: apposui enim ante te ignẽ, & aquam ad quod volueris perrige manum tuam. Ante hominem bonum & malum, vita & mors, quod placuerit ei, dabitur illi.* D. August. 5. de ciuitate Dei cap. 30. *Sic Deus res, quas condidit, administrat, vt eas agere proprios motus sinat.* Anselmus lib. 6. de concordia prędestinationis, & gratiæ. *Deus facit omnes actiones, & omnes motus, quia ipse facit res, à quibus, & in quibus, & ex quibus fiunt; & nulla res habet vllam potestatem volendi, aut faciendi, nisi ipso dante.* Ibidem parte 2. *Non ea Deus, qua prędestinat, facit voluntate cogendo, aut voluntati resistendo, sed in suo esse dimittendo.* 7. Ratio. Eccles. 15. D. Aug. 5. de ciu. Dei cap. 30. Anselmus.

36 Tandem Auerroes 9. Meth. tex. 7. ait, quòd, qui dicunt, agens primum, scilicet Deum omnia entia causare sine medio, habent dicere necessariò, nullum ens habere propriam actionẽ naturaliter: hoc est falsum, quia quod non habet proprias operationes naturales, neque habet propriam essentiam, quia actiones non distinguuntur nisi per proprias essentias. Auerro. 9. Meth. tex. 7.

37 Propter has rationes Scotus in Reportatis eadem quæstione, & distinctione, dicit, hanc opinionem esse probabilem, neque in scripto Oxoniẽsi, neque in Reportatis soluit has rationes: tamen vtroque loco hanc opinionem reijcit, & oppositam dicit in Reportatis esse probabiliorem. In scripto verò Oxoniensi omnino hanc opinionem reijcit, & oppositam sequitur: & iuxta illam soluit quæstionem, vt videbimus. Has autem rationes in fine disputationis dissoluemus ex fundamento Scoti. Hæc argumenta vbi soluuntur.

38 Ab hac opinione quidam Recentiores parum distare videntur, vt postea videbimus: quæ opinio, si esset vera, facilè esset declarare (inquit Scotus) quomodo Deus non sit causa peccati: nam loquendo, siuè de materiali, siuè de formali in peccato, totum esset à voluntate creata causatum, sicut à totali causa: & ita nullo modo à Deo mediatè, quia Deus produxit voluntatem talem, quæ posset sic, & sic velle. Si hæc opinio esset vera, facilè probaretur quomodo Deus non sit causa peccati.

39 Verùm hæc opinio reijcitur communiter ferè ab omnibus; immò aliqui putant, eum esse errorem in fide, vt suprà diximus in disput. de concursu generali Dei cum causis secundis cap. 1. nam repugnat auctoritatibus clarissimis Sacræ scripturæ, & aufert conseruationem, & prouidentiam, vt ibi diximus. Scotus tamen in 2. dist. 37. §. *Contra istam opinionem*, ex propria mente eam reijcit duabus rationibus, quarum prima est. Quia ex hac opinione sequitur, quòd Deus non sit naturaliter pręscius futurorũ: consequens est falsum; ergo & antecedens. Consequentia probatur, nam Deus, vt vidimus in primo disput. 54. non alia ratione certò cognoscit futura contingentia, nisi quia certitudinaliter nouit determinationem suæ diuinæ volũtatis respectu futurorum, quam determinationem scit esse inmutabilem, & inimpedibilem: at si voluntas creata est totalis causa respectu sui velle, posito, quòd diuina voluntas sit determinata ad vnã partem, poterit voluntas creata oppositam velle; ergo Deus ex cognitione determinationis suæ diuinæ voluntatis non potest scire certò quid sit futurum, & quid non futurum. Allata opinio reijcit à Scoto. Prima ratio Scoti.

40 Secundò. Ex eadẽ opinione sequeretur, quòd Deus non esset omnipotens: cõsequens est absurdum, vt patet; ergo. Consequentia probatur tripliciter. Primò, quia si voluntas creata est totalis causa suę volitionis, & contingens, si Deus determinaret voluntatem meam velle aliquid, voluntas mea posset velle oppositum, vel non ponere in esse illam volitionem; ergo Deus non esset omnipotens, quia non posset facere vt illud fieret, ad quod ipse est determinatus

natus vt fiat. Secundò sequeretur, quòd voluntas diuina non posset impedire voluntatem meam nisi violentando eam; at implicat contradictionem voluntatem violentari; si enim voluntas violentaretur, siuè cogeretur ad volendum, sequeretur voluntatem non esse voluntatem: quia de ratione voluntatis est vt sit potentia libera, non coacta, nec necessitata in productione sui velle. Consequentia probatur, quia dato casu, quod voluntas creata se determinaret ad volendum oppositum illius, quod Deus vult illam velle, non posset Deus facere, vt illa aliter vellet, nisi violentando illam, & cogendo eam ad producendum actum, quem ipse Deus vult, non eũ, quẽ ipsa vellet. Cũ ergo non possit eam violentare, sequeretur, Deum non esse omnipotentem, quia non posset facere volũtatẽ creatam facere omne illud, quod ipse Deus vellet. Tertiò probatur eadem consequentia: quia certum est, omnia, quæ facta sunt, & fiunt, siuè in Cœlo, siuè in Terra, fieri à Deo omnipotenti voluntate sua, & pro illo tunc quando vult; & ideò etiam certum est operationes humanæ voluntatis fieri à Deo, quando vult: neque enim operatio diuinæ voluntatis, qua ponit in esse volitionem creatã, est alius actus ab actu voluntatis creatæ; sed eodem actu simul volitio ipsa ponitur in esse: at si voluntas creata est causa totalis suę volitionis, actus ille volitionis creatæ non ponitur in esse ab omnipotenti voluntate diuina, vt patet.

Obiectio ex Vasq.

41 Vasquez p. 2. disp. 129. cap. 3. dicit, hanc secundam rationem de omnipotentia adductam à Scoto nihil probare: quia prius debuisset probare implicare cõtradictionem, Deum non concurrere cum causis secundis: si enim non implicat contradictionem, & Deo denegetur hic cõcursus, sequitur, Deum non esse omnipotentem: at si implicet contradictionem, vt probat Durandus, nullum est inconueniens negare hunc concursum Deo. Deinde ex Gregorio, & Gabriele Biel dicit rationem efficacem deduci ex conseruatione: nam Sapientiæ 11. *Dei virtute res conseruantur*: at non est maior ratio quòd res in conseruatione pendeat à Deo, quàm in productione; ergo si conseruatur à Deo, etiam ab ipsomet Deo producitur. Et ratione confirmatur: quia si Deus non conseruaret operationem prodeuntem à facultate, non posset facere, vt facultas ab operatione cessaret, prout ipse voluerit, nisi facultatem destruat, vel formam oppositam ipse inducat; quòd est falsum: quia potest facere eam ab operatione cessare non influendo suo influxu, & alijs modis.

Reijcitur.

42 Verùm Vasquez vel non vidit rationem Scoti, vt est probabile, quia Scotus secundam consequentiam illam, quòd Deus non esset omnipotens, tribus rationibus efficacissimis probat, non vnica tantùm vt vidimus, vel saltem neglexit hanc rationem Scoti. Ratio ergo Scoti est efficacissima: quia tres illæ rationes optimè probant, implicare repugnantiam, Deum esse omnipotentem, & tamen non concurrere actu cum voluntate creata ad eius operationem; vt patet discurrendo per eas. Nam quòd spectat ad primam, clarum est esse impossibile, & implicare repugnantiam, quòd voluntas creata sit totalis causa sui actus, & contingenter illum actum causet, & tamen Deus determinare possit illam ad producere, vel ad non producere illum effectum, & velle: hæc enim repugnant inter se.

43 Secunda autem ratio Scoti probans illam consequentiam, est ratio, quam ipse Vasquez, Gregorius, & alij ex Scoto desumpserunt, sed eo modo, quo illam ipsi conficiunt, non concludit: eo autem modo, quo Scotus illam confecit, efficaciter conuincit. Primum probatur, quia Durandus concederet, Deum non posse impedire voluntatem à sua operatione, nisi ipsam destruendo, vel inducendo effectum contrarium. Ad rationem autem contra hoc Durandus responderet, Deum posse nutu suę voluntatis impedire generationem, &c. at non cessando ab influxu suo in effectum illum cum causa secunda, sed mutando causam secũdam in se quò ad actum primum: illa autem mutata, non amplius haberet operationem, quam prius habebat. Secundum verò probatur, quia re vera implicat contradictionem, quòd voluntas sit voluntas, & liberè, ac indifferenter agat, & tamen cogatur, & violentetur ad actum suum. Non potest ergo Deus cogere voluntatem nisi destruendo illam. Si ergo voluntas creata est totalis causa actus sui, & in productione illius non depẽdet ab auxilio diuino, potest inuito Deo producere actum suum: at si in actu suo producẽdo non est totalis causa, sed æget adiutorio Dei, Deus potest impedire actum voluntatis creatæ, absque eo, quod eam cogat, & violentet, scilicet non præbendo suum adiutorium: quia cum aliquis effectus pendet per se à pluribus causis, si vna deficiat, non sequitur effectus. Rationes autem Durandi soluimus in disp. de concursu Dei cap. 1. Rationes verò Scoti pro eadem opinione infrà soluemus, licèt Scotus eas insolutas reliquerit.

Opinio Thomistarum, & eorum, qui dicunt, Deum non esse causam peccati, quia malitia inest per accidens actui peccati, malè explicata, reijcitur. Cap. III.

44 Communis ergo responsio, quam D. Thom. p. 2. q. 79. a. 2. & Scotus, & omnes Theologi in 2. d. 37. asserunt, est, quòd Deus non est causa peccati, neque debet dici causa peccati: quia Deus, etsi sit causa materialis in peccato, non tamen est causa formalis in peccato, scilicet illius deformitatis, & obliquitatis, quæ in actu peccati reperitur. Verùm hæc responsio nisi benè declaretur non satisfacit obiectioni propositæ in primo cap. nam, vt dicebamus, deformitas illa, quæ est peccatum pro formali inseparabiliter videtur sequi actum materialem peccati; ergo si Deus est causa effectiua materialis peccati, est etiã effectiua formalis in peccato. Oportet ergo declarare quomodo Deus possit esse causa materialis peccati, & tamen non esse causa formalis in peccato, sed ipsa formalitas sit ab ipsa voluntate creata, ita quòd actus peccati, prout est à Deo, sit bonus, vt à voluntate creata sit malus absque vlla absurditate. Quò ad hoc igitur sunt varij modi dicendi, tamen omnes possunt reduci ad tres, quos refert Scotus, & duos priores reijcit, & tertium, qui est eius proprius, approbat.

Cõmunis responsio.

Obiectio cõtra communem responsionẽ.

45 Primus ergo modus dicendi est, quòd malitia, & deformitas peccati non habet causam efficientem per se, sed per accidens. Aliquid autem esse causam alterius per accidens potest contingere duobus modis: vno modo, quòd accidentalitas sit ex parte causæ: alio modo quòd sit ex parte effectus. Accidentalitas ex parte causæ est, quando causæ agenti per se iungitur aliqua causa, quæ est causa effectus illius accidentaliter, eo modo, quo Arist. 5. Meth. tex. 2. & 2. Physicorum tex. 33. dixit, quòd Policletus est causa per accidens statuæ. Accidentalitas ex parte effectus est, quando effectui, qui est per se terminus causalitatis causæ per sè, coniungitur aliquid, quod ab illa causa per se non intenditur; eo modo, quo casus, & fortuna dicuntur causæ per accidens 2. Physic. nam effectus, qui euenit agenti à proposito præter intentionem, dicitur effectus per accidens, vt cum fodiens terram inuenit serpentem, à quo lædatur.

Primus modus principalis respõdendi.

46 Ad propositum aliqui dicunt, quòd deformitas in actu peccati non habet causam per se, sed solum causam per accidens. Primo modo, quia, scilicet aliquid est coniunctum causæ per se, quòd est causa per accidens effectus causæ per se: & dicunt, istud esse defectibilitatem in voluntate creata; quam defectibilitatem dicunt oriri in voluntate creata, quatenus ex nihilo est. Et ex hoc patet quare Deus non sit causa peccati pro formali, scilicet quia Deus non est causa per accidens, sed per se; neque enim est causa habens annexam defectibilitatem, & finitatem, sed est infinita. Neque hoc modo voluntas creata, scilicet vt voluntas, sed vt defectibilis, est causa peccati. Et hæc opinio tribuitur à Marginistis Scoti, D. Bonau. in 2. d. 34. q. 2. & sequentibus. Hæc opinio probatur auctoritate D. Aug.

Prima opinio, quæ tribuitur D. Bonau.

12. de

12. de Ciuitate Dei cap. 6. vbi ait, quòd si quærat aliquis, cur eam fecit, inueniet malam voluntatem non ex eo incipere, quod facta est, sed ex eo, quod de nihilo facta est.

Reijcitur.

47 Hanc opinionem reijcit Scotus in 2. d. 34. §. *Contra primam viam*, multis rationibus. Prima hæc est. Vel illa defectibilitas in voluntate creata est causa deformitatis in peccato per accidens, vel per se: si est causa per accidēs, non est ad propositum, & frustra illa assignatur pro causa, quia quæ sunt per accidens non pertinent ad scientiam; & nos hic quærimus causam per se, non per accidens: deueniendum est enim tandem ad causam per se. Si verò ponatur causa per se, sequitur, quòd Deus sit causa peccati. Ideò hæc solutio non est bona. Consequentia probatur, quia quicquid est per se in causato, in quantum causatum est, est à per se causa eius; sed sic est, quòd defectibilitas ista est in voluntate creata à Deo, vt à per se causa efficiente; ergo si defectibilitas est causa per se deformitatis peccati, sequitur, quòd Deus sit per se causa deformitatis peccati. Minor probatur, scilicet quòd defectibilitas sit à Deo efficiente: quia terminus à quo non dat effectui aliquam proprietatem; non enim ex eo quod Angelus creatus est à Deo ex nihilo, ex illo nihilo Angelus habet aliquam proprietatem: ideò licèt Deus creauerit volūtatem creatam ex nihilo; tamen non potuit habere defectibilitatem ex illo termino, à quo ex nihilo, sed omnem proprietatem, quam habet, habet à Deo effectiuè. Licèt ergo defectibilitas consequatur naturam creatam, quia est ex nihilo, tamen poterat non habere illam, si Deus resoluisset facere eam indefectibilem: ideò illa defectibilitas inest sibi à Deo effectiuè.

2. Ratio.

48 Secundò. Idem sub eadem ratione propria est proprium subiectum priuationis, & habitus, oculus enim idē est subiectum proprium visionis, & cæcitatis. Etiam causa libera sub eadem ratione est causa oppositorum, scilicet cōtingēter; sed voluntas, vt voluntas, absolutè est subiectum habitus, scilicet bonitatis actus; ergo eadem absolutè considerata est subiectum malitiæ actus peccati: similiter ipsa absolutè sumpta est principium contingens bonæ volitionis; ergo eadem absolutè sumpta est causa malæ volitionis; ergo malè dicitur, quòd sit principium operationis bonæ, vt est voluntas; vt verò est defectibilis esse principium malæ operationis, & deformitatis peccati.

3. Ratio.

49 Tertiò. Si voluntas inquantum defectibilis peccat, ita quòd defectibilitas sit per se ratio, vel proxima ratio peccandi, siuè deformitatis in actu peccati, licèt cōcurrat per accidens ad actum materialem, sequitur, quòd in quantum defectibilis nō potest bene velle; hoc autem est falsum, quia sequeretur, quòd voluntas creata, si peccat, non peccet, quia nullus in eo peccat, quod omnino vitare non potest. Consequentia prima probatur: quia defectibilitas est inseparabilis à voluntate creata, & est impossibile, quòd dùm volūtas vult per se actum positiuum aliquē, defectibilitas non cōcurrat ad eumdem effectum per accidens, sicut est impossibile, quòd statuarius albus faciat statuam, & albedo non sit causa illius statuæ per accidens, eo modo quo dicit Arist. loco supra citato, Policletum esse causā per accidens statuę. Alias rationes vide in tex. Scoti.

Secundus modus ponendi, malitiā habere causam ꝑ accidens.

50 Remanet secundus modus dicendi, quo aliqui ponunt malitiam in peccato habere causam per accidens, non ex parte causæ, sed ex parte effectus, scilicet quia illa malitia per accidens iungitur actui materiali peccati.

51 Ad hunc autem modum reducuntur variæ opinionis Doctorum: aliqui enim dicunt, quòd voluntas creata, & similiter voluntas Dei est causa per se actus positiui peccati, non malitiæ: quia intendunt per se producere actum positiuum, non autem intendunt producere malitiam, & deformitatem; sed malitia per accidēs illi actui iungitur, sicut euenit in fortuitis, dùm quis intendit fodere terram, & inuenit serpentem, qui eum lædit. Hic modus dicendi sic in communi acceptus probatur per illud D. Dion. de Diuinis nominibus ca. 4. *Nemo agit ad malum intendens.* Et similia habentur apud Arist. 3. Ethicor.

Probatio huius opinionis.

52 Hæc opinio tribuitur à Margine Scoti D. Bonaū. in 2. d. 44. sed re vera ipse ibi dicit, potius malitiam peccati habere causam deficientem, vt tenent D. Thom. & alij infrà citandi pro secundo capite principali opinionum. Ad hunc tamen modum dicendi reducuntur opiniones multæ aliorum Doctorum. Notandum est autem hunc modum dicendi differre à modo dicendi hæreticorum: nam, etsi hæretici dicant, Deum velle peccatum bona intentione, & propter aliquem bonum finem, tamen dicūt, Deum velle, & efficere peccatum propriè per se, & ex intentione, vt includit nedum positiuum, sed etiam malitiā; & ideò secundum eos Deus vult, & efficit actum illum deformem, licèt eum ordinet ad bonum finem. At isti Doctores dicunt, Deum velle solùm positiuum peccati, non autem velle, & causare malitiam sequentem ad eum, sed solùm ex accidenti, quatenus prętet intentionem Dei, malitia sequitur ad actum illum positiuum.

Quomodo hæc opinio differat ab Hæreticis.

53 Ad hunc ergo modum dicendi reducitur in primis opinio Okam, & Gabriel Biel: nam Gabriel in 2. dist. 37. quæst. vnica art. 3. inquit, quòd deformitas peccati est separabilis à substantia actus: quòd probat, quia actus ille peccati sicut quicunque actus alius voluntatis creatæ à solo Deo potest produci; si ergo producatur à solo Deo, etiā si sit odium Dei non erit peccatum, quia actus, quem solus Deus facit, non est peccatum. Hoc supposito inquiunt, Actus ergo materialis peccati inquātum prouenit à Deo, non habet malitiam, & deformitatem annexam, sed in quantum prouenit à voluntate creata: quia creatura tenebatur cauere illum actum, non autem Deus: ideò deformitas in actu illo sequitur ex parte voluntatis creatæ, non ex parte Dei: ideò malitia in actu materiali peccati Dei per accidēs inest, & pp hoc non potest dici, Deū peccare.

Opinio O. Kam, & Gab. Biel.

54 Richardus in 2. dist. 37. a. 3. q. 1. ad secūdum inquit, quòd malitia potest separari ab actu materiali peccati: nā odium Dei, à quo minus videtur malitiam posse separari, potest esse sine malitia: quia odium Dei nihil aliud est secundum substantiam, nisi velle malum; hoc autem potest quis velle alteri sine culpa, nam odium Dei in demente non est peccatum; ergo materiale peccati est separabile à malitia, licèt malitia non possit esse nisi existente actu materiali peccati, quia est subiectum, quo ablato, malitia non esset.

Opinio Richardi.

55 Ad hunc eundem modum dicendi reducitur opinio Soto, & Cano, quam maximè commendat, & sequitur Vasquez p. 2. disp. 129. cap. 7. nam Soto lib. 1. de natura, & gratia cap. 17. in fine, cum quo Vasquez, ait Cano sentire lib. 2. de locis cap. 4. inquit aliquem, esse causam alicuius rei, potest intelligi duobus modis: vno modo, quòd sit causa illius rei physicè, idest verè, & realiter efficiendo illam rem, eo modo, quo omnes causæ reales realiter producunt suos effectus: vt Pater, & Mater dāt esse filio; ignis cumburit lignum, & huiusmodi: alio modo quòd sit causa moralis tantùm illius effectus. Causa moralis est illa, quæ producit aliquem effectum iubendo, opem ferendo, consulendo, vel suadendo, quomodo dicimus eum commisisse homicidium verè qui iussit, vel opē tulit, adiuuit, consuluit eum, qui realiter fecit homicidium. Ad propositum inquit, Deus est causa actus peccati solùm physicè, non autem moraliter. Et cum Scriptura negat, Deum esse causam peccati, intelligit moraliter: quia Deus non iubet peccatum, nō fert opem ad faciendum peccatum, &c. sed est solum causa physica prębendo suum concursum generalem ad actum peccati, sicut ad alios actus positiuos, & res naturales. Cum autem volūtas creata sit causa actus peccati non solùm physicè, sed etiam moraliter, sequitur, quòd causa malitiæ in actu peccati sit voluntas creata, nō diuina; sed accidit actui peccati, vt est à Deo, quòd habeat malitiam annexam. Addunt, quòd efficere aliquid liberè, est circunstantia causæ moralis: Quod ergo liberè fit, non physicè, sed moraliter fit: Deus autem, subiungunt ipsi, nō efficit liberè actum peccati, sed naturaliter, & physicè, sola voluntas creata est, quæ efficit opus peccati liberè, & moralis

Opinio Soto, Cano, Vasquez.

Quæ sit causa moralis.

moraliter, quia ipsa liberè operatur; ergo deformitas peccati reducenda est in voluntatem creatam tantùm, non in Deum.

Fundamẽtum harũ opinionũ.

56 Pro omnibus istis opinionibus, quatenus conueniunt in hac communi assertione, quòd malitia peccati insit accidentaliter actui positiuo peccati; quia inest à voluntate creata, potest confici vna ratio communis, quę etiam est solutio ad rationem principalem superius factã. Ratio autem est hæc. Nullum agens causans per se aliquem effectum, ad quem extrinsecè, & separabiliter, & accidentaliter sequitur alter effectus, est causa verè, & propriè illius secundi effectus; sed sic est, quòd Deus est causa per se actus materialis peccati, ad quem per accidens extrinsecè, & separabiliter sequitur deformitas peccati; ergo Deus non est causa peccati pro formali. Maior patet, quia si Sortes generet Platonem, qui modo sit in hoc vbi, modo in alio vbi, Sortes non est causa per se illius vbi in Platone, sed accidentaliter; & si illud vbi esset peccatum aliquod in Platone, Sortes non diceretur esse causa illius peccati in Platone. Minor patet ex dictis.

Responsio istorum ad argumẽtũ principale.

57 Per hoc soluitur etiam argumentum principale factum suprà cap. 1. Nam illa propositio, cum dicitur. Deus est causa operationis, cui annexa est deformitas peccati; ergo est causa deformitatis peccati, est vera, & consequentia valet, quãdo malitia, & defectus est ita annexus actui, vt non possit vnum esse sine alio: at actus positiuus, vt est à Deo, non habet annexam malitiam, sed solùm quatenus est à voluntate creata, vt visum est: ideò Deus non est causa peccati pro formali, neque peccati absolutè, prout peccatum est actus constans ex positiuo, & malitia simul.

Allatæ opiniones reijciantur.

58 Istæ opiniones falsæ sunt, & quantùm ad hoc commune, in quo conueniunt, & quantùm ad proprios modos explicandi se ipsas. Scotus contra hunc modum dicendi in communi loco citato §. *Contra primam viam*, in fine adducit duas rationes efficacissimas. Prima est: quia tunc peccatum videretur esse casuale: hoc autem est falsum, quia casuale non est peccatum. Hæc ratio præcipuè probat, peccatum non esse præter intentionem, & per accidens respectu voluntatis creatæ, quia voluntas creata nõ peccat in iis, quæ casu, idest præter intentionem illi obueniunt: ista enim non sunt voluntaria, & ideò non possunt esse peccata. Sed eadem ratio efficaciter etiam valet de voluntate diuina: quia vel Deus cum concurrit cum voluntate creata ad actum positiuum peccati, animaduertit deformitatem illam sequi ad actum peccati, vel non: si dicas non; ergo respectu Dei illa malitia est casualis, idest præter intentionem suam, & præter eius aduertentiam, quod est facere Deum inscium, & casu agentem, non ex sapientia, & scientia debita. Si verò animaduertit, & tamẽ concurrit, & suo influxu adiuuat hominem ad actum, ad quem sequitur deformitas, iam tunc non sequitur per accidens, & præter intentionem Dei deformitas in actu illo, sed ex intentione Dei, & per se; sicut si quis scienter bibit vinum in tanta quantitate, ad quam scit sequi ebrietatem, dicitur velle ebrietatem per se; & peccat, licèt ebrietas quandoque non concomitetur potationem vini.

2. Ratio Scoti.

59 Secunda ratio Scoti. Si voluntas est causa peccati tantùm per accidens, scilicet quia ipsa vult positiuum tantùm non malitiam, sequitur, quòd non magis peccet voluntas creata, quàm diuina. Consequens est falsum, vt patet. Consequentia verò probatur, quia voluntas creata quoque vult positiuum tantũ; malitiam autem non vult: nàm licèt aliqui peccatores pessimi sint, qui velint peccatum, etiam vt est contra Deum, vt blasphematores; tamẽ vt plurimum hoc non est verum, vt suprà diximus; sed sępe homines volunt actum peccati propter delectationẽ naturalem consequentem actum peccati; sed nollent actũ illum esse prohibitum à Deo. Hęc ratio quoque licèt principaliter probet de voluntate creata, tamen etiam probat de voluntate Dei: quia sicuti voluntas creata peccat volendo illum actum positiuum, etiamsi non velit malitiam annexam, quia vult actum, cui illa malitia est annexa: ita licèt diuina voluntas non velit deformitatem, quę est annexa materiali peccati, tamen quia vult positiuum, cui de facto annexa est malitia, dici debet velle peccatũ, & esse causam peccati pro formali, sicut voluntas creata.

60 Tandem. Ratio principalis superiùs primo cap. adducta manet in suo robore: nàm licèt deformitas aliquando posset non sequi ad actum peccati, tamen stantibus illis circunstantijs, quæ adsunt cum committitur peccatum, non potest non sequi malitia, vt cum à sciente, & volente elicitur actus odij Dei; ergo non potest excusari Deus, quòd non sit causa malitiæ, cum concurrit, & adiuuat suo auxilio voluntatem creatam ad actum illum. 3. Ratio.

Opinio Okam, & Gabr. Biel in speciali reijcitur.

61 In speciali etiam istæ opiniones reijciuntur à multis, & quidem opinio OKam, & Gabriel Biel est falsa. Primò, quia isti dicunt, quòd Deus in rigore, & proprietate loqutionis est causa peccati, sed dicunt tamen non sequi Deum peccare neque actum peccati, vt est à Deo, esse actum malum, & peccatum: quia non tenetur Deus cauere illum actum, sed sola creatura: at Sacra scriptura, vt patuit primo capite, negat, Deum esse verè, & in rigore causam peccati, & Sacra Concilia, & Sancti Patres dicũt, Deum permittere peccata, non autem esse causam per se, & propriè peccati. Secundò, quia licèt Deus non teneatur cauere actum illum absolutè, & quatenus prouenit ab ipso Deo, tamẽ tenetur cauere illum quatenus ipse Deus concurrit cum voluntate creata ad actum illum, ad quẽ consequitur deformitas, & malitia. Sic enim cooperando fit complex peccati. Et cum ex sententia Okam, vt refert Medina, Deus velit propriè, & per se actum illum, & omnipotens sit, consequitur, hominem non posse resistere voluntati eius, & sic homo haberet excusationem sui peccati, quod est erroneum.

Opinio Ricardi reijcitur.

62 Opinio Richardi etiã in speciali reijcitur: quia licèt deformitas, & malitia peccati non semper concomitetur actum materialem peccati: tamen positis quibusdam circanstantijs aliquando ad eum necessariò, & infallibiliter sequitur, vt odium Dei in Viatore cum scientia, & aduertentia, &c. est peccatũ mortale, & est impossibile elici à voluntate cum prædictis circunstantijs, & non esse peccatum mortale; ergo saltem in his actibus Deus esset causa peccati, quòd tamen est falsum, quia Deus vniuersaliter non est causa peccati alicuius.

Opinio Soto, Cano, Vasquez ĩ particulari reijcitur.

63 Opinio Soto, Cano, & Vasquez, multo faciliùs reijcitur, & Medina quidem p. 2. quęst. 79. art. 2. eam validè impugnat. Nam in primis falsum est, Deum concurrere ad actum peccati naturaliter, non autem liberè: quia omnes actiones Dei ad extrà liberè fiunt à Deo, non naturaliter, neque necessariò. Neque valet si quis cum Thomistis dicat Deum ad extra agere nec contingenter, nec necessariò, sed modo eminentiori: libertatem autem primò esse ex voluntate creata, quia hanc opinionem reiecimus in 1. disp. 53. de prima radice contingentium. Præterea falsum est, Deum non esse causam moralem peccati: nàm causa moralis non solùm secundum eos est consulens, aut præcipiens, sed liberè volens, & liberè operans aliquid: at Deus licèt non consulat, aut præcipiat actum peccati, tamen operatur ad eum liberè suo auxilio generali, vt dictum est: quia est opus ad extrà; ergo Deus ex hac opinione non solùm est causa naturalis, sed etiam moralis actus peccati. Præterea, adiuuans scienter, & liberè concursu physico aliquem ad actum homicidij veriùs est causa homicidij, quàm qui moraliter tantum eum adiuuat, scilicet consulendo, &c. At Deus est causa actus peccati physicè adiuuando hominem ad actum peccati sciẽter, & liberè; ergo veriùs Deus esset causa peccati, quàm si ageret tantum moraliter. Tandem, vt inquit Medina, dicere, Deũ agere peccatum, & malum naturaliter est peius absurdũ, quàm dicere, quòd Deus sit causa peccati moraliter; ergo. Antecedens probatur: quia si Deus est causa peccati naturaliter, sequitur, quòd Deus sit naturaliter malus, bonum enim naturaliter non efficit malum.

Opinio-

Opiniones D. Thomæ, & eorum, qui dicunt, peccatum habere causam deficientem tantùm, & hac ratione, Deum non esse causam peccati, malè explicatæ reijciuntur. Cap. IV.

Secundum caput principale opinionum.

64 ALij multi Theologi videntur conuenire in hac cõmuni assertione, quòd peccatum pro formali non habet causam efficientem, sed deficientem: Deus autem non est causa deficiens, sed sola voluntas creata: ideò malitia, & deformitas actus peccati est à voluntate creata tãtùm, non à Deo. Hanc sententiam apertè tradit D. Tho. p. 2. quæst. 79. art. 2. ait enim quòd in peccato duo sunt, entitas actus peccati, & defectus. Actus peccati, inquantum est actus, & operatio, est ens, & est à Deo; inquantũ verò idem actus deficit ab ordine, & regula primi agentis est defectus: & quò ad hoc non reducitur in Deum sicut in causam, sed in liberum arbitrium creatum: sicut defectus claudicationis reducitur in tibiam curuam, sicut in causam non autem in virtutem motiuam, à qua tamẽ causatur quicquid est motionis in claudicatione. Et hac ratione licèt Deus sit causa actus peccati, non tamen est causa peccati, quia non est causa huius, quòd actus sit cum defectu. Hanc eandem opinionem habet D. Bonau. lib. 2. d. 44. art. 1. quæst. 2. & alij multi.

Opinio D. Bonauent.

Opinio Caietani.

65 Hæc autẽ opinio vario modo à Thomistis, & alijs explicatur. Caietanus p. 2. quæst. 79. art. 1. & 2. multa dicit pro declaratione huius rei, quæ diligenter colligit Medina ibidem art. 2. & quorum summa est. Secundum Caietanũ in peccato tria sunt, actus peccati quò ad substantiã, species moralis illius actus, & deformitas in illo actu. Actus peccati est substantia ipsa actus: species moralis est species malitiæ moralis, in qua actus peccati reponitur: nàm omnis actus humanus non solum habet entitatem substantiæ, qua est ens, sed habet etiam bonitatem, vel malitiam moralem, secundum quam est in aliqua specie virtutis, vel vitij. Actus ergo peccati vltra entitatem substantialem habet speciem propriam malitiæ moralis, vt auaritiæ, intemperantiæ, & huiusmodi, secundum quã actus conuertitur ad obiectum contrarium obiecto virtutis; ad hanc autem conuentionem ad obiectum vitij sequitur auersio eiusdem actus à lege, ita quòd in actu substantiali peccati sunt duæ malitiæ. Prima est conuersio ad obiectũ malum, quæ est malitia moralis, siuè ex obiecto. Secunda est auersio ab obiecto bono, siuè à lege, & à rectitudine sibi debita: & hæc necessariò sequitur ad primam, & est malitia ex priuatione debitæ rectitudinis. Ad propositum, ait Caietanus, duo prima sunt à Deo, scilicet substãtia actus peccati, & conuersio ad obiectum malum: quia malã moralia sunt species entium. Tertium verò, scilicet auersio à lege, quæ est carentia debitæ rectitudinis, est in qua maximè consistit malitia, & deformitas, & de ista est difficultas, quomodo non sit à Deo, cum necessariò sequatur ad conuersionem ad obiectum vitij: nemo enim potest conuerti ad obiectum vitij, quòd non auertatur ab obseruatione legis. Quomodo ergo fieri potest, quòd Deus sit causa malitiæ conuersionis ad obiectum vitij, & non sit causa malitiæ àuersionis? Respondet ergo quòd malum morale, scilicet malitia conuersionis secundum suam rationem formalem non potest procedere nisi à voluntate libera deficiente, qualis est sola voluntas creata: ideò ex hoc sequitur, quòd Deus non potest esse causa peccati, quia voluntas Dei non est causã deficiens, sed perfectissima. Ex eodem sequitur, quòd actio peccati, vt est quid positiuum, debet referri in Deum, non quatenus est deficiens, sed in voluntatem creatam deficientem. Ex eodem etiam sequitur, non esse idem concurrere ad actum, quatenus prodit ab agente, & quatenus prodit ab agente deficiente: & ideò hæc non est bona consequentia, Deus est causa actus secundum speciem; ergo est causa deformitatis, & auersionis quæ inde sequitur. Et ratio est, quia deformitas consequitur ad actum, non prout procedit ab agente, sed quatenus procedit ab agente deficiente.

66 Medina verò loco citato, aliorum opinionibus reiectis respondet verum esse, malitiam in actu peccati procedere à voluntate creata nõ à Deo: ratio est, quia quando duæ causæ concurrunt ad aliquem effectum, si altera sit imperfecta, defectus, qui est in effectu, ascribitur causæ imperfectę; vt cum manus scribit calamo malè parato, defectus in caracteribus ascribitur calamo, non manui. Hoc supposito, Respondet, quòd cum Deus est causa alicuius actus, est causa etiam priuationis, quæ ex natura talis actus est consequens. Vt si est causa fornicationis, est etiam causa amissionis virginitatis: quia hæc priuatio sequitur intrinsecè ad actum fornicationis; sed Deus non est causa malitiæ, & priuationis rectitudinis, quæ non consequitur ex natura talis actus, sed extrinsecè aduenit: malitia autem, & auersio, quæ est in actu peccati non consequitur ex natura ipsius actus: quia actus peccati, etiam odium Dei, licèt intrinsecè includat malitiam: tamen nõ includit eam ex natura substantiæ actus, sed solũ ex inordinatione voluntatis creatæ, quæ scilicet non vult illum actum secundum debitum ordinem, & regulam: ideò nõ sequitur, quòd Deus etiam, si sit causa substãtiæ actus, sit causa illius malitiæ, & deformitatis. Opinio Medinæ.

67 Addit Medina, & hunc modum multi alij Thomistæ amplectuntur, quòd licet Deus sit causa actus peccati, non tamen sequitur, quòd sit causa deformitatis, quæ inde consequitur: quia deformitas non sequitur ex modo operandi Dei, sed ex modo operãdi creaturæ: nam Deus concurrendo ad actum peccati dat rectitudinem debitã, non solùm, quia est regula prima, quæ non habet superiorem, sed quia operatur secundum dictamen rectæ rationis: dictat enim ratio recta, quòd primum agens permittat, & non tollat liberum arbitrium, & det ei necessaria ad operandum. Vndè est ac si dicat, Deus non peccat, nec est causa peccati: quia ipse dat rectitudinem, quæ spectat ad eum; neque deficit in modo suo operãdi; sed creatura est, quæ peccat in suo modo operandi: quia ipsa non dat rectitudinem actui, quam ipsa tenetur dare: ideò ipsa peccat, & est causa peccati, non Deus. Pro hac opinione est auctoritas D. Aug. 12. de Ciuit. Dei cap. 7. *Nemo quærat causam efficientem malæ voluntatis, non enim est efficiens sed deficiens.* Fũdamentum huius opinionis.

68 Istæ opiniones, quò ad hoc commune, in quo conueniunt, quod peccatum habeat causam deficientem, non efficientem, & illa sit voluntas creata, reijciuntur à Scoto in 2. dist. 34. quò ad proprios modos verò dicendi ipsas quoque in speciali refutabimus. Quò ad primum Scotus in 2. dist. 34. §. *Tertio modo ponitur*, &c. probat, quòd stante hoc modo dicendi, quòd voluntas creata inquantum est deficiens, sit causa peccati, sequatur, Deum esse causam peccati, eo modo quo voluntas creata est causa peccati, consequens est apertè falsum; quia peccatum tribuitur quidem voluntati creatæ, at nullo modo Deo. Cõsequentia verò probatur, & primò supponit, quòd deficere in proposito, est nõ efficere, eo modo quo Philosophus 5. Meth. tex. 2. dicit, quòd præsentia Nautæ est causa salutis nauis: absentia verò est causa periclitationis eiusdem; & vtrumque est in eodem genere, scilicet causæ efficientis; ergo in proposito non efficere rectitudinem, quæ deberet effici, est quasi causare effectiuè, vel defectiuè actũ peccati. Hoc stante consequentiam probat dupliciter. Reijciũtur

69 Et Primò sic. Ita esse causam defectiuam respectu malitiæ peccati competit Deo, sicut creaturæ; ergo ita competit Deo esse causam peccati sicut creatæ voluntati. Assumptum probatur, quia quicquid agit Deus ad extrà agit contingenter, non necessariò; ergo si dat rectitudinẽ debitam alicui actui creatæ voluntatis, dat eam contingẽter, non necessariò; posset ergo Deus non dare illam rectitudinem, & sic posset esse causa peccati deficiendo, sicuti voluntas creata est causa peccati deficiendo, vt Nauta est causa periclitationis nauis eam non gubernando. 1. Ratio.

70 Secundò Deus prius naturaliter, licèt simul tempore, cau- 2. Ratio.

re, causat quàm voluntas creata causet; ergo si Deus efficeret rectitudinem debitam in actu voluntatis, rectitudo ipsa actui inesset, prius, quàm voluntas creata causaret, & quando rectitudo, non inest actui, ideò non inest, quia voluntas diuina per prius non causat, quàm voluntas creata causet; & ita voluntas creata deficit: quia Deus deficit, eã rectitudinem non efficiendo.

3. Ratio.

71 Tertiò principaliter probatur eadem consequentia. In causis præcisis si negatio est causa negationis, etiã affirmatio est causa affirmationis: at Deum in suo ordine causare rectitudinem in actu voluntatis est causa præcisa, propter quam voluntas creata causat rectitudinem in suo ordine; ergo cum rectitudo non est in actu voluntatis, hoc prouenit à Deo. Maior est Arist. 1. Post. tex. 30. quam probat, quia sicut habere pulmonem est causa respirationis, ita non habere pulmonem est causa non respirationis. Minor probatur, quia si Deus dat rectitudinem, voluntas creata quoque dat; si non, neque voluntas creata dare potest, vt dictum est ratione precedenti.

Opinio Caietani reijcitur.

72 Opiniones etiam adductæ in hoc capite in particulari, & secundùm proprios modos dicendi, sunt falsæ. Et primò quidem opinio Caietani reijcitur communiter. Primò quia peccatum secundum speciem moralem esset effectiuè à Deo: asserit enim conuersionem actus ad obiectum malum esse à Deo, quòd est cõtra auctoritates apertas Sacrę scripturæ, quas supra adduximus quæ apertè dicunt Deum nolle peccatorem conuerti ad malum, & sequi vias malas. Præterea sequitur ex ea, quod Deus moueat hominem ad operandum contra virtutẽ, & ad operandum vitiosè. Consequentia patet, quia Deus concurrit, & efficit conuersionem ad obiectum vitij; ergo. Præterea non saluat Caietanus, Deum non esse causam auersionis ab obiecto bono, & malitiæ priuatiuè rectitudinis debitæ: nam si Deus est causa conuersionis ad vitium, & illa intrinsecè includit auersionem; ergo est causa etiam auersionis ab objecto bono.

73 Tandem actus ideò est malus, vt suo loco videbimus, quia est contrarius voluntati diuinę in conformitate ad quam stat regula operationis rectæ, & in recessu, à qua stat formalitas malitię: at per Caietanum conuersio ab obiectum malum, & malitia moralis est volita à Deo; ergo implicat contradictionem, quòd malitia moralis sit peccatum. Et cum ait Caietanus, quòd licèt Deus sit causa actus positiui mali, non tamen est causa malitiæ: quia illa non habet causam efficientem, sed deficientẽ, & ideò actum, quatenus prouenit à voluntate diuina, non habere deformitatem, sed quatenus prouenit à voluntate creata deficiente. Contra hoc est argumentum principale 1. cap. & toties factum. Quod est causa positiui, ad quod sequitur necessariò priuatio aliqua, est causa quoque illius priuationis: quod enim est causa fornicationis, est etiam causa priuationis virginitatis: & quod estinguit lucernã est causa priuationis luminis, & tenebrarum; ergo cum Deus sit causa effectiua actus vitij, ad quem sequitur auersio, necessariò est etiam causa deformitatis. Quòd si quis dicat, rectitudo actus nõ est debita actui, vt est à Deo, sed vt est à voluntate creata, contrà. Tunc opinio Caietani coincideret cum opinione Oxam, & Biel, quòd Deus nõ peccat, quia non tenetur dare rectitudinem, vt optimè notauit Medina, eam autem opinionem supra reiecimus.

Opin. Medinæ reijcitur.

74 Primus modus dicendi Medinæ assumit pro fundamento rem dubiam, dicit enim, quòd malitia peccati est separabilis à positiuo: hoc autem est falsum, quia licèt non sit de intrinseca ratione substantiæ actus peccati, tamen stantibus circunstantijs, quibus existentibus actus ille est peccatum, malitia est inseparabilis ab illo actu positiuo: nam odium Dei, etsi quantum ad substantiã actus non includat malitiam, tamen vt est actus elicitur à viatore sciente, & aduertente, ac liberè eliciente, implicat repugnantiam, quòd non habeat malitiam annexam.

75 Secundus modus dicendi etiam eo modo explicatus, est falsus: quia non solum Deus tenetur operari rectè quantum est ex se, sed neque etiam debet cooperari ad actum alterius, quem scit etiam esse malum. Licèt ergo Deus det rectitudinem ex parte sua, tamen quia voluntas creata ex parte sua non dat debitam rectitudinem, sequitur, Deum re vera esse causam malitiæ.

76 Præterea, notandum est, quòd hic modus dicendi videtur supponere, quòd sit idem peccare, & esse causam peccati: hoc tamen est falsum formaliter loquendo, quia licèt hęc duo semper se comitentur, tamen differunt. Vnde Heretici, etsi dicant, Deum esse auctorem peccati, tamen non audent dicere Deum peccare: & in operibus bonis Theologi dicunt, Deum esse causam meriti, non tamen mereri, nec mereri posse. Ideò etiam fieri posset, quòd Deus non peccaret, & tamen esset causa peccati. Non peccaret, quia peccati operatio non imputaretur illi, & ipse non teneretur ad rectitudinem, tamen esset causa actus, qui in voluntate creata esset peccatum: at secundum fidem catholicam debemus saluare, non solum Deũ non peccare; sed neque esse Auctorem, & causam peccati, vt est à voluntate creata.

Opinio Scoti, & quomodo Deus concurrat ad materiale peccati. Caput Quintum.

77 REmanet, vt explicemus opinionem Scoti, quę, vt patebit, verissima est, & omnem ambiguitatem tollit, & difficultati principali primo capite adductæ miro modo satisfacit. In eius autem explicatione tria facienda sunt. Primò oportet videre quomodo voluntas creata se habeat circa causationem peccati pro formali. Secũdò quomodo voluntas diuina non sit causa eiusdem. Tertiò quomodo vtraque voluntas se habeat respectu causalitatis actus materialis peccati; in explicatione enim huius puncti consistit tota difficultas.

Quomodo voluntas creata sit cã formalitatis peccati.

78 Quantum ergo ad primum respondet Scotus in eadem dist. 34. §. *Propter igitur istas duas rationes*, &c. quod ex tribus vijs sup. adductis, scilicet ex duabus, quæ ponũt malitiam pendere à causa per accidens, & ex alia quæ ponit respectu eiusdem causam deficientem, potest colligi vna solutio integralis talis. Supponendum est, vt diximus suprà, quod in peccato mortali duo sunt, scilicet actus positiuus, vt materiale, & priuatio iustitiæ, & rectitudinis debitæ, vt formale (hoc supponitur nunc, quia etsi aliqui dicant rationem formalem peccati esse moralitatem quãdam, & relationem rationis consurgentem in actu libero ratione cuius actus positiuus est iniuria Dei, &c. tamen in prima disputatione suprà ostendimus esse solam priuationem rectitudinis debitæ non quid positiuum) respectu huius priuationis nulla est causa efficiens; sed tantum deficiens. Voluntas enim quæ est debitrix dandi rectitudinem actui suo, & non dat deficiendo, peccat, hæc autem est voluntas creata. Hoc ergo est formaliter peccare, scilicet causam liberam actus non dare illi suam debitam rectitudinem, quam tunc posset dare.

Quomodo tertia uia & causa deficiẽte sit uera.

79 Ex hoc apparet quomodo tertia via dicendi suprà explicata rectè intellecta est vera, & ratio ex D. Aug. concludit: verum est enim quòd voluntas creata est causa deficiens respectu actus peccati, non tamen voluntas creata est præcisè causa deficiens, vt videbatur velle illa opinio, sed etiam est causa efficiens, vt nũc videbimus: & hoc modo intellecta est vera, & rationes contra eam infrà soluentur. Quod ergo voluntas creata non solùm sit causa deficiens, sed etiam efficiens, non per se, sed per accidens, declarat Scotus: nam licèt voluntas creata non causet formaliter illam malitiam efficiendo, sed deficiendo; causat tamen eam malitiam efficiendo actum positiuum, cui est annexus iste defectus deficiendo causatus.

Quomodo secũda via de causa p accidẽs est vera.

80 Et ex hoc apparet quomodo secunda via de causa per accidens, in qua accidentalitas stat ex parte effectus, est probabilis: & auctoritates D. Dyonisij, & Arist. pro illa adductæ concludunt. Nam licèt voluntas creata non intendat malitiam, dum elicit actũ positiuum, immò ali-

quando nollet illam malitiam adesse, tamen ex eo quia malitia cõsequitur necessariò ad actum illum positiuum, hinc sequitur, quòd voluntas est causa efficiens illius malitiæ, non per se, sed per accidens, vt euenit in fortuitis, scilicet preter intentionem ipsius peccantis, licèt sciat, quòd consequetur, quia nollet eam sequi, nec propter illam elicit actum, sed propter propriam delectationem, vel aliquid aliud. Non ergo voluntas creata est precisè causa efficiens per accidens, vt volebat illa opinio, sed simul efficiens per accidens, & deficiens, vt dictum est. Et sic intellecta, est vera, & rationes factæ contra eam soluẽtur infrà.

Quomodo prima via de causa p accidens sit vera.

81 Est etiam voluntas creata causa peccati per accidẽs, accipiendo accidentalitatem ex parte causæ, vt dicebat prima via, quod Scotus sic declarat. Causa potest accidentaliter producere effectũ duobus modis. Vno modo propriè, sicut albedo existens in ædificatore dicitur esse causa ædificandi per accidens, qui modus est vsitatus apud Aristot. Alio modo aliquid potest esse causa per accidens alicuius effectus, extendendo accidens ad quodlibet, quod est extra per se rationem alicuius: quomodo differentia dicitur accidere generi. Cum dicitur, quòd voluntas creata est causa per accidens efficiens malitiam peccati, non intelligitur primo modo, sed secundo. Hoc autem sic probatur. Voluntas in communi est perfectio simpliciter, & ideò ponitur in Deo: voluntas autem in communi cõtrahitur ad voluntatem hanc in specie, scilicet ad creatam per differentiam quãdam nobis ignotam, quam circumloquimur per hoc, quod est esse limitatam vel defectibilem, vel ex nihilo: sicut animal contrahitur per rationale ad hominem. Hæc autem differentia, per quam voluntas in communi contrahitur ad voluntatem creatam, est accidentalis sibi, sicut est accidentale animali, quòd intelligat: non enim animal intelligit per se, sed per accidens, scilicet ratione rationalitatis, quæ est sibi extranea. Insuper hæc differentia contrahens sic voluntatem in communi, est quid dicens imperfectionem, & propriè est causa omnis defectus, & malitiæ in actibus voluntatis, adeò quòd, licèt actus malus sit proprius voluntatis creatæ, vt sic, tanquam causæ propinquæ, tamen si comparetur ad voluntatem in communi, & in se, ab ea prouenit per accidens. Hoc modo intellecta prima via dicendi de causa per accidens, ponendo accidentalitatem ex parte causæ, est vera, & ratio ex D. August. ibi adducta concludit; sed intelligendo eam primo modo, vt loquitur Arist. de causa per accidens, & eo modo, quo illa opinio intelligere videbatur, est falsa. Quomodo autem rationes ibi factæ nõ concludant contra nos, infrà videbimus.

Ex his ergo deducitur, quòd licèt opiniones superius adductæ quò ad proprios modos se explicandi, sint falsæ, tamen quatenus conueniunt in illis tribus modis dicendi generalibus possunt redigi ad bonum sensum, & suppleri in quibus deficiunt.

Secundus punctus.

82 Quò ad secundum punctum, scilicet, quomodo hęc malitia non sit à Deo, non solùm per se, sed neque per accidens, Scotus eadem dist. 34. §. *ad solutionem istorum obiectorum*, &c. breuiter rem sic explicat. Quando duæ causæ partiales concurrunt ad effectum communem ambarum, potest esse defectus in productione effectus ex defectu vnius causæ concurrentis pręcisè, & non ex parte alterius causæ. Exemplum. Ad velle concurrit intellectus, & voluntas: intellectus proponendo obiectum, & illuminando voluntatem: voluntas verò eliciendo actum ipsum. Potest ergo esse defectus in productione actus volendi ex parte intellectus: quia, scilicet non proponit obiectum volendum ipsi voluntati, & tunc velle non habebit esse; potest etiam esse defectus ex parte voluntatis, quia proposito obiecto poterit illud nolle, & tunc velle non habebit esse. Altera ergo istarum causarum deficiente effectus non ponitur in esse. Ad propositum ad velle rectum voluntatis creatæ concurrunt duæ voluntates, scilicet voluntas creata, & voluntas diuina: potest ergo esse defectus in ipso velle ex defectu alterius voluntatis, scilicet creatæ; & hoc quia voluntas creata posset dare rectitudinẽ actui, quam tenetur dare, & tamen non dat; & ideò non producitur velle rectum. Defectus autem hic non potest prouenire à diuina voluntate: quia licèt non teneatur dare illam rectitudinem, tamen quantum est ex se daret, si volũtas creata daret; & illi cooperaretur: vniuersaliter enim quicquid dat Deus antecedenter, daret ilud consequenter quantum est ex se, nisi esset impedimentum: dãdo autem voluntatẽ liberam, dedit antecedẽter opera omnia recta, quæ sunt in potestate voluntatis; & ideò quantum est ex parte sui dedit rectitudinem omni actui voluntatis; & voluntati ex consequẽti daret, si voluntas ipsa quemcumque actum elicitum rectè ageret ex parte sui. Est ergo deformitas in actu materiali peccati ex defectu voluntatis creatæ, non diuinæ: non quia diuina causet rectitudinem, & creata obliquitatem, sed quia Diuina quantum est ex se causaret rectitudinem si creata causaret; & ideo rectitudo non causatur in actu, sed deformitas: quia causa secunda, quantum ad se pertinet, non causat eam. Altera autem causa deficiente, non sequitur effectus, & sic non sequitur actus rectus.

Quomodo Deus non sit cã malitiæ actus peccati.

83 Quòd si quis obijciat, vt suprà; Deus priùs natura agit, quàm voluntas creata; ergo in illo priori vel dat rectitudinem, & sic voluntas creata in secundo instanti naturę non potest non dare rectitudinem; vel non dat rectitudinem, & tunc neque voluntas creata in secũdo instanti potest dare illam rectitudinẽ; ergo defectus non potest prouenire primò à voluntate creata.

84 Respondet Scotus, quòd prioritas naturæ, quæ est inter causas, quæ simul causant effectum communem, nõ est talis, quòd vna causa possit causare, vel actu causet sine alia; sed prius natura in his est, esse causam perfectiorem in agendo, quàm alia, quod declarat in causis diuersorum generum: nam sicut materia non prius materiat, quàm efficiens efficiat, quasi sinè contradictione possit esse materiatum, & non effectum, vel è conuerso, sed in eodem istanti materia materiat, & efficiens efficit, & tamẽ in his est prioritas, & ordo naturæ: prioritate enim naturæ materia causat, quia subijcitur actioni agentis: ita in causis eiusdem ordinis, vt in causis efficientibus, licèt causa superior prius natura efficiat, quàm inferior, non tamen ita efficit, vt possit in aliquo instanti ante causam secundam influere in effectum communem, sed in eodem instanti efficiunt. Prioritas ergo naturę est, quòd superior perfectius causat, quàm causa secunda. Ad propositum ergo Deus non potest in aliquo instanti naturæ dare, vel non dare rectitudinem actui ante voluntatem creatam, sed in codẽ instanti simul ambæ concurrunt. Vndè cum actus caret debita rectitudine hoc non procedit à causa prima, quæ, quantum est ex se, daret rectitudinem, si secunda daret, sed defectus prouenit ex causa secunda non dante rectitudinem, quam tenetur dare, & posset dare, cum Deus paratus sit voluntate antecedente ad dandam eam, si voluntas creata dare velit.

Quomodo causa superior prius natura causet, quàm secunda.

85 Sed est obiectio ex Vasquez, Molina, & alijs Recentioribus, vt diximus in primo Sententiarum disp. 54. ca. 5. Et est obiectio, quam nos suprà sæpius inculcauimus aduersus alios. Videtur esse falsum, quòd Deus det rectitudinem debitam actui materiali peccato: nam, verbi gratia, odium Dei elicitum scienter à viatore, & cum alijs circunstantijs, cum quibus est peccatum mortale, est incapax rectitudinis debitæ; ergo Deus non potest dare illi rectitudinem debitam, cum illa sit incompossibilis tali actui cum his circunstantijs.

Obiectio ex Recentioribus cõtra Scotũ.

86 Respõdent aliqui, vt Medina vbi suprà, quòd Deus dat rectitudinem debitam, quia cõcurrit ad actum illum positiuum secundùm debitam regulam, scilicet secundùm dictamen rectæ rationis: dictat enim recta ratio, quòd primum agens permittat, & nõ tollat liberum arbitrium, & det ei necessaria ad operandum. Sed hæc responsio nisi melius declaretur non satisfacit: quia dato quòd Deus concurrat ad actum odij secundùm dictamen rectę rationis,

Solutio aliorum.

nis, nō propter hoc sequitur quin sit causa illius defectus, qui necessariò consequitur ad talem actum. Et sic non saluamus, Deum non esse causam peccati, licèt ipse non intendat peccatum, & deformitatem, vt diximus suprà contra primum modum dicendi, quòd peccatum habeat causam per accidens, ponendo accidētalitatē ex parte causæ.

Solutio propria.

87 Respondeo ergo quòd Deus dicitur dare rectitudinem actui materiali peccati non positiuè, quia ponat rectitudinem in actu etiam voluntate antecedenti: quia ille actus sic circumstantionatus est incapax illius; sed quia nollet, voluntatem elicere actum illum, cui annexa est illa deformitas. Et ita cum Deus non consentiat, quantum est ex se, in actum illum positiuum, sed solum concurrat ex lege statuta, quòd voluntas creata sit libera, & Deus concurrat ad actum quemcunque illa vult, non potest dici dare malitiam, sed dat rectitudinem negatiuè, vt ita dicam, id est quantum est ex se negando, & non volendo malitiam. Sed hæc responsio magis declarabitur ex tertio puncto explicādo, vbi patebit quid sit permissio in voluntate Dei. Satis est quòd ex dictis hucusquæ habemus, quòd etsi voluntas creata sit causa malitiæ peccati deficiendo, & efficiendo per accidens, & Deus concurrat cum actu illo positiuo per se, & effectiuè, non tamen propter hoc sequitur, quòd Deus sit causa malitiæ illius actus per accidens, (qđ enim non sit causa illius malitiæ per se patet, cum neque voluntas creata sit causa illius per se, vt visum est) quia malitia illa prouenit à causa deficiente, non à causa non deficiente, cuiusmodi est Deus.

Tertius pūctus, quomodo Deꝰ velit actum materialē peccati.

88 Vt ergo plenè intelligatur, quomodo Deus non sit causa deformitatis in actu peccati, licèt concurrat ad actū positiuum effectiuè, vt causa prima, cui actui annexa est deformitas inseparabiliter, & solutio omnium obiectionum clarè habeatur, necesse est videre, quomodo Deus velit actum materialem peccati: in hoc enim puncto versatur difficultas principalis, & Recentiores Theologi acerrimè inter se digladiantur.

Duæ opiniones contrariæ Recētiorum.

Opinio Aluarez, & aliorum.

89 Quidam enixè sustinent Deum prędeterminare, & pręfinire, ac pręmouere actuali motione volūtatem creatam ad talem actum, & ad omnem entitatem positiuam, quæ in illo est. Hanc opinionem ex Recentioribus tenent Aluarez lib. 3. de Auxilijs disp. 24. concl. 2. & citat in hanc opinionem multos Scholasticos Thomistas (qui an illius sint sententiæ nolo multum esse sollicitus; multi enim ex illis ab alijs pro opposita sententia adducūtur) scilicet Capreolum in 2. d. 37. art. 3. ad secundum principale, Ferrariensem 3. contra Gentiles cap. 71. Soto primo de natura, & gratia cap. 18. Medinam p. 2. quæst. 79. a. 2. Bannes p. 1. q. 19. a. 10. dubio 1. ad quintum post tertium fundamentum. Alij ex aduerso negant, Deum prędeterminare, & pręfinire actus materiales peccatorum, ac Deum pręmouere, & determinare voluntatem creatam ad producendum huiusmodi actus malos, sed tantummodo velle illos actus positiuos ex suppositione, quòd voluntas creata se se ad illos determinauerit, & applicauerit, vt Suarez lib. 2. de Auxi. per totum, Lessius disp. apologetica cap. 3. & multi alij cum eis.

Opin. Suarez, & aliorum.

Opin. Scoti.

90 Verùm antequam fundamenta istarum opinionū adducamus, & eas examinemus, melius est opinionem Scoti declarare, quam verissimam puto: perspecta enim veritate facilius est cognoscere discrimen istarum opinionum, & quanti ponderis sint earum fundamenta. Supponendum est ergo secundum Fidem Catholicam, Deum non esse causam peccati propriè, & per se, sed permissiuè tantùm, vt habet Sacrum Concilium Tridentinum sess. 6. Can. 6. & est communis sententia Theologorum, & Sanctorum Patrum, vt postea videbimus. Certum est autem, cum dicunt, Deum permittere peccatum, intelligere de peccato pro materiali, cui est annexa deformitas, non de formali, vt patet ex dictis: quia quòd permittitur potest impediri; at posito actu materiali peccati nō potest Deus impedire ne sequatur deformitas, stante lege Dei ordinata, quod etiam patebit ex dicendis. Vt ergo intelligamus, quomodo Deus velit actum materialem peccati, necesse est videre quid sit actus voluntatis qui dicitur permissio.

Deus est cā peccati tantū permissiuè.

91 Scotus in 1. dist. 41. §. *Sed adhuc contra istud instatur*, &c. asserit, Deum circa peccata reproborum habere tantum actum permissionis, nō autem actum positiuum: facit autem obiectionem cōtra hoc, quæ est. Quærit quid sit illud permittere Luciferum peccare; si est aliquis actus positiuus voluntatis diuinæ, ergo videtur, quòd Deus velit positiuè Luciferum peccare: si illud permittere non est actus positiuus, remanet quærendum quid sit actus ille permissionis. Respondens deinde ad hoc argumentum, inquit, hoc argumentum quærere difficultatem tangentem diuinam voluntatem, de qua infrà disp. 47. In distin. autē 47. explicans quid sit permissio diuina, declarat eam per comparationem ad voluntatem nostram creatam, & habet hanc doctrinam.

Quid sit permissio.

92 In nobis potest distingui duplex actus voluntatis, scilicet velle, & nolle, & vterque est actus positiuus, & si sint circa idem obiectum sunt contrarij actus, qui exprimuntur alijs vocabulis, quæ sunt, amare, & odire. Vterque autē istorum actuum in nobis, scilicet velle, & nolle, distinguitur: velle distinguitur in velle efficax, & in velle remissum: similiter nolle distinguitur in nolle efficax, & in nolle remissum. Velle efficax est quo voluntati non solum placet esse voliti, sed si posset statim ponere volitum in esse, statim poneret: & ita nolitio efficax est, qua non solum nolens impedit aliquid, sed si possit omnino destruit illud. Velle autem remissum, siuè voluntas remissa, est, qua ita placet volitum, quòd tamen voluntas non ponit illud in esse; licèt posset illud ponere si vellet. Nolitio, etiam remissa, est, qua ita displicet nolitum, quòd non prohibeat illud esse, licèt posset prohibere si vellet.

93 Ad propositum, in nobis permissio propriè dicta videtur esse nolitio remissa alicuius mali quod scio. Hæc diffinitio probatur, nàm apponitur illa particula, quod scio, quia non dicor propriè permittere illud, de quo nihil scio; neque etiam dicor permittere illud, quod ita fit ab alio, quòd placet mihi. Illud igitur dicor propriè, permittere, quod scio ab alio male fieri, & mihi displicet, nec tamen impedio eum, cum possim.

Quid sit permissio ī nobis.

94 Subiungit Scotus, signa istarum volitionum, & nolitionum in nobis signum volitionis efficacis in eo, qui operatur, est adimpletio. Signum verò volitionis, in altero qui non operatur, est pręceptum: cum enim quis adimplet actu aliquam volitionem, signum est quòd volebat illud volitum efficaciter. Et cum quis pręcipit alicui, vt aliquid efficiat, signum est, quod pręcipiens vult illud efficaciter. Signum verò nolitionis efficacis est non executio, nec adimpletio in eo qui operatur; & prohibitio in alio, qui non operatur immediatè. Signum verò volitionis remissæ in nobis est forte consilium, persuasio, monitio, & huiusmodi. Signum nolitionis remissæ est permissio, vel dissuasio.

Signa volūtatis efficacis, & remissæ.

95 Ad propositum, si hæc distinctio non dicat imperfectionē in aliquo membro, & ideo possit applicari Deo, habebimus, inquit Scotus, quid sit permissio in Deo: nam possumus sic eam explicare. Sicut Deus vnico illo actu voluntatis diuinæ habet velle, & nolle sine distinctione, & sine contradictione in illo actu in se propter eius infinitatem, ita poneretur illo actu velle aliqua obiecta efficaciter, alia verò remissè: & similiter alia obiecta nolle efficaciter, alia verò nolle remissè. Et tunc possemus dicere, quòd actus permissionis in diuina voluntate, est nolitio remissa alicuius obiecti.

Quid sit permissio in Dei voluntate.

96 Verùm si istud non placet, inquit Scotus, quia nolitio obiecti cuiuscumque positi in esse videtur esse cum aliqua tristitia nolentis, & videtur etiam importare aliquam imperfectionem in voluntate sic nolentis, & ideò non debeat talis nolitio poni in Deo, potest dici, quòd permissio ad intrà in Deo ipso nihil aliud est, nisi non velle prohibere illud fieri, quod sibi displicet: & hoc pacto permissio nō est actus positiuus, qui est nolitio remissa, sed est negatio

actus positiui diuini, qui est velle efficaciter. Quod est ac si dicat, permittere in Deo, est non velle efficaciter prohibere actum, qui sibi displicet. Quòd si quis obijciat, permittens aliquid est volens sinere illud fieri, vnde D. August. in Enchyridion cap. 100. loquens de voluntate diuina permittente peccata, ait. *Neque vtique nolens sinit, sed volens*; ergo permissio est actus positiuus. Respondet Scotus, illud non esse intelligendum hoc modo, quòd Deus actu recto vellit illud, quòd permittit, vt aliquem peccare, quem permittit peccare: quia Deus nõ potest velle, aliquem peccare, sed debet intelligi ita, quòd Deus vult voluntatẽ suã nõ velle prohibere illud peccatum: & tunc vult voluntatẽ suam non velle prohibere illud peccatum: ita quòd illud volens sinere non est actus rectus super peccatum, sed est actus reflexus; & tendit directè super negationem volendi prohibere peccatum; vndè permittere in Deo est, voluntatem diuinam velle se nõ velle prohibere actum peccati. Istud autem si benè perpendatur, est ac si Scotus dicat, permissionem diuinam esse actum diuinæ voluntatis, quo vult non reuocare legem, & decretum suum, quo determinauit velle concurrere ad actum positiuum quemcumque voluntatis creatæ, vt ipsa in sua libertate haberet facere bonum, & malum; nam dicere, quòd permittere est velle non impedire actum positiuum peccati, est ac si dicat, permittere, est velle seruare legem, & decretum concurrendi ad actum voluntatis creatæ, etiam si ille displiceat Deo. Ex his colligitur, quòd permissio peccati in Deo non est aliquod velle neque efficax, neque remissum, sed vel est nolitio, non quidem efficax, sed remissa; vel est negatio actus positiui diuini, scilicet non velle prohibere; vel est actus positiuus actus negatiui voluntatis suæ circa prohibitionem actus peccati, scilicet velle se non velle prohibere actum voluntatis creatæ. Quod tandem reducitur ad hoc, vt sit volitio conseruationis primi decreti diuini, quo statuit concurrere cum voluntate creata ad quemcunque actum eius, etiam si talis actus sibi displiceat.

Quomodo actus peccati non sit à Deo, sed à voluntate creata.

97 Ex hoc declaratur, quomodo Deus, licèt concurrat ad actum positiuum peccati, tamen non possit dici causa peccati; & quòd actus peccati, vt est à Deo, non est peccatum; nec Deus est culpandus ex hoc concursu, sed est tantummodo peccatum, vt est à voluntate creata, & illa sola est culpanda: nam Deus, quantum est ex se, nollet illum actum materialem, ad quẽ sequitur deformitas, quæ est, actum non esse conformem suæ voluntati; concurrit tamen, quia decreuit, vt voluntas creata esset libera, & posset elicere actum quemcunque sibi placeret, vt haberet occasionem merendi. Exemplo possumus rem declarare. Si aliquis pater vt faceret periculum, an proprius filius sit sibi obediens, pręciperet ei, ne comederet de pomis viridarij sui, & tamen diceret ei, licèt faciam tibi hoc pręceptum, nihilominus ecce habeo clauem, aperiam tibi viridarium, & adiuuabo te ad colligendum poma, quæ per temetipsum non potes si volueris comedere, quia volo, vt sit in potestate tua comedere poma; scias tamen, si comedes, te violaturum præceptum meum, propter cuius violationem te carceri mancipabo: si filius vidente patre, & ei prębente clauem viridarij, & eum adiuuante ad colligendum poma, comederet poma viridarij, diceretur comedisse poma patre permittente, quia pater potuisset prohibere actum illum, qui sibi displicebat, & non prohibuit: sed cooperatus est filio ad illum. In hoc casu clarum est, quòd actus ille comedendi poma, est actus malus, & peccatum, vt prouenit à filio, non tamen vt prouenit à patre; neque pater est culpandus vllo modo, eo quod permisit, & adiuuit filium ad illum actum, quia voluit experiri, an filius illum diligeret, & vellet ei obedire. Ita in proposito, Deus dedit creaturæ intellectuali legem, & pręcepta, ne faceret certos actus positiuos, tamen ei notificauit se paratum esse ad eam adiuuandam, etiam ad illos actus, si ipsa creatura voluerit illos elicere, & exercere; sed tamen incidet in iram ipsius, & eam puniet pœna æterna. Creatura rationalis nunc vult illos actus elicere, non obstante pręcepto Dei, Deus eam adiuuat iuxta promissum; ergò actus iste positiuus, vt est à Deo permissus, non est peccatum, neque Deus habet aliquam culpã in hoc concursu: sed actus iste habet annexam deformitatem, & malitiam pręcisè, vt prouenit à voluntate creata; neque Deus per se, nec per accidens est causa illius malitiæ, vt dictum est.

98 Verùm dicet aliquis, Actus, quo Deus concurrit ad actum peccati, est volitio efficax, & beneplaciti; sed actus, quo nollet actum peccati, est voluntas antecedens, & signi, non efficax; ergo Deus est verè causa peccati: quia vult illud voluntate beneplaciti, & efficiaci: ponitur enim in esse. Respondetur, quod propriè loquendo actus ille est permissio, vt diximus: nam actus permissionis quoque ponitur in esse, impropriè tamẽ potest dici volitio efficax, non absoluta, sed ex suppositione.

99 Sed vlterius est obseruãdum fundamentum aliud, ex quo pendet quoque, quòd actus ille positiuus peccati, vt permittitur à Deo, & Deus concurrit ad eum efficiendum, non habet malitiam, & ideo Deus non potest esse causa per accidens illius, nimirum, quòd malitia, & deformitas in actu illo positiuo non sequitur intrinsecè actum illum ex substantia actus, vt aliqui malè putant, sed solùm quia est prohibitus, vt prima disputatione diximus: odiũ enim Dei, blasphemia, adoratio Dæmonum, & huiusmodi, qui dicuntur actus intrinsecè mali, sunt mali, quia prohibiti à Deo, & sunt contra legem ordinatam, non è conuerso, quia mali, ideò sunt prohibiti, quia quicquid ad extra est bonum, est bonum, quia est volitum à Deo; & quicquid est malum, est malum, quia est nolitum à Deo, vt docet Scotus in 1. Sent. d. 44. Et cum dicitur, quòd Deus non potest dispensare in præceptis primæ Tabulæ, est verum de potentia secundum legem ordinatam, non de potentia sua absoluta, & non adstricta legi ordinatæ, secundum quam potest facere quicquid non implicat contradictionem: vnde posset Deus facere, quòd odium Dei non esset peccatum, auferendo primum pręceptum Decalogi, (potest enim Deus potẽtia absoluta facere quicquid nõ implicat contradictionem) & alia huiusmodi, quia hæc non implicant cõtradictionem. Et hæc, quæ sunt extra Deum, quantumcumque impia, & iniqua sint, nihil boni, vel mali ponunt in Deo. Sed dices, ergo pari modo posset Deus dicere mendacium, operari malum, & huiusmodi, quæ secundum Sacram scripturam Deo competere nõ possunt. Respondetur non valere consequentiam, neque esse parem rationem: dictum est enim, Deum non posse facere ea quæ implicant contradictionem, at Deum mentiri implicant contradictionem, quia Deus est veritas; implicat Deum facere malum, & peccare, quia est ipsa bonitas, & sic de alijs. Odium autem Dei secundum legem naturalem, & diuinam nobis datam, & insertam implicat esse actum bonum: quia secundum principia naturalia hic actus est disconueniens, & malus, quòd Benefactor, & Creator, & Conseruator non diligatur, sed odio habeatur: at si Deus aliam legem inseruisset cordibus nostris, hoc non esset inconueniens, neque actus malus. Ex hoc ad propositum, malitia in actu peccati positiuo nõ est intrinseca substantiæ actui, sed extrinseca, scilicet, quia est nolitus à Deo, ideò cum volũtas creata vult actum illum prohibitum, licèt Deus concurrat vt seruet decretum de libertate voluntatis creatæ non violanda, non cooperatur ad malum, quia quantum est ex se illum actum nollet, scilicet nollet voluntatem creatam velle illum actum, non quia in se sit absolutè malum, sed quia ei illum prohibuit secundum legem ordinatam; ideò dum consentit in actũ, consentit in positiuum, quod est quid bonum: hinc etiam patet, quòd actus ille est peccatum, & habet malitiam à causa deficiente, non efficiente; & quòd voluntas creata est causa illius deformitatis per accidens, non per se; Deus autem non est causa defectiua, neque per accidens, neque per se, neque vllo modo.

An Deus possit dispensare in præceptis primæ tabulæ.

An Deus posse dicere mendacium.

100 Ex his etiam patet, quomodo verũ sit, quòd Deus dat rectitudinem actibus peccati antecedenter; nam licèt

non

non det rectitudinem actui peccati in indiuiduo signato, vt huic actui, qui est odium Dei, quia talis actus sic in indiuiduo signato non est capax illius, stante lege ordinaria Dei, tamen Deus dat rectitudinem cuilibet actui voluntatis in indiuiduo, vt ita dicã, vago: quia quantum est ex se, nollet, voluntatem creatam elicere aliquem actum particularem, qui sit contra voluntatem suam, & eidem voluntati creatæ sit prohibitus; sed vellet eam elicere actus particulares conformes suæ voluntati diuinæ, & propter hoc iurè dixit Scotus, quòd Deus, *dando voluntatem liberam, dedit antecedenter opera recta, quæ sunt in potestate voluntatis; & ideò quantum est ex parte sui, dedit rectitudinem omni actui voluntatis, & ex cõsequenti daret, si ipsa voluntas quemcumque actum elicitum rectè ageret ex parte sui.* Et hic sensus est planior, qui mihi in mentem venit diligentius hanc materiam tractanti. Est enim ac si dicat Scotus, Deus non est causa deformitatis in actu peccati, sed sola voluntas creata: quia Deus, quantum est ex se, daret rectitudinem actibus voluntatis creatæ, scilicet concurreret tantùm ad actus habentes rectitudinem non deformitatem, si voluntas creata vellet ad illos tãtum concurrere: si ergo actus positiui, quos elicit voluntas creata non habent annexam rectitudinem debitam, sed deformitatem, culpa non est Dei, sed voluntatis creatæ. Habemus ergo ex his, quid sit permissio in voluntate diuina, & quomodo Deus sit causa actus positiui peccati permissiuè; deformitatis verò nullo modo: quia illa habet solum causam deficientem, & causam per accidens, quæ est sola volũtas creata, vt dictum est supra in principio huius Capitis, in explanatione primi, & secundi puncti.

Quomodo Deus det rectitudinem actui peccati.

101 Quòd si quis instet videtur, quod Deus sit causa deformitatis peccati per accidens saltem remota: quia permittit actum positiuum voluntatis creatæ ad quem sequitur inseparabiliter deformitas, quem potuisset impedire. Respondetur, etsi hoc modo possit Deus dici causa per accidens remota peccati, tamen hic modus causandi deformitatem nõ est culpabilis, nec moraliter est malus: nam cum aliquis hortatur aliquem ad bonum, & dehortatur à malo, quantum est ex se, nõ impedit autem ipsum à malo, etiamsi possit propter aliquam rationabilem causam, propter quam non tenetur, nec debet impedire, vt fit in multis permissionibus, & si permittendo videatur esse causa illius mali, tamen non est causa culpabilis, & moraliter mala, sed bona: ita licèt Deus possit dici causa per accidens remota malorum quæ fiunt in mundo, quia posset illa impedire, tamen non ob hoc est causa culpabilis, quia Deus propter iustissimas causas hæc mala permittit, quarum illa est notissima: quia voluit, creaturam rationalem creare liberam, iuxtà iustitiam suam diuinam, vt meritis suis acquireret beatitudinem, quàm ei vt brauium proposuit secundùm Apost. & ideò debuit esse in potestate creaturæ facere bonum, & malum.

Habita vera intelligentia, quomodo Deus se habeat ad actum peccati positiuum, & ad malitiam sequentem ad eum, facilè est inuestigare quænam duarum opinionum, quæ inter Recentiores versantur de concursu Dei ad actum peccati, sit verior, & in quo illæ deficiant, quod fiet capite sequenti.

Ex dictis opinio Recentiorum quorundam reijcitur. Caput Sextum.

102 EX dictis facilè est ferre iudicium de opinionibus Recentiorũ, qui de modo, quo Deus cõcurrat ad actum peccati, valde digladiantur. Aliqui enim, vt diximus cap. præcedenti, tenent primò Deum non solum prędefinire, sed tãquàm primam causam pręmouere, & prędeterminare actuali motione voluntatem creatam ad talem actum, inquantum actus est, & secundùm quod est ens. cum hoc tamen secundo asserunt non esse concedendum absolutè loquendo, Deum esse causam peccati, aut mali moralis, vt odij Dei, & huiusmodi; vel quod homo

Opinio Aluarez, & aliorum.

indigeat auxilio Dei ad eum odio habendum. Tertiò subiungunt, cum dicitur, Deus est causa peccati pro materiali, hæc propositio est distinguenda: nam vel materiale ibi accipitur formaliter, & vt dicit respectum ad formale peccati; & in hoc sensu est falsa, quia actus non habet ex causalitate Dei ordinem ad malitiam peccati. Vel materiale ibi absolutè sumitur ꝓ entitate actus peccati, vt actus est; cui tamen accidit malitia ex defectu voluntatis creatæ: & sic conceditur. Tota difficultas est in prima parte huius opinionis. Hanc opinionem defendit Aluarez lib. 3. de Auxilijs disp. 24. & eã probat primò auctoritate Capreoli, & aliorum Scholasticorum, quos adduximus cap. præcedenti, & insuper auctoritatibus primò ex D. August. lib. 3. de libero arbitrio cap. 19. & 20. vbi D. August. manifestè distinguit duo in actu peccati, scilicet motum realem voluntatis inquantum motus est, & istum docet ex Deo esse: alterum est defectus à recta ratione; & hũc in solam voluntatem deficientem reducit. Pręterea lib. 5. contra Iulianum cap. 3. habet hæc verba. *Operatur Deus in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates quocunque voluerit, siuè ad bona pro sua misericordia, siuè ad mala pro meritis eorum.* Pręterea adducit ibi D. August. contra Iulianum multa testimonia Sacræ scripturæ ad probandum, quòd Deus mouet, & inclinat voluntates ad actus malos, quatenus videlicet actus sunt; pręsertim illud Isaiæ 19. *Dominus miscuit illis spiritum erroris.* 63. *quid errare fecisti nos Domine in via tua? indurasti corda nostra, vt non timeremus te.* Et ad Romanos 1. *Propterea tradidit illos Deus in reprobum sensum.* Subiungit autem Aluarez, has auctoritates non posse intelligi de actu permissiuo Dei, sed debere intelligi de effectu, & influxu positiuo, & propriè; quia eodem cap. 3. D. August. impugnans Iulianum, qui exponebat has auctoritates de actu permissiuè, habet hæc verba. *Quid est autem, quod dicis cum desiderijs suis traditi dicuntur relicti per diuinam patientiam, intelligendi sunt non per potentiam in peccata compulsi? quasi non simul posuerit hæc duo idem Apostolus, & patientiam, & potentiam, vbi ait. Sic autem Deus volens ostendere irã, & demonstrare potentiam suam,* &c.

1. Ratio ꝓ hac opinione Thomistarum Recẽtiorum.

103 Secundò. Probat eandem opinionem auctoritate D. Thomæ 2. Sent. dist. 37. quæst. 2. art. 2. vbi ait. *Et ideò quicquid est in actu deficiente, scilicet peccato de ratione actus, & entis, & boni, totum hoc à primo agente, scilicet Deo, procedit mediante voluntate; sed ipse defectus qui est in actu hoc modo est à voluntate, quod à Deo non procedit.* Quibus verbis asserit, quòd actus peccati inquantũ actus à Deo, est tanquam à causa priori efficiente: ait autẽ, Deum producere actum peccati, *Mediante voluntate.* Sẽtit ergo D. Thomas, quòd Deus pręmouet eandem volũtatem ad producendum actum peccati inquantum actus est. Præterea in responsione ad secundũ ibidem inquit, quòd etsi Deus sit causa actionis illius, in qua malum cõnsistit, *secundum quod influit agenti esse posse, & agere, & quicquid in agente perfectionis est,* non tamen dicitur cooperari ad malum, quia illud solum cooperatur ad malũ, quod inclinat ad actionem secundum quod deformitati substat, vndè mala est: hoc autẽ Deo non conuenit, ideò non oportet, vt ad malum cooperari dicatur. Et in respõsione ad tertium ait, quòd aliter Deus est causa bonarum operationum, & aliter malarum: nàm bonarum est causa quantum ad essentiam actus, & quantum ad perfectionem, secundum quam bonæ dicuntur: vtrumque enim agenti influit, & vt agat, & vt benè agat; sed in malis actionibus, quamuis sit causa earum quantum ad essentiam, non tamen est causa quantum ad defectum; & ideò absolutè est dicendus causa bonorum operum, non autem peccatorum.

2. Ratio ex auctoritate D. Thomę.

104 Tertiò. Probatur ratione, Omne ens ꝑ participationẽ reducitur in ens per essentiã tanquã in primũ agens simpliciter: at Deus, qui est primum agens per decretum suæ voluntatis efficax operatur omnia, quæ producit in tempore; ergo Deus absoluto, & efficaci decreto deter-

3. Ratio.

minauit, quòd voluntas creata produceret actum peccati inquantum est ens.

4. Ratio. 105 Quartò. Si ista opinio non approbatur, hoc fit, quia si Deus prædeterminaret, & præmoueret voluntatem ad actum peccati, sequeretur, Deum esse causam peccati: at hoc non sequitur; ergo illud antecedens non est negandum. Consequentia probatur, quia qui sunt oppositæ sententiæ, licèt non dicant, Deum præmouere voluntatem nostram ad actum peccati, tamen dicunt, Deum simul concurrere cum voluntate nostra ad actum peccati, & tamen non dicunt, ex hoc sequi, Deum esse causam peccati; ergo licèt concurrat præmouendo, non est dicendũ esse causam peccati. Nec maius inconueniens est dicere, quòd Deus concurrit ad actum peccati, quã dicere, quòd prædefinit, determinat, & vult actum peccati.

5. Ratio. 106 Quintò. Si Deus non præmoueret, & non prædeterminaret voluntatem creatam ad actum materialẽ peccati, sed concursus Dei esset indifferens secundum se, voluntas verò creata esset, quæ primò se determinaret ad actum peccati, vt habemus dicere si iudicamus ex illa positione, quòd præmoueat voluntatem ad actum peccati, sequatur, Deũ esse causam peccati, sequeretur hoc magnum absurdum, quòd concursus Dei determinaretur à voluntate creata, & esset ea posterior, & voluntas creata in ordine ad aliquem actum realem, vt actus est, esset simpliciter primum agens; & ita hæc causalis esset concedenda, quia voluntas creata operatur talem actum, vt est ens, Deus cooperatur. Hanc autem propositionem nullatenus esse concedendam probat efficaciter Sanctus Thomas in 2. Sent. dist. 37. quæst. 2. art. 2. nã sequeretur, quòd essent constituenda duo principia prima, & quòd Deus non esset simpliciter prima causa omnium, quę quodcũq; esse habent.

6. Ratio. 107 Sextò. Deus habet perfectam prouidentiã actus peccati inquantum actus, neque enim casu concurrit ad eum, cum diuina prouidentia se extendat ad omnia, quæ quomodocunque habent rationem entitatis; ergo æterno decreto suæ voluntatis præordinauit, & prędetermina uit in finem talem actum inquantum est.

Reijcitur. 108 Hæc opinio reijcitur multis à Recentioribus, pręsertim à Suarez lib. 2. de Auxilijs, & multis alijs, & reuera, vt ex dictis patet, ea mihi quoque nullo modo probanda videtur, neque puto esse sententiam D. Thomæ, & multò minus D. Aug. Et dimissis multis, breuiter ex natura rei id ostendo. In primis statuendum est hoc fundamentũ, quod est de fide in Concilio Tridentino sess. 6. can. 6. & Concilio Arausicano 2. can. 23. & 25. statutũ, quòd Deus non est causa peccati propriè, nec per se, sed permissiuè tãtùm: bonorum verò operum est causa per se, & propriè. Quod fundamentum in Ecclesia Dei semper fuit certissimum, & à Sanctis Patribus vbique suppositum, & traditum, quorum multas auctoritates adducit Bellarminus libro 2. de amissione gratiæ, & statu peccati, præsertim cap. 9. & alij, quos in re nota non est opus adducere. Hoc autem supposito, facilè ostendere possumus intentum: nã dictum est cap. præcedenti, quod permissio non est volitio, nõ solum efficax, sed neque remissa; sed est nolitio nõ quidem efficax, sed remissa; siuè quod idem est, est nolitio siuè non velle prohibere actum, quem prohibere potest. Tunc ad propositum, Deus vult actum peccati tantùm permissiuè; ergo volitio peccati in Deo non est volitio efficax illius actus peccati, neque volitio remissa, sed est nolitio remissa, siuè velle non impedire decretum suũ diuinum, quo determinauit non impedire voluntatem, sed concurrere ad actus quoscumque voluerit voluntas creata concurrere, quòd sua infinita sapientia, & iustitia iudicauit esse bonum. At secundum aduersarios actus peccati à Deo est volitus efficaciter, & vltimata voluntate quæ est volũtas beneplaciti, & semper adimpletur: siquidem dicunt, quòd Deus prædefiniuit hos actus, atque præmouet, & prædeterminat verè, & propriè, ac realiter voluntatem ad eos eliciendos; ergo actus Dei circa actum peccati secundum aduersarios non est permissio, sed volũtas efficax, & vltimata, sicut est volitio, qua voluit creare mundum Angelos, &c. quòd est contra definitiones Conciliorum, & Sanctorum Patrum.

109 Nec valet responsio, quòd Deus prædeterminat, & præmouet voluntatem ad actus materiales peccati, nõ vt mali sunt, sed vt sunt entia, & boni; & quòd cum Concilia, & Sancti Patres dicunt, Deum non esse causam peccati per se, & propriè, sed permissiuè, accipiunt peccatum pro formali, & loquuntur de actibus istis, vt mali, & peccata sunt, quoniam hæc responsio potest habere duplicẽ sensum, & nullus potest admitti. Primus est, quòd Concilia dicant, Deum non velle per se, & propriè deformitatem, & malitiam peccati in abstracto, & hic sensus nõ potest esse intentus à Concilijs, quia est impossibilis: nã nulla malitia, & deformitas est per se, & ꝓpriè volibilis; quoniam malitia, & deformitas hæc est priuatio: nulla autẽ priuatio, & defectus est in se volibilis; sed est volibilis solùm per accidens, quatenus, scilicet est annexa alicui positiuo, quod est per se volitum. Quòd etiam ipsi fatentur, quia defectus, & malitia non habet causam efficientem, sed deficientem. Non est ergo verisimile, quòd Concilia definiant, Deum nõ velle per se, & propriè illud, quod per se, & propriè non est volibile. Responsio aduersariorum reijcitur.

110 Et per hoc impugnatur illa responsio communis, (intellecta in sensu allegato) quòd Deus non vult peccatũ pro formali, sed vult illud pro materiali; accipiẽdo enim peccatum pro formali non est quid volibile per se, & propriè, sed solùm per accidens. Deum velle peccatũ pro formali, ĩtelligẽdo formalitatẽ in abstracto, reijcitur.

1,11 Alter sensus est, quòd Deus non vult per se, & propriè actum peccati, vt est sub illa malitia, & deformitate, sed vt est ens; & hic videtur esse sensus intentus ab his auctoribus. At neque iste sensus est verus, non enim est possibile, quod Deus velit illum actum absque malitia, sed necessariò vult illum actum, vt est sub malitia, si illũ actũ, vt est ens positiuum vult propriè, & per se. Assumptum hoc probatur: quia licèt deformitas non oriatur intrinsecè ex substantia actus sed extrinsecè, & ex prohibitione legis, tamen stantibus circunstantijs, quæ stant, dum actus ille ponitur in esse, illa deformitas necessariò sequitur ad eum; adeò quod illa deformitas non est separabilis ab actu nisi per abstractionem intellectus, non autem, ex parte rei, vt patet. Licèt ergo Deus posset velle actum materialem peccati abstrahendo, & pręscindendo per intellectum malitiam ab actu, tamen non potest velle actum illum in re esse absque malitia: quia nõ reperitur actus ille in re sine malitia. Et si Deus est causa illius actus positiui in re non permissiuè, sed per se, & propriè, est etiam causa malitiæ illius in re, non per se, sed per accidens. Ex hoc sequitur, quòd non potest velle per se, & propriè actum peccati, etiam vt est ens, & actus: quia tunc vellet per accidẽs malitiam, & deformitatem, quòd est falsum etiam secundum eos, & secundum veritatẽ catholicam: nàm etiam homo peccator, vt plurimum, vult actum peccati tantùm, vt est ens, & actus talis, non autem vult malitiam per se, sed solum per accidens, scilicet quia vult per se actum positiuum cui necessariò est annexa deformitas, vt suprà diximus. Relinquitur ergo, quòd si Deus vult per se, & propriè actum peccati, vt est ens, necessariò quoque velit per accidens deformitatem eius; ergo quando Concilia, & Sancti Patres dicunt, Deum non esse causam peccati propriè, & per se, intelligunt de actu materiali in se, non autem præcisè sub hac conditione, vt est peccatum, vel vt habet deformitatem annexam: quia hic secundus sensus necessariò sequitur ad primum, vt probatum est. Et cum dicunt, Deũ esse causam peccati permissiuè, intelligunt de actu materiali peccati: Deus enim illum actum etiam, vt est ens, & bonus, non vult, nec efficaciter, nec remissè, sed pro tãto illum vult, quia non impedit, nec prohibet suum influxum, & concursum ad illũ, vt non destruat decretum suum, quo sanciuit, vt creatura libera liberè operetur, quod est, propriè loquendo, velle

pec-

permissiuè. Et hac ratione clarè habetur, quare Deus non sit culpabilis respectu malitiæ consequentis ad actū illū.

Cōfirmatio.

112 Confirmatur: quia manifestum est in Sacra scriptura, Deum alio modo velle opera bona, & alio modo opera mala, etiam quantum ad substantiam actus: alio enim modo Deus voluit vocationē Pauli, alio modo proditionem Iudæ. Voluit enim vocationē Pauli propriè, & per se, scilicet voluntate non remissa, sed efficaci, & vltimata. At proditionem Iudæ odiuit, puniuit quantū potuit, salua libertate Iudæ, prohibuit: ideo non est dicendum, quòd ita Deus prædeterminet, præmoueat, & impellat voluntatem ad actum materialem peccati, sicut ad actū bonum etiam quantum ad substantiam nudam, quia ad substantiam nudam actus peccati sequitur necessariò deformitas.

113 Preterea, certum est, quòd Deus magis vult opera bona, etiam reproborum, quæ tamen non erunt, quàm peccata: quia vult omnes homines operari bonum volūtate antecedenti, & quantum est ex se; mala autem odit: at si vellet peccatorum actus efficaciter, ita quòd illos ex se præfiniret, & deinde prædeterminaret voluntatem ad eliciendum illos, magis vellet peccata impiorum, quàm opera bona eorumdem reproborum, quòd tamen est falsum, & impium, & contra phrasim Scripturę in qua Deus ostendit se cupere, & desiderare hominem operari bona, & vitare mala. Iurè ergo dicimus, quòd respectu materialis peccati quantum ad substātiam actus habet actum permissiuum, respectu actuum bonorum habet velle per se propriè, & efficax: & ideò est causa bonorum operum propriè, & per se, malorum solùm permissiuè.

Ad primā rationē aduersariorū.

114 Ad rationes ergo, aduersariorum respondetur. Ad primam, his locis D. August. haberi solum illud, quod est entitatis positiuæ, & boni in actibus voluntatis effici, ac esse volitum à Deo: at quomodo Deus hos actus, quò ad istam entitatem velit, an per se, & propriè, an solū permissiuè, non explicat ibi D. August. sed in alijs locis: sufficiebat enim sibi contra Iulianum ostendere, quòd actus illi erant à Deo, quò ad positiuum. Illæ auctoritates autem scripturæ, *Tradidit illos in reprobum sensum*, & huiusmodi, quæ videntur innuere, Deum prædefinire peccata, non intelliguntur, etiam secundum expositionem D. Aug. in eo loco, quod Deus prędeterminet voluntates ad actus illos peccatorum, siquidem ipsemet D. Aug. in eodem 5. lib. eodem cap. sentit, Deum esse causam permissiuam peccatorum: ait enim, Deum permittere peccata multa, nec tamen esse iniustum, & malum. Verba eius sunt. *Quàm verò innumerabilia*, idest mala. *ille permittat fieri ante oculos suos, quæ vtique si voluisset, nulla ratione permitteret, & tamen iustus, & bonus est*, &c. Vult ergo D. Aug. ibi contra Iulianum probare, esse quædam peccata, quę sunt pęna aliorum peccatorum, quòd probat D. August. per illas auctoritates, *Tradidit illos in reprobum sensum*, &c. Verùm cum Deus tradit aliquem in reprobum sensum, & facit, vnum peccatum esse pœnam alterius peccati, non facit prædeterminando, & præmouendo voluntatem ad actum malum, sed deserendo eum gratia sua, vel aliquo occulto modo, vt ait ibi D. August. vndè, cum ait contra Iulianum, peccatores in desideria carnis compulsos esse per potentiam Dei, nō intelligit, quòd sint compulsi per prædeterminationem, & præmotionē, sed per substractionem gratiæ suæ. Vndè eodē cap. paulò ante illa verba adducta ab Aluarez D. Aug. habet hęc verba. *Audis propter hoc, & quæris inaniter, quomodo intelligēdus sit tradere Deus, multum laborans, vt ostendas eum tradere deserendo; sed quomodolibet tradat, propter hoc tradidit, propter hoc deseruit, & vides eius traditionem qualēlibet, & quomodolibet intelligas quæ consequuta sunt, curauit enim Apostolus dicere, quanta pœna sit à Deo tradi passionibus ignominiæ, siuè deserendo, siue alio quocunque vel explicabili, vel in explicabili modo, quo facit hæc summè bonus ineffabiliter iustus*. Ex his ergo verbis habetur, quòd Deus tradit aliquos in reprobum sensum propter aliqua peccata, & quòd Deus excecat aliquos, & indurat, & facit vnum peccatum esse pœnā alterius peccati, & quòd Deus est causa peccati, quia facit vnum peccatum esse pœnam alterius peccati; attamen non habetur ex hoc loco, quomodo Deus sit causa illius peccati, quòd est pœna alterius peccati; neque habetur, quomodo Deus obduret, quomodo excecet, & tardat in reprobum sensum; sed inquit D. August. qualis, qualis sit modus, quo efficit, satis est, quòd Deus excecat, & punit vnum peccatum per aliud peccatū; sed alibi postea declarat modum, quo Deus concurrit ad actum peccati, & modo quo excecat, & obdurat, dum ait, Deum hæc efficere, non faciendo, nec iubendo, sed permittendo hæc peccata, & subtrahendo gratiam, qua posset eos impedire ab his actibus, & peccatis. Quòd multis locis, apud eundem D. Aug. videri potest, presertim hæc disertè docet lib. 13. de Trinit. cap. 12. vbi habet hæc verba. *Modus autem iste, quo traditus est homo in Diaboli potestatem, non ita debet intelligi tanquam hoc Deus fecerit, aut fieri iusserit, sed quod tantum permiserit iustè tamē, illo enim deserente peccantem, peccati auctor illico inuasit, nec ita sanè Deus deseruit creaturam suam, vt non se illi exhiberet Deum creantem, & viuificantem, & inter pœnalia mala etiam bona malis multa prestantem* &c. Etiam Enchyrid cap. 27. ait. *Melius enim iudicauit de malis benefacere, quàm mala nulla esse permittere*. Tandem sufficiat regula, quam tradit ipsemet lib. de gratia, & libero arbitrio cap. 23. in his verbis. *Quando ergo audistis dicentem Dominum. Ego dominus seduxi Prophetam illum; & quod ait Apostolus. Cuius vult miseretur, & quē vult indurat, in eo quē seduci permittit, vel obdurari mala eius merita credite*, &c. Ex hoc loco habemus duo. Primum Deū permittere obcecatione in durationem, & peccata ipsa. Secundò habemus, ea permittere propter demerita peccantium. Non ergo Deus præfinit ex se, & ante præuisionem determinationis voluntatis creatæ. Adduci possent auctoritates plurimæ, quibus D. Aug. ait, Deū nollet peccatum, & loquitur de actibus ipsis peccatorum; non ergo dicit D. August. quòd Deus præmoueat, prædeterminet, ac compellat voluntatē ad actū peccati: immò hoc negat disertè in Ioan. tractatu 53. vbi ait. *Fecerunt peccatum Iudei quod eos non compulsit facere, cui peccatū non placet, sed facturos esse præuidit, quem nihil latet, sed permittit tantum*. Opinio ergo illorum auctorum nullo modo est D. Aug. sed pęnitus illi contraria: quæ omnia confirmantur infrà cap. vltimo, vbi probatur, quòd Deus vult vnum peccatum in pęnam alterius peccati, non efficiendo, sed deficiendo; non primò, sed secundariò.

115 Ad secundam ex auctoritate D. Thomæ conspicuè patet, eum asserere, Deum quidem esse causam actus peccati pro materiali, & inquantum est ens, non autem quantum ad malitiam; id quod etiam alij Doctores in illa distinctione docent. At de modo, quo Deus concurrat ad actum illum positiuum, an efficaci voluntate prædeterminante, atque impellente, an potius tantum permittente, non explicat, sicut neque Scotus, neque multi alij Scholastici hoc ibi explicant, sed alibi, vt in 1. dist. 47. vt fecit Scotus, neque puto in declaratione actus permissionis voluntatis diuinæ Scotum, & D. Tho. differre. Ad secundam.

116 Ad tertiam, respondetur maiorem esse veram, vt expositum est: omnia enim pendent à voluntate Dei cōcurrente cum causis secundis ad actus suos, sed nego omnia efficere Deum ad extrà ex decreto efficaci voluntatis suæ: multa enim facit ex suppositione, vt ea, quæ pendēt à voluntate creata, quæ Deus tantum vult voluntate antecedenti, vel permissiuè, vt expositum est. Ad tertiū.

117 Ad quartam fatemur, nos negare illud antecedēs propter illud consequens, quod ad illud sequitur. Ad rationem ergo negamus illud non sequi. Ad probationem respondetur, latam differentiam esse inter nostrum modum dicendi, & aduersariorum circa concursum ad actū materialem peccati: nam ipsi dicunt, quòd Deus voluntate efficaci beneplaciti, & vltimata vult actum peccati, Ad quartā.

quia

quia dicunt, quòd prædeterminat physicè voluntatem ad actum peccati: nos autem dicimus, quòd non præmouet, nec prædeterminat voluntatem nostram ad actum peccati: quia dicimus eum non velle actum peccati voluntate efficaci, sed remissa, & permissiuè tantùm, vt dictum est; ista autem adeò differunt, vt sint ferè omnino opposita.

Ad quintã.

118 Ad quintam negatur consequentia, quę non probatur. Quòd autem consequentia non valeat, patet, quia dicimus, quòd Deus, & volũtas creata simul natura concurrunt ad actum positiuum peccati, neque vna determinat alteram, licèt Deus sit dignior, & præstantior causa sed respectu actuum voluntatis creatæ in eodem instanti, quo illa se in suo genere determinat, ipse quoque se determinat ad eundem actum, cum ipsa voluntas sit optimè cognita Deo, cui semper est præsens in æternitate; vnde ipsa per se nihil efficere potest nisi Deus concurrat, vel promouendo, & adiuuando, vt facit in bonis operibus, vel permittendo, vt in malis: ideò non sequitur, quòd voluntas creata sit prima causa, & non pendeat à Deo in causalitate actus positiui peccati.

Ad sextã.

119 Ad sextam respondetur concedendo, Deum habere prouidentiam actuum malorum: negatur tamen ex hoc sequi, eum æterno suo decreto efficaci determinauisse actus peccati pro materiali; sufficit enim decreuisse permittere; eos enim decreuit permittere, & simul decreuit eos ordinare ad bonũ finem, scilicet vt ex eis aliquod bonum eliceret, vel vt debita pęna eos ordinaret ad suę iustitiæ, & potentię exaltationem. Voluntas enim Dei non potest non impleri: si enim voluntas creata efficit, quod Deus vult voluntate antecedenti, consequitur gloriam: si verò non efficit, quod ipsa vult antecedenter, sed id, quod ipsa nollet, & prohibet voluntate antecedenti, vult verò permissiuè, consequitur pęnam æternam, quam imposuit Deus illius transgressioni, vt habet D. August. in Enchyridion cap. 100.

Aduersariorum deceptio.

120 Et hic valdè est notandum, aduersarios in hoc decipi: putant enim quicquid fit ad extrà, per diuinam prouidentiam fieri voluntate Dei efficaci, & se sola prædeterminante omnia: hoc autem est falsum de actibus liberis voluntatis nostrę. Vnde Damascenus in libro contra Manicheos pag. 562. inquit. *Prauidens itaque Deus ea quæ à nobis sponte gerenda sunt, videlicet quæ sunt in nostra potestate, virtutem dico, & vitium, prædestinat ea, quæ non sunt in nostra potestate.* Non ergo se solo Deus prędefinit omnia, sed ea solùm, quę non sunt in potestate nostra: at ea quę sunt in potestate nostra non se solo, sed nobiscum definit.

Damascenus.

121 Prætereà. Si Deus omnia operaretur ad extrà voluntate sua efficaci, & vltimata, frustrà distingueretur in Deo voluntas permissiua, & voluntas efficax. Est ergo verum quidem, quòd Deus omnia operatur *secundùm consilium voluntatis suæ, & omnia quæcunque voluit fecit in cęlo, & in terra*: sed tamen diuerso modo, scilicet aliqua voluntate beneplaciti, aliqua voluntate permissiua, & remissa, & conditionata, vt dictum est. Et nota, quòd voluntas permissiua potest aliquo modo dici, efficax, & beneplaciti, scilicet quia ponitur in esse: tamẽ propriè loquendo non est voluntas efficax, neque beneplaciti, vt suprà diximus, quia non est voluntas absoluta, sed ex suppositione, & conditionata: quia supponit determinationem voluntatis createę: voluntas autem efficax, & beneplaciti propriè loquendo est, qua aliquid vult vltimata voluntate nullo præsupposito, vt suprà diximus. Neque est inconueniens ponere voluntatem creatam determinare se in sua partiali causalitate ad actum suum: quia nõ propter hoc ponitur, ipsam efficere, vel incipere aliquem actũ ex se ipsa: quia inceptio actus, & effectio eius pendet ex duplici causa: ideo licèt voluntas creata ex parte sua influat in inceptionem actus, non tamen sequitur inceptio, neque esse actus: quia requiritur concursus quoque Dei. Vndè sicut cum ex duobus trahentibus nauim, vnus agit sine alio, non ponitur in esse tractus nauis, neque incipit habere esse, sed est necesse, quòd ambo trahant. Ita in proposito, & si voluntas creata habeat per se suam causalitatis partialitatem, non tamen illa sola potest incipere, vel efficere aliquam actionem, quia conditio, & natura cuiusque actionis createę est, vt sit à Deo, & à volũtate creata, vt ab vna causa totali: ideò non concurrente Deo nihil fit. Quòd autem voluntas creata habeat in se ipsa suam liberam determinationem, & causalitatem, est necessarium, stante hoc supposito, quòd ipsa sit causa libera: neque est inconueniens hoc modo concedere, quòd volũtas creata determinet voluntatem diuinam ad aliquem actum: quia re vera non determinat, sed est Deus, qui videns voluntatem creatam ex sua parte se determinare ad actum, ipse secum concurrit ex pacto facto, quòd ad quẽcunque actum ipsa voluerit concurret. Et hæc dicta sint, quò ad primam opinionem de modo, quo Recentiores nonnulli putant se saluare, Deum non esse causam peccati, licèt sit causa actus materialis eius.

Quomodo volũtas determinet se ipsam ad actum.

Opin. Molinæ.

122 Alij ex aduerso, vt Molina p. p. quæst. 14. art. 13. disp. 31. tenet voluntatem diuinam non esse causam peccati, licèt sit causa actus materialis eius: quia concursus Dei generalis est de se indifferens ad actus diuersos speciei; sed determinatur ab influxu causæ secundæ ad actum talis speciei: vndè ait, ex influxu liberi arbitrij pendere, vt sequatur potius volitio, quàm nolitio; & volitio potius honesti, quàm turpis obiecti. Ideò voluntas creata est tota causa peccati, non voluntas Dei: quia voluntas creata est causa in particulari, vt actiones illæ sint tales, & tales, studiosæ, vel vitiosę; non autem voluntas diuina, quia non est causa determinata talium actionum in particulari.

Reijcitur.

123 Sed hæc opinio ex principio falso pendet, & in se est falsa. Pendet ex falso principio, quia vt ostendimus disput. 53. 1. lib. sent. causa prima omnipotens non modificatur à causis secundis. Est etiam falsa, quia cõcursus Dei non est indifferens, sed determinatus ad actiones particulares: Deus sciens enim, & volens distinctissimè concurrit ad actus positiuos peccati, & ad alios actus liberos voluntate remissa: ad actus quidem peccati voluntate permissiua, ad actus bonos liberi arbitrij, vt plurimum volũtate antecedente remissa, & ex suppositione: ad aliquos eximios voluntate efficaci, vt dicemus alibi. Neque satisfacit Molina dicendo, quòd concursus Dei, & cõcursus creaturæ non sunt duæ actiones, sed eadem ab vtraque partialiter partialitate causæ prouenienss: quia licèt sit eadem actio ab vtroque, tamen Deus in sua partiali causalitate non ageret determinando, sed potius passiuè se haberet, & creata voluntas actiuè, hoc autem est falsum, quia vt dictum est, sciens, & volens in particulari partialitate causę concurrit ad actus omnes causarum secundarum etiam uoluntatis creatæ.

Suarez opinio probatur.

124 Propius ad ueritatem accessit Suarez in Opusculis lib. 2. cap. 3. num. 17. qui dixit, Deum uelle concursum suum ad actum materialem peccati non uoluntate absoluta, sed uoluntate quasi generali, & conditionata, quatenus, scilicet Deus, quantum est ex se, est paratus suo cõcursu ad actus omnes uolũtatis creatæ, tàm bonos, quàm malos in particulari, non tamen illos ponit in esse nisi adimpleta conditione, quòd uoluntas creata uelit illos elicere. Hæc enim in re conuenit cum nostra sententia, quam ex Scoto distinctius, & efficacius explicauimus, & probauimus. Neque aliquid in hac opinione est contra Scotum. Quæ uerò ipse ibi tangit, & sup. lib. 2. cap. 14. num. 5. adduxit contra Scotum, pertinent ad radicem contingentię de qua egimus in 1. disp. 53. ubi ostendimus quomodo ex sententia Scoti Deus sua causalitate, non auferat contingentiam, & libertatem nostram: falsum est enim quòd Scotus teneat, Deum prædeterminare uoluntatem nostram, ut ex dictis ibi, & in præcedentibus satis patet.

Suarez nõ benè percepit Scoti opinionem.

Ratio-

Rationes Scoti pro opinione, quam sequuntur Durandus, & alij, cap. secundo adductæ soluuntur. & eiusdem rationes contra alias opiniones factas aduersus eum non valere, ostenditur. Cap. Septimum.

Ad primã. 125 OPortet nunc satisfacere rationibus supra cap. 2. adductis à Scoto probantibus voluntatem esse totalem causam suæ volitionis. Ideò ad primam ex prima via respondetur negando minorem: nam etsi volũtas Dei naturaliter, & absolutè non sit in potestate voluntatis creatæ, tamen ex beneplacito, & libertate Dei est in potestate voluntatis creatæ, quia decreuit cõcurrere ad quemcumque actum ipsa voluntas creata voluerit, siuè bonum, siuè malum, quando ipsam posuit in manu consilij sui, & apposuit illi aquam, & ignem, benedictionem, & maledictionem, vt ad quodcunque vellet se se applicaret.

Ad secũdã. 126 Ad secundam ex eadem via respondetur, quòd propriè loquendo neutra determinat alteram; quoniam voluntas diuina non determinat humanam; ei enim suę libertatem auferret, neque humana diuinam: quia creatura finita non potest determinare diuinam, quæ est omnipotens, & æterna. Ambæ ergò concurrunt ex se ipsis ad eũdem actum liberè, & vtraque ex se ipsa habet propriam determinationem; Nihilominus quia voluntas diuina voluit, vt voluntas creata haberet in potestate suá quemcunque actum suum, ideò etiam decreuit concurrere cum ea ad eos actus tantum, quos ipsa elegerit: ideò accipiendo determinationem non propriè pro motione, & inductione alterius ad actum; sed pro voluntate semetipsam primò determinante, ad quam determinationem altera causa se determinat ad eundem actum efficiendum, non est inconueniens asserere, diuinam voluntatem determinari à creata: hoc enim nõ ponit imperfectionem in Deo, quia ipse sic se cõplacuit disponere actiones humanas, & creaturæ rationalis, vt id velit tantum quòd voluntas creata vult, vt sit libera. Seruatur tamen ordo essentialis in hac causalitate: quia voluntas diuina prius natura idest dignitate influit in actus, quam voluntas creata, sicut facit cum alijs causis, vt dictum est supra cap. 5.

Ad tertiã. 127 Ad tertiam ex secunda via respondetur falsum esse volũtatem diuinam esse ab æterno determinatam ad alteram partem: tum quia vt dicam aliàs actiones Dei nõ transeunt in preteritum: tum quia voluntas diuina nõ est causa naturalis, sed libera: ideò non agit naturaliter, nec naturaliter est determinata ad aliquem actum: ideò potest se determinare ad faciendum illud, quod voluntas creata est ex se volitura. Et sic volitio creatæ voluntatis est contingens, licèt pendeat à causalitate diuinæ. Contingẽtia tolleretur si Deus esset causa naturalis, & necessariò operans, vt dictum est disp. 53. de radice contingẽtiũ.

Ad quartã. 128 Ad quartam ex tertia via respondet ipsemet Scotus in eadem quæstione §. *Ad solutionem istorum*, &c. Argumẽtum supponere falsum, scilicet cum dicimus, Deum, vt est prima causa, prius natura agere quàm causa secũda, nos intelligere, quòd Deus in aliquo instanti naturæ priori ponat suam causalitatem, & in altero instanti naturæ posteriori volũtatem creatam ponere suam causalitatem in esse; hoc autem est falsum, quia vtraque voluntas in eodem instanti naturæ ponit suam causalitatem, sicut materia non prius materiat, quàm efficiens efficiat, sed simul in eodem instanti; sed causa prima dicitur prius natura causare quàm secunda, quia prius dignitate, & perfectione causat quàm secunda vt cap. 5. suprà dictum est, & in materia de auxilijs fusè dicemus.

Deus, & voluntas creata simul causant.

Ad quintã. 129 Ad quintam ex quarta via negatur maior propositio. Ad probationem conceditur, quòd Deus est causa volendo, sed negatur quòd dum est causa, necessariò sit causa totalis; & cum probatur de creatione. Respondetur, quòd nõ est par ratio: tum quia effectus creationis nõ potest pendere particulariter ab alia causa, sed totaliter necessariò pendet à Deo: quia nulla creatura potest creare principaliter, nec instrumentaliter; at alij effectus, vt est volitio creaturæ rationalis, possunt pendere à Deo, & à causa creata: tùm quia diuina voluntas ad extra liberè agit, ideò ad actus creaturæ rationalis potest concurrere, vel totaliter, vel partialiter, prout sibi placet.

Ad sextã. 130 Ad sextam ex quinta via negatur, vllam causam creatam esse totalem causam sui effectus: negatur etiam, nullam esse repugnantiam; dictum est enim ca. 3. hoc specialiter repugnare omni potentiæ, & prescientiæ Dei. Si enim causa secunda esset totaliter causa sui effectus, posita causa secunda non posset Deus impedire effectum eius, & ita posito igne non posset impedire, ne combureret combustibile sibi presens, quòd tamen ex Sacrá scripturá est falsum: vt patet de tribus pueris in fornace Nabuchodonosor, & per hoc patet ad primam probationem minoris. Ad secundam, negatur, subiectum circumscripta prima causa posse efficere propriam passionem, accipiendo passionem pro aptitudine non pro actu: vt accipiendo risibilitatem pro aptitudine ad videndum non pro actu videndi; aptitudo enim est idem realiter cum eo absoluto, cuius est aptitudo, vt habet Scotus in 4. dist. 12. q. 1.

Ad argumentum primum principale; distinguitur solũ formaliter: aptitudo autem fluit à principijs subiecti. Stante ergo esse subiecti, & conseruatione; ac influxu causæ primæ ab illo emanat ipsa aptitudo, adeò quòd etiam passio propria pendet à prima causa Deo, sicut ipsum subiectum; sed de productione propriæ passiones à subiecto, in Metaphysica agemus.

Quomodo propria passio fluat à subiecto, & à Deo.

Ad septimam. 131 Ad septimam respondetur illas auctoritates probare voluntatem esse causam liberam, non tamen ad hoc vt sit libera in sua actione, necesse est, vt sit totalis causa sui actus; sufficit quod auxiliũ primę causæ sit paratum, & voluntas diuina decreuerit ad actum voluntatis creatæ concurrere quotiescumque voluntas creata ex sua parte se determinat ad producendum actionem, vt explicatum est suprà. Et cum D. Anselmus. & August. dicunt, Deum dimittere voluntatem in suo esse, & res conditas ita administrare, vt suos motus agere sinat, nõ volunt inferre quòd Deus cum illis non concurrat suo influxu, sed volunt dicere, quòd voluntatem creatam non cogit, nec determinat; sed sinit se ipsam determinare: hic enim est proprius motus eius, licèt actionem suam postea non possit ponere in esse nisi concurrat Deus; sicut etiam aliæ res particulares naturales efficiunt suos motus; & causalitatem partialiter in suo genere, quæ ab ipsis verè pẽdent; tamen effectus in esse non ponitur nisi concurrente influxu Dei.

Ad Auerr. 132 Ad illud Auerrois respondetur. Nos non dicere, Deum omnes actiones causarum secundarum, se solo efficere, sed dicimus causas secundas habere suas causalitates partiales, & in suo genere, & Deum quoque partialiter partialitate causæ concurrere ad eumdem actum: ideò nõ auferimus essentias, & proprias operationes rerum.

Ad rõnes pro tribus opinionibus cap. 3. & 4. adductis. 133 Ad rationes pro tribus opinionibus adductis cap. 3. & 4. patet ex dictis cap. 5. explicando opinionem Scoti: possumus enim dicere quod voluntas creata est causa efficiens malitiæ peccati per accidẽs, accipiendo accidentalitatem ex parte causæ, & ex parte effectus, & est etiã causa deficiens, vt ibi expositum est; & sic saluantur omnes auctoritates, & rationes pro illis benè intellectis.

Ad primã rõnem Scoti cõtra primã opinionem cap. 3. adductam. 134 Ad primam rationem contra primam opinionẽ factam cap. 3. Respondetur non sequi, Deum esse causam peccati secundum opinionem Scoti, licèt fecerit voluntatem defectibilem, cum potuerit facere illam indefectibilem: quia voluntas creata, etsi sit defectibilis, tamen habet adiutorium Dei prestò, & paratissimum, quo potest non deficere. Ita quòd in potestate eius est deficere, vel non deficere actu; ratio autem illa valet contra illam opinionem, quia illa dicebat, voluntatem creatam esse causam per accidens deformitatis peccati, eo quia ipsi est annexa finitas, quæ est causa deficiendi in ipsa voluntate. Nam in primis falsum est, quòd voluntas vt finita, & vt defectibilis sit causa per accidẽs, eo modo, quo Policletus est causa per

ſa per accidens ſtatuæ: eſt enim cauſa per ſe, vt vidimus cap. 5. licèt poſſit dici cauſa per accidens accipiendo accidens pro extraneo, & accipiendo voluntatem in communi, & formaliter, non pro voluntate contracta ad voluntatem creatam. Vlterius autem ex hoc ſequitur, quòd cum Deus fuerit voluntatem defectibilem, & tamen potuerit facere eam indefectibilem, ſit quoque cauſa peccati, niſi melius declaretur, vt in Argumento deducebatur: nam quicquid eſt cauſa per ſe cauſæ, eſt quoque cauſa cauſati per ſe. Deus autem eſt cauſa per ſe defectus voluntatis, defectus autẽ voluntatis eſt cauſa per ſe deformitatis peccati; ergo Deus eſt cauſa per ſe peccati. Hoc autem non valet contra Scotum: quia etſi Deus ſit cauſa per ſe voluntatis, neque fecerit voluntatem omnino impeccabilem, non tamen eſt cauſa per ſe defectus eius, quia ipſi voluntati dat auxilium tale, quod ſi vult, poteſt non deficere; & ipſe Deus, quantum eſt ex parte ſua, dat rectitudinẽ actui, ſed voluntas creata eſt, quæ non vult ei cooperari.

Ad ſecũdã. 135 Ad ſecundam patet, quòd illud non valet contra nos: quia dicimus quòd voluntas creata per ſe eſt cauſa defectus, licèt voluntas, vt voluntas, ſit cauſa per accidens, accipiendo per accidens pro extraneo.

Ad tertiam 136 Ad tertiam reſpondetur, non valere contra nos, quia non ſuſtinemus, quòd defectibilitas ſit cauſa per ſe, & neceſſaria deformitatis, vt ſuſtinebat illa opinio, ſed dicimus, quòd voluntas creata eſt cauſa quidem per ſe defectus, non tamen eſt cauſa neceſſaria illius, quia poteſt non deficere per auxilium diuinum, vt dictum eſt.

Ad primã rõnẽ Scoti, 3. cap. factã contra ſecũdã opinionem. 137 Ad primam rationem Scoti 3. cap. factam contra ſecundam opinionem in generali patet, quòd peccatum non eſt caſuale nec reſpectu voluntatis creatæ, quia illum actum poſitiuum, ad quem neceſſariò ſequitur deformitas, vult per ſe, & propriè; nec diuinæ, quia ipſa vult actum illum permiſſiuè.

Ad ſecũdã. 138 Ad ſecundam patet, quòd etſi voluntas creata, & diuina velint per accidẽs malitiam peccati, volunt tamen illam differenter: quia voluntas creata vult illam per accidens, ſed proximè, & propinquè: quia proriè, & per ſe, & efficaciter vult actum poſitiuum, ad quem illa neceſſariò ſequitur. At Deus vult actum poſitiuum tantum permiſſiuè: ideò vult quoque malitiam tantummodo remotiſſimè per accidens: ideò Deus non poteſt dici velle peccatũ, ſed ſolum voluntas creata. Et per hoc idem patet ad tertium eſt enim cauſa malitiæ ſed remotiſſima: quia eſt cauſa actus poſitiui permiſſiuè tantùm nõ propriè neque per ſe: ideò licèt concomitetur deformitas illum actum neceſſariò, non tamen Deus eſt cauſa illius, quia eſt cauſa poſitiui tantùm permiſſiuè. Rationibus autem factis in ſpeciali contra opiniones illius capitis, & alias duas, non eſt opus reſpondere: quia nulla eſt ſuſpitio, an poſſint contra opinionem Scoti valere, quia illæ omnino diuerſæ ſunt.

Ad primã rõnẽ ꝓ tertia opin. 4. cap. adductam. 139 Ad primam rationem pro tertia opinione cap. 4. adductam reſpondetur illam quidem valere cõtra illam opinionem ſimpliciter, & in communi, eo modo prolatam, quo refertur à Scoto: quia nulli dubium eſt, vt diximus, quòd Deus, cum agat ad extrà contingenter, poteſt facere, & non facere quicquid facit ad extrà; tamen ſtante declaratione Scoti, patet, eam contra nos non concludere: nam licèt Deus ad extrà agat contingenter, tamen non poteſt deficere, & non dare rectitudinem actui: non dare enim rectitudinem eſt efficere, vt actus ſit contra voluntatem Dei. Si ergo Deus non daret rectitudinẽ actui, faceret, vt actus peccati eſſet contra voluntatẽ ſuam, quod implicat contradictionem; non poteſt ergo eſſe cauſa malitiæ in actu peccati: neque de facto eſt cauſa malitię, quia de facto, quantum eſt ex ſe, dat rectitudinem debitam, ſed voluntas creata eſt, quæ deficit.

Ad ſecũdã. Cur Deus prius natura cauſare dicatur, q̃ creatura. 140 Ad ſecundam. Iam dictum eſt, falſum eſſe, Deum cauſare in aliquo inſtanti naturæ priori, quam voluntas creata in eodem ambæ cauſant; ſed diuina prius natura cauſare dicitur, quia eſt prior dignitate, & perfectione cauſa ſecunda.

Ad tertiã. Ad tertiam negatur, Deum eſſe cauſam pręciſam rectitudinis in actu: dictum eſt enim, quòd Deus, & voluntas creata ſunt cauſæ partiales, & quod rectitudo ab vtraque pendet; & quòd Deus dat rectitudinem ex parte ſua, ſed voluntas creata nequaquam: Ideò negatur min. Ad probationem dicitur, quòd ſupponit falſum, ſcilicet quòd diuina voluntas in aliquo priori inſtanti naturæ cauſet, in quo non cauſet voluntas creata, vt dictum eſt nunc ſupra ad ſecundam rationem pręcedentem.

Auctoritates, & rationes quadam aliæ, quòd Deus ſit cauſa peccati, adducuntur, & ſoluuntur.
Caput Octauum.

141 PRęter auctoritates, & rationes ſuperius adductas ab Aluarez cap. 6. & ſolutas, ad maiorem confirmationem & declarationem eorum, quæ diximus, oportet adducere, & ſoluere quaſdam alias auctoritates, & rationes, quæ probare videntur, Deum voluntate efficaci velle, & prędefinire peccata.

142 Actorum 2. *Hunc de finito conſilio, & pręſcientia Dei traditum per manus iniquorum affligentes interemiſtis*, &c. & Actorum 4. *Conuenerunt verè in Ciuitate iſta aduerſus Sanctum Puerum tuum Ieſum, quem vnxiſti Herodes, & Pontius Pilatus cum gentibus, & populis Iſrael facere, quæ manus tua, & conſilium tuum decreuerunt fieri*. Et ſimiles in veteri teſtamento habentur, quæ ſignificare videntur, Deum ab æterno decreuiſſe, & voluiſſe peccata, & in particulari in his ſignificatur, Deum voluiſſe, & decreuiſſe peccatum Iudæorum, quo occiderunt Chriſtum Dominum; ergo non permiſſiuè, ſed efficaciter voluit illud peccatum. Prima auctoritas. Secunda.

143 Pręterea Prouerb. 16 *Omnia propter ſemetipſum operatus eſt Dominus, impium quoque ad diem malum*, &c. Et Gen. cap. 50. Ioſeph dixit fratribus ſuis, qui eum vendiderant. *Nolite timere, num poſſumus Dei reſiſtere voluntati?* ergo voluntas Dei, vt venderent Ioſeph fuit efficax, & beneplaciti: quia hæc eſt, cui reſiſti non poteſt. Et aliæ ſimiles habentur, quibus videtur Deus creare, & ordinare impios, vt poſtea in eorum punitione appareat iuſtitia Dei, ad quas reduci poſſunt omnes aliæ auctoritates, quæ aſſerere videntur, Deum operari malum, & inducere homines ad malum. Tertia.

144 Secundò principaliter arguitur cõtra illas tres rationes ex Scoto, quas adduximus ſup. cap. 1. ex D. Auguſt. & Anſelmo, ad probandum, quòd Deus nõ eſt cauſa peccati. Arguit autem ipſemet Scotus contra eas vt magis dilucidentur, & primò ſic, contra primam. Non eſt eadem ratio de Deo, & homine ſapiente, nam homine ſapiente auctore nemo fieri poteſt deterior: quia homo ſapiens tenetur ad ſeruandum pręceptum Dei, nec eſt in poteſtate eius cooperari, vel non cooperari alteri peccanti; vndè ſi cooperaretur alicui ad malum, & ſi eo auctore aliquis fieret deterior, iam non maneret ſapiens, ſed peccator. Homo ergo ſapiens non poteſt eſſe auctor peccati alicuius, quia repugnat, quòd ſit ſapiens, ideſt obſeruet pręceptum Dei, & tamen ſit auctor peccati alicuius; at Deus non tenetur obſeruare pręceptum alicuius; & eſt ita ſapiens, ſi cooperetur alicui ad bonum, ac ſi non cooperaretur: quia habet in ſua poteſtate cooperari ad bonum, vel non cooperari; poterit ergo Deus non cooperari ad bonum: hoc autem poſito non ſequitur actio bona, ſed peccatum, vt dictum eſt ſuprà, quia non dante Deo rectitudinem, non poteſt rectitudo in eſſe actui; ergo Deus poteſt eſſe cauſa, & auctor peccati. Secunda ratio principalis.

145 Confirmatur hæc ratio, quia Deus prius naturaliter agit ad actionem, quàm agat creata voluntas; ergo ſicuti actio bona, & recta eſt à Deo prius naturaliter, quã à voluntate creata, ita actio humana eſt mala, quia Deus prius naturaliter non agit ad bonum, nec dat illi rectitudinem ex parte ſua; non dante autem eo rectitudinem, voluntas creata, non poteſt eam illi dare; quia in alio in-

ſtanti

stanti posteriori natura concurrit ad illum actum.

146 Contra secundã rationẽ: verum est quidem, quòd causa, quæ est causa entitatis rei, est causa boni illius rei, neque est causa mali siuè non essendi illius rei, inquantũ est causa entitatis illius: & quando causa entitatis est causa necessaria non potest non esse causa entitatis: quia agit secundùm vltimum potentiæ suæ, & ideò talis causa non posset esse causa non essendi illi rei, sed Deus non est causa necessaria essendi creaturarum secundùm quodcũque esse, quod dat illis; sed libera: ideò põt non dare aliquod esse, quo nõ dato sequitur defectus, & peccatũ; ergo licèt Deus det entitatem, & dãdo entitatem, det bonũ: tñ quia potest nõ dare aliquod esse, ad quod nõ dare sequitur defectus, & peccatũ: ideò Deus videtur esse posse cã peccati.

147 Secundò. Deus potest esse causa pœnæ; ergo, & culpę. Antecedens probatur à D. Aug. 1. retractat. cap. 25. Consequentia probatur, quia pœna ita est formaliter malum sicut culpa: nàm ita est simpliciter malum nõ frui Deo, & per comparationem ad bonum, quod priuat, & per comparationem ad naturam, cui nocet, sicut non diligere Deum actu meritorio in via.

148 Tertiò. Tantum malum est priuatio gratiæ in se, & in natura illa, quæ priuatur, sicut est priuatio rectitudinis debitæ in esse actui; sed Deus potest esse immediata causa priuationis gratiæ, immò de facto est causa priuationis esse eius quotiescumque gratia destruitur: quia annihilatur, annihilatio autem est proprius effectus Dei; ergo sicut cessando conseruare gratiã illã annihilat, ita non agẽdo, potest esse causa carentiæ rectitudinis in actu elicito.

Contra tertiã rationẽ. 149 Contra tertiam rationem sumptam ex D. Anselmo arguit sic. Si illa ratio concluderet, sequeretur, quòd homo nõ posset peccare. Consequens est absurdum; ergo. Consequentia probatur: medium, quod assumit illa ratio ad probandum, Deum non posse peccare, est, quia tunc voluntas creata est recta, quando vult id, quod Deus vult illam velle: ex hoc enim deducit, quòd Deus non potest peccare, nec velle peccatum: quia sequeretur Deum velle creatam voluntatem facere id, quod ipse Deus non vult eam facere, quòd implicat contradictionem. At contrà ait Scotus: si hoc sequitur, sequitur etiam, voluntatem creatam non posse peccare, neque de facto peccare dum peccat. Probatur consequentia, quoniam cum homo facit actum peccati, certum est, Deum velle eum facere illũ actum peccati: si enim Deus, non vellet eum facere illũ actum peccati, voluntas creata non posset illum actum facere: quia ipsa non potest resistere voluntati diuinæ. Si ergo homo peccat dum facit actũ peccati, sequitur, quòd Deus vult, voluntatem creatam non velle illum actum, quem tamen ipse Deus vult voluntatem creatã velle, quod implicat contradictionem.

Ad auctoritates adductas respondetur. 150 Verùm neque auctoritates, neque rationes istæ cogunt: ideò ad auctoritates respondetur, quòd Deus aliquando præuidens malam intentionem, & malam volũtatem aliquorum, decernit permittere tales malas voluntates, & ex illis elicere aliquod magnum bonum: & ita Deus ex persecutione Iudeorum deduxit magnum illud bonum mortis Christi, qua mundus saluus factus est: & ex persecutione Tirranorum deduxit meritum Martirũ, vt passim docent Sancti Patres. Quod apertè innuunt verba Ioseph Gen. cap. 50. cum dixit fratribus suis. *Vos cogitastis de me malum, sed Deus vertit illud in bonum, vt exaltaret me, & saluos faceret multos Populos.* Prædefiniuit ergo Deus mortem Christi Domini, & tot Martirum inquantum erat opus bonum, non autem prædefiniuit illud, vt erat peccatum, sed solùm permisit, & stante mala voluntate Iudeorum decreuit illam permittere, & ex illa elicere hoc magnum bonum, scilicet salutem mundi. Licèt ergo Deus consilio suo præfinierit mortem Christi, & huiusmodi, non tamen illam præfiniuit nisi præcedente scientia malæ voluntatis Iudeorũ. Vndè per distinctionẽ possumus respõdere, opera illa duobus modis posse cõsiderari: vno modo respectu agentiũ: alio modo respectu patientium. Respectu agẽtium erãt mala, & sic tantũ permittebantur. Respectu patientiũ erant bona, & sic præfiniebãtur à Deo. Et per hoc patet ad tres priores auctoritates.

Ad quartã. 151 Ad quartam ex Genesi optimè respondet Bellarminus lib. 2. de amissione gratiæ, capite 11. ex D. Ioa. Chrisostomo, Homilia vltima in Genesim: quod Ioseph ibi non loquitur de peccato fratrum, sed de dimissione peccati fratrum faciẽda ab ipso Ioseph. Et sensus est, quia Ioseph timebat Deum, non poterat non imitari Deum: ideò non poterat non parcere illis, quia voluntas Dei est, vt parcamus nos lædentibus, & timentes Deum non possunt huic voluntati resistere: si enim resisterent, non essent amplius iusti, & grati Deo. Quam expositionem ex verbis Hebreis ibi adductis, quæ leguntur, Nolite timere, nam sub Deo sum ego, cõfirmat. Possemus etiam dicere, quòd si illa verba. *Non possumus resistere volunt ati Dei,* intelligantur de peccato fratrum, & venditione Ioseph, non volunt inferre, quòd non possimus absolutè resistere decreto Dei, quo permittit peccata nostra, sed loquitur, facta suppositione, quòd Deus decreuerit permittere peccatum, & ex illo elicere bonum, quomodo dicimus, necessarium fuisse, vt Christus moreretur iuxta illud Lucæ cap. vltimo. *Hæc sunt verba quæ locutus sum ad vos, cùm adhuc essem vobiscum quòd necesse esset impleri omnia, quę scripta sunt in lege Moysi, & Prophetis & Psalmis de me.* Et tamen certum est, non fuisse necessarium absolutè, quòd Christus Dominus moreretur: quoniam, *Oblatus est, quia voluit.* Sed stante decreto voluntatis diuinæ de permissione peccatorum Iudeorum, & quòd salus, & redemptio mundi fieret per mortem Christi, erat necessarium, quòd Christus moreretur, & huic voluntati diuinæ non poterat quis resistere. Ita, stante voluntate diuina, quæ permisit peccatum Fratrum Ioseph, & stante decreto diuinæ voluntatis, quod mediante illa venditione populus Iudeorum augeretur in Aegipto, &c. erat necessarium, vt Ioseph venderetur, & illi voluntati Dei non poterat fieri resistentia: non tamen absolutè erat necessarium, vt venderent Ioseph, & peccarent.

Ad obiectiones cõtra primam rationem. 152 Ad primam obiectionem contra primam rationem ex D. Aug. respondet Scotus in eodem 2. dist. 37. §. *Ad solutionem istorum,* &c. Quòd illa propositio, Nullo homine sapiente Auctore homo fit deterior, non solùm est vera, quia homo tenetur seruare præceptum Dei de non subuertendo proximũ, sed est vera ex ratione, & perfectione sapientis, vt sapiens est. Sapiens. n. vt sapiens, nõ potest esse prima ratio, vt aliquis deficiat, & deterior fiat; & ex ea hoc modo intellecta, ratio D. Aug. habet vim: nã Deus est omni sapiente multò præstantior; nec põt nõ esse sapiens, & sapienter operari cum quocũque, cui ipse potest coagere; ergo est impossibile, quòd Deus sit Auctor, & causa, vt quis primò deficiat à bono, & faciat malum.

153 Ad confirmationem iam dictum est explicando opinionem Scoti, quòd Deus non agit prius natura volũtate creata, ita quòd in aliquo instanti naturę priori agat, quàm creata volũtas: hoc enim est falsum, sed dicitur agere priùs natura, quia est prior dignitate.

Ad primã contra secũdam rationem. 154 Ad primam obiectionem contra secundam rationem respõdet Scotus, quòd & si verum sit, quòd Deus est causa libera, et non necessaria entitatis creaturæ, & ẽr possit non causare entitatem competentem huic actui, ad quam sequitur bonum, immo de facto illam entitatem liberè causet: tamen non est prima causa peccati, nec esse potest, quia ita disposuit quòd quicquid dat antecedenter, dat, quantum est ex parte sua, consequenter.

155 Sed obijcit aduersus hanc solutionem: quia ex ea quidem soluatur, quòd de facto peccatum nõ potest ascribi Deo, propter legem illam. Quicquid dat antecedẽter, dat consequenter: attamen ex ea solutione non habetur, quòd Deus absolutè non possit esse prima ratio deficiendi, & causa peccati: ratio enim stat in suo robore, quia Deus est causa libera, & contingenter operans rectitudinem illam in actu; ergo posset non causare illam rectitudinem,

dinem, & sic posset esse absolutè causa peccati, licèt de facto non sit propter legem illam. Quicquid dat antecedenter, dat quoque consequenter.

Ratio, pp quã Deus in se peccare non potest.

156 Respondet ergo Scotus, & assignat veram rationem, propter quam Deus absolutè non potest peccare, & est hæc. Deum peccare, est Deum auerti à se ipso formaliter, vel virtualiter: at neutrum facere potest; ergo. Maior est communiter concessa. Minor probatur, & quòd non formaliter patet: quia non potest Deus non diligere se summè ordinatè, & cum omnibus circunstantijs requisitis, alioquin sequeretur, quòd posset se inordinatè diligere, vel mutari, quorum vtrumque est impossibile. Quòd neque etiam virtualiter possit auerti à se, probatur: quia si auerteretur à se, conuerteretur ad aliquid extrà se, quòd sibi esset necessarium ad volendum se: creatum enim cõuertitur ad volendum creaturam aliam: quia iudicat illã esse necessariam sibi ad volendum se completè, & perfectè. At nihil extrà Deum est, quod sit necessarium sibi ad perfectè volendum se: quia quidquid est extrà Deum, est ens, quia est volitum à Deo, & est bonum, quia est hoc modo volitum, & pro nunc, & pro tunc à Deo; & ex hoc est sic ordinatè volendum, quia Deus voluit, vt sic esset volendum: res enim ad extrà ideò sunt bonæ, quia sic sunt volitæ à Deo, non è conuerso. Quod etiam docuit Scotus in 1. dist. 44. de qua re suo loco agam. Nunc hoc supponatur. Non potest ergo auerti Deus à se ipso virtualiter diligendo aliquid extrà se inordinatè, quia hoc est impossibile, vt dictum est.

Res ideò sunt bonæ, quia sũt volitæ à Deo.

Cur Deus non potest esse 1. ratio deficiendi in voluntate creata.

157 Deinde explicat, quænam sit ratio, propter quam Deus non possit esse prima ratio deficiendi in voluntate creata, & ratio breuiter est hæc. Ideò voluntas creata peccat, quia non dat rectitudinem actui debitam ex ordinatione diuinæ voluntatis: dictum est autem, quòd hæc rectitudo in actu pendet à Deo, & à voluntate creata partialiter, & ab vnaquaque in suo genere. Si ergo Deus ex sua parte non daret rectitudinem actui, & hoc non propter defectum voluntatis creatæ non cooperantis voluntariè, sed quia sibi non placeret, voluntas creata non posset dare rectitudinem eidem actui, quia non esset in potestate sua illam dare, cum Deus ex parte sua illam non daret; & ita voluntas creata non posset peccare. Non potest ergo Deus esse prima causa deficiendi in actu, sed est voluntas creata, & per hoc satisfacit obiectioni, quòd & si Deus sit causa libera, non tamen de facto, nec de possibili est prima causa deficiendi.

Ad secundam.

158 Ad secundam patebit cap. sequenti, vbi disputabimus, An vnum peccatum sit pęna alterius peccati.

Ad tertiã.

159 Ad tertiam patet ex dictis ad superiorem rationẽ. Conceditur ergo quòd priuatio gratię est maius malum, quàm priuatio rectitudinis debitæ actui, vel saltem non minus. Tamen est notandum, quòd si Deus annihilaret gratiam, non ex demerito voluntatis creatæ, illa carentia gratiæ non esset peccatum in anima: quia ideò annihilatio gratiæ est peccatum in voluntate creata: quia tenetur illam habere, & demeretur illam annihilari à Deo; non est autem par ratio, quòd si Deus potest primò annihilare gratiam non conseruando eam, possit quoque primò non dare rectitudinem debitam actui: quia respectu rectitudinis actus, non potest dari aliquod demeritum pręcedens, respectu cuius Deus non det illam rectitudinem; sed respectu annihilationis gratiæ potest dari, & de facto datur, quotiescumque illam annihilat. Ideò non est par ratio de non conseruando gratiam, & de non dando rectitudinem actui: quia prima potest habere demeritum, & de facto habet: secunda nec habet, nec habere potest.

Ad obiectionẽ contra tertiam rationem.

160 Ad obiectionem contra tertiam rationem sumptam ex D. Anselmo, respondet Scotus, quòd illa non cõcludit, Deum non posse peccare, neque posse esse causam peccati, eo quia sequatur contradictio, scilicet quia Deus vellet voluntatem creatam velle id, quod ipse Deus non vult eam velle: quia si concluderet hoc modo, re vera sequeretur, quòd homo absolutè non posset peccare, vt infert obiectio facta contra illam: neque posset Deus auferre rectitudinem à voluntate creata, & sinere eam peccare, quòd tamen est falsum. Et ratio, propter quam nõ sequitur contradictio in illa ratione, est, quia est æquiuocatio in illo velle: duplex est enim velle diuinæ voluntatis aliud antecedens, & signi: aliud efficax, & beneplaciti, vt supra exposuimus. Ad propositum, Deus non vult hominem peccare voluntate signi, & antecedente, non voluntate efficaci, & beneplaciti. Cum igitur infertur, si Deus vellet me peccare, vellet me velle id, quod non vult me velle, & sic est contradictio. Respondetur quòd posito illo casu, vellet me velle voluntate beneplaciti, & efficaci, quòd non vellet me velle voluntate signi, & antecedenti: Deus enim vult me non velle peccatum voluntate antecedenti, & quantum est ex se, non voluntate consequenti, & beneplaciti. Ideò non esset contradictio. Ratio tamen est efficax ex alia regula, nimirum ex hac. Quòd quicquid Deus antecedenter vult, etiam illud vult consequenter, nisi adsit impedimentum, & quantum est ex se; ideò cum antecedenter velit me non peccare, non potest efficaciter velle me peccare: sed si vult me peccare, necesse est, quòd adsit aliqua causa, propter quam velit me peccare. Et hoc pacto licèt ratio ista concludat aliquo pacto cõtradictionem: est .n. aliquo pacto contradictio, quòd Deus quantum est ex se velit vnum, & efficaciter postea velit oppositum: tamen rigorosè ibi non fit contradictio: quia sunt diuersæ voluntates, vt dictum est.

An Deus sit causa peccati in pœnam alterius peccati. Caput Nonum.

161 QVoniam sunt multæ auctoritates Sacræ scripturæ, & Sanctorum, quę videntur asserere, Deum esse causam quorumdam peccatorum in pœnam aliorũ, qua ratione videtur Deus esse causa peccati, ideò etiam est explicandum, quomodo hoc intelligatur, vt perfectam cognitionem habeamus quomodo Deus est causa peccati tantum permissiuè, nõ efficaciter, nec voluntate vltimata, & beneplaciti, siuè absoluta.

Vt autem in hac re distinctè procedamus, duo explicãda sunt. Primum quomodo vnum peccatum sit, vel esse possit pœna alterius peccati. Secundò videbimus, an Deus sit, vel esse possit causa peccati in pœnam alterius peccati.

162 Quantum ad hanc rem, duæ videntur esse opiniones. Prima est D. Thomæ p. 2. quæst. 87. art. 2. Medinæ, ibidem Vasquez disp. 140. multorum aliorum eius sectatorum ibidem. Citatur etiam Alensis p. p. quæst. 40. m. 2. in solut. 3. & 5. Mag. Sent. in 2. dist. 36. Durandus eadem dist. quæst. 2. Hæc opinio quantum ad primum, duo dicit. Primum, quod peccatum est pœna alterius peccati non ratione malitiæ, & deformitatis propriæ. Secundũ, quod est pœna peccati ratione sui effectus, vt subtractionis gratiæ, & huiusmodi. Hæc opinio apertè est D. Thomæ: nàm loco citato art. 2. asserit, peccatum secundum se, vt est peccatum, esse voluntarium; nulla pœna autem est voluntaria, & ideò hac ratione peccatum non est pœna peccati. Et hac ratione probat primam partem suæ opinionis. Caietanus deinde, Vasquez, Medina alijs rationibus eandem postea contra Scotum muniunt, ostendentes, quod peccatum secundum se, scilicet secundum suum formale, quod est malitia, non possit esse pœna, quas infrà adducam, & reijciam. Asserit deinde D. Thomas ibidem, posse esse pęnã peccati tribus modis. Primo modo, quia primum peccatum est causa, vt Deus subtrahat gratiam suam, qua homo tentationibus resistere potest, & seruare se rectum, propter quam carentiam incurrit secũdum peccatum; & hoc modo propriè vnum peccatum est pœna alterius peccati. Secundo modo potest vnum peccatum esse pœna alterius peccati, vel ratione substantiæ actus, in quo est quędam afflictio, siue sit actus interior, vt ira, inuidia, &c. patet enim quòd isti actus cruciant animam;

Opinio D. Thomæ, et sectatorũ.

mam; ſiuè ſit actus exterior, ſicut cum aliquis laborat, & damnum patitur, vt actum peccati expleat, iuxtà illud Sapien. 5. *Laxati ſumus in via iniquitatis*. Vel ratione effectus, qui ex peccato conſequitur, vt ſi ad peccatum ſequatur aliqua pœna, vt infamia, & huiuſmodi. Sed his duobus vltimis modis, ait D. Tho. peccatum non ſolum eſſe pœnam alterius peccati, ſed etiam ſui ipſius; quò fit, vt ſolũ primo modo, ſcilicet ratione ſubtractionis auxilij gratiæ, ſit pœna alterius peccati.

163 Ex hoc patet etiam ſecundum principale, ſcilicet quomodo Deus ſecundum D. Tho. ſit cauſa peccati, quòd eſt pœna alterius peccati: eſt enim cauſa, quia ſubtrahit gratiam, cuius ſubtractio eſt cauſa, vt homo incidat in aliud peccatum.

Secũda opinio, quæ eſt Scoti.

164 Secunda opinio eſt omnino contraria: ſuſtinet enim quòd peccatum eſt pœna peccati non ſolum ratione effectus, ſed ratione propriæ malitiæ, & hac ratione magis principaliter eſſe pœnam. Deinde negat, peccatum eſſe pœnam peccati ratione ſubtractionis auxilij diuini; ſed alio modo docet, eam eſſe à Deo, vt videbimus. Hæc opinio autem eſt principaliter Scoti in 2. diſt. 36. in ſolutione quæſtionis §. *ad quæſtionem tertiam*, &c. quam etiam ſequuntur multi alij, vt D. Bonau. eadem diſt. art. 1. quæſt. 1. Richardus ibidem, Biel, & Magiſter Sentent. à quo Scotus eam accepiſſe videtur. Conſentiunt etiam nõnulli Thomiſtæ in Comment. articuli citati. Caietanus verò etſi in eodem Commentario ſentiat contra Scotum, tamen 2. Regum cap. 16. in illud. *Dominus pręcepit ei, vt malediceret Dauid*, tenet oppoſitum, ſed quicquid ſit de illo, & de alijs, videamus quæ opinio ſit rationabilior.

D. Bonau. Ricardus. Biel. Magiſter.

Opin. Scoti continet duas partes.

165 Scotus ergo loco citato duo explicat. Primò oſtendit quòd omne peccatum eſt pœna. Secundò quòd vnum peccatum poteſt eſſe pœna alterius peccati. Ex quibus patebit, quomodo peccatum ratione deformitatis ſit pœna alterius peccati; & quomodo Deus non ſit cauſa peccati, quòd eſt pœna alterius ſubtrahendo auxilium gratiæ; ſed alio modo, vt poſtea videbimus. Quod ergo peccatum omne ſit pœna, declarat, & probat ſic Scotus. Pœna formaliter eſt carentia boni conuenientis voluntati, & volenti; ac rectitudo debita actui eſt bonum maximè conueniens, immò magis conueniens voluntati, & volenti, quàm quodcunque aliud bonum; ergo carentia rectitudinis debitæ actui eſt pœna, & maxima pœna voluntatis, & volentis. Subſumo, ſed carentia debitæ rectitudinis actui eſt peccatum pro formali, vt modo ſupponimus; ergo peccatum pro formali eſt pœna. Maior probatur. Supponamus quòd bonum commodi, & bonum iuſti ſint diſtincta, patet quòd carentia boni commodi eſt pœna: ſi autem quæramus cauſam, hæc ſola poteſt aſſignari: quia illud bonum eſt conueniens voluntati, & volenti, & ideò ablatio eius eſt pœna. Hinc patet veritas maioris, nam bonum iuſti eſt bonum magis conueniens voluntati, & volenti, quàm bonum commodi per ſe ſolum conſideratum; ergò carentia boni iuſti eſt maior pœna, quàm carẽtia boni commodi, ſed peccatum eſt carentia boni iuſti; ergo peccatum non ſolùm eſt pœna, ſed maior pœna, quã carentia cuiuſcunque commodi. Minor principalis probatur, ſcilicet quòd bonum iuſti ſit bonum, & magis conueniens voluntati, & volenti, quàm bonum commodi, ſic. Quanto perfectibile eſt perfectius, & quanto perfectio ei correſpondens eſt perfectior, & melior, tanto maior eſt eorum conuenientia, & peior eorum priuatio; ſed ſic eſt, quòd voluntas in quantum habet affectionem Iuſtitię innatæ, eſt nobilior, & perfectior ſeipſa, in quantum habet affectionem commodi; ergo maior, & melior eſt conuenientia boni iuſti ad voluntatem, quàm boni commodi ad eandem voluntatem; ergo ablatio boni iuſtitiæ eſt ſimpliciter pœna, & maior pœna, quàm ablatio cuiuſcunque boni commodi.

2. Ratio.

166 Eandem ſententiam probat auctoritate D. Aug. lib. 1. confeſſionum cap. 12. vbi inquit. *Iuſſiſti Domine, & ita eſt, vt omnis inordinatus animus pœna ſit ſibi*. Et 3. lib. de libero arbitrio. *Neque enim ad momentum eſt dedecus culpæ ſine dedecore iuſtitiæ*. Cum ergo inordinatio animi ſit pœna ipſi animo inordinato, & ipſa inordinatio ſit carentia debitæ rectitudinis, ſequitur, quòd carentia debitæ rectitudinis, quæ eſt peccatum pro formali, ſit pœna.

167 Facit deinde Scotus obiectionem contra ſe. Quomodo poteſt eadem carentia iuſtitiæ eſſe formaliter culpa, & formaliter pœna? Et reſpondet per diſtinctionem allatam à Magiſtro in eadem diſt. 36. quòd voluntas duobus modis poteſt conſiderari: vno modo vt eſt actiua: alio modo vt eſt paſſiua. Voluntas vt eſt actiua eſt cauſa culpę, ſed tamen deficiens; quatenus eſt paſſiua, eſt ſubiectum receptiuum culpæ. Peccatum ergo ipſum pro formali, ſiue malitia peccati quatenus eſt à voluntate, vt à cauſa actiua, ſed deficiente eſt culpa: quia voluntas potuit agere ad rectitudinem ſibi debitam, & noluit; & ideò hoc modo eſt voluntaria, & eſt culpa. Quatenus verò recipitur in voluntate eſt formaliter pœna: quia eſt priuatio, & corruptio iuſtitiæ, & rectitudinis, quæ eſt bonum conuenientiſſimum ipſi voluntati: vnde carentia iſtius boni eſt magis contra inclinationem naturalem voluntatis, quàm quæcunque carentia boni commodi, non iuſti; & quàm pręſentia cuiuſcunque incommodi, ſiuè obiecti diſconuenientis.

Opinio D. Tho. quo ad primum punctũ reijcitur.

168 Hæc eſt opinio Scoti quo ad primum punctum. Ex cuius probatione impugnata remanet opinio D. Tho. quò ad idem punctum: cum enim peccatum pro formali, ſcilicet carentia rectitudinis debitæ ſit maxima pœna, ſequitur, peccatum eſſe pœnam peccati per ſe, & quatenus eſt peccatum pro formali. Verùm poſſet aliquis pro D. Tho. dicere, quòd ipſe conſiderauit peccati malitiam ſolùm pro vt egreditur à voluntate, non quatenus recipitur in ea vt ei diſconueniens; & ideò peccatum per ſe dixit eſſe culpam: & ſi hoc modo intellexit D. Thom. vt nonnulli eum exponunt, non eſt diſſenſio inter ipſum, & Scotum. Solùm ſequeretur eum eſſe diminutum, quia expreſsè nõ declaraſſet omnem rationem ſecundùm quam peccatum eſt pœna; immò principalẽ omiſiſſet: ſed ſuſtinendo eum, vt explicitè habet, eius opinio eſt falſa, vt probatum eſt per rationes Scoti, quantum ad hoc peccatum per ſe, & ſecundùm propriam malitiam non ſit pœna. In reliquis eſt vera, ſcilicet quòd peccatum ſi pęna ratione effectuum ſubſequentium eum, nec Scotus hoc negat.

Quomodo vnum peccatũ ſit pœna alterius peccati ſm D. Tho. & ſequaces.

169 Quò ad ſecundum principale, ſcilicet quomodo vnum peccatum ſit pœna alterius peccati primò adducit Scotus modum dicendi D. Thomæ qui, ſcilicet eſt, quòd ſicuti Deus propter peccatum commiſſum à voluntate creata dum poſſet dare rectitudinem debitam actui, & non dat, eam priuat habitu gratię, & hac ratione priuatio gratiæ eſt pœna peccati; ita Deus propter eundem defectum poteſt ſubtrahere à voluntate creata ſuum auxilium ne agat ad rectitudinem actus ſecundi, quod tamen non ſubtraheret ſi nullum pręceſſiſſet demeritum: qua ſubtractione poſita voluntas incidit in peccatum, quia non poteſt tentationibus reſiſtere; & ita illa ſubtractio Auxilij eſt pœna peccati prioris, & quia ſecundum peccatum oritur ex ſubtractione huius Auxilij, ſecundum peccatum dicitur pœna prioris peccati.

Reijcitur.

170 Verùm Scotus reijcit hunc modum dicendi, quia videtur nimis difficilè, quòd Deus in aliquo actu ſit prima cauſa deficiens quo ad rectitudinem actus. Si enim Deus denegat ſuum auxilium neceſſarium ad vitandum actum peccati, & faciẽdum bonum actum, ſequitur, quod actus peccati ſecundi nõ ſit in poteſtate voluntatis creatæ, quod eſt abſurdum: quia tunc non eſſet peccatum. Conſequentia patet, quia tunc voluntas creata non poſſet non deficere; ſi enim non habet auxilium Dei pręuium, & concomitans, neceſſarium ſimpliciter ad faciendum actum bonum, neque ſine illo ſimpliciter poteſt operari bonum, illo deficiente nullo modo poteſt efficere bonum, ſed neceſſariò deficiet.

171 Nec valet ratio inſinuata pro illa opinione, quòd ſicut propter defectum volũtatis Deus ſubtrahit gratiam

habitualem, quæ est pœna magna, ita potest subtrahere auxilium, & concursum suum ad rectitudinem debitam: quia non est par ratio de vtraque: nam ipse Deus non est pollicitus, quantum est ex se, dare gratiam habitualem semper ad quemcunque actum, sicut pollicitus est dare auxilium ad rectitudinem cuiuscunque actus: vnde semper, quantum est ex se, in quolibet actu peccati dat auxiliũ necessarium ad illud vitandum. Vbi nota, quòd Deus pollicitus est dare gratiam suam habitualem ad actum bonum, & conuertenti se ad ipsum; & ideò cum homo conuertitur ad Deum, eam illi dat consequenter: sed non est pollicitus dare gratiam habitualem ad quemcunque actũ etiam malum, sicut pollicitus est dare auxilium gratiæ ad quemcunque actum etiam malum: ideò non est necesse, quòd etsi Deus possit non dare gratiam habitualem ad actum malum, possit etiam non dare auxilium gratiæ ad illum vitandum. (Ex hoc loco habemus Scotum assignare differentiam inter gratiam habitualem, & auxilium gratiæ.) Preterea, non est necesse, quòd carere, vel habere gratiam habitualem sit in potestate nostra in quolibet actu: at verò est maximè necessarium, vt carere, & habere auxilium gratiæ sit in potestate nostra in quolibet actu: quia in actibus malis sibi succedẽtibus est semper nouum malum, quod non esset nisi actus illi essent in potestate nostra. Carentia verò gratiæ est vna iniustitia habitualis in anima non semper propter aliud, & aliud peccatum noua, sed vna, & eadem quiescens in anima post primum peccatum donec per opus bonum ponitur gratia, & illius carentia tollitur.

Differentiã inter gratiã habitualẽ, & auxiliũ gratiæ.

Opin. Scoti quo ad secundum punctum.

172 Respondet ergo Scotus secundùm propriam opinionem ad hanc partem, quòd defectus secundus, siuè secundum peccatum pro formali est pœna primi peccati: quia priuat se bono maximè sibi cõuenienti: priuat enim se rectitudine debita in esse actui, quæ est maximè bonũ vt dictum est suprà. Sed dices, hæc responsio Scoti non est ad propositam quæstionem: nam ex ea quidem habemus quòd defectus, & malitia secundi actus est pœna actus secundi, & ipsius voluntatis: at non habemus quomodo sit pœna primi peccati, quia non habemus quomodo ex illo infligatur voluntati à Deo. Respondeo, quòd ex ea respõsione habetur quidem solùm quomodo malitia, & defectus secundi actus peccati sit pœna; sed quomodo sit pęna inflicta à Deo in pœnam primi peccati habetur ex eo in responsione ad primum principale, vbi ait, quòd duobus modis accipitur pœna: vno modo accipitur pęna pro sola carentia boni conuenientis alicui naturæ intellectuali, sicut est carentia visionis, & fruitionis Dei, & hæc est pura priuatio: alio modo accipitur pęna pro aliquo positiuo, vt est disconueniens tali naturæ: vt calor nimis excellens est disconueniens carni. Ad propositum, malitia peccati est pœna primo modo, non secundo: tales autem pœnæ non sunt à Deo efficiente, quia non sunt effectibiles, cum non sint quid positiuum, sed habent solùm causam deficientem; neque sunt à Deo vt à primo deficiẽte sed sunt à Deo vt à deficiente secundario; siuè vt à deserente naturam deficientem in suo defectu: & ita defectus, & malitia secundi peccati, quæ in se est pœna voluntatis, est à Deo non vt ab efficiente, nec vt à deficiẽte primo, sed deserẽte volũtatẽ ratione primi demeriti in suo defectu; quæ deserta sic à Deo, & relicta in suo defectu licèt habeat paratum concursum Dei ad dandam rectitudinem debitam secundo actui peccati, tamen propter primi peccati defectum, in quo relinquitur propter primum demeritum, cadit in secundum peccatum, quod etiam est pœna, & defectus: & hoc modo à Deo secundum peccatum causatum est, & infligitur animæ in pœnam primi peccati. Discrimen ergo opinionis Scoti ab opinione D. Thom. & Sectatorum consistit in hoc, quòd secundum D. Thom. Deus non dat auxilium suum actui secundo peccati; sed secundùm Scotum dat auxilium necessarium; at relinquit animam in pœna, & defectu, in quem incurrit propter primum peccatum; derelictio autem animæ in illa pœna, & iniustitia

Discrimen opinionis Scoti ab opinione D. Thomæ.

est causa secundi peccati: & hac ratione verè dicimus cum D. Gregorio, *Peccatum quod per pœnitentiam mox non delectur suo pondere in aliud trahit.* Hæc opinio Scoti probatur ex dictis supra. Nam quò ad primam partem, in qua contradicit D. Thom. probatur ex dictis suprà, quòd Deus non est causa peccati: stante autem illã opinione Deus esset causa peccati, vt ostensum est. Quo ad secundã partem, quæ est eius propria opinio, probatur: quia pœna quæ est pura priuatio non habet causam efficientem sed deficientem: ideò Deus nõ potest esse causa nisi deficiens, & non primò: quia ipse, quantum est ex se, dat concursum suum, & dedit etiam actui primo.

Opin. Scoti ꝓbatur.

173 Verùm, contra opinionem Scoti arguit Caietanus p. 2. q. 87. ar. 1. quem Vasquez ibi sequitur. Arguit autem contra primam partem, & primò sic. Omnis pœna peccati est à Deo infligente illam; sed malitia, & defectus peccati non est à Deo; ergo malitia peccati non est pœna. Maior probatur à Caietano auctoritate D. Aug. lib. 83. quæst. asserentis, pœnam peccati esse à Deo: à Vasquez verò ex Arist. 10. Ethicorum, vbi ait, quòd Pœna, & vltio in hoc differunt, quòd *pœna eius, qui patitur gratia fit; vltio verò eius qui facit, vt expleatur.* Omnis ergo pœna respectu eius, qui patitur est pœna; respectu eius qui eam facit, habet rationem supplicij, & vltionis. Si ergo malitia peccati esset pęna, esset vltio inflicta à Deo: & sic Deus esset causa peccati pro formali. Minor est euidens, tum ex dictis suprà: quia Deus non est causa malitiæ peccati; tum quia nullus Iudex iniuriam sibi factam, vel suæ legis transgressionem vlciscitur alia transgressione, & iniuria contra se. Confirmatur, quia pœna placet infligenti: at malitia peccati nullo modo potest placere Deo; ergo non potest ab eo esse volita, vt pœna, & vt obiectum suæ iustitiæ vindicatiuæ.

Obiectiones Caiet. Vasquez, & aliorum cõtra primam partem opinionis Scoti.

174 Secundò. Arguit Vasquez ex eodem medio. Omnis pœna, quatenus pœna, est iusta, etiamsi habeat rationem mali respectu patientis; vt malitia peccati, quatenus malum est, non est quid æquum, nec iustum, neque vt tale potest placere Deo; ergo non potest esse pœna inflicta à Deo. 2. Ratio.

175 Tertiò. In speciali contra distinctionem allatam à Scoto ex doctrina Magistri, scilicet quòd malitia peccati etiam quatenus recipitur in anima tanquàm in subiecto sit verè culpa, & non pœna, arguit sic. Peccati malitia est accidens; sed accidentis esse est in esse: vnde est contradictio considerare accidens, & non in subiecto; ergo causare malitiam est dare illi esse in suo subiecto proprio; ergo non potest intelligi formam accidẽtalem, quæ est malitia, ab aliquo effici, & tamen non esse formam, & affectionem alicuius subiecti. 3. Ratio.

176 Quartò. Malum morale non est malum absolutè, sed est malum, quia alicui est malum, & disconueniẽs, scilicet subiecto, in quo est; ergo malitia est malum voluntati non solùm quatenus actiuè exit à voluntate, sed quatenus recipitur in voluntate, non potest autem esse simul pœna, & culpa, vt ostẽdit duabus primis rationibus; ergo malitia etiam, vt recipitur in anima, non est pœna. 4. Ratio.

177 Quintò. Falsum est quod ait Scotus, actũ peccati esse culpam, vt est voluntaria: vt verò recipitur in anima non esse voluntariam, & ea ratione non esse peccatum. Vndè arguit sic. Peccatum ideò est peccatum, & malum, quia est voluntarium: occidere enim hominem non voluntariè non est peccatum, sicut nec occidere belnam: at peccatum intantum est pœna alicui, inquantum est malum, & peccatum illi; ergo si malitia, vt recipitur in voluntate non est voluntaria, sequitur, quòd malitia, vt recipitur in voluntate, non sit malum, nec peccatum ipsi voluntati, & ita neque pœna. 5. Ratio.

178 Sextò. Falsum est, Magistrum Sententiarum esse eiusdem opinionis cum Scoto, quod probare nititur Vasquez ibidem: quia Magister dist. 56. cap. 5. cum proposuisset in primo cap. auctoritates Patrum, quæ asserit, vnum peccatum esse pœnam alterius peccati, & in secundo cap. 6. Ratio.

addu-

adduxiſſet auctoritates in contrarium, ſoluens hanc quæſtionem diſertis verbis ait, nihil obſtare, quo minus vnũ peccatum ſubſtantialiter ſit pęna alterius: vnũ tamen peccatum inquantum peccatum non poſſe eſſe pęnam alterius. Adducit deinde alia loca ex Magiſtro quibus probat, eum ſentire cum D. Thoma, & expendit alia quædã loca eiuſdem, ex quibus imaginatur, Scotum voluiſſe colligere, Magiſtrum fuiſſe ſecũ: quę tamen exponit, & oſtẽdit ea nõ fauere Scoto, quæ nõ eſt neceſſarium adducere, quia Scotus illis minimè nixus eſt, vt poſteà videbimus.

Reſponſio aduerſariorum ad argumẽta cõtra ſecundã partem opinionis D. Thomæ.

179 Quò ad ſecundam partem verò non impugnant aduerſarij opinionem Scoti, ſed Caietanus, & Medina reſpondent ad rationem Scoti cõtra opinionem D. Thomæ factam, negando conſequentiam, ſcilicet quòd peccatum ſecũdum non eſſet in poteſtate voluntatis: quia licèt Deus ſubtrahat auxilium efficax, & actualia, tamen non ſubtrahit auxilium ſufficiens, quo ſe poſſit diſponere, & hoc ſufficit. Ad aliam rationem contra fundamentum illius opinionis, ex diſſimilitudine gratiæ habitualis, & auxilijs, reſpõdet Caietanus, immò eſſe ſimile: quia Deus nedũ vult antecedẽter omnib. hominibus gratię auxiliũ, ſed vult ẽt illis omnibus gratiã habitualẽ; & licèt priuatio gratiæ habitualis ſit formaliter priuatio habitualis: tamẽ virtualiter eſt priuatio actualis auxilij. Ideo ſicut in actibus ſecundis Deus non dat actu gratiam habitualem, quã tamen dat antecedenter, ita non eſt inconueniens, cum in peccatis ſecundis non dare auxiliũ gratiæ efficax, & actuale: quòd tamen dat antecedẽter, ſed ſufficit quod det auxilium ſufficiens.

Reijciuntur obiectiones allatæ.

180 Verũ ego miror viros iſtos, & maximè Vaſquez adeò vehementer irruere in opinionem Scoti, nec verbum quidem reſpondere ad rationem eius, neque animaduertiſſe reſponſionem Scoti ad primum principale: in qua fundamentum ſuæ opinionis confirmatur, & aſſignatur diſtinctio, & omnes obiectiones adductæ ab eis ſoluuntur.

181 Pro confirmatione ergò opinionis Scoti notandum eſt, quòd vt ſuprà diximus, pęna eſt duplex, vt habet in reſponſione ad primum principale. Alia eſt ſolum carentia boni conuenientis naturæ intellectuali, ſicut eſt carentia viſionis, & fruitionis Dei, & hæc eſt pura priuatio. Alia eſt quid poſitiuum diſconueniens alicui naturæ, vt calor excellens nimis eſt pęna carnis. Videndum eſt ergo, An pęna primo modo, quæ eſt ſola priuatio, & carentia boni conuenientis, & non eſt aliquid poſitiuum, re vera ſit pęna: deinde vidẽdum eſt, An rectitudo debita actus, ſit bonum conueniens voluntati, & volenti. Si enim rectitudo debita eſt bonum conueniens voluntati, & volenti, ſequitur apertè quòd dum voluntas habet actum carentem rectitudine iſta debita, habeat actum pęnalem. Primum autem iſtorum, ſcilicet an ſola carentia perfectionis conuenientis ſit pęna, eſt adeò clarum, vt non egeat probatione: nam carentia viſionis, & fruitionis diuinæ eſt pęna damni, quæ eſt Maior pęna, quàm pęna ſenſus, vt Theologi fatentur: & cæcitas in oculo corporeo eſt pęna, & ſic de alijs. Secundum etiam, ſcilicet quòd rectitudo debita actui ſit bonum conueniens voluntati, & volenti, eſt clariſſimum: nam vt diximus ſup. diſp. illa, Vtrum voluntas ſit nobilior intellectu cap. 5. ex Scoto in quolib. 18. bonum morale eſt bonum per accidens, ſiuè eſt bonum, quia eſt alteri bonum, & conſiſtit in integritate omnium eorum, quę recta ratio operantis iudicat debere conuenire actui, vel ipſi agenti in actu ſuo. Bonitas ergo moralis eſt rectitudo debita actui. Eſt ergo clarum, quòd rectitudo actus eſt bonum conueniens ipſi voluntati, & volenti. Et confirmatur, quia ſecundum D. Thomam, & Scotum in 2. diſt. 7. quæſt. 2. & omnes, triplex eſt bonum, honeſtũ, vtile, & delectabile; & hæc quandoque ſeiuncta ſunt: nã ſępè bonum honeſtum habet annexam difficultatem, dolorem, & ſimilia. At bonum honeſtum, eſt bonum morale, & actus virtutis, ideſt ipſa rectitudo actus, de qua re aliàs ſuis locis diffuſè; ergo rectitudo actus eſt bonum cõueniens voluntati, & volenti, etiam per ſe conſiderata abſque ratione delectabilis. Tandem confirmatur ex Ariſt. 1. Ethicorum cap. 8. vbi aſſerit, veram voluptatem eſſe in actibus virtutis: quia iſta natura ſua iocunda ſunt; licèt ſecundùm vulgus non videantur bona, nec iocunda. Quòd etiam experientia patet: maiorem enim triſtitiam quis aliquando patitur ex actu turpi, vt iniuſtitiæ, & ſimilium, quàm ex dolore aliquo graui inflicto. Hoc ergo ſuppoſito, quòd rectitudo actus ſit bonum conueniens, conſequentia principalis eſt euidens, ſcilicet quòd carentia huiuſmodi rectitudinis debitæ eſt pęna volenti: carentia autem debitæ rectitudinis eſt malitia, & deformitas peccati; ergo malitia peccati eſt pęna, & principalis pęna peccati.

Quomodo pœna ordinet culpã.

182 Ex quo ſubiungit Scotus, hoc modo maximè verificari dictum illud commune Theologorum acceptum à Boetio lib. 4. de conſolatione Phyloſophica proſa quarta, quòd pœna eſt ordinatiua culpæ: ordinare enim culpam eſt facere, quòd ipſa culpa, quæ in ſe eſt malum, inferat bonum. Culpa ergo quæ in ſe eſt mala, infert hoc bonum, quòd ſtatim ei correſpondet iuſta pęna, qua punitur: hoc autem puniri iuſta pęna eſt bonum: quia melius eſt ſimpliciter peccatorem non correctum eſſe in pęna, quàm ſine pęna: quia in primo eſt aliquid boni .ſ. correſpondentia iuſtæ pęnæ ad culpam: ſed in ſecundo eſſet tãtum malitia, ſcilicet culpa impunita: ex quo patet mira ſapientia Dei: ex quo enim non vult culpam auferre, ſed permittere, voluit vt ipſamet culpa inuita ſecum ferret bonum ſibi oppoſitum, per quod ordinatur, quòd eſt punitio ipſius animæ per ablationem propriæ Iuſtitiæ, quę eſt bonum ſibi maximè conueniens: adeò quod peccator non poteſt offendere Deum niſi auferendo ſibimetipſi maximum bonum, quod eſt Iuſtitia propria: eo ferè modo, quo ſi quis non poſſet occidere inimicum ſuum niſi occidendo ſe ipſum: talis enim occiſio eſſet ſimul culpa, & pœna in occidente, malum, & bonum; malum, quia eſſet occiſio inimici; ſed bonum, quia eſſet punitio adæquata culpæ per propriam mortem (ſuppoſito, quòd occiſio ſui ipſius non eſſet ſpeciale peccatum, ſed tantùm priuatio vitæ, vt eſt bonum) eſſet inſuper offenſa, & vindicta ſimul. Ex his patet confirmatio opinionis Scoti.

Ad primã rationẽ in oppoſitum

183 Ad rationes autem aduerſariorum contra primã partem opinionis Scoti ſatisfit per diſtinctionem eandẽ: pœna enim duplex eſt: alia eſt, quæ eſt pura priuatio boni conuenientis: alia eſt poſitiuum diſconueniens patienti, vtraque eſt à Deo, ſed diuerſo modo. Prima eſt à Deo nõ infligente, vel efficiente, nec deficiente primò, ſed deſerẽte, ideſt naturam, quæ deficit, relinquente in ſuo defectu, & in omnibus defectibus conſequentibus ad illum defectum. Ad primam ergo rationem ad hominem, concedo, malitiam non eſſe à Deo efficiente, nec deficiente primò ſed tamen eſt à Deo deſerente, vt explicatum eſt. Superius autem diximus, malitiam non eſſe à Deo effectiuè, neque vt à cauſa deficiente primò tamen, non negauimus eſſe à Deo deficiente ſecundariò, & remotè, & deſerente, vt expoſitum eſt. Ad aliam probationem reſpondetur, quòd ratio illa currit de pęna accepta ſecundo modo pro poſitiuo diſconueniente: pœna enim, quæ infligitur à Iudice in vindictam tranſgreſſionis legis, eſt quid poſitiuũ diſconueniens; & eſt ab illo effectiuè: ideò nõ eſt par ratio. Et cum dicitur, Nemo vlciſcitur trãſgreſſionem alia tranſgreſſione, & iniuria. Reſpondetur, quòd hæc malitia peccati, quæ eſt pœna, non eſt alia tranſgreſſio, & iniuria noua ab iniuria peccati ipſius, ſed eſt eadem tranſgreſſio, & iniuria, quæ, quatenus eſt priuatio boni conuenientis voluntati, cui ineſt, eſt etiam pœna, vt expoſitum eſt.

184 Ad confirmationem reſpondetur, quòd pœnam placere Deo, eſt Deum eam velle. Velle autem eſt duplex aliud abſolutum, & ſine conditione, aliud ſub conditione. Dico quòd illa pęna placet Deo non voluntate abſoluta, quia ſic eã nollet, ſed voluntate conditionata, & ex ſuppoſitione, quòd voluntas creata velit actum culpæ, Deus

etiam vult.& illi placet carentia boni quam incurrit,& ideò voluntatem in illa carentia derelinquit.

Ad secūdā. 185 Ad secundam respondetur malitiam,vt est carentia boni conuenientis voluntati,esse ordinatiuā sui ipsius, vt est culpa,vt expositum est: & sic est iusta, & sub hac ratione potest placere Deo, & esse volita voluntate ex suppositione.

Ad tertiā. 186 Ad tertiam respondetur Scotum non asserere, quòd malitia possit habere esse non inherendo (licèt falsum sit illud fundamentum,quod accidentis esse sit in esse,vt alias dictum est) quia malitia cum sit pura priuatio rectitudinis debitæ,non potest habere esse nisi in subiecto,sed inquit quòd diuerso modo considerata potest esse culpa,& pœna,vt est à voluntate actiuè ; sed deficiēdo est culpa,vt recipitur in ipsa voluntate est pęna. Quòd benè animaduertit Medina,& adduxit exemplum de passione Christi,quæ actiuè considerata,vt a Iudeis illata, erat maximum peccatum, at in Christo Domino recepta, erat maximum bonum ; ergo idem diuerso modo consideratum potest habere rationes oppositas, potest esse bonum, & malum.

Ad quartā. 187 Ad quartam respondetur, quòd falsum est, propriè malitiam esse malum ipsi voluntati, vt recipitur in anima:nam si illa malitia produceretur ab alio,quàm ab ipsamet voluntate, & reciperetur in anima, illa malitia non esset culpa,& malum ipsi animæ: quia in productione illius non culpasset,sed ideò est mala,& culpa ipsi volūtati in recipiendo,quia producitur ab ipsa voluntate in se ipsa. At verò est pęna propriè, vt recepta est in anima: quia est carentia boni conuenientis maximè ipsi animæ, vt explicatum est.

Ad quintā. 188 Ad quintam respondetur, quòd illa propositio, Peccatum, inquantum peccatum,est voluntarium, potest habere duplicem sensum. Primus est,quòd illa particula, inquantum, denotet causam formalem. Secundus, quod denotet causam efficientem. Primo modo facit hūc sensum,quòd voluntarium sit ratio formalis malitiæ peccati. Et in hoc sensu est falsa illa minor. Secundo modo facit hunc sensum, quòd voluntarium sit causa effectiua (eo modo, quo potest habere causam effectiuam) malitiæ, & peccati, vt peccatum est ; & hic sensus est verus: nàm peccatum formaliter est priuatio rectitudinis debitæ:& hoc modò est pęna: at hæc carentia debitæ rectitudinis non potest in esse actui pro materiali nisi sit elicitus voluntariè à volūtate,& ideò relinquitur, quòd sit pęna, non vt est voluntariè elicitus,sed vt est priuatio rectitudinis debitæ;priuatio autem est priuatio, vt recipitur in eo, cuius est. Ideò ad formam argumenti respondetur,quòd maior est vera accipiendo illam particulam,effectiuè: accipiendo verò illam formaliter est falsa. In minori autē accipitur formaliter,& ideò non sequitur conclusio:nimirum vltima consequentia,quòd peccatum non sit pęna,vt recipitur in anima.

Ad sextā. 189 Ad sextam respondetur,nec nos, nec Scotum negare,peccatum esse pęnam peccati etiam ratione effectuū consequentiam,vt aiunt ipsi;sed sustinere, etiam ratione propriæ malitiæ esse pęnam,vt visum est. Quòd verò illa distinctio,quòd malitia,& priuatio debitæ rectitudinis potest considerari actiuè,& passiuè,sit Magistri,patet : nā eadem dist. 37. cap. 5. in fine Mag. habet hæc verba. *Sed vt suprà dictum est,causaliter & actiuè dicuntur priuationes*. Vult ergo dicere Magister, quòd peccata dicuntur peccata,& priuationes inquantum causaliter, & actiuè producuntur, & sic non sunt à Deo,nec sunt pęnę,& tamen peccata sunt pęnę peccatorum, quia sunt priuationes boni: priuatio autem non est pęna, nisi vt recipitur in subiecto; ergo secundum Magistrum, peccati malitia est pęna,non vt actiuè,& causaliter fit, sed vt est priuatio boni,& consequenter,vt recipitur in subiecto, cui inest.

Quid, quo ad secundā partem. 190 Quo ad secundam partem,non est opus nouas rationes adducere : si enim intelligunt per auxilium sufficiens, auxilium verè sufficiens,quod quandoque reducatur ad actū,in materia de auxilijs dicam, est opinio vera, & est nobiscum; sed si intelligunt illud auxilium sufficiēs re vera non esse sufficiens,sed requiri vltra illud auxilium efficax prædeterminans voluntatem, vt Thomistæ nunc dicunt,est falsa:& ratio Scoti est efficacissima:patet enim tunc re vera,actum illum peccati non esse in potestate voluntatis, quia nō haberet oīa requisita ad vitandum illud peccatum. De qua re multa dicemus agendo de auxilijs.

DISPVTATIO IX.

Vtrùm voluntas sit potentia nobilior intellectu.

Rationes aduersariorum. Caput Primum.

1 LIcèt disputatio proposita soleat tractari à Theologis ad videndum, an beatitudo consistat in actu intellectus, vel voluntatis, etenim cum beatitudo sit actus nobilissimus,erit actus potentiæ nobilioris,quæ sit in creatura rationali. Si ergo intellectus sit nobilior voluntate,beatitudo consistit in intellectu: si è conuerso, beatitudo consistet in actu volūtatis, tamen quia ex ipsa pendet cognitio vera,vnde, & in quo sita sit libertas nostra, vt videbimus capite vndecimo, & sequentibus,à qua actus nostri habeat rationem peccati, & meriti,operę pręmium duxi hìc eam pertractare.

2 In hac autem controuersia sunt duæ opiniones extremæ. Prima est D. Thomæ p.p. quæst.82.art.3.& Sectatorum in eodem loco,& in 4.dist.49. vt durādi quęst. 4 Palud. quæst. 3. & aliorum multorū ex recentioribus, vt Vasquez p.2.dist.11.cap.8.& multorū ex Philosophis, quos refert,& sequitur Franciscus Piccolomineus in sua Philosophia morali gradu 9.cap.40. Hi omnes sustinent, intellectum esse potentiam nobiliorem voluntate. Rationes pro hac opinione plures, & variæ afferuntur, ego præcipuas adducam.

3 Arguit primo loco D.Thomas p.p. quæst.82. art.3. Illa potentia est nobilior,quæ habet obiectum nobilius: at obiectum intellectus est præstantius obiecto voluntatis;ergo intellectus est præstantior voluntate. Maior est euidens. Minor probatur, quia obiectum intellectus est verum,obiectum volūtatis est bonum : verum autem est nobilius bono,quia verum est quid abstractius,& simplicius bono,cum verum abstrahat ab existentia, & à conditionibus singularibus : bonum autem ab his nequaquam ; ergo. 1. Ratio.

4 Secundò. Illa potentia est simpliciter, & absolutè perfectior,quæ habet imperium super omnes alias, & illas dirigit:ita est intellectus, non voluntas ; ergo. Maior est euidens. Minor probatur à D Tho. p. 2. quæst. 17. art.1.& est Arist. 3. Ethic. cap. vltimo, vbi dicit, quòd ratio præcipit,& appetitus obtemperat,& comparat rationem Pedagogo,& appetitum puero. Et 6.Ethic. cap. 20. docet,ad prudentiam pertinere præcipere actus virtutū ; certum est autem prudentiam pertinere ad intellectum, non ad voluntatem. 2. Ratio.

5 Confirmatur. Potissimus actus legis est dirigere, & præcipere actus virtutum; sed lex ad intellectum pertinet, & non ad voluntatem; ergo imperium pertinet ad intellectum : & consequenter intellectus est nobilior. Maior est euidens. Minor probatur à D. Thoma p.2.quæst.90. art.1.Comprobatur insuper ex scriptura. nàm Prouerb. 6.dicitur. *Lucerna mandatum est & lex lux*,sed constat, quòd lux pertinet ad intellectum ; ergo &c.

6 Tertiò. Voluntas habet modum suum operandi essentialem ab intellectu,non autem intellectus à voluntate;ergo intellectus est nobilior. Antecedens probatur, quoniam modus operandi proprius voluntatis est libertas;sed libertas radicaliter est in intellectu, & formaliter in voluntate ; ergo voluntas habet suam libertatem, & essentialem operationem ab intellectu, non è conuerso; & ita intellectus est nobilior voluntate. 3. Ratio.

Quar-

4. Ratio. 7 Quartò. Illa potentia est præstantior, quæ est magis intima essentia substantiæ animæ: sed intellectus est intimior substantiæ animæ, quàm voluntas; ergo. Maior est euidens. Minor probatur à D. Tho. p. p. q. 19. a. 1. & q. 79. art. 1. ad 3. vbi docet, quòd voluntas consequitur ad intellectum, & q. 77. docet, quòd intellectus in generatione voluntatis habet rationem principij actiui: quòd autem habet rationem principij actiui est nobilius eo, quòd habet rationem producti, & principiati.

Confirmatur, quia denominatio fit à nobiliori: at anima nostra denominatur intellectiua ab intellectu; ergo intellectus est nobilior voluntate. Minor etiam probatur à D. Tho. p. p. quæst. 79. art. 1. ad primum, ex Arist. 1. de Anima, tex. 65. vbi inquit, quòd intellectus est substantia quædam.

5. Ratio ex Vasquez. 8 Quintò arguitur ex Vasquez p. 2. d. 11. cap. 7. in fine. Illa potentia est nobilior, quæ in sua operatione non indiget aliqua potentia, & facultate prius operante: sed sic est, quod intellectus non indiget aliqua alia potentia operante prius ad hoc, vt ipse possit intelligere, voluntas verò indiget intellectu; ergo intellectus est nobilior voluntate. Maior est euidens: nobilior est enim illa potentia, quæ nõ indiget alijs, sed alia ipsa indigent. Minor verò probatur, quia intellectus ad hoc, vt habeat obiectum suum sibi præsens, & possit operari circa illud, non eget operatione alicuius alterius potentiæ, sed per suam operationem exprimit sibi similitudinem obiecti sui, per quam similitudinẽ obiectum illud fit præsens ipsi intellectui: at voluntas dicitur cæca potentia, eo quod ipsa per se non sufficit ad operandum, sed eget intellectus operatione, quia non potest sibi præsentare suum obiectum, sed in illud sibi ab intellectu præsentatum solum operatur: ex hoc autem sequitur, quòd intellectus sit nobilior potentia voluntate.

6. Ratio. 9 Sextò principaliter. Illa est potentia nobilior, quæ dat bonitatem actionibus alterius potentiæ: sed intellectus dat bonitatem actibus volũtatis; ergo. Maior probatur, quia illud, quod est regula, & mensura alterius est præstantius eo, quod est mensuratum, & regulatum. Minor quoque probatur, quia D. August. libro de libero arbitrio ca. 8. docet, quòd tunc homo est benè ordinatus, quando ratio in illo dominatur. Et libro primo contra Academicos cap. 2. ait, quòd illud est optimum in homine, quod rationi dominanti obediunt cætera, quæ in ipsa sunt, & Aristot. 3. Ethicor. cap. 3. docet, quòd qui facit appetitiones suas obedientes rationi, consequitur fructum.

7. Ratio. 10 Septimò. Illa potentia est præstantior in homine, cuius actio est beatitudo essentialis: huiusmodi est actio intellectus, non voluntatis; ergo. Maior probatur auctoritate Arist. 10. Ethicor. cap. 7. & 8. vbi docet beatitudinẽ consistere in contemplatione. Quòd etiam docuerat 1. Ethicor. cap. 3. Nec valet dicere, quòd ibi Arist. per intellectum intelligit partem intellectiuam, & proinde comprehendere etiam voluntatẽ: quia apertè ibi Arist. intendit ostendere, quòd beatitudo non consistit in actione alicuius appetitus: vndè ca. 5. eiusdem libri ostendit, quòd non consistit in delectatione.

8. Ratio. 11 Octauò. Vita contemplatiua est nobilior actiua: at contemplatiua pertinet ad intellectum, actiua ad voluntatem; ergo. Maior probatur Lucæ 10. *Optimam partem elegit sibi Maria, quæ non auferetur ab ea*, & probatur à D. Thom. 2. 2. q. 182. art. 1.

9. Ratio. Nonò. Arguit Scotus in 4. dist. 49. q. 4. lit. pro eadem opinione multis rationibus, quarum hæc est secunda, prima enim superius est adducta. Illa potentia est nobilior, cuius habitus sunt nobiliores; sed aliquis habitus intellectus est nobilior quocunque habitu voluntatis; ergo intellectus est nobilior voluntate. Maior probatur. Illa potentia est nobilior, quæ habet nobiliorem actum, actus autẽ ille est nobilior, ad quem habitus nobilior disponit, vt patet; ergo illa potentia est nobilior, quæ habet nobiliores habitus: cum enim habeat nobiliores habitus, necesse est, quòd habeat etiã nobiliores actus, ex quibus habitus nobiliores generentur, & è conuerso ex ipsa mediante habitu nobiliores actus proueniãt. Minor verò probatur: quia ex Arist. 1. Methaf. & 6. Ethicor. cap. 8. Sapientia est nobilissimus habitus: at sapientia est habitus intellectus, habitus verò nobilior voluntatis est iustitia, vel amicitia: certum est autem hos habitus esse longè inferiores habitu sapientiæ secundum Arist. locis citatis; ergo intellectus est nobilior voluntate.

12 Decimò. Arguit ex comparatione actus ad actum sic. Causa æquiuoca est nobilior effectu: at actus intellectus est causa æquiuoca actus voluntatis respectu finis; ergo intellectus est nobilior voluntate. Minor probatur. Posito actu intellectus ponitur actus voluntatis circa finẽ, & amoto actu intellectus circa finem amouetur actus voluntatis: neque enim voluntas potest tẽdere in finem, nisi illum præcognoscat; ergo actus intellectus est causa efficiens actus voluntatis circa finem. Quòd etiam sit causa æquiuoca, patet, quia actus intellectus, & voluntatis sunt diuersarum rationum, & generum. 10. Ratio.

13 Vndecimò. Illud est melius, quod sinè altero esset elegibilius; sed intellectio sola est elegibilior volitione, sola: quia intellectio esset actus perfectus, & proprius naturæ intellectualis, volitio autem non esset, nisi quædam inclinatio sola, sicut grauè ad centrum: voluntas enim est appetitus: at appetitus est quædam inclinatio ad aliquem actum, sed nullum habens actum elicitum, sola autem virtus cognoscitiua elicit actum. 11. Ratio.

14 Duodecimò. Illud est perfectius, quod in perfectione minus dependet, sed actus intellectus non depẽdet ab actu voluntatis, sed è conuerso; ergo. Minor patet. Maior probatur, quia dependere est imperfectionis in eo, quod dependet. 12. Ratio.

15 Decimotertiò. Illa potẽtia est nobilior, cuius actus est purior, sed actus intellectus est purior actu voluntatis; ergo. Maior est euidens. Minor probatur dupliciter. Primò, quia actus intellectus nullam contrahit impuritatem ab obiecto: nam intelligere malum non est malum, sed actus voluntatis contrahit impuritatem ab obiecto: quia velle malum est malum. Secundò quia actus voluntatis tendit in obiectum in re extrà, intellectus verò tendit in obiectum, vt est in anima: at magis purus est actus, & motus, qui fit ad rem in anima, quia tendit in rem spiritualem, quàm motus, & actus ad rem extrà, quæ est materialis; ergo. Minor est euidens. Maior probatur ex Arist. 1. de Anima tex. 62. & 6. Meth. vbi dicitur, quòd verum, & falsum sũt in anima: bonum, & malum in rebus extrà. 13. Ratio.

An verum sit obiectum intellectus.

Occasione primi argumenti D. Thomæ disputatur, quid sit verum, & in quo consistat. Cap. Secundum.

15 SCotus in 4. Senten. dist. 49. q. 4. sustinet voluntatem esse nobiliorem intellectu, idque probat præsertim adducendo rationes pro aduersarijs ad oppositum, & ostendendo eas non concludere. Cæterum quoniam principalis ratio, & fundamentum aduersariorum est, quia verum est, obiectum intellectus, bonum voluntatis. & quod verum est perfectius bono, & ita ex consequenti, quod intellectus est nobilior volũtate: licèt ista sint potius Methafisicalia, quàm Theologicalia: tamen ad claram intellectionem huius disputationis, à qua multæ aliæ pendent, oportet priùs videre, quid sit verum, & in quo consistat: deinde, an sit obiectum intellectus. Secundò videbimus, quid sit bonum, & an sit obiectum voluntatis: ex his enim facilè patebit, an intellectus ratione obiecti sit nobilior voluntate, necne.

16 Quantum ergo ad primum notandum est, quòd veritas secundum Scotum præsertim tribus modis accipi potest: hoc patet in 1. dist. 3. q. 4. art. 5. §. *Ad quæstionem*. Vno modo pro propositione vera: propositiones enim veræ, vt prima principia, & aliæ notæ, siuè sint principia, siuè

conclusiones, communiter appellantur veritates. Secundo modo pro veritate, quæ est passio entis, quæ, quid sit, postea videbimus. Tertio modo pro ipsa veritate pro formali. De veritate primo modo non est disputandum: quia potius ipsa est subiectum, & materiale veritatis, quàm ipsa veritas. Veritas etiam secundo modo accepta, quæ est passio entis, videtur quoque esse quid materiale veritatis potius, quàm ipsa veritas. Agendum propterea est de veritate tertio modo sumpta, scilicet de veritate pro formali: hac enim intellecta, facilè patebit, quid sit dicendum de veritate duobus prioribus modis accepta. Veritas autem hęc pro formali distinguitur à Recentioribus, quòd alia est veritas, quæ consistit in compositione, & diuisione; alia quæ est passio entis, quæ tamen parum differunt, vt ex dicendis patebit. Vt autem ordinatè procedamus, tria faciemus. Primò explicabimus quid sit veritas. Secundò in quibus consistat, an in intellectu, an in rebus. Tertiò an sit tantùm in compositione, & diuisione, an etiam sit in simplicium apprehensione.

Quid sit veritas.

17 Quantum ad primum difficile est admodum explicare, quid sit veritas secundum Scotum: quia parum de hac re locutus est: tamen certum est apud omnes, hanc esse diffinitionem veritatis, à qua nec Scotus recedere, immò eam vbique supponere videtur, sed pręsertim 1. dist. 3. q. 4. 5. *In ista quæstione* &c. & art. 5. Veritas est adæquatio rei ad intellectũ, & est Arist. 4. Methaph. tex. 27. in prima ratione, qua probat, inter contradictoria non dari mediũ.

18 Verùm, etsi omnes cõsentiunt, veritatem esse adæquationem, & conformitatem rei ad intellectum, tamen diuerso modo explicant, quid sit ista conformitas rei ad intellectum, quòd est explicare quid sit veritas pro formali, siuè quid addat verum super actum intelligendi, & super ipsum ens, cui inest.

19 Aliqui sustinent, esse quid reale absolutum existens in ipsa intellectione. Alij solam relationem. Alij relationem realem. Alij relationem rationis. Et alij nihil aliud esse veritatem, nisi actum ipsum, quatenus connotat obiectum sic se habens vt intelligitur, ac repręsentatur. Prima

Opin. Capreoli.

tribuitur Soncinati in 6. Methaph. q. 17. & Capreolo in 1. dist. 19. q. 3. concl. 3. Fundaměta huius opinionis sunt. Pri-

1. Ratio.

mò, quia intellectio à parte rei denominatur vera: veritas est quid absolutum; ergo hæc denominatio fit ab aliqua forma absoluta reali existente in ipsa intellectione, non ab aliqua forma, quæ sit ens rationis.

2. Ratio.

20 Pręterea. Veritas est perfectio intellectus; ergo est quid reale, quia intellectus non perficitur realiter, nisi à forma reali; & sic patet, quod est forma realis. Quòd verò sit forma absoluta, non respectiua, probatur. Primò, quia relatio nõ est perfectio simpliciter: veritas autem est perfectio simpliciter: vndè est attributum Dei. Secundò, quia veritas non pendet ab extremis semper, sed aliquando, & per accidens: vt hæc veritas. Chimera est ens fictum, non est relatio intellectus ad rem ipsam: quia nulla res extrà

3. Ratio.

adest, ad quam intellectio referatur. Tertiò, quia in intellectione diuina, dum Deus intelligit essentiam suam, & creaturas, est veritas: & tamẽ inter intellectionem ipsam, & essentiam diuinam, & inter intellectionem, & creaturas non insurgit relatio realis. Hæc opinio reijcitur per rationes, quibus sequens opinio confirmatur.

Reijcitur.

Secũda opinio Durandi, & aliorum.

21 Secunda opinio sustinet, quòd veritas est relatio, quæ tribuitur Durãdo, Heruęo, Iauello, & alijs. Cęterum

Opin. Scoti.

hæc opinio videtur esse Scoti, licèt enim nihil certi apud eum habeatur; tamen in 4. dist. 49. q. 4. loco citato, in hanc sententiam inclinare videtur: ait enim *sed forte, neque verum, nec bonum vltrà ens dicunt rationes absolutas*. Vndè verisimile est citatos auctores illã ex Scoto desumpsisse.

Fundamentum huius opinionis.

Fundamentum huius opinionis est: quia esse veritatis pendet ex termino, vnde mutato termino, scilicet re ipsa, intellectio, siuè oratio fit vera, vel falsa; teste Aristot. in Pędicam. cap. de substãtia; si enim intelligo Sortem esse in platea, Sorte existẽte in platea, vera est intellectio mea, & vera est propositio, qua explico hanc intellectionem, & conceptum, Sortes est in platea; ergo signum est, quòd veritas est relatio formaliter, & quòd non addit aliud suprà entitatem intellectionis, vel rei, nisi relationem.

22 Confirmatur, quia veritas est conformitas rei ad conceptum, & intellectionem: conformitas autem, similitudo, & huiusmodi significant relationem. An verò hæc relatio sit realis, vel rationis, non declarat Scotus. Isti au-

Auctores, quidam tenẽt, esse relationẽ realem.

tem Auctores inter se discrepant. Quidam tenent, esse relationem realem propter argumenta adducta pro prima opinione, probãtia, veritatem esse formam realem: nam veritas realiter denominat rem; ergo debet esse forma realis: est etiã perfectio intellectus; ergo est forma realis.

Alij, esse relationẽ rationis.

23 Alij verò sustinẽt, esse relationem rationis propter argumenta adducta ab eadem opinione ad probandum, ipsam non esse formam absolutam: illa enim quoque probant, non posse esse relationem realem, quia relatio realis habet extrema realia: at hęc non semper in qualibet veritate reperiũtur: neque in Deo est relatio realis inter essentiam, & intellectum: ergo est relatio rationis. Propter hæc

Opin. Durãdi, Vasq. & aliorum.

argumenta Durãdus, Heruęus, & alij, quos sequitur Vasq. p. 1. disp. 75. cap. 2. tenent, veritatem pro formali esse relationem rationis.

Opin. Auctoris.

24 Ego tamen puto, esse relationem realem. Fundamentum principale, quòd aliquando sit relatio realis, est: quia illa est relatio realis, quæ virtute extremorum consurgit positis extremis in esse: sed posita intellectione vera alicuius rei, & posita re, cuius est illa intellectio, eo modo se habere, sequitur necessariò illa conformitatis relatio, sicut posito patre, & filio, necessariò sequitur relatio paternitatis; ita quòd per diuinam potentiam hæc resultantia cõformitatis auferri non potest; ergo illa conformitas est relatio realis. Et per hoc probatur, quòd veritas non est relatio rationis: nam relatio rationis habetur tantum cogitante intellectu: at nullo cogitante intellectu, cum intellectio est vera, est conformis rei; ergo illa conformitas non habet esse per operationem intellectus.

Opin. Suarez coincidit cũ opinione auctoris, aliter ẽ falsa.

25 Tertia opinio, quæ est Suarez asserentis, veritatem non addere aliquod absolutum, nec relationem realem, nec rationis super actum intelligendi, sed solum connotare, quòd obiectum ita se habet, sicut repręsentatur per actum, mihi videtur coincidere cum opinione nostra, quòd sit relatio realis, vel rationis: nam illud connotare obiectum se habere in se: sicut repręsentatur per actum intelligendi, pręsefert expressè relationem actus ad obiectũ in conformitate: conformitas autem, & similitudo est relatio: & quia cõformitas est realis, etiam relatio est realis.

26 Confirmatur, quia concomitantia realis est relatio realis: vndè si ratio concomitantiæ realis in conformitate, & similitudine inter actum intelligendi, & rem intellectam poneret tantùm denominationem extrinsecam, & non concluderet hanc esse relationem realem, nullam habere possemus rationem ad probandum relationes reales similitudinis, ęqualitatis, & huiusmodi esse reales: quia aduersarius dicere posset, illas non esse denominationes reales, sed solùm denominationes ortas ex coexistentia extremorum adinuicem. Est ergo dicendum, illam conformitatem esse relationem realem.

Ad primã rõnẽ ꝓ prima opinione.

27 Ad rationes autem, pro prima opinione asserente esse quid absolutum reale, conceduntur illæ, quæ probant esse quid reale: fatemur enim veritatem esse relationem realem. Ad rationes autem, quæ probant, esse quid absolutum. Respondetur ad primam, quòd relatio, vt relatio formaliter non dicit perfectionem, nec imperfectionem: quia videmus aliquas relationes dicere perfectionem in aliquo, vt est relatio dominij: alias verò dicere imperfectionem, vt est relatio seruitutis, & huiusmodi: tamen permissiuè, siuè considerata radicaliter, siuè ratione fundaměti, cui aduenit, potest esse perfectio, & imperfectio: vndè relatio dominij dicit perfectionem ratione subiecti, cui inest: subiectum enim, in quo est relatio dominij, est excellens super alios, & consequenter est nobilius seruis suis; relatio verò seruitutis dicit imperfectionem, quia de-

notat

notat subiectum, in quo est, esse alijs subiectum; & ideò ignobilius. Ita in proposito, licèt veritas, vt relatio, non sit perfectio simpliciter, tamen radicaliter, siuè ratione fundamenti: scilicet actus intelligendi, super quem fundatur, dicit perfectionem: quia denotat esse conformē rei, cuius est, quod quidem est perfectio simpliciter in actibus intellectus; sicut non esse conformem rebus, est imperfectio in illis; & hoc pacto veritas est attributum Dei, & illi perfectissimè competit, quia actus diuinę intellectionis nō potest non esse conformis rei intellectę.

Veritas quo modo Deo competat.

28 Notandum est autem, veritatem alijs duobus modis competere Deo. Primò, quia semper dicit verum, & neminem fallit; & hoc modo veritas quoque est attributum Dei. Alio modo competit veritas, Deo, quatenus veritas est passio entis, & ideò sicut Deus est primum ens, ita est prima veritas; sed hi duo modi non pertinent ad præsentem difficultatem.

Ad secūdū.

29 Ad secundam rationem respondetur, quòd sicut scientia est entis, & etiam non entis, vt vacui, priuationis, & huiusmodi; ita relatio conformitatis intellectionis potest habere duplicem terminum, scilicet vel ens positiuū, vel ens, priuatiuum: sicut enim priuatiuum cognoscitur per positiuum, ita priuatiuum potest esse terminus relationis conformitatis, non ratione sui, sed ratione entis positiui, per quod cognoscitur; vnde talis relatio potest dici relatio realis, non positiua, sed priuatiua; vel non positiua per se, sed per accidens. Et sic intellectio, quòd Chimera est non ens, terminatur ad Chimeram, quę est ens priuatiuū, & cognoscitur, vt priuationes cognoscuntur; sicut & vacuum est terminus cognitionis vacui, & tamen est quid negatiuum.

Ad tertiū.

30 Ad tertiam dicitur, quòd relatio realis potest esse duplex. Alia est perfecta, quæ requirit extrema realiter distincta, & hæc non datur in Deo inter intellectionem, & essentiam. Alia est realis, sed non perfecta, & esse potest inter aliqua formaliter distincta, ita est relatio ista conformitatis in intellectione diuina: nam intellectio, et essentia realiter sunt idem, sed formaliter distinguuntur. Cum ergo intellectio sit conformis omnino essentiæ, & rei intellectæ ex parte rei, sequitur, quòd sit relatio realis, idest non per operationem intellectus creati, sed ex parte rei, hoc enim modo est realis: licèt non sit relatio realis perfecta, quæ est inter extrema realia realiter distincta. Vnde Vasquez disp. 75. cap. 2. appellat eā potius relationem identitatis eiusdem rei cum se ipsa.

Secūdum principale in quo consistat cōformitas rei ad intellectum.

31 Quantum ad secundum principale, in quo sita sit ipsa conformitas rei ad intellectum, quæ veritas dicitur, est difficultas inter nonnullos: an scilicet sita sit in intellectu, an in re, ac variæ sunt opiniones, de quibus latè Suarez in Methaf. disp. 8. sect. 1. & Thomistæ p. p. quæst. 16. Aliqui enim dicunt, quòd consistit in re, vt Durandus 1. Sent. dist. 19. quæst. 5. num. 12. Fundamentum est, quia conformitas in repræsentando, vel cognoscendo consistit in hoc, quod repræsentans, vel cognoscens, repręsentat, vel cognoscit sic rem esse, quemadmodum ipsa est: at istæ particulæ sic, & sic se habere, sunt conditiones obiecti, nō actus intelligendi: quia sensus est, quod res sic intelligatur esse, sicut ipsa est, ita quòd conformitas est inter esse apprehensū, & esse in re: ideò veritas est in re, siuè in obiecto ipso cognito, non in actu intelligendi.

Opin. Durandi, & eius fundamentum.

32 Alij dicūt, quòd veritas est in intellectu, siuè in iudicio, quam habet Caietanus p. p. quæst. 16. art. 1. 2. & 8. eādem amplectitur Suarez, vbi suprà, & multos alios citat. Fundamentum est, quia Arist. in Prædicamento substantiæ ait: ex eo, quod res est, vel non est, propositio vera est, vel falsa. Ecce quòd Arist. non ait, ex eo, quod res est vera, sed ex eo, quod res est, vel non est propositio est vera, vel falsa; ergo ex Arist. veritas non est in re, sed in iudicio, siuè in intellectu componente, & faciente propositionem.

Opin. Caietani, Suarez, & aliorū cū suo fundamento.

Opin. auctoris.

33 Sed ego puto hanc litem esse nullius momenti, & puto vtramque opinionem coincidere. Durandus enim dùm dixit, veritatem esse in obiecto, per obiectum intellexit ipsam intellectionem, siuè ipsum intellectum quatenus apprehendit rem ipsam: quia res concepta, siuè res in esse obiectiuo, est ipsamet intellectio: intēdebat enim ibi dissentire ab opinione, quæ dicebat, conformitatem, quæ est veritas, esse inter rem, & speciem intelligibilem, siuè actum ipsum intelligendi, inquantum sunt entia habentia esse subiectiuè in intellectu: non autem in quantum actus intelligendi est intellectio ipsa, siuè res ipsa in esse obiectiuo intellectus. Parum ergo refert dicere, quòd consistat in re, vel in intellectu: possumus enim dicere, quòd consistat in vtroque, quia veritas est conformitas rei ad intellectionem ipsam: ideò cum conformitas sit relatio mutua, consistit in vtroque, scilicet in re, & in intellectu, siuè in intellectione: quia intellectio est conformis, & adæquata rei, & res secundum entitatem quò ad esse intelligibile est adæquata, & conformis intellectioni. Verum est quidem, quòd secundùm modum loquendi videtur poni ista conformitas in intellectione, quia dicimus, propositionem, quæ est explicatiua intellectionis, esse veram, vel falsam, non autem dicimus, rem esse veram, vel falsam. Quia ergo veritas tribuitur orationi, & intellectioni, iurè in oratione, & intellectione dicimus fundari hanc relationem conformitatis, & terminare ad rem ipsam, quæ est expressa sententia Aristot. 6. Methaf. cap. 2. vbi bonum, & malum dicit esse in re, verum, & falsum in intellectu.

An veritas sit in compositione, & diuisione tantum, vel etiam in simplicium apprehensione, & quid sit veritas, quæ est passio entis.

Caput Tertium.

34 QVò ad tertium principale est difficultas, An hæc veritas cognitionis, quæ est adæquatio, & conformitas rei ad intellectum, sit tantum in operatione secunda intellectus, quæ est compositio, & diuisio: an etiam in prima, scilicèt in simplicium apprehensione. Circa quod duæ sunt sententiæ. Aliqui dixerunt, veritatem, & falsitatem non solùm esse in compositione, & diuisione, sed etiam in simplicium apprehensione, quæ est prima intellectus operatio: & hæc opinio tribuitur Ferrariensi cōtra Gentiles cap. 59. & 60. Capr. 1. Sent. dist. 19. quæst. 3. & alijs multis, eam sequitur Fonseca 4. Methaf. cap. 2. q. 6. sect. 4.

Opinio asserentium veritatem, & falsitatē esse in simplicium apprehensione.

35 Fundamenta huius opinionis desumuntur præcipuè ex auctoritatibus Arist. nam Arist. 3. de Anima tex. 26. habet hæc verba. *At intellectus non omnis, sed qui est ipsius quid est, est verus, etsi non quippiam de quopiam.* In his verbis apertè dicit, quòd in simplici apprehensione quidditatis, & essentiæ ipsius rei, in qua non est affirmatio, vel negatio, est veritas. 1. Ratio.

36 Confirmatur ex exemplo adducto ibi ab Aristot. quod est, quia sensus circa proprium sensibile est verus: quoniam, vt ipsemet Arist. 2. de Anima tex. 63. dixerat, sensus circa proprium sensibile non decipitur; ergo erit verus. Attamen sensus non enunciat, neque componit, nec diuidit, sed solùm simpliciter apprehendit; ergo in simplicium apprehensione est veritas. 2. Ratio.

37 Tertiò. Probatur ex 9. Metaf. tex. 21. & 22. vbi Aristoteles ait, in simplicibus esse verū per hoc, quod cognoscitur res secundùm propriam quidditatem. 3. Ratio.

28 Quartò. Est ratio ipsa, nàm in intellectu diuino, & angelico est perfectissima veritas, & tamen ibi nulla est compositio, vel diuisio, sicut nec discursus, sed est simplex apprehensio. Quintò. Omnis res, quæ est conformis, & adęquata suæ mensuræ, suisque principijs, habet propriā veritatem; sed in conceptu simplici, etiam in specie intelligibili est conformitas ad obiectum, cui debet conformari, ergo in eo est veritas. Maior patet inductione: nàm signa in humanis dicuntur vera, quando sunt conformia signatis; falsa quando non sunt conformia signatis; arte 4. Ratio. 5. Ratio.

factum

factum dicitur verum, quando est cōforme regulis artis: & ens naturale non est verum ens, cum deficit à principijs naturalibus, & sic de alijs.

Veritas in sola compositione, & diuisione consistit ex aliorū opinione.

39 Ex altera parte alij, vt Caiet. p. p. q. 16. a. 2. Durandus in 1. dist. 19. q. 5. Vasquez disp. 55. & alij quidam ab eis citati, sustinent, veritatem, & falsitatem esse in sola compositione, & diuisione, loquēdo propriè, & in rigore. Hęc opinio probatur, & ipsa auctoritatibus pluribus expressis Arist. qui non solum dicit, veritatem, & falsitatem esse in compositione, & diuisione, sed disertis verbis ait, veritatē, & falsitatem non esse in simplici apprehensione. Prima auctoritas ergo est Arist. in Pręedicamentis cap. 1. scilicet in vltimis verbis, vbi ait. *Quæ secundum nullam complexionem dicuntur, nullum neque verum, neque falsum est.* Dat exemplum, vt homo, album, currit, vincit. Secunda auctoritas est ex 1. Perhier. ca. 1. vbi iterum ait, quòd in ipso nomine solo, & verbo solo, quando aliquid eis non additur, non est veritas, neque falsitas, dat exemplum Hicoceireus aliquid significat, sed nōdum verum, vel falsum, nisi esse, vel non esse addatur. Idem habet eodem lib. cap. 4.

1. Ratio.

2. Ratio.

3. Ratio.

40 Tertia auctoritas habetur 6. Methaphys. tex. 8. vbi postquam dixit, ens aliud esse per se, aliud per accidens; & asseruit, pręmittendam esse considerationem de ente per accidens, quia de eo in illo sexto in pręcedentibus satis erat dictum, subiungit. *Ens, & non ens quoque*, alio modo dici, scilicet de uero, & falso: verum dicitur ens; falsum non ens. Et de his esse inferius in alijs libris agendum: & declarans quodnam sit istud ens, quod est verum, & falsum. Et esse illud, quod est in compositione, & diuisione, & totaliter partitur contradictionem: quia verum vnā partem contradictionis accipit, falsum alteram. Et paulò infrà ait, quod verum, & falsum non est in rebus, sicut verum, & bonum, sed in mente: neque esse in mente secundum simplicem apprehensionem: ex eo autem deducitur, quod est in mente tantùm secundum operationem secundam, quæ est compositio, & diuisio.

4. Ratio.

41 Quartò eadem opinio probatur ratione. Primò, veritas eo modo est in conceptibus, quo modo est in vocibus; at in vocibus simplicibus non est veritas, vel falsitas, sed in enunciatione, & in propositionibus, siuè in oratione complexa; ergo veritas non est in simplicibus cōceptibus, sed in complexis: & consequenter veritas est tantùm in compositione, & diuisione. Maior propositio est euidens, quia ex Arist. 1. Periher. Voces sunt signa, & notæ passionum, quæ sunt in anima. Voces ergo simplices sunt signa cōceptuum simplicium, voces complexæ sunt signa cōceptuum complexorum. Minor est euidens tùm ex Arist. in pręcitato loco, & patet ex auctoritatibus adductis: tum experientia, quia dum dico, homo, vnusquisque cognoscit, quòd non dico verum, vel falsum, nisi addam aliquod verbum, vel aliud nomen, quo fiat aliqua complexio; illo enim addito, statim apparet veritas, vel falsitas.

Solutio difficultatis.

42 Pro solutione huius difficultatis puto vidēdum esse quænam sit mens, & intellectus Arist. in allatis auctoritatibus, quando dicit, quod veritas est tantùm in compositione, & diuisione, non in simplicium apprehensione; & deinde dicit, veritatem esse quoque in simplicium apprehensione, non tamen falsitatem. Circa quam contradictionem soluendam, & circa expositionem illius tex. 26. 3. de Anima, sunt innumeræ expositiones Græcorum, Arabum, Latinorum, & Recentiorum. Ego citra controuersiam in re, quæ potius spectat ad significatum nominis, quàm ad rem, iudico cum multis Recentioribus, contradictionem pręsentem soluēdam esse, per hanc distinctionem, quòd veritas cognitionis est duplex: altera cui opponitur falsitas: altera cui non opponitur falsitas, sed ignorantia. Quæ distinctio est Arist. 9. Methaph. tex vltimo. Veritas, cui opponitur falsitas consistit in compositione, & diuisione; quando enim hoc enunciamus de illo, & illud illi verè inest ex parte rei, illa enunciatio, & complexio est vera; quando verò illud illi ex parte rei non inest, illa enunciatio, & complexio est falsa. Idem dicendum de diuisione. Hæc veritas solum esse potest in compositione, & diuisione, non in simplici apprehensione: quia in simplici apprehensione vt sic non enunciamus, nec negamus vnum de altero, sed hoc fit solùm in compositione, & diuisione. Veritas verò, cui opponitur ignorantia, est, cum quis apprehendens per cognitionem aliquid simplex, apprehendit illud sicuti est ex parte rei: vt cum apprehendit quidditatem alicuius, exempli gratia, dum intellectus apprehendit, hominem esse animal rationale; ecclypsim esse priuationem luminis in Luna, & huiusmodi, ipsa simplex apprehēsio cum est conformis rei, ita quod res à parte rei sic est, vt intellectus intelligit, talis cognitio, & apprehensio est vera: quia est vera attingentia rei: cum verò non apprehendit quid sit res sicuti est à parte rei, sed aliter ac sit, ait Arist. eodē 9. Methaph. tex. vltimo, illam non esse propriè falsitatem, siuè deceptionem, sed esse ignorātiam termini. Hæc veritas, cui opponitur ignorantia, optimè explicatur per exemplum de sensu adductum ab Aristot. 3. de Anima, tex. 26. nam cum sensus, vt puta visus, attingit visibile, dicitur verus visus; cum verò non attingit obiectum, nec illud pręcipit, non dicitur falsus visus, vel falsus sensus, sed dicitur propriè non videre, nec sentire: vnde illa non est falsa sensatio, vel falsa visio, sed carentia visionis, & sensationis. Ad propositum, cum Arist. ait, veritatem esse in compositione, & diuisione, non in simplici apprehensione, intelligit de veritate, cui opponitur falsitas. Cum ait, in simplici apprehensione esse veritatem, intelligit de veritate, cui opponitur ignorantia, & ita conciliantur omnia.

43 Cæterum adhuc remanet aliquid declarandum: nam falsitas, quæ opponitur veritati in complexione potest quoque dici ignorantia, falsitas enim est ignorantia. Rursus, ignorantia, quæ opponitur veritati in simplici apprehensione, potest dici falsitas; qui enim nō rectè apprehendit terminum, sed aliter, ac in re sit, falsum apprehendit. Respondetur primò, quòd illa falsitas, quæ veritati opponitur in compositione, potest quidem dici ignorantia: est tamen diuersa ignorantia ab illa, quæ opponitur veritati in apprehensione simplici: nam prima videtur esse ignorantia prauæ dispositionis: apprehendit enim terminos, & tamen malè componit eos ad inuicem: at secunda ignorantia est ignorantia simplicis intelligentiæ, quia non apprehendit terminos: qui enim non attingit simplicem cognitionem rei, habet ignorantiam simplicis intelligentiæ illius, vt rusticus de terminis Theologicis. Secundò dico, quòd apprehensio simplex terminorum duobus modis potest considerari. Vno modo quatenus est simplex apprehensio termini: & sic consideratur sinè affirmatione, & sinè verbo. Alio modo quatenus apprehenditur cum verbo, & vt est propositio: exemplum diffinitio secundum Arist. 1. Poster. cap. 2. diuiditur in suppositionem, & diffinitionem. Diffinitio vt suppositio est propositio constans ex diffinito, verbo, & diffinitione, vt homo est animal rationale. Diffinitio verò vt diffinitio (ait Arist.) caret hoc, idest affirmatione, & negatione, & solùm ex genere, & differentia constat, vt animal rationale. Animal enim rationale est diffinitio hominis. Ad propositum, cum intellectus apprehēdit hominem simpliciter secundum diffinitionem, idest concipit animal rationale, est simplex apprehensio, & non habet veritatem, vel falsitatem; sicut nec homo, & ita nullus terminus simplex habet veritatē, vel falsitatem: & cum intellectus apprehendit terminum simplicem, & diffinitionem illius per modum propositionis, & non per modū simplicis diffinitionis, & quod quid est, illa non est simplex apprehensio, sed vera compositio, quia diffinitio affirmatur de diffinito, licèt nobis videatur simplex apprehensio: & ideò in simplici apprehensione, vt sic, est veritas, & potest esse falsitas, si non sit vera diffinitio, vt puta non sit verum genus, & vera differentia; & hoc secūdo modo potissimum ego credo Arist. ponere in simplici apprehēsione veritatem, & primo modo negare in compositione, & diuisione. Vndè ad formam quæstionis potest responderi sic per distinctionem,

Dubium.

Solutio.

simpli-

ſimplicium apprehenſio poteſt duobus modis conſiderari: vnomodo vt eſt pura ſimplex apprehenſio quidditatis rei, abſque vlla affirmatione: aliomodo cum affirmatione, itaquòd fiat propoſitio cathegorica, hoc eſt hoc. Primo modo in ſimplicium apprehenſione non eſt veritas. Secundo modo maximè, & poteſt inſuper eſſe falſitas, ſi ſit falſa diffinitio.

Ad tres primas auctoritates, pro prima opinione.

44 Ex hac diſtinctione patet reſpõſio ad rationes pro prima opinione: ad tres enim primas auctoritates, & ad illud de ſenſu, dicimus primò, quòd ponit in ſimplici apprehenſione veritatem, cui nõ opponitur falſitas, ſed ignorantia: vel ſecundò dicimus, quòd in ſimplici apprehenſione propriè accepta, & conſiderata, vt eſt ſic ſimplex apprehenſio, non habetur veritas, quia nihil affimat: tamẽ conſiderata, vt habet modum affirmationis, & complexionis, habet veritatem, & falſitatem: Ariſt. 1. non ſecundo modo loquitur.

Ad quartã.

45 Ad quartam loquendo de intellectu diuino reſpõdetur, quòd in Deo eſt vnicus actus, & vna operatio intellectus, quæ virtualiter, & ſine vlla imperfectione continet tres operationes noſtri intellectus, ſcilicet ſimpliciũ apprehenſionem, compoſitionem, diuiſionem, & diſcurſum: iſta enim multiplicitas actuum in nobis eſt imperfectionis, ideò dicimus, quòd ille vnicus actus eminenter continet compoſitionem, & diuiſionem, & ideò ibi eſt veritas, & excellentiori modo, quàm ſit in nobis, tam eo modo, quo veritas eſt in cõpoſitione, quã in ſimplici apprehẽſione. Loquendo verò de Angelis, dico, quòd in illis ſunt iſtę tres operationes, quæ ſunt in nobis, quia in Angelis ſuſtinemus eſſe diſcurſum, ſed in Angelo non præcedunt ſe primitate temporis, ſed naturæ tantùm: ideò de illorum intellectu, & veritate in actibus illis eſt dicendum ſicut in nobis,

Ad quintã.

46 Ad quintam patet ipſam concludere in ſimplici apprehenſione eſſe veritatem, cui opponitur ignorantia; ex quo proportionaliter poſſumus dicere in alijs rebus, vt in ſignis, eſſe veritatem ſimilem: quia ſcilicet adeſt conformitas, ſiue attingẽtiã ad res ſignatas, & repreſentatas, cui veritati, & conformitati non opponitur propriè falſitas, ſed carentia conformitatis, & diſſimilitudo, quæ reſpondet proportionaliter ignorantiæ, quæ opponitur veritati ſimplicis apprehenſionis terminorum.

Ad rationes pro altera opinione.

Ad rationes pro altera opinione reſpondetur eas concludere in ſimplici apprehenſione non eſſe veritatem, cui falſitas opponitur, non autem concludere non ad eſſe veritatem, cui ignorantia opponitur.

De vero, quod ẽ paſſio entis.

47 Reſtat videndum, quid ſit veritas, quæ eſt paſſio propria entis: hanc enim dari, præterquam quod eſt aſſertio clara Ariſt. 4. Metaph. vbi ponit vnum, verum, bonum eſſe proprietates entis, conſpicuè apparet ex communi modo loquendi: dicimus enim verum aurum illud, quod ab apparenti diſtinguimus: & hominem verum, vt illum à picto, & huiuſmodi diſtinguamus: & verum Deum, quem à falſis ſeparamus: hanc eandem appellationẽ cęteris omnibus entibus tribuimus, vt illa à fictis vel imaginarijs ſeparemur; ergo veritas competit omnibus entibus.

48 Cæterùm quid illa ſit, ſunt varię ſententiæ, aliqui enim dicunt eſſe proprietatem abſolutam, ſicut dicebant ſuprà de veritate, quæ eſt in compoſitione, & diuiſione, et ijſdem ferè rationibus. Aliqui eſſe relationem, vel realẽ, vel rationis. Alij volunt ipſam referri ad intellectum diuinum tantùm, cum ille omnia intelligat. Alij ad omnes intellectus, quia omne ens cuicunque intellectui, quantũ eſt ex ſe, eſt conformabile, & intelligibile. Alij dicunt eſſe relationem conformitatis aptitudinalis. Alij actualis. Alij quòd ſit ſimplex negatio. Alij denominationem extrinſecam, quæ ſumatur à veritate diuina, quatenus ſunt ſigna eius, vel à veritate creata, quatenus ſunt cauſa eius, vnumquodque enim eſt aptum natum cauſare cognitionem adæquatam, & conformem ſibi.

49 Vt ego rem breuiter perſtringam, puto dicendum, veritatem, quæ eſt in rebus, & eſt proprietas entis formaliter, eſſe relationem realem actualem, vel ſaltem aptitudinalem conformitatis ad intellectum quemcumque: ita quòd veritas ſuprà ens nihil aliud addat, niſi relationem aptitudinalem, vel actualem conformitatis rei eiuſdem ad intellectum quemcunque. Quæ opinio declaratur, & probatur eo modo, quo ſuprà probauimus veritatem, quæ conſiſtit in compoſitione, & diuiſione, eſſe relationẽ. Et ea eſt opinio Scoti, qui dixit vbi ibi citauimus, verum, & bonum non addere aliquid ſuprà ens, niſi relationem. Probatur ętiam ratione: quia omne ens reale eſt aptum natum gignere cognitionẽ ſui ipſius in quocunq. intellectu, quæ ſit conformis, & adæquata ſibi: itaquòd ideò aliquid dicitur verum ens, quia vel actu parit, vel eſt aptum parere in intellectu cognitionem veram, ideſt conformẽ, & adæquatam ſuę entitati, & hoc pacto Deus verus eſt ille, qui gignit, vel eſt aptus gignere cognitionem veram de Deo, & ſic de alijs. Vnde alij quidam Recentiores dicũt veritatem eſſe in rebus virtualiter, ſiue cauſaliter: quia ſcilicet res ſunt aptæ natæ cauſare cognitionem veram, ideſt conformem ſibi ipſis. Ex dictis patet quid ſit falſitas, eſt enim oppoſita priuatiuè veritati: ideò cognoſcitur ex cognitione veritatis, ſicut omnes priuationes cognoſcuntur ex cognitione habituum, cui opponuntur: ideò non eſt immorandum.

Solutio difficultati.

Quid dicẽdum de falſitate.

Oſtenditur, verum non eſſe obiectum intellectus adæquatum, ex quo confutatur prima ratio aduerſariorum pro excellentia intellectus ſupra voluntatem. Caput Quartum.

50 HIs viſis facilè patere poterit, an verum ſit obiectũ intellectus, quod aſſumebatur pro medio ad probandum intellectum eſſe potentiam nobiliorem voluntate, vt vidimus ſuprà cap. 1. ratione pro aduerſarijs.

51 Quòd ergo verum ſit obiectum intellectus, & bonum voluntatis, probatur à Scoto pro aduerſarijs 1. Sent. d. 3. quæſt. 3. §. *His viſis*, &c. rationibus deſumptis ex Egidio Romano quolib. 4. quæſt. 10. vt notat margo Scoti, vel vt alij notant quæſt. 7. cum quo videtur ſentire D. Th. vt infrà videbimus. Prima autem ratio eſt hęc.

1. Ratio pro aſſerẽtibus verum eſſe obiectũ intellectus, et bonum voluntatis.

Intellectus, & voluntas ſunt potẽtię diſtinctæ; diſtinctę potẽtię habent diſtincta obiecta: igitur intellectus, & volũtas habent obiecta diſtincta. Subſumitur: at ſi ponatur ens obiectum adęquatum intellectus, non poteſt ei aſſignari obiectum diſtinctum ab obiecto voluntatis: quia etiam voluntas verſatur circa ens: ſi verò ſtatuatur verum obiectum intellectus adęquatum, & bonum obiectum adęquatum voluntatis, aſſignantur iſtis potentijs diuerſa obiecta: ergo dicendum eſt, verum eſſe obiectum intellectus, & bonum voluntatis.

52 Secundò. Obiectum proprium alicuius potentię eſt obiectum eius ſub aliqua propria ratione, per quam diſtinguatur ab alijs obiectis: ſed ens ſecundùm ſe eſt cõmune ad intelligibile, & ſenſibile, quę pertinent ad diuerſas potentias, ſcilicet ad intellectum, & ſenſum; ergo neceſſe eſt, quòd determinetur, & contrahatur per aliquam rationem formalem ad intelligibile, per quam excludatur ens ſenſibile; ſed tale contrahens videtur eſſe verum, quia uerum de ſe dicit rationem intelligibilis: ens enim eſt intelligibile quatenus eſt uerum: dicit etiam rationem manifeſtatiui, quatenus dicit relationem ad intellectum, qui percipit, & manifeſtat ipſum ens. 2. Ratio.

53 Tertiò. Ea ratione aliquid eſt obiectum alicuius potentię, ſub qua mouet illam potentiam; ſed ens mouet intellectum pręciſè ſub ratione ueri; ergo uerum eſt ratio formalis contrahens ens ad eſſe obiectum adęquatum intellectus. Maior eſt de ſe euidens. Minor probatur, quia ens non mouet intellectum ſub propria ratione abſoluta, quia ſic non habet aliquam habitudinem ad intellectũ: habitudo autem quam habet ad intellectum nihil aliud eſt, niſi ratio ueri, quia ſecundum Anſelmum de ueritate 3. Ratio.

cap. 10.

cap. 10. Veritas est rectitudo sola mente perceptibilis; ergo ratio veri est ratio formalis, sub qua ens est obiectum intellectus.

Reijcitur à Scoto. 1. Ratio. 54 Scotus in 1. dist. 3. q. 3. §. *His visis de ente* &c. hanc opinionem confutat probans, quòd ens, non autem verum, sit obiectum adæquatum intellectus. Prima ratio est hæc. Obiectum adæquatum, adæquatur potentiæ vel secundum communitatem, vel secundum virtutem, vel secundum vtrumque: at verum nullo modo adæquatur intellectui; ergo verum non est obiectum adæquatum intellectus. Maior patet à sufficienti diuisione: nullus enim alius modus datur, quo obiectum adæquari possit potentiæ, nisi illi tres. Minor probatur quò ad primam partem, quia verum non prędicatur in quid de omnibus intelligibilibus per se ab intellectu, non enim prędicatur per se de ente, neque de inferioribus ad ens. Cum ergo non prędicetur in quid de omnibus intelligibilibus, non est commune prędicatum ad omnia intelligibilia; & sic in ratione communitatis non adæquatur potentiæ intellectiuæ: prędicatum enim hoc modo adæquatum, debet esse commune ad omnia intelligibilia: quia sic adæquatur intellectui adæquatione communitatis, vt est ens. Probatur etiam quò ad secundam partem: quia verum non includit virtualiter quodcunque intelligibile: nam hoc verum particulare, quod est in lapide, non includit essentialiter, nec virtualiter lapidem, sed è conuerso, illud ens, quod est lapis includit veritatem, & sic de alijs: at si hoc verum non includit hoc intelligibile, lapidem, neque verum in communi includere poterit omne intelligibile virtualiter; ergo non adæquatur secundum virtutem intellectui. Quò ad tertiam partem eadem minor probatur, quia si verum non est adæquatum intellectui secundum communitatem, neque secundum virtutem; neque potest esse adæquatum secundum vtrumque simul.

2. Ratio. 55 Secundò. Illud est obiectum adæquatum potentię, quod est ratio cognoscendi quodcunque, quod cognoscitur à potētia illa sub ratione propria, & prima; sed verum non est ratio cognoscendi quodcunque cognoscibile sub propria ratione, & prima; ergo verum non est obiectum adæquatum intellectus. Maior est euidens, quia nihil ponitur obiectum adæquatum, & primum alicuius potētiæ, quod ab illa potentia cognoscitur per accidens, & est ratio cognoscendi alia per accidens, sed quod cognoscitur per se, & sub quo alia cognoscuntur per se. Minor probatur, quia verum est passio entis, & cuiuslibet inferioris ad ens; ergo, intelligendo ens, & quodcunque inferius ad ens sub ratione veri, cognoscitur per accidens, & non sub ratione quidditatiua, quæ est prima, & propria cognitio rerum ex Arist. 7. Methaphys. cap. 1. ergo veritatem non est prima, & adæquata ratio præcisè cognoscendi obiectum sub propria ratione; ergo non est obiectum adæquatum intellectus.

3. Ratio. Tertiò. Superius, & inferius, diuersa, & extranea sunt, vt substantia, & homo; ergo multo magis extranea, & diuersa sunt subiectum, & propria passio; ergo passio non potest continere sub se cognitionem, & habitum subiectis ergo passio non potest esse obiectum intellectus continēs in se cognitionem subiecti. Prima propositio probatur: quia ex Arist. 2. Priorum ca. 2. cum sciētia mulæ, vt mula, stat ignorantia huius mulæ, vt hæc. Consequentia est euidens, quia plus differunt passio propria, & subiectum, quā genus, & species, vt animal, & homo, quia ista sunt idem in primo modo dicendi per se, illa verò non, sed solum in secundo modo dicendi per se. Secunda consequentia patet, quia subiectum sicut continet sub se inferiora, ita continet illorum inferiorum cognitionem, quatenus in illo conueniunt. Vltima consequentia est euidens, quia subiectum virtualiter continet cognitionem eorum, quæ in ipso continentur.

4. Ratio. 56 Quartò. Obiectum adęquatum habitus intellectus non pręcedit naturaliter obiectum adæquatum ipsius intellectus, sed sub illo continetur: at subiectū Methafisicæ, quæ est habitus intellectus, est ens, quod pręcedit verum; ergo verum non potest esse obiectum adæquatum intellectus, quia tunc ens contineretur sub vero, & sub eodem continerentur omnia subiecta aliarum scientiarum, vt subiecta Philosophiæ naturalis, Mathematicæ, & huiusmodi, quod est absurdum euidens. (Nota, quod loquendo de obiecto adæquato potentiæ naturali intellectus humani secundum capacitatem est ens, vt ens est: loquendo verò de obiecto adæquato attingētię pro hoc statu est quidditas rei sensibilis, vt in Philosophia naturali theoremate proprio dictum est. Loquendo verò de intellectu creato separato obiectum naturale adæquatum tàm secundū capacitatem, idest secundum naturalem inclinationem, quàm secundum naturalem attingentiam est ens inquantum ens, vt etiam comprehendit Deum; tamen intellectus creatus viribus naturalibus non potest videre Deum intuitiuè, quia Deus est obiectum voluntarium, quod nō est pręsens intellectui creato in ratione obiecti naturaliter, sed solùm quomodo, & quando placet ipsi Deo, vt dictum est in 4. disp. 43. cap. 3. in fine, & in 3. disp. 32. cap. 2.)

57 Verùm quia istæ rationes Scoti videntur etiam procedere contra D. Tho. qui pluribus in locis ait, obiectum intellectus esse verum, pręsertim p. p. q. 82. art. 3. in corpore art. & 1. p. q. 16. art. 1. ait, verum esse illud, in quod tendit intellectus: ergo videtur dicere, quòd verum sit obiectum intellectus, quia illud, in quod aliqua potentia tendit, est eius obiectum, & alibi sæpè dicit, verum esse obiectum intellectus. Caietanus p. 1. q. 16. art. 3. Vasquez dist. 76. cap. 2. & alij respondent, rationes Scoti non valere cōtra D. Thom. quoniam D. Tho. non sustinet, verum esse obiectum formali intellectus adæquatum, vt dicebat Egidius, sed ait, illud esse ens, quia ens est illud, quod est intelligibile, & est perfectiuum intellectus; verum autem est cōditio entis, quod est obiectum intellectus, quoniam ens non est obiectum intellectus, nisi quatenus est intelligibile, & est perfectiuum ipsius intellectus; hoc autem habet ens ab ipso vero; vndè primò est ens: secundò est ens, vt perfectiuum intellectus; tertiò ens est intelligibile. In eo autem quod ens est perfectiuum intellectus est verum: quia verum supra ens addit hoc, quod est perfectiuum intellectus. Vndè verum, & bonum hoc modo se habent, quòd licèt vtrumque sit obiectum, alterum intellectus, alterum voluntatis & vtrumque sit terminans; tamē in hoc differunt, quòd bonum significat obiectum formale voluntatis, sed verum significat conditionem obiecti intellectus, quod est ens; vnde omnis appetitio est appetitio boni formaliter: omnis autem intellectio non est intellectio verè formaliter, sed rei veræ: ita quod, ly, res, notat rem intellectam; & ly, verè, notat conditionem, propter quam res intelligitur. Hæc Caietanus. An rōnes Scoti cōcludāt contra D. Thom. Responsio Caiet. Vasquez, & aliorum.

58 Ex hac responsione Caietani, & Sectatorum habemus Scoti argumenta concludere, verum non esse obiectum intellectus adæquatum sed ens, quod est intentum nostrum. Ex hoc autem concesso sequitur vlterius contra ipsos rationem D. Thom. quàm habet p. p. q. 82. a. 3. qua probabat, intellectum esse nobiliorem potentiam voluntate, hoc medio, quia intellectus habet pro obiecto verū, quod est nobilius bono, quod est obiectum voluntatis, non esse validam, quia assumit falsum, nimirum quod verum sit obiectum adæquatum intellectus: est enim ens, ex Caietano. Reijcit' prima ratio.

59 Pręterea, Caietanus eodem loco ait, quòd verum est obiectum intellectus, non formale, quia illud est ens; sed quia est conditio obiecti formalis, quia per ipsum obiectum formale, quod est ens, exercet hoc munus, quòd est perficere intellectum obiectiuè. 2. Ratio.

60 Ego hanc Caietani doctrinam non percipio: vel enim vult, quòd verum sit ratio formalis, sub qua ens est obiectum intellectus: vel vult, quòd sit aliqua ratio pręcedens ipsam intellectionem: vel aliqua conditio sequēs. Si primum hoc est contra ipsum. Primò, quia ibi dicit, quòd verum nō est obiectum formale intellectus: si autem ve- 3. Ratio.

rum

rum esset ratio, sub qua ens obijceretur intellectui, & perficeret obiectiuè intellectum, verum esset ratio formalis entis, quia ens esset obiectum materiale sub ratione veri: & ita verum esset obiectum formale intellectus; sicut corpus naturale in Philosophia naturali est subiectum materiale, ratio verò formalis est, vt naturale. Secundò est falsum: quia sequeretur, quòd ens non posset intelligi ab intellectu sub ratione vnius, nec sub ratione boni: quia illæ sunt diuersæ rationes formales omninò alterius rationis, à verò. Neque sub vlla alia ratione formali, vt puta sub ratione entis, quia aliud est considerare ens sub ratione entis, aliud sub ratione veri. Neque est alia ratio præcedēs intellectionem: quia nulla ratio obiectiua præcedit ens, nisi vel materialis, vel formalis ipsius subiecti. Preterea, veritas, quæ est passio entis, & præcedit intellectionem est intelligibilitas, siuè ratio aptitudinalis entis conformitatis ad intellectum, (relatio enim actualis conformitatis rei ad intellectum oritur post actualem intellectionem rei) at quod habet esse aptitudinaliter, & non actu, est ens in potentia; quod autem est ens in potentia, & nō habet esse actu, non potest efficere, vt obiectum exerceat hoc, vel illud munus; effectus enim in actu requirit causam in actu. Veritas ergo hoc modo nihil est, nisi entitas ipsa, quæ mouet intellectum ad se ipsam intelligendam. Si verò intelligat esse conditionem sequentem actum intelligēdi, concedo, quia veritas est conformitas rei ad intellectum, quæ est relatio consurgens, posita in esse intellectione, & re intellecta, sed hæc non præcedit intellectionem, vt dictum est; ergo non est conditio obiecti, neque est ratio distinguendi obiectum ab obiecto.

61 Quòd si quis dicat, veritas est conditio consequens ens in ordine ad intellectū, non in ordine ad voluntatem, ideò quodammodo pertinet ad ens, vt est obiectum intellectus. Respondetur hoc esse verum, & hac ratione concedo posse dici, verum esse obiectum intellectus, & bonū voluntatis; sed hæc est locutio impropria: quia verum formaliter est relatio, quæ sequitur post actum intellectionis, & bonum actu est relatio conuenientiæ, & perficientis, & perfectibilis obiecti ad potentiam, quæ similiter subsequitur ad actū volitionis, vt dicemus loquēdo de bono.

Quarta rō pricipalis. 62 Quartò principaliter. Ratio prima, quam facit Scotus in 4. d. 49. q. 4. cōtra hanc opinionem, optimè probat, verum non posse esse obiectum intellectus, nec bonum voluntatis, & ex consequenti, quòd intellectus hac ratione non est nobilior voluntate. Et licèt ratio illa directè probet, verum non esse nobilius bono, probat etiam implicitè, verum non esse obiectum intellectus, & bonum voluntatis: vnde possumus illā hoc modo formare ex eodēmedio.

63 Potentiæ diuersæ habent obiecta diuersa: verum, & bonum non sunt distincta, sed idem: igitur verum non est obiectum vnius potentiæ, scilicet intellectus, & bonum alterius, scilicet voluntatis, quæ sunt potentiæ distinctæ. Maior est euidens ex secundo de Anima textu 34. vbi dicitur, quòd distinctæ potentiæ habent distincta obiecta formalia. Minor, in qua consistit tota vis probatur, quia verum, & bonum nō sunt realiter distincta, quoniam sunt vna res; neque vnum potest esse sinè alio; neque enim verum potest esse sinè bono, & è cōuerso: sunt enim passiones entis eiusdem, & realiter ad inuicem identificantur, quia sunt illamet res. Quòd si dicas, distinguuntur ratione, hoc efficere non potest, vt vnum sit obiectum vnius potentiæ, & alterum sit obiectum alterius potentiæ diuersæ: quia potentiæ distinctæ requirunt obiecta diuersa à parte rei, vt visus, & auditus. Quòd si quis dicat, distinguuntur formaliter, & ex natura rei, vt faciunt attributa. Contra, oporteret priùs probare, quòd verum, & bonum formaliter dicerent quid absolutum, vt faciunt attributa: hoc autem est falsum, quia vt visum est suprà, verum est relatio, & infrà idem de bono dicetur; ergo cum non dicant rationes absolutas, licèt distiguantur formaliter, quia dicunt diuersas relationes formales relatiuas tantum, non possunt esse obiectum diuersarum potētiarum, quia obiectum cuiuscunque potentiæ est quid absolutum, non relatio. Quomodo autem hæc ratio non valeat cōtra opinionem Scoti, patebit infrà soluendo primam rationem pro aduersarijs adductam in hoc capite.

64 Respōdet Caietanus illa q. 82. a. 3. quòd verum, & bonum distinguūtur formaliter fundamentaliter ex parte rei, non autem actualiter formaliter, sed actualiter formaliter distinguuntur per opus intellectus. Verum ergo habet suam rationem formalem ex natura rei fundamentaliter diuersam à ratione formali boni, & secundum hāc est quoque nobilius formaliter, quàm bonum. De hac autem distinctione formali fundamentaliter, siuè virtualiter, non actualiter ex parte rei plura dixit in materia de distinctione attributorum diuinorum, illa enim ita distingui ibi asseruit. Responsio Caietani.

Sed hanc distinctionem satis reiecimus illa disputatione de dist. attributorum, & relationum ab essentia diuina, ideò non oportet ea hic repetere. Sufficiat hæc impugnatio, obiecta distinguunt potentias, non quatenus potentia, & virtute sunt, sed quatenus actu sunt: at actu per se sunt distincta solum ratione, non ex parte rei; ergo non possunt actu distinguere diuersas potentias, vel respicere diuersas potentias à parte rei distinctas.

65 Quintò arguo ex ipsemet D. Tho. quòd verum nō sit obiectum intellectus. D. Tho. p. p. q. 82. a. 3. probat illā propositionem, quòd obiectum intellectus sit nobilius obiecto voluntatis hoc medio. Obiectum intellectus est abstractius obiecto voluntatis: probans autem, quòd obiectum intellectus sit abstractius, ita arguit. Obiectum intellectus est ratio boni, obiectum verò voluntatis est ipsū bonum: tunc sic arguo, vt arguit Caietanus. Ratio boni, & bonum ipsum sunt idem: sed ratio boni est obiectum intellectus; ergo bonū quoque erit obiectum intellectus: at bonum etiam est obiectum voluntatis ex eode D. Tho. ergo obiectū intellectus, & volūtatis est idem, & est bonū. 5. Ratio.

66 Respondit Caietanus, quem valdè commendat Bānes, & alij ibidem, quòd in qualibet re duo sunt, quidditas, & existentia illius. Quidditas est obiectum intellectus, quia intellectus abstrahit ab existētia, intelligit enim quidditatem rosæ, sinè rosa existat, siuè non. Obiectum verò voluntatis est existentia: quia nihil appetimus, nisi quod existit actu, vel speratur existere. Ad propositum ait, rationem boni, vt ratio, & quidditas est, esse obiectum intellectus, sicut, & omnes quidditates omnium aliarum rerum: bonum verò vt existit, esse obiectum voluntatis. Responsio Caiet. Bānes, & aliorum.

67 Hæc responsio confirmat nostram sentētiam: nam si ratio, & quidditas boni est obiectum intellectus; ergo, & bonum ipsum erit obiectum intellectus propriè. Probatur consequentia, quia existentia est modus essendi superadditus quidditati, nec variat quidditatem; ergo talis est existentia, qualis est quidditas; ergo si quidditas boni est de se obiectum intellectus, etiam quidditas, vt existēs, est obiectum intellectus, non voluntatis. Reijcitur.

68 Præterea. Existentia, vt existentia, non est obiectum voluntatis, alioquin omne ens existens esset obiectum voluntatis, quòd est omnino absurdum; ergo existentia est obiectum voluntatis quatenus est existentia quidditatis, quæ est obiectum voluntatis; ergo si quidditas existens est obiectum voluntatis, quidditas eadem erit obiectum intellectus, & voluntatis, quod est intentum.

69 Confirmatur, quia Caietanus ibi in Comment. dicit, quòd mens litteræ D. Tho. est ac si dixisset, quòd bonum abstractiori modo offertur intellectui, quia per modum quod quid est, quàm voluntati, cui offertur per modum ipsius entis boni. Ecce quòd ait, bonum esse obiectū intellectus, & principaliori modo, quia secundùm quidditatem. Quomodo autem bonum sit obiectum voluntatis, & quodnam sit obiectum adæquatum voluntatis, infrà suo loco patebit. Hæc contra hanc opinionem D. Tho.

Sextò. Ex Scoto in 1. dist. 3. q. 3. reflectendo primam rationem sic. Si verum esset obiectum intellectus, sequeretur, quòd omnia obijcerentur intellectui sub ratione veri; at 6. Ratio.

ri;at hoc est falsum. Consequentia est euidens,quoniam illud est obiectum adæquatum potentiæ, quod comprehendit omnia, quæ à potentia percipiuntur; vt quicquid percipitur à visu percipitur sub ratione coloris,dato quòd color sit obiectum visus. Falsitas consequentis probatur: quia de quibuscunque passionibus entis habetur æquè distincta cognitio,ita de bono sub ratione boni, sicut de vero,sub ratione veri. Confirmatur,quia si daretur scientia de omnibus causis, scientia de causa finali esset nobilissima secundùm Auicennam 6.Methaph.cap. 17. ratio autem causæ finalis secundùm multos est bonitas; ergo causa finalis obijceretur intellectui sub ratione boni: non ergo omnia obijciuntur intellectui sub ratione veri, quod secundùm aduersarios contra distinguitur à bono, tanquam obiectum diuersarum potentiarum omnino.

Ad primã rationẽ aduersariorũ.

70 Ad rationes pro aduersarijs adductas hoc cap. respondetur,ad primam dicit Scotus, quòd illa maior, potentiæ distinctæ habent obiecta distincta,est vera de illis potentijs quæ sunt omnino disparatæ, & non subordinatæ:at hæ potentiæ intellectus,& voluntas sunt subordinatæ,licèt in alio genere,vt infrà explicabimus,declarando, an bonum sit obiectum voluntatis ostendemus enim,ens esse obiectum tàm intellectus,quàm voluntatis.

Ad secũdã.

71 Secundam rationem etiã adducit Scotus ad oppositum, vt patebit infrà capite sequente, cum probabimus, bonum non esse obiectum voluntatis,sed ens. Verùm pro nunc ex ijs,quæ habet Scotus,respondemus, concedendo maiorem,& negando minorem, scilicet quòd ratio propria obiecti intellectus sit verum:dicimus enim illam esse rationem entis, quatenus abstrahit ab ente intelligibili, & sensibili: nam intellectus cum sit potentia superior ad sensum,& sẽsus sit illi subordinatus, obiectum intellectus continet sub se obiectum potentiæ inferioris, & circa illud potest habere actum; sicut visibile, quod est obiectũ proprium sensus visus,continetur sub obiecto sensus communis. Ratio ergo propria obiecti intellectus, secundùm quam distinguitur ab obiecto sensus, qui est potentia inferior, est, quòd est communius obiecto sensus, & sic ista abstractio in ente ab insensibili, & sensibili, quæ videtur non esse appropriatio, est sufficienter appropriatio respectu potentiæ superioris, & distinctiua ab inferiori. Vnde ad propositum, si voluntas est potentia subordinata intellectui,& inferior, satis erit ad distinguendum ipsam ab intellectu,quòd intellectus sit circa obiectum communius. Si verò sit subordinata, sed tamẽ ęqualis intellectui, tunc dicendum est, quòd erit idem obiectum vtriusque, & sub eadem ratione; & tunc ad propositionem illam maiorem, quæ in ratione virtualiter includitur, scilicet quòd diuersæ potentiæ habent diuersa obiecta,est dicendum, quòd vera est de potentijs omnino disparatis, non de subordinatis,vt ad priorem rationem dictum est;intellectus autem, & voluntas sunt potentiæ subordinatæ.

Ad tertiã.

72 Ad tertiam negatur minor, & ratio negationis est, quia obiectum est motiuum potentiæ secũdùm suam formam absolutam propriam,non secundùm aliquam relationem;sicut ratio,secundùm quam agens agit, est forma absoluta propria agentis. Ratio enim, secundùm quam ignis agit in lignum, est forma propria ignis, non aliqua relatio; talis autem forma nõ potest esse aliquis respectus ad potentiam,quia respectus non potest esse forma absoluti.Quod Scotus confirmat ex Arist.2.de Anima tex.66. vbi ait,quòd visibile est obiectum visus, nõ per se primò, sed per se secundò, itaquod obiectum per se primò visus ponitur in diffinitione visibilis; visibile autẽ est respectus obiecti primi ad visum;ergo ratio, secundùm quam obiectum intellectus respicit intellectionem, non potest esse aliqua relatio:verùm autem est relatio,vt dictum est cap. Superiori;ergo. Ad probationem illam, quia nulla est alia habitudo entis ad intellectum, nisi sub ratione veri, respondeo,concedendo, nullam aliam esse habitudinem entis ad intellectum,nisi veri; sed dico, illã habitudinem non esse motiuam,nec precedere intellectionem ipsam, sed sequi ad actum intellectionis,vt explicatum est cap. superiori. Ens enim secundùm suam rationem absolutam mouet, & respicit potentiam intellectus.

73 Ad Anselmum respondetur, ipsum loqui de veritate pro materiali,non pro formali,idest de passione entis, quæ est illa conformitas aptitudinalis in re ad intellectũ. Vel dicas quòd veritas potest dupliciter considerari:vno modo vt ratio, sub qua ens sit obiectum intellectus: alio modo vt est ens particulare per se intelligibile. Anselmus loquitur secundo modo,quia veritas vt in se consideratur, est rectitudo quædam à solo intellectu perceptibilis: ex hoc autem non sequitur, illam esse rationem formalem, per quam ens sit obiectum intellectus.

Quid sit bonum. Caput Quintum.

74 AD videndum,an bonum sit obiectum voluntatis, oportet prius explicare quid sit bonum,hoc enim explicato facilius poterimus difficultatem pręsentem soluere. Notandum est autem, quòd hic non loquimur de bono pro materiali, sed de bono pro formali, certum est enim, quòd bonum pro materiali est ens: ens enim est, quod denominatur bonũ. sed difficultas est de bono pro formali, quid nimirum addat bonum super rationem entis. Quia autem res hæc est satis obscura, vt ordinatè, & facilè procedamus, prius explicabo opinionem Scoti,qui rem hanc clarius explicauit,quàm quiuis alius: deindè breuiter reijciam alias opiniones in eo, in quò discrepant ab opinione Scoti quæ est verior,& communior. Scotus ergo de hoc loquitur quolib.18.in principio.§. *de primo bonitas*. & in 4.dist.44.q.1.§.*ad primam quæstionem*, in fine. Vt autem ordinatè procedamus, in primis distinguendum est de bono. Bonum enim ex duplex,aliud est bonũ essentiale,& aliud est bonum accidentale. Quam distinctionem Recentiores,& alij habent sub his terminis. Bonum aliud est,quod in se est bonum,& aliud, quod est alteri bonum. Bonum primo modo est bonitas primaria entis;bonitas secundo modo est bonitas secundaria entis: nam omne ens est prius bonum in se,deinde est alteri bonum. Bonum autem secundo modo sumptum est duplex, scilicet naturale, & morale, quòd enim est bonum alteri, ideò est illi bonum,quia est perfectio illius, vel in esse naturæ,vel in esse moris: & ideò hoc bonum est duplex, sed de bono morali nunc non est sermo. De bono autem loquuti sumus suprà cap.1.disp.15.primæ:tamen prout spectat ad pręsentem difficultatem non est inutile ad huc de eo disserere.

75 Bonum essentiale, siuè bonum per se secundùm Scotum in quolibeto loco citato, vel (vt proprius loquamur, accipiamus bonitatem in abstracto) bonitas essentialis est integritas & perfectio entis in se: bonum enim, & perfectum idem sunt. Illud ergo est bonum, quod est integrum,& perfectum ex omnibus, quæ secũdum suum esse essentiale sibi conueniunt,licèt non habeat accidentalia, quæ sibi competunt, & hæc est bonitas, quæ competit omni enti. Hæc autem bonitas,vt ibidem subiungit Scotus importat positiuè negationem imperfectionis, per qđ excluditur imperfectio,& diminutio, idest bonitas essentialis entis est positio integra omnium, quæ pertinent ad esse essentiale entis, itaquòd excludit omnem diminutionem,& imperfectionem. Bonitas verò accidentalis, siuè secundaria consistit in relatione conuenientiæ vnius ad alterum. Hæc autem conuenientia est duplex, altera, qua aliquid est conueniens alteri, & ideò dicitur illi bonum, vt sanitas dicitur bona homini,quia cõuenit homini: alia est,qua aliquid est sibi conueniens,vt cibus dicitur bonus, qđa habet saporem sibi conuenientem. Scotus adducit exemplum de vtroque bono hoc secundario ex D. Aug. 8.de Trinit.cap.3.vel 8.nam ibi ait.*Bona valitudo sine doloribus, & lassitudine*, hoc pertinet ad primum membrũ, quia valetudo est bona,quia est bona alteri,scilicet homini,quia illi est conueniens. Deinde subdit D. Augustinus,

Opin.Scoti.

& bona

Et bona facies hominis dimensa pariliter, & affecta hilariter, & luculenter colorata, hoc pertinet ad secundum mẽbrum, quia talis facies dicitur bona habendo illa, quę sibi conueniunt. Istę duę conuenientię, siue bonitates differunt, quia quod est bonum primo modo, nimirum quia conuenit alteri, non dicitur, nec denominatur bonum in se, sed solum in ordine ad alterum, vt sanitas non dicitur in se bona, sed solum in ordine ad hominem, cui est bonum; sed bonum secundo modo dicitur, & denominatur in se bonum absque relatione ad alterum, vt cibus, cum habet sibi conuenientia, dicitur bonus in se, & facies, cum habet requisita, & sibi conuenientia, dicitur bona in se absolutè, non in ordine ad aliud. In primo est quasi denominatio formę à subiecto, sicut enim dicitur anima humana, quia perficit hominem, sic sanitas dicitur bona, quia perficit, & conuenit homini: & hoc pacto illud dicitur bonum humanum, quod conuenit homini, & illum perficit. In secundo verò è conuerso fit denominatio subiecti à forma: nàm cum dicitur, cibus est bonus, cibus, qui est subiectũ, denominatur bonus à sapore, qui est forma conueniens cibo: & homo dicitur bonus ab illa re, quę est sibi conueniens, & illi est bona. Concludendũ est ergo, quòd aliquid potest esse bonum bonitate accidẽtali dupliciter: vno modo quia est natum conuenire alicui, vt sanitas: alio modo quia habet conditiones sibi conuenientes, vt cibus, & facies: bonitas secũdaria requirit vtrãque bonitatem, & ex vtraque conuenientia integratur.

76 Ex hoc declaratur, quę sit bonitas moralis, ea enim quoque requirit hanc duplicem bonitatem, etenim actus moraliter bonus duo continet: primò est aptus natus conuenire agenti, & illi est bonus: secundò actus talis natus est habere aliquam conditionem sibi conuenientẽ; actus ergo, qui est bonus agenti, idest illi conueniens, & habet conditiones sibi conuenientes, est bonus moraliter, sed de hac bonitate morali non est in præsenti agendum.

Quid sit bonum pro formali.

77 Ex his facilè est discernere quid sit bonum pro formali, siuè, quid addat bonum suprà ens: nam loquendo de bono accidentali, siuè secundariò, siue de bono, quod est alteri bonum, clarum est, esse relationem conuenientiæ entis ad ens, quæ in aliquibus est realis, in aliquibus est rationis: relatio enim conuenientię Dei ad creaturas, qua Deus est bonus creaturis, est in Deo ipso relatio rationis: dicitur tamen realiter bonus ipsis creaturis, quia est terminus realis relationis conuenientiæ, quæ fundatur in creaturis: sicut realiter est Dominus, non quia habeat relationem dominij in se ad creaturas, sed quia realiter illa relatio dominij, quę fũdatur in creaturis, terminatur ad Deũ: in creaturis verò, saltem multis, hæc relatio bonitatis est relatio realis.

78 Probatur hæc pars assertionis ex dictis suprà: nam hæc bonitas accidentalis consistit in relatione conuenientiæ rei vnius ad alterum, vt bonitas in sanitate est conuenientia sanitatis ad hominem; in sanitate autem præter entitatem sanitatis nil aliud est, nisi relatio illa conuenientiæ ad hominem: at bonitas non est entitas ipsamet sanitatis, formaliter loquendo, vt modò loquimur; ergo relinquitur, vt sanitas pro formali sit ipsamet relatio conuenientiæ sanitatis ad hominem: illa autem relatio conuenientiæ, vt patet, est relatio realis, non rationis, quia nullo cogitante intellectu, sanitas est conueniens homini; ergo illa relatio conuenientiæ sanitatis ad hominem est realis. Idem dici potest de altero membro bonitatis accidentalis, scilicet de illa bonitate, & cõuenientia, qua aliquid est sibi bonum, vt est bonitas, qua cibus est bonus: illa enim conuenientia saporis ad cibum, qua cibus est formaliter bonus, est relatio realis inter cibum, & saporem. Idem dicendum de conuenientia illa in accidentibus illis enumeratis à D. Aug. vt sunt dimensio parilis, hilaritas, & luculenta coloratio ad faciem: conuenientia enim istarum accidentium ad faciem, quibus ipsa est bona, est relatio realis: sunt enim accidentia realiter separabilia à facie, ideò relatio conuenientiæ illorum ad faciem non est rationis, idest per opus nostri intellectus, sed actualiter, ex parte rei sunt in re ipsa. Verùm si nolimus dicere, bonitatem istam accidẽtalem secundi generis, esse relationem realẽ, quia extrema non sunt sẽper realiter distincta, possumus dicere de ea, sicut nunc dicemus de bonitate essentiali.

Quid sit bonum primarium, & essentiale.

79 Loquendo ergo de bono primario, & essentiali Scotus in citato quolib. dicit, bonitatem essentialem, & primariam rei, esse integritatem, & perfectionem entis in se. Et amplius declarans, quid sit ista perfectio, & integritas per se entis, in qua omnes ferè conueniunt, consistere bonitatem essentialem, inquit, quod importat positiuè negationem imperfectionis, per quod excluditur imperfectio, & diminutio. Vndè hæc mihi videtur esse sententia Scoti, quod bonum supra ens nihil positiuum dicat; sed solum addat negationẽ diminutionis cuiusuis rei necessariæ ad integritatem, & complementum entis. Ex qua sententia sequitur, bonum non esse aliquid reale positiuum, nec absolutum, nec relatiuum, neque relationẽ rationis, sed esse solum realem carentiam imperfectionis, & diminutionis eorum, quæ rei conueniunt.

Cęterùm aliquis obijciet. Bonitas est passio entis: at quidquid est passio realis alicuius rei realis est reale; ergo bonitas est quid reale, non carentia, & priuatio.

80 Respondetur, quòd reale potest esse duplex: vel positiuum: vel priuatiuum. Positiuum vt Sortes, Petrus, & huiusmodi. Priuatiuũ vt priuatio, quæ est tertium principium rerum naturalium: illa enim priuatio est carentia realis, non per opus nostri intellectus, formæ in subiecto apto nato: adeòquod priuatio de principali significato importat carentiam, connotat verò aptitudinem in subiecto apto nato. Ita in proposito, carentia diminutionis, & imperfectionis in ente de principali significato importat carentiam realem, & non per operationem nostri intellectus, defectus inexistentiæ entitatis debitę, & connotat entitatem realem entis, cui illa carentia inest: ideò potest esse passio realis entis, sicut priuatio ponitur principium reale rerum naturalium. Et hoc eodem modo esset dicendum de bonitate accidentali secundo modo, quod scilicet est carentia defectus, & imperfectionis accidentalis cuiuscunque.

81 Vel dicamus, quòd illa carentia defectus, & imperfectionis ex parte rei dicit relationem realem, integritas enim, & perfectio, siuè complementum sunt nomina significantia quandam resultantiam, veluti harmoniam, & ordinem quendam in re ipsa; sicut etiã pulchritudo rei est relatio partiũ inter se, & ad tertium. Quando ergo ens est perfectum, & cõpletũ, & nihil sibi cõueniẽs essentialiter deficit, supra entitatẽ ipsam habet decorẽ, & harmoniã quandam, quæ est relatio illarũ entitatũ perficientiũ se inuicem, & illud totum: & si ens est quid creatum compositum, illa relatio est realis: si verò est ens simplex, vt Deus, & Angelus, adhuc bonitas in eis, est relatio saltem rationis, quę tamen in Deo potest dici realis ratione termini, sicut est relatio Dominij in Deo: Deus enim realiter est dominus creaturarum, & tamen in Deo nulla est relatio realis ad creaturas. Dicitur ergo realiter dominus, quia ex parte rei est terminus relationis realis seruitutis, quę in creaturis fundatur, & terminatur ad Deum: ita bonitas in Deo est relatio rationis per intellectũ creatum producta, tamen Deus est realiter terminus illius relationis, quia Deus habet omnem entitatem, & omnem perfectionem sibi conuenientem, ex quo caret omni defectu, & imperfectione, & ita illa carentia est quędam integritas, & pulchritudo, & decor in Deo, quem nos dicimus bonitatem.

82 Vndè licet dicamus Deum esse simplicem, non debemus tamen ita intelligere hanc simplicitatem, vt in Deo non sint aliqua formaliter distincta, vt diximus in disputatione de Attributis, loquendo de simplicitate Dei, quia talis simplicitas dicit imperfectionem, vt est simplicitas materię primę; sed debemus intelligere eum simplicem, idest sine compositione actus, & potentię, & rei, &

rei separabilis: & denique eam simplicitatem, quæ non ponit in Deo mutabilitatem: cum hoc enim stat distinctio formalis. Illę ergo plures perfectiones simpliciter aptæ natæ cōuenire Deo, quia in Deo sunt actu, & in perfectissimo gradu, faciunt Deum perfectum, idest quodāmodo integrum ex omni ente, quod ei conuenit. Vnde illa integritas, & bonitas est relatio rationis quidem actu per intellectum nostrum, tamen habet fundamentum in re, ratione illius distinctionis formalis, vnde actualiter formaliter est relatio rationis: fundamentaliter est realis, & in re est idem, quod summa identitas, in Angelis maxima identitas.

83 Ex his habemus, quomodo bonitas vltra entitatē non dicat aliquam rationem absolutam, sed relationem: tamen quia nec Scotus assertiuè dixit, bonum esse præcisè relationem, sed dixit dubitatiuè, forsan non dicere nisi relationem, & res ipsa est difficilis, possumus sustinere, vel priorem modum, vel hunc secundum vltimò explicatum.

84 Hæc opinio quantum ad rem videtur esse communior: nàm in primis illa distinctio de bono essentiali, & de bono accidentali, quæ ab alijs significatur his terminis, bonum aliud est in se bonum, aliud alteri bonum, est D. Thomæ 1.2. quæst. 26. art. 4. & Recentiores eum communiter amplectuntur. Loquendo etiam de bonitate essentiali D. Thomas p.p. quæst. 5. art. 1. 3. & 5. videtur sentire, quòd bonum, & perfectum sint idem: præsertim autem art. 1. in solutione ad primum, vbi ait, quòd est vltimò perfectum, esse simpliciter bonum, cui verò deficit aliqua conditio, licèt sit bonum, non esse tamen simpliciter bonum, sed solum bonum secundum quid. Ait etiam, bonum consistere in modo, ordine, & specie, quæ licèt ab eo diuersimodè explicentur, tamen habemus ex ipso, rationem boni integrari ex illis tribus. Signum est ergo D. Thomam velle, rationem boni consistere in integritate eorum, quæ alicui conueniunt. Quod etiam sustinet, & explicat Vasquez p.p. disp. 23. cap. 5. & Suarez in Metaph. disp. 10. sect. 1. puncto 11. licèt Suarez dicat, illam perfectionem in se non constituere rationem formalem boni, sed esse addendam connotationem conuenientiæ ad perficiendum aliud, de qua re infrà.

85 Quod etiam bonum accidentale, siue bonū, quod alteri est bonum, sit relatio realis conuenientiæ, nullam video habere difficultatem: & eam sustinet Durandus in 2. dist. 34. quæst. 1. num. 22. licèt in aliquibus deficiat, vt infrà dicemus. Et Gabriel Vasquez loco citato cap. 4. & nonnulli alij. Quæ opinio quò ad vtrumque membrum probabitur infrà, reijciendo alias opiniones.

86 Ex dictis facilè est ferre iudicium de opinionibus aliorum, atque eas refutare in ijs, in quibus à Scoto differunt. Prima ergo est opinio Durandi in 2. dist. 34. quæst. 1. num. 11. & 22. qui dicit, quòd bonitas in ente est relatio realis conuenientiæ vnius entis ad aliud; atque ideò probat, quòd omne ens alteri est conueniens, vel intrinsecè, vel extrinsecè: nec vult, quod bonum insit enti intrinsecè, & essentialiter, sed extrinsecè ens ab illa relatione conuenientiæ dicatur bonum. Quod verò bonitas sit ratio conuenientiæ, probat: quia bonum, & conueniens idē sunt: illud enim est bonū alicui, quod illi conuenit. Quòd autem extrinsecè ens denominetur bonum, & non essentialiter, probat: quia entitas in sua ratione non includit relationem conuenientiæ, ideò potest esse sine illa, & consequenter sinè bonitate.

Opin. Durandi partī reijcitur, & partim approbatur.

1. Ratio Durandi.

2. Ratio.

87 Hęc Durandi opinio deficit, quia non explicat omne bonum, sed solum illud bonum, quod est accidentale, & alteri est bonum, sed bonum essentiale ab ipso non explicatur: patet autem, quòd præter bonum, quod alteri est bonum, datur bonum, quod ex se est bonum: secundū quod dicimus, Deus est bonus, cibus est bonus, facies est bona. In reliquis autem, scilicet quòd illa relatio conuenientię, quę constituit bonitatem accidentalem sit relatio realis in creaturis quibusdam, scilicet in ijs, quibus intrinsecè competit illa conuenientia, vt partibus compositi; rationis verò in Deo, & alijs quibusdam, vt illis, quibus non inest talis conuenientia intrinsecè, sed extrinsecè, & accidentaliter, est verum, vt suprà diximus, & mihi probatum.

88 Ad primam rationem Durandi, concedo, bonum esse relationem conuenientiæ vnius entis ad aliud, vt dictum est de bono accidentali: bonum etiam essentiale est relatio conuenientię partium ad inuicem, & ad totum, vt dictum est.

Ad primā rationē Durandi.

89 Ad secundam rationem dico, quòd bonitas essentialis est passio entis, & conuertitur cum ente, cui competit bonitas. An verò detur aliquod ens, cui non competat bonitas, infrà in obiectionibus, quas adducemus cōtra nostram positionem, videbimus. Bonum verò accidentale in ijs, in quibus est relatio realis, patet intrinsecè sequi ad ipsam entitatem, saltem aptitudinaliter: in ijs verò, quibus inest accidentaliter, etiam accidentaliter, & extrinsecè, dicitur enim bonum tali bonitate secundaria.

Ad secūdā.

90 Secunda opinio est, quòd bonitas sit relatio perfectiui alterius, & hanc ait esse relationem rationis. Quæ sententia tribuitur Capreolo in 2. dist. 34. quęst. 1. fundamentum principale est, quia bonitas dicit necessariò aliquid superadditum entitate; sed hoc non potest esse aliquid reale, quia enti reali, vt sic, non potest addi aliqua realis ratio distincta ab eo, non solum ex natura rei, sed nec secundum rationem, quę sit passio eius, quia illa ratio esset nihil, quod enim est ab ente in communi distinctum est nihil.

Secūda opinio, q̄ bonum sit relatio rationis. Fundamētum eius.

91 Sed hęc opinio est reijcienda, quia dum dicit, bonitatem esse relationem perfectiui, vel intelligit, quod sit perfectiua, quia est conueniens, vel quia ens illud est appetibile: neutra autem istarum potest esse ens rationis, quia, vt ait Arist. 6. Metaph. versus finem, bonum est in rebus, verum in intellectu: at si esset pręcisè relatio rationis, non haberet esse in rebus, sed precisè in intellectu.

Reijcitur 1. ratio.

92 Pręterea. Res non dicuntur bonę, non quia nos intelligamus illas esse bonas, sed quia ex parte rei sunt bonę: vndè in Genesi dicitur, *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona*, & Deus dicitur bonus in se, & cibus cum habet conditiones debitas, dicitur bonus ex parte rei; ergo absurdum est dicere, bonitatem esse relationem rationis.

2. Ratio.

93 Præterea. Duplex est bonum, verum, & apparēs: & in hoc differt verum ab apparenti, quod verū est ita à parte rei; apparens verò nequaquā, sed solum apprehēditur ab intellectu, vt bonum, licèt nō sit; ergo bonitas est in re ipsa, non autem per operationem nostri intellectus.

3. Ratio.

94 Ad rationem verò eius respondetur, quòd bonum & cæteræ passiones entis distinguuntur ab ente in communi formaliter. Ad rationem contra hoc, quia tunc illę passiones essent nihil, negatur consequentia: quia sunt idem realiter, quod ens; sed cum hoc stat, quod distinguuntur ab ente secundū rationem formalē, sicut animal & homo sunt idem realiter, & distinguuntur formaliter.

Ad rationē p Capreolo.

95 Tertia sententia est quorundam asserentium, bonum esse aliquid absolutum, & reale superadditum enti, & hæc tribuitur Scoto in 1. dist. 3. quęst. 3. Fundamentum est, quia bonitas est aliquid reale, non est autem relatio realis propter argumenta, quæ contra nostram opinionē adducemus: præsertim eo, quia Deus est bonus, & tamen in Deo hæc bonitas non est relatio realis; ergo.

Tertia opinio falsò tributa Scoto. Fundamentum allatæ opinionis.

96 Hæc opinio non est Scoti: licèt enim Scotus sit dubius, tamen certum est, quòd tenet bonum accidentale esse relationem conuenientiæ, vt visum est: bonum etiam essentiale ait esse perfectionem, & integritatem eorum omnium, quæ ad essentiam entis pertinent: illa autem perfectio, quæ est integritas, & sufficientia eorum, quæ alicui essentialiter conueniunt, est relatio: nàm licèt perfectio quandoque videatur significare aliquid absolutum, hoc est verum secundum esse materiale: tamen re vera secundum suam significationem formalem dicit relationem: perfectio enim est alicuius perfectio, ideò notat in

Reijcitur.

eo, de

eo, de quo dicitur, relationē conuenientiæ ad aliud, quidquid sit illud: & p hoc allata opinio quoque reijcitur, quia bonum essentiale, de quo magis videtur, quòd sit absolutum, quàm respectiuum, ostensum est non esse absolutum:

Rões pro hac opinione infra soluuntur. quia est idem quod perfectum; perfectum verò est, quod est integrum ex omni conuenientia rei; ergo bonitas non est quid absolutum, sed relatio. Rationes autem pro hac opinione, infrà nunc soluentur.

Opin. Suarez, & aliorum. 97 Quarta opinio est Recentiorum quorundam, scilicet Suarez in Metaphys. disp. 10. sect. 1. num. 12. quæ asserit, bonum suprà ens addere rationem conuenientiæ, sed illa ratio conuenientiæ non est propriè relatio conuenientiæ, sed solùm est connotatio naturalis inclinationis, & capacitatis vnius entis ad aliud: vndè nititur pbare, quòd omne ens est aliquo modo cōueniens alteri; & vult, quod ens pro tanto sit bonum, quatenus est conueniens alteri enti; & consequenter vult, quòd bonitas nihil aliud sit, nisi conuenientia entis ad aliud ens. Hæc opinio est opinio Durandi, ut ipsemet Suarez fatetur. Hæc opinio probatur ex confutatione aliarum opinionum: cum enim bonitas addat aliquid super ens, nec illud sit relatio rationis, nec realis, nec quid absolutum, necesse est, vt sit aliquod connotatiuum. Preterea confirmatur ex solutione rationum, quæ contra eam fieri possunt, vt nunc videbimus.

Reijcitur. 98 Hæc opinio reijcienda est. Primò, quia nō assignat rationem adæquatam boni, sed solum boni accidentalis, siuè boni, quod est alteri bonum, sed non assignat rationem boni essentialis, & per se boni, quod est passio entis. Secundò, quia hæc explicatio boni, quod est bonum alteri, re vera coincidit cum opinione nostra, quod talis bonitas sit relatio realis in aliquibus, in aliquibus verò sit relatio rationis; quoniam illa cōnotatio naturalis inclinationis, & capacitatis vnius entis ad aliud, re vera est idem, quod relatio illa conuenientiæ vnius entis ad alterum; & ideò quò ad hoc non est immorandum. Quò ad primum verò, scilicet quod assignet solùm quidditatem, & naturam boni accidentalis, & secundarij, & non boni essentialis, patet: quia bonum, quod est per se bonū, & primariò, nō est bonum, quia alteri sit bonum, sed quia est in se perfectum, & integrum absque vlla diminutione: vnde seclu so quocunque alio, adhuc dicitur bonum; ut Deus seclusis creaturis, adhuc est bonus; & cibus habens debitum saporem, &c. etiam quocunque gustu circumscripto esset cibus bonus; & facies habens illas conditiones enumeratas à D. August. circumscripto quocunque alio ente esset bona; at bonū, quod est alteri bonum, vt sanitas, ablato homine, cui est bona, nō esset bona; ergo hæc opinio est diminuta.

Responsio Suarez. 99 Respondit Suarez, vt supra puncto 14. & 15. quòd bonum essentiale, quod est idem quod perfectum in entitate essentiali, nihil aliud est essentialiter, & formaliter, quàm entitas ipsa perfecta, & complecta, & proinde bonum in hoc sensu nō differt ab ente, neque est passio eius, sed omnino conuertitur cum ente; ideò hoc bonum non est propriè bonum. Bonum ergo formaliter addere necesse est aliquid suprà ens; non potest autem addere aliquid, quod sit conuenientius, quàm appetibilitatem, & conuenientiam alicui alteri; vndè illud ens, quod est perfectum, & insuper est conueniens alicui, & appetibile ab illo, est bonum propriè: iuxta illud Arist. 1. Ethic. Bonum est, quod omnia appetunt; illa ergo connotatio perfectionis alterius in ente est ratio formalis boni.

Reijcitur. 100 Hæc opinio ex dictis suprà reijcitur, quia bonum essentiale est ad se, & circumscripta appetibilitate, & illa connotatione inclinationis, & capacitatis ad alterum, adhuc res dicitur bona, & principaliter bona, vt dictum est in exemplis allatis; & illa bonitas est quid formaliter distinctum ab entitate rei, licèt sit realiter idem, vt suprà probatum est: ideò opinio hæc diminutè explicat quidditatem boni, si quidem explicat solum bonum accidentale, & quod est alteri bonum; nō autem bonum essentiale, & in se bonum. Remanet ergo opinio Scoti vera, & clara.

Obiectiones variæ contra dicta soluuntur.
Caput Sextum.

101 Sed contra hāc nostram opinionem sunt obiectiones communes, quas oportet adducere, & soluere, vt opinio nostra magis dilucida fiat. Prima autem obiectio sit contra membrum primum boni, scilicet contra bonum essentiale; dictum est enim, quòd bonum essentiale est idem quod perfectum, & integrum; & quòd bonitas esētialis est integritas, & perfectio entis, hoc autem videtur falsum: quoniam tunc sequitur, quòd ens, & bonum non conuertantur. Consequens est falsum, quia propria passio conuertitur cum suo subiecto. Consequentia probatur, quia dantur multa entia, quæ non sunt integra, & perfecta; carēt etiam modo, spetie, & ordine; ergo ista entia non sunt bona; & sic dabitur aliquod ens malum, quod est hæresis Manicheorum, quæ asserebat dari aliquas substantias malas. Prima obiectio.

102 Confirmatur, quia sunt multæ res createę, quæ sunt entia realia, & tamen non sunt bona, quia nulli sunt appetibiles, immò sunt nociuæ; ergo ex sua substantia videntur malæ, vt scorpio, lupus, &c. ergo nō omne ens est bonum. Cōfirmat.

103 Secundò videtur esse falsum, quod omne ens sit bonum essentialiter in se: nam relationes reales diuinæ originis sunt entia realia, & tamen secundum multos, & presertim secundum Scotum in quolib. 5. non sunt bonæ, nec malæ, quia non sunt quantæ. 2. Ratio.

104 Tertiò. Res Mathematicæ sunt veræ res reales, vt patet; & tamen ex Aristot. 3. Methaf. tex. 3. in entibus Mathematicis non est bonitas aliqua; ergo non omne ens est bonum. 3. Ratio.

105 Quartò. Materia prima est ens, & tamen quia nullam habet actualitatem, neque perfectionem, neque integritatem poterit dici bona: immò Arist. in 1. Physic. in fine appellat eam turpem, & pulchritudinem, ac perfectionem tribuit formæ. 4. Ratio.

106 Quintò. Si bonitas essentialis est integritas, & perfectio rei, bonitas non poterit competere Deo, neque rebus simplicibus, vt Angelis, animæ rationali, & similibus. Consequens est apertè falsum: quia nedum Deus est bonus, sed est maximè bonus. Consequentia probatur, quia Deus cum sit simplex, non integratur ex pluribus; idem de alijs simplicibus; ergo eius bonitas non consistit in integritate plurium sibi conuenientium. 5. Ratio.

107 Sextò. Bonum excedit ens; ergo non est propria eius passio. Consequentia est euidens, quia propria passio non excedit suum subiectum proprium, sed illi adæquatur. Falsitas consequentis probatur quia bonitas etiam cōpetit non enti, nam Christus Dominus in Euang. Matth. cap. 26. dicit de Iuda, *Bonum erat ei si natus non fuisset homo ille*: non nasci est non ens; ergo non ens est bonum. Confirmatur, quia in moralibus non agere prohibitum, bonum censetur, & tamen est non ens; ergo bonitas non est passio entis tantùm, sed etiam non entis. 6. Ratio.

108 Septimò. Contra aliud membrum boni, scilicet contra bonum accidentale, quod est alteri bonum; nàm dictum est, quòd est relatio realis in creaturis. Contra hoc autem est secundum argumentum factum nunc supra contra primum membrum. Relactio non est perfectio aliqua, &c. Sed preterea sic arguunt Suarez n. 5. illius sect. & alij. Si bonitas est relatio, tunc quæro de illa relatione, an sit bona, vel non: non est dicendum, quod non sit bona, quia est ens, & omne ens est bonum; ergo erit bona; ergo alia relatione erit bona, & sic, vt suprà iterum illa relatio erit alia relatione bona, & sic dabitur processus in infinitum. 7. Ratio.

109 Ad primam obiectionem respondetur ex dictis suprà, quòd bonum est triplex, bonum essentiale, quod integratur ex omnibus pertinentibus ad essentiam eius: bonum accidentale est duplex, aliud in se bonum, quod integratur ex omnibus pertinentibus ad perfectionē eius Ad primā rationem.

accidentalem: quo modo bonum est illud, quod non solùm habet omnia, quæ pertinent ad eius essentiam, sed omnia accidentia conuenientia suæ essentiæ, & substantiæ, vt facies secundum D. August. suprà adductum. Aliud est bonum accidentale, quia est bonum alteri, vt sanitas, quæ est bona homini. Dimisso hoc tertio bono, de quo nunc non est sermo, bonum accidentale corrumpitur, & fit malum, cum aliquod accidens sibi conueniens ei adimitur: vt si faciei auferatur conueniens coloratio, &c. & bonum essentiale corrumpitur, & fit malum, cum aufertur aliquid essentiale. Ad propositum, ens perfectum, & integrum ex omnibus conuenientibus sibi, est semper bonum, nunquam malum, sed cum sibi aliqua pars essentialis aufertur, corrumpitur illud bonum, sed tunc illud ens quod dicebatur bonum, non permanet, sed destruitur: vt si ab homine auferatur anima, quæ est pars essẽtialis eius, corrumpitur bonitas essentialis hominis, sed neque ens ipsum quod est homo, remanet: si autem homini auferatur aliquid accidentale sibi conueniens, aufertur ei bonitas accidentalis, sed remanet bonitas essentialis. Ad propositum ergo cum dicitur, Dantur aliquæ res reales imperfectæ, & non integræ, & tamen sunt entia. Respondetur quòd si carent aliqua entitate pertinente ad essentiam rei, patet, quòd aufertur bonitas essentialis, sed etiam secum aufertur essentia. Vndè non potest permanere substantia cum illa malitia essentiali. Si verò illud, quod aufertur, sit entitas accidentalis, corrumpitur bonitas accidentalis, & permanet bonitas essentialis, sicut essentia ipsa, & substantia rei, & si remanet, non est id, quod prius, sed aliud ens, de quo similiter est dicendum: vel enim habet omne, quod essentialiter sibi conuenit, vel non. Si primum est bonum, & ens: sin minus nõ est bonum, nec ens: & sic de alijs, quòd ex dicendis magis declaratur.

110 Ad illud ex Manicheis, Respondetur ex D. Aug. lib. 2. de moribus Manicheorum cap. 2. & 5. quòd Manichei dicebant dare aliquam substantiam, quæ sit integra, & perfecta ex omnibus, quæ pertinent ad ipsam, & illam esse malam, & à principio malo creatam, quòd patet ex illo exemplo de scorpione, quod adducebant ad probandum suam opinionem, quòd refertur à D. August. in eodem libro cap. 8. sub his verbis, quæ à quodam Manicheo dicebantur. *Vellem scorpionem in manu hominis ponere, ac videre, vtrum non subtraheret manum, quod si faceret, non verbis, sed res ipsa conuinceretur aliquam substantiam malam esse, quando quidè illud animal esse substantiã non negaret.* Cui argumento respondit postea D. August. quod scorpio non est malum quoad substantiam, neque quatenus talis natura, sed est malum, quia disconueniens manui hominis: vndè licèt sit disconueniens manui hominis, tamen est conueniens sibi, & aliquibus alijs: vnde licèt sit huic malum, est tamen alteri bonum, in substantia autem sua est bonum: ex his ergo colligitur quòd Manichei tenebant, substantiam perfectam, & integram esse malam in se: hoc autem est hæresis, & omnino falsum: nõ propter hoc sequitur, quòd si aliqua substantia corrumpatur, & auferatur ei aliquid pertinẽs ad eius integritatem, illa substantia ex bona non fiat mala, immò hoc apertè concedit ibi D. Aug. si substantia illa sinè illa parte essentiali, vel integrali permanere possit. Vndè corpus humanum sinè pedibus dicitur malum in substantia, & monstrum: quia non habet integritatem: vndè ibi concedit, solum Deum esse summum, bonum, quia nihil ei adimi potest, quia est incommutabilis, & est bonum per essentiam: at entia creata, quæ sunt bona per participationem, possunt corrumpi, & amittere bonum. Ad formam ergo argumenti respondetur, quòd entia diminuta, & non integra non sunt bona, sed mala, & si defectus integritatis pertinet ad essentiam rei est malitia essentialis; si pertinet ad integritatem accidentalem, est malitia accidentalis. Neque hoc repugnat D. August. nec fauet Manicheis, vt visum est. Cum verò dicitur, dari aliqua entia, quæ non habent modum, ordinem, & speciem, dato quod hoc sit verum, forsan enim est impossibile dari in rerum natura aliquod ens, quod non habeat ordinem ad aliud ens, & non sit in aliqua specie, & non habeat modum aliquem, quia omnia entia pertinent ad ordinem Vniuersi. Pręterea omne ens intrinsecè, & essentialiter habet hæc tria, habet enim modum, quia est alicuius determinati generis, scilicet substantia, vel accidens; habet speciem, idest formam, vel essentiam propriam, & ordinem ad proprium finem: dico, quod hoc admisso, ad summum concludit, illa, non esse bona bonitate accidentali, & bonitate quæ est alteri bonum: at nõ concludit, quòd non sint bona bonitate essentiali, & primaria, de qua est sermo in pręsenti.

111 Ad confirmationem patet per hoc idem, nàm dato, quòd essentiæ quædam creatæ dentur, quæ nulli alteri sint bonæ, tamen sint bonæ essentialiter. Concludit ergo argumentum, si concludit, non quodlibet ens esse bonum bonitate accidentali, & bonitate, quæ est alteri bonitas; sed non concludit non esse bonum bonitate essentiali, & primaria.

112 Ad secundam dimissa disputatione, An relationes diuinæ, dicant perfectionem, de qua in primo egimus dist. 2. disp. 22. ad propositum ex dictis suprà videtur haberi facilis, & vera solutio, quam etiam in prędicta disp. adduxi, quæ est hæc. Sicut non omne ens est quantum quantitate molis, ita non omne ens est quantum quantitate virtutis, quæ est bonitas, & perfectio, sed solum illud ens, quod est aptum natum esse ens perfectum, & completũ, non autem ens, quod ex propria natura non est natum esse ens perfectum, & completum; tamen hoc ens quoque potest dici bonum, & perfectum in suo genere, siue impropriè, & secundum quid. Probatur hæc distinctio, nàm quod illud ens solum debeat dici, & sit bonum, simpliciter, & propriè, quòd natum est esse perfectum, & cõpletum, patet ex dictis suprà, quod enim est bonum hoc modo, est perfectũ: quod est perfectum habet quidquid sibi conuenit; hoc autem videtur verificari solùm de naturis perfectis, & completis, & vt dicebat Scotus in quolib. secundo, in secunda responsione ad argumentum principale, competit quidditatibus non rationibus hipostaticis: quia ista perfectio est integritas quædã omnium eorum, quæ sibi conueniunt, & propterea ista bonitas est relatio; ergo hoc videtur verificari solum de naturis, & quidditatibus completis, quia in his tantùm hæc integritas reperiri posse videtur: ille verò entitates, quæ non sunt natæ esse naturæ per se, sed potius habent esse gratia alterius, vt entitas hipostatica, nõ videntur habere perfectionem in se, sed solum ratione illius alterius, cui natæ sunt inesse: sicuti ergo habent entitatem, sic habent bonitatem: nam habẽt autem entitatem propter se, sed propter aliud; ergo neque habent bonitatem propter se, sed propter aliud: quia tamen habent entitatem perfectam in proprio genere, possunt dici bonæ in suo genere, sed hæc est bonitas secũdum quid, non absolutè, & simpliciter. Hoc pacto se habent relationes originis in diuinis. Ille enim, sunt entitates hypostaticæ, & entia non propter se, sed propter essentiam diuinam à qua sunt, & cui insunt, & sunt idem realiter: ideò non habent aliam perfectionem, quàm perfectionem essentiæ: in se verò non habent perfectionem simpliciter, quia non sunt natæ esse entia per se: neque habent integritatem aliquam aliquorum omnium, quæ sibi nata sint cõuenire absolutè, & simpliciter. Relationes ergo diuinæ non sunt bonæ, quia non habent perfectionem, neque integritatem essentialẽ: non sunt tamen malæ positiuè, quia licèt non habeãt integritatem, & perfectionem plurium, hoc euenit, quia illa plura non sunt nata sibi competere, quod si essent nata sibi conuenire, & illa non haberent, essent entia imperfecta, & mala positiuè: nunc verò possunt dici mala negatiuè, idest nõ habentes perfectionem, & integritatem, quòd non est inconueniens, quia sibi non conuenit. An verò relationes creaturarum habeant bonitatem, & perfectionem, nolo disputare modo: mihi tamẽ videtur dicendum habere bonitatem secundum quid,

Ad secũdã.

Relationes diuinę quo modo non sint bonę.

idest

idest in proprio genere: quia sicut sunt entia perfecta non absolutè, & simpliciter, sed solùm in proprio genere, sic habent perfectionem, & bonitatem diminutam, & secundùm quid. Cum autem dicitur, bonitatem esse passionem entis, pręcipuè, & principaliter intelligitur de substantijs: hæ enim sunt perfectæ simpliciter, quando habent entitatem completam sibi conuenientem; cętera verò entia habent bonitatẽ essentialem diminutam, & secũdũ quid, sicut eorũ entitas quoque est diminuta, & secũdùm quid.

Alia responsio. 113 Vel nisi hæc responsio placet, dicamus, cum ipsomet Scoto in 1. dist. 1. q. 2. in responsione ad primum argumentum, quòd bonitas est duplex, alia est bonitas in communi, quæ cõuertitur cum ente, & est perfectio eius, & isto modo bonum ponitur in quolibet genere, etiam in relatione, vt dictum est, & hæc etiam reperitur in relationibus diuinis, quia sunt entia realia; sed ista bonitas nõ habet rationem obiecti fruibilis. Alia est bonitas in speciali, quæ est bonitas omnino perfecta nullum habens defectum re vera, vel saltem apparenter, vel ex pręfinitione voluntatis; & hæc bonitas non est in relationibus diuinis. Vndè cum Scotus in quolibet illo probat, relationes non habere perfectionem infinitam, nec finitam, loquitur de ista perfectione, quæ habet rationem fruibilis obiecti: hæc enim nec finita, nec infinita est in relatione, non autẽ loquitur de bonitate in communi entis.

Ad tertiã. 114 Ad tertiam respondetur communiter, res Mathematicas posse considerari secundùm se, & vt entia sunt, vel vt subsunt considerationi Mathematicæ. Primo modo sunt bonæ, quia habent suam perfectionem, & conuenientium, secundo modo non sunt bonæ, quia Mathematicus non considerat illas sub ratione boni, vel non boni, sed abstrahit ab illis illam rationem boni; sicut etiam abstrahit rationem motus ab illis.

Ad quartã. 115 Ad quartam respondetur materiam primam habere propriam actualitatem entitatiuam, & hanc sufficere, vt sit ens perfectum secundùm propriam essentiam. Cum autem dicitur imperfecta, & turpis, &c. hoc dicitur de ipsa in ordine ad formam, & compositum, non quò ad propriam entitatem, neque absolutè.

Ad quintã. 116 Ad quintam respondetur in Deo, & entibus simplicibus bonitatem essentiamlem esse relationem rationis, quia in ipsis sunt plura distincta formaliter, ex quorũ quasi integritate resultat perfectio, & bonitas in illis, sicut in Deo sunt perfectiones attributales, in Angelis intellectus, voluntas, & aliæ dotes spirituales, quorum omnium integritas est relatio rationis, quæ tamen habet fundamẽtum in re propter distinctionem formalem illarum perfectionum in re simplici. Est ergo relatio rationis formaliter, & actu; tamen virtualiter, & fundamentaliter quodammodo est in re: quia tamen ipsi Deo, & inter se dicuntur conuenientia, & per summam identitatem, & simplicitatem illis insunt, hæc integritas est bonitas essentialis Dei, & Angelorum.

Ad sextã. 117 Ad sextam respondetur non ens dici bonum, & esse appetibile non in se, & quatenus est non ens: quia sic nihil est, sed quatenus est carentia alicuius mali, & disconuenientis. Ita in proposito Christus Dominus ait, bonum fuisse Iudæ non habere esse, non absolutè, sed quia si non habuisset esse non habuisset peccatum, & pœnam sibi debitam, quæ est maximè illi disconueniens, & consequenter est maximum malum sibi: ideò non esse Iudæ esset bonum ratione carentiæ illius mali, non absolutè.

Vel dicas, vt alij, quòd non ens quandoque concipitur vt ens, & prędicatur de rebus, vt ens, vt cum dicimus, homo est cæcus: ideò cum dicitur, non ens esse bonum, ibi non ens apprehenditur vt ens, & quatenus habet vmbrã entis dicitur bonum: ideo bonum non excedit ens, propriè loquendo, sed intra ipsum continetur.

Ad septimam. 118 Ad septimam, quod est contra aliud membrũ boni, scilicet contra bonum accidentale, respondetur suprà iam dictum esse, quid respõdere debeamus ad rationem relationis.

119 Ad aliud verò ex Recentioribus, dico argumentum illud esse simile huic. Bonitas vel est bona, vel non. Si dicas, non, est absurdum. Si dicas sic; ergo alia bonitate est bona, & sic dabitur processus in infinitum. Ita hic, perfectio vel est bona, vel non. Si non; ergo est mala, quod est absurdum. Si bona; ergo aliqua perfectione est bona, & sic in infinitum, quæ vt patet, sunt argumenta ridicula. Respondetur ergo, quòd bonitas est relatio realis, vel rationis, vt dictum est. Cum quæritur, vel illa relatio est bona, vel non, dico quòd est bona. Cum arguitur; ergo alia relatione est bona, negatur consequentia, & dicitur, quòd est bona se ipsa formaliter: quia illa relatio integritatis, & cõuenientiæ est formaliter bonitas: ideò in illa datur status.

Vtrùm bonum sit obiectum voluntatis.
Caput Septimum.

120 QVia, vt dictum est, qui putãt, intellectum esse potentiam nobiliorem voluntate, illud probãt ex nobilitate obiectorum, & dicunt, obiectum intellectus esse verum, voluntatis verò obiectum esse bonum; & verum esse nobilius bono: postquàm vidimus, verum non esse obiectum intellectus, & vidimus etiam quid sit bonum, videndum est, an bonum sit obiectum voluntatis: hoc enim viso patebit, quid dicendum sit de nobilitate istarum potentiarum quò ad obiectum earum.

121 Qui ergo sustinent, bonum esse obiectum voluntatis sic arguunt. Primò est ratio prima adducta à Scoto 1. Sent. dist. 3. q. 3. pro Egidio ad probandum, obiectum intellectus esse verum: illa enim æquè probat de obiecto voluntatis: dicebat enim, Si nos nõ statuamus, verum esse obiectum intellectus, & bonum voluntatis, nos nõ posse sustinere istas potentias habere diuersa obiecta formalia, & consequenter esse distinctas, quod est absurdum. Hæc ratio adducitur quoque à Medina 1. 2. q. 8. art. 1. 1. Ratio.

122 Secundò. Ex eodem Medina ibidem. Magis bonum, magis mouet voluntatem; ergo bonum est obiectũ voluntatis. Antecedens patet. Consequentia probatur ab opposito. Magis calidum, & magis sonorum non magis mouet visum, quia nullum horum est obiectum visus; ergo quando aliquid magis mouet visum, quàm aliud, illud est obiectum visus. Ad propositum, cum ergo vnum bonum magis moueat voluntatem, quàm aliud bonum, sequitur, quòd bonum sit obiectum voluntatis. 2. Ratio.

123 Tertiò. Magis bonũ etiam si sit imperfectius ens, magis mouet voluntatem; ergo bonum, non ens est obiectum voluntatis. Antecedens probatur, quia centum scuta aurea magis alliciunt voluntatem, quàm Asinus, & tamen Asinus est perfectius ens in genere naturæ, quàm centum scuta aurea. 3. Ratio.

124 Quartò. Appetitus est quædam inclinatio naturæ: sed inclinatio naturæ non est in perditionem sui, sed in sui conseruationem, & bonum; ergo bonum est obiectum voluntatis. 4. Ratio.

125 Quintò. Omnes res operantur propter aliquem finem: at finis est bonum; ergo omnes res operantur propter bonum; ergo bonum est obiectum appetitus omnis. 5. Ratio.

126 Sextò. Omnes res quando consequuntur id, quod cupiunt, delectantur, & quiescunt; ergo cupiunt bonum. Consequentia probatur, quoniam quies, & delectatio non est nisi de bono. 6. Ratio.

117 Septimò. Probatur simul quòd obiectum voluntatis non sit ens, sed bonum, sic. Ex Arist. 2. Physicorum: finis habet vndè moueat appetitum in se, medium autem nequaquam: at si ens est obiectum voluntatis, æque finis, & medium mouerent voluntatem; ergo obiectum voluntatis non est ens, sed bonum. 7. Ratio.

128 Octauò. Est auctoritas expressa Arist. 1. Ethico. cap. 1. Omnis ars, & omnis doctrina appetit bonum, qua de causa Antiqui benè dixerunt, bonum est, quod omnia appetunt; ergo obiectum adæquatum appetitus voluntatis est bonum. 8. Ratio.

Opinio vera.

129 His tamen rationibus nõ obstantibus verior opinio est, bonum non esse obiectum voluntatis, sed ens, quã opinionem Scotus sustinet, & probat in 1. dist. 3. quæst. 3. §. *Ad rationes in oppositum*, licet sit satis obscurus, & difficilis.

1. Ratio Scoti.

130 Prima autem ratio ex Scoto desumitur ex prima reductione ad oppositum primæ rationis eorum, qui dicebant, obiectum intellectus esse verum, & voluntatis bonum, quam in hunc modum conficio. Quandocunque aliquæ duæ potentiæ habent idem obiectum adęquatũ, quod est obiectum vnius potentiæ, est obiectum quoque alterius; sed sic est, quòd intellectus, & voluntas habent idem obiectum adęquatum; ergo obiectũ vnius est obiectum quoque alterius. Subsumo, sed sic est, quòd obiectũ intellectus est ens; ergo obiectum voluntatis quoque est ens; ergo non bonum. Maior in hoc argumento est euidens, quia subiectum includit prædicatum. Assumptum quoque in subsillogismo est clarum, scilicet, quòd ens sit obiectum intellectus ex dictis suprà, & ex Theoremate de obiecto intellectus in Philosophia naturali. Tota difficultas consistit in minori, quam ex Scoto loco citato sic probo. Nihil potest obijci voluntati, vt obiectum appetibile, nisi sit cognitum; ergo illud, quod primò obijcitur voluntati, vt obiectum necessariò obijcitur quoque intellectui, vt obiectum; ergo idem est obiectum intellectus, & voluntatis. Primum antecedens patet, quia voluntas non fertur nisi in præcognitum. Prima consequentia est euidens quoque; neque enim posset cognosci ab intellectu, nisi esset obiectum eius, vel contineretur sub obiecto illius. Altera consequẽtia quoque patet, quia illud, quod primò obijcitur voluntati, etiam obijcitur intellectui; ergo ratio obiecti intellectus, & ratio obiecti voluntatis nõ sunt contradistincta, itaquòd illud, quod est obiectum, siuè ratio obiectiua vnius potentiæ, non possit esse obiectum, vel ratio obiectiua alterius potentiæ, sed est idem obiectum, & eadem ratio obiecti vtriusque: obiectum autem intellectus est ens; ergo ens est quoque obiectum voluntatis.

131 Sed aliquis dicet, concedo, quòd obiectum voluntatis cognoscitur ab intellectu, quia bonum cognoscitur ab intellectu: non tamen sub eadem ratione est obiectum intellectus, & volũtatis, quia verbi gratia est obiectum intellectus, vt est ens; voluntatis, vt est bonum.

Contrà. Etiam illa ratio boni est obiectũ intellectus; quia illa cognoscitur ab intellectu; ergo ex hac responsione habetur, quòd obiectum intellectus est vniuersalius, quàm obiectum voluntatis: quia intellectus habet pro obiecto omne ens, voluntas verò habet pro obiecto solũ ens bonum: hoc autem concludit, voluntatem esse subordinatam intellectui, & obiectum eius contineri sub obiecto intellectus, quòd nos concedimus, & concedit Scotus; at potentię subordinatæ non habent diuersa obiecta omnino, sed idem, licèt sub ratione magis vniuersali obijciatur vni, quam alteri, vt de sensu, & intellectu dicimus infrà, & diximus suprà.

2. Ratio.

132 Secunda ratio principalis ex eodem loco. Potẽtia ponens discrimen inter aliqua duo, cognoscit vtrumque; sed sic est, quod intellectus punit discrimen inter verum, & bonum; ergo cognoscit bonum: at non posset cognoscere bonum, nisi contineretur sub suo obiecto; ergo bonum est obiectum intellectus, vel continetur sub eius obiecto, ergo obiectum voluntatis est obiectum intellectus; sed obiectum intellectus est ens; ergo obiectum voluntatis est quoque ens, licet non in tanta vniuersalitate, quanta est obiectum intellectus.

133 Verùm, quia aliquis respondere posset, hanc rationẽ probare, ens esse obiectum materiale voluntatis, nõ formale: hic autem esse sermonem de obiecto formali, atque illud esse bonum, ideò adest tertia ratio, quæ efficaciter probat in speciali, bonum sub ratione boni non posse esse obiectum voluntatis, & deducitur ex deductione ad oppositum tertiæ rationis aduersariorum, & est hæc: Illa est ratio formalis obiecti, secundum quam obiectum mouet potentiam; sed sic est, quòd ratio boni non est ea, secundum quam ens mouet voluntatem; ergo ratio boni, siuè bonum non est obiectum formale voluntatis. Maior communiter est concessa, & euidens, quia sicut ratio actiui, vel agendi dicitur illa forma, secundum quam agens agit: ita ratio mouendi est forma illa, secundum quam ens mouens voluntatem, illam mouet. Minor probatur. Nullus respectus potest esse ratio motiua potentiæ, sed ratio boni est respectus; ergo ratio boni nõ potest mouere voluntatem. Minor est clara ex dictis capitibus 5. & 6. Maior probatur ex Arist. 2. de Anima tex. 66. vbi assignans primum obiectum visus, dicit, quòd illud, cuius est visus, vt obiecti, est visibile, non per se primo modo, sed secũdo modo: itaquòd ipsum ponitur in ratione visibilis, sicut subiectum ponitur in diffinitione propriæ passionis; vt ait Arist. 1. Post. cap. 4. loquens de secũdo modo dicendi per se: & si formalis ratio obiecti potẽtiæ esset respectus obiecti ad talem potentiam, tunc visibile esset obiectum primum, & adæquatum visus in primo modo dicendi per se: nam ipsa visibilitas esset ratio formalis, qua obiectum visibile videretur, & tunc esset facile assignare prima obiecta potentiarum: quia obiectum cuiuscunque potentiæ esset correlatiuum illius potentiæ, puta visus, visibile, auditus, audibile. Hoc autem modo non esset assignare quòdnam sit verum obiectum primũ cuiuscumque potentiæ, quia adhuc remaneret quærendũ quidnam sit illud, quod est visibile, & audibile: ideo Philosophus in 2. de anima non assignat sic obiecta potẽtiarum, sed assignat obiecta absoluta, nimirum visus colorẽ, auditus sonum, &c. Oportet ergo quod ratio formalis, obiecti motiua voluntatis, non sit ratio boni, quia illa est respectus, vt suprà vidimus, sed est necesse, vt sit aliqua ratio absoluta: nulla autem alia videtur posse poni, quàm ratio entis in communi, si voluntas potest habere actum circa omne intelligibile: si verò dicamus, quòd voluntas non potest habere actum circa omne intelligibile, vt puta quia non versatur circa merè speculabile, sed solùm circa finem, & ea, quæ sunt ad finem: tunc ponetur obiectum voluntatis esse quid minus vniuersale obiecto intellectus, scilicet illa forma, secundũ quam res est finis, vel medium ad finem: quæ est forma fundans relationem conuenientiæ obiecti ad potentiam: quę relatio formaliter est bonitas, vt suprà vidimus. Hęc ratio est euidentissima.

134 Quartò. Hęc ratio potest confirmari à simili: nã, ut ait Scotus in 3. dist. 15. §. *Aliter potest dici*, ratio actiui, & passiui in entibus non est aliqua relatio, sed aliqua natura absoluta; quòd enim hoc agens inducat formã, quæ sit apta nata recipi in hoc passo, & non in alio: & hoc passum sit aptum natum recipere illam formam ab illo agente, & non aliam, non prouenit ab aliqua relatione, sed ab ipsis formis absolutis, quę sunt talis, & talis conditionis: & proinde inter illa insurgit relatio conuenientię, vel disconuenientię. Ita in proposito, quòd aliquod ens moueat voluntatem, & in eam inducat aliquam formã conuenientem, vel non conuenientem, non prouenit ex ipsa relatione conuenientię, vel disconueniẽtię, sed ex naturis absolutis, quę sunt aptę natę agere in ipsam volũtatem, atque in eam inducere formam conuenientem, & sic gaudium, vel disconuenientem, & sic dolorem, vel tristitiam; ergo ratio boni formalis, quæ est ipsa relatio conuenientię obiecti absoluti ad voluntatem, non est ratio obiectiua formalis voluntatis, sed est forma ipsa absoluta entis mouentis potentiam, super quam fundatur relatio conuenientiæ, sicut obiectum fugæ in voluntate est forma illa absoluta, super quam fundatur relatio disconuenientiæ. — 4. Ratio.

135 Est itaque dicendum cum Scoto in prædicta dist. 3. quæst. 3. §. *Ad rationes in oppositum*, &c. quod potentiæ disparatæ tripliciter se habent adinuicem; aut omnino sunt disparatæ, & contradistinctæ, vel sunt subordinatę; etsi sunt subordinatæ, vel sunt in eodem genere, sicut — Resolutio difficultatis.

poten-

potentia cognitiua superior, & inferior, cuiusmodi sunt intellectus, & sensus: vel in alio genere, sicut cognitiua, & appetitiua potentia. Primo modo habent obiecta omnino disparata, vt sunt visus, auditus, & huiusmodi. Potētiæ disparatæ secundo modo habent obiecta prima, & adæquata subordinata, itaquòd obiectum superioris cōtinet sub se obiectum primum, & adæquatum potentiæ inferioris: vndè intellectus potest per se habere actum circa quodcunque, circa quod potest habere actum per se potentia inferior: quòd ideò est, quia obiectum adæquatum sensus continetur sub obiecto adæquato intellectus. Potentiæ subordinatæ secundo modo sic se habent, quòd si appetitiua adæquaretur in operando potentiæ cognoscitiuæ, circa quęcunque obiecta versaretur potentia intellectiua, circa eadem versaretur appetitiua: & tunc idē esset obiectum vtriusque potentię, tàm materiale, quàm formale. Hæc assertio patet, quia si quicquid cognoscit intellectus, & sub quacunque ratione cognoscitur illud idem, & sub eadem ratione ab appetitu, & voluntate appeteretur, nō esset discrimen vllum inter obiecta istarum potentiarum: si verò potentia appetitiua non adæquatur potentiæ cognoscitiuæ, sed habet actum tantum circa aliqua cognoscibilia, & non circa alia, tūc obiectum cognoscitiuæ est vniuersalius, & superius, quàm appetitiuę: obiectum verò appetitiuę est inferius, & minus vniuersale.

136 Ad propositum, intellectus, & voluntas cadunt sub hoc tertio membro: sunt enim potentię disparatę, sed subordinatę in diuerso genere: quia vna est cognoscitiua altera est appetitiua. Si quis ergo sustineat, voluntatem per se habere actum circa quodcunque intelligibile, & sub quacunque ratione illud intelligatur, sequitur necessariò esse dicendum, idem esse obiectum intellectus, & voluntatis, & sub eadem ratione formali ex parte obiecti; differunt solùm ex diuersa ratione formali ratione potentię: quia voluntas alio modo habet actum suum circa illud obiectum, ac habeat intellectus, sed totum, quod est in obiecto, scilicet materiale, & formale, subijcitur ipsi voluntati. Potest esse exemplum, substantia tota est subiectum quantitatis, & tota qualitatis, sed sub diuersa ratione ex parte quantitatis, & qualitatis, non ex parte substantiæ: quia à quantitate habet, quod sit quanta: à qualitate quod sit qualis. Sic ens totum, & sub quacunque sua ratione formali esset obiectum intellectus, & esset obiectū voluntatis: & vtraque potentia circa illud haberet actū per se adęquatè.

137 Si quis verò sustineat, quòd etiam probabilius est, voluntatem non habere actum circa quodcunque intelligibile, sed solum circa ens, quod est finis, & circa media ad finem, est dicendum, quòd obiectum adęquatum voluntatis est illud ens, quod est finis, vel medium ad finem, & illud est obiectum, non sub aliqua ratione respectiua, sed sub ratione illa absoluta, super quā fundatur illa relatio finis, & conuenientiæ ad potentiam, vt dictum est, & ita est dicendum, quod non bonum pro formali est obiectum volūtatis, sed bonum pro materiali, et pro substrato, super quod fundatur, relatio boni est obiectum primum, & adæquatum voluntatis, & hac ratione distinguitur ab obiecto intellectus, scilicet vt inferius à suo superiori, & minus vniuersale à magis vniuersale.

Ad rationes aduersariorum.

138 Pro solutione autem rationum aduersariorum, notandum est, quod bonum duobus modis accipi potest. Vno modo pro bono pro formali, quod est illa relatio cōuenientiæ rei ad rem, vt rei ad potentiam, vel rei in se: nimirum integritas omnium, quæ rei perfectæ conueniūt, & bonum hoc modo non est obiectum voluntatis primum, & adęquatum, sed sub adęquato continetur, vt dictum est. Alio modo potest accipi bonum pro materiali, siuè pro illa entitate, super quam fundatur illa relatio conuenientiæ, & integritatis, & sic bonum est idem quod ens. Et tunc rursus est distinguendum, vel voluntas potest habere actum super omne ens, vel tantum circa aliquod, scilicet circa illud, super quod fundatur illa relatio conuenientię. Si primo modo, obiectum voluntatis est ens in communi. Si secundo modo, obiectum volūtatis est ens illud particulare, super quod fundatur relatio illa conuenientię. Et sic obiectum voluntatis, vel est idem obiectū adęquatum, quod intellectus, scilicet ens in communi, vel est idem obiectum, quod est obiectum intellectus, licet non adęquatè: obiectum enim intellectus est ens in communi: obiectum volūtatis erit ens tale. Scotus in 2. Sent. dist. 6. quęst. 1. §. *Quia tamen*, tenet primum modum dicendi. Rursus, vt intelligatur, an voluntas versetur circa ens in communi, an circa ens particulare, notandum est, quòd voluntas duobus modis cōsiderari potest: vno modo, vt est potentia naturalis, & habens inclinationem ad proprium obiectum, & simul, vt habet amorem concupiscentię: alio modo vt est potentia libera, & habet amorē amicitię. Si primo modo consideretur, voluntas versatur circa ens particulare, & obiectum voluntatis est res illa, super quam fundatur relatio conuenientiæ, & bonitatis. Si secundo modo, & voluntas versatur circa ens in cōmuni, etiam obiectum eius est omne ens, quia volūtas potest habere actum suum elicitum, vel imperatum circa quodcunque ens, vt videbimus capite sequenti. Per has duas distinctiones soluuntur omnia argumenta.

Ad primā rationē aduersariorū.

139 Ad primum ergo argumentum respondetur, iam ex dictis patere, quomodo istę potentię distinguantur, etiā si sint de eodem obiecto: nàm quod potentię distinctę non possint esse circa idem obiectum, est verum de potentijs omnino distinctis, & disparatis, vt sunt visus, & auditus, non de potentijs disparatis subordinatis in eodem, vel diuerso genere: intellectus autem, & voluntas sunt potentiæ quidem disparatæ, sed subordinatæ, licet in diuerso genere: ideò possunt esse circa idem obiectum adæquatè, adeòquod circa totum illud, quod intellectus potest intelligere, voluntas potest exercere actum suum.

140 Deinde respondere possumus, quòd loquēdo de voluntate prout est potentia naturalis, vel sustinēdo, quòd non versetur circa omne ens, dici potest, vt supra dictum est cap. 4. ad primam, & secundam, quod satis est hæc distinctio, quòd obiectum intellectus est ens in communi, & indifferens: obiectum verò voluntatis est ens tale, siuè contractum ad illud, quod fundat relationem conuenientiæ, vel integritatis modo assignato.

Ad secundam.

141 Ad secundam respondetur, quòd bonum potest accipi duobus modis: vno modo pro formali, scilicet pro illa relatione conuenientiæ, & sic negatur primum antecedens; alio modo bonum accipitur pro ente, cui inest illa relatio; & sic concedo, quòd illud est obiectum voluntatis, sed illud est ens, & sub ratione entis talis mouet voluntatem, non sub ratione boni formaliter. Vel dicas, quod maior, scilicet magis bonum magis mouet voluntatem, est vera de voluntate, vt est potentia naturalis, nō vt est libera, vt dictum est suprà.

Ad tertiā.

142 Ad tertiam respondetur per idem, quòd bonum potest accipi pro relatione cōuenientiæ, & pro bono pro formali: alio modo pro entitate super quam fundatur talis conuenientia: tale autem ens, vt est tale ens, potest magis, & minus esse aptum mouere voluntatem, & fundare relationem conuenientiæ: ideò ratio prima obiectiua, & maioritas bonitatis primò inest rei, & enti, vt tale ens est, quàm tali respectui, qui formaliter est bonum. Hæc autem entitas non semper est motiua voluntatis magis, & minus secundum perfectionem entitatis in esse entis, & naturæ, sed secundum proportionem entium inter se. Ad argumentum ergo dico, quòd ratio cōcludit de bono pro materiali, & vt est ens, non de bono pro formali, & pro respectu, vt dictum est. Centum enim Scuta magis mouent voluntatem, quàm Asinus, inquantum sunt ens, super quod magis est aptum fundari relationem conueniētiæ, quam Asinus, non inquantum sunt ens perfectius, vel imperfectius in esse naturæ. Vel respondeas per secundam responsionem ibi adductam.

Ad quartā.

143 Ad quartam respondetur cōseruationem, & bonitatem

nitatem in voluntate, & natura pendere ab ente absoluto, vt suprà diximus, non à respectu cōuenientiæ, ideò argumentum concludere pro nobis, quòd obiectum voluntatis est res absoluta nō respectus. Vel dicatis, quòd apertè concludit de voluntate, vt est natura, non vt libera, & sic ad sequentem.

Ad quintã. 144 Ad quintam respondetur per eandem distinctionem: finis enim potest accipi dupliciter, vel pro relatione, quæ est finis, vel pro subiecto, & re super quam fundatur relatio finis: omnis res operatur propter finem, scilicet propter entitatem absolutam, quæ est sibi conueniēs ratione actionis, vel productionis alicuius formæ in se, quæ est sibi conueniens.

Ad sextã. 145 Ad sextam patet per idem: res enim tunc quiescit quando coniungitur bono pro materiali, scilicet illi rei, quæ est sibi conueniens, non bono pro formali.

Ad septimam. 146 Ad septimam respondetur, quòd ad summum ex Arist. ibidem habetur, obiectum voluntatis non esse ens quodcunque, & obiectum voluntatis, & intellectus non esse idem adæquatè, sed obiectum voluntatis esse ens particulare, quod potest fundare relationem conuenientiæ rei ad potentiam, An vero media mouere possint voluntatem, & voluntas sit finis tantum, an etiam mediorum ad finem, est specialis difficultas, de qua capite sequenti. Nunc dicimus, voluntatem non solùm esse finis, sed etiã mediorum ad finem.

Ad octauã. 147 Ad octauam respondetur, illud concludere de bono pro materiali, non de bono pro formali, & de voluntate considerata secundum, quod est potentia naturalis, & quo ad amorem concupiscentiæ, non de voluntate, vt est libera, & quo ad amorem amicitiæ.

Vtrùm voluntas versetur tantum circa ens, quod habet rationem boni, & finis: an circa media, & omne ens. Caput Octauum.

148 SCotus videtur esse indeterminatus, an volūtas versetur circa omne ens, an tantum circa tale ens, nimirum circa illud ens, super quod fundari potest, vel actu fundatur relatio conuenientiæ ad alterum ens, secundū quam dicitur bonum: attamē quia res hæc est cognitu necessaria ad rectè cognoscendum quosnam actus efficere possit voluntas, res hæc est dilucidanda.

149 Ad hanc difficultatem dissoluendã videntur pertinere illæ quæstiones, Vtrùm voluntas sit tantùm finis, an mediorum quoque ad finem, An voluntas sit tantùm boni, an etiam mali, & etiam indifferentis, de quibus disseruimus in 1. Sent. quia istæ tamē proprijs locis explicatę sunt, eas attingemus, prout faciunt ad explicationem pręsentis difficultatis.

Tres opiniones. 150 In hac re videntur esse tres opiniones. Aliqui dixerunt, voluntatem esse tantùm finis, & ideò obiectum illius adęquatum habent statuere tantùm illud ens, quod potest esse fundamentum relationis finis. Alij ponunt, voluntatem esse non solùm finis, sed etiam mediorum ad finem, non tamen mali, nec indifferentis ad bonum, & malum. Et consequenter habent dicere, obiectū adęquatum volūtatis esse ens illud, quod fundat relationem finis, & boni, vel medij ad finem.

1. Opinio.

2. Opinio.

3. Opinio. 151 Tertia opinio est eorum, qui ponunt, voluntatem non solùm esse finis, & mediorum ad finem, sed etiã mali, & indifferentis ad bonum, & malum. Et consequenter habent dicere, quòd obiectum adęquatum voluntatis sit ens in tota sua latitudine: & hanc puto esse opinionem Scoti, quam expresse habet 2. Sent. dist. 6. quæst. 1. §. *Qui tamen*, &c. Et nos tetigimus in eodem 2. disp. 31. cap. 1.

1. Opinio quæ ē quorūdã Thomistarū ꝓbatur. 152 Prima opinio, quæ est quorundam Thomistarū p. 2. quæst. 5. art. 1. probatur. Prima ratio desumitur ex D. Tho. loco citato, ibi enim probans, quòd homini cōuenit agere propter finem, assumit hoc medium. Obiectum voluntatis est finis, & bonū, ex quo sic arguit. Omnes actiones, quæ procedunt ab aliqua potentia, ab ea efficiuntur secundùm rationem sui obiecti; sed sic est, quòd obiectum voluntatis est finis; ergo omnes rationes volūtatis fiunt propter finem. In hac ratione videtur D. Thomas necessariò supponere, quòd finis sit obiectum adæquatum voluntatis; ergo voluntas fertur tantùm in ens, quod habet rationem finis, non autē in aliud ens quodcunque illud sit; & sic non tendit in media.

1. Ratio.

153 Secundò. Confirmatur, quia Arist. 2. Physicorum tex. 31. ait, finem, & bonum esse idem, & 2. Ethicorum cap. 7. ait, illud esse vniuscuiusque rei bonum, cuius gratia operatur: at bonum est obiectum voluntatis; ergo finis quoque est obiectum adæquatum voluntatis. 2. Ratio.

154 Tertiò. Probatur ex solutione argumenti cuiusdam in contrarium, quod potissimum probare videtur, voluntatem versari circa media, tanquam circa obiectū: nàm certum est, quòd voluntas non solùm versatur circa finem, sed etiam circa media ad finem; & nulla potentia potest versari extra suum obiectum adæquatum; ergo falsum est, quòd finis tantùm sit obiectum adæquatum voluntatis, & nō media ad finem: huic enim argumento aliqui respondent, quòd finis, qui statuitur obiectum adæquatum voluntatis, non est vltimus finis, sed finis in communi ad vltimum, & ad proximum, siuè ad finem sub fine: media, etsi non sint fines vltimi, sunt tamē fines proximi: & hac ratione voluntas tendit in illa: adeò quòd ex hac sententia media non sunt obiectum voluntatis secundum propriam entitatem; sed solùm quatenus induunt relationem ad vltimum finem; ergo non media, sed finis vltimus est obiectum. Alij respondent, media esse obiecta voluntatis materialia, & per accidēs: sicut paries est obiectum materiale, & per accidens visus; sed formale obiectum voluntatis esse finem; vndè aiunt, finem esse rationem, propter quam media sunt volita. Ex quo sequitur, hos Auctores velle, media in se, secluso fine; ad quem ordinantur, non posse esse obiectum voluntatis, sicut nihil potest esse obiectum visus, nisi quod est coloratum. Assumptum autem illud, quòd media non sint volita nisi propter finem probant, tùm quia sublato fine merita non diliguntur: oblata enim sanitate medicina non est volita: tum quia media ipsa secundum entitatem suã non sunt bona, nec volita, sed ideo sunt bona, quia sunt vtilia ad efficiendum finem, qua vtilitate ablata nulla facta variatione in entitate mediorum, media nō sunt amplius bona nec volita: potio enim medicinæ est bona ægrotanti, quatenus est inductiua sanitatis in eo, sed valenti, & sano eadem medicina absque vlla mutatione facta in entitate sua non est bona; ergo ratio volitionis, & bonitatis inest illi precisè ex relatione ad finem. Ex his omnibus sequitur, voluntatem versari solùm circam finē. 3. Ratio.

155 Secunda opinio habet duas partes. Prima est, quòd voluntas fertur in finem, & in media ad finem: & hanc probant, quia media ipsa habent rationem finis: sunt enim bona per se, quia sunt vtilia ad finem: bonum aūt est triplex vtile, honestum, & delectabile. Secūda pars est, quòd voluntas non fertur in malum, neque in indifferens, quæ probatur omnibus illis rationibus, quas in 1. Sent. dist. 1. quæst. 4. adduximus, ex quibus probare nituntur, quòd voluntas non potest velle malum, sub ratione mali: & superius etiam probare nitebantur, bonum esse obiectum adæquatum voluntatis, quas non est opus repetere. Hanc sententiam, quò ad secundam partem videntur sequi ex antiquis D. Tho. p. 2. quæst. 5. art. 1. Thomistæ omnes, & ferè omnes alij. Quo ad primam partē est expresè Gabrielis Vasquez p. 2. disp. 1. & vidētur consentire Medina ibidem, & quidam alij. Fundamētum secūdę opinionis.

156 Tertia opinio etsi expresè nō habeatur apud Scotum, sed vt dixi videatur Scotus problematicus, quantùm ad hanc quæstionem particularem, an voluntas habeat pro obiecto ens in communi, & versetur circa omne ens; tamen ex eius principijs deducitur, eum declinasse in partem affirmatiuam, & ex eius principijs euidenter probatur, nedum voluntatem versari circa media, & finem, 3. Opinio quę est Scoti.

sed

sed etiam circa ea, quæ non habent rationem boni, sed mali, & circa indifferentia, & cõsequẽter circa omne ens.

Prima pars opinionis Scoti probatur. 1. Ratio. 157 Et prima quidem pars, quòd volũtas versetur nedum circa finem, sed circa media, quæ est communis nobis cum secunda opinione, satis efficaciter probatur per rationes illius opinionis, quorum principalem tetigimus, scilicet; quia media sunt bona, nimirum, quia sũt vtilia ad finem; ergo per se sunt volibilia, & sic cõtinentur sub obiecto adæquato voluntatis, quòd secundum aduersarios est bonum in communi: quæ ratio secundum eorum principia est efficacissima.

2. Ratio. 158 Preterea, arguitur sic. Certum est, quòd voluntas vult media, vt deambulationem propter sanitatem: vel ergo dùm voluntas vult, & fertur in medium, vult illud per se, & non per accidens: vel vult illud per accidens solum: non primo modo, quia quãdo voluntas fertur in aliquod obiectum, non per se, sed per accidens, potentia nõ attingit illud expresè, & verè, sed aliud illi annexum accidentariè: sicut substantia corporea non videtur per se, sed per accidens: nam substantia per se non attingitur, sed color, qui est qualitas accidentariè coniuncta substantiæ: & ideo substantia est obiectum, per accidens visus, non per se: at media, vt deambulatio, est per se volita à voluntate, non autem est volita ratione alicuius accidentariè sibi coniuncti; licèt non sit volita propter se, sed propter aliud. Differunt autem multum, velle aliquid per se, & velle aliquid propter se, vt patet; ergo falsum est, voluntatem non versari circa media.

3. Ratio. 159 Denique efficacissimè probatur per rationẽ Scoti, quam facit quolib. 16. art. 2. licèt ad aliud propositum, & eam desumit ex Arist. 2. de Anima tex. 146. Est autem hæc. Quæcunque potentia operans circa vnum obiectum non absolutè, sed in ordine ad aliud, eadem potentia, operatur circa vtrumque obiectum; sed voluntas operatur circa media non absolutè, sed in ordine ad finem; ergo operatur circa media quoque: at non potest operari circa media, nisi volendo, & diligendo illa; ergo media cadunt sub obiecto voluntatis. Minor est euidens, & cõcessa. Maior est Aristot. 2. de Anima tex. 146. ibi enim probat, sensum cõmunem cognoscere obiecta diuersorum sensuum, quia ponit discrimen inter illa: quæcunque autem potentia ponens discrimen inter aliqua duo necessariò debet cognoscere vtrumque. Ex eo ergo, quòd potentia cognoscitiua versatur circa vnum in ordine ad alterum, concluditur, potentiam illam versari circa vtrumque, & vtrũque cognoscere; ergo ex hoc, quòd voluntas versatur circa media ad finem, necesse est dicere, quòd versetur circa media tanquam circa aliquid, quòd sub suo obiecto adæquato contineatur.

Quòd si quis dicat cum priori opinione, hãc rationem concludere, media esse obiectum materiale, non formale, quia sunt volita, vt habent rationem finis ad finem. Contrà suprà in hac disputatione ostensum est, quòd bonum, & finis pro formali, est relatio consurgens in obiecto volito; sed obiectum ipsum volitum, est volitum, & obijcitur voluntati sub ratione absoluta, non sub ratione illa finis, vel finis sub fine, quæ est relatio medij.

Secunda pars opinionis Scoti probatur. 160 Secunda pars opinionis Scoti, quæ est principale intentum in hoc capite, nimirum, quòd voluntas versetur circa omne ens, probatur primò, quia secundum aduersarios, volũtas habet pro obiecto bonum: at nullum est ens, quod fugiat rationem boni; ergo omne ens est obiectum voluntatis. Minor probatur, quia bonum est duplex, vt suprà diximus, essentiale, & accidentale, siuè bonum in se, & bonum quia alteri bonum: at nullum est ens, quòd nõ sit alteri bonum, quòd latè inductione probat Suarez in Met. disp. 10. Sect. 3. nu. 6. nàm omne ens accidentale est bonum alicui substantiæ: licèt enim vnum accidens vni substantiæ aliquando non sit conueniens: est tamen conueniens alteri, vt calor non conuenit aquæ, conuenit tamen igni, & licet calor non sit bonus aquæ, vt aqua est, tamen est bonus ei, vt est ens naturale. Et licèt iudicium erroneum intellectus, vt erroneum non sit bonum, & conueniens intellectui; est tamen conueniens intellectui, vt est in potentia ad actum secundum; & substantiæ etiam omnes sunt bonæ alicui: nam materia, & forma componentes substantiam compositam sunt inter se conuenientes: ideò sunt sibi inuicem bonæ. Substantiæ etiam ipsæ compositæ, & supposito distinctè sunt sibi inuicem conuenientes, & bonæ: quia licèt non sint sibi inuicem conuenientes, in genere causæ materialis, vel formalis, sunt tamen sibi conuenientes in genere causæ efficientis, & finalis, quatenus vna aliquo modo efficienter pendet ab alia, vel ad illam ordinatur. Et hoc modo Deus est bonus creaturis, quia illas efficit, & est finis illorum.

161 Preterea. Omnis res habet bonitatem essentialẽ, quæ est propria perfectio: hæc enim est passio entis; ergo omni enti competit: & sic voluntas versatur circa omne ens. Et nota, quòd hæc ratio concludit, voluntatem versari circa ens, vt ens est, non circa ens, vt est finis, vel bonum formaliter: quia vt suprà ostensum est, bonum formaliter est relatio, quæ fundatur, & superaduenit enti, quod est volitum à voluntate: ita quòd illa ratio non est, quod est volitum, sed consequitur ad ens, & super illud fundatur.

162 Secundò hoc probatur absolutè. Voluntas nostra tripliciter considerari potest: vno modo, vt est potentia naturalis: secundo modo, vt est potentia libera, sed hoc dupliciter, vno modo, vt habet actus amoris concupiscentiæ, alio modo vt habet, & elicit actus amoris amicitiæ. Primo modo voluntas versatur circa ens quod est sibi bonum, & conueniens. Hoc patet: quia omne ens naturale appetit naturaliter suam conseruationem, & sibi conueniens: sicut fugit omne sibi disconueniens. Secundo modo similiter versatur circa ens sibi conueniens, & bonum: quia amor concupiscentiæ sequitur inclinationem naturalem voluntatis. Voluntas tertio modo considerata versatur circa ens quodcunque, siuè bonum, siuè malum, siuè indifferens. Sermo autem est de voluntate in hac tertia acceptione. Propositio hæc vltima probatur: quia actus distinguuntur per obiecta, sed actus concupiscentiæ distinguuntur ab actibus amicitiæ; ergo necesse est, quòd sint circa diuersa obiecta: actus enim concupiscentiæ versantur circa ens, vt est bonum sibi, vel alijs; ergo actus amicitiæ versantur circa ens, vt est ens in se perfectum, & bonum; quodcunque autem ens est in se bonũ & perfectum; ergo voluntas versatur circa omne ens. 2. Ratio.

163 Tertiò. Voluntas vult bonum, & fugit malum; ergo non versatur circa ens, quòd est præcisè bonum tantùm. Cõsequentia probatur: quia nolle, & odire est etiam actus voluntatis positiuus, & opponitur velle; ergo ens, quod est nolitum, & ens quod est volitum, sunt diuersa entia, & sic voluntas non versatur præcisè circa ens bonum. 3. Ratio.

164 Et confirmatur, quia nulla potentia potest habere actum circa aliquid, quod non cõtineatur sub obiecto suo adæquato: sicut visus non potest habere actum circa aliquod, quod non sit coloratum; sed actus prosequutionis, & actus fugæ sunt actus voluntatis, vt patet; ergo obiectum voluntatis non est præcisè illud ens, quod potest fundare relationem boni.

165 Hæc ratio, licèt non probet ens in communi, vt comprehẽdit sub se omne ens esse obiectum adæquatum intellectus, quia non omne ens est bonum, vel malum, quia adest aliquod indifferens, tamen probat, obiectum voluntatis esse quid communius ipso bono, quod solum dicunt aduersarij esse obiectum adæquatum intellectus.

166 Quartò, potest ostendi voluntati aliquod ens absolutè, scilicet nec sub ratione boni, nec sub ratione mali, sed sub ratione indifferenti, & si sub ratione boni, non tamẽ sub ratione boni volibilis propter se, nec propter aliud, sed sub ratione indifferenti: tunc voluntas potest velle illud absolutè, & absque fuga, vel prosequutione: & absque relatione ad aliud, & absque fruitione propter se, & potest vlterius imperare intellectui, vt inquirat, an sit bonũ, vel malum: & si bonum an propter se, vel propter aliud 4. Ratio.

volen-

volendum. Hoc autem potest euenire de quocunque ente, vt patet primo discenti; ergo ens in communi est obiectum adæquatum intellectus: non autem ens hoc, vel illud ens particulare. Assumptum probatum est in 1. dist. 1.q.3. de actu neutro.

Ad primã rõnem pro prima opinione.

167 Ad primam rationẽ pro prima opinione respõdetur rationem illam supponere falsum, quòd bonum, & finis sit obiectum adæquatum voluntatis, vt suprà ostendimus. Auctoritas autem Arist. 1. Ethicorum, & alibi est intelligenda de bono non pro formali, sed pro materiali, & de voluntate secundum inclinationem naturalem, & quò ad amorem concupiscentiæ, non de voluntate, vt est potentia libera, & quò ad amorem amicitiæ. Deinde illa ratio non concludit, voluntatem non esse quoque mediorum, quia media participant quoque rationem finis in communi: quia medium est finis sub fine, non vltimus, vt patet ex dictis suprà.

Ad secundam.

168 Ad secundam, fatemur, bonũ, & finem esse idem: nam licèt bonum, & finis pro formali sint quid diuersum, quia bonum est relatio conuenientiæ, vel perfectionis, vt suprà explicauimus, finis verò est relatio rationis fundata in re, ad quam cætera ordinantur siuè rectè, siuè non rectè, secundùm quod finis est verus, vel apparens &c. tamen pro materiali bonum, & finis sunt idem: quia illud ens, quod fundat relationem conuenientiæ, fundat quoque relationem finis, & tendentiæ rei in ipsam: at ex hoc non concluditur, quod ens illud solum sit obiectum volũtatis, quod fundat relationem boni, vel finis, sed quod illud solum sit obiectum voluntatis, secundum inclinationem naturalem, & secundum amorem concupiscentiæ, non adæquatè, & secundum quod est potentia libera, & secundum amorem amicitiæ.

Ad tertiã.

• 169 Ad tertiam respondetur, quod media duobus modis considerari possunt: vno modo vt media, & quatenus includunt relationem medij: alio modo, vt sunt entia absoluta, & sine relatione. Concedo, quòd primo modo non sunt bona, nisi bonitate finis, & quod non sunt volita nisi propter finẽ: at si cõsiderentur secundo modo dico, quòd habent propriam perfectionem, & bonitatem, & possunt esse obiectum voluntatis, & voluntas potest velle illa propter se, nõ propter aliud, vt fit in fine præstituto, & possunt diligi, & non diligi, sed odio haberi. Deinde dico, quòd hoc argumentum probat, voluntatem posse versari non solum circa ens, quod est finis, sed etiã circa ens quod non est finis, & bonum propter se; & sic habemus intentum, quod finis, & bonum propter se, non est adæquatum obiectum voluntatis.

Ad rationẽ pro secũda opinione.

170 Ad rationem pro secunda opinione: quò ad primam partem non est contra nos, vt visum est, sed nobiscum: quò ad secundam partem, iam confutata est hic, & 1. sent. d.1.q.4. vbi ostendimus, voluntatem posse velle malum sub ratione mali non amore concupiscentiæ, neque secundum inclinationem naturalem, sed amore amicitiæ. Probatum est etiam suprà, quòd voluntas potest velle indifferens, & quodcunque ens: ideò non est opus amplius ea repetere.

Utrùm imperium sit actus voluntatis, an intellectus, occasione secundi argumenti primo capite adducti.
Caput Nonum.

171 DIsputatio ista videtur potius posita in verbis, quã in re: est tamen necessaria propter Caietanum, & Recentiores, qui non benè percipiunt mentem Scoti, nec forsan D. Tho. & antiquorum, vt postea videbimus.

Opin. Thomistarũ, & quorũdam aliorum.

Hic sunt duæ sententiæ. Prima est Caietani p.2.q.17. a.1. Medinæ, Vasquez, & aliorum multorum ibidem, & censetur opinio D. Tho. eodem loco, qui dicunt, imperium esse actum intellectus. Pro hac opinione variæ auctoritates, & rationes adducuntur.

1. Ratio.

172 Primò. Est auctoritas Arist. 6. Ethicorum à capite 8. vsque ad 12. qui loquens de imperio animæ rationalis

constituit illud in intellectu: vnde cap. 10. ait, quod imperium est actus prudentiæ: prudentia autem est virtus intellectualis; ergo imperium est actus intellectus. Maior patet, quia Arist. habet hæc verba. *Non est autem idem sagacitas, & prudentia, prudentia namque præceptiua est finis enim ipsius est quid nam sit agendum, aut non agendum præcipere, sagacitas autem vis iudicandi dumtaxat.* Confirmatur. Prouerb. 8. de Sapientia dicitur. *Per me Reges imperant, & potentes decernunt iustitiam*; ergo.

173 Secundò. Arist. 1. Politicorum cap. 3. docet quomodo ratio imperat corpori imperio seruili, vt Dominus seruo, appetitui vero sensitiuo imperio politico, & ciuili, vt Rex ciui. Et 10. Ethicorum cap. 7. & 8. constituit felicitatẽ in actu intellectus, eo quod intetellectus sit præstantissima potentia animæ nostræ: at si imperare non esset actus intellectus, sed voluntatis, intellectus non esset potentia nobilior voluntate, nec præstãtissima animæ nostræ potẽtia. 2. Ratio.

174 Tertiò ratione probatur. Si imperium esset actus solius voluntatis, sequeretur, quòd patefacta voluntate superioris, inferior ipso facto ei obedire teneretur, absque aliquo præcepto. Consequens est falsum; ergo consequentia est euidens. Falsitas consequentis est clara, quia omnes Theologi tenent, quòd subditus non tenetur obedire superiori, licèt sciat voluntatem superioris esse, vt aliquid fiat, nisi illud à superiore subdito præcipiatur. 3. Ratio.

175 Quartò. Potest Iudex aliquid imperare, & tamen nolle, quòd illud fiat, & est verum imperium; ergo imperium non est actus voluntatis, sed intellectus. 4. Ratio.

176 Quintò. Si imperium est actus voluntatis, vel est volitio, vel nolitio: nõ secundum vt patet: nõ volitio, quia etsi ego intelligam Prelatum meum velle me facere aliquid, tamen non teneor nisi mihi illud præcipiat. 5. Ratio.

177 Sextò. Est ratio D. Tho. loco citato, quam Medina, Vasquez, & alij efficacissimam putant, quæ est, Imperare est substantialiter insinuare voluntatem superioris inferiori, idest proponere inferiori aliquid faciendum ex voluntate superioris, quod vulgò dicitur, intimare, siuè insinuare: sed insinuare, & proponere aliquid alicui est actus intellectus secundum substantiam; ergo secundum substãtiam est actus intellectus, licèt præsupponat actum voluntatis. Maior probatur, quia si imperare secundum substantiam esset actus voluntatis, præsertim esset affectus, quo volũtas mouet aliquid: & ita cum Angelus mouet lapidem, diceretur imperare lapidi, & lapidem obedire, quod est absurdum: quia obedire propriè conuenit creaturæ rationali. Cum ergo obedire sit proprium creaturæ rationalis, sequitur, quòd imperium sit actus intelligibilis à creatura: solus autem actus intellectus est explicatiuus rei: ideò imperium est actus intellectus quò ad substantiam. 6. Ratio.

178 Septimò. Pro eadem opinione faciunt omnes rationes, quibus ijdem auctores probare nituntur 1. 2. q.9. ar. 1. legem esse actum Intellectus, non voluntatis. Ratio autem principalis est, quia præcipere, sicut orare sunt actus intellectus, non voluntatis. Hoc assumptum probatur, quia eadẽ videtur esse ratio de imperio, & oratione: quia oratio ab imperio differt solum hac ratione, quod oratio est inferioris, & indigentis ad superiorem directa: imperium est superioris ad inferiorem directum. Addunt rationes superius adductas: quia etiam si constaret mihi de voluntate efficaci Dei, non deberem illi parere, nisi mihi esset manifestata, & intimata, tanquã volũtas superioris; ergo lex nõ est opus, siuè actus voluntatis, sed intellectus. 7. Ratio.

179 Ego hac in re non possum satis mirari viros doctos in hac quæstione ita enixè sustinere, imperium esse actum intellectus substantialiter, non voluntatis; cum tamen omnes vno ore fateantur, determinationes, & decreta prodire à volũtate, & proinde esse bona, vel mala prout sunt cõformia, vel contraria rationi rectæ: intellectum ipsum verò discernere, & cognoscere quid sit hoc, vel illud: an hoc illi conueniat, an non, & huiusmodi: attamen vt res hæc magis explicetur est probanda, & explicanda. Reijcitur.

Imperium esse actum voluntatis vera opinio.

180 In primis notandum est, quòd certissimum est,

ad im-

ad imperium, & legem, quæ est imperium quoddam; concurrere actus intellectus, & actus voluntatis; & ideò diuerso modo acceptum imperium posse dici actum intellectus, & actum voluntatis. Vndè D. Thom. 1.2.q.17. ar.1. non dixit, imperium esse prẹcisè actum intellectus, sed dixit esse actum intellectus prẹsupposito actu voluntatis: & hac ratione fortasse Scotus non disputauit de hac re contra D. Thom. licèt sustineat, imperium esse actum voluntatis vt nunc infrà ostendemus.

181 Cæterum difficultas est accipiendo imperium secundum propriam rationem formalẽ, & secundum substantiam, cuius potentiæ sit. Loquendo ergo de imperio in hoc sensu, puto, sententiam oppositã esse verissimam, scilicet quod imperium secundum substãtiam sit actus voluntatis, licèt cõcomitanter, siuè consequenter sit quoque actus intellectus. Hanc esse sententiam Scoti non dubito, hoc enim vbique supponit, vbi loquitur de imperio: nam in Prologo primi *Sent.* quæst. de praxi dicit, duos esse actus voluntatis, elicitum, scilicet, & imperatum: & declarat vtrumque; ergo sentit actum imperandi esse actum voluntatis. Hoc idem habet in multis alijs locis, sed prẹcipuè in 4. *Sent.* d.49.q.4. argumen. 3. quo probat, voluntatem esse nobiliorem intellectu, versiculo, *Tertium Medium.* Vbi probat voluntatem esse nobiliorem intellectu, quia voluntas imperat intellectui. Idem habet expresse eodem 4. dist. 14.q.2. concl. 4. Idem habet expresse in 2. *Sent.* dist. 6.q.1. in responsione ad primum argumentum pro opinione: vbi sustinet, electionem esse actum voluntatis, & sequi ad conclusionem syllogismi practici. Et quolibeto 17. art. 2. in principio. Et licè: hæc duo posteriora loca aliquis in alium sensum trãsferre posset, vt facit Vasquez 1.2. disp. dicens, quòd Scotus loquitur ibi de ordinare vnum in aliud, qui est actus competens intellectui, & etiam voluntati; tamen duo priora, & maximè illud ex 4. sunt euidentissima. Eandem opinionem sequuntur Henricus quolibeto 9. quæst. 6. D. Bonauent. in 3. dist. 17. art. 1. q.1. ad 3. In eandem sententiam citantur Okam, & Nominales Almainus, & alij.

1. Ratio.

182 Probatur aũt hæc sentẽtia primò auctoritatibus, deinde rationibus. Scotus in 4. dist. 49. quæst. 4. 3. medio, quo probat, voluntatem esse nobiliorem intellectu, adducit primò auctoritatem D. Anselmi de conceptu virginali cap. 4. vbi dicit, quod voluntas mouet se contra iudicium aliarum potẽtiarum, & quòd mouet omnes alias potentias secundum imperium suum; ergo imperium est actus voluntatis.

183 Secundò adducit auctoritatem D. Aug. lib. 17. de ciuitate Dei cap. 14. vbi D. Aug. dicit, quòd voluntas vtitur omnibus alijs potentijs: verùm quia D. Aug. hoc obscuro modo ibi dicit posset hæc auctoritas negligi.

184 Verùm ego adducere possem auctoritates multas, sed sufficiant istæ quæ mihi expressæ videntur. Idem D. Aug. lib. 2. de ciuitate Dei capite 19. inquit, quòd volũtas Dei est lex cẹlestis rei publicẹ; & verba eius sunt hẹc. *Et in illa Angelorum quadam sanctissima, atque augustissima curia cẹlestique Republica, vbi Dei voluntas lex est, clarissimum sibi locum etiam illa tollerantia comparare,* &c. Lex autem, & imperium idem sunt, etiam secundum aduersarios.

185 Præterea. D. Aug. Hom. 42. super illa verba orationis dominicæ. *Fiat voluntas tua sicut in Cœlo, & in terra,* per voluntatem Dei interpretatur præceptum, & iussionem Dei: hæc enim sunt verba eius. *Quid est ergo, fiat voluntas tua sicut in cẹlo, & in terra? vt quomodo mẽti nostra* (quam superioribus comparauerat Cẹlo) *placet tua iussio, sic ei consentiat caro nostra,* &c. Et paulò suprà, voluntatem Dei appellat, præceptum Dei, quod quando mente, & carne adimplemus, inquit D. Aug. tunc fieri voluntatem Dei in Cẹlo, & in terra: quia mens est Cẹlum, & caro nostra est terra: at iussio, & prẹceptum idem sunt, quod imperium; iussio autem, & præceptum sunt actus voluntatis Dei; ergo imperium est actus voluntatis. Et quod dicitur de voluntate Dei, dicendum est proportionaliter de voluntate creata: in hoc enim non differunt.

186 Confirmatur, quia aduersarij dicunt, quòd volũtas mouet omnes potentias inferiores quò ad exercitium, & hac ratione abusiuè dicitur imperare potentijs inferioribus, tunc sic. Si hoc esset verum, sequeretur, quòd in hac propositione, *Fiat voluntas tua,* voluntas significaret non imperium, sed motionem voluntatis diuinæ, quò ad exercitium omnes potentias in Cẹlo, & in terra: hoc autem est falsum, quia sensus petitionis esset, Motio voluntatis tuæ Deus moueat voluntates nostras. &c. qui est sensus ridiculus. Consequentia probatur: quia voluntas stãte aduersariorum opinione est motio ad exercitiũ illud; *fiat,* significat etiam motionem ad exercitium: cũ enim rogamus, vt fiat nobis sanitas, rogamus vt in nobis inducatur, & exerceatur motus, qui est ad sanitatem: at si intelligamus per voluntatem imperium, & legem, siuè iussionem Dei, sensus est congruus: erit enim hic sensus petitionis, *Fiat voluntas tua sicut in Cœlo, & in terra,* scilicet iussio, imperium, & præceptum tuum exequutioni mãdetur, siuè exerceatur actu à potentijs nostris in terra, sicut exequutioni mandatur ab ijs, qui sunt in Cœlo.

187 Præterea. Sermone 27. de tempore, qui est tertius de oratione dominica super eadem verba, *Fiat voluntas tua,* inquit, *Quis enim obstat Deo, quo minus fiat voluntas eius vbique? Sed hoc oramus, vt sicut in Cœlo fit voluntas eius vbi nullus offendit, ita virtutem animis nostris tribuat, vt eius voluntatem nos, qui sumus in terra facere, & implere possimus.* At tunc quis offendit Deum, cum eius legem, imperium, & præceptum non adimplet; ergo per voluntatem ibi accipitur lex, imperium, & voluntas, non exequutio, siuè motio diuinẹ voluntatis: quia motionem diuinam nemo offendere potest, cum ei nemo resistere possit, sed bene quis potest offendere imperium, & legem, ei non parendo.

188 Secundò principaliter probatur ratione adducta à Scoto in eodem 4. loco citato. Voluntas imperat intellectui, non intellectus voluntati: vnde communiter dicitur, quòd voluntas est Regina in regno animæ nostræ, quia ipsa imperat nedum potentijs inferioribus, sed ipsimet intellectui. Tunc sic. Actus est illius potentiæ, à qua exercetur, sed actus imperij exercetur à voluntate, nõ ab intellectu; ergo imperium est actus voluntatis, non intellectus. Maior est euidens. Dicimus enim videre esse actũ potentiæ visiuæ, & oculi: quia potentia visiua exercet, siuè elicit actum videndi: non est autem audictiuæ potentiæ, quia illa visionem non exercet. Minor quò ad vtrãque partem ex dictis quoque patet. 2. Ratio principalis

189 Sed respondent aduersarij, vt Medina vbi suprà, quod si voluntas est regina, intellectus est Rex, & Imperator, cuius officium est regere voluntatem. Vasquez verò vbi suprà videtur negare, quòd volũtas sit regina, quia tenet quòd sit ignobilior intellectu, eo quia in sua operatione pendet ab intellectu: est enim cẹca, ideò nisi regatur ab intellectu, non potest agere. Addunt Medina, & alij, quòd etsi voluntas imperet intellectui: quia tamen non imperat illuminando, intimando, & regendo, sed solum mouendo quò ad exercitium, non dicitur propriè imperare, & hoc est eorum fundamentum. Responsio aduersariorum.

190 Contrà. Imperium formaliter, & secundũ substantiam est actus obligans inferioris conscientiã ad obediendum superiori: at actus obligatiuus formaliter non est actus intellectus, sed actus voluntatis; ergo imperium formaliter, & propriè est actus voluntatis, nõ intellectus. Maior, in qua est tota vis, probatur: quia ablata ab actu imperij præcepti, & legis ratione obligandi subditum, aufertur essentia, & ratio formalis imperij: prẹceptum enim quod non obligat conscientiam inferioris, non est præceptum, nisi abusiuè, & ridiculè: & ideò imperium solum competit personis Superioribus, non æqualibus, nec inferioribus. Reijcitur.

191 Confirmatur, quia etsi intellectus intimet voluntatem

tatem alicuius alteri, si tamen illa voluntas non habeat vim coactiuam, & obligatiuam, illa intimatio, & manifestatio voluntatis non est præceptum, nec imperium, sed simplex loquutio; ergo substantia imperij non consistit in intimatione voluntatis alicuius, sed consistit in obligatione, & coactione voluntatis illius, cui fit intimatio. Cõfirmatur, quia non omnis intimatio voluntatis superioris ad inferiorem est imperium, & preceptum, sed solum intimatio illius voluntatis, quæ intendit obligare subditum ad operandum; ergo essentia imperij, & præcepti consistit in actu obligatiuo. Minor verò est euidens, & communiter concessa: quia actus obligandi sunt actus voluntatis; vnde obligationes omnes in actibus humanis tribuuntur voluntati: vnde non valent nisi sint voluntarij, & liberi, decreta etiam omnia, & pactiones tribuũtur volũtati; ergo actus imperij est essẽtialiter actus volũtatis, licèt cõcomitanter sit quoque intellectus, vt postea videbimus.

3. Ratio. 192 Tertiò. Actus imperij non est naturalis, & necessarius, sed liber: at actus intellectus omnes sunt necessarij, & naturales: actus verò voluntatis sunt liberi; ergo actus imperij est voluntatis, non intellectus. Maior probatur: nam actus imperandi est in potestate imperantis, ita quòd potest imperare, & nõ imperare; imperare hoc, & non illud; hoc, & non illo modo: vndè qui imperando sequitur dictamen rectæ rationis, & habet prudentię virtutem, dicitur rectè imperare: qui vero contra dictamen rectæ rationis, & ex aliqua passione, & vitio imperat aliquid, malè imperare dicitur; ergo in potestate imperantis est actus imperij: at actus, qui sunt in potestate agentis, sunt actus voluntatis saltem per se primò; ergo imperium est actus voluntatis. Minor est clara: actus enim intellectus tantùm sunt liberi, qui imperantur à voluntate. Vndè hac ratione pręcipuè voluntas dicitur Regina in regno animę nostrę, quia licèt ipsa sit cęca, & ægeat lumine intellectus, tamen apud ipsam residet potestas deliberandi de actibus agendis. Vndè intellectus, & potentiæ cognoscitiuæ illi inseruiunt, vt consiliarij inseruiunt Regi qui habito consilio, & consultatione eligit quid sibi placet, & decernit illud fieri, quandoque inhærendo meliori consilio, quandoque peiori; non solum ex ignorantia, sed ex passione, & aliqua animi perturbatione, non benè sedata; & tamen decretum eius est formaliter imperium, & obligat. Quod autem aiunt, decretum voluntatis non obligare nisi prius intimetur, infrà in solutione ad argumenta dissoluetur.

Voluntas cur dicitur regina in regno animę

4. Ratio. 193 Quartò, est argumentum Almaini, & Io. Medinæ cod. de pœnitentia tractatu 6. cap. 2. de oratione, & de imperio. Si imperium esset actus intellectus, vel esset simplex apprehensio, vel compositio, & diuisio, vel discursus; sed nullum horum esse potest; ergo. Maior est euidens, quia ex Arist. & ex cõmuni consensu, actus intellectus sunt tantùm illi tres. Minor probatur, quia si aliquis illorum trium esset pręsertim esset compositio: at hoc nõ, quia actus imperij explicatur per verba ista, *Fac hoc*, non autem per illa, *Faciendum est hoc*. Ista enim propositio potius explicat iudicium, & conclusionem syllogismi practici, quæ pręcedit imperium, non autem est imperium, vt patet, & perinde patet, quòd neque simplicium apprehensio, neque discursus est imperium: quia eorum conceptus non explicatur per ista verba, *Fac hoc*, Quæ explicant actum imperij.

Prima responsio. 194 Respondent aliqui dari quartum actum intellectus, qui est imperium, & pertinet ad intellectũ practicũ.

Reijcitur. 195 Hæc responsio reijcitur à Vasquez, & alijs, quia intellectus, ex eo quod sit practicus, vel speculatiuus non variat modum agẽdi, sed materiam, & finem: sicut enim speculatiuus versatur circa aliquid speculabile tãtùm, practicus verò circa aliquid ordinatum ad opus; ita practicus habet circa suum obiectum illos tres actus, quos habet speculatiuus. Respondet deinde ipse Vasquez, quòd est actus compositionis: nàm imperium est insinuatio, & expressio desiderij, & affectus voluntatis superioris ad inferiorem: in hoc enim differt imperium ab oratione, quod vtraque est expressio voluntatis, & desiderij, sed imperium est superioris ad inferiorem. Oratio vero est inferioris ad superiorem. Differt quoque à suasione, quia suasio est veluti amici ad amicum intimatio proprij desiderij.

196 Contrà. Primò pura compositio, vt est actus purus elicitus intellectus, non est intimatio, & insinuatio desiderij, & affectus voluntatis alicui inferiori, sed est simplex enunciatio conceptus illius, vt est in mente pręsens; ergo intimatio non est operatio, quæ dicitur compositio. Antecedens probatur, quia aliquis potest concipere, voluntatem habere illud desiderium; & tamen non intendere explicare alicui. Explicatio enim ista, & intimatio est loquutio quædam, quæ differt à simplici conceptione, & addit aliquid suprà simplicem loquutionem. At formalitas pręcepti, & imperij ex aduersarijs, est illa loquutio, & intimatio; ergo neque etiam in eorum doctrina imperium est actus compositionis intellectus. Consequentia est euidens. Sed his omissis, vt suprà dicebamus de ratione actus imperij, est, vt includat potestatem, & obligationem in subditum; & per hoc maximè opponitur orationi, cuius essentia, est, vt dicat subiectionem ad alterum: at in actibus intellectus nulla est potestas, nec vis obligandi, sed in actibus solius voluntatis: in actibus compositionis enim intellectus speculatiui est enunciare solùm hoc de illo: in actibus verò compositionis intellectus practici, est enunciare, hoc est bonum vel non bonum illi; sed non adest aliqua coactio, nec vis imperandi. Reijcitur.

197 Quintò possumus adducere rationẽ Scoti ex eodem 4. loco citato, qua probat, actum voluntatis esse nobiliorem actu intellectus, sic. Actus imperij est actus nobilior, qui fit in imperio, & regno animę nostræ; sed actus voluntatis est nobilior actu intellectus; ergo actus imperij est actus voluntatis non intellectus. Maior probatur, quia imperium dicit excellentiam, & superioritatem super alia; ergo in actibus animæ actus imperij est, qui supereminet omnes alios actus; & cõsequenter est nobilior illis. Minor verò, in qua est difficultas, probatur à Scoto sic. Ex Arist. 9. Met. tex. 15. Posterius generatione est prius perfectione, & finis est nobilior eorum, quæ sunt ad finẽ: at volitio est posterior generatione intellectione, & est finis intellectionis; ergo volitio est nobilior intellectione. Maior est clara. Minor probatur auctoritate Anselmi lib. 2. Cur Deus homo, cap. 1. & auctoritate D. August. lib. 19. de Ciuitate Dei cap. 14. vbi habet hæc verba. *Homini rationalis anima inest*, & paulò infrà. *Vt mente, aliquid contempletur, & secundum hoc aliquid agat*, & paulò post. *Vt aliquid vtile cognoscat, & secundum eam cognitionem vitam, moresque componat*. ergo ex D. August. cognitio ordinatur ad volitionem, qua quis rectè sciat se regere, & gubernare mores, & vitam componere. Ex hoc autem non solum habemus, actum voluntatis esse finem intellectionis, & consequenter esse nobiliorem, sed etiam intellectionem ordinari ad volitionem, vt ea sciat homo agere, & rectè gubernare se, & alia: actus autem gubernandi, & componendi vitam, & mores pertinet ad imperium; ergo actus voluntatis ex D. August. non solùm est nobilior actu intellectus, quia est eius finis, sed etiam est actus imperij. Data est enim cognitio homini, vt per eam mores componat, &c. componere autẽ mores, rectè viuere, &c. pertinet ad voluntatem; ergo cognitio data est homini, vt inseruiat voluntati, tanquam reginæ, & imperatrici in regno animæ, vt regere sciat. 5. Ratio.

198 Pro solutione rationum in oppositum, notanda est distinctio, secundùm quam rationes pręcipuæ in oppositum solui possunt, & quodammodo cõciliari possunt antiquiores Doctores, vt D. Thom. & cæteri cum Scoto. Imperium duobus modis considerari potest: vno modo quò ad essentiam pręcisè: alio modo quò ad concomitantia. Primo modo est actus voluntatis, vt probatum est. Secundo modo est actus intellectus: nam nisi lex, & decretum, siuè volitio illa, quæ est imperium, explicetur, & inti- Ad rõnes ĩ opposit.

metur,

metur, non potest obligare; non quia ratio obligandi consistat in illa intimatione: hæc enim, vt dixi, cõsistit in actu volũtatis, sed quia ad nihil obligamur, nisi illud sciamus; promulgatio enim legis est necessaria ad hoc, vt lex, & preceptum inducat obligationem; intimatio ergo est conditio necessaria imperio, & legi, sed extrinseca, & concomitans, ratione subiecti in quo exerceri debet, non essentialis, & intrinseca.

Ad primã rationẽ pro aduersarijs.

199 Ad primam rationem pro aduersarijs, in qua est eorum fundamentum principale, respondetur, eam non concludere pro aduersarijs, vt etiam notauit Vasquez loco citato cap. 2. quia Arist. accipit ibi imperare non pro actu imperãdi propriè dicto, sed pro iudicio, & dictamine recto, quo prudentia prescribit, quid voluntas debeat imperare: vnde prudentia se habet veluti Consiliarius, & Magister, vt ibidem exemplificat Arist. Intellectus enim mediante habitu prudentiæ cognoscit quid sit precipiendum, & imperandum ad consequendũ proprium finem, & illud proponit voluntati; voluntas postea eligit, vel reprobat, & imperat hoc vel illud fieri, vel nõ fieri. Et quòd hic sit sensus Aristot. conspicitur ex hoc, quia omnes fatentur, & experientia patet, consultationem, & iudicium precedere, deinde sequi imperium: imperamus enim fieri quod iudicauimus bonum, cõsultatio autẽ, & iudiciũ, siuè sententia, quæ pars sit bona, vel non bona, precedit electionem, & imperium: operatio autem prudentiæ terminatur ad sententiam, & iudicium, quod sequitur consultationem: consultatio enim, quæ Græcè Eubolia dicitur, & iudicium, quod Synesis Græcè dicitur, vel sunt partes prudentiæ, vel actiones illius, & in illis eius operatio terminatur, sequitur deinde electio quæ est actus volũtatis, & deinde imperium; sed imperium, & electio re idem sunt, sola ratione differunt. Ex quo sequitur, actum ipsum imperij esse quoque actum voluntatis, non intellectus; si quidem non est actus prudentię verè, & propriè. Vnde vti possumus hac distinctione, Imperium pertinere ad prudentiam, & ad intellectum potest intelligi duobus modis vno modo essentialiter, & per se: alio modo concomitanter, siuè antecedenter, & dictando; imperium pertinet ad voluntatẽ primo modo, pertinet verò ad intellectum, & prudentiam secundo modo.

200 Ad confirmationem ex scriptura tribuente imperium sapientię, respondetur similiter, sapientiam imperare non formaliter, sed dictando, & viam prebendo rectè, & secundùm virtutem imperandi.

Ad secũdã.

201 Ad secundam rationem ex auctoritate Arist. 1. Politicorum respondetur, quòd Arist. parùm distinxit inter intellectum, & voluntatem, vt infrà videbimus: ideò ibi per rationem intelligit totam partem rationalem hominis, scilicet mentem, & voluntatem, quæ contradistinguitur à parte sensitiua: ideò ex hoc non habetur quòd pars animę rationalis, quæ est intellectus, habeat pro propria operatione imperium; sed solùm, quod pertinet ad partem rationalem, quæ complectitur intellectum, & voluntatem; ad quam verò illorum pertineat imperium essentialiter, non habetur.

202 Ad aliud vero ex 10. Ethicorũ, respondetur, quòd intellectus inter potentias cognoscitiuas est nobilior: ideò Arist. loquens ibi de fælicitate speculatiua rationabiliter eam posuit in intellectu: at si Arist. cognouisset felicitatem nostram non solùm consistere in cognitione, sed in fruitione, & actu voluntatis, vt Christiani nouerunt, posuisset Beatitudinem magis consistere in voluntate, quàm in intellectu, vt diximus in q. An Theologia sit practica cap. 5. in fine, & infrà dicemus, & sic sustinuisset, voluntatem esse nobiliorem intellectu; sed hoc ignorauit, ideò in hoc ab ipso differunt Theologi.

Ad tertiã.

203 Ad tertiam respondetur, quod duplex est voluntas superioris, altera est efficax, & deliberata, altera inefficax, & complacentiæ tantùm: concedo quòd si voluntas superioris sit efficax, & sit nota inferiori, tenetur inferior, & subditus obedire.

204 Ad rationem contra hoc dico, quòd Theologi dicunt; quòd quando lex, & imperium non est promulgatum, & intimatum nõ obligat: quia excusatur inferior ob ignorantiam inuincibilem: neque enim obedire potest superiori, nisi cognoscat voluntatem superioris, quæ per intimationem, & promulgationem innotescit.

205 Vel dicamus, quòd Doctores Theologi, qui tenent, subditum scientem voluntatem superioris non obligari sinè precepto, intelligunt de voluntate inefficaci, non de voluntate efficaci, & determinata, quæ requiritur ad imperium, & ad legem condendam. Hæc enim cum est nota, inferiori est intimata, intimatio enim nihil aliud est quam exprimere, & explicare ipsam voluntatem superioris: ideò cum est nota, non eget alia intimatione.

Ad quartã.

206 Ad quartam respõdetur, quòd imperium, & preceptum impositum à superiori subdito absque voluntate obligandi, non est verum preceptum, nec verum imperium: quia ad hoc essentialiter requiritur in Superiori voluntas obligãdi subditum, tenetur tamen subditus obedire tali precepto, nisi ei constet de voluntate superioris non obligãdi: quia nõ obediendo ageret cõtra conscientiam; putaret enim quòd sit verũ preceptũ, & tamen non esset.

Ad quintã.

207 Ad quintam respondetur, Imperium esse volitionem. Ad rationem cõtra hoc respondetur vt ad tertium.

Ad sextã.

208 Ad sextam respondetur per distinctionem superiùs allatam, scilicet quod imperium duobus modis considerari potest: vno modo essentialiter, & sic est actus voluntatis, & est decretum, & volitio efficax, vt inferior faciat hoc vel illud: concomitanter verò est quoque actus intellectus scilicet quatenus ad tale decretũ, & imperium, vt obliget, necessaria est intimatio, & promulgatio. Nec D. Tho. vt puto, dissentit sed cõsentit, cum ait, quòd imperium est actus intellectus proueniens ex volũtate. D. Tho. enim cum ait, imperium esse actum intellectus, accipit imperium pro propositione materiali, quæ exprimit voluntatem superioris, & communiter dicitur lex, & preceptũ. Cum verò ait proueniens ex voluntate, apponit substantiam, & essentiam precepti, & legis. Quòd si aliter sentiat D. Thom. dissentimus ab eo, propter rationes adductas. Ad formam ergo argumenti negatur maior, loquendo de imperio pro essentiali, non de imperio pro concomitanti. Ad probationem, respondetur, quòd imperium non est affectus, quo voluntas mouet, sed est actus quo decernit, & efficaciter determinat inferiorem hoc vel illud facere. Cum verò dicitur, tunc sequeretur, imperium esse ad creaturas irrationales, negatur consequentia, quia diximus quòd ad hoc vt imperium obliget, & sit perfectũ, requiritur promulgatio, & intimatio, quæ solum fieri potest creaturæ rationali: ideò propriè loquendo imperium competit superiori in ordine ad creaturam rationalem, & intelligentem.

Ad septimam.

209 Ad septimam respondetur per idem: lex enim, quòad substantiam est actus voluntatis, concomitanter est actus intellectus. Ad probationem, quia videtur esse eadem ratio de oratione, & imperio, excepta illa differentia: respondeo hoc totũ concedendo, & ideò dico, quòd sicut imperium, & lex est actus voluntatis quo ad substantiam, sed concomitanter est actus intellectus: ita oratio quo ad substantiam est actus voluntatis, sed concomitanter est actus intellectus. Vndè sæpè fit oratio per simplicem affectum cordis, siuè voluntatis absque explicatione illius, & maximè cum oramus ad Dominum. Vnde est vulgatum illud Moysis Exodi 14. *Quid ad me clamas de terra*. & tamen Moyses nihil dicebat, orabat ergo tunc affectu voluntatis, desiderãs liberari populum suum. Cum ergo quis vult aliquid obtinere à Deo, & communiter à superiori, illa volitio est oratio, quam postea concomitatur explicatio desiderij, & volitionis, quæ fit per intellectum. Sed hoc est quid accessorium, & concomitans. Vndè si quis oraret, & non haberet volitionem internam illius, quod in oratione explicatur, illa non esset oratio, sed irrisio. Ad alia argumenta iam dictum est.

Vtrùm libertas sit in intellectu, vel voluntate, occasione tertij argumenti pro D. Tho. cap. primo adducti. Caput Decimum.

210 RES hæc difficilis est propter diuersitatem opinionum, tàm inter Philosophos, quàm inter Theologos: nam licèt clarissimum sit, quòd homo est liber, tamen videtur multum difficile inuestigare in qua parte hominis, & creaturæ liberæ sita sit hæc libertas. Et quia communiter libertas nostra dicitur sita in libero arbitrio, variæ sunt opiniones, quid sit istud liberum arbitrium. Nos ergo vt distinctè, & facilè rem hanc explicemus, primò disputabimus, An libertas sita sit in intellectu nostro, an in voluntate. Deinde ex resolutione huius difficultatis manifestabimus quid sit liberum arbitrium.

Tres opiniones de subiecto libertatis. 211 Quantùm ergo ad primum, tres sunt pręcipuæ opiniones de subiecto primo libertatis nostræ. Quidam dixerunt, eam esse tantùm in intellectu, non autem in volūtate. Quidam alij dixerunt, esse radicaliter in intellectu, formaliter in voluntate. Quidam tandem, esse pręcisè in voluntate.

1. Opinio. 212 Prima opinio est quorundam Philosophorum non exigui nominis, scilicet Alexandri Aphrodisei primo de Anima, cap. de phantasia, & tertio naturalium quæstionum, cap. 13. Auerrois 2. Physico. com. 48. Ludouici Boccaferrei, & aliorum, quos refert Franciscus Piccolomineus in sua Philosophia Morali gradu 2. cap. 40. Rationes autem pręcipuæ pro hac opinione videntur esse istæ.

1. Ratio. 213 Primò. Facultas libera debet cognoscere: at voluntas est facultas cæca; ergo voluntas non potest esse libera formaliter, & propriè. Maior probatur quia ex Arist. 8. Physicorum tex. 8. & 9. Met. tex. 10. facultas libera est, quæ est ad opposita; est autem ad oppositas, quia vtrumque oppositorum cognoscit, nisi enim cognosceret vtrumque oppositorum non posset se ad alteram partem determinare: cognoscere autem opposita est munus rationis, & vis cognoscitiuæ. Minor est communiter concessa: & ratio est, quia voluntas est appetitus, nullus autem appetitus est cognoscens, quia contradistinguitur à facultate cognoscēte.

2. Ratio. 214 Secundò. Ei facultati debet competere libertas, cuius officium est imperare, & regnare, præesse, & dominari: hoc munus competit intellectui, nō voluntati; ergo. Maior est nota. Minor probatur quia officium virtutis appetentis est exequi quod pręcipitur à ratione iudicante, & ratiocinante, qualis est intellectus: vnde Arist. 3. de Anima ait, intellectum, & appetitum esse principia motus, quia intellectus imperat, appetitus exequitur.

3. Ratio. 215 Tertiò. Ea vis, quæ est libera, debet esse efficiens, & mouens non autem solùm patiens, & mota: at voluntas est solùm patiens, & mota; ergo libertas non est in ea. Maior probatur: quia id, quod mouetur ab alio, dirigitur, & determinatur ab illo, seruit, patitur, non determinatur, nec regit. Minor quoque probatur: quia voluntas non potest operari nisi facto discursu, & confecto syllogismo explicitè, vel implicitè, cuius conclusionem voluntas necessariò postea sequitur. Quòd probatur, quia voluntas constringitur ferri in id, quod sibi à ratione ostenditur: vnde communiter Theologi, & Philosophi dicunt quòd existente perfecta scientia in particulari in intellectu, non potest esse peccatum in voluntate, quod inter alios disertè tradit D. Thom. in materia de peccatis. Et confirmatur exemplo: verbi gratia, quis vult dare deinceps operam vitæ rectæ instituendæ, facit hunc syllogismum. Qui vult salutem æternam consequi necesse est vt vitam rectam componat; sed ego volo vitam æternam consequi; ergo necesse est vt vitam rectè componam. Stante hoc discursu voluntas non potest non sequi illam conclusionem; ergo voluntas non est libera.

Cōfirmat. 216 Confirmatur, quia si libertas sit in voluntate, vt non sequatur conclusionem sibi ostensam ab intellectu, sequeretur, quòd existente recto iudicio ex parte intellectus, posset esse peccatum in voluntate, quia ipsa posset nō sequi illam conclusionem. Consequens autem est falsum, quia vniuersi Theologi dicunt oppositum.

217 Quartò. Illa potentia non est libera, quæ non valet se determinare, sed voluntas nō valet se determinare; ergo. Maior est euidens, in hoc enim consistit essentia libertatis potentiæ, vt ipsa se ipsam determinet ad alterum oppositorum, quod magis placet. Minor probatur, quia facultas indifferens ex sua natura non potest determinare se: quia tunc non esset indifferens: ab agēte enim æquali non prouenit actio, vt ait Auerroes 2. Physico. com. 48. nihil etiam mouet seipsum 8. Physicor. 40. 4. Ratio.

218 Quintò. Voluntas diffinitur, quòd sit desiderium boni cum ratione; ergo dum ei offertur bonum per rationem, voluntas non potest non velle bonum: quia tunc nō esset voluntas, & hoc maximè concludit, quia obiectum voluntatis est bonum. 5. Ratio.

219 Sextò. Si in voluntate esset sita nostra libertas, sequeretur, esse in facultate voluntatis credere hoc, vel illud pro libito: at hoc est falsum; ergo. Consequentia est clara. Falsitas consequentis est euidens; quia voluntas nō potest inducere nos ad credendum nisi, quod intellectus iudicat credibile; ergo voluntas constringitur ab intellectu ad id, quod ab intellectu proponitur; ergo libertas non est in voluntate, sed in intellectu. 6. Ratio.

220 Septimò. Libertas maximè est circa media ad finem, non circa finem: sed voluntas est tantùm circa finem, non circa media ad finem; ergo. Maior probatur, quia libertas est circa id, quod potest eligi, & non eligi: at finis est bonum, & bonum necessariò eligitur. Minor probatur quò ad primam partem: quia finis est obiectum voluntatis, est enim bonum. Probatur etiam quò ad secundam partem: quia media eliguntur per consultationē: consultatio est opus intellectus; ergo electio mediorum pertinet ad intellectum. 7. Ratio.

221 Octauò. Probare nituntur aliqui, quòd etsi libertas sit quoque in voluntate, tamen prius, & perfectiori modo est in intellectu quàm in voluntate, sic. Duo sunt actus, per quos homo est dominus suorum actuum, & habet libertatem. Primus est iudicium intellectus quo iudicat volibile aliquid particulare nō habere connexionem necessariam ad finem, & ideò iudicat, voluntatem posse illud velle, vel non velle. Secundus actus est actus ipsius voluntatis, quò liberè vult tale obiectum non necessariò connexum fini. Tunc sic. At primus actus regulat secundum; ergo primus actus est nobilior, & principaliter in ipso est libertas: at ille est actus intellectus; ergo. Antecedēs assumptum probatur: quia si intellectus concludit iudicio completo, medicinam esse necessariam ad salutem, voluntas necessariò tendit in illam; si verò non concludat necessarium esse, voluntas liberè, non tendit in illā; ergo actus voluntatis regulatur ab actu intellectus; ergo libertas est primò in actu intellectus. 8. Ratio.

222 Nonò. Alij probant, quòd intellectus sit æquè liber ac voluntas, sic. Conditiones requisitę ad potentiam liberam sunt tres. Prima, quòd sit potentia immaterialis. Secūda, quòd habeat obiectum vniuersale. Tertia, quòd indifferenter se habeat ad particularia contenta sub illo vniuersali obiecto: at omnes istæ conditiones æquè conueniunt intellectui, ac voluntati; ergo vtraque est libera æquè. Maior conceditur. Minor probatur quò ad primam conditionem; nam vtraque potentia est immaterialis, & inorganica. Quo ad secundam vtriusque obiectum est vniuersale, quia obiectū intellectus est verū: voluntatis bonum. Quò ad tertiam probatur quoque, quia sicut intellectus necessariò tendit in verum, tamen non necessariò assentit huic vero, vel illi cōclusioni, nisi euidenter deducatur ex primis veris: ita licèt voluntas necessariò tendat in bonum; tamen necessariò non adhęret huic bono, illi verò non, nisi constet quòd habet connexionem necessariam ad vltimum finem; ergo vtraque est æqualiter libera. 9. Ratio.

Secunda

Secũda opinio quæ est Thomistarum.

225 Secunda opinio est eorum, qui dicunt, libertatem esse radicaliter in intellectu, & formaliter in voluntate, quam expressè habet D. Tho. 1.2.q.17.art.1.ad.2.& q.6. art.2.ad.2.& p.p.q.83.art.1.in corpore, quem Caietanus hoc vltimo loco, Iauellus 9. Met.q.4. Soncinus. Medina p.2.q.6.art.2.& alij multi sequuntur. Fundamenta huius opinionis sunt argumenta adducta pro præcedēti opinione: nam Medina ait, quòd licèt illa non concludant libertatem esse formaliter in solo intellectu, tamen concludũt esse in intellectu radicaliter.

Fundamẽtum allatæ opinionis.

224 Proprium autem fundamentum, quod D. Tho. vbique ferè repetit, & habet expressè p.p.q.83.in corpore articuli, & Caietanus, Iauellus, & alij præsertim adducunt est istud. Primò asserunt, voluntatem sequi iudicium intellectus omnino, neque ab illo posse dissentire, vel illi aduersari, sed eius determinationē necessariò sequi. Ex hoc fundamento sequitur necessitas, vel libertas in actibus voluntatis; nam si intellectus iudicat aliquid esse simpliciter, & absolutè faciendum, voluntas necessariò illud facit; si verò intellectus non iudicat illud esse necessariò faciendum, sed propter diuersas circunstantias est dubius, & indeterminatus, & propter vnam rationem cōcludit vnam actionem esse faciēdam, propter aliam rationem concludit oppositam actionem esse faciendam; vel si debet fieri propter vnam rationem hoc modo, concludit, vt fiat propter aliam rationem alio modo: vt cōtingit in his, de quibus quærimus consilium, & intellectus habet syllogismũ, non demonstratiuum, sed probabilem, vt patet in dialecticis syllogismis, & rethoricis persuasionibus: tunc oritur libertas in voluntate, & quo ad specificationem, & quoad exercitium. Ex hac ratione dicunt, radicem libertatis esse in intellectu, quia scilicet videtur prouenire ex indifferētia, & diuersitate iudicij intellectus; sed quādo iudicium, & conclusio discursus intellectus est necessarius, & determinatus, actus voluntatis non est liber, sed necessarius. Exemplificat Iauellus, putà, Sortes cadens in manu volentis ipsum occidere, debet conari ad occisionem illius, vt se ipsum liberet: in hoc casu voluntas determinatur, & specificatur ad homicidium inimici, atque proinde in tali casu necessitas in actu illo voluntatis originatur, ab intellectus determinatione. Econuerso, cum quis ex consilio, & suasione alicuius efficit aliquid, libertas in illa actione voluntatis originatur ex indifferētia iudicij intellectus, qui pro neutra parte habet causam efficacem, & cogentem voluntatem. Dicunt tamen formaliter libertatem esse in voluntate, quia voluntas mouet se ipsam intrinsecè, & non mouetur aliunde, & mouet deinde omnes alias potentias ad operandum.

225 Ex his vlterius deducunt, vt patet apud Iauellum loco citato, quod desumpsit ex Caietano, quòd stādo præcisè in actibus intellectus, & vt nō sunt connexi cum actibus voluntatis, in eis est libertas: istud autem declarāt sic, In actu intelligendi circa obiecta, quæ nō necessariò mouent, sed sunt contingentia tria considerari possunt. Primum, obiectum præsens, quod mouet intellectum. Secundum est productio ipsius actus intelligendi. Tertium est iudicium ipsius intellectus super tale obiectum agibile de fiendo, vel non fiendo; vel de fiendo tali tempore, vel non, & sic de alijs circũstantijs. Ex his tribus duo priora non fiunt liberè, sed naturaliter, obiectum enim naturaliter mouet intellectum non liberè. Similiter intellectus naturaliter producit actum intellectionis, sed tertiũ est liberum, inquiunt ipsi, non naturale, scilicet determinatum, quoniam intellectus circa huiusmodi agibilia potest diuersimodè concludere, & iudicare, affirmatiuè, & negatiuè: nam de medicina tali sumenda ab infirmo secundùm vnam circunstantiam concludit affirmatiuè, secundùm aliam negatiuè; & ita respondendum est, aiunt, ad rationes probantes intellectum operari naturaliter, non liberè.

225 Antequàm has duas opiniones reijciamus, opus est explicare tertiam opinionem, quæ est Scoti principaliter, quem multi alij sequuntur, quia rationes, quæ valent pro confutatione præcedentium opinionum, confirmant opinionem Scoti.

Tertia opinio quæ est Scoti, & multorum aliorum.

226 Est ergo tertia opinio, quæ est Scoti vbique, sed præsertim in 2. Sent. dist. 25. & dist. 38. & 1. d. 2. q. An in Deo sint tantùm duæ productiones, & dist. 10. q. 1. tenet enim quòd voluntas sit essentialiter principium liberum, intellectus verò sit essentialiter principium naturale, & quòd ista duo sint principia prima, quæ non reducantur vnum ad alterum; neque ambo ad tertium. Vndè secundùm Scotum libertas est in voluntate, non solùm formaliter, sed etiam radicaliter, & nullo modo in intellectu.

227 Est tamen notandum, quòd aliquo modo secundùm Scotum potest dici, libertatem esse in intellectu radicaliter, sed, tamen alio modo quàm asserant Thomistæ: nàm certum est quòd volũtas est cæca, & nihil potest velle nisi quod sibi præostenditur ab intellectu; quatenus ergo intellectus intelligit res, & iudicat hoc esse bonum, illud malum: hoc rectum, illud obliquum: hoc fieri posse, & fieri non posse: quia habet causam probabilem, & contingentem non necessariam, & huiusmodi, voluntas potest eligere hoc, non illud; facere hoc, non illud, & eligere partem, quæ sibi magis placet, cognitio ipsa, & iudicium intellectus potest dici radix libertatis: quia est causa, sine qua libertas ipsa in voluntate non potest exire in actum: at ex hoc non sequitur quòd intellectus in iudicio suo, vel in aliquo actu sit indifferens, & sit in potestate sua iudicare, hoc esse bonum, vel non bonum; hoc esse futurum, vel non futurum: quia naturaliter mouetur ab obiecto, & à causa: ideo qualis est causa, talis est effectus, & iudicium, siuè conclusio ipsius: ideo si causa est necessaria, facit conclusionem syllogismi practici, necessariam; si est probabilis facit conclusionem probabilem; si contingens facit iudicium, & conclusionem contingentem. Non ergo intellectus ex se habet vllam indifferentiam, & libertatem ad iudicandum, sed determinatam, & naturalem, quæ prouenit à causa, & medio inducente intellectum ad syllogizandum, & faciendum iudicium. Thomistæ autem vidētur velle, quòd libertas sit in intellectu hoc secũdo modo; ita quòd libertas sit primò in intellectu, & secundariò, & completè in voluntate: esse enim libertatem formaliter in voluntate videtur secundũ Thomistas esse idem, quod libertatem esse completè in voluntate: volunt enim quòd iudicium sit in facultate intellectus iudicantis, ita quòd possit iudicare, & non iudicare, iudicare hoc, & iudicare oppositum, vt patet ex Medina p.2.q.6.a.2. in hac quæst. conclusione 4. hoc autem nos dicimus esse falsum, & eam in hoc sensu reijciemus, quòd si velint aliqui illam interpretari in sensum nostrum, erimus concordes, & discrimen erit solũ in verbis. Vt autē intelligatur diuersitas opinionis nostræ à Thomistis possumus vti hac distinctione, libertatē esse radicaliter in intellectu potest intelligi duobus modis. Vno modo quòd indifferentia, & libertas eligendi, vel fugiendi incipiat in intellectu, & compleatur in voluntate, itaquòd aliquo modo intellectus sit liber, & indifferens in actibus suis, & in iudicando, vel non iudicando. Alio modo, quòd cognitio intellectus sit causa, sine qua non libertatis voluntatis, quòad actus secundos. Thomistæ tenent primo modo, nos secundo modo; tenemus enim nos, voluntatem solam essentialiter esse liberā, & libertatem originari primo à sola voluntate, non ab intellectu: tamen non posse exercere actus suos liberos, nisi præcedat cognitio intellectus; quia est cæca, nec potest circa aliquod obiectum habere actum, neque hoc, vel illo modo, nisi cognoscatur ab intellectu. Super est modo, vt opiniones istas reijciamus, & simul opinionem Scoti comprobemus.

Prima opinio reijcič.

228 Contrà primam opinionem, quæ ab omnibus ferè derelinquitur, sunt rationes efficacissimæ in particulari, quæ probant, libertatem nullo modo, propriè loquendo, esse in intellectu; deinde sunt rationes, quæ probant, libertatem formaliter, & propriè esse in voluntate, quæ

ipsam quoque falsam esse probant. Contra ergo eam opinionem in se ratio prima est, quam facit Scotus in 2. distinct. 25. §. *Dico ergo ad quæst.* ratione secunda, & elicitur quoque ex dist. 38. in corpore quæstionis, & supponitur ferè vbique.

229 Intellectus est potentia naturalis; ergo non est libera. Consequentia est euidens; quia liberum, & naturale opponuntur. Antecedens probatur in hunc modum, quæ probatio à Scoto supponitur. Omnis libertas ad duo membra reducitur, secundùm omnes: nam quod est liberum, vel est liberum quò ad specificationem obiecti, vel quò ad exercitium actus: at intellectus neutro modo est liber; ergo. Minor, quò ad partem vtranque probatur, & primo quò ad specificationem: nam intellectus mouetur à phantasmate, & nihil potest intelligere, nisi quod sibi à phantasmate præsentatur, iuxta illud ex tertio de anima, oportet intelligentem phantasmata speculari: at si intellectus esset liber quò ad specificationem, contingere posset vt intellectus præsentato obiecto, & phantasmate posset illud non intelligere, & præsentato tali phantasmate, vt puta igne, posset nolle intelligere illum, sed aliud, vt puta aquam, vel aliquod aliud obiectum diuersum. Consequens est apertè falsum. Consequentia verò est euidens, quia si intellectus naturaliter non mouetur ab obiecto, & specificatio in actu intellectus circa obiectum non sit naturalis, ita quòd intellectus non determinetur ex motione obiecti, & phantasmatis ad intelligendum illud, quod sibi præsentatur, & quod ipsum mouet, poterit intellectus illo phantasmate præsentato non intelligere, & aliud obiectum ad libitum intelligere, sicut voluntas, præsentato aliquo obiecto, potest illud velle, vel nolle, & aliud obiectũ ab illo eligere, & velle.

230 Præterea. Passio non est in potestate patientis: at intelligere, licèt sit actio, est tamen quoque passio, saltem concomitanter, & nihil intelligit, nisi illud, à quo patitur; ergo intellectus in intelligendo obiectum non est liber, sed naturaliter est determinatus ad agendum circa obiectum, quod sibi proponitur. Maior est euidens. Minor patet ex Arist. 3. de anima tex. 2. vbi ait, quòd intelligere est sicut sentire, & quòd proinde intelligere est quoddam pati; tunc sic. Quod agit præcisè in eo, à quo patitur, specificatur ab eo obiecto, à quo patitur ad agendum; sed intellectus agit in obiectum, eo quia patitur ab obiecto; ergo ab obiecto specificatur ad agẽdũ in se ipsũ, & nõ in aliud.

231 Præterea confirmatur hæc pars ex probatione alterius partis, scilicet quòd intellectus non sit liber quò ad exercitium actus, neque enim potest esse liber quò ad specificationem obiecti, nisi sit liber quò ad exercitiũ actus; si ergo ostenderimus, intellectum non esse liberum quò ad exercitium actus, patebit quoque, eum non esse liberum quò ad specificationem obiecti. Quod autem intellectus nõ sit liber quò ad exercitium actus, est clarissimum: tunc enim præsentato obiecto in phantasmate posset non elicere actum intellectionis, quòd est omnino absurdum, sicut est absurdum, quòd ignis præsentato combustibili, & nullo habito impedimento, non comburat.

232 Præterea. Si aliquis actus intellectus esset liber, maximè esset actus qui dicitur iudicium: at hic actus non est liber; ergo nullus actus intellectus est liber. Maior ab Aduersarijs conceditur (dicunt enim intellectum esse liberum ratione iudicij), & probatur; quia triplex est actus intellectus, simplicium apprehensio; cõpositio, & diuisio; & discursus. In simplicium apprehensione nulla est libertas, quia non est in potestate nostra apprehendere hunc terminum hoc modo vel illo; sed debemus apprehendere eos sicuti sunt, alioquin illa apprehensio non esset vera, sed falsa. Idem dicendum de compositione, & diuisione: neque enim est in potestate nostra facere compositionem veram, vel falsam: & denique omnes concedunt simplicium apprehensionem, compositionem, & diuisionem, quæ omnes sunt veræ, vel falsæ, non esse actiones, quæ sint sitæ in libertate humana, sed esse naturales operationes intellectus. Quòd verò iudicium, quod est conclusio discursus, & syllogismi non sit quoque in potestate nostra est clarum, & euidens: nam quòd hæc cõclusio deducta ex his præmissis sit vera, vel falsa: vel quòd hæc conclusio sequatur ex illo medio, & causa, vel non; non est situm in libertate nostra, sed ex natura rei sequitur. Probatur ex Arist. vbique in libris Posteriorum præsertim cap. 6. vbi per totum probat quòd si principia sunt necessaria, cõclusio quoque est necessaria, si principia sint falsa vel cõtingentia, conclusio, & iudicium est falsum vel contingẽs. Iudicium ergo est tale, quale est medium, à quo pendet, sed medium est causa naturalis; ergo cõclusio est effectus naturalis; cum ergo nullus actus intellectus sit liber, absurdum est dicere, libertatem esse propriè in intellectu.

233 Ex hoc impugnatur secunda opinio, quæ est Thomistarum: nam falsum est, intellectum esse liberum quò ad iudicium; actus enim necessarius non potest prouenire à causa libera, & contingenti; sed actus iudicij est actus necessarius; ergo non potest esse liber, & contingens. Ex hoc sequitur, quòd causa à qua prouenit, est causa necessaria; si enim esset causa libera, liberè produceretur, & contingẽret nõ necessariò: at prouenit ab intellectu, est enim actus intellectus; ergo intellectus est causa naturalis, non libera, etiam circa actum iudicij; ergo falsum est quòd radix libertatis propriè sit in intellectu. Quòd autem actus iudicij sit necessarius, iã suprà probatũ est: quia iudiciũ est conclusio syllogismi: conclusio autem necessariò est talis, quale est medium, adeo quòd non est in optione, & potestate intellectus deducere ex præmissis iudicium, & conclusionem, quæ sibi placet, sed eam quæ in talibus præmissis continetur: ideò respectu eius nulla est indifferentia in intellectu. Opin. Thomistarum reijcitur.

234 Præterea. Indifferentia, quæ est libertas, est potentia ad vtrumlibet, ita quòd significat habitudinem intrinsecam ad actum cum proxima potestate ad oppositum: at indifferentia intellectus ad iudicandum hoc, vel illud esse faciendum, non est indifferentia intrinseca potentiæ intellectus cum potestate proxima ad oppositum, sed oritur hæc indifferentia à diuersis causis, & medijs, quæ successiuè obijciuntur ipsi intellectui, & proindè ipsum mouent ad hoc, vel illud iudicium; ergo illa indifferentia non est verè, nec propriè libertas.

235 Præterea. Potentia, quæ verè est radix prima libertatis, non determinatur ab alia potentia ad hoc, vel illud agendum, sed ipsa seipsam determinat, sed intellectus determinatur à voluntate ad cogitandum hoc, vel illud: immò etiam ad credendum hoc, & non illud, vndè propter hoc, actus fidei est meritorius; ergo intellectus nõ est radix libertatis. Maior probatur, quia quod ab alio determinatur ab illo pendet, & determinatur, non autem determinat illud; sed quod est radix libertatis verè, & propriè aliud determinat.

236 Præterea. Falsum est, quòd vnquam intellectus determinet voluntatem ad aliquid agendum, quod probatur stãdo in exemplo allato à Iauello: nam falsum est, quòd Sortes cadens in manu inimici volẽtis eum occidere, determinet voluntatem ad conari occisionem inimici, vt saluet seipsum, natura dictat quidem, & suadet ad occisionem inimici propter rationem, & causam rationabilem, quæ est defensio propria, sed non determinat: vndè est in potestate Sortis conari in occisionem inimici vel nõ conari, sed sinere se occidere; quod postea, an rectè fiat, vel non, non disputo modo; sed satis experientia patet esse in potestate Sortis illum conatum: ideò falsum est, quòd intellectus in illo casu determinet voluntatem ad aliquid faciendum.

237 Tandem arguunt alij, Omnis actus liber est voluntarius, at nullus actus intellectus est voluntarius; ergo nullus actus intellectus est liber. Maior probatur experientia: quia si aliquis quærat ab aliquo, quare hoc facit, non illud, respõdebit, quia vult. Minor quoque probatur: quia actus intellectus ideò sunt liberi, quia sunt imperati à voluntate:

luntate: probatur, nam si quis quærat ab aliquo, cur potius in huius rei consideratione detinetur, quàm in alia; & cur hoc magis credat quàm aliud, respondebit, quia vult, & propter hoc actus fidei apud nos est meritorius, vt suprà dicebamus.

Libertatẽ esse propriè in voluntate. 238 Eædem opiniones reijciuntur insuper per rationes probantes in voluntate formaliter, & propriè esse libertatem: quarum prima sit auctoritas ex Scriptura sacra, quæ maxime Thelogos cogere debet: nam ad Corinthios 1. cap. 7. dicitur. *Non habens necessitatem sed potestatem suæ voluntatis.* (1. Ratio.)

2. Ratio. 239 Secundò. Concilium Tridentinum, sessione 6. cap. 5. expresè docet, hominem liberum esse ad cooperandum, vel ad resistendum gratiæ libera sua voluntate.

3. Ratio. 240 Tertiò. Est communis doctrina Sanctorum Patrum, ex quibus sufficiat D. August. qui vbique in sua doctrina opera liberè facta à nobis, dicit facta à voluntate, præsertim autem libro primo Retractationum cap. 9. vbi considerans multa dicta in alijs libris contra Pellagianos de libero arbitrio ostendit, libertatem faciendi malum, & bonum, esse sitam in libertate nostra, & habetur ibi illa celebris auctoritas: *quid enim tam in voluntate, quàm ipsa voluntas sita est?* & illud aliud. *Nihil tàm in potestate nostra est, quàm ipsa voluntas.* In quo loco etiam ostendit, voluntatem esse primam radicem libertatis faciẽdi actũ peccati, & nullam causam peccati ante ipsam dari: quia tunc voluntas non peccaret malè agendo, quæ est ratio efficax contra opinionem Thomistarũ, qui volunt, quòd prima libertas sit in intellectu. Idem passim habetur tribus libris de libero arbitrio, & libro vnico de libero arbitrio ad Valentinum, vbi totam libertatem nostram ponit in velle, & nolle; omne enim nostrum velle, & nolle est liberum: at velle, & nolle sunt actus voluntatis; ergo libertas est in voluntate nostra, Et lib. 3. de libero arbitrio cap. 3. ait, quòd voluntas nostra non esset voluntas, nisi esset in potestate nostra, & non esset libera, quæ est celebris illa propositio D. August. Voluntas non esset voluntas, nisi esset libera.

241 Ex his auctoritatibus, & ex concessis elicitur efficacissima ratio contra secũdam opinionem, quæ est Thomistarum: nam Thomistæ dicunt, quòd voluntas determinatur à iudicio intellectus ad volendum hoc, vel illud: vnde contendunt, voluntatem non posse determinari ad actum liberum, nisi præcedat in intellectu iudicium definitum; & propter hoc dicebant Ianellus, & alij, quod si intellectus concludat, & iudicet hoc necessariò esse faciendum, voluntas necessariò illud efficiet: vt quod incidens in aliquem volentem ipsum occidere ad sui defensionem necessariò determinabit inimicum esse occidendum; hæc enim assertio tollit libertatem formalem à voluntate, quòd est contra auctoritates adductas, & concessa. Consequentia verò probatur; quia si iudicium intellectus est causa necessaria determinans actum liberum voluntatis, ita vt illo iudicio posito voluntas non possit non consentire illi; ergo voluntas positis requisitis omnibus ad actum suum producendum non est potentia libera, quæ possit velle, vel nolle, & nõ velle: at ex auctoritatibus adductis habetur, quòd libertas in volũtate est talis, quòd positis omnibus requisitis ad actum suum eliciendum, adhuc potest elicere actum suum, & non elicere; velle, & non velle.

Responsio Medinæ. 242 Sed fortasse, quis respondebit, vt innuere videtur Medina loco citato, voluntatem esse liberam, quia potest iudicium intellectus antequertere, & tollere.

Refellit. 243 At hæc responsio non tollit argumentum: quia licèt volũtas posset tollere illud iudicium, idest facere, quòd intellectus de aliqua alia re cogitet; tamẽ voluntas facere nõ potest, quòd stãte illo medio, & causa, à qua iudicium, & conclusio practica prouenit, intellectus non faciat illud iudicium. Vndè si illud iudicium est causa necessaria, actus voluntatis erit necessarius, non liber: quia stante illo iudicio non poterit aliud velle nisi qđ causat illud iudiciũ.

244 Preterea. Tunc sequeretur, quòd libertas in actu voluntatis non solum radicaliter esset in intellectu, & formaliter in voluntate, sed radicaliter, & formaliter esse in intellectu, nullo modo autem in volontate: quia voluntas ipsa non se ipsam determinaret, sed determinaretur ab intellectu, quòd autem determinatur ab alio non est formaliter liberum.

245 Quartò. Est ratio efficax Arist. 9. Methaph. tex. 10. quam Scotus adducit 1. Sent. d. 2. q. 4. in respõsione ad argumenta principalia, & 2. d. 25. §. *Dico ergo ad quæst.* & alibi passim, qua probat, libertatem non esse in intellectu, sed in voluntate, seu appetitu: ratio autem est hæc. Ponit ibi Arist. discrimen inter potentias rationales, & irrationales per hoc, quod irrationales, posito obiecto, non possunt non agere; vt posito combustibili potentia calefactiua ignis non potest non comburere. Potentiæ verò rationales, posito obiecto, possunt agere, & non agere; vt posito cibo homo potest comedere, & non comedere. Assignans deinde rationem discriminis *Aristot.* inquit, illud esse, quod potentiæ irrationales sunt determinatæ ad vnum, rationales verò nequaquam, sed sunt oppositorum contrariorum. Sortes enim potest ire in plateam, & non ire; speculari hoc, & non speculari hoc. Ex hoc autem sequitur, quòd si potentiæ rationales essent determinatæ ad agendum præsentato obiecto, siuè passo, simul efficerent oppositos actus, quod est impossibile, scilicet, quòd intellectus specularetur hoc, & nõ specularetur hoc, &c. Ex hoc deducit Philosophus, necessarium esse dari aliquam facultatem inter potentias rationales, quæ sit libera, & habeat hanc proprietatem, vt in sua potestate sit determinare potentiam ad hoc, & illud efficiẽdum, prout sibi placet; & hanc ait esse appetitum, & proheresim. Ex hoc loco habet, quòd potentia rationalis est libera, sed non tota, sed solum aliqua eius portio: constat enim, quòd potentia rationalis integratur ex intellectu, & ex voluntate siuè appetitu rationali, & quod intellectus nõ habet in potestate sua, præsentato obiecto intelligibili, & existentibus omnibus requisitis non potest non intelligere, sicut nec sensus, præsentato obiecto, & non impedito, non potest non sentire. Relinquitur ergo, quòd potentia libera in facultate rationali sit voluntas, & appetitus rationalis. (4. Ratio.)

246 Et confirmatur, quia intellectus non determinatur naturaliter ad vnum obiectum intelligendum, sed ad opposita, itaquòd est causa naturalis indeterminatè; ergo si sibi relinqueretur in opposita simul tendere: quia non potest se ipsum determinare. Quia autem est impossibile tendere in opposita simul, necesse fuit, vt daretur altera potentia libera, quæ ipsum determinaret ad hunc, vel illum actum.

247 Quintò. Contra id, quòd dicunt, intellectum determinare voluntatem quò ad actum liberum, sic arguit Scotus vbi suprà. Si actus liber, & contingens voluntatis proueniret à determinatione intellectus, sequeretur quòd omne agens liberè, & contingenter, sic liberè, & contingenter ageret ex aliqua deceptione, & paralogismo in intellectu suo. Consequens est falsum; ergo, & antecedens. Consequentia probatur, quia intellectus non potest determinare voluntatem indifferenter ad alterum contradictoriorum, putà hoc fore, vel non fore; nisi de vno demonstrando, & de altero paralogizando, siuè sophisticè syllogizando, itaquòd in concludendo, decipiatur, ex hoc patet consequẽtia, nam ex hoc sequitur, quòd altera pars contradictorij fiat in potestate voluntatis propter paralogismum, qui est in intellectu: si enim intellectus solum demonstraret, & determinaret voluntatem ad vnam partem, scilicet ad veram, sic voluntas non esset libera; ad hoc ergo vt sit libera necesse est vt intellectus determinet voluntatem ad eligendum alteram partem: nõ potest autem illam determinare ad alteram partem, nisi ostendẽdo ei causam illius; illa autem causa non potest esse vera causa: quia jam oppositum contradictorium demonstra- (5. Ratio.)

tur futurum per veram causam: non possunt autem duo contradictoria esse vera simul, quia nulla est causa vera, quæ sit simul causa contradictoriorum effectuum, quoniam illa dari non possunt; ergo determinabit voluntatem ad alterum cōtradictorium propter paralogismum, & deceptionem, quam habet in intellectu. Falsitas consequentis probatur, tum quia Deus omnia ad extra liberè producit, & tamen in intellectu diuino nulla est deceptio, nec paralogismus, tum quia perfectio non originatur ab imperfectione, & à vitio: agere liberè est perfectio magna creaturæ rationalis, Angelicæ, & humanæ: deceptio est imperfectio maxima; ergo libertas in anima rationali, & natura intellectuali non potest prouenire ab ignorantia, & deceptione. Antecedens verò illud assumptum, quòd intellectus non possit determinare voluntatem ad opposita, nisi de vno demonstrando, & de altero paralogizando, licèt non probetur à Scoto, est euidens etiam supra probatum: quia cum duo contradictoria sint impossibilia simul, non possunt simul habere veram causam: quia, si haberent veram causam, possent esse in rerum natura simul: at non possunt esse simul; ergo non vtrunque habet veram causam, sed alterum illorum tantùm; ergo intellectus non potest habere causam demonstratiuam de vtroque, sed de altero tantùm, & ideo si iudicat alterum futurum, necesse est, quod hoc efficiat per causam apparentem, & falsam, & sic paralogizat.

6. Ratiò. 248 Sextò. Potentia naturalis non potest esse causa alicuius indeterminationis, quia est maximè determinata, determinatum autem non potest esse causa indeterminati effectus: at intellectus est potentia naturalis ex D. Augustino lib. 3. de Trinitate, & multis alijs locis: propter quod tenet, intellectum esse principium appropriatum respectu productionis filij, qui maxime naturaliter producitur.

7. Ratio. 249 Septimò. Si intellectus esset prima radix libertatis, sequeretur quòd non posset intelligi intellectus, & appetitus intellectiuus sine libertate. Consequens est falsum; ergo. Consequentia est euidens, quia nihil potest esse, & intelligi sine repugnantia absque ijs, quæ sunt de intima ratione ipsius. Falsitas consequentis probatur, quia posset fieri à Deo Angelus (sicut fingit Anselmus de casu diaboli cap. 12.) qui haberet intellectum, & appetitum tantùm respectu affectionis commodi, & non data ei esset affectio iusti, iste Angelus non posset appetere nisi intelligibilia, & hoc per modum naturæ, sicut appetitus sensitiuus appetere potest tantùm conuenientia secundum sensum.

8. Ratio. 250 Octauò. Arguunt alij, & reddit in ea, quæ diximus. Electio est proprium opus libertatis; sed electio omnium Philosophorum consensu, est actus voluntatis; ergo voluntas est formaliter, & propriè libera. Maior probatur, quia ideò dicimur liberi, quia ex diuersis medijs propositis vnum possumus eligere, & aliud relinquere.

9. Ratio. 251 Nonò. Habere libertatem est habere dominium nostrorum actuum: habere dominium nostrorū actuum est habere facultatem vtendi actibus nostris pro arbitratu nostro, vti est actus voluntatis, vt patet; ergo libertas est sita in voluntate nostra.

10. Ratio. 252 Vltimò. Clarum est, voluntatem nostram posse velle, & nolle: posse hoc eligere, illud refutare, potest agere, & non agere; ergo libertas est sita in voluntate quæ omnia clarissima, & communiter concessa sunt.

Pro hac eadem assertione, & contra opinionem Thomistarum faciunt argumenta, quæ infra faciemus ad probandum, voluntatem non moueri in actibus suis ab obiecto, neque ab intellectu, neque ab vllo alio principio externo.

Ad rationes in oppositum. 253 Pro solutione rationum in oppositum notandum est, vt ait Scotus in 2. d. 25. §. *Dico ergo ad quæstionem*, &c. quod intellectus potest accipi duobus modis: vno modo per se, & secundum propriam rationem formalem, quatenus est principium productiuum proprij actus, qui est intelligere, & contradistinguitur ab operatione voluntatis: alio modo accipitur intellectus, quatenus est potentia practica respectu agibilis ad extra, & sic complectitur omne illud, quod pertinet ad potentiam rationalem operatiuam, vt contradistinguitur à potentia irrationali, & naturali. De intellectu primo modo est sermo 3. de anima à text. 1. vsque ad 40. vbi est sermo de intellectu possibili, & agente. De intellectu secundo modo est sermo in libris Ethicorum semper, & 9. Met. text. 10. & 2. Phisicorum à text. 49. & accipiendo hoc secundo modo intellectum Arist. pro eodem accipit actum intellectum, propositū, electionē, & appetitū. Intellectus secundo modo acceptus includit totam potentiam rationalem scilicet intellectum, & voluntatē simul: hoc enim modo potentia rationalis contradistinguitur à potentia naturali 9. Met. text. 10. Arist. autem parum loquutus est de volontate per se sola distincta ab intellectu, ideò liberè agere, quod est prædicatum proprium voluntatis, tribuitur ab Arist. potentiæ rationali, & intellectui, sed nō debet intelligi, quòd hoc tribuat intellectui per se, & propriè sumpto, vt contradistinguitur à voluntate, sed ipsi voluntati, quæ intellectus, & ratio dicitur, vt diximus.

254 Hinc ad primam rationem in oppositum negatur maior. Ad probationem, concedo, facultatem liberam esse ad opposita: cum infertur, quòd ideò est ad opposita, quia vtrumque oppositorum cognoscit, nego hanc propositionem: non enim causa, propter quam voluntas est ad opposita, est, quia cognoscat opposita, sed quia essentialiter est libera, & indeterminata. Requiritur autem cognitio extremorum ad hoc, vt possit exire in actum, sed hoc non habet ex se ipsa facultas libera, sed habet ex alia facultate, scilicet ab intellecto, quia ipsa per se est cęca. Ad primā rationē aduersariorū.

255 Ad secundam negatur minor. Et de imperio satis suprà diximus ostendendo illud esse actum voluntatis, non intellectus. Ad probationem, cum dicitur, officium appetentis esse exequi, quod præcipitur à ratione ratiocinante. Respondetur in primis falsum esse, rationem, idest intellectum propriè acceptum præcipere: solum enim ostendit quid sit faciendum, vel non faciendum, & vlterius nihil facit; voluntas postea est, quæ eliciendo actum per se ipsam exequitur, quod sibi à ratione monstratum est: vel imperando, per alias potentias illud idem exequutioni mandat, & hac ratione appetitus dicitur potentia exequutiua. Cum verò dicitur, ratio præcipit, ibi per rationem accipi debet appetitus rationalis scilicet voluntas, vt dictum est. Vel potest dici, quòd generaliter cum dicitur, ratio præcipit, potentia appetitiua exequitur, ibi per rationem accipitur potentia rationalis integra, quæ complectitur intellectum, & voluntatem; per appetitum verò intelliguntur omnes potentiæ sensitiuæ inferiores; sed loquendo propriè, & formaliter, est dicendum vt in prima responsione. Ad secundam.

256 Ad tertiā negatur minor. Ad probationē Respondetur aliquid aliud mouere contingit duobus modis: vno modo per modum famulantis, & seruientis: alio modo per modum dominantis & imperantis. Intellectus mouet voluntatem per modum seruientis, & famulantis, non per modum dominantis, & imperantis. Libertas est in eo, qui mouet secundo modo, non in eo, qui mouet primo modo. Concedo ergo, quòd voluntas non potest operari nisi facto discursu, & syllogismo; sed nego quòd voluntas postea necessariò sequatur iudicium, & conclusionem illius syllogismi: semper enim in optione voluntatis est exercere actum, vel non exercere: & velle, vel non velle illud obiectum. Ad axioma Theologorum dico, quòd illud non est verum absolutè: quia Angeli, qui peccauerunt, non habuerunt ignorantiam in intellectu ante primum peccatum: Lucifer enim non peccauit ex ignorantia, sed ex malitia, ideò peccatum fuit in voluntate existente perfecta sciētia in intellectu eius. Est ergo verum vt plurimum, quia voluntas vt plurimum sequitur id, quod magis sibi dictat intellectus. Hinc si recta dictat, recta efficit; Ad tertiū.

cit; si praua voluntas sequens sensuum affectionem, praua quoque efficit.

Ad primã confirmationem. 257 Ad confirmationem patet, quòd stante illo syllogismo, & conclusione etiam verissimo, adhuc voluntas est libera, & potest sequi, & nõ sequi, siuè exequutioni mandare vel non mandare illam conclusionem: benè verum est, quod supposito, quòd voluntas velit minorem, sequetur conclusionem necessariò: quia non datur aliud medium ad vitam consequendam nisi illa conclusio; sed hęc est necessitas ex suppositione, & minor est liberè volita, hinc & conclusio quoque liberè elicitur.

Ad secũdã confirmationem. 258 Ad secundam confirmationem respondetur per idem, & negatur axioma illud Theologum aduersari, vt dictum est: illud enim verum est vt plurimum, non semper, & necessariò.

Ad quartã. 259 Ad quartam rationẽ negatur minor. Ad probationẽ respondetur, quòd duplex est agens indifferens: aliud naturale, vt Sol respectu calefactionis ligni, vel aquę: aliud indifferens liberum. Primum non potest determinare, se, quia agit naturaliter; naturaliter autem non habet determinationem magis ad hoc quàm ad illud obiectum: at agens naturale potest determinare se ipsum ad partem, quam vult: & hoc est euidens, quia si voluntas non posset determinare se, neque posset determinari ab intellectu magis ad hanc partem quàm ad aliam: quia intellectus est potentia naturalis, & determinata ad hoc, & illud, itaquòd non potest aliter agere. Vndè si voluntas ab intellectu determinaretur, periret libertas absolutè. Propositiones autem illæ ab agente æquali non prouenit actio, & nihil mouet se ipsum, sunt verè in agentibus naturalibus, & de actionibus indifferentibus, quæ naturales sunt, non de actionibus indifferentibus, quæ liberæ sunt: cõstat enim, quòd homo mouet se ipsum liberè quò vult: & quod licèt sit indifferens ad hoc, vel illud, & ita æqualis vtrisque, tamen potest magis hanc, quàm illam partem eligere.

Ad quintã. 260 Ad quintam respondetur voluntatem posse considerari quatenus est facultas naturalis, siuè secundũ inclinationem naturalem: alio quatenus est potentia libera, & hæc consideratio est consideratio voluntatis proprio modo, vt communiter, & maximè à Theologis accipitur. Diffinitio illa competit voluntati acceptæ secundum inclinationem naturalem secundum quam considerationem voluntas nullum habet actum elicitum, vel imperatum, sed solum inclinationem ad illud, quod à ratione ostenditur sibi esse conueniens, & bonum: nos autem loquimur de voluntate, secundum quod est principium elicitiuum suorum actuum: hoc enim modo est libera. In illa etiam significatione verum est, quod bonum, scilicet ens conueniens est obiectum ipsius, non autem secundo modo, vt suprà dictum est in proprio loco.

Ad sextã. 261 Ad sextã conceditur, in volũtate situm esse credere hoc, vel illud, vnde propter hoc credere, fides Christiana est meritoria: ad probationem dicitur, falsum esse nos non posse credere nisi illud, quod intellectus ostendit esse credibile: quia communiter credibilia prima nostræ fidei sunt suprà captum nostri intellectus, & seclusa inclinatione videntur impossibilia, & tamen creduntur.

Ad septimam. 262 Ad septimam negatur maior, & minor. Maior, quia, vt diximus, voluntas etiam vltimum finem est libera, quò ad exercitium actus, itaquod potest frui, & non frui, quantum est ex se, vt diximus in 1. dist. 1. quæst. 4. ad probationem iam dictum est, quòd bonum est obiectum voluntatis, vt est potentia naturalis, non vt libera, & elicitiua: quia vt sic potest velle malum, vt in 1. dist. 1. quæst. 4. & suprà dictum est. Minor quoque est falsa, quoniam est in potestate voluntatis eligere, & non eligere media; & quando non datur nisi vnicum medium ad aliquem finem consequendum si voluntas illud vult necessariò, quia scilicet vult finem, nec potest aliter finem consequi, illa est necessitas ex suppositione, non simpliciter. Ad probationem, quòd electio est per consultationem, & per opus intellectus, dicitur verum esse non formaliter, nec propriè, sed tantummodo tanquam per causam sine qua non: prærequiritur enim ad electionem, sed non eligit: ideò electio est actus voluntatis.

263 Ad octauam respondetur actum intellectus regulare voluntatem contingit duobus modis: vno modo per modum notificantis, vt lucerna regulat hominẽ ambulantem in tenebris: alio modo per modum imperantis, & dirigentis. Intellectus regulat voluntatem per modum illuminantis, & sic habet rationem instrumenti inseruientis, & famulantis, vt supra diximus: est enim causa sine qua non: non regulat autem per modum imperãtis, & dominantis, sed ipsa voluntas sic se, & alios regulat, & dirigit, vt Rex in regno, habita notitia à ministris de rebus regni dirigit, & præcipit, quæ agenda, & quæ non: ideò negatur illud antecedens. Ad probationem ex exemplo medicinæ iam falsum esse diximus, stante iudicio completo, quod medicina sit sumenda ipsi infirmo, adhùc stat in voluntate infirmi eligere, & non eligere sumere medicinam. Ad octauã.

264 Ad nonam respondetur esse differentiam in tertia conditione, quia falsum est, intellectum esse indifferentem, eo modo, quo voluntas est indifferens: nam intellectus est potentia naturalis, ideo, & quò ad exercitiũ, & quò ad specificationem agit necessariò: voluntas verò quò ad vtrũque est libera. Et licèt intellectus, quò ad singularia dicatur liber, hoc non euenit quia sit agens liberum in iudicando circa singularia, sed quia non habet causam æternam, & necessariam singularium, vt singularia sunt, sed ea cognoscit, vt in vniuersalibus continentur, & consequenter ea cognoscit tantùm secundum rationes vniuersales: secundum rationes particulares verò, quia pendent à causis particularibus, & contingentibus, ideò intellectus ad illa est indifferens: quia non habet certam, & æternam notitiam illorum, vt habet de vniuersalibus: ideò hæc indifferentia intellectus est multum diuersa ab indifferentia voluntatis. Ad nonã.

265 Ad fundamentum Thomistarum iam dictũ est, falsum esse, voluntatem necessariò sequi iudicium intellectus: manet enim semper libera: in ijs autem, in quibus quærimus consilium, & consultamus indifferentia adhæsionis huic parti magis quàm alteri, nõ prouenit, quia intellectus sit liber circa illa obiecta, & actus, de quibus cõsultatio est, sed indifferentia est ex parte voluntatis, quæ non vult huic, vel illi parti adhærere, quia intellectus ei non ostendit sufficientem rationem, propter quam debeat magis huic parti, quàm alteri adhærere: ideò voluntas imperat intellectui, vt melius discurrat, & quærat causam, & medium verum ad producendum effectum illũ, quem ipsa desiderat; & sępè videmus, quod aliquando inhæret parti minus probabili, & magis rationi repugnãti propter aliquam aliam circunstantiam, & affectionem ipsius voluntatis, vt dictum est reijciendo opinionem ipsam Thomistarum. Ex dictis patet quid sit liberum arbitrium, sed de eo in sequenti capite agemus. Ad fundamentum Thomistarum.

An aliquid aliud à voluntate affectiuè causet actum volendi in voluntate? Opinio affirmatiua cum suis fundamentis. Caput Vndecimum.

266 Licèt ex dictis in præcedenti cap. magna ex parte haberi possit quid sit dicendum ad præsentem difficultatem: tamen quia in decisione huius quæstionis solutio multarum aliarum pendet, ideò diligenter, breuiter tamen est explicanda. Est autem difficilis hæc quæstio propter varietatem opinionum, quas Recentiores adducunt, vt Vasquez p. 2. q. 9. art. 1. Bannes 1. p. quæst. 80. art. 2. dubio secundo, & alij, ego autem principaliores adducam. Notandum est autem non esse difficultatem hic absolutè, an voluntas in suis actionibus, ac volitionibus moueatur ab extrinseco principio, vt ab intellectu vel aliquo alio principio: quoniam licèt aliqui dixerint, volun-

tatem

tatem absque vlla præhabita cognitione obiecti posse vel le, tamen vt stulta dimittitur. Sustinemus enim, vt experientia patet, illud axioma esse verum. Nihil volitum nisi præcognitum. Tota ergo difficultas est in declarando quomodo principium externum (vel sit intellectus, vel obiectum, vel quid aliud) moueat voluntatem, & præsertim. An moueat effectiuè siuè in genere causæ efficientis, itaquòd ab illo volitio ipsa aliquo modo effectiuè producatur in esse.

267 Notandum verò in primis est, hanc quæstionem posse tractari dupliciter scilicet vel de omnibus actibus voluntatis, complectendo tam primum, quàm sequentes: vel de actu primo voluntatis tantùm: nàm apud D. Th. & Sectatores est specialis difficultas, An primus actus voluntatis sit ab aliquo principio externo, vndè vt infrà videbimus, multi ex ipsis nobiscum cõueniunt, circa omnes actus voluntatis, excepto primo: tamen circa primum differunt. Vt ergo ordinatè procedamus adducam primò, quid Doctores sentiãt in communi de causalitate actuum voluntatis: deinde quid in speciali sentiant Thomistæ, & nonnulli alij de actu primo voluntatis.

1. Opinio. 268 Quantum ergo ad primum videntur esse quattuor opiniones, de quibus Scotus 2. Sent. d. 25. prima est eorum, qui sustinent, voluntatem se habere merè passiuè, nullo aũt modo actiuè, & hanc sequitur, Gotfredus, hic. n. dicebat, quod phantasma irradiatum ab intellectu agente sit immediata causa effectiua intellectionis in intellectu possibili, deinde etiam sit causa immediata effectiua volitionis in voluntate, ordinatè tamen: quia prius efficere dicebat intellectionem, deinde volitionem, & ita secundum hanc opinionem voluntas est tantum passiua, non autem effectiua volitionis: quia voluntas recipit tantum volitionem, sed phantasma illammet producit.

269 Quidam verò alij, quos etiam Scotus ibidem adducit, dicebant similiter, voluntatem non esse effectiuam volitionis, sed passiuè tantum se habere, & esse solùm receptiuam volitionis, causam verò effectiuam totam volitionis esse obiectum ipsum cognitum, vel intellectum, siuè intellectionem ipsam obiecti. Istæ duæ opiniones cõueniunt in hac conclusione, quòd voluntas nullo modo effectiuè concurrat ad causandam volitionem: & ideò hæc est prima opinio principalis.

2. Opinio. 270 Secunda opinio principalis est eorum, qui dicũt, volitionem ipsam partim à voluntate, partim ab obiecto procedere effectiuè, adeoquòd isti volunt, quòd integrũ principium effectiuum volitionis sit voluntas, & obiectũ intellectum, siuè ipsa intellectio. Quòd si quis dicat, quòd non ens non potest esse causa efficiens alicuius entis, sed obiectum intelligibile, potest esse non ens, vel præteritũ, vel futurum, vel absens; nihil autem tale potest habere rationem principij efficientis, respondent, per obiectum intelligere intellectionem ipsam obiecti; hanc enim asserunt esse causam efficientem volitionis. In hac sententia citantur Gregorius de Arimino in 2. dist. 25. quæst. 1. OKam quol. 1. quæst. 16. Caietanus p. p. quæst. 80. art. 2. Henricus quol. 9. quæst. 5. Durandus in 2. dist. 24. quæst. 2. & multi alij. Verùm aliquo modo differunt isti in explicando, quomodo intellectio, siuè obiectum partialiter concurrat ad effectionem ipsius volitionis. Communior autem opinio videtur esse ea, quam habet Caietan. loco citato: dicit enim, quòd cognitio, siuè verbum mentis, non est principium effectiuum volitionis, vt quod, sed vt quo; putat enim, quòd ipsa intellectio obiecti sit ratio formalis voluntatis, qua ipsa voluntas producit volitionem: nam dicit, quòd sicut species intelligibilis est ratio formalis dans intellectui actum primum, vt intelligere possit, ita intellectio obiecti constituit voluntatem in actu primo, vt possit producere volitionem. Vndè ex hoc etiã ait prouenire, quòd ipsa intellectio specificat volitionem: vndè sicut intellectio, & sensatio quòad substantiam efficiuntur à potentia intellectiua, & sensitiua; quòad specificationem verò à specie intelligibili, & sensibili: (in sua doctrina,) ita volitio effectiuè quòad substantiam efficitur à voluntate (quod est effici, vt à principio quod). quò ad speciem verò, siuè quòad specificationem, (quod est effici à principio quo) efficitur à cognitione obiecti. In qua sententia est quoque Bannes p. p. q. 80. art. 1. dubio 2. conclus. 5. Rationes pro hac opinione cum alijs infrà adducentur. Medina verò p. 2. q. 9. art. 1. q. 2. vult, quòd intellectus efficiat volitionem per actum imperij, quem dicit esse actum intellectus. Cum hoc tenent isti Doctores cum D. Thom. p. 2. quòad exercitium actus, voluntatem non moueri à principio externo, sed à semetipsa.

271 Tertia opinio principalis, & communior asserit, actum voluntatis fieri solum ab ipsa voluntate, tanquam à principio efficiente, sed ab intellectu tanquam à causa proponente finem, & obiectum ipsum voluntati, quò excitata ipsa suam volitionem efficit. Hęc est Scoti in 2. dist. 25. Henrici quol. 9. q. 5. multorum Thomistarum, & Recentiorum, quam postea probabimus. 3. Opinio pricipalis.

272 Quarta opinio est D. Thom. & Sectatorum, qui distinguit de actu voluntatis: vel enim loquimur de actu primo voluntatis, vt de prima volitione, vel de volitionibus sequentibus: si loquamur de volitionibus sequentibus primam, sustinet, quod illæ efficiantur effectiuè à voluntate, & ab obiecto partialiter, cum secunda opinione, vel ab intellectu proponendo obiectum in ratione causę finalis, cum tertia opinione: neque enim D. Thom. est satis clarus quo ad hoc: vnde vtraque opinio eum in suam sentẽtiam trahere nititur. Si verò loquamur de actu primo omnino tenet, quòd ille actus effectiuè producatur ab aliquo exteriori principio. Quòd verò D. Thomas aliter sentiat de prima volitione, & de sequentibus, patet clarè ex eodem D. Thom. p. 2. quæst. 9. & Thomistis ibidem. Nam art. 1. tenet, quòd voluntas non mouetur ab intellectu, & obiecto, nisi quòad specificationem non autem quòad exercitium, at ar. 4. eiusdem quæstionis ait, voluntatem in prima volitione moueri à principio externo, tàm quòad specificationem, quàm quòad exercitium. Quomodo autem voluntas moueatur à principio externo in prima volitione non conueniunt Thomistæ. Quidam dicunt, volitionem primam non effici à voluntate, sed à sola cognitione obiecti, tanquam ab integra causa, & principio effectiuo; voluntatem verò illam recipere, & passiuè se habere tantùm; & idem dicunt de omnibus motibus subitaneis, quos naturales vocant. Et hæc opinio tribuitur Marsilio in 2. q. 16. art. 3. conclusione 2. & sequentibus. Alij verò dicunt, actum illum primum, & similes prouenire à duplici principio, scilicet à Deo, & ab intellectu, & obiecto. Prouenit effectiuè à Deo inquit Caietanus p. 2. q. 9. art. 4. non quia Deus ipse actu moueat ipsam voluntatem, sed quia condidit voluntatem cum tali instinctu, vt cum sibi ab intellectu proponitur bonum, & finis, ipsa naturaliter tendat in illum, & non ex electione: vndè sicut motus grauis deorsum dicitur fieri à generante, non quia generans moueat actu graue deorsum, sed quia produxit graue cum tali instinctu, & inclinatione, vt tendat deorsum. Ita quia voluntas creata est à Deo cum hac inclinatione, vt proposito ab intellectu obiecto sub ratione boni naturaliter tendat in illud: ideò dicitur in hoc actu moueri à Deo tanquam ab exteriori principio. 4. Opinio pricipalis. Caietanus.

273 Capreolus verò in 2. dist. 26. art. 3. ad argumenta Scoti contra secundam conclusionem dicit, voluntatem moueri à Deo in primo actu, quia actus ille primus non producitur à voluntate, vt à principio efficiente quod; sed à Deo, & infunditur volũtati. Neque hoc est miraculum, ait, quia secundum naturam talis actus postulat, vt à Deo fiat. Quòd verò à solo Deo producatur, probat: quia voluntas ante illud primum actum non est in actu primo: ideò non potest efficere actum illum secundum. Deindè si esset à voluntate effectiuè esset actus liber: at est naturalis; ergo non est ab illa effectiuè. Capreolus.

274 Gabriel Vasquez verò p. 2. disp. 38. putat, D. Tho. intelligere, volũtatem nostram in prima operatione moueri Vasquez.

ueri ab exteriori agente pro tanto, quia voluntas non potest aliquid velle nisi ei proponatur ab obiecto: non potest autē ipsa voluntas facere, vt intellectus magis ei proponat hoc obiectum, quàm aliud; ergo necesse est, quòd aliquid agens externum determinet intellectum ad proponendum hoc obiectum, vel illud, quod agens externū dicit esse quadruplex. Homo enim primò solet excitari proximè à Deo. Secundò ab Angelo per commotionem imaginationis. Tertiò à sensibus externis, aliquādo enim aliquod occurrit visui, quod non auditui. Quartò ab aliquo phantasmate existente in fantasia, vt in somnis occurrit. Qua in re Vasquez dissentit à Thomistis, quia nō vult, voluntatem in primo illo actu determinari à Deo, vel ab exteriori principio, & illum actum esse naturalem, sed solùm ait, voluntatem excitari ab obiecto, ab aliquo agente exteriori proposito, in quo erit nobiscum. Per primum actum voluntatis verò Angeli, siue hominis non intelligunt solùm primum actum, quem habuit homo, & Angelus, cum primum fuerunt producti in esse, sed de quocūque actu primo in quolibet negotio nouo, de quo prius nihil cogitauerunt.

275 Notat verò Medina hanc assertionem D. Thom. diligenter esse annotandum, quia est principium Theologicum, ex quo Theologi deducunt multas alias assertiones; vt quòd prima operatio Angeli non potuit esse peccatum: quia erat actus proueniens ex instinctu naturali, dato sibi à Deo. Similiter dicunt Recentiores, ex hoc principio colligi Deum prędeterminare voluntatem ad actus bonos, vt infrà videbimus, & alia multa: qua in re veritatem dicit, & ideo eam tractare decreui, vt cognitio eorū, quæ ex ea deducuntur, magis aperta fiat.

276 Miror autem nōnullos ex Thomistis dicere, Scotum, & alios Scolasticos hanc quæstionem omittere, cum eam ex professo in 2. d. 25. tractet, & quolib. 21. Et Caietanus eum citet, & Medina ex q. 21. quolibetali.

277 Ex omnibus dictis hucusque colligitur, quòd duę priores opiniones, & quarta opinio, quò ad secūdā partē de primo actu voluntatis conueniunt in hac assertione cōmuni, quòd aliquid aliud à voluntate mouet ipsam ad suam volitionem effectiuè, sed discordant in mouente, & in modo mouendi. Ideo adducemus rationes, quibus hanc suam sententiam quòad hoc cōmune comprobant, relinquēdo rationes pro opinionibus suis particularibus: quia si nos ostenderimus esse falsum hoc cōmune in quo conueniunt, clarum erit esse falsas quoque in suis assertionibus particularibus. Destructo enim fundamento, ruunt quæ superædificata sunt.

Prima rō ex Aluarez lib. 2. d. 7. num. 13.

278 Primò ex D. Thom. p. p. q. 19. ar. 3. ad quintum. A causa contingenti in quantum contingens est, non exit determinatus actus nisi ab aliquo alio determinetur ad illum, ex Commentatore 2. Physicorum textu 48. & ratione probatur. Nam contingens, inquantum contingens, se habet omnino indifferenter ad vtrumlibet; ergo necessariò est assignanda alia prior causa, à qua determinetur; sed voluntas est causa contingens; ergo non potest habere determinatum actum, nisi ab aliqua causa exteriori determinetur. Hoc idem argumentum adducit Scotus pro hac opinione in 2. d. 25. & est vltimum principale pro parte falsa. Hoc argumentum adducitur ad probandum de omni actu voluntatis non solùm primo, sed alijs.

Secunda rō ex Scoto arguente pro aduersarijs ex alijs, & ex seipso.

279 Pro eadem opinione adducit Scotus in 2. Sententiarum dist. 25. multa argumenta ex Gotfredo, & alijs, & alia facit ipse pro illa opinione, quæ videntur probare, voluntatem in quocunque actu moueri ab alio. Sit ergo secunda ratio ista ex Gotfredo, qui sustinet, quòd voluntas determinetur à phantasmate. Mouens, & motum sunt distincta subiecto; sed in parte intellectiua animæ nihil potest esse distinctum subiecto à voluntate: igitur ibi nihil est motiuum voluntatis; ergo necesse est ponere istud motiuum esse aliquid extrà animam intellectiuam, quod ponitur ab ipso esse phantasma: ab alijs aliquid aliud. Maior propositio probatur: quia idem est ponere mouens, & motum non esse distinca subiecto; quod asserere idē mouere se, hoc autem est impossibile, quod dupliciter probatur. Primò quia tunc idem respectu eiusdem esset in actu, & in potentia. Nam 3. Phisicorum tex. 17. & sequentibus dicitur, quòd tale est mouens in actu, quale est mobile in potentia.

280 Secundò probatur, quia hoc est principium primum Methaphisicale, quò ablato tollitur via inquirendi veritatem in Methaphisica.

281 Agens, & Patiens se habent sicut materia, & efficiens; sed materia, & efficiens ex 2. Physicor. tex. 70. non coincidunt; ergo idem non potest esse efficiens, & patiens mouere, & moueri à se. Maior probatur, quia materiæ est pati, agere etiam, & efficere idem sunt. 3. Ratio.

282 Mouens realiter refertur ad mobile; sed eiusdem ad se ipsum non est relatio realis; ergo. Minor probatur, quia, quæ realiter referuntur, realiter sunt opposita; sed opposita simul non possunt competere eidem; ergo volūtas non potest mouere seipsam. 4. Ratio.

283 Si voluntas esset causa suæ volitionis, sequeretur quòd semper vellet. Consequens est falsum; ergo, & antecedens. Consequentia probatur, quia agens approximatum passo disposito agit necessariò, ideo dicit Aristot. 2. de Anima textu 52. quòd si sensus esset actiuus, semper ageret, sicut ignis semper combureret si haberet combustibile sibi pręsens; ergo eodem modo voluntas semper vellet si esset causa actiua suæ volitionis, quia est sibi pręsens. Respondetur, quòd requiritur obiectum pręsens, siuè vt apprehensum tanquam causa sine qua non: quia secundùm D. August. inuisa possumus diligere, incognita nequaquam. 5. Ratio.

284 Contrà arguunt. Si hoc admittatur, quòd obiectum requiratur tanquam causa sine qua non, & non vt efficiens, poterimus dicere pari modo, quòd quodlibet agit in se ipsum; & ita cum ignis comburit lignum, poterimus dicere, quòd lignum comburit se; & quòd ignis est causa sine qua nō; hoc aūt, vt patet, est absurdū euidens. Responsio tacita impugnatur.

285 Sextò. Omne agens ęquiuocum est nobilius suo effectu: at si voluntas est causa suæ volitionis, non est nisi causa æquiuoca, vt patet; ergo est nobilior suo effectu, scilicet volitione. Tunc vlterius, ex hoc sequitur, quòd voluntas, vt est causa productiua volitionis accepta pręcisè, vt est causa volitionis sit nobilior seipsa, vt est volens formaliter. Consequens est falsum euidenter. Consequentia etiam est euidens: quia voluntas est causa æquiuoca volitionis suæ. 6. Ratio.

286 Septimò. Ex Scoto in argumentis principalibus. Voluntas mouetur ab appetibili, siuè ab obiecto appetito; sed hic motus non est Metaphoricus, sed realis; ergo voluntas realiter mouetur ab obiecto. Maior patet. Minor probatur, quia Arist. 3. de Anima tex. 54. ponit ordinem mouentium, & motorum, & ait quòd appetibile est mouens non motum; appetitus est mouens motum ab ipso obiecto appetibili. Tandem adest motum non mouens, quod est illud, quod per imperium voluntatis mouetur, vt corpus animalis. Tunc sic, non potest dici quòd obiectum moueat metaphoricè voluntatem, sicut facit finis, quia tunc Philosophus statim æquiuocaret de mouente in suo processu: nam primum mouens moueret metaphoricè: secundum mouens verò moueret realiter: at in essentialiter ordinatis videtur, quòd eo genere motus, quo mouetur vltimū à medio, moueatur mediū à primo. 7. Ratio.

287 Confirmatur primò ex Auerroe 12. Met. tex. 36. Balneum in re extrà mouet effectiuè: at balneum in anima mouet voluntatem; ergo obiectum vt cognitum effectiuè mouet voluntatem. Secundò confirmatur. Appetibile sensitiuum effectiuè mouet appetitum sensitiuum; ergo, & intelligibile intellectum effectiuè.

288 Pręterea. Imperium est actus intellectus practici, stante autem imperio efficaci intellectus, voluntas non potest cōtradicere; ergo volitio effectiuè fit ab intellectu. 8. Ratio.

289 Pro opinione verò D. Thomæ, quò ad secundam 9. Ratio.

partem

partem qua sustinet, primam volitionem esse à principio externo, arguitur primò ex D. Thom. loco citato. Omne agens, quod quandoque est agens actu, quandoque est agens in potẽtia, necesse habet ab aliquo deduci ad actũ, vt patet; voluntas est huiusmodi: quia incipit aliquando velle aliquid, quod prius non volebat; ergo debet reduci ad actum ab aliquo. Tunc subsumit, sed aliquando deducitur ad agere actu à semetipsa, vt cum quærit media circa finem consequendum, & hoc facit mediante consilio: at non potest semper deduci ad agere actu à seipsa: quia necesse esset, vt hoc fieret mediante aliquo consilio, & aliqua priori volitione: illa autẽ volitio fieret mediante alia, & illa mediante alia, & sic daretur processus in infinitum, qui ne detur, stãdum est ad aliquod principium externũ, quod illam deducat ad actum in prima volitione. Quod autem processus in infinitum daretur probatur: quia quicquid vult voluntas, vult propter appetitum finis (intelligitur autem de appetitu intellectiuo nõ naturali, quia hic non est liber, neque est voluntatis, sed Dei auctoris, & factoris voluntatis) ergo quæcumque volitio, quæ procedit à voluntate, vt est appetitus rationalis, & agens ex consilio, presupponit aliam volitionem priorem, nempè volitionem finis; ergo in volitionibus voluntatis non est deueniendum ad aliquam primam: quia semper ante illã datur aliqua alia prior, vsque in infinitũ, nẽpè volitio finis.

10. Ratio. 290 Decimò. Probatur, quod volũtas mouetur ab exteriori principio, scilicet Deo. Duplex est actus voluntatis, scilicet volitio finis, & volitio mediorum ad finem. Prior est autem volitio finis, quàm volitio mediorum ad finem: at in volitione finis volũtas mouetur, & determinatur ex instinctu primi Motoris Dei; ergo voluntas mouetur ab exteriori principio. Minor probatur. Actus, quo voluntas mouet se, & se determinat, nec aliunde determinatur, procedit ex deliberatione, & ex consilio, mediante quò se applicat ad operandum: at de fine volendo nulla est deliberatio, nullum consilium: nullus enim sanæ mentis deliberat, an debeat appetere sanitatem, aut vitã; ergo in appetitione finis voluntas non se mouet, sed ex instinctu accepto ab Auctore naturæ mouetur.

11. Ratio. 291 Vndecimò. Sicut intellectus se habet in assensu primorum principiorum, sic voluntas respectu appetitionis finis; sed intellectus non assentit primis principijs ex se ipso, sed ab auctore naturæ, qui illuminat omnem hominem lumine rationis naturalis; ergo voluntas in appetitione finis non mouet se, sed mouetur ex instinctu primi Motoris. Maior probatur, quia finis sic se habet in rebus agendis, sicut primum principium in scientijs, & quemadmodum intellectus suaptè natura est inclinatus ad assensum primorum principiorum, sic voluntas ad appetitionem finis.

12. Ratio. 292 Duodecimò. Eius est tribuere inclinationem naturalem rei in suum finem, cuius est instituere naturam; sed Deus instituit naturam; ergo instituit quoque inclinationem in finem; sed velle finem inest voluntati ex inclinatione naturæ; ergo volitio finis est à Deo determinante voluntatem ad actum illum.

13. Ratio. 293 Decimotertiò. Pro eadem opinione D. Thom. quod primus actus volũtatis producatur effectiuè ab alio, arguitur sic. Ex Arist. 6. Ethicorum ad Eudemum circa finem habetur, quòd sæpenumero nobis nihil cogitantibus venit in mentem efficax cogitatio, quæ secum trahi voluntatem: hæc volitio non est inuenta à nobis, quia nũquã de illa aliquid cogitauimus; neque possumus eam tribuere substantiæ Angelicæ: quia illa non potest efficaciter mouere nostram volũtatem; ergo est tribuenda Deo.

294 Et confirmatur, quia voluntas nostra non se mouet nisi mediante consilio, & deliberatione: at qui consultat, & deliberat, iam aliqua volitione ad deliberandum, & consulendum motus est, quæ ex deliberatione antecedenti non procedit, alioquin daretur processus in infinitum; ergo standum est ad aliquam primam volitionem, quæ à Deo immissa est.

14. Ratio. 295 Decimoquartò. Actus, qui effectiuè fiunt à voluntate, semper sunt liberi, cum voluntas sit facultas libera, sed illi primi motus (qui à Theologis dicuntur motus primò primi) non sunt liberi, quia non sunt in potestate nostra; ergo effectiuè non fiunt à voluntate; ergo à Deo. Vtraque propositio est euidens.

Responsio Vasquez. 296 Respondet Vasquez 1. 2. disput. 36. cap. primo, quòd etsi voluntas sit facultas ex se libera, tamen etiam ei competit modus operandi naturaliter: vndè voluntas diuina, inquit, producit Spiritum sanctum non liberè, sed naturaliter.

Reijcitur. 297 Sed hæc opinio Vasquez confutata est à nobis in primo Sent. dist. 20. vbi ostendimus, Spiritum sanctum liberè, & non naturaliter procedere à Patre, & à Filio.

Opinio allata reijcitur, & opposita explicatur, & comprobatur. Caput Duodecimum.

298 Dicebamus, duas priores opiniones, & quartam quòad secundam partem, nimirum quòad primum actum voluntatis conuenire in hac communi assertione: quòd voluntas effectiuè mouetur ab aliquo exteriori principio, quodcumque illud sit: ideò prius confutabimus eas, quòad hoc commune, deinde aliquid dicemus etiam contra has opiniones in particulari.

1. Ratio. 299 Quòad primum ergo. Primò. Sic arguit Scotus in 2. dist. 25. §. *Contra conclusionem in se*, &c. Nullum agens naturale potest per se esse causa contrariorum (additur illa particula, per se, ad tollendam instantiam de dissolutione glaciei, & constrictione luti, quia hoc efficitur per accidens à calore, non per se) sed in potestate nostræ voluntatis est habere nolle, & velle circa vnum, & idem obiectum, & tamen velle, & nolle circa vnum, & idem obiectum sunt contraria: ergo illa effici non possunt ab agente naturali, siuè naturaliter agente: subsummo, sed quodcumque principium externum proximum, quod aduersarij dicunt mouere effectiuè voluntatem ad actum suum, est agens naturale: nàm vel est phantasma, vel obiectum in se, vel cognitum, vel cognitio ipsa actualis, & verbum, vel intellectus, vt intelligens obiectum, & sub actuali cognitione: quodlibet autem istorum est agens naturale, & naturaliter agit; ergo nullũ istorũ potest esse causa effectiua volitionis, & actus ipsius voluntatis. Maior supponitur vera, constat enim experientia quòd ignis per se non potest calefacere, & frigefacere idem obiectum, quia omne agens naturale est determinatum ad proprium modum agendi, itaquòd non potest aliter agere. Minor quoque est euidens, alioquin non esset libera, nec consequenter in volitionibus, & nolitionibus peccaret, nec mereretur: quia in ijs, quæ non sunt in potestate nostra, nec meremur, nec demeremur. Assumptum in subsillogismo est euidens, quia omnia illa sunt agentia naturalia, vt patet. Relinquitur ergo, quòd dato casu, quòd phantasma, vel obiectum cognitum, vel aliquid aliud illorum esset causa velle vnius obiecti, non tamen posset esse causa nolle eiusdem obiecti: oporteret ergo reperire aliud agens externum, quod esset causa ipsius nolle, sed illud aliud externum principium distinctum à voluntate non posset esse nisi obiectum malum: hoc autem est impossibile, quia malum est quid priuatiuum: at priuatiuum non potest esse causa actus positiui, cuiusmodi est nolle. Relinquitur ergo, quòd illud nolle effectiuè sit à voluntate.

Ratio ista procedit ẽt contra secũdã opinionem. 300 Hæc ratio efficaciter quidem concludit contra primam opinionem asserentem, phantasma, vel obiectum esse totalem causam effectiuam volitionis, & voluntatem merè passiuè se habere: ideò illa opinio vt stulta ab omnibus relinquitur: sed procedit etiam efficaciter contra secundam opinionem, quæ asserit, obiectum effectiuè, vt principium quo, esse causam volitionis: nàm sequitur quòd actus omnis erit necessarius, nullus liber. Consequentia est euidens, quia causa naturalis naturaliter agit; ergo si obiectum intellectio efficit actum volitionis,

volitio

volitio illa naturaliter efficitur, non liberè. Et eò magis confirmatur, quia dicunt Caietanus, & alij, quòd est principium quò illius volitionis: at principiũ quo est id quod determinat principium quod; forma enim ignis, quæ est principium quò, determinat ignem, qui est principium quod, ad agendum hoc modo, & hunc actum: secundùm Medinam verò intellectus per imperium suum secum trahit voluntatem ad volitionem; ergo naturaliter volitio producitur non liberè.

Prima responsio Thomistarum.

301 Respondent primò Medina, & alij, quòd stant simul, quòd intellectus suè obiectum moueat effectiuè voluntatem, & tamen actus voluntatis sit liber: quia motus recipitur in passo per modum recipientis: licèt ergo intellectus mouens sit causa naturalis, tamen vt recipitur in voluntate est liber, & contingens: nam motus brachij est liber, qui tamen pendet à motu cœli, qui est naturalis. Sed hæc responsio reiecta est in 1. *Sent.* d. *39.* in disp. de prima radice contingentiũ, vbi ostendimus, quòd si prima causa Deus moueat necessariò, tollitur omnis contingentia à rebus. Quod verò dicit de motu brachij, qui liberè fit & tamen pendet à motu cœli. Respondetur secundùm Theologos, pendere à motu cœli, non vt à prima causa, & immediata, & proxima, sed vt à causa remota vniuersali, & indeterminata.

Secunda responsio.

302 Secundò respondent communiter Medina, Bannes, & alij sustinentes secundam opinionem, volitionem esse liberam quo ad exercitium actus, licèt non sit libera quo ad specificationem, & hoc sufficit.

303 Cęterùm hęc responsio innititur falso fundamento, scilicet, quòd voluntas quo ad specificationem actus determinetur ab obiecto: nam voluntas est libera tam quò ad specificationem actus, quàm quò ad exercitium, quod ostensum est in primo Sent. d. 1. q. 4. disp. 13. & dist. 10. in disputatione de libera productione Spiritus sancti. Opinio autem Thomistarum procedit ex falso fundamento, scilicet quòd intellectio sit forma cõstituens voluntatem in actu primo, sicut species intellegibilis, secundùm eos est ratio formalis constituens intellectum in actu primo ad intelligendum. Quam opinionem in philosophia in materia de causis producentibus intellectionem, & in 3. Sent. d. 14. in disp. de lumine gloriæ reiecimus: & in pręsenti quoque reijciemus. Sed prius est notandum, cum disputamus, Vtrũ actus nolitionis specificetur ab obiecto, hoc posse intelligi duobus modis. Vno modo, vt idem sit specificari ab obiecto, quod distingui in ordine ad obiectum; & hoc modo verum est actum specificari ab obiecto, nàm ex Arist. 2. de Anima tex. 33. Potẽtiæ distinguuntur per actus, & actus per obiecta; & contra hunc sensum non procedimus. Alio modo vt actus voluntatis specificetur ab obiecto, idest voluntas determinetur ab obiecto cognito, siue à cognitione obiecti ad producendum volitionem huius obiecti determinati, & non alterius: & hic sensus est, quem impugnamus, & qui est falsus.

1. Ratio.

304 Probatur autem hac ratione etiam concessa ab aduersarijs. Ostensis diuersis obiectis ab intellectu voluntati, in libertate voluntatis est prosequi vnum, & non alterum: velle vnum, & dimittere alterum; ergo voluntas non determinatur à cognitione obiecti ad actum istum secundùm speciem, & non ad actum alium secundùm speciem: & sic voluntas est libera nedum in velle, & non velle idem obictum, quæ est libertas secundùm exercitium: sed etiam est libera quòad velle illud obiectum, & velle aliud obiectum, quæ est libertas quòad specificationem obiecti. Ratio autem, quam facit D. Thomas, & faciunt Thomistæ p. 2. q. 9. a. p. conclus. 6. probat, determinationem, & specificationem actus voluntatis esse ab obiecto cognito in sensu superius adducto, scilicet accipiendo determinationem specificã pro distinctione specifica actus: ideò non valet contra nos, nec probat intentum aduersariorum: est enim disputatio de specificatione in hoc secundo sensu, non in primo.

2. Ratio.

305 Pręterea, si cognitio obiecti effectiuè vt quò efficit actum volũtatis, actus ille nedum erit necessarius quòad specificationem, sed etiam quòad exercitium, quod ipsi negant, & est euidenter falsum. Consequentia verò probatur, quia causa naturalis, & naturaliter causans producit effectum necessarium nedum quòad specificationem, sed etiam quòad exercitium: intellectio autem obiecti est causa naturalis, & naturaliter causat; ergo efficit actum volitionis necessariò nedum, quòad specificationem, sed etiam quòad exercitium. Maior probatur experientia: nàm ignis, quia est potentia naturalis effectiua caloris, producit calorem necessariò, nedum quòad specificationem, sed etiam quòad exercitium. Minor patet, quia intellectio est vis naturalis, & naturaliter efficiens, vt patet.

Responsio Thomistarum.

306 Sed respondent, substantiam actus volitionis produci à voluntate, specificationem verò à cognitione, & ab apprehensione obiecti.

Reijcitur.

307 Sed contrà (siuè intelligant voluntatem esse principium partiale producens substantiam actus, siuè actum quòad substantiam, & intellectionem alteram causam partialem, quòad substantiam specificam, vt videtur interpretari Medina, Caietanum, siuè voluntas, & cognitio sint vnum, & idem intègrum principium, ad quod, & substantia actus, & species reducatur sed ordinatè, ita quòd substantia generica reducatur per se primò ad voluntatem: substantia verò specifica ad cognitionem, vt interpretatur Bannes) ratio generica, & ratio specifica in actu voluntatis, siuè substantia actus, & specificatio actus non distinguuntur realiter, ita quòd vnum sine altero produci possit, sed sunt idem realiter, sola ratione, vel ad summum solùm formaliter distincta; ergo actus ille non potest esse necessarius, & à causa naturali procedere quòad specificationem. Deinde quòad substantiam genericam dependere à principio libero, & contingenter operante: quia idem effectus non potest produci à diuersis, & oppositis per se causis.

308 Pręterea. Confirmatur, quia stante hac opinione volũtas actuata per actualem cognitionem, vt ipsi dicũt, est principium naturale non liberum; ergo actus voluntatis prouenienss ab ea actuata, & formata tali cognitione est principium naturale non liberum. Consequens est absurdum, quia destruit naturam voluntatis. Antecedens probatur. Actus, & forma est, quæ dat esse rei, & qualis est forma, tale est subiectum actuatum per formã: sed secundùm aduersarios voluntas est subiectum, intellectio est forma, & actus formaliter determinans voluntatem, & eam constituens in actu primo, & talis actus est forma naturalis, & naturaliter agens; ergo voluntas informata tali intellectione est causa naturalis, naturaliter operans, non liberè, quòd est absurdũ, vt suprà dictũ est. 3. Ratio.

309 Pręterea. Saltem procedit contra quartam opinionem; nimirum, argumento illo allato ex Scoto, probari, actum primum voluntatis non esse liberum: quia dicunt Thomistæ, illum esse determinatum, quòad specificationem, & quòad exercitium, quòd est absurdum. 4. Ratio.

Responsio Thomistarum.

310 Respondent concedendo, actum primum voluntatis esse necessarium vtraque necessitate, & concedunt non esse liberum.

Reijcitur.

311 Sed hanc opinionem latè impugnauimus in 2. Sent. disp. 28. cap. 2. vbi ostenditur, Angelum potuisse in primo instanti suæ creationis peccare, & mereri. Pręterea. Voluntas secundùm essentiam est principium liberum; ergo omnis actio prouenìens à voluntate tàm prima, quàm reliquæ posteriores sunt liberæ; ergo nulla est actio naturalis, neque aliundè determinata. Antecedens probatum est per multas rationes, & auctoritates in 1. Sententiarum dist. 10. in disput. An Spiritus sanctus producatur liberè. Consequentia est euidens: quia principiũ liberum producit suos actus liberè. Sed infrà in speciali habebimus alias rationes ad probandum, primum actũ esse liberum.

312 Passio non est in potestate patientis, & specialiter quan-

Secunda ratio principalis Scoti.

quando est ab agente naturali; sed obiectum phantasma, & denique actualis cognitio, si est agens, est naturale agẽs non liberum, vt patet; ergo si volitio producatur effectiuè ab his agentibus, volitio non erit in potestate voluntatis.

313 Vlteriùs. Si sic, sequitur quòd nec aliquis alius actus imperatus à voluntate erit in potestate voluntatis: & si sic, vlteriùs sequitur, quòd voluntas non merebitur, nec demerebitur per volitionem. Maior primi argumẽti est euidens: quia patiens non patitur nisi quia agens agit; sed prius non est in potestate posterioris; ergo actio agentis non est in potestate patientis inquantum patiens est. Minor quoque est clara. Si enim ponatur illud principium tota causa volitionis, vt vult prima opinio, est euidentissima: quia causa naturalis producit effectum naturaliter, & necessariò. Si verò ponatur causa formalis, siuè principium, vt quo, idem sequitur, quia certum est, voluntatem non posse producere ipsam volitionem, licèt sit principium, quod sine principio quo; ergo volitio non erit in potestate voluntatis: tùm quia non posset illam se sola producere: tùm quia ipsa voluntas non esset principium liberum, sed naturale: quia actiuitas causæ in causando sumitur penes rationem formalem constitutiuam ipsius inesse: at ratio formalis constitutiua voluntatis in actu primo est intellectio, quæ est causa naturalis; ergo voluntas non habet in potestate sua volitionem. Prima verò consequentia probari potest, quia actus voluntatis imperatus erit quoque causatus ab eadem causa naturali, & sic si primus non est in potestate voluntatis, neque alij sequentes. Secunda consequentia est euidens, quia actibus non liberis non meremur, nec demeremur.

Ratio Thomistarum.

314 Respondent communiter Thomistæ, quòd pro tanto voluntas est libera, quia potest determinare intellectum ad considerationem huius obiecti, vel illius: vel auertere eum ab hoc, vel ab illo: & sic volitio est in potestate voluntatis, sed non quantùm ad primum actum.

315 Contrà, & hæc ratio probat præcipuè, primam volitionem non esse naturalem, nec determinatam, sed liberam. Accipio volitionem primam causatam ab exteriori principio effectiuè quodcumque illud sit, illa actio est merè naturalis; ergo illa non est in potestate voluntatis: quæ enim naturalia sunt, vt diximus, non sunt in potestate nostra. Et ex D. Aug. lib. 3. de libero arbitrio, nõ est in potestate nostra quin visis tangamur. Tunc sic, quando post primam volitionem, quæ est naturalis, volo, vt meus intellectus consideret hoc obiectum, & non illud, & impero illi, vel voluntas facit hoc per priorem volitionem, vel per aliam, non per illam primam volitionẽ: quia illa est naturalis, & non est in potestate mea: hic autem secundus actus est in potestate mea ex concessis, & consequenter debet esse à principio libero; ergo per aliã volitionem. Tunc quæro de illa secunda volitione, à quo effectiuè causatur, vel enim causatur ab ipsa volũtate pręcisè, vel ab illo exteriori principio. Si primum, habeo propositum, quia tunc illa volitio est ab ipsa voluntate: & eadem ratione prima volitio debet esse à sola voluntate effectiuè: si ab obiecto, vel intellectione, vel ab aliquo externo principio naturaliter efficiente. Tunc actus ille secundus est naturalis, & per consequens non plus est in potestate voluntatis sic imperare intellectui de consideratione huius vel huius obiecti, quàm fuerit primus actus.

Prima confirmatio.

316 Hæc ratio non solùm concludit contra primam opinionem, quæ ponit volũtatem merè passiuam in omnibus actibus, sed etiam contra secundam: quia licèt hęc secunda ponat voluntatem quoquè effectiuè concurrere ad volitionem: dicit tamen intellectionem, vel intellectum, vel aliquod aliud agens naturale esse rationem formalem constituentem voluntatem in actu primo cõpleto ad producendum volitionem, & sic faciunt ipsam principium effectiuum naturale, quo ad omnes actus: quia tale est principium qualis est forma, quæ dat illi esse & actum primum: intellectio autem est res naturalis.

317 Probat etiam, primam volitionem esse liberam, quia nulla videtur maior ratio de prima, quàm de alijs: quia ita se habet voluntas in primo actu sicut in alijs: nã in primo actu mouetur ab obiecto, siuè ab intellectione obiecti sicut in alijs actibus, quia incognita diligere non possumus; ergo si actus secundi sunt effectiuè à sola voluntate, & sunt in potestate nostra; ergo etiam primus actus erit effectiuè à voluntate sola, & erit in potestate nostra. Quod enim dicitur à Caietano, & alijs, quòd voluntas est creata à Deo cum hoc instinctu, vt proposito sibi obiecto sub ratione boni naturaliter tendat in illud, loquendo de voluntate, vt est potentia libera, & elicitiua actuum suorum est dictum sine fundamento, vt patebit soluendo rationes pro eis, & est omnino falsum: nàm videmus, quòd proposito aliquo obiecto sub ratione boni, & delectabilis, nõ semper voluntas illud vult, sed vel abijcit, vel quęrit melius; ergo cum vnum eligit, & non aliud, non est actus naturalis, sed liber. 2. Confirmatio.

318 Tertiò principaliter probo, quòd primus actus voluntatis sit liber, & effectiuè à sola voluntate proueniat, de quo est maior difficultas. Si enim probauerimus intentum de primo actu, multo magis id concludetur de alijs actibus sequentibus. Notandum est autem, quòd in 1. dist. 1. quæst. 4. disp. 13. ostendimus contra Thomistas, quòd voluntas fine apprehenso per intellectum non fruitur necessariò, sed liberè: ideò argumenta ibi facta hic quoque concludunt: nàm si voluntas non fruitur necessariò obiecto, & fine beatifico clarè viso, multo minùs fruitur necessariò alijs obiectis, & finibus obstensis sibi ab intellectu. 3. Ratio principalis Scoti contra quartã opinionẽ.

319 Nota autem pro intelligentia discriminis inter Nos, & Thomistas, quòd voluntas duobus modis potest considerari: vno modo secundùm inclinationem naturalem, siuè vt est appetitus naturalis: alio modo, vt est elicitiua, & productiua suarum operationum, & volitionũ. Considerata primo modo non habet vllum actum elicitum, sed solùm inclinationem ad bonum, vt suprà diximus. Sed secũdo modo considerata, est elicitiua suarum operationum, & est potentia libera. Thomistę autem tenent, quòd voluntas, vt est appetitus naturalis sit elicitiua alicuius actus: & ideò dicunt, voluntatem habere aliquos actus naturales, & ita dicunt, voluntatem necessariò diligere finem, & quoad specificationem, & quoad exercitium: nos autem negamus, voluntatem, vt est potentia, & appetitus naturalis, esse elicitiuam alicuius actus ideo negamus quoque, voluntatem habere aliquem actũ necessarium, & quoad exercitium, & quoad specificationem, sed solùm fatemur, inclinari ad obiectum bonum, vt sibi conueniens, & eam perficiens. Vnde si Thomistę dicerent, voluntatem ex instinctu insito sibi à Deo inclinari ad finem, & bonum, hoc eis concederemus: hoc enim etiam nos asserimus, vt patet ex dictis in 1. dist. 1. disp. 13. & dist. 10. disp. 37. Sed quia dicunt, voluntatem actu elicito necessario velle finem, quo ad specificationẽ: & loquendo de actu primo elicito, dicunt, illam velle finem, & bonum necessario, & quoad specificationem, & quoad exercitium, in hoc discrepamus, ab illis, & eorum opinionem esse falsam adhùc his argumentis probamus. Notabile necessariũ. Discrimẽ inter Thomistas, & Scotistas.

320 Ratio ergo sit hæc ex Scoto in 2. dist. 25. in argumentis principalibus ad oppositum. Obiectum voluntatis est finis, ad quem eius volitio terminatur, & propter quem voluntas elicit volitionem; sed finis non mouet effectiuè, sed Metaphoricè tantùm; ergo finis non potest mouere effectiuè voluntatem, neque in primo actu, neque in alijs. Maior conceditur communiter. Minor probatur auctoritate Arist. 1. de generatione, tex. 55. & confirmatur, quia verè mouens effectiuè mouet propter finem consequendum: at finis, vt finis, non mouet propter finẽ; ergo finis nõ mouet effectiuè. Maior probatur, quia mouens effectiuè aliquam potentiam debet esse in illa, vel illam attingere realiter: at bonum est extra animam, Confirmatur.

mam, & extra ipsam voluntatem; ergo non potest illam mouere effectiuè.

Responsio Thomistarum.

321 Respondet Bannes p.p.q.80.ar.2. dubio 2. ad primam cum Caietano ibidem, quòd finis duobus modis considerari potest, vel vt est extra animam in re, vel vt est apprehensus ab intellectu: primo modo mouet metaphoricè tantùm: secundo modo mouet effectiuè, vt principium quò, vt declaratum est, & hanc ait esse mentem Commentatoris in 12.met.tex.36. Ad aliud verò dicunt, sufficere quòd finis, vt apprehensus, sit in intellectiua potentia, quæ radicem habet in anima ipsa intellectiua, sicut habet ipsa voluntas.

Ad confirmationem

Reijcitur.

322 Contrà. Prima responsio procedit ex falso fundamento, quod intellectio sit forma, & actus voluntatis, vt ponũt Thomistæ speciem intelligibilem esse formam, & actum intellectus ad intelligẽdum: hoc autem reiectũ est in Philosophia Scoti in proprio Theoremate.

323 Preterea. Ex hac respõsione habetur, quòd est causa formalis volitionis: dicunt enim Caietanus, & Bannes, quòd intellectio est principium quò volitionis: at hoc est contra Arist. in illo textu, qui probat, quòd agens non est causa finalis: quia habito fine cessat actio: at posito agente fit actio; ergo agens non est causa finalis: malè ergo dicitur, quòd finis sit causa efficiẽs, etiam vt est in intellectu.

324 Et confirmatur, quia causalitas efficiens, & causalitas finalis sunt omnino diuersæ secundùm suas rationes formales: licèt aliquando id, quod est causa efficiens, sit quoque causa finalis; ergo non coincidunt: malè ergo dicitur, quòd finis effectiuè causet actum voluntatis.

325 Præterea. Finis vt in intellectu est res intentionalis: at res intentionalis non est causa effectiua motus realis; ergo finis vt intellectus non potest mouere effectiuè voluntatem. Minor patet, quia effectus debet esse proportionatus causæ, alioquin possemus dicere, accidentia intentionalia pugnare in bello, & ducere tormenta bellica, quòd est ridiculum.

326 Præterea. Intellectio finis, vt est qualitas intentionalis, est realiter, & formaliter distincta à fine ipso, vt est extra animam; ergo causalitas, quæ ei competit, vt sic est ens reale, non est causalitas finis; ergo per hanc distinctionem non habetur, quòd finis causet effectiuè, quia intellectio finis, non est finis. Prima consequentia probatur, quia causalitas sequitur entitatem rei: ideò n. ignis calefacit, & non aqua, quia ignis est ignis, & realiter, & formaliter distinctus ab aqua; ergo finis, & cognitio finis, vt est ens reale, habent causalitatem diuersæ rationis.

327 Responsio quoque ad secundam non satisfacit; quia secundùm Thomistas intellectus, & voluntas sunt potentiæ realiter distinctæ: quia secundùm eos sunt accidentia realiter distincta inter se, & ab anima: at quod inest vni enti realiter distincto ab altero, non potest esse causa formalis alterius entis realiter distincti, vt anima bouis non potest esse actus, & forma hominis, quia bos, & homo realiter, & formaliter distinguuntur, licèt conueniant in radice, scilicet in animalitate: at intellectio finis est in intellectu; ergo non potest esse actus formalis voluntatis, & illam constituere in actu primo ad efficiendum volitionem.

4. Ratio principalis Scoti.

328 Quartò principaliter arguit Scotus in quolib. 21. Si voluntas in primo actu naturali instinctu moueretur ab intellectu naturaliter moto ab obiecto, voluntas naturaliter non liberè moueretur, & sic homo esset vnum animal brutum. Consequentia est euidens, quia animalia bruta etiam sic mouentur ab obiecto sensibili apprehenso per cognitionem sensitiuam: illa autem non liberè, sed naturaliter mouentur; ergo homo esset animal brutum.

Responsio Thomistarum.

329 Respondet Caietanus, & cum eo Medina, & alij negando cõsequentiam: ratio est, quia etsi in primo actu hominis voluntas naturaliter moueatur ab intellectu repræsentante obiectum bonum, & mouente naturaliter, tamen in actibus sequentibus postea liberè se mouet; sed animalia bruta non solum in primo actu, sed in omnibus alijs mouentur naturaliter ab instinctu suo naturali. Cũ ergo voluntas hominis solum in primo actu sic moueatur ex instinctu suo naturali ab obiecto cognito, non in alijs, sequitur, ipsum non esse animal brutum.

330 Contrà. Ex hac responsione sequitur, quòd actus primus voluntatis sit actus brutalis, non humanus, quòd non arbitror eos concessuros. Consequentia autem est euidens, quia dicũt, hominem differre à brutis in actibus sequentibus, sed non in primo. Reijcitur.

331 Præterea. Ratio, propter quam dicunt, actum primum voluntatis esse naturalem, & ab instinctu naturali moueri, est, quia habet insitam à natura hanc inclinationem, vt proposito sibi bono ab intellectu naturaliter tendat in illud actu elicito. Si hoc autem esset verum, sequeretur, quòd non solum in primo actu naturaliter moueretur, sed in omnibus actibus secundis: nam secundùm eos bonum est obiectum voluntatis; ergo quodcunque obiectum proponitur voluntati, sub ratione boni; ergo necessariò eliciet voluntatem ad ipsum volendum; ergo non solum in primo actu, sed in omnibus alijs. Consequens autem est falsum, quia experientia videmus, quòd voluntas non necessariò vult quodcunque obiectum bonum sibi propositum, sed multa sæpè respicit; ergo fundamentum illud est ruinosum, & consequenter conclusio, quæ ex illo pendet.

332 Præterea. Superius ratione secunda principali Scoti probatum est, si actus primus est naturalis, & necessarius, actus omnes secundos esse quoque naturales: quia omnes sunt eiusdem rationis.

333 Præterea. Quintò principaliter confirmatur ex auctoritatibus Sanctorum Patrum asserentium, voluntatem esse principium liberum absolutè, quod non esset verum, si aliquis actus eius elicitus, & maximè primus esset naturalis. Auctoritates autem præsertim sunt istæ. Primò, D. Aug. 2. de libero arbitrio ait, quòd nisi ea, quæ sunt voluntaria, essent posita in potestate nostra, voluntas non esset laudanda, nec vituperanda, immo monenda: at qui dicit, voluntatem non esse monendam, talis exterminandus est ab hominum numero. Tunc quæro: an cũ ex somno alicui expergefacto obijcitur aliquod obiectũ bonum, tamen vetitum, vt cibus prohibitus in tempore ieiunij voluntas possit illud obiectum abijcere, vel amplecti; & si abijciat, an mereatur; & si amplectitur, an demereatur, an possit suspendere actum suum volitionis, & considerare, an sit licitum tendere in illud, an non? Certè experientia patet, voluntatem illud obiectum posse abijcere, & posse prosequi: & posse suspendere actum, & considerare, an debeat prosequi vel fugere: & in his actibus meretur, & demeretur: iste autem est primus actus; ergo actus primi sunt liberi, & non naturales.

3. Ratio principalis ex auctoritatibus.

334 Præterea. Est auctoritas D. Aug. 12. de Ciuitate Dei cap. 6. vbi ait, quòd si duo sint æqualiter affecti animo, & corpore, & postea tententur eadem pulchritudine & obiecto, vnde est, quòd vnus cadit, & alius non cadit: & dicit, quòd hoc solum est à voluntate. Ecce D. Aug. hic apertè loquitur de actu primo voluntatis; loquitur. n. de duobus, qui eadem pulchritudine, & obiecto tentantur, & actus, quo quis tentatur obiecto, & pulchritudine, est actus primus: primus enim actus volũtatis est, in quo ipsa post aliquam quietem, vt post dormitionem statim ab obiecto, & à fine sibi ostenso mouetur, & excitatur: actus autem secundi, in quibus est libera secũdum aduersarios, sunt actus circa media ad consequendum finem, & tamen D. Aug. dicit, quòd actus hic est liber, ait enim, quòd hic cadit, idest diligit, & vult obiectum illud, scilicet pulchritudinem: ille verò non cadit, idest non vult pulchritudinem, & obiectum prouenit à voluntate sua.

335 Præterea. Idem D. Aug. lib. 1. Retractationum, cap. 22. ait, quòd nihil est, tam in potestate nostra, quàm ipsa voluntas. Tunc quæro, quid intelligit ibi D. Aug. per

voluntatem, quæ est in potestate nostra: certè non intelligit voluntatem quò ad actum primum, quia hæc à solo Deo datur; ergo intelligit per voluntatem actum secundum voluntatis, scilicet actum elicitũ; sed actus primus volũtatis est actus elicitus; ergo ille est in potestate volũtatis.

336 Præterea, ibi loquitur D. August. de actu elicito circa obiectum bonum propositum, & finem sibi ostensum ab intellectu, qui est ille, quo primò meremur vel demeremur: neque enim primò meremur circa volitionem mediorum, sed circa dilectionem ipsam obiecti boni sibi propositi: si enim est diligendum, & illud diligimus, est actus bonus, sin minus, demeremur.

6. Ratio principalis Scoti. 337 Sextò principaliter est auctoritas clara Aristotelis 9. Met. tex. 10. vbi ponens discrimen inter potentias actiuas rationales, & irrationales, ait, quòd potentiæ irrationales sunt determinatæ ad faciendum vnum contrariorum, & oppositorum: vt potentia ignis est determinata ad vnum contrariorum, scilicet ad efficiendum calefactionem (& hoc intelligitur per se, vt ibi adnotauit Alexander Aphrodiseus, & omnes concedunt, quia certum est, quòd per acidens potest frigefacere) potentiæ vero rationales non sunt determinatæ ad vnum, sed possunt efficere vtrumque contrariorum, vt puta Medicus potest adducere sanitatem, & infirmitatem, & Magister potest verberare discipulum, & non verberare, sed afficere blanditijs: ex hoc autem quòd potentiæ rationales sunt ad opposita, deducit, quòd agant liberè, & non necessariò: nam si agerent necessariò, & essent determinatæ in agendo, agerent simul contraria, vt Medicus simul sanaret, & infirmaret hominẽ, & Magister simul verberaret, & blanditijs afficeret discipulum, quòd est impossibile. Ex hoc deinde concludit, necesse esse dari aliquid aliud in potentijs rationalibus, quod habeat auctoritatem, & imperium determinandi ipsas potentias rationales ad alterum oppositorum: & subiungit, hoc determinans esse appetitum, aut præheresim siue electionem: at manifestum est, quòd appetitus est voluntas, & electio est actus voluntatis; ergo ex hoc loco habetur, quod voluntas secundum essentiam suam est libera, & non necessariò operatur, at primus actus elicitus est actus ipsius voluntatis, quem proposito sibi obiecto circa idem obiectum eliciat diligendo; ergo necessariò hic actus quoque est liber, alioquin non esset actus ipsius voluntatis, neque esset electio.

338 Hic locus est notandus, quia ex hoc non solùm habetur, quòd voluntas non determinatur ab intellectione, vel ab obiecto, sed ista est quæ prædeterminat intellectum, & alias potentias ad faciendum hoc, & illud; vndè, vt ait Scotus, intellectus solus non est potentia perfecta rationalis, licèt sit contrariorum, sicut & scientia: potest enim esse oppositorum, & est indeterminatus, sed quia est potentia diminuta, & non libera, non potest se determinare ad alterum oppositorum: at voluntas est indeterminata quidem, sed est perfecta, quia pōt se determinare, & potuit determinare quoque intellectum, & scientiam ad alterum oppositorũ: quia voluntas est agens liberũ. Est ēt perfecta potētia rationalis, qa per intellectũ cognoscit, & per semetipsam habet potētiam determinandi intellectum, & alias potentias ad hoc, vel illud faciēdum.

339 Præterea. Ex hoc eodem fundamento quæro ab aduersarijs, An actus ille primus elicitus à voluntate circa dilectionem finis sit actus rationalis, an irrationalis. Si irrationalis; ergo est brutalis, quod est omnino absurdum; ergo est rationalis, & consequenter est liber.

340 Præterea. Dilectio finis est actus nobilissimus, ad quem omnes alij actus inferiores, & sequentes subordinantur: illi enim sunt circa media ad finem dilectum consequendum; ergo absurdum est dicere, quòd sit actus irrationalis, & quòd voluntas naturaliter, & absque electione illum eliciat. Relinquitur ergo, vt sit rationalis: at omnis actus rationalis, est à potentia rationali; potentia rationalis est ad opposita; ergo actus ille est liber, & non necessariò, neque naturaliter est elicitus.

341 Septimò principaliter ita arguo. Isti præsertim Medina, Bannes, & Recentiores dicunt, hunc actum primum esse à Deo, & de illo aiunt verificari multas auctoritates scripturæ Sacræ, quibus ostenditur Deum incipere bonum opus in nobis, vt est illud prouerbiorum cap. 21. *Cor Regis in manu Domini quocumque voluerit, vertet illud*. Et illud Esaiæ 65. *Inuentus sum à non quarentibus me, & palam apparui his, qui me non interrogabant*, &c. Tunc quæro ab aduersarijs, An homo in his actibus primis, quibus mouetur sic à Deo, mereatur, an non. Non dicent quod non, quia sustinent his actibus homines mereri gratiam habitualem, & iustificari, vt cum quis iamdiù moratus est in peccatis, & excitatus à Deo ad diligendum Deum super omnia, & ad odio prosequendum peccatum assentiendo iustificari; assensum tamen illum voluntatis dicunt effici à Deo; ergo sustinere habent, hunc actum esse meritorium: at actus naturalis non est meritorius; ergo actus ille primus dilectionis Dei super omnia, quo habito, homo quærit. Postea media ad ipsius visionem consequendam, qui est perfectissimus, non est naturalis, sed liber, & maximè voluntarius. 7. Ratio principalis Scoti.

342 Propter has rationes, quæ efficacissimæ sunt, videtur idem mihi dicendum de actu primo voluntatis, & de sequentibus: vnde cum ad alios sufficiat obiectum ostensum, & voluntas ipsa libera cum concursu generali Dei, non video, cur in primo actu elicito voluntatis necessarium sit, voluntatem à Deo determinari speciali modo ad illum efficiendum. De qua re plura in 2. Sent. in disp. An Angelus peccare potuerit in primo instanti, & alijs locis superius citatis diximus. De hac re iterum vide in 1. Sent. dist. 13. disp. 29. cap. 2. Cõclusio.

344 Quod etiam dicunt, libertatem voluntatis saluari, eo quia licèt in actu primo elicito non sit libera, tamen est libera in actibus alijs sequentibus, quia potest liberè mouere intellectum ad considerandum diuersa, & alijs potentijs imperare, fusè impugnatur à Scoto in eodem 2. Sent. dist. 25. §. *Contra conclusionem*, versiculo, *Quod etiam dicunt, quòd libertas attenditur in voluntate*, &c. Argumenta non adduco, quia clara sunt in textu Scoti. Alia argumenta Scoti ad idem.

Voluntatem esse liberam quò ad omnes actus, etiam primum, secundùm Scotum, & veram opinionem. Quid sit liberum arbitrium spontaneum, & contingens, & rationum adductarum solutio. Caput Decimumtertium.

345 EX quatuor opinionibus suprà cap. 11. propositis solum tertiam dicebamus esse veram, quæ asserebat, intellectum cum obiecto mouere quidem voluntatem, at non effectiuè, sed tantummodo proponendo obiectum, & finem ipsi voluntati, qua propositione habita, voluntas postea semetipsam determinat ad prosequendum, vel fugiendum obiectum, vel neutro modo se habet; se etiam determinat ad actum diligendum, vel non diligendum, siuè ad exercitium actus. Quæ quidem opinio est Scoti in 2. Sent. dist. 25. præsertim in solutione argumentorum, & in corpore quæstionis §. *Dico ergo ad quæstionem*, &c. Et licèt ibi dicat, quòd aliud à voluntate non est causa totalis volitionis, tamen tenet quòd neque etiam partialiter actus voluntatis efficitur à voluntate. Illud autem dicit quia præsertim disputat contra primam opinionem, quę dicebat, volitionem totaliter effici ab exteriori principio, & voluntatem tantum passiuè se habere. 3. Opinio cap. 11. adducta probatur.

346 Prima ergo pars huius opinionis, scilicet, quòd actus voluntatis non proueniat effectiuè ab intellectu, & ab exteriori principio, patet per argumenta facta præcedenti cap. & argumenta facta superius cap. 10. quæ præsertim desumpta sunt ex Scoto in hac dist. 25. in corpore. 1. Pars allatę opinionis vbi probatur.

347 Secunda pars verò. Scilicet, quòd voluntas moueatur solum ab intellectu proponente obiectum, patebit ex responsione ad argumenta, ex quibus etiam patebit, quid sit liberum arbitrium, quid spontaneum, & quid contingens. 2. Pars eiusdem opin. quomodo probatur.

Ad

Ad primā rationem.

348 Ad primum argumentum ergo respondet Scotus in eadem dist. 25. in responsione ad vltimum principale, quòd duplex est cōtingens, & indeterminatum: alterum imperfectum: alterum perfectum. Imperfectum, vt scientia, intellectus, & huiusmodi, quæ quantum est ex se sunt contrariorum: vndè Arist. 9. Met. tex. 10. vult, quòd si ex se sinè alio determinante procederent ad actum simul producerent contraria, quod quia impossibile est concludit, necessarium esse dari aliquod determinans distinctum ab illis, quod illa determinet, quod ait deinde esse appetitum, & electionem, vt cap. superiori ratione sexta dictum est. Datur ergo aliud contingens, & indeterminatum, quod quidem est in potentia ad opposita, sed istud est perfectum, & minimè diminutum, & istud pręsente obiecto sibi, potest determinare se, & alias potentias indeterminatas. Vndè Arist. eodem 9. Met. textu 10. quia dixerat, scientiam esse contrariorum, & tamen ad nullum illorum ipsam se posse determinare, subdidit determinatiuum, & dixit, illud esse voluntatem, & electionem, vt cap. superiori ratione sexta diximus. Potentia ergo rationalis perfecta, cuiusmodi est voluntas, quamuis sit contradictoriorum poterit determinare se obiecto pręsente ad vnum illorum.

Ad secundum.

349 Ad secundū, quod est prima ratio adducta à Scoto pro Gotfredo, respondet ipse Scotus longo sermone, sed solutio consistit in hoc, quòd illa propositio, Mouens, & motum debent esse subiecto distincta, est vniuersaliter falsa saltem in spiritualibus: quia Deus non posset vnum Angelum ita nudum in naturalibus creare, quin ipse relictus suis naturalibus non posset se intelligere; ergo tunc esset mouens, & motus, quia esset intelligēs, & intellectus. Et in 4. d. 49. q. 14. probatur, animam intellectiuam separatam habere potentiam mouendi se ipsam de vno vbi ad aliud; perfectio enim, quæ competit enti imperfectissimo non debet negari perfectiori, ad quam inferius ordinatur: mouere se ipsum competit brutis; ergo. Ad probationem, quia idem dictum est mouens, & motum esse indistincta subiecto, & idem mouere se, respondet Scotus (dimissa responsione D. Tho. quam ibi adducit, quæ etiā est vera, & consistit in hoc, quòd negat, consequentiam, scilicet, quod si mouens non sit distinctum à moto subiecto sequatur, quòd mouens, & motum sint idem: quia diceret, intellectum apprehenso obiecto mouere voluntatem, & tamen intellectus mouens voluntatem per obiectum apprehensum non distinguitur ab ea subiecto, quia sunt in eadem anima: neque tamen intellectus apprehendens obiectum, & voluntas sunt idem, quia secundùm D. Thom. realiter distinguuntur. Hæc ratio solùm in eo peccat, quòd supponit, potentias esse accidentia realiter distincta in eadem essentia animæ: admisso autem, vt nos admittimus, quòd sint idem realiter distinctę tantùm formaliter, sequitur, idem realiter posse mouere se ipsum, ideò est responsio Scoti, quòd non solū indistincta subiecto sed vnum, & idem simplex potest mouere se ipsum.

Ad primā pbationē.

350 Ad primam probationem, quia tunc sequeretur, quòd idem esset in actu, & in potentia, quod repugnat, respondet Scotus, quòd actus, & potētia duobus modis possunt accipi. Vno modo vt sunt differentiæ primæ diuidentes ens, & sic est impossibile, quòd idem simul sit in actu, & in potentia, quia vnum includit negationem alterius, cum enim aliquod est album in potentia, certè tunc non non est album in actu, & è conuerso. Alio modo possunt considerari quatenus sunt differentiæ potentiæ, & principij actiui, & passiui, & tunc potest esse sermo de potentia, & principio actiuo vniuoco vel ęquiuoco. Si loquamur de agente vniuoco, non potest idem esse in potentia, & in actu, & consequenter non potest esse mouens, & motum: ratio est, quia agēs vniuocum agit per eandem formam, quam inducit in passum: nam ignis generat ignem per formam ignis existentem in se ipso; ergo idem non potest producere, & agere formam ignis, & carere forma ignis: ideò in istis vera est ista propositio, Tale est passum in potentia, quale est agens in actu: & ideò est impossibile, quòd idem sit tale actu formaliter, & potentia tale formaliter, vt quòd ignis sit formaliter actu ignis, & sit simul formaliter potentia ignis. At loquendo in agentibus æquiuocis, non est inconueniens, quòd idem sit simul tale actu, & tale potentia. Ratio est, quia agens æquiuocum non est formaliter tale, quale est id, quod producitur, sed virtualiter tale, quia agens æquiuocum est nobilius passo: ideò producit passum per formam, quæ non formaliter, sed virtualiter continet formam passi: ideo agens æquiuocum non est tale actu formaliter, quale est passum potentia formaliter, sed est tale actu virtualiter, quale est passū potentia formaliter. Ideò id, quod habet in se ipso virtualiter, & potentia, potest efficere in se ipso actu formaliter: ideò vis augumentatiua, quia virtualiter continet augumentationem ipsam in se ipsa, seipsam reducit ad actum, & formaliter, & actu auget se: ita intellectus, quia virtualiter continet in se scientiam obiecti scibilis, pręsentato obiecto potest formaliter, & actu intelligere, & sic idem existēs aliquid virtualiter potest facere se illud actualiter, formaliter: & ita intellectus de potentia intelligente facit se ipsum actu intelligentem. Vndè negare id, quod virtualiter est in potentia ad aliquam perfectionem, non posse illam recipere, est negare, quòd res talis non sit capax suæ perfectionis, quod est omnino absurdum. Quòd si dicat, quòd agens virtualiter tale non potest se facere tale formaliter, sicut patet de Sole, qui est calidus virtualiter, ideò non potest esse calidus formaliter: & Deus virtualiter potest facere Leonem, & virtualiter continet perfectionem Leonis, neque tamen potest formaliter generare Leonem, nec esse formaliter Leo. Respondet Scotus, quòd ista propositio, Nihil existens virtualiter tale, potest esse formaliter tale, est simpliciter falsa, & si est vera, est vera gratia materiæ, in quo est; & in exemplis adductis fit fallacia à non causa, vt causa: nam causa, propter quam Sol non potest esse formaliter calidus, nec Deus potest esse Leo, non est, quia Sol sit virtualiter, & eminenter calidus, & Deus sit virtualiter, & eminenter Leo, quæ tamen supponitur esse causa, sed causa vera est, quia caliditas est qualitas sensibilis, quæ non est nata recipi, nisi in corpore mixto. Similiter causa vera, qua Deus non potest esse formaliter Leo, nec potest formaliter generare Leonem, est, quia Deus est forma simplicissima, in qua non potest esse compositio rei, & rei: vel quia perfectio Dei est infinita, ideò non potest recipere aliam, & aliam rem. Quòd autem vera causa, propter quam Sol non est formaliter calidus, non sit, quia eminenter Sol continet calorem, probatur eo quia oppositum est causa oppositi, si continentia eminentialis caliditatis est causa, vt Sol non contineat caliditatem formaliter; ergo Saturnus, qui non continet caliditatem eminenter posset esse calidus formaliter, quod tamen est falsum. Est ergo dicendum, quòd illa propositio, Nihil eminenter tale, potest esse formaliter tale, est simpliciter falsa. Quod ad hùc confirmatur, quia vniuersaliter, omne subiectum continet passionem suam virtualiter, & tamen formaliter recipit eam. Et hæc videtur esse sentētia Phylosophi 7. Met. tex. 32. vbi dicit, quòd ad hoc, quod generetur quantum, & quale, non oportet pręcedere nisi substantiam: quantitas autem, & qualitas sunt accidentia producta à substantia, & in ea recepta.

351 Ad secundam confirmationem. Cum dicitur, hāc propositionem, Idem non potest se ipsum mouere, esse principium Methaphysicum, respondet Scotus, hoc esse falsum: ratio est, quia omne principium Metaphysicum ex terminis est notum, itaquòd nullus, saltem Sapientes non dubitant: at de ista propositione multi, & sapientes dubitant; ergo non est principium Metaphisicum. Vel est dicendum, quòd si ista propositio intelligatur in hoc sensu, in quo ad propositum adducitur, scilicet, quòd per mouens intelligatur forma qua agens agit, & per motum principium receptiuum, propositio est falsa, quia sensus erit, Quòd nihil, quod habet rationem actiui, & — Ad secūdā cōfirmationem.

eminentioris, est receptiuum: quam propositionem esse falsam patet, quia subiectum virtualiter continet propriā passionem, & alia accidentia, & ea producit; & tamen ea quoque formaliter recipit in se ipsum.

Ad tertium principale.

352 Ad tertium principale, dimissa responsione Henrici, & eius confutatione, quam videre poteris in textu, Respondet Scotus dupliciter. Primò cum dicitur, quòd materia, & efficiens non coincidunt ex Philosopho 2. Phis. verum est de materia, quæ est subiectum transmutationis realis, non de materia accepta pro subiecto, quod est receptiuum formæ, & etiam est efficiens: hęc enim materia coincidit cum causa efficiente. Secundò respondet, quòd efficiēs est duplex: aliud propriè dictum, cuius actio transit in materiam extrinsecam, sicut factio: aliud est efficiens, quod est idem quod agens, & est illud, cuius actio non est ad extra, sed manet intra ipsum agens. Materia non coincidit cum efficiente primo modo, sed cum efficiente secundo modo: quia simul est efficiens, & est materia, in qua recipitur res affecta.

Ad quartū.

353 Ad quartum respondet Scotus, quòd relationes sunt in triplici differentia. Quædam habent dependentiam essentialem inter se, vt relationes causæ, & causati, & istæ repugnant in eodem supposito, & in eadem natura singulari. Aliæ sunt relationes originis, quæ tamen non habent dependentiam inter se, vt paternitas, & filiatio in diuinis, & istæ repugnant in eadem persona, & supposito, quia nullum suppositum producit se ipsum, sed tamen stāt in eadem natura singulari, cuiusmodi est diuina essentia. Aliæ habent accidētalem dependentiam mutuo inter se, vt mouens, & motum: motum enim non dependet essentialiter à mouente: quia non dependet nisi ratione illius accidentis, quod recipit: & istæ relationes tertio modo dictæ non repugnant in eadem natura singulari, neque in eodem supposito siue persona: quia idem potest efficere in se ipso suam perfectionem accidentalem, & sic potest accidentaliter dependere à se, licèt non possit dependere à se essentialiter. Vnde quòd duæ relationes oppositæ nō possint esse in eodem supposito, vt causa, & causatum, non prouenit ex ratione relationū oppositorum, sed quia essentialiter dependent vna ab altera; istæ autem non habent essentialem dependētiam inter se, sed accidentalem. Ad probationem cum dicitur: quæ realiter referuntur, realiter opponuntur, opposita realia verò non possunt esse simul in eodem subiecto. Respondetur hoc esse verum de relatiuis realibus, & essentialiter oppositis: in illis enim verum est dicere est pater; ergo non est filius: sicut est nigrum; ergo non est album: non de relatiuis denominatiuè acceptis, & acceptis in concreto, cuiusmodi sunt ista. Nam verum est dicere, si est agens, est quoque motum à se ipso: non tamen verum est in abstracto, quia hęc est falsa, est actio; ergo est passio: quia hæc formaliter repugnant, non per accidens, vt faciunt hæc relatiua in concreto.

Ad quintū principale.

354 Ad quintum principale respondetur vt in eodem argumento dictum est, quod obiectum cognitum non requiritur vt causa efficiens, sed vt causa sine qua non: ideo voluntas sine obiecto non potest agere, & ideo non valet consequentia. Ad rationem contra hanc responsionem, quòd hoc admisso possemus dicere quodlibet agere in se ipsum, & sic possemus dicere lignum cōburere se ipsum, Scotus adducit duas solutiones, & eas impugnat; eandem ponit hanc ad mentem propriam. Primò ostendit proculdubio ad causandam volitionem, esse admittendam aliquam causam sine qua non, etiam secundùm Gotfredum, & cōsequenter nō esse incōueniens ponere obiectū cognitum esse causam, sine qua non, volitionis. Probat autem, quia Gotfredus asserit Phantasma causare intellectionem, & volitionem; sed priùs causare intellectionem, deinde immediatè causare volitionem. Ecce quòd intellectio est causa sine qua non, volitionis, quia licèt non efficiat volitionem; tamen volitio haberi non potest nisi pręcedat intellectio. Ita in proposito potest similiter dici, quòd licèt obiectum non sit causa effectiua volitionis, tamen requiritur, vt causa sine qua non: quia nisi pręcedat apprehensio obiecti, voluntas non potest ponere in actu volitionem. Dat exemplum. Sol non potest illuminare posteriorem partem medij, nisi priùs natura illuminet partem propinquiorem; & tamen pars propinqua illuminata non habet aliquam rationem causæ respectu illuminationis partis magis distantis: quia, & ipsa illuminatur immediatè à Sole immediatione causæ: ita ergo quoque obiectum requiritur tanquam causa sine qua non, ad volitionem producendam.

355 Ex hoc ad argumentum respondetur, quòd consequentia non valet. Ad probationem respondetur, quòd agēs approximatum passo disposito agit necessariò, Vera est quando nihil aliud requiritur, nisi agens, & passum approximatum; sed quādo requiritur aliqua causa sine qua non: si illa desit, agens non potest agere in proposito; ergo licèt adsit voluntas, & obiectum approximatum; tamen non potest agere, & velle nisi pręcedat intellectio obiecti, siue obiectum pręintellectum. Cum arguitur de sensu, quòd si esset actiuus semper ageret ex Arist. 2. de Anima, Respondet Scotus quòd non est par ratio, quia sensus in sua sensatione non dependet nisi à causis effectiuis sensationis, non autem dependet ab aliquo priori effectu, qui requiratur tanquam causa sine qua non: ideo ille semper ageret: at hoc non sequitur de voluntate, vt dictum est.

356 Tertiò respondet ad rationem probantem obiectum non posse esse causam sine qua non, quia sic poterimus dicere, quòd lignum cōburit se ipsum, & quòd ignis concurrit, tantùm vt causa sine qua non: & dimissis duabus responsionibus quas supra adduxit versiculo *ad aliud substinendo*, &c. secundùm propriam mentem respondet, non valere consequentiā absolutè, & pręsertim in exemplo allato de ligno: nam verum est quidē, quod ens quodcunque existens in actu primo ad mouendum se, se ipso, & non alio exit in actum secundum, & ita omne tale agit in se ipsum. Vnde habens scientiam in actu primo, non indiget aliquo alio effectiuo, vt exeat in actum secundum considerandi. Suppono autem, quòd sit in actu primo cōpleto, & nihil ei deficiat: nam potest contingere, quòd aliquid existat in actu primo completo; & tamen non possit exire in actum secundum: quia ei aliquid aliud necessariò pręrequisitum deficiat; vt visus, & si perfectus sit in actu primo, tamen nō potest videre colorem in tenebris: cum ergo ei nihil necessarium deficit, potest exire in actū secundum se ipso: ideo in his valet consequentia. At non valet in omnibus, & pręsertim in his actionibus quæ non sunt perfectiuè, sed destructiuè agentis, cuiusmodi est cōbustio ligni; actio enim combustiua ligni nō est perfectio ligni, sed corruptio illius, & idem de similibus: ideo rationabiliter non potest poni, quòd lignum habeat tale principium actiuum in se ipso, & quòd ignis sit tantùm causa sine qua non: at voluntas est perfectio maxima animæ, & ratio actiua mouendi ad actum secundum est maxima perfectio animæ; ergo rationabiliter ponendum est voluntatem habere principium actiuum perfectum in actu primo exeundi in actum secundum ex se, nullo alio actiuo externo concurrente: ideo non est par ratio, & sic non valet consequentia. Potest confirmari hoc tamquam à signo per primam responsionem adductā ibi à Scoto, quæ, etsi non conuincat aduersarium, suadet tamen, & est, quia videmus, quòd pręsentatis diuersis combustilibus igni, in omnia æqualiter agit quantum est ex se: at pręsentatis diuersis obiectis voluntati nō ęqualiter illa vult; ergo signū est, quòd principium actiuum volitionis est in voluntate, & principium actiuum comburendi non est in combustibili, sed in igne.

Adducit deinde Scotus ibi duas obiectiones, & illas soluit, quæ sunt faciles in textu, ideo illas omitto.

357 Ad sextum principale respondet Scotus negando falsitatē consequentis. Clarū est enim, quòd volūtas volēs formaliter est nobilior se ipsa volente tantùm virtualiter. Ad sextum principale.

Ad

Ad rationem contra hoc, quia causa æquiuoca est nobilior suo effectu, respondetur, illam propositionem esse veram, considerando terminum productum à causa æquiuoca præcisè non cum adiuncto cum alio: ideo volitio præcisè considerata, vt volitio, est ignobilior voluntate producente ipsam: at volitio cum voluntate, quæ est hoc compositum, voluntas volens, non est ignobilior voluntate, vt est causa productiua volitionis, sed est nobilior ea.

Ad septimam.

358 Ad septimam, quæ videtur esse fundamentum Caietani; & est argumentum primum principale Scoti, respondet Scotus, & in hac responsione declarat maximè mentem suam, quomodo teneat obiectum cognitũ concurrere ad causandum volitionem; inquit ergo nos posse sustinere, quod obiectum duobus modis mouet voluntatẽ in productione volitionis: vno modo, quod obiectum sit causa effectiua volitionis, nõ quidem totalis, sed vt aliquid ibi faciens: & tunc inquit auctoritatem illam sic acceptam sine glosa non facere contra eum; signum est ergo, Scotum sustinere obiectum cognitum concurrere, vt causa effectiua solum partialis ad volitionem; sed respondetur, Scotum non velle obiectum vllo modo, nec totaliter, nec partialiter concurrere effectiuè ad productionem volitionis propriè loquẽdo, ita quòd causalitas obiecti attingat ipsam volitionem, vt suprà ostendimus; sed pro tanto dici obiectum effectiuè concurrere, quia concurrit, *vt aliquid ibi faciens*. Per hæc verba vult dicere, quod ideo effectiuè causat, quia eius præsentia tanquam causa sinè qua non est necessaria. Intellectus enim proponens obiectum voluntati illam excitat, & facit vt possit producere volitionem, & hæc est prima responsio. Secunda responsio est, quod possumus sustinere, quod obiectum, sicut & finis moueat tantum methaphoricè intellectum, dum per intellectum proponitur voluntati. Et, sustinendo hanc viam, quæ est vera, & cui maximè inhæret Scotus, licet parum distet à prima, inquit ad argumentum esse respondendum, quod auctoritas illa sic debet intelligi, quod sicut appetibile mouet appetitũ methaphoricè, ita appetitus, sic motus, mouet deinde effectiuè membra ad exequendum, vt acquiretur illud appetibile. Et cũ dicitur, quod æquiuocaret de mouente: respondet hoc nihil valere, quia non oportet, quod omnia ordinata secundùm ordinem causandi sint causæ in eodem genere causæ: nam causa efficiens mouetur à causa finali: deinde ipsa causa efficiens mouet materiam, & inducit formam in composito: ecce quòd istæ causæ sunt ordinatæ, & tamen causa finalis causat in suo ordine, efficiens in suo genere, materia & forma in suo genere. Dicendum est ergo, quod Arist. ibi assignat ordinem causarum qualitercunque mouentium, non autem mouentium tantùm in vno genere, & in genere causæ efficientis.

Quomodo secundum Scotũ obiectũ cognitũ concurrat ad causandum volitionem.

Ad primã cõfirmationem de balneo.

359 Ad primam confirmationem respondet Scotus in fine responsionum ad argumenta Gotfredi, eadem responsione, quæ nunc dicta est, ex qua magis manifestatur mens Scoti in hac quæstione. Inquit ergo quod sustinendo obiectum mouere potentiam effectiuè, licèt nõ sit causa totalis, sed *quatenus est aliquid ibi faciens*, idest quatenus aliquo modo necessariò requiritur, possumus dicere, quod balneum, vt est extra, mouet, vt finis, & vt in anima mouet effectiuè; sed sustinendo, quod obiectum sit causa sine qua nõ, vt dictum est, & nullo modo effectiuè, quod est verius: est dicendum, quod balneum non mouet per se effectiuè, sed solùm per accidens: quatenus scilicet mouet causam efficientem, quæ est voluntas ad efficiendum actum suum. Quòd si quis objiciat, quòd obiectum non potest esse causa per accidens: quia causa per accidens est posterior causa per se; obiectum autem est prius volitione; ergo videtur, quod sit causa per se illius, non per accidens. Respondet Scotus, quod illa propositio, causa per se, est prior causa per accidens, potest intelligi, vel de prioritate naturæ, & origine, vel de prioritate perfectionis. Secundo modo semper est vera, sed priori modo non est semper vera, quia aliquando causa per accidens præcedit causam per se, vt amotio ligni est causa per accidens descensus grauis deorsum; & tamen est prior causa per se descensus grauis deorsum, quo est ipsa grauitas, vel forma grauis.

Ad secundam cõfirmationem

360 Ad secundam confirmationem respondet ibidẽ Scotus, quod non est par ratio de appetitu sensitiuo, & suo appetibili; & de appetitu intellectiuo, qui est volũtas, & eius appetibili: quia appetitus sensitiuus non est liber, sed est potentia naturalis, quæ non ducit, sed ducitur: ideo ab obiecto mouetur effectiuè; sed voluntas est appetitus liber, qui ducit, non ducitur: ideo effectiuè non mouetur, sed solùm methaphoricè, & per ostensionẽ obiecti, deinde ipsa se effectiuè mouet ad actum suum eliciendum.

Ad octauã.

361 Ad octauam assumitur falsum, scilicet imperium esse actum intellectus, est enim actus voluntatis, vt suprà ostensum est.

Ad nonam quæ est ratio D. Thomæ.

362 Ad nonam, quæ est ratio D. Thomæ, & præsertim intendit probare primam volitionẽ esse ab externo principio, respondetur, quod voluntas in omni actu suo tàm primo, quàm subsequẽtibus potest se ipsam deducere ad actum. Et cum ait, quod omnis volitio præcedit aliam volitionem, concedo, quod volitio mediorum ad finem præsupponit aliam volitionem, quæ est volitio finis, & dico, quod in hac datur status, & hæc est à voluntate ipsa liberè. Negamus enim voluntatem actu elicito velle naturaliter finem ipsum, & in hoc D. Tho. non acceptamus; quia dicimus, quod ostenso obiecto, & fine ab intellectu ipsi voluntati, voluntas ipsa manet libera, & quòad specificationem, & quòad exercitium: etsi diliget vnum obiectum, & non aliud, & exercet actum circa illud, hoc facit ex suo dominio, nõ ex instinctu naturæ; licèt enim ex instinctu naturæ inclinetur ad aliquod obiectum ostensum sub ratione boni: tamen cum hac inclinatione stat libertas, quòad elicionem actus circa illud, & quòad specificationem: vnde sæpè videmus, quod volũtas, etsi videat aliquod obiectum sub ratione boni, tamen illud abijcit, & quærit aliud, neque illud necessariò diligit.

Ad decimã

363 Ad decimam respondetur, verum esse, quicquid vult, & efficit voluntas nostra, illud velle media consultatione; sed nego consultationem esse tãtumodo de medijs, non autem de fine. Ad probationem, quia nemo consultat de fine, vt etiam ait Arist. 3. Ethicorum cap. 3. Respondeo, quod finis duobus modis potest accipi. Vno modo pro ipso fine, vt finis est, & quatenus est statutus finis. Alio modo pro obiecto ostenso sub ratione boni, quod ab ipsis appellatur finis. Verum est, quod finis primo modo non cadit sub consultatione, sed finis statuitur: deinde consultatur de medijs quibus talis finis acquiritur, & hoc modo loquitur Arist. 3. Ethicorum: vndè subinfert hæc verba, *Sed omnes posito quodam fine quomodo, & per quæ fiat ille, considerant*. At accipiendo finem pro obiecto ostenso sub ratione boni, & finis, est consultandũ, an scilicet sit tale bonum, quod re vera debeat statui, pro fine; & ideò voluntas habet potestatem illud statuendi pro fine, & diligendi, ac dirigendi media ad illum inuestigandum. Est ergo verùm, quòd voluntas est libera circa volitionem finis, idest obiecti ostensi sub ratione boni, & finis, tàm quòad specificationem actus, quàm quòad exercitium: quia potest illud abijcere, & aliud statuere pro fine: vel quærere, an aliud sit statuendum, & est libera, quò ad exercitium, vt suprà dictum est.

Ad vndecimam.

364 Ad vndecimam responsum est 1. dist. 1. quæst. 4. disp. 13. cap. 6. in responsione ad primum diffusè, ideò nolo repetere.

Ad duodecimam.

365 Ad duodecimam respondetur, voluntatem posse considerari duobus modis: vno modo, vt est potentia naturalis; alio modo vt est potentia libera. Verũ est, quod inclinatio naturalis, quæ competit voluntati, est à Deo: at actus elicitus competit voluntati, non vt est natura, sed vt est potentia libera: ideò isti actus non sunt à Deo: ideò cum dicitur velle finem inest voluntati ex inclinatione

naturæ. Respondeo, quod ibi velle potest duobus modis accipi. Vno modo, vt significat propensionem naturæ in bonum, quæ propensio satis impropriè dicitur, velle; quomodo solemus dicere, natura vult perpetuari; idest appetit perpetuare: & in hoc sensu concedo quod velle finem in voluntate est à Deo, & ex instinctu naturæ. Alio modo potest accipi propriè pro actu elicito à voluntate: & hoc modo dico quod est actus liber quo ad exercitium, & quo ad specificationem, & effectiuè est à voluntate non à Deo nisi partialiter, eo modo quo Deus concurrit ad actus nostræ voluntatis, vt habet Scotus in hoc 2. dist. 34. & 37. An Deus sit causa peccati.

Ad decimã tertiã quid sint primi motus, & quare non imputẽtur, & vnde causentur.

366 Ad decimamtertiam respondet Scotus in quolib. 21. littera M. versiculo. *sed si quæras primæ intellectiones sunt ne simpliciter fortuitæ*, &c. Et superiori versiculo, *Respondeo prima ratio*, &c. & adducit opinionem Thomistarum adductam qui dicunt quod primus motus voluntatis sit à Deo. Et Margo Scoti citat ibi Henricum quolib. 6. q. 10. & hanc opinionem non approbat, quia tenet tàm actum primum quàm secundum, & alios esse à voluntate. Declarat deinde à quo proueniant primi motus, qui non sunt in potestate nostra: & inquit quod primæ intellectiones in nobis sunt à fortuna, & à casu, non tamen simpliciter, sed aliquo modo sunt quoque à natura. Sunt à casu, quia intellectus mouetur ab obiecto præsentato sibi à sensu: casu autem accidit quod tale obiectum primò moueat sensum externum, qui postea mouet phantasiam, & gignit phantasma, quod postea mouet intellectum, & intellectus motus ab illo obiecto mouet deinde voluntatẽ; ergo prima intellectio, & consequenter prima volitio est à casu. Mouetur tamen quoque à natura, quia illa obiecta prius mouent quæ fortiora gignunt phantasmata, & non habent impedimenta: & sic prima intellectio habet causam naturalem motiuam in nobis. Primæ ergo intellectiones non sunt à voluntate, quia non sunt in potestate nostra, nisi interpretatiuè: idest quia in potestate hominis est facere obiectum aliquod fortius mouere: potest enim frequenti consideratione versari circa aliquod obiectum, vt ex illa frequenti consideratione fortius imprimatur phantasma illius obiecti memoriæ, & sic fortius moueat intellectum: & hinc est quod cum istæ primæ intellectiones non sint in potestate nostra nisi interpretatiuè, neque etiam sunt nobis imputabiles, nisi interpretatiuè, vt nunc, & supra disp. 5. cap. 1. dictum est. Loquendo vero de prima volitione, inquit Scotus, quod hæc non causatur ab intellectu, neque ab illa intellectione prima, quia voluntas non mouetur necessitate naturali, sed habita prima intellectione est in potestate sua conuertere intellectum ad considerandum hoc, vel illud: illud velle, vel nolle, & sic prima volitio omnino est à nobis non à casu vt prima Intellectio.

367 Et cum dicitur quod intellectio illa prima aliquando est ita impetuosa, vt trahat secum primam volitionem, vt contingit in primis motibus. Respondetur quod in talibus motibus voluntas non habet actum elicitum, sed se habet merè passiuè, vt potentiæ naturales respectu suorum obiectorum naturalium: & vt brutum trahitur à cibo sibi conuenienti motus; ergo illi primi non sunt volitiones, sed impetus voluntatis, vt est potentia naturalis, quo tendit in obiectum sibi conueniens, & delectabile; Vnde in his motibus non se gerit homo vt rationale animal, quod operatur per cognitionem, & discursum, sed vt brutum; & ideo isti motus nobis non imputantur nisi vt dictum est interpretatiuè, quia sunt naturales. Vnde D. August. lib. 3. de libero arbitrio dicebat. *Non est in potestate nostra quin visis tangamur*, & ratio est, quia illi motus sunt impetus naturales non voluntarij, neque habiti cum cognitione, & aduertẽtia, ideo videmus quod cum deinde animaduertimus nos versari in talibus cogitationibus, auertimus nos ipsos ab illis, & ad alios intellectum nostrum dirigimus.

368 Præterea negatur quod motus primò primi sint volitiones primæ: dicimus enim quod sunt ipsæ intellectiones causatæ in nobis à Phantasmatibus, quæ quidem aliquando impetu vehementi excitant voluntatem ad prosequendum obiectum propositum; sed tamen numquam possunt extrahere actum volitionis à voluntate, nisi ipsa mediante cognitione aduertens quid faciat, assentiat, & eliciat volitionem: quia actus ille omnino est in potestate voluntatis, & nisi volens potest illum elicere; illi ergo impulsus qui videntur trahere voluntatem ad volitionem sunt actus intellectus non voluntatis; & ideo non imputantur nobis nisi interpretatiuè vt dictum est.

Ad decimã quartã.

369 Ad decimãquartã patet ex nũc dictis; fatemur enĩ illos actus primos, non esse à voluntate, sed dicimus esse à phantasmatibus, & à casu, & à natura: neque illi motus sunt volitiones, sed intellectiones, vel impulsus naturales, vt dictum est.

Obiectio ex prouidẽtia Dei.

370 *Sed contrà*. Et probatur quod isti primi motus sint à Deo: quia Deus habet prouidentiam rerũ omnium, non solùm in generali, qua sinit eos motus suos agere, sed etiam particularem de vnaquaque, secundùm quam prouidet vnicuique hominum, vt eos in suum finem perducat. Respondetur verum esse secundum fidem Deum habere prouidentiam hanc particularem; & ideo obiecta prima, non omnia tamen, sed quæ pertinent ad actus supernaturales mouentia sensum, & intellectum non à casu sed ab ipsomet Deo dirigi, & ordinari, vt moueant intellectus hominum secundum occulta iudicia sua; sed ex hoc non sequitur quod extrahat, & determinet primas volitiones hominum, neque quo ad specificationem, neque quo ad exercitium, sed illæ sunt liberè, vt dictum est.

Quomodo Deus moueat voluntatem creatã sua prouidentia.

371 Vbi est notandum, quod cum Deus sua prouidentia speciali vult voluntatem nostram inducere ad eliciendum aliquem actum, non determinat nec impellit eam ad huiusmodi actum, etiam si Deus velit efficaciter illum actum elici à voluntate creata: sed per alias causas secundas proponit intellectui illa obiecta, quæ apta nata sunt mouere voluntatem ad actum illum eliciendum: qua intellectione habita voluntas se ipsam determinat ad illum actum eliciendum. Quandoque etiam absque noua propositione obiecti, & motione intellectus excitat amorem, & inflamat voluntatem speciali ardore, vt docet D. Bonauentura Thom. 2. Opusculorum tractatu de mistica Theologia, quæst. vnica, & in itinerario cap. 7. nam postquam homo Christianus per fidem habet cognitionem ipsius Dei, & misteriorum eius, Deus affectũ eius absque noua cognitione potest inflammare, & de facto aliquando inflammat: ex qua inflammatione, & charitate insurgit in intellectu lumen, & cognitio maior, quàm sit cognitio, quam acquirimus procedendo per viam speculatiuam, & per cognitionem intellectus acceptam à rebus: vnde Vasquez p. 1. disp. 35. non rectè percepit D. Bonauenturam; neque enim D. Bonauentura locis citatis dicit, quod possit esse amor absque cognitione vlla omnino, vt ei imponit Vasquez: si quidem respondendo ad quæsitum, & in solutione ad secundum ait amorem hũc flammigerum supponere fidem Christianam, atque hunc amorem nouisse solùm Christianos, non Philosophos. Docet ergo ibi tantum duplicem esse modum ascendendi in cognitionem Dei, alterum per processum speculatiuum intellectus, vt per creaturarum cognitionem tendere in Deum vt faciunt naturales; alterum per amorem, & ardorem affectus qui tantum contingit perfectis: isti enim habito lumine fidei, & dilectione Dei, à Deo ipso per immissionem ardoris diuini, & Seraphici ita illuminantur, vt perfectius quæ Dei sunt, & creaturarum, ac sapientiam rerum attingant, quàm qui via speculatiua ad illos diriguntur. Et hoc modo Sancti, & amici Dei sapientiã Dei & rerum creaturarum adhipiscuntur, quod nulli dubium est esse verissimum.

D. Bonauentura.

Vasquez male reprehendit D. Bonauenturam.

372 Ex dictis colliguntur varia corollaria in quibus consistit explicatio opinionis Scoti, & veræ sententiæ de libero arbitrio, & operationum voluntatis creatæ.

In

Primũ collatiũ obiecti effectiue volitionẽ, vt causa sine qua non.

In primis ergo ex dictis habemus obiectum siuè intellectionem obiecti non efficere intellectionem, sed esse causam sine qua non: quia voluntas non potest elicere suã volitionem nisi præcedat intellectio obiecti: & hac ratione possumus dicere quòd obiectum cognitum etiam aliquo modo sit causa efficiens volitionis: quia licèt non determinet voluntatem ad actum volitionis, sed ipsa semetipsam liberè determinet; tamen est aliquid faciens ad ipsam volitionem; facit enim voluntatem esse proximè in actu primo, sicut pars aeris ꝓxima illuminata facit, vt aer remotus illuminetur actu à Sole, licèt effectiuè non attingat ipsam illuminationem, quæ omnia patent ex Scoto loco citato, ex 2. Sent. d. 25. in responsione ad 7. & 4. d. 49. q. 4. versiculo. *Respondeo nec actus intellectus*, &c.

Quid sit liberum arbitrium.

373 Secundò elicitur quid sit liberum arbitrium. Est enim ipsamet voluntas, quæ est facultas, libera in productione suorum actuum, scilicet tàm quo ad exercitiũ quã quo ad specificationem: quod autem liberum arbitrium sit ipsamet potentia voluntatis, & non alia, etiam sentit apertè D. Thom. par. p. q. 83. art. 4. licèt in alijs differat, vt visum est suprà.

Definitio liberi arbitrij.

374 Vbi est notandum, quod diffinitio liberi arbitrij, quam assignat Magister Sententiarum in 2. d. 25. & D. Thom. p. 2. q. 1. a. 1. quæ est liberum arbitrium, est facultas rationis, & voluntatis quæ est ad vtrumlibet, non est sic intelligenda, vt intelligit Medina ibidem, & alij, quòd liberum arbitrium sit quid compositum ex voluntate, & ratione, eo quia libertas, quæ est in ipso, sit radicaliter à ratione siuè ab intellectu, & formaliter à voluntate: quia supra cap. 10. ostensum est, quod libertas, & radicaliter, & formaliter est à volũtate: potest ergo dici liberũ arbitriũ esse rationis, & voluntatis, quia ratio requiritur tanquam causa sine qua non, præponens voluntati obiectum volendum: quia voluntas non fertur nisi in præcognitum, & hoc modo intelligit Scotus in 2. dist. 38. dum ait totum liberũ arbitrium includere intellectum, & volũtatem, & ex hoc patet etiam falsas esse aliorum opiniones qui dicunt liberum arbitrium esse habitum, vel aliquam tertiam facultatem ab intellectu, & voluntate; quas non oportet confutare, quia clarum est quod liberum arbitrium est facultas libera operans ex præcognitione obiecti huiusmodi autem est sola voluntas.

Diffinitio voluntatis.

375 Tertiò elicitur quæ sit actio libera, siuè quid sit voluntarium propriè dictum: est enim ille actus, qui positis omnibus requisitis præuijs ad illum, est in potestate voluntatis ponere vel non ponere in esse, quæ diffinitio est Almaini 1. Moralium cap. 1. quam multi ex Recentioribus accipiunt, & deffendũt aduersus Thomistas, vt Suarez in Met. disp. 19. Sect. 4. vt Vasquez p. p. d. 99. cap. 7. & alij, & re vera est præcipuè Scoti, vt ex dictis in duabus cap. præcedentibus patet, & ex dictis etiam cap. 10. nam apertè ostensum est quod neque iudicium rationis, siuè intellectus repræsentans obiectum determinat ipsam voluntatẽ; neque radix libertatis oritur ab ipso intellectu; neque voluntas ab aliqua causa externa determinatur; sed ipsa per se ipsam positis omnibus prærequisitis manet libera ad agendum, & non agendum. Notanter autem dixi prærequisitis positis, & non concomitantibus, cuiusmodi sunt concursus Dei ad illum; quoniam hæc concomitantia necessariò requiruntur, vt ipsa actum suum liberum exequi possit: vnde non possunt impedire eius libertatem, sed in vsu ipso libertatis includuntur, & potius sequuntur actum ipsum, quàm antecedant.

Differẽtia inter contingens, & liberum.

376 Verum est hic notandum illud, quod obseruauimus in 1. Sent. d. 10. disp. 37. cap. 5. quod liberum, & contingens non sunt omnino idem, absolutè loquendo, licèt libertas creata habeat inclusam, vt plurimum contingentium. Nam vt ibi diximus, & diximus etiam in disp. de radice contingentium, & habetur ex quolib. 16. art. 2. & 3. multa naturaliter fiunt, & tamen cõtingenter; multa etiã necessariò fiunt, & tamen liberè, vt Theologi dicunt de Deo, qui liberè, & tamen necessariò amat se; neque hoc euenit præcisè, quia obiectum ipsum Dei non possit apprehendi sub aliqua ratione mali; sed solùm sub omni ratione boni, & sic voluntas necessitet ad amandum eum, & proinde Deum non liberè se diligat, vt docent Thomistæ. Et sustinent quoque Vasquez p. 2. disp. 25. cap. 4. & alij: quia iam in 1. d. 1. q. 4. ostendimus voluntatem creatam liberè frui Deo, & d. 10. idipsum ostendimus de Deo ipso, & ratio adducta est suprà, quia voluntas est essentialiter libera, nec ab extrinseco determinatur ad aliqđ obiectum volendum, sed à seipsa. Ratio ergo vera, qua Deus diligit se necessariò, est, quia voluntas eius est rectissima, & inobliquabilis; & obiectum est infinitum, & infinitè bonum: ideo ex semetipsa propter suam infinitam perfectionem determinatur ad illud obiectum amandum, & ideo liberè, non contingenter, sed necessariò diligit se ipsum. Vnde negare quod Deus liberè se diligat, est contradicere auctoritatibus Sanctorum, qui apertè dicunt Deum liberè se diligere, vt abundè ibi diximus. Est etiam dicendum secundum fidem se necessariò diligere; ergò diligit se simul liberè, & necessariò. Dicendum est ergo libertatem in nostra voluntate, & in voluntate creata habere annexam contingentiam, & hæc confundi adinuicem, non autem absolutè. Possumus etiam dicere, quod cõtingentia est annexa libertati; & quantum est ex libertate ipsa ad eam sequitur contingentia, nisi aliunde auferatur contingentia, & ponatur necessitas: vnde voluntas diuina, quatenus libera est, posset non diligere essentiam diuinam, sed quatenus voluntas illa est infinitè bona; & obiectum est infinitè diligendum, hinc oritur, quod non contingenter, sed necessariò voluntas diuina diligit essentiam diuinam, vt infrà dicam in hoc cap. Redeundo ergo ad diffinitionem actus liberi, & potentiæ liberæ, dicendũ est, quod facultas libera est quæ positis prærequisitis habet in potestate sua elicere actum, vel non elicere. Prærequisita autem sunt, obiecti motio facta casu, vel ex prouidentia Dei (quæ tamen non cogit, sed excitat, & suadet solùm, vt dictum est supra de primis motibus,) & cognitio intellectus, quæ non determinant voluntatem ad alteram partẽ, sed relinquunt eam liberam.

Quõ Deus diligat se liberè, & necessariò.

377 Hæc autem sunt conformia doctrinæ Aristot. 3. Ethicor. cap. 1. & 3. nam cap. 1. versus finem habet hæc verba. *Cum autem id inuitus quispiam agat, quod vi, & ob ignorantiam agitur, id sua profectò sponte quispiam videbitur agere; cuius principium est in ipso agente sciente singula, in quibus est ipse actus*: quam definitionem deducit ex opposito: ex eo enim quod inuoluntarium est illud quod fit in illata à principio externo, aut ex ignorantia; ita voluntarium est illud quod fit à principio interno, nulla vi illata à principio externo, & non fit ex ignorãtia. De ratione ergo potentiæ liberè operantis est, vt non determinetur extrinsecus per vim, & quod præcedat cognitio intellectus rei volitæ secundum se, & circunstantias consequentes.

An liberũ, & spontaneũ distinguantur, & quomodo.

378 Sed hic est difficultas, quia hoc modo libera actio non distinguitur à spontanea, & tamen debet distingui, quia pueri, & amentes ex Aristot. eodem lib. cap. 1. agunt spontaneè, & tamen non liberè, quia non habent vsum rationis. Spontaneum etiam competit brutis, vt habet Aristot. eodem libro 3. cap. 1. at libertas nequaquam: quia in ijs non est electio in qua maximè consistit libertas.

379 Respondetur breuiter omissis multis disputationibus, quas de his afferunt Recentiores, quod hæc tria per ordinem se habent. Spontaneum, voluntarium, & voluntarium propriè dictum, quod est liberum. Spontanẽu enim quid vniuersalius est: quia competit brutis, & pueris, & amentibus, & etiam habentibus vsum rationis. Dicimus enim bouem sponte moueri ad comedendum herbam: & similiter pueros spontè moueri ad operationes suas, & homines quoque; tamen nec in brutis, nec in pueris est libertas, quia nec vsus rationis. Voluntarium verò est minus vniuersale, quàm spontaneum, non tamen est idem quod liberum propriè: quia pueri quicquid agunt,

&

& amentes spontè, & voluntariè agunt, quia mediante voluntate, quatenus est appetitus naturalis, agunt, non tamen liberè voluntarium; ergo communiter acceptum est idem quod spontaneum. Voluntatem verò propriè dictum est idem, quod liberum: fit enim à voluntate, vt est facultas libera.

380 Notandum est modò, quod hęc tria in hoc conueniunt, quod omnia hęc habent illas duas cōditiones, quas suprà ex Arist. assignauimus in diffinitione volūtarij; quarum prima est, quod fiant non à principio externo inferente vim. Secunda quod fiant cognitione; bruta autem, pueri, & habentes vsum rationis habent has duas conditiones, quia nō fiunt ab externo principio inferente vim; bruta enim, & pueri à nullo externo principio coguntur per vim, vt patet, & multò minus agentia libera. Tota difficultas est in declarare, quomodo spontaneum, & voluntarium propriè dictum, siuè liberum differant. Dicunt enim aliqui, quod spontaneum, & liberum idem sunt. Tenent etiam, quod si voluntas à Deo determinetur ad alteram partem, ita vt incompossibile sit ferri in oppositum, adhuc esse liberam. Cæterum hæc opinio est falsa, quia sic pueri, & bruta essent agentia libera, quia non coguntur ab extrinseco aliqua vi, sed sponté, idest ex principio interno eliciunt actum suum, & tamen determinantur ad actum certum, & deffinitum.

Thomistarū quorundā opinio.

Reijcitur.

381 Item hæretici Caluinistæ, & horum temporum admittunt libertatem in hoc sensu; dicunt enim hominem intrinsecè non determinari ab obiecto, neque ab aliqua vi, sed solum determinari à Deo ad hoc, vel illud volendum, & tamen damnantur: quia dicendo hoc, dicunt nos necessariò agere, & auferunt liberum arbitrium. Nec valet responsio Aluarez, & aliorum, quod Heretici errāt, non in asserendo liberum arbitrium, prędeterminari à Deo ad actus suos, sed in consequentia: quia ex hoc inferunt liberum arbitrium non concurrere liberè ad actus suos, quòd est erroneum: nō valet inquam hęc responsio, quia hæretici non errant in illa consequentia, quia illa est necessaria stante prędeterminatione hac: errant ergo necessariò in antecedente: ideo dicendum est, quòd voluntarium propriè, idest liberum addit supra spontaneum electionem, & indifferentiam absolutè ad ponēdum actum circa tale obiectum, vel circa aliud, & ad exercēdum actū circa hoc obiectum, vel non exercendum, & hoc apertè asserit Scotus quolib. 21. loco supra citato, & est Aristot. 3. Ethicorum cap. 2. & 5. expressè, vbi ponit potentiam liberam esse eam, quæ agit ex electione; vbi autem est electio ibi est indifferentia, tàm circa obiectum, quàm circa volitionem obiecti. Voluntarium verò in communi differt à spontaneo, quod spontaneum est in agētibus per cognitionem carentibus voluntate, vt sunt bruta, vndè non est in rebus inanimatis, nisi metaphoricè, vt cum dicimus terram spontè aliquid generare, cum nec exculta, nec semine in se ipsa recepto aliquid producit: quia instar spontè agentis se habet. Voluntarium verò est in habentibus voluntatem, sed nondum habentem vsum rationis.

Responsio Aluarez reijcitur.

382 Possumus etiam dicere, quod spontaneum differt à libero, non solùm, quia facultas libera agit ex electione, & respectu omnis causæ externæ, etiam Dei, & internæ habet indifferentiam, spontaneum nequaquam; sed ex simplici ostensione obiecti trahitur ad agere, sed etiam, quia quod sponte agit, & non liberè, potius mouetur, quā moueat se: brutum enim si videat herbam mouentem appetitū suum, ex illo appetitu mouetur progressiuè ad herbam; sed si in motu illo occurrit obiectum fortius mouēs appetitum, tūc desistit à primo motu, & prosequitur aliud obiectum fortius mouens; necessariò ergo mouetur, & sic ab exteriori principio mouetur, non autem mouet se. Et confirmatur: quia appetibile sensitiuum effectiuè mouet appetitum sensitiuum, vt concēdit Scotus, sicut suprà ad 7. in responsione ad secundam confirmationem diximus, ex ipso, & Arist. ipse 3. de Anima tex. 54. apertè id asserere videtur: quia loquens de facultate motiuè in motu locali, quæ verè, & realiter mouet effectiuè, ait constare ex obiecto, & appetitu. Obiectum mouere appetitum, & appetitum mouere organa facultatis progressiuæ. Insuper Scotus hoc confirmat ex Damasceno dicente, *sensitiuus ducitur non ducit intellectiuus ducit non ducitur*. At facultas libera mouetur Metaphoricè tantum ab obiecto, sed effectiuè à seipsa.

383 Ad Arist. verò possumus dicere, quod pro tanto ait spōtaneam facultatem habere principium internum: quia licèt moueatur ab externo, non tamen mouetur ab eo tanquam à violēto principio, & contra inclinationem suam, sed iuxta inclinationem suam; vnde ipsum patiens confert vim actiui, ideò dicitur habere principiū internū.

384 Ex quo sequitur libertatem propriè consistere in indifferentia, & in determinatione voluntatis à quouis alio ab ipsa, & intellectione propria, qua se ipsam determinat ad obiectum hoc, vel illud volendum, & ad exercendum, vel non exercendum actum. Hinc etiam possumus declarare quomodo contingentia, & necessitas possint manere cum libertate, & quomodo non: nam quando voluntas est finita, & imperfecta, & obiectū quoque est finitum, & nō habet omnem plenitudinem perfectionis, voluntas propositis varijs obiectis se determinat ad vnum, & vnum respuit, & aliud vult: libertas in hac voluntate habet annexam contingentiam: at quando voluntas est infinita, & perfectissima, & habet obiectū infinitæ perfectionis, quia voluntas est inobliquabilissima, & obiectum est infinitè diligibile, licèt ipsa quantum est ex ratione voluntatis sit libera, & indeterminata ad volēdum illud: tamen ex infinita sua perfectione habet, vt se determinet ad illud volēdum, & sic necessariò illud vult, non contingenter. (Obiecta verò ad extra, non sunt infinita, & idcirco non determinatur ad illa volēda ex sua perfectione, sed manet contingentia: ideo cum illa vult, contingenter vult) Et ita in hac voluntate cum perfectissima libertate stat necessitas.

Quomodo contingentiā, & necessitas stare possint cū libertate.

Sed aliquis obijciet secundùm Richardum. Gloriosius est, quod secundùm naturam habetur, quàm quod aliter habetur, ergo gloriosius est Deo diligere seipsum secundùm naturam quàm liberè. Respondetur cum Scoto in quolib. 16. art. 2. in fine, concedendo, quod Deum diligere se habet secundum naturam suam: quia natura eius est infinita, ideò voluntas illius naturaliter, idest secū dum naturam suam, necessariò habet actum dilectionis, proprię essentiæ, & productionis Spiritus sancti; sed non sequitur ex hoc, quod habeat actum illū dilectionis naturaliter: idest modo naturali, vt volunt Thomistæ, sed liberè, & necessariò, vt explicatum est.

385 Et nota hoc non debere videri difficile aduersarijs, quia Gabriel Vasquez 1. 2. disp. 23. ait, Deum non posse libere (idest contingenter) diligi, prouenire ex summa perfectione obiecti, quod non potest ostendi ab intellectu ipsi voluntati sub aliqua imperfectione, sed necessariò diligitur, quia cum summa perfectione ostenditur; tota ergo ratio, propter quam illa dilectio Dei sit necessaria, ponitur ratione obiecti, non necessitantis, & determinantis naturaliter voluntatem, sed ratione suæ bonitatis infinitę, secundùm quam infinita diligibilitas necessariò ei competit: nos autem hoc totum concedimus, sed insuper addimus, hanc necessitatem oriri quoque ex parte voluntatis: non quia sit potentia naturalis, neque quia non liberè diligat, sed quia est infinita, & inobliquabilis; & ideò non potest non infinitè diligere obiectum illud, quod est in se infinitè diligibile. Et sic melius saluamus essentiam libertatis voluntatis diuinæ, quæ in se est libertima, quàm ipse, & alij, qui sustinent, voluntatem non determinari ab obiecto, neque extrinsecè; & tamen dicūt illam determinari ab obiecto beatifico.

Ex dictis suprà potest haberi solutio alterius quæstionis, quam Recentiores multis tractant. Solet enim disputari, vtrum ad mouendum voluntatem sufficiat simplex apprehensio obiecti, an verò semper requiratur iudiciū

An sīplex apphēsio obiecti sufficiat ad mouendā vo-

de rei

luntatẽ, an requirat iu dicium.

de rei conuenientia,& bonitate, ita vt voluntas non possit velle aliquid nisi intellectus dictauerit illud obiectum esse sibi conueniens,& bonum: quam disputationem tractat Mediha p.2.q.9.a.1.in fine,& cum multis alijs sustinet,quod necessariò requiratur iudicium,& apprehensio obiecti sub ratione boni,& conuenientis,& adducit multas auctoritates,& rationes. Nam Arist.3.de Anima tex.46.dicit, quod intellectus practicus mouet volũtatem ad agendum non speculatiuus. Certum est autem,quod intellectus speculatiuus habet apprehẽsionem simplicẽ rei.

Opin. Medinæ,& aliorũ cum suis fundamentis.

386 Preterea 2.de Anima inquit,quod ad ea, quæ sũt cum apprehensione nos habemus,sicut ad ea,quæ sunt in picturis,vbi terribilia nos non contristant.

Tertiò. Si sola apprehensio sufficeret omnia possent appeti æqualiter, & fugiri: æqualiter enim apprehenditur miseria vt bona,& beatitudo,vt mala: nam quantum ad apprehensionem nulla est differentia. Audita enim hac propositione,miseria est bona,intellectus illam apprehendit,licèt iudicet esse falsam; ergo si simplex apprehensio sufficit, possemus appetere miseriam sicut beatitudinem. Hæc,& alia adducit ibi.

Opin. Scoti.

387 Verum oppositum docet Scotus 2.d.6.q.1.art.2. Hæc autem quæstio coincidit cum illa, An voluntas possit velle malum; &, An obiectum volũtatis sit bonum,an ens,de quibus in 1.dist.1.disp.13.cap.7.& supra hac disp. cap.8.dicimus.

388 Respondetur autem simplicem apprehensionem esse sufficientem, vt voluntas possit velle obiectum; quoniam habita simplici cognitione absoluta rei absque comparatione illius ad seipsam, vel ad alterum, an sit illi bona,vel mala potest velle,vel nolle illud in se. Vnde videbemus illa distinctione Scoti,quod duplex est amor,scilicet amicitiæ,& concupiscentiæ. Si loquamur de amore amicitiæ, qui presertim versatur circa omne ens, sufficit simplex apprehensio obiecti: potest enim voluntas velle esse in se quodcunque ens. Loquendo verò de amore concupiscentiæ, non potest velle sibi,nisi id quod apprehendit sub ratione boni, vt locis citatis ostensum est. Argum. autem hic à Medina facta concludunt de amore concupiscentiæ non amicitiæ.

Argumẽta Medinæ quomodo soluantur.

Voluntatem esse nobiliorem intellectu probatur, & Argumenta primo cap. huius disp. proposita soluuntur.

Caput Decimumquartum.

389 EX dictis hucusque in hac disputatione euidenter patet voluntatem esse nobiliorem intellectu. Scotus autem in 4.d.49.q.4. presertim hoc probat ducendo rationes D.Tho.& Sectatorum ad oppositum: quod etiã faciemus nos in presenti cap. & ita simul probabitur opinio Scoti,& rationes in oppositum soluentur.

Ad primã rationem.

390 Ad primam rationem 1.cap.huius disp.adductã, quæ est D.Thom. negatur, verum esse obiectum intellectus,& bonum voluntatis. Ratio adducta est supra cap.4.& cap.7.& sic minor illius argumenti est falsa quo ad illud,quod supponit, scilicet,quod verum sit obiectum intellectus,& bonum volũtatis. Vlterius falsum est, verum esse quid nobilius bono,quod assumitur ad probationem minoris. Ratio est,quam adducit Scotus in 4.d.49.q.4. confutando primam rationem: quia quæ sic se habent, quod vnum est nobilius alio, illa realiter distinguuntur: at verum, & bonum non distinguuntur realiter; ergo. Maior est euidens: quia idem secundùm idem non est nobilius,vel ignobilius se ipso. Minor quoque est euidẽs, quia verum, & bonum sunt passiones entis, quæ secundum rem, & realiter sunt inseparabiles ab ente, & est impossibile vnam inuenire sine altera.

391 Si dicas distinguuntur ratione,idest per operationem intellectus. Contrà,hæc distinctio rationis est relatio rationis, quæ causatur ab intellectu comparante ista ad alia,vt puta verum ad secundam personam trinitatis; & bonum ad tertiam personam,& similia: at hæc nobilitas non facit ad propositum: quia non est realis, sed per operationem nostri intellectus: si autem obiectũ intellectus est nobilius obiecto voluntatis,necesse est,quod hæc nobilitas summatur à ratione formali reali obiecti.

392 Præterea si ista obiecta verum,& bonum comparentur ad personas diuinas, sicut dictum est, ex hoc non habetur verum esse nobilius bono: quia persona filij nõ est nobilior persona Spiritus sancti,nec è conuerso. Si etiã comparentur ad posteriora,vt puta ad actus suos,& dicatur intellectus nobilior, quia intellectus producit cognitionem,& voluntas volitionem,& quod cognitio est nobilior volitione,est petitio principij,& nihil valet. Si verò dicatur, quod distinguuntur formaliter, vt attributa: hoc pacto posset dici, quod vnum habet rationem perfectioris altero,sed oporteret,quod haberẽt distinctas rationes absolutas,vt habent attributa: hæc enim maximè se habere possunt adinuicem,vt nobilius, & minus nobile: at bonum,& verum,vt visum est cap.2.& 6. non habent rationes absolutas vltra ens; secũdùm enim suas rationes formales sunt respectus,vel includunt respectum, vt locis citatis ostendimus.

393 Ad probationem cum ait, quòd verum est propinquius eius enti,quàm bonum; ergo est nobilius bono, Scotus ducit rationem ad oppositum; & dimissa prima responsione, & confutatione eius, quæ est pulchra,sed patet in textu Scoti. Secunda responsio, quæ est reflexio argumenti,est hęc; aliquid esse potest propinquius perfectissimo in vno ordine, & aliud in alio ordine; illud autem est perfectius, quod est propinquius primo in ordine nobiliori: at bonum est propinquius enti in ordine communicandi perfectiones alijs, siue complendi perfectionem alterius, & propter hoc bonum dicitur sui ipsius diffusiuũ secundum D. Aug. primo de doctrina Christiana, & 2. Physicorum textu 11. dicitur finis; & primo Ethicorum cap.1. verum autem est propinquius enti in ordine ad potentias operatiuas circa totum ens,quia oportet,quod potentiæ prius cognoscant obiectum verè, deinde operantur. Prima autem ratio secundum omnes est nobilior. Ad probationem verò, quam adducit D. Thomas: quia verum est, quid abstractius bono: quoniam abstrahit ab hic,& nunc,bonum nequaquam. (Scotus aliter conficit hanc rationem, & etiam eam eo modo soluit, quo eam conficit,sed ego conficio, vt conficit D. Thomas,& soluo ex eodem fundamẽto Scoti). Respondeo,quod idem potest dici de bono,nam etiam bonum abstrahit ab hic, & nunc,& ab existentia,accipiendo bonum in vniuersali: accipiendo,verò bonum, & verum in particulari, vtrumque habet existentiam, neque abstrahit à particularibus. Ideo responsio vltima Scoti est hæc, quod omnia ista trãscendentia sunt conuertibilia, & mutuò se denominant; & ideo ęqualis perfectionis est esse essentialiter verum, ac esse essentialiter bonum. Dat aliam solutionem in textu, sed hæc est sufficiens.

Ad secundam rationem principalem.

Ad secundam rationem principalẽ dicitur, quod optimè ipsa reflectitur in aduersarios. Imperium enim est actus voluntatis,non intellectus, vt probatũ est suprà cap.9. ideo possumus sic arguere contra eos. Illa potentia est nobilior cuius est imperare,sed imperium est actus voluntatis; ergo voluntas est nobilior. Maior est aduersariorum. Minor cap.9.est probata.

Ad tertiã.

Ad tertiam similiter est respondendum, eam reflecti contra aduersarios, quia libertas nedum essentialiter,sed etiam radicaliter est in voluntate: non in intellectu: ergo voluntas est nobilior intellectu. Assumptum probatum est cap.10.contra Thomistas diffusè,& cap. sequentibus; vbi est ostensum,nec intellectum, nec aliquod principiũ externum determinare voluntatem, ideo hæc ratio facit pro nobis. Possumus enim sic arguere. Potentia libera est nobilior potentia naturali: at voluntas est potentia libera, intellectus est potentia naturalis; ergo voluntas est nobilior intellectu. Maior uidetur communiter concessa: quia in hoc differt maximè homo à brutis, quod est

liber

liber in agendo. Minor probata est cap. 10. & sequent.

Ad quartã. 394 Ad quartam. Respondetur ęquè voluntatem esse intimam essentiæ animæ ac intellectum, quia sunt idem realiter quod essentia animæ distinctæ solùm formaliter: & hoc loquendo de illis secundùm essentiam; loquendo verò de illis secundùm operationem, prius est operatio intellectus, deinde voluntatis; sed hoc arguit perfectiorem esse voluntatem intellectu, quia quæ sunt posteriora generatione, sunt priora perfectione. Ideò ad probationem negatur quòd intellectus habeat rationẽ principij in generatione voluntatis: hoc enim procedit tantùm in via D. Thomæ, qui sustinet illas potentias esse accidentia, ordinatè fluentia ab essentia animæ.

Ad confirmationem. 395 Ad confirmationem dico, quòd cum anima humana denominatur intellectiua, hæc denominatio desumitur non solùm ab intellectu, sed etiam à voluntate, quia Arist. vt infrà dicam, non distinxit communiter intellectum à voluntate: sed solùm 2. Phis. distinxit principium in principium naturale, & principium à proposito, quod quidem principium à proposito aliquando vocauit artem, aliquando agens à proposito, aliquando rationem: Dum ergo anima humana appellatur intellectiua, hæc appellatio sumitur tam ab intellectu, quàm à voluntate, quæ communi nomine appellantur intellectus. Possumus etiam dicere, quòd denominatio non fit semper à nobiliori, sed quandoque à notiori; notior est autem intellectiua facultas, quàm voluntas: quoniam primam nullus negat in homine, at voluntatem liberam negant multi, qui ponunt factum, & huiusmodi.

Ad quintã. 396 Ad quintam. Respondetur ad maiorem, quòd aliquam potentiam indigere altera facultate in sua operatione, potest intelligi duobus modis: vno modo, quòd indigeat illa tanquàm efficiente, vel perficiente ipsam in actu primo: vel tamquàm famulante, & inseruiente, vt ministra, & serua. Maior est vera de potentia indigente altera primo modo, non secundo modo: at voluntas indiget intellectu secundo modo, non primo modo: sicut etiam intellectus eget sensibus internis, & externis in sua operatione, nec tamen Vasquez diceret, potentiam sensitiuam esse nobiliorem intellectu. Intellectus ergo inseruit voluntati proponendo ei obiectum, at ipsa voluntas postea tamquàm regina in Regno animæ visis varijs obiectis, eligit quid sit agendum, & imperat vt suprà diximus.

Ad sextã. 397 Ad sextam. Negatur Minor. Ad probationem respondetur, quòd ratio duobus modis potest accipi: vno modo pro potentia Intellectus: alio modo pro dictamine recto rationis, quod nihil aliud est, nisi instinctus naturæ ad bonum, in quo natura rationalis creata est à Deo, qui est notus omnibus naturaliter cum venit ad vsum rationis, & alio nomine dicitur lex naturæ inserta cordibus nostris. Et contradistinguitur à dictamine malo, & sensuali proueniente à peccato, vt sæpius suprà dictum est. Auctoritates adductæ ad probationem illius loquuntur de ratione secundo modo, non primo modo, ideò non sunt ad propositũ. Maior etiam est vera de eo quod proximè dat bonitatem actui, non de eo quod dat remotè: dictamen rectę rationis dat bonitatem actui, sed remotè; at voluntas dat bonitatem formaliter eliciendo illum conformem rectæ rationi.

Ad septimam. 398 Ad septimam. In disp. de beatitudine patebit beatitudinem principaliter cõsistere in fruitione, qui est actus voluntatis: q̃a fruitio est amore inherere alicui propter se, amore autem inherere alicui est actus voluntatis non intellectus: ideò hæc ratio est ad oppositum, & reflectitur contra aduersarios.

Ad probationem ex Arist. respondetur, quòd aliud est dicendum de beatitudine animæ perfecta hominis secundùm Theologos, & aliud secundùm Philosophos, & maximè secundùm ipsum Arist. nam secundùm Theologos est ponenda præcipuè in voluntate, & minus principaliter in Intellectu: at secundùm Arist. est ponenda solùm in intellectu speculatiuo: quia Arist. non cognouit quòd Deus ipse clarè possit esse obiectum voluntatis, ideò posuit fęlicitatem nostram consistere in actu speculatiuo abstracto substantiarum abstractarum: at Theologus per reuelationem scit, quòd homo in carne, & anima resurrecturus est, & ne dum visurus est Deum facie ad faciem, sed etiam est perfruiturus eo mediante charitate ęterna, vt diximus 1. Sent. quæst. 1. prologi cap. 2. ideo auctoritas Aristotelis in hoc non cogit Theologum.

399 Vel dicas cum Scoto vt infrà ad nonũ, quòd cum Arist. dixit fęlicitatem consistere in sapientia, & hãc competere Dijs, non exclusit à sapientia dilectionem: quia ipse vnquam apertè distinxit inter intellectum, & voluntatem; & ideò eam pro eodem accepit: cum ergo dixit fęlicitatem consistere in intellectu, complexus est etiam voluntatem, & operationem vtriusque.

400 Ad octauam. Respondetur vitam actiuam posse duobus modis considerari. Vno modo pro actionibus illis quæ nobis sunt necessariæ pro statu isto ad viuendum, & hoc pacto non pertinet solùm ad voluntatem, sed ad alias vires superiores; & hoc modo est ignobilior vita cõtemplatiua. Alio modo vt est præcisè actus voluntatis, qui ad illam concurrit imperando, &c. & hoc modo negatur vitam actiuam esse ignobiliorem contemplatiua: quia actus voluntatis est nobilior propter rationes adductas, & infrà aducendas in solutione reliquorum argumentorum. Ad octauã.

401 Ad nonam. Respondet Scotus eam reflectendo contra aduersarios: sumpta ergo maiore sub illa infert minorem; sed habitus voluntatis sunt nobiliores habitibus, quibusuis intellectus: ergo voluntas est nobilior intellectu. Minor probatur ex prima ad Cor. 13. *Maior horum est charitas.* Et ex D. Aug. 15. de Trinitate cap. 19. *In donis Dei nullum est maius charitate, nec ęquale.* Charitas autem est habitus voluntatis, vt omnes concedunt; ergo. Ad nonã.

402 Respondet D. Tho. in 4. dist. 49. art. 1. q. 2. auctoritates allatas veras esse de donis pro statu viæ datis, non de donis absolutè, & datis in patria: nam dicit, quòd lumen gloriæ est perfectius charitate; ratio est quia propter suam perfectionem non potest stare cum imperfecto, scilicet in viatore: at charitas manet in viatore; ergo perfectius est lumen gloriæ: præterea perfectius est illud quod distinguit perfectum ab imperfecto, quàm illud quod est commune vtrique: at lumen gloriæ distinguit comprehensorem à viatore, quia non potest manere in viatore, manet autem in comprehensore: charitas verò manet in vtroque; ergo. Responsio D. Thom.

403 Contra hanc responsionem adducit Scotus primò auctoritatem Vgonis, & Diui Dionisij de Euangelica Hierarchia cap. 7. vbi supremus ordo Angelorum appellatur ab ardore, & charitate: ordo sequens proximus denominatur à scientia; ergo secundùm Dionisium superior est charitas scientia. Reijcitur à Scoto.

Præterea ratione sic. Capacitas naturalis, & remota animæ nostræ est eadem in via, & in patria saltem proportione: probatur, quia hæc capacitas est à natura. Natura autem animæ eadem permanebit in patria: at per Diuum Thomam maior est capacitas voluntatis pro statu viæ quàm capacitas naturalis, & remota intellectus; ergo etiã in patria maior erit capacitas voluntatis, quàm intellectus, vel re, vel saltem proportione: at maior capacitas requirit maius perfectiuum, satians eam ad ęquatè; ergo habitus satians voluntatem in patria erit maius perfectiuum quàm perfectiuum intellectus. Quòd autem secundùm Diuum Thomam maior sit capacitas voluntatis pro via, quàm intellectus, probatur, quia dicit lumen gloriæ non posse recipi ab intellectu pro statu viæ; charitatem autem recipi in volũtate: ex hoc sequitur maiorem esse capacitatem naturalem voluntatis, quia est capax etiam donorum, & habituum, quæ habentur in patria, quorum non est capax intellectus: ratio ergo ista potiùs valet pro voluntate, quàm pro intellectu.

Ad

404 Ad rationẽ ergo ipſam negatur minor. Ad probationem quæ innititur auctoritati Ariſt. ex 10. Ethic. & alibi, reſpondet Scotus, quod Ariſt. quidem ait ſapientiam eſſe habitum nobiliſſimum, quòd probat maxime 10. Ethic. cap. 8. quia competit diſp. ſed per ſapientiam Ariſt. non intellexit pręcisè operationem intellectus, ſed operationem intellectus, & ſimul voluntatis; quia Ariſt. numquam diſtinxit inter intellectum, & voluntatẽ; ſed voluntatem ipſam appellat quandoque intellectum, quandoque artem, quandoque agens à propoſito: ſolum diſtinxit agens in agens naturale, & agens à propoſito, quod ſignificauit eſſe voluntatem ſimul cum intellectu operantem. Sapientia ergo, quæ ponitur nobiliſſimus habitus, non diſtinguitur à volitione, ſiue à dilectione ſecundùm Ariſt. ſaltem non habetur expreſſè ſapientiã quatenus eſt actus intellectus eſſe nobiliorem dilectione, quæ eſt actus voluntatis: quia illa eſt minus nota; neque de illa aliquid affirmat, vel negat, quia inter ea nõ diſtinxit, vt dictũ eſt.

405 Vel dicas vt ſupra ad 7. quod aliud eſt dicendum ſecundùm Philoſophum, aliud ſecundùm Theologum; Philoſophus enim non cognouit quod homo actu voluntatis ſit fruiturus Deo, ideo poſuit fœlicitatem in actu ſpeculatiuo intellectus, & abſtracto: Theologus autem in hoc diſcrepat ab eo.

Ad decimam.

406 Ad decimam patet reſpõſio ex dictis ſuprà ad 5. Scotus tamen prius reflectit hanc rationem cõtra D. Tho, & Sectatores, deinde illam ſoluit. Reflectit autem primò ſic. Voluntas imperat intellectui; ergo actus voluntatis eſt cauſa effectiua actus intellectus: eſt autem cauſa æquiuoca, vt patet; ergo voluntas eſt nobilior intellectu. Antecedens primum probatum eſt ſuprà, vt dictum eſt ad ſecundam rationem pro aduerſarijs.

407 Confirmatur auctoritate D. Anſelmi de conceptu virginali cap. 4. vbi dicit, quod voluntas mouet ſe contra iudicium aliarum potentiarum, & quòd omnes alias mouet ſecundùm imperium ſuum. Et D. Aug. 19. de Ciuitate Dei capite 14. dicit, quod voluntas vtitur omnibus alijs potentijs. Hæc enim ſunt verba eius. *Sed quia homini rationalis anima ineſt, totum hoc, quod habet commune cũ beſtijs, ſubdit paci animæ rationalis, vt mente aliquid contempletur, & ſecundum hoc aliquid agat, vt ſit ei ordinata cognitionis, actionisque conſenſio.* Ecce quod ait animam rationalem, ideſt volũtatem ſubdere totum, quod habet commune cum beſtijs, ideſt potentias irrationales, paci animæ rationalis, *vt mente aliquid contempletur*; ergo voluntas vtitur potentijs inferioribus, & etiam ipſa mente ad contemplandum hoc, vel illud, vt ſic ordinata cognitio, & conſenſio, & pax in anima.

408 Confirmatur adhuc, quia ex prędicta auctoritate, & alijs in illo cap. 14. habetur, quod actus voluntatis eſt finis operationis intellectus, & conſequenter eſt nobilior operatio voluntatis, quàm intellectus: quia finis eſt nobilior quàm ea, quæ ſunt ad finem. Antecedens probatur, quia D. Auguſt. ait, *Homini rationalis anima ineſt, vt mente aliquid contempletur, & ſecundum hoc aliquid agat*, & paulò infrà, *vt aliquid vtile cognoſcat, & ſecundum eam cognitionem mores vitamque componat*. Componere autem mores eſt opus voluntatis. Idem habet D. Anſelmus libro. 2. Cur Deus Homo cap. 1. & Ariſt. 9. Met. textu 15. ait, quod poſteriora generatione ſunt priora perfectione: actus autem voluntatis eſt poſterior generatione actu intellectus; ergo.

409 Ad rationem ergo in ſe reſpondetur, quod actus intellectus non eſt cauſa totalis volitionis, nec volitio eſt cauſa totalis intellectionis; ſed ſi intellectio eſt cauſa volitionis, eſt cauſa partialis, & minus principalis, vt ſuprà dictum eſt: eſt enim cauſa ſine qua non, & vt aliquid faciẽs; nimirum, quia proponit obiectum voluntati, ſine quo nõ poſſet exire in actum volitionis: voluntas verò eſt cauſa actus intellectionis intellectus, partialis quidem, ſed ordinis diuerſi, & ſuperioris, quia imperat intellectui, vt contempletur hoc, non illud. Illa autem propoſitio maior cauſa æquiuoca eſt nobilior ſuo effectu; eſt vera de cauſa totali, vel partiali, ſed ſuperioris ordinis: ideo hęc ratio valet pro voluntate, nihil pro intellectu.

410 Probat deinde Scotus, quod intellectio non ſit cauſa effectiua volitionis, quia tunc aufferretur libertas à voluntate, vt ſuprà cap. 12. ratione ſecunda, & prima, ac ſequẽtibus dictum eſt: nam intellectio, & obiectum ſunt agentia naturalia; ergo naturaliter efficiunt; ergo volitio non liberè, ſed naturaliter eſſet producta, & ſic periret libertas voluntatis. Ad probationem illam, quod poſito actu intellectus, ponitur volitio, hęc propoſitio negata eſt in p. d. p. q. 4. & ſuprà: quia diximus, poſita cognitione finis, & obiecti, non eſſe neceſſe, quod voluntas velit, neque quòad ſpecificationem, neque quòad exercitium.

Ad vndecimam.

411 Ad vndecimam. Primò eam reflectit efficaciter cõtra aduerſarios, deinde ſoluit. Reflectit autem ſic, ſumpta eadem maiori. Illud eſt melius, quod ſine alio eſt eligibilius: & ſub ea ponit hanc minorem; ſed actus voluntatis eſt quid eligibilius actu intellectus; ergo. Minor probatur. Illud, quo quis eſt ſimpliciter bonus, eſt eligibilius eo, quo quis non eſt ſimpliciter bonus; ſed ſic eſt, quod quis eſt ſimpliciter bonus actu voluntatis, nõ actu intellectus; ergo. Minor probatur ex D. Auguſt. ij. de ciuitate Dei cap. 28. vbi ait, quod, *Neque vir bonus meritò dicitur qui ſcit quod bonum eſt, ſed qui diligit.* Et ex hoc cõcludit ibi, quod inter res quæ rectè amantur, amor ipſe ſiue dilectio magis amatur. Ex quo habemus duo. Primò, quod amor, qui eſt actus voluntatis, eſt ſimpliciter bonus, non actus intellectus. Secundò, quod amor ipſe magis amatur inter res, quæ rectè amantur; ergo dilectio, & volitio, qui eſt actus voluntatis, magis amatur. Ex quo ſequitur, quod actus voluntatis eſt nobilior, & pręſtantior intellectione. Illud enim magis amatur rectè, quod eſt nobilius, & melius.

412 Pręterea. Illud eſt eligibilius, cuius oppoſitum eſt odibilius; ſed oppoſitum intellectionis non poteſt eſſe ita odibile, ſicut oppoſitum dilectionis; ergo eligibilius quid eſt dilectio, quàm intellectio. Maior eſt euidens. Minor probatur primò in oppoſitis contrarijs, deinde in oppoſitis contradictoriè. In oppoſitis contrarijs ſic. Nulla ignorantia Dei etiam infidelitatis poteſt eſſe ita odibilis ſicut odium Dei, ſi poſſet voluntati ineſſe. In oppoſitis contradictorijs probatur, quia non intelligere Deum, etiamſi ſit in potentia propinqua ad intelligendum, non eſt peccatum, nec eſt vituperabile; ſed exiſtens in potentia propinqua ad diligendum Deum, vt puta actualiter cogitans de Deo, & eo non diligens aliquo modo, eſt vituperabilis, & eſt peccatum. Similiter actu cogitans peccatum, & nullo modo habens de illo diſplicentiam, peccat. Non intelligens autem peccatum, etiamſi ſit in potentia proxima, non peccat; ergo eligibilior eſt actus dilectionis, quàm intellectionis, quia oppoſitum dilectionis eſt magis odibile: ideo hæc ratio magis concludit pro voluntate, quàm pro intellectu.

413 Ad rationem autem ipſam negatur, quod ſi eſſet ſola volitio ſine intellectione, quod volitio eſſet tantùm quædam inclinatio naturalis, & nõ operatio elicita; nam voluntas tunc haberet operationem elicitam ſicut nunc, quia illam non habet ab intellectu, ſed à ſe ipſa formaliter, & effectiuè. Ad rationem contra hoc reſpondetur, quod voluntas habet ſuam operationẽ ab intellectu tanquam à cauſa ſine qua non, & vt à proponente, non vt ab efficiente, vt dictum eſt ſuprà in ſolutione ad quintum.

Ad duodecimam prima reſponſio.

414 Ad duodecimam. Reſpondet primò, Maiorem eſſe vniuerſaliter falſam in ordine, generationis in omnibus entibus, excepto primo, quod eſt ſimpliciter perfectũ, & omnino independens. Probatur ex Ariſt. 9. Met. textu 15. poſteriora generatione dependent à prioribus, & tamen ſunt perfectiora prioribus. Similiter finis dependet in eſſe reali à medijs, & non è conuerſo; & tamen finis eſt perfectior ijs, quæ ſunt ad finem. Pręterea forma dependet à materia in eſſe, & non è conuerſo, & tamen forma eſt pręſtantior materia, & ſic de alijs.

Secun-

Secunda responsio.

415 Secundò. Respondet argumentum posse reflecti dicendo, quod intellectus dependit à volitione vt à causa partiali, sed superiori: nam voluntas potest imperare intellectui vt consideret hoc non illud: voluntas verò pendet ab intellectu, siue ab intellectione, tanquam à causa partiali, non nobiliori, sed subseruiente, & ideo nobilior est voluntas.

Ad decimam tertiam.

416 Ad decimamtertiam. In illa sunt duæ rationes: prima est de impuritate actus; secunda de tendentia in rē, vtramque Scotus reflectit in aduersarios, & simul soluit. Primā reflectit sic. In maiori propositione potest fieri triplex comparatio. Prima est inter velle corruptum, & impurum, & intelligere impurum, & corruptum absolutè; & tunc sic reflectitur. Illud est purius, & melius, cuius corruptio est impurior, & peior; sed sic est quod impuritas, & corruptio velle, est peior, & impurior quam corruptio intelligere; ergo. Minor probatur, quia velle corruptum est malum, & intelligere corruptum est falsum: at impurius, & peius est malum, quàm falsum, etiam secundùm aduersarios, vt patet ex ratione adducta. Maior verò est Arist. 1. Thopicorum, & ita hæc ratio facit pro voluntatis nobilitate, non pro intellectu.

Confirmatur, quia voluntas nō contrahit malitiam ex obiecto, vt assumūt aduersarij, sed ex semetipsa; ergo maior est impuritas actus volūtatis, quàm intellectus. Antecedens probatur, quia circa quodcunque obiectum potest volūtas habere actum bonū, sicut intellectus: potest enim bene odire malum, sicut intellectus bene intelligere, malum esse fugiendum; malitia ergo in voluntate est ex ipsa voluntate, non ex obiecto.

417 Secundò in illa propositione potest fieri comparatio inter velle corruptum, & intelligere corruptum, non absolutè, sed in ordine ad obiectū, & tūc est sensus. Quod ille actus est impurior, qui redditur impurus ex impuritate obiecti, & tunc potest ratio sic reflecti. Sumpta hac declaratione pro maiori, assumendo sub illa hāc minorem: sed sic est; quod actus intellectus habet suam impuritatē necessariò ab obiecto; actus voluntatis habet suam impuritatem tantùm concomitanter ab obiecto; ergo. Minor probatur, quia si obiectum est falsum, vt cum vnum pro alio repręsentatur intellectui, necessariò quoque intellectio est falsa, quia sequitur obiectum: at licèt obiectum voluntatis sit malum, vt contingit cum voluntati obijcitur aliquod obiectum malum; tamen non necessariò actus voluntatis est malus, quia potest illud malum nolle, vel odire; & ita non voluntas, sed intellectus habet suam impuritatem ab obiecto.

418 Tandē tertiò illa propositio intellectus non contrahit suam impuritatem ab obiecto, potest habere hunc sensum, quod actus voluntatis habet ab obiecto impuritatem malitiæ. Idem habet malitiam propriè dictam ab obiecto, intellectus autem nequaquam habet à suo obiecto malitiam: quia intellectus non est capax malitiæ propriè loquendo, sed solùm falsitatis. Tunc respondetur, quòd ratio in hoc sensu non concludit; quoniā tunc actus sensus esset nobilior actu voluntatis, quia hoc pacto est minus impurus voluntate: nam sensus à suo obiecto nullam accipit malitiam, quia in sensu vt sic, non est malitia propriè loquendo.

Contra secundam rationem.

419 Contra secundam rationem. Primò eam reflectit contra aduersarios: nam D. Tho. p. p. q. 82. art. 3. ait, quòd voluntas est nobilior intellectu secundùm quid, quòd probat, quia voluntas tendit in obiectum, vt est res in se ipsa, intellectus verò tendit in obiectum non vt est in re, sed vt habet esse in anima: cum ergo voluntas tendit in obiectum, quod est superius ad ipsam animam, vt est Deus, est nobilior intellectu: quia Deus est res nobilior anima, & ideo nobilior est amor Dei, quàm cognitio Dei. Cum verò voluntas tendit in obiectum, quod est inferius ad animam, tunc intellectus est nobilior anima, & tunc sic reflectitur ratio. Illa potentia est nobilior cuius actus est nobilior; sed sic est, quòd actus voluntatis optimus est nobilior actu intellectus optimo; (dilectio enim Dei est nobilior cognitione Dei, ex principijs allatis D. Thom. isti autem sunt actus optimi intellectus, & volūtatis) ergo actus voluntatis est generis nobilioris quàm actus intellectus. Maior probatur, quoniam si optimum est nobilius optimo, & genus genere, vel species specie: tota enim species vna est superior quacunque tota alia specie: ideo actus vnius generis potest esse ignobilior actu alicuius alterius generis inferioris. Hoc ergo argumentum ductum ex tendentia in obiectū, facit pro voluntate, non pro intellectu.

420 Secundo reflectit sic. Ille actus est perfectior qui coniungit hominem, siuè potentiam obiecto perfectiori: at actus voluntatis secundùm D. Tho. loco citato coniungit obiecto, vt est in re, actus intellectus coniungit obiecto, vt est in intellectu: at obiectum est nobilius in se, & in re, quàm vt est in cognoscente, & in intellectu; ergo actus voluntatis coniungit hominem obiecto nobiliori modo, quā intellectus; ergo actus intellectus est nobilior.

421 Ad rationem ergo in se respondetur, quòd ex parte tendentiæ potentiæ in obiectum, nulla est differentia inter intellectum, & voluntatem; quoniam intellectio intuitiua tendit in obiectum, vt est in re, sicut dilectio sequēs cognitionē tendit quoque in rem. Similiter cognitio abstractiua, & dilectio eam sequens tendunt in obiectum, vt habet esse in intellectu. Tamen ad auctoritatem Aristot. ex 6. Met. qui dicit, obiectum intellectus esse in intellectu, & obiectum voluntatis esse in re, respondetur, quòd Philosophus loquebatur communiter de intellectione abstractiua, & de voluntate vt est desideratiua, & vt fruitura ipsa: desiderium autem terminatur ad rem ipsam existentem, licèt vt actu obijcitur intellectui, habeat esse solùm in intellectu: obijcitur enim antequam sit actu in se. Et hoc loco ergo non elicitur, quòd actus voluntatis differat ab actu intellectus, quia intellectus tendat in rem in intellectu, voluntas verò tendat in rem in se.

Solutionis.

DISPVTATIO X.

De macula, & reatu peccati.

Opinio D. Thomæ, & Magistri reijcitur. Caput Primum.

1 IN prima quæstione huius 14. distinctionis Scotus disputat, Vtrum necessariò requiratur pœnitentia ad deletionem peccati mortalis commissi post baptismum. Verùm quia in solutione quæstionis Scotus facit tres articulos, & in primò disputat de macula, siue de eo, quod relinquit peccatum in peccatore transacto actu peccati mortalis, & quia solutio quæstionis non potest rectè intelligi hoc ignorato; priùs agemus de hac macula; deindè disputatione sequenti quæstionem principalem enodabimus. Circa hanc disputationem diligenter oportet opinionem Scoti, & Thomistarum considerare: quia Vasquez p. p. disp. 139. ex aduersarijs non veretur affirmare opinionem Scoti notatam, & damnatam esse à Pio V. & Gregorio XIII. quòd quàm falsum sit, posteà patebit.

Opinio D. Thomæ.

2 In hac re ergo sunt duæ opiniones. Prima est D. Th. Sectatorum p. 2. q. 86. a. 1. in corpore articuli, & in responsione ad 3. vbi D. Tho. loquens de effectibus peccati circa animam, asserit peccatum efficere in anima maculā, quæ transacto actu peccati remanet in ea, nec aufertur nisi per pœnitentiam: qua in re omnes Theologi cōueniunt. Declarando autem quid sit hæc macula, inquit, quòd non est quid positiuè in anima, nec significat priuationem solam, sed significat priuationem quandam nitoris animæ in ordine ad peccatum: & in corpore articuli videtur dicere, quòd sit priuatio luminis sapientiæ, & gratiæ, per quam homo perficitur ad bene, & decenter agendum: vnde inter Thomistas videtur esse aliquod dissidium potius in verbis, quàm in re: aliqui enim apertè dicunt, quòd macula

cula

cula est carentia, & priuatio gratiæ habitualis, quæ est nitor, & splendor spiritualis animæ, vt Soto in 4. dist. 15. quæst. 1. art. 2. Medina p. 2. quæst. 86. eodem articulo videtur idem sentire, dum ait maculam peccati esse priuationem nitoris gratiæ, & pulchritudinis spiritualis; sicut macula corporis est priuatio pulchritudinis corporalis: itaquòd macula animæ est indignitas animæ: & esse maculatum nil aliud est, quàm quòd anima sit ingrata Deo: est autem ingrata per priuationem gratiæ habitualis. Eãdem sequuntur multi alij ex Thomistis. Caietanus in illo Com. distinguit, quòd macula sumitur dupliciter: vno modo pro priuatione coniunctionis ad Deum propter peccatum: secundo modo pro priuatione nitoris similitudinis refulgentis spiritualis, & hæc secunda priuatio est effectus proueniens ex priuatione coniunctionis cũ Deo per gratiam; tamen, vt inquit ibidem Caiet. hæc omnia sunt in re vna priuatio, quæ diuersis nominibus appellatur, scilicet priuatio gratiæ. Nam sicut cum anima coniungitur Deo per gratiam fit illi similis, habet nitorem, et splendorem spiritualem, &c. ita cum amittit gratiam, priuatur coniunctione, nitore, splendore, &c.

3 Fundamentum huius opinionis ex Caietano in cõmentario illius articuli est, quia peccatũ est priuatio; ergo necesse est, quòd illud, quo quis est peccator, sit quid priuatiuum: at homo post actum peccati est peccator, & habet maculam peccati, qua est malus; ergo illa macula est priuatio bonitatis, & iustitiæ, qua esset bonus, & gratus; sed illa iustitia est gratia habitualis; ergo macula peccati est priuatio gratiæ habitualis. Confirmatur ex Medina, quia in peccatore nõ est nisi actus peccati, & effectus peccati: macula non est actus peccati, quia ille trãsit: neque est reatus, vt ostendit contra Scotum; ergo est effectus, qui facit hominem Deo ingratum, & inuisum. Hæc opinio amplius probatur per rationes, quas Thomistę, & alij adducunt contra opinionẽ Scoti, quas infrà recitata opinione Scoti adducemus, & soluemus.

4 In eadem sententia videntur esse alij Scholastici veteres, Alex. Alensis p. p. quæst. 14. m. 6. art. 4. in fine, vbi ait, quod macula est priuatio debitę pulchritudinis; tamẽ non est clarum Alexandrum ibi loqui de macula peccati relicta in anima per peccatum. D. Bonau. dist. 18. in expositione litteræ magistri. Magister ipse Sentent. in 4. eadem dist. 18. cap. vltimo videtur parum distare ab opinione præcedenti: tenet enim, quod macula sit elongatio, & dissimilitudo animæ à Deo causata per peccatum, quæ manet donec pœniteat; & dat exemplum de tangẽte morticinum: cessante enim tactu manet immundus sicut prius. Ex magistro itaque carentia gratiæ habitualis, per quam homo distat à Deo, & est dissimilis Deo, est macula.

Allata opinio reijcitur à Scoto

5 Scotus in 4. dist. 14. quæst. 1. §. *Hic sunt tria videnda*, aduersus hanc communem opinionem insurgit primò hac ratione, quæ est efficacissima. Pro intelligentia cuius notandum est, quòd Scotus non intendit probare, quod macula peccati non sit absolutè priuatio gratiæ, vt putant aduersarij: hoc enim est falsum, neque hoc est de mente Scoti, vt posteà videbimus, quia priuatio gratię habitualis in macula clauditur; sed intendit probare, quod macula non est formaliter sola carentia gratiæ habitualis, licèt illa quoque in macula claudatur: vnde verba Scoti sunt hæc. *Post autem actum intrinsecum, & extrinsecum transeuntem manet quadam iniustitia habitualis, sed non ab illa sola dicitur quis peccator.* Nota illud verbum, *sola*, probat ergo Scotus, quòd macula non sit sola carẽtia gratiæ habitualis, vt dicunt Thomistæ, sicut ex dictis suprà patet sic.

1. Ratio.

6 Si macula, siuè id quo quis dicitur peccator post actũ peccati transactum, esset iniustitia habitualis, siuè carentia iustitiæ habitualis, sequeretur, quòd qui commisisset duo millia peccata mortalia, & qui vnũ, essent æquè peccatores intensiuè, & extensiuè. Consequens est falsum; ergo. Consequentia probatur, quia in eis tota gratia quã tùm ad intensionem, & sola ipsa quantùm ad extensionẽ amittitur, tàm in eo qui commisit vnum peccatum, quàm in eo, qui duo millia; & ideò vnus non diceretur minùs peccator, quàm alius post actum transeuntem. Falsitas consequentis est euidens.

7 Huic rationi respondent Thomistæ, Caietanus, Soto, Medina, & qui eam opinionem sequuntur eodem modo nimirum responsione, quam adducit D. Thomas eadem p. 2. quæst. 86. art. 1. ad tertium, quæ est, quòd macula non est priuatio nuda, & pura, sed est priuatio in ordine ad causam, scilicet ad peccatum, à quo causatur; vnde licèt priuatio gratiæ absolutè, siue macula non suscipiat magis, vel minùs, tamen peccatum sucipit magis, & minus, & ideò priuatio gratiæ, & macula in ordine ad peccatum, à quo causatur, suscipit magis, & minus: & ideò qui maius peccatum, & plura peccata facit, maiorem maculam, & maiorem priuationem gratiæ contrahit, & sic est magis peccator, quàm qui minùs, & pauciora facit. Adducunt exemplum allatum à D. Thoma de vmbra: nam vmbra est priuatio luminis, ex obiectione alicuius corporis inter Solem, & aerem illuminatum: vnde sicut ex diuersitate corporum obiectorum diuersificantur vmbræ, sic macula peccati est priuatio decoris gratiæ, ex actu peccati interposito; & sic secundùm diuersitatem peccatorum maculæ sunt maiores, vel minores. Responsio Thomistarum.

8 Hæc responsio licèt prima facie videatur plausibilis, tamen nullo modo satisfacit argumento: quia macula non potest suscipere magis, vel minùs, nec in ordine ad gratiam, nec in ordine ad peccatum, quod probo sic. Priuatio, & habitus sunt eiusdem rationis, ita quòd priuatio respondet proportionaliter habitui, & formæ, cuius est priuatio: vnde propter hoc communiter acceptatur illud axioma, priuationes distinguuntur, & cognoscuntur per habitus, & formas, quibus opponuntur, vt diximus in disputatione, Quid sit peccatum, & aduersarij quoque concedunt. Tunc sic illa priuatio suscipit magis, ac minùs, cuius habitus, & forma suscipit magis, & minùs: & illa non suscipit magis, nec minùs, cuius forma non suscipit magis, nec minùs; sed sic est, quòd macula per aduersarios est priuatio gratiæ habitualis, quę non suscipit magis, & minùs; ergo macula non suscipit magis, & minùs. Maior est clara: si enim priuatio opponitur formæ eo modo se debet habere priuatio in esse, quo forma in esse: ideò si forma in suo esse suscipit magis, & minùs, vt est caliditas, frigiditas, & huiusmòdi, etiam priuatio caliditatis, & frigiditatis suscipit magis, & minùs: aliquandò enim frigiditas destruitur, quòad vnum gradum, aliquandò quòad quatuor, aliquandò quòad omnes. Idem de caliditate; ita priuatio caliditatis, & frigiditatis, aliquandò est quòad vnum gradum, aliquandò quòad quatuor, vel aliquem alium, aliquandò quòad omnes. Quòd si forma non suscipit magis, vel minùs, vt est forma substantialis, vt anima, nec priuatio talis formæ suscipit magis, vel minùs. Vnde quia anima in animali habet esse indiuisibile, ideò tota simul destruitur, & tota simul producitur: neque enim, cum anima producitur in animali saltẽ intellectiua, producitur priùs quòad vnum gradum, vel quatuor: deinde tota, sed tota simul, & sic tota simul, si esset corruptibilis, corrumperetur, & proinde animal non dicitur, nunc magis, nũc minùs mortuũ, nec vnus homo est magis mortuus, quàm alter. Maior ergo est euidens. Minor quòad primam partem est positio aduersariorũ. Secunda pars autem declaratur, nam licèt charitas, & gratia habitualis augeri possit, & de facto augeatur per opera meritoria, tamen non potest diminui, nec remitti; sed cum corrumpitur, tota corrumpitur, vt omnes Theologi tenent, præsertim autem D. Thomas. 2. 2. quæst. 24. art. 12. in corpore, & hoc fatentur aduersarij locis citatis, ea ratione, quia priuatio in facto esse non potest crescere, nec minui. Hæc ratio est efficacissima, nàm certè siquis est magis peccator nunc, quàm heri, & nudius tertius; quia plura peccata commisit, necesse est, quòd macula sit Reijcitur.

maior hodie in eo, quàm esset heri, & nudius tertius: at macula non potest esse maior, quia forma, cui opponitur non est modo maior, modo minor, idest nō diminuitur, per diminutionem autem formæ crescit priuatio eius; ergo cum forma stet in indiuisibili, macula quoque erit in indiuisibili: & ita loquendo de maioratione maculæ in eodē subiecto, & anima, patet esse impossibile eam posse esse maiorem, vel minorem. Idem patet esse dicendū, de macula in diuersis subiectis, & animabus. Confirmatur, forma, quæ consistit in indiuisibili, tàm corrumpitur per formam contrariam potentissimam, quàm per formam contrariam minus potentem, dummodo possit per corruptionem attingere gradum illum indiuisibilem sui esse. Exemplum. Anima rationalis in animatione non suscipit magis, vel minùs, sed requirit certum gradum in organizatione corporis, quo ablato perit: ideò ita interficitur animal vnico vulnere destruente gradum illum, sicut centum vulneribus; nec dicitur magis interfectus, nec magis mortuus, qui interfectus est vnico vulnere, quàm qui interfectus est centum vulneribus; ergo ad propositū Charitas, siue gratia consistit in gradu indiuisibili, quia non diminuitur; ideò cum peccatum vnum est lethale, & mortale, ita interficit animā spiritualiter, & priuat ita animam gratia, ac si sint decem peccata, vel vnū sit maius alio: & ratio allata est, quia priuatio commensuratur habitui, cuius est priuatio; ideò cum ille non suscipit magis, vel minùs, nec priuatio.

Quòd macula nō suscipiat magis, & minus ex ordine ad peccatum.

9 Ex hoc refellitur responsio quòad illud, quod dicūt, quòd etsi macula in se non suscipiat magis, vel minùs, tamen in ordine ad causam efficientem, quæ est peccatū, suscipit magis, vel minùs: nam magis, & minùs in macula, & priuatio sumitur penes formam cui opponitur, & cuius est priuatio, non penes relationem ad causam efficientem destruentem formam, & causantem priuationem: nam priuatio per formam distinguitur, & cognoscitur, non per causam efficientem, vt dictum est. Præterea causa efficiens non potest facere, vt in priuatione sit magis, & minùs, si in forma, quam corrumpit, non sit magis, & minùs, vt ostensum est exemplo illius, qui interficitur centum vulneribus, & illius, qui interficitur vnico vulnere: neque enim variatio, & intensio in causa efficiēte, potest facere, vt illa interfectio, & mors sit maior, vel minor in hoc, vel in illo; ergo mors animæ, quæ est macula, siuè priuatio gratiæ, non potest esse maior, vel minor in ordine ad peccatum maius, vel minùs, vnū vel plura, eoquòd agat magis, vel minùs in gratiā, quæ est forma opposita maculæ: quia peccatum est causa efficiens mortis animæ destruens in ea gratiam, & per hoc causans priuationem. At non potest agere magis, vel minùs in gratiam, vt dictum est; ergo neque in priuationem gratiæ.

Responsio tacita reijcitur.

10 Quòd si quis dicat maculam nō esse priuationem gratiæ puram, sed cum relatione rationis ad peccatum præteritum, ideò cum multiplicantur peccata, vel vnum peccatum est maius alio, priuatio gratiæ est maior, non quia sit maior priuatio gratiæ in se, sed quia illa priuatio habet annexam relationem rationis ad maius peccatum vel plures relationes rationis ad diuersa peccata, quibus relationibus Deus dicitur magis offensus, & anima dicitur magis maculata.

Reijcitur.

11 Contrà. In primis ex hac responsione, sequitur maculam non esse re vera priuationem gratiæ, sed esse relationem illam rationis fundatam in priuatione gratiæ, & terminatam ad peccatum; & sic tunc isti falsum dicerēt, & recederent à sua sententia; falsum dicerent, quia macula realiter in se, & non solùm per relationem rationis, suscipit magis, & minùs: vnum enim peccatum, & plura realiter magis maculant, quàm peccatum leuius, & pauciora: recederent etiam à sua opinione, quia priuatio gratiæ in se tunc non susciperet magis, vel minus, sed relatio rationis esset, quæ susciperet magis, & minùs; ergo peccator diceretur magis, vel minus maculatus, non propter priuationem gratiæ in se, sed propter relationem rationis ad maius, & ad plura peccata, vel ad minus, & pauciora peccata.

12 Præterea ex hac responsione sequitur, quòd mortalia peccata æqualia non æquè macularent animā. Nam primum peccatum esset priuatio gratiæ cum relatione rationis ad peccatum, vt offensiuum Dei. Secundum peccatum mortale verò non esset priuatio gratiæ, quia illa iam per primum peccatum erat corrupta, sed esset solùm noua relatio rationis fundata super priuationem gratiæ, iam præexistentem in anima propter prius peccatum. Hæc autem absurda sunt: quia peccata sequentia ita maculant sicut primum si sint æqualia, si verò sint plura, vel maiora magis maculant.

13 Præterea si relatio rationis, qua Deus offensus dicitur à peccatore propter peccatum est macula, sequitur, quòd macula non est priuatio gratiæ. Consequens est contra aduersarios. Consequentia probatur: quia etiam si peccatum non esset priuatio alicuius habitus infusi, adhùc esset offensa Dei, & actu illo Deus diceretur offensus; ergo macula non esset priuatio gratiæ, sed relatio rationis pura, qua Deus ab homine ob peccatum diceretur offensus.

14 Quòd si quis dicat priuationem gratiæ suscipere magis, & minùs ratione voluntarij in actu peccati. Qui enim vult peccatum magis voluntariè, magis maculatur, & magis repellit gratiam, quàm qui minùs voluntariè.

Alia responsio tacita reijcitur.

Contrà. Tūc sequeretur, quòd si aliquis commisisset homicidium, & sacrilegium simùl: alter verò fornicationē, & furtum, sed vterque actu æqualiter voluntario, ambo æqualiter essent maculati. Consequens autem est apertè falsum: patet enim, quòd qui commisisset homicidium, & sacrilegium magis peccasset: quia sunt peccata ex suo genere grauiora. Consequeutia verò probatur, quia vterque actus esset æquè voluntarius.

15 Quòd si quis alius dicat priuationem charitatis suscipere magis, & minùs respectu gratiæ, quæ priuatur: ita quòd qui peccādo amittit maiorem gratiam est magis pollutus, quàm qui amittit minorem.

Alia responsio tacita reijcitur.

16 Contrà. Tunc sequeretur, quòd qui fecit pauciora peccata esset magis maculatus, eo qui fecit plura, et grauiora peccata. Consequens est euidenter falsum; ergo. Consequentia declaratur, quia qui habet maiorem gratiam, ideò illam habet maiorem, quia valdè se exercuit in bonis operibus, & abstinuit à peccatis, propter quæ habitus gratiæ factus est intensior, & perfectior: ille verò, qui habet minorem gratiam, ideò habet minorem: quia sępiùs peccat, & parùm stat in gratia, & facit pauciora opera bona: ideò habitus eius gratiæ non crescit tantum, quantum gratia alterius. Ex his ergo patet, quòd ille qui per peccatum amittit maiorem gratiam habebit pauciora peccata, quàm qui amisit minorem: & tamen si responsio allata esset vera, qui minùs peccauit esset magis pollutus, quàm ille qui magis peccauit.

17 Tandem contra hanc opinionem facit exemplum adductum à D. Thoma, & confirmat opinionem Scoti. Et primùm quidem vmbra ex diuersis corporibus causata in diuersis partibus, & secundùm diuersas figuras non facit ad propositum: quia nos loquimur de diuersis peccatis respectu eiusdem maculæ, & priuationis gratiæ, non respectu diuersarum priuationum. Loquendo autem de diuersis corporibus respectu eiusdem partis aeris, & luminis, falsum est diuersa corpora causare diuersas vmbras eiusdem rationis, & formæ. Nam in eadem parte aeris, licèt possent esse diuersæ priuationes diuersarum rationū & diuersarum formarum, vt tenebræ, & silentium, non possunt tamen esse diuersę priuationes eiusdem formę, & eiusdem luminis. Nam si corpus opacum vnum interponatur inter aerem, & Solem, priuat lumen in illa parte aeris: & ideò licèt aliud corpus iterum interponatur, & rursus aliud, si vnumquodque, illorum æquè, & adęquatè est opacum, & adęquatè priuat aerem lumine, priuatio luminis nō inducitur à 2. nec à 3. nec à 10. corpore; & dato, quòd

Exēplū D. Thomę facit pro Scoto.

to, quòd tenebrę magis, ac magis inducerentur, vt fit quãdoq; quando corpus primum non est multum opacũ, hoc prouenit, quia lumen suscipit magis, ac minùs, ideò tenebra, quę illi opponitur suscipit magis, ac minùs, & est ĩ ſſeriat gratia, vt dictũ est, non suscipit minùs, nec diminuitur, sed tota simul corrumpitur: ideò neque priuatio eius potest suscipere magis, & minùs, & paulatim augeri.

2. Ratio principalis Scoti.

18 Secundò. Principaliter arguit Scotus: si macula peccati esset carentia gratię in ordine ad peccatum, sequeretur, quòd macula vnius peccati expelleretur per alterũ peccatum. Consequens est apertè falsum: quia peccatum adueniens non aufert priorem maculam, sed magis maculat. Consequentia probatur, macula summi odij A, vt putà Petri, & amor summus ipsius A, scilicet Petri, sunt peccata, quia summè odire hominem est peccatum: & summè diligere hominem est peccatum: quia hoc competit soli Deo, & tamen ista peccata opponũtur; ergo per vnum auferretur aliud: & per consequens macula vnius peccati expelleretur per aliud peccatum, quod est impossibile, vt dictum est.

Responsio aduersariorum.

19 Respondent Caietanus, & alij negando assumptũ, inquiunt: quia nullę maculæ peccatorum contrariantur adinuicem: quia consurgunt ex parte peccatorum: ideò non contrariantur ad inuicem.

Refellitur.

20 Contrà clarum est ex Arist. 4. Ethicorum cap. 1. nedum virtutem opponi vitio, sed vitia inter se, vt prodigalitas, & auaritia: timiditas, & audacia, & similia. Si quis ergo existens priùs prodigus, fiat auarus, auaritia expellit vitiũ prodigalitatis: neque enim ille, qui priùs erat prodigus, & factus est auarus, simul est prodigus, & auarus. Ita in proposito, si peccati macula est, quid derelictũ in anima ex conuersione ad res temporales, quod ipsam polluat, vt dicunt D. Thomas, & Magister, sequitur, quòd illa macula per oppositam maculam, & peccatum auferatur. Nec refert, quòd macula, & peccatum adueniens sit quoque de genere peccatorum, quia hoc facit, quidem quòd adhùc ille remaneat pollutus, non mundus; tamen facit, vt non sit pollutus eo peccato, et macula, qua priùs pollutus erat, sed alio. Quia prodigus, vt suprà dicebamus, qui fit auarus, non fit mundus à vitio, quia transit à vitio ad vitium: tamen fit, vt nõ sit pollutus amplius priori vitio prodigalitatis, sed auaritię. At in proposito nostro macula, & peccatum secundi peccati, non aufert maculã primi peccati, sed simùl vtraque macula, & peccato pollutus remanet: & quòt multiplicantur peccata, tòt reatus, & maculę multiplicãtur, vel vna macula fit maior æquiualẽs pluribus minoribus. Responsio ergo non soluit: quia, etsi peccata ex genere peccatorũ omnia sint, & ideò vnũ non expellit aliud à genere peccati, tamen potest expellere ab hac specie, & indiuiduo peccati, & constituere in alia specie, & indiuiduo peccati, & tunc non erit sub vtroque: at macula peccati adueniens manet cum macula peccati præteriti. Hæc ratio mihi est maximi momenti.

21 Confirmatur argumento facto à Scoto ad hoc idẽ in hoc 4. dist. 22. quæst. 1. art. 1. quod est istud, Si culpa peccati maneret post actum trãseuntem peccati, sequeretur, quòd duo opposita quandoque manerent simul in eodem subiecto. Consequens est apertè falsum; ergo, consequẽtia probatur. Ponatur e. g. quòd quis habeat odio fratrem suum, & culpa illa, & inordinatio maneat: deinde ille mutetur in aliud extremum, & inordinatè eodem fratre fruatur, & maneat simùl hæc inordinatio; sequitur, quòd simul in eodem subiecto maneat odium inordinatum, & immoderata fruitio eiusdem personæ, quod est absurdum, vt dictum est. Confirmatur adhùc ex Scoto eodem loco. Priuatio quæ nata est esse in determinato subiecto non propriè manet sinè illo subiecto; sed sic est, quod culpa in actu peccati propriè est carentia rectitudinis debitæ in illo actu; ergo transeunte subiecto, quod est actus ille, impossibile est manere culpam illam, & iniustitiam, formaliter propriè. Præterea priuatio illa migraret de subiecto in subiectum, quæ omniã sunt absurda, & impossibilia.

3. Ratio principalis

22 Tertiò. Principaliter ex varijs dictis Scoti in illa quæstione possumus sic arguere, si macula vltra priuationẽ gratiæ est ẽt ordo, & relatio priuationis gratię ad actũ peccati, vt dicit D. Tho. in responsione ad primum argumentum allatum: vel hæc relatio esset realis, vel rationis: at nullum istorum est; ergo. Maior est euidens: quia nõ datur medium. Minor probatur, & primò, quòd non sit relatio realis: quia relatio realis requirit extrema realiter existentia, scilicet subiectum, & terminum: subiectum autem proximum est priuatio gratię; at priuatio non est, quid positiuum: ideò non potest esse subiectum relationis realis. Quòd si dicant essentiam animæ esse subiectũ illius relationis propter priuationem: hoc concesso, alterum extremum, scilicet peccatum non est reale existens. Nam peccatum non manet: actus enim peccati transit; ergo relatio fundata in animæ essentia ad priuationem gratiæ habitualis non potest esse realis, neque potest esse rationis: quia vel causaretur per actum intellectus diuini, vel creati: non diuini, quia sicut Deus non potest esse causa peccati; ita nec maculę eius per se, & primariò, sed solùm permissiuè: hęc autem relatio immediatè, & per se causaretur à Deo, neque intellectus creati; quoniã peccator post actum peccati, non est peccator per nostrũ modum intelligendi, sed ex parte rei, & realiter; ergo illa macula nõ potest esse relatio rationis intellectus creati.

Opin. Magistri Sent. reijcitur à Scoto.

23 Hac eadem ratione Scotus impugnat opinionem Magistri Sentent. quia, vt diximus, illa coincidit cum opinione D. Thomæ. Illa enim elongatio à Deo est idem quod priuatio gratiæ: at priuatio gratiæ tãtummodo non est macula, vt ostensum est, quia illa totaliter aufertur per primum peccatum. Si autem Magister per elongationem à Deo intelligat carentiam rectitudinis actualis, etiam eius opinio non est sustinenda, quia illa rectitudo non est nata manere nisi manente actu: ideò, & si transacto actu illius priuatio adsit, illa tamen priuatio non est macula, à qua quis dicitur peccator.

Opin. Vasquez reijcitur.

24 Eisdem ferè fundamentis reijci potest opinio Vasquez vbi suprà, qui etsi in re conueniat cũ Scoto, à quo tamen se differre profitetur; tamen cum dicit, quòd macula, qua verè homo dicitur pollutus, est denominatio extrinseca proueniens ex peccato præterito, non retractato; eius opinio est falsa, nisi explicetur, vt explicabimus opinionem Scoti: nam tunc sequeretur, quòd peccator ex parte rei non esset maculatus aliqua re reali, vel rationis existente in peccatore, quod est falsum: quia cum dimittitur peccatum, sequeretur non auferri, nisi illam denominationem extrinsecam, quæ denominatio extrinseca nihil ponit in peccatore: vnde etiam post retractatum peccatum, adhùc illa denominatio extrinseca manet in peccatore, & tamen illa non est macula, & ideò sola illa denominatio nõ est macula: vnde ipse dicit addendã esse illam particulam, non retractato. Sed neque hoc sufficit, quia illa particula est negatio quædam, quæ fundatur super aliquam affirmationem: ideò per se nihil ponit in esse, sed est videndum quid sit illud super quod fundatur: vnde redeundum est ad opinionem integram Scoti.

Alia opinio reijcitur à Scoto

25 Adducit Scotus aliam opinionem in textu, quam Scoti Marginistæ tribuunt D. Thomæ, sed re vera non est illius, vt ex dictis patere potest. Illa autem dicebat, quod macula est relatio realis fundata in essentia animæ ob culpam præteritam, & terminata ad pęnam ordinatã à Deo, quæ relatio nil aliud erat, quam obligatio ad pęnam debitam peccato. Fundamentum huius opinionis erat, quia post actum peccati nihil aliud manere videtur quod possit dici macula: nam nec carentia rectitudinis actualis in actu nec carentia rectitudinis habitus gratiæ potest esse talis macula; relinquitur ergo vt sit talis relatio.

26 Reijcitur à Scoto, quia si esset relatio realis, vel esset relatio realis intrinsecùs adueniens, vel extrinsecùs adueniens: non primum, quia illa positis extremis in esse-

tim insurgit: at posita animæ essentia, & posita pœna ordinata in pœnam talis peccati, non insurgit obligatio in essentia ad talem pœnam, nisi fiat peccatum; ergo hæc relatio non est realis, & intrinsecùs adueniens. Nec est relatio extrinsecùs adueniens, quia necesse esset assignare aliquam causam, à qua poneretur illa relatio in esse: relationes enim extrinsecùs aduenientes non insurgunt virtute extremorum, sed ab agente externo producuntur, vt dictum est in 3. disp. 3. at hæc relatio obligationis non habet vllam causam efficientem realem externam, à qua ponatur in esse; ergo. Minor probatur, quia nō ab anima, quia illa nullam aliam actionem habet, nisi eam qua actus peccati producitur: illa autem actio transit, & consequenter non potest esse causa relationis alicuius, quæ maneat post illam, quia ablata causa aufertur effectus eius: ideò illa actio non producit hanc relationē, nec est Deus: quia nulla anima dicitur peccatrix præcisè ab illo quod est terminus immediatè actionis diuinæ. Adducit aliam rationem, quæ coincidit cum secunda parte huius rationis.

27 Istæ rationes sunt adeò efficaces, vt & Vasquez coactus sit fateri, maculam, & reatum non esse solam carentiam gratiæ habitualis, etiam cum relatione ad peccatum, sed requiri aliud: vnde coincidit reipsa cum opinione Scoti, licèt profiteatur ab illo dissentire, vt infrà patebit.

Opinio Scoti. Caput Secundum.

28 REiectis opinionibus aliorum, Scotus ponit suam sententiam, quæ optimè rem manifestat, licèt aduersarij eam vel non intellexerint, vel parùm attenderint. Inquit ergo Scotus in principio primi articuli, pro intelligentia quid sit illud, quod manet in peccatore transeunte actu peccati, à quo dicitur peccator, esse primò supponendum illud quod sic remanet in peccatore, procul dubio esse aliquid reale. Probatur, quia si non esset aliquid reale, non oporteret quærere quid sit delendum per pœnitentiam: quia essent omnino similes, qui non commisit peccatum, & qui commisit, sed cessauit ab actu peccati interiori, & exteriori, quod est apertè absurdum. Quomodo autem sit quid reale, infrà mox patebit, & simul quomodo sit quid rationis: nam in 2. art. postea Scotus dicit, quod istud, quòd remanet post actum peccati, est relatio rationis. Vnde videtur sibi contradicere sed de hoc postea. Hoc ergo supposito subiungit, quòd sicut duplex est iustitia creaturæ rationalis, scilicet actualis, & habitualis, ita duplex est iniustitia eiusdē illi opposita. Iustitia actualis est rectitudo actus debita: quando enim actus habet debitam rectitudinem, dicitur actus iustus, & rectus, & homo ab illa dicitur iustus, siuè operari iustè, & rectè. (Iustitia enim hic accipitur pro rectitudine, & iustitia in communi non pro iustitia, quæ est particularis virtus, vt diximus in disp. Quid sit peccatum pro formali.) Iustitia habitualis est habitus gratiæ gratificantis inhærens animæ nostræ infusus à Deo. Ideò qui habet habitum charitatis, & gratiæ sibi intrinsecùs inhærentem, dicitur iustus iustitia habituali: quia hæc iustitia est habitus inhærens. Ex opposito carentia rectitudinis debitæ in actu est iniustitia actualis; quæ sic denominatur, quia est iniustitia pertinens ad actum, & denominans hominem iniustum ab actu habente in se hanc iniustitiam. Iniustitia habitualis est carētia gratiæ, & charitatis, quę sic denominatur, quia est carentia gratiæ, quæ est habitus inhærens.

29 Ad propositum inquit Scotus, per actum peccati homo incurrit duplicem hanc iniustitiam, sed à neutra est, vel dicitur peccator, non ab iniustitia actuali, quia hæc non remanet in anima peccatoris, sed actu cessante, ipsa quoque desinit esse: & ratio est, quia hæc iniustitia actualis non habet pro subiecto proximo essentiam animæ, sed subiectum proximum illius est hoc totum actus in anima: sicut subiectum proximum rectitudinis in actu non est sola anima, sed actus in anima: ideò cessante actu cessat iniustitia actualis eius, sicut etiam cessante actu recto cessat iustitia, & rectitudo actualis in anima. Nec est iniustus ab iniustitia habituali præcisè, vt ostensum est contra Thomistas: quia hæc per primum peccatum introducitur, non autem per alia peccata sequentia, & sic illa non haberent propriam iniustitiam derelictam, à qua peccator denominetur peccator ratione subsequentium peccatorū, &c.

30 Hic autem est notandum Scotum non negare absolutè hominem esse, & dici peccatorem ab iniustitia habituali, vt superiori cap. tetigimus, sed negare peccatorem à sola iniustitia habituali dici peccatorem. Verba enim eius in illo primo art. sunt hæc. *Post autem actum intrinsecum, & extrinsecum transeuntem manet quadam iniustitia habitualis, sed non ab illa sola dicitur quis peccator.* Et infrà in eodem art. contra Magistrum Sent. arguens, habet hæc verba. *Contra istud, stat deductio prior: quia macula ista, vel elongatio, vel dissimilitudo quomodocunque nominetur non potest esse tantummodò carentia habitus gratiæ: quia &c.* neque etiam vult negare absolutè iniustitiam actualem concurrere, nam etiam illa aliquo modo concurrit, vt infrà videbimus. Quod notandum est propter Vasquez, & Thomistas, qui non rectè hanc sententiam Scoti perceperunt, vt infrà videbimus.

Scotus concedit hominē esse peccatorem ab iniustitia actuali, & carentia gratiæ aliquo modo.

31 His habitis Scotus vlterius declarans opinionem suam in hac re subiungit, quòd istud derelictum in anima, à quo homo est, & dicitur peccator, non potest esse aliquid reale absolutum, vel relatiuum derelictū ab actu peccati. Probatur & quidem quòd non possit esse aliqua relatio realis patet ex dictis contra opinionem vltimam reiectam cap. superiori. De absoluto autē probatur: quia illud reale, quod derelinqui potest ab actu peccati non videtur posse esse aliud nisi vel habitus vitiosus, vel dispositio ad habitū vitiosū. At habitus, & dispositio nō pñt esse illud, à quo quis dicitur, & est formaliter peccator. Ratio est; tum quia habitus visionis causatus à pluribus peccatis actualibus remanere potest in homine iustificato, & de facto videmus remanere in ijs, qui fuerunt magni peccatores in principio suæ iustificationis: nam isti in principio suæ iustificationis sunt proni ad sequendam illam inclinationem habitus vitiosi, neque habent pacem illam, quàm habent perfecti, & exercitati in virtutibus, sed pugnando contra eam benè merentur, & acquirunt sibi habitum contrarium; tum quia habitus, ac dispositio vitiosa derelicta ex actibus desineret esse post fluxum temporis, nisi firmaretur per frequentes actus, sicut vniuersaliter omnis dispositio ad habitum desinit esse cessantibus actibus perficientibus habitum. Habitus etiam quantumcunque radicati, vt experientia videmus, nisi actibus firmentur, cessant cursu temporis. Sed illud, à quo peccator dicitur peccator post actum peccati, non desinit esse per quantumcunque tempus, licèt actus similes non adijciantur: semper enim est peccator in infinitum postquam peccauit vsque ad pœnitentiam, siuè vsque ad retractationem, quæ fit ordinariè per pœnitentiam, vt videbimus in sequentibus disputationibus.

32 Tandem Scotus postquàm explicauit quid non sit macula siue istud à quo quis dicitur peccator post actum peccati, explicat quid sit, & inquit esse tantummodò quandam relationem rationis fundatam in hominis anima inquantum est subiectum intellectus, vel voluntatis diuinæ, ordinantis eam ad pœnam correspondentem peccato, eo quia commisit peccatum. Hæc assertio declaratur, nam postquàm intellectus diuinus vidit hominem peccasse contra suam legem, voluntas diuina ordinat illum ad pœnam correspondentem tali peccato, & Deus videt hanc ordinationem pro omni tēpore, donec pœna sit soluta macula; ergo & offensa ista, qua quis post actum peccati est peccator, est tota ista realitas siuè aggregatio omnium istorum, tàm entium realium, quàm rationis, scilicet visio actus peccati, & ordinatio animæ ad pœnam debitam propter illud peccatum, durans donec retractetur. Vbi apparet quòd ordinatio ipsa ad pœnam propter peccatum

Quid sit macula peccati ex Scoto.

catum realiter est actus diuinæ voluntatis, & hoc pacto hæc macula est quid reale: tamen, vt transit super obiectum obligatum, & ordinatum ad debitam pęnam est relatio rationis in Deo: quia in Deo actus ad extra est rationis non realis ex primo dist. 30. essentia animæ etiã, quatenus est obiectum diuinæ visionis, & ordinationis diuinæ voluntatis ad pęnam propter actum peccati commissum, est subiectum huius relationis rationis, quæ est ordinatio ad pęnam; relatio enim, quæ inest alicui subiecto in ordine ad intellectum, & voluntatem, vt intelligentem, & volentem est relatio rationis: & sic patet quomodò id, à quo quis dicitur, & est peccator post actum peccati, est quid reale, & quid rationis.

33 Ex his colligit Scotus hoc corollarium, quòd ista tria, offensa Dei, macula, & reatus transacto actu peccati, & illo cessante, nihil aliud sunt, nisi ista relatio rationis, scilicet ordinatio diuinæ voluntatis ad debitam pęnam pro peccato commisso, quæ ordinatio dicitur macula animæ, quatenus est disconueniens animæ: dicitur reatus, quatenus est obligatio ad pęnam illam; dicitur verò offensa Dei quatenus est actus diuinæ voluntatis, quo anima illa ordinatur ad illam pęnam propter illud peccatum commissum. Quatenus enim relatio illa ordinationis ad pœnam complectitur realitatem omnium eorum, quæ ad huiusmodi actum concurrunt, dicitur offensa, ratio est, quia nihil aliud est offendi vel irasci in Deo, quàm velle vindicare tali pęna eum, qui per peccatum transgressus est legem suam, & licèt nõ verè sed figuratè dicatur Deus iratus vel offensus: quia ira, quæ est passio, non potest cadere in Deo, nec offensa quæ est læsio cadit in Deo; tamen accipiendo istam rationem irasci pro velle vindicare, exclusa passione concomitante istud velle, Deus formaliter est, & dicitur iratus vel offensus: quia formaliter est volens vindicare peccatum commissum contra legem suam. Hæc est germana opinio Scoti, vt est videre apud eum citato loco, quam postea comprobat, vt videbimus nunc nunc. Scotum sequuti sunt in hoc oxam in 4. dist. 8. & q. 9. Gabriel Biel in 4. dist. 14. quæst. 1. art. 1. & quidam alij.

Primũ corrolariũ ex opinione Scoti. 34 Ex hac opinione Scoti patet, quòd secundùm Scotum macula, siue illud, quo quis dicitur peccator, transacto actu peccati, non est pura obligatio animæ ad pœnam facta à sola voluntate Diuina, vt aduersarij tribuunt Scoto, & maximè Vasquez disp. 139. cap. 5. num. 22. *Secundum corrolariũ.* Nec habetur quòd secundùm Scotum iniustitia actualis, & habitualis non pertineat ad istam maculam, & ad id per quod homo peccator dicitur transacto actu peccati, vt aduersarij ei tribuunt, vt patebit ex rationibus ipsorum adductis contra Scotum. Sed habemus in primis quòd macula, & id, quo quis dicitur peccator post actũ peccati transactũ, includit carentiam iustitiæ habitualis, sed quòd non illa sola est macula, & totum illud per quod quis dicitur, & est peccator, vt patuit per rationes factas contra D. Thom. Nam certum est, quòd vnus principalis effectus peccati est expellere gratiam demeritoriè, propter quam expulsionem de lege ordinaria homo est formaliter iniustus, vt in sequentibus disp. patebit; propter cuius nuditatem volun-*Tertiũ corrolarium.*tariam est dignus pœna. Habemus deinde etiam carentiam iustitiæ actualis, siue rectitudinis debitæ actui aliquo modo pertinere ad maculã, & ad hoc, vt quis sit peccator transacto actu peccati. Nam licèt illa transeat transeunte actu; tamen remanet in mente diuina: quia propter illam iniustitiam actualem Deus obligat animam peccantis ad pœnam debitam: neque enim Deus destinat aliquem ad pœnam aliquam, nisi ille sit dignus illa pœna: Deus enim est iustus; fit autem dignus quis illa pœna propter actum peccati, & propter iniustitiam actualem in actu. Ex quo patet malè Vasquez imponere Scoto, quòd asserat obligationem ad pœnam oriri à sola Dei voluntate, non autem à dignitate peccati. Nam Scotus in primis hoc dicere non potest, quia Deus tunc esset iniustus: quia nõ puniret secundùm debitam pœnam, sed secundùm voluntariam pœnam. Sed neque Scotus hoc asserit, & expressè docet oppositum. Dicit enim quòd destinatio illa Dei est ad debitam pœnam *ob peccatum commissum*.

Prętereà si dicit pœna est debita, signum est quòd iudicat animam esse dignam tali pœna, alioquin non diceretur, debita pœna. Prętereà dum dicit, quòd Deus postquã anima commisit peccatum ordinat eam ad pœnam debitam, & correspondentem peccato, signum est, quòd iudicat peccatum commissum esse causam dignam obligationis ad talem pœnam. Vlteriùs habetur, quòd inimicitia *Quartũ corrolarium.* Dei ad hominem, quæ remanet post actum peccati, non est aliqua continua offensio, qua homo offendat Deum, quasi continuando actum peccati donec retractet per pœnitentiam, vt aduersarij velle videntur, quia transacto *Alia ratio contra aduersarios.* actu peccati potest contingere, quòd peccator amplius nõ cogitet de illo peccato, nec de alio, se complacendo in illo, vel volendo illud, sed quòd omnino de nulla re cogitet, vt putà si incipiat dormire, vel tractare aliquod aliud negocium; neque enim hic dicitur actu continuare illum actum peccati, nec actu, nec habitu, alioquin nulla esset differentia inter eum, qui manet in continuo peccato, vt est concubinarius, & eum qui semel vnum peccatum cõmisit absque animo continuandi illud; nec tamen illud retractauit, sed neque etiam eius pœnitet, sed de eo plùs nõ cogitat. Concubinarius autem etsi actu non cõtinuet actũ peccati; quia necesse est, vt actu alijs negocijs incumbat; tamen habitu, & virtualiter continuat: quia quoties recordatur illius actus in illo se complacet, & vult illum repetere sæpius. Inimicitia ergo peccatoris post actum peccati non est aliqua culpa, & offensa actualis, & continua, sed solùm carentia habitus gratiæ, & obligatio ad pœnam debitam ratione peccati commissi: debitum enim illud, & obiligatio non absolutè, nec vt à Deo est, sed vt est à causa mouẽte Deum, quæ est peccatum, est inimicitia hominis ad Deum; quæ manet donec homo non retractet, & reconciliet se Deo: & odium Dei est velle illam pęnam non absolutè, sed propter peccatum commissum; quo fit vt inimicitia, & macula non sit sola denominatio extrinseca à peccato pręterito non retractato, vt dicit Vasquez, sed sit odium Dei causatum ex actu transacto peccati, & manẽs in Deo donec retractetur. Vndè solemus dicere de eo, qui offendit aliquem Principem, amisit gratiam Principis, siue incurrit irã Principis, quod nihil aliud est quàm Principem velle eum punire, licèt hæc volitio ortum habeat à peccato pręterito tanquàm à causa. Vndè denominatio extrinseca à peccato non retractato non est ipsa macula, sed concomitatur maculam, quæ est obligatio ad pęnam. Tandem habetur, quòd per hanc obligationem non so-*Quintum corrolariũ.*lùm anima maculatur: quia talis obligatio est illi disconueniens ratione pœnæ, sed est illi disconueniens ratione causæ mouentis Diuinam voluntatem, quæ est peccatum commissum. Esse enim in pœna, siue demerito licèt esset disconueniens animæ, non tamen esset macula; sed quia est in pœna sibi debita, & correspondente propter peccatum commissum, ideò hæc obligatio dicitur, & est macula. *Sextũ corrolarium.* Vlteriùs habemus modum, quo secundùm hanc opinionem possumus statuere aliquem esse peccatorem transacto actu peccati, & esse magis, vel minùs peccatorem, & offensiuum secundùm dignitatem ex parte rei, & non ex sola voluntate Dei statuente pœnam, & est hic, quia destinatio Dei alicuius ad pęnam fit propter peccatũ visum, & cognitum: & ideo secundùm illius grauitatem statuit maiorem, vel minorem pœnam. Qui ergo magis peccat, destinatur ad maiorem pœnam propter illud peccatum, ideò est maior peccator, propter obligationem ad maiorem pœnam, non pręcisè quia obligatur ad maiorem pœnam; sed quia ex maiori peccato ordinatur ad maiorem illam pœnam. Ita quòd relatio ad pœnam est relatio causalis, propter quam obligatio illa sit peccatum, & sit maius, vel minus peccatum. *Septimum corrolariũ.* Vltimò habemus, quòd macula, qua quis sorde peccati, verè manet pollutus, est quidem carentia gratiæ habitualis, non tamen sola, sed obliga-

tio ad pœnam, non ratione pęnæ absolutè, nec quatenus est à Deo; sed ratione causæ mouentis Deum, quæ est peccatum ipsum.

35 Ex quibus omnibus sequitur hoc totum, per quod homo dicitur, & est peccator, post actum peccati, iure optimo à Scoto dici reatum, qui significat propriè obligationem ad pœnam; nam obligatio ad pœnam debitam, est principale inter effectus qui remanent; est enim veluti subiectum, cui reliqua insunt. Nam hæc obligatio ad pœnam secundùm realitatem est actus diuinæ voluntatis: formaliter est relatio rationis, quæ actu inest ipsi peccatori, vt obiecto; & hæc est qua propriè est obiectum iræ, & odij Dei, vt diximus. Ratio autem formalis siue causa originaria huius obligationis, & deformitatis eius est peccatum preteritum commissum, quòd in se non manet, sed solùm in mente, & intellectu Dei: ideò iurè hoc quo homo est peccator, post actum peccati, dicitur reatus peccati, qui modus loquendi est conformis modo loquendi D. August. vt infrà patebit ratione quarta.

1. Ratio. 36 Probatur hæc opinio à Scoto primò per rationes adductas contra Thomistas, quia sola priuatio gratiæ nō est id, à quo quis dicitur peccator post actum peccati, vt cap. pręcedenti visum est. Nec est aliquod reale derelictū per actum peccati, vt habitus, & dispositio, vt supra in hoc cap. ostensum est. Nec actus ipse peccati, quia ille transit; ergo non videtur esse aliud nisi relatio ista rationis in intellectu, & voluntate diuina ordinante peccatorem ad debitam pœnam.

2. Ratio principalis Scoti. 37 Secundò Scotus hanc suam opinionem probat, & simùl declarat exemplo simili in humanis. Si quis offendat magnum Principem tali offensa, cui correspondeat magna pœna, cessante actu offensionis, nihil est in offendente, quòd priùs in ipso non fuerit, propter quod modò dicatur inimicus, & non priùs; sed tantùm est in voluntate Principis actus transiens super offendentem, quo vult, & ordinat ipsum ad pœnam. Per quem actum Principis resultat in offendēte quædam relatio rationis, secundùm quam est ordinatus ad pœnam talem, propter offensam commissam in Principem, & hoc certum est, & verissimū
38 in quantacunque inimicitia, & offensa. Qui enim offendit aliquem post actum offensæ, & cessante offensa, non habet aliud in se, nisi odium, & ordinationem ad pęnam ab offenso. Nam offensus pro tanto est inimicus offendenti: quia vult vindicare, & pœnam infligere offendēti, propter actum offensæ sibi irrogatum; ergo macula, inimicitia, offensa, & huiusmodi nihil aliud dicunt nisi relationē in offendente obligationis ad pœnam propter peccatum: ita quòd peccatum, siue actus peccati, est causa, & ratio, vt talis obligatio insit offendenti; & hac ratione illa obligatio est macula, offensa, & inimicitia, &c.

Responsio Thomistarum. 39 At respondent Caietanus, Medina, & alij, quòd in offendente Principem vltra obligationem ad pœnam est inimicitia ad Principem: est enim inimicus, & inuisus offendens Principi. Secundò respondent, quòd non est par ratio de Principe terreno, & Deo: quia certum est secundùm fidem, quòd offendēs Deum, donec retractat actum peccati est conuersus ad creaturam, & auersus à Deo, & sic est offendens Deum.

Reijcitur. 40 Contra primam responsionem, quæro quid sit illa inimicitia, qua offendens est inimicus Deo, & Principi, in hoc enim est punctus difficultatis: non enim sufficit dicere, remanet inimicus; sed oportet declarare, quid sit ista inimicitia. Certum est autem, quòd hæc inimicitia non est transgressio actualis: quia illa cessat cessante actu; nec potest esse sola carentia gratiæ habitualis vt vidimus; nec est sola denominatio extrinseca ab actu illo: quia hæc manere potest etiam in peccatore reconciliato. Deinde illa denominatio extrinseca non est iniustitia inhęrens offendenti, quæ per pœnitentiam deleatur, sed est quid extrinsecum, nec designat aliquid pręsens existens in peccatore, sed quid preteritum: at offendēs re vera acquirit post offensam aliquid in se per inhærentiam, super quod fundatur illa denominatio peccatoris, & inimici: est enim peccator, & inimicus, peccato, & inimicitia actu sibi inhærente: non est autem quid reale, nec respectiuum, nec absolutum derelictum ab actu peccati, vt supra diximus: relinquitur ergo vt sit sola relatio rationis. Non est autem alia relatio nisi offendentis ad offensum: ita quòd, vt est offendens alio modo obijcitur intellectui, & voluntatis offensi, quàm prius obijceretur; obijcitur autem aliter ex parte sui, & aliter ex parte offensi; ex parte sui, vt qui habuit actū offensiuum, non autem, vt actu habens; ex parte offensi vt ordinatus, & destinatus ad pœnam debitam. Ita quòd illud, quod est ex parte offendentis, transiuit in re, & remanet in mente, & voluntate offensi; id verò, quod est ex parte offensi, manet actu, scilicet ordinatio ad pęnam. Et ideò secundùm istud, quod remanet actu, est magis fundamētum illius relationis rationis, quàm ex eo, quod est ex parte sui, licèt illud fuerit causa huius secundi; & proinde id à quo quis dicitur inimicus magis pertinet ad obligationē ad pœnam, quæ est ex parte offensi, quàm ad habitudinē ad actum preteritum; quia ille transiuit, nec reliquit nisi denominationem extrinsecam. Et re vera inimicitia inter aliquos duos, si consideretur ex parte eius, qui offendit iam, sed actu non offendit, non est nisi esse subiectū odio, & voluntati vindicandi offensi: & ex parte offensi inimicitia nihil aliud est nisi velle vindicare, & punire offendētem: ideò dicimus inimicum odire alium inimicum, quia inimicus nollet inimicum suum esse, vel habere bonum, sed malum. Patet ergo quòd cum diligēter quæritur, quid sit inimicitia illa, nihil aliud est, ex parte offendentis, nisi obiectum vindicationis offensi: ideò dum dicunt, quòd post actum peccati vltra obligationem ad pœnam remanet inimicitia. Hæc responsio est verbalis, & sine fundamento.

41 Secunda responsio apertè ostendit errorem, in quo Reijcitur secunda responsio. versantur aduersarij. Nam ipsi non distinguunt inter peccatorem actu, & peccatorem post actum peccati amplius non peccantem; nec tamen retractantem actum peccati pręteritum per pœnitentiam, vel aliquo alio modo: ideò dicunt, quòd peccator semper post actum peccati manet conuersus ad creaturam, & auersus à Deo. Hoc autem est falsum, vt diximus supra corrolario quarto, quia differt peccator existens in peccato habitualiter, vt concubinarius, & simplex peccator, qui semel commissit peccatum, vt putà blasphemiæ, & posteà cessat, neque tamen pœnitet de illo, sed amplius de illo non cogitat, sed vel dormit, vel facit aliud opus distrahens. Hic enim, nec actu, nec habitu manet cōuersus ad creaturam, nec auersus à Deo: quia non vult creaturam contra legem Dei actu, nec habitu, sed merè negatiuè, non contrariè se habet, licèt careat gratia Dei. Concubinarius autem si non actu saltem habitu manet conuersus ad creaturam, & auersus à Deo; ergo falsum est, quòd peccator post actum peccati sit conuersus ad creaturam. Neque hoc asserere est cōtra fidem catholicam, vt probatum est: dicitur enim peccator post actum peccati; tum quia caret gratia habituali; tum quia Deus odit illum propter peccatum pręteritum commisū, idest vult ipsum punire, non illi benefacere, vt facit amicis: & ideo est ordinatus ad pœnam. Illa pœna autem ad quam est ordinatus est pœna, vel voluntaria, si illam velit peccator subire: vnde si quis habeat dolorem, & pœnitentiam de peccato cōmisso, soluitur reatus, & est gratus Deo vt prius: vel est pęna æterna inuoluntaria, ad quam, nisi in hac vita habeat pęnam volūtariā, dānabitur in æternum.

42 Tertiò confirmat Scotus suam opinionem à simili, quoniam esto quòd Deus ex multiplicatione meritorum, non decreuisset augere habitum charitatis, sed tantùm decreuisset in mente sua eum, qui plura merita haberet ordinare ad maiorem gloriam: tunc esse maius meritum in illo, nō diceret quid positiuum reale absolutum, vel respectiuum, sed solum relationem rationis, qua obijceretur intellectui diuino, vt ordinatus ad maiorem gloriam, & qua voluntas diuina ordinaret eum ad gloriam; 3. Ratio.

reali-

realiter autem nihil aliud eſſet niſi actus diuinæ voluntatis. Ita è conuerſo aliquem eſſe peccatorem, vel maiorem peccatorem poſt actum peccati, ſiue eſſe abiectum à Deo nihil aliud eſt quàm relatio rationis abiecti, & ordinati ad talem pęnam, & in voluntate diuina eſt relatio ordinationis ad talem pęnam. Realiter autem nihil aliud eſt niſi actus diuinæ voluntatis volentis eum punire propter peccatum.

4. Ratio. 43 Quartò hanc ſententiam probat auctoritate D. Auguſt. in Pſalmo *Beati quorum remiſſa ſunt iniquitates*, &c. vbi D. Auguſt. ait, quòd Deum videre peccata eſt ad pęnam imputare: auertere faciem ſuam à peccatis eſt ad pœnam non reſſeruare; ergo ex D. Aug. idem ſunt, videre peccata, & Deum velle punire peccata, & non videre peccata, & obliuiſci, eſt remiſſa eſſe peccata. Ex hoc autem deducitur, quòd aliquem eſſe in peccato eſt eſſe obiectum diuinæ voluntatis, & diuini intellectus quatenùs vult ipſum punire: mundari autem à peccato, & iuſtificari eſt non eſſe obiectum diuini intellectus, & voluntatis diuinæ vt eſt punitiuus ipſius. Eſſe autem obiectum intellectus, & voluntatis diuinæ vt intellectum, & volitum, eſt relatio rationis; ergo eſſe in peccato, ſiue id, quod derelinquitur in anima per peccatum, eſt relatio rationis voluntatis diuinæ volentis punire propter peccatum. Hìc autem eſt notandum quòd D. Aug. non vult per hoc innuere, quòd dum peccatum per pęnitentiam dimittitur, non re vera deleatur de anima, ſed ſolùm occultetur, & radatur, non autem eradicetur, vt dicunt hæretici horum temporum, quia ſubiungit ibi hæc verba. *Nec ſic intelligatis quòd dixit peccata cooperta ſunt, quaſi ibi ſint, & viuant.* Sed vult dicere quòd etſi illa optimè videat: quia tamen per pœnitentiam retractata ſunt, amplius illorum non recordatur, nec animaduertit: iuxta illud Prophetæ Ezechielis 18. quoties ingemuerit peccator peccatum ſuum, non recordabor amplius. Opinio autem Scoti confirmatur alia auctoritate D. Aug. in libro 6. contra Iulianum cap. 8. vbi D. Aug. planè affirmat, peccatum, quod remanet in homine poſt actum peccati, & ipſum maculat, eſſe ſolùm reatum in occultis Dei legibus manentem, & hunc expiandum eſſe per pœnitentiam.

Notabile obſeruādū contra hæreticos.

Reſponſio Caietani. 44 Reſpondet Caietanus, quòd conceſſo cum D. Aug. quòd apud Deum tegere ſit non imputare, non ſequitur quòd eſſe peccatorem ſit Deum imputare, & obligare ad pęnam, ſed eſt Sophiſma conſequentis, immò impertinentis ex illo hoc inferre: quia homo eſt peccator non ex eo quod eſt ex parte Dei, ſed ex eo quod eſt ex parte ipſius peccatoris; quod eſt auerſio à Deo, & conuerſio ad creaturam, qua fit dignus tali pęna.

Reijcitur. 45 Contra: peccator poſt actum peccati non eſt peccator ob actualem iniuſtitiam, quia illa tranſit, ſed quia eſt dignus pœna, ex Caietano: at eſſe dignum pœna eſt eſſe obiectum diuinæ voluntatis, & intellectus iudicantis, & ordinantis illum ad debitam pęnam; ergo peccator poſt actum peccati eſt peccator formaliter per aliquid ex parte Dei, licèt ſit occaſionatum ex peccato. Minor probatur: quia peccator eſt dignus pęna, iudicio, & ordinatione diuina, non humana, nec creata: eſſe enim dignum pęna, vel pręmio dicit relationem ad rationem iudicantem.

Reſponſio Medinę reijcitur. 46 Reſpondet ergo Medina, quòd D. Auguſt. loco citato explicat grauitatē peccati ab effectu, & inquit quòd qui commiſit peccatum eſt reus peccati donec pęniteat. Hæc reſponſio facit pro nobis, quia ſi D. Auguſt. ibi explicat grauitatem peccati ab effectu, qui eſt macula, & dicit illam maculam eſſe reatum, & explicat illum reatum eſſe idem, quod videre Dei, & videre eſſe imputare, ſiue obligare ad pęnam debitam pro peccato commiſſo; ſequitur, quòd ſecundùm D. Auguſt. macula, ſiue id, quo quis dicitur peccator poſt actum peccati, eſt reatus ſiue obligatio ad pęnam, non quæcunque, ſed ad debitam pęnā, & propter peccatum commiſſum. Subiungit Medina, quòd ſi Deum videre peccata, & non videre peccata eſt explicandum ex proprijs principijs, dicendum eſt Deum videre peccata, eſſe Deum odire peccata, & peccatum illi eſſe ingratum, & inuiſum. Hoc etiam facit pro nobis: quia oportet declarare quid ſit propriè in Deo odire peccatum, &c. odium enim, quod eſt paſſio, nec ita eſt in Deo verè, ſed ſolùm Metaphoricè: at propriè loquendo odire Dei eſt velle vindicare, & punire illum, ſuper quem tranſit odiū Dei; ergo odium, & ira Dei, qui eſt effectus peccati, nihil aliud eſt ex parte offendentis Deum, & oditio à Deo, niſi relatio obligationis ad pęnam debitam; ergo opinio Scoti eſt eadem, quæ D. Auguſt. ſcilicet, quòd id à quo quis dicitur peccator poſt peccatum eſt reatus ad pęnam: quia reatus ideſt obligatio eſt principale inter ea, quæ manent in peccatore poſt actum peccati, & reliqua quæ cōſequuntur huic inſunt. Ordo enim ad peccatum commiſſum eſt ratio cauſalis faciens obligationem, & deputationem illā malam, & ita cum dicimus in peccatore poſt peccatum remanere reatū, à quo dicitur peccator, & inimicus Deo, includimus implicitè omnia, quæ remanent in peccatore poſt actum peccati, ſcilicet carentiam gratiæ habitualis, quia nemo habēs gratiam habitualem ſecundùm legem ordinariam deputatur ad pęnam æternam, ſed ad gloriā; includimus etiam obligationem ad pęnā, & includimus cauſam, & rationem obligationis, & odij Dei in peccatorem, quæ ſunt omnia illa, per quæ peccator dicitur peccator poſt actum peccati. Quòd etiam id quo peccator dicitur peccator poſt actum peccati ſit ipſe reatus, apertè elicitur ex D. Auguſt. loco citato contra Iulianum: nam ſemper D. Auguſt. ibi ait, quòd peccatum tranſit, ſed manet reatus, nec aliquid aliud, quod poſt peccatum maneat, nominat.

47 Verba autem D. Aug. plura poſſent afferri ex cap. 7. & 8. eiuſdem 6. libri, quæ ſententiam Scoti apertè comprobant: nam cap. 8. habet hęc verba. *Sacrificium idolis factum ſi deinceps, non fiat præterijt actu, ſed manet reatu, niſi per indulgentiam remittatur.* Et ſimilia ibidem repetit; ſed cap. 8. cum contra Iulianum diſputans oſtendiſſet, quòd hic reatus, non eſt in conſcientia, nec animo hominis tanquam in ſubiecto, vt Iulianus dicebat: quia cum homo dormit, vel oblitus eſt ſe deliquiſſe, eius conſcientia reatu non ſimulatur; ergo non eſt in conſcientia, & anima, & tamen manet: quia non eſt remiſſus, concludit, quòd manet in regulis ęternis, vt in ſubiecto: Vnde habet iſta verba. *Sed quæſo tecum, & ipſe concedas peccati facti, atque tranſacti reatum manere, niſi ſacro fonte diluatur. Dic mihi reatus iſte, quis ſit, & vbi manet, iam homine correcto rectèque viuente, nondū tamen remiſſione peccatorū liberato?* & poſt multa. *Manet quippe omninò donec remittatur, vbi ergo manet niſi in occultis legibus Dei, quę conſcriptæ quodam modo ſunt in mentibus angelorum, vt nulla ſit iniquitas impunita, niſi quam ſanguis mediatoris expiauerit*, &c. Ex his conſpicitur, quòd reatus, qui manet in homine poſt peccatum, non eſt formaliter aliqua macula, & iniuſtitia: quia illa non manet in regulis ęternis, vt patet; ergo id, quod manet tranſacto actu peccati, cum maneat in occultis legibus Dei, tanquam in ſubiecto, non poteſt eſſe niſi ordinatio Dei, & obligatio peccatoris ad debitam pęnam.

48 Vltimò arguunt aliqui. Si macula peccati eſt, quid inhærens animę ipſam polluens, & priuans nitore, & decore, ſequitur, quòd non poſſit etiam per potentiam Dei abſolutam deleri hęc macula, niſi per appoſitionem gratię habitualis, quę eſt qualitas inhęrens animę: at hoc eſt falſum ſecundùm ipſos Thomiſtas, & maiorem partem Theologorum; ergo. Hęc ratio aliter conficitur contra D. Thomam. Si macula peccati eſt carentia, & priuatio gratię habitualis, ſequitur, quòd per potentiam Dei abſolutam non poſſit remitti culpa peccati niſi per infuſionē gratiæ; ſed hoc eſt falſum etiam ſecundùm Thomiſtas; ergo. Conſequentia patet, quia priuatio, & habitus immediatè opponuntur, & priuationem poteſt tolli niſi per oppoſitum habitum, vt cęcitas non poteſt tolli niſi per viſum. Deus autem non poteſt facere illud quod repugnat, 5. Ratio.

&c in-

& inuoluit contradictionem. Falsitas consequentis probata est in 4. disp. 3. cap. 2. vbi ostensum est, Deum posse dimittere peccatum absque infusione gratiæ habitualis, scilicet restituẽdo hominem in statum innocentiæ, quod etiam ipsi Thomistæ admittunt, vt ibi vidimus. Sed de his argumentis disput. sequenti agendum est.

Rationes aduersariorum contra Scotum, & earundem solutio. Caput Tertium.

49 ADuersùs opinionem Scoti insurgunt Thomistę, & nonnulli alij eisdem rationibus, Caietanus, Medina, Soto vbi suprà, atque asserunt non solùm esse falsã, sed esse plusquàm falsam, immò eam notatam esse erroris à summis Pontificibus ait Vasquez, vt infrà videbimus. Arguunt ergo aduersarij contra Scotum, quòd sit falsissima sic.

1. Ratio. 50 Primò. Peccator, vt peccator, non est à Deo: at ordinatio ad pœnam debitam est à Deo; ergo ordinatio Dei ad pœnam debitam non est id, quo quis est peccator, post actum peccati.

2. Ratio. 51 Secundò. Peccator post actum peccati est peccator malo ex peccato relicto; sed ordinatio ad pœnam est bonum; ergo ordinatio ad pœnam non est id, quo quis dicitur, & est peccator post actum peccati. Maior probatur, quia esse peccatorem est esse malum. Minor quoque est euidens: quia ordinatio ad pœnam est à Deo, id autẽ, quod est à Deo, non est malum, sed bonum.

3. Ratio. 52 Tertiò. Macula peccati est turpis, & vituperatione digna: at obligatio ad pœnam debitam non est vituperatione digna, nec turpis, sed laudabilis; ergo hæc obligatio non est macula.

4. Ratio. 53 Quartò. Scotus inerudité confundit omnia, scilicet culpam, qua quis est peccator, & effectum culpæ: nam ordinatio ad pœnam est effectus culpæ, quia enim homo peccauit, ideò ordinatur ad pœnam. Vndè inquit Caietanus hæc tria se habent per ordinem. Primò est priuatio gratiæ. Secundò est esse dignum pœna, quod est relatio rationis. Tertiò est ordinatio ad pœnam. Peccator autem non dicitur peccator ab vltimo, scilicet ab ordinatione ad pœnam: quia illud se tenet ex parte Dei, non est autem quis peccator ex eo, quod se tenet ex parte Dei, sed ex eo, quod se tenet ex parte sui, scilicet ex eo, quia se fecit dignum pœna. Iuxta illud Oseæ. *Perditio tua ex te Israel est, salus autem ex me.*

5. Ratio. 54 Quintò. Et si Deus statuisset contra peccatorẽ nullas inferre pœnas, scilicet nec infernum, nec purgatoriũ, adhuc peccatum esset macula animæ; ergo obligatio ad pœnam non est macula ex peccato proueniens.

6. Ratio. 55 Sextò. Adhuc remissa culpa manet in peccatore obligatio ab pœnam temporalem, vt ad pœnam purgatorij, vt docet fides; ergo obligatio ad pœnam non est macula, & reatus, quo quis dicitur peccator.

7. Ratio. 56 Septimò. Qui sunt in Inferno damnati, sunt peccatores, & inimici Dei, & habent maculam non solùm ratione peccatorum præteritorum in via, sed etiam in inferno: at eis non imputantur peccata, quæ committũt in inferno ad pœnam; ergo macula non est imputatio ad pœnam.

8. Ratio. 57 Octauò. Esse in peccato est terminus huius, quod est peccare: sicut esse in tenebris est terminus huius, quod est tenebrescere: peccare autem est deuiare, & auerti à Deo; ergo esse in peccato est esse auersum, & deuium à Deo.

9. Ratio. 58 Nonò. In Sacris scripturis habemus, quòd peccatores dicuntur abominabiles, & inimici Deo, Oseæ 9. *Facta sunt abominabiles sicut ea, quæ dilexerunt*, &c. At nõ sunt abominabiles ex eo, quòd sunt deputati ad pœnam, sed ex macula, qua digni facti sunt tali pœna; ergo.

10. Ratio. 59 Decimò. Arguit Vasquez, vbi suprà. Hæc opinio Scoti videtur notata à Pio V. & Gregorio XIII. in Bulla quadam, qua damnantur quædã propositiones Michaelis Baij Doctoris Louaniẽsis, & Decani, inter quas 53. in ordine est. *In peccato duo sunt actus, & reatus, transeunte autem actu nihil manet nisi reatus siue obligatio ad pœnam: vndè in sacramento baptismi, aut sacerdotis absolutione, propriè reatus peccati dumtaxat tollitur, & ministerium sacerdotis solùm liberat à reatu.* In fine autem illius bullę habentur hęc verba. *Quas quidem sententias stricto coram nobis examine ponderatas quamquàm nonnulla aliquo pacto sustineri possent, in rigore tamen, & proprio verborum sensu ab assertoribus intento, hæreticas, erroneas, suspectas, temerarias, scandalosas, & pijs auribus offensionem immittentes præsentium auctoritate damnamus.* Quamuis autem prædictę propositiones non damnentur, nisi in sensu ab auctore intento, hanc tamen propositionem non docuit ille in alio sensu, quàm Scotus, & quẽ verba ipsa sonãt; ergo hęc opinio Scoti, est damnata.

Vndecimò. Arguit Suarez 3. p. tom. 3. disp. 9. sect. 2. Ex hac opinione Scoti sequitur in iustificatione non remitti culpam, sed pęnam; vel saltem sequitur peccatum remitti, nihil aliud esse, quàm remitti pęnam: hoc autem consequens est falsum; tum quia Concilium Tridentinum sess. 5. decreto de originali peccato cap. 3. definit in iustificatione auferri totum id, quod veram, & propriam rationem peccati habet: at pęna non habet veram rationem peccati, sed illam supponit; tum quia non semper in iustificatione tota pęna aufertur; ergo non auferretur totum id quod habet rationem peccati. Immò secundùm sententiam Scoti quando remittitur peccatum solùm tollitur ordinatio diuina ad pęnam, illa autem ordinatio non habet rationem peccati, sed illud supponit.

60 Hæ sunt rationes potissimæ, quæ ab aduersarijs cõtra opinionem Scoti adducuntur, quæ omnes procedunt ex falso intellectu opinionis Scoti, & ex falsis fundamentis, vt patere potest ex explicatione, & probatione opinionis Scoti. Rationes allatæ soluuntur.

61 Notandum est ergo primò, quòd reatum, & maculam, siue id, quo quis est peccator post actum peccati esse obligationem ad pœnam debitam, potest duobus modis intelligi. Vno modo, quòd sit sola obligatio, & ordinatio Dei ad pœnam debitam. Alio modo, quòd sit obligatio ad pœnam cum omnibus concurrentibus ad illam, quæ sunt; ordo ad peccatum commissum, à quo obligatio originatur; carẽtia iustitiæ habitualis, quæ ex peccato actuali oritur in anima; & finis obligationis ad pœnam, qui est vindicatio pęccati commissi. Aduersariorum argumenta procedunt contra obligationem primo modo: ac si ipse Scotus asserat reatum, & pęnam esse nudam obligationẽ Dei ad pęnam, absque vlla alia circunstantia: at Scotus nõ accipit obligationem in illo primo sensu, sed in secundo, vt clarissimè patet ex eius positione superiùs explicata. Facit verò denominationem ab obligatione, quia obligatio ad pęnam, siue velle vindicare est principale, quod includitur in ijs, quæ fiunt in peccatore post actum peccati. Nam obligare ad pęnam debitam secundùm esse reale est actus diuinæ voluntatis, quatenus vult vindicare offẽsam factam: qui actus formaliter est ira, & odium Dei, non metaphoricè, sed propriè, & formaliter, dempta passione; & hæc est inimicitia vera inter Deum, & hominẽ: hic verò actus odij, & destinationis ad pęnam includit dignitatem ex parte obligati ad pœnam, quæ oritur ex actu peccati pręterito; quæ dignitas ordinationis ad pęnam in reo est occasionalis causa iræ, & odij Dei, idest voluntatis vindicandi in Deo, quæ ira, & odium Dei, vt terminatur ad reum dicitur peccatum; non quia sit peccatum formaliter: quia iam actus peccati transiuit, sed quia est causata ex peccato, & manet in reo propter peccatum; nec aufertur donec peccatum pręteritum per pęnam voluntariam à reo purgetur. Vndè cum quis facit pœnitentiam peccati commissi, aufertur dignitas ordinationis ad pęnam debitam; cessat deinde consequenter odium, & ira Dei, scilicet obligatio ad pœnam, & velle vindicare; & restituitur gratia habitualis, quæ est donum Dei. Macula ergo, Obligatio ad pœnam duobus modis potest intelligi.

go,

go,& reatus, quo peccator est reus post peccatum formaliter est odium, & ira Dei, quæ est inimicitia formaliter, non Metaphorica; dignitas autem ad pęnam debitam est causa occasionalis huius iræ,& inimicitiæ; & sic per pęnitentiam deletur omne illud, quod habet veram rationem peccati, idest, quod habet veram rationem inimicitiæ inter hominem, & Deum; & quod ex actu peccati commisso prouenit nos faciens subiectos iræ, & odio Dei: quia pęnitentia nos perfectè reconciliat Deo, & restituit donum gratiæ habitualis, quod nobis abstulerat propter actum peccati commissum; quæ est iustitia nobis inhærens, & qua formaliter sumus Sancti, & iusti coram Deo, vt disputationibus sequentibus patebit.

Ad primā rationem ī oppositū.

62 Hinc ad primam rationem. Ad minorem respondetur, quòd ordinatio ad pęnam non est à solo Deo, sed etiam à peccato: quia peccatum est causa, propter quam Deus ordinat hominem ad pęnam debitam: ideò ordinatio ad pęnam quatenus est à Deo non est mala, nec est qua quis peccator est; sed quatenus est ex peccato est mala; & ab illa, vt sic, peccator dicitur; & est malus, & culpabilis.

Ad secūdā.

63 Per idem respondetur ad secundam. Minor enim est vera de ordinatione ad peccatum, vt est à Deo; sed vt est à peccato, & propter peccatum est mala turpis, & vituperabilis: sicut pęna inflicta latroni propter latrocinium, vt est à iudice plectente reum est bona: vt autem est ex latrocinio, & à peccato inflicta latroni, est mala, turpis, & vituperabilis.

Ad tertiā.

64 Per idem patet ad tertiā: dicimus enim, quòd obligatio ad pęnam absolutè, & vt est à Deo est bona: quia est actus iustitiæ, sed vt est in reo propter delictum est mala, & est vituperabilis.

Ad quartā.

65 Ad quartam patet, Scotum non confundere hæc tria, immò illa distinguere, & ordinare rectè. Dicit enim, quòd reatus peccati est obligatio ad pęnam debitam ex peccato proueniens; ergo peccatum pręcedit obligationē, & est ratio propter quam peccator fit dignus ordinationis ad pęnam: sequitur carentia gratiæ, deinde obligatio ad pęnam. Cum autem Caiet. dicit quòd quis est peccator, eo, quod se tenet ex parte sui, non ex eo, quod se tenet ex parte Dei. Concedo, sed ex hoc non sequitur, quòd non sit peccator, & reus obligatione ipsa ad pęnam: nam obligatio ipsa est relatio rationis, quæ partim est à Deo, partim à peccato. Est à Deo effectiuè, sed à peccato occasionaliter, & meritoriè, scilicet quatenus peccatum est causa faciens peccatorem dignum tali pęna. Peccator itaque post actum peccati est peccator eo, quod se tenet ex parte sui, quatenus, scilicet est dignus propter peccatum obligatione ad talem pęnam.

Ad quintā.

66 Ad quintam respondetur primò, quòd si Deus non ordinasset peccatorem propter actum peccati ad pęnam, & nollet eum punire, neque tunc peccatum auferret gratiam habitualem; vel si auferret, illius ablatio non esset deformitas, nec malum: quia Deus illam nuditatem non reputaret malum vllum. Secundò respondetur, quòd si Deus decreuisset nullas inferre pęnas contra peccatum, dummodò actus, qui sunt peccata, manerent peccata, ita quòd Deus non mutasset legem, nisi quòad pęnas, tunc peccatū esset macula, & peccator esset maculatus, & reus peccati: quia, etsi actu non esset ordinatus ad pęnas; tamē meritoriè, quantum esset ex se, siuè dignitate, esset obligatus ad pęnam: quia ex peccato commisso peccator quātùm est ex se esset dignus ordinari ad pęnam, licèt Deus actu vollet eum ordinare ad pęnam; ita quòd tunc reatus, & macula esset obligatio aptitudinalis non actualis.

Ad sextā.

67 Ad sextam respondetur, quòd obligatio ad quamcunque pœnam, non est reatus, nec macula, sed obligatio ad pœnam ęternam, vt fusius ad vndecimam dicam.

Ad septimam.

68 Ad septimam respondetur, quòd ij, qui damnati sunt in inferno, & puniuntur ibi, sunt inimici Dei: quia sunt obiectum odij, & irę Dei, idest sunt obiectum voluntatis Dei, quatenus vult illos punire pęna debita: hęc.n. est formaliter ira, & odium Dei, vt diximus suprà: & ita, quatenus ex suis demeritis sunt obligati illis pęnis, sunt rei & peccatores, & maculati. Quoad peccata autē, quę ibi de nouo faciunt, dico quòd non habent obligationem actualem vllam: quia Deus non imputat eis illa peccata: sunt enim extra statum demerēdi ex lege, & statuto Dei. Vel dicamus, quòd habent obligationem aptitudinalē, & meritoria quantùm est ex se, scilicet dignitatem ad habendam pęnam: ideò ab illa dignitate dicuntur peccatores, & rei, ac obligati ad pęnam, nō tamē actu, sed dignitate, & aptitudine.

Ad octauā.

69 Ad octauam respondetur, quòd esse in peccato cōtingit duobus modis. Vno modo actualiter. Alio modo post actū peccati. Esse in peccato primo modo, est terminus peccare: quia peccare est habere actum carentem debita rectitudine: & ideò terminus actus peccādi est, habere actum carētem debita rectitudine; & hoc est esse in peccato actu. Secūdo modo esse in peccato est esse non in peccato formaliter, vt vidētur putare aduersarij: quia qui peccauit, & cessauit ab actu, amplius non peccat, nec actualiter, nec habitualiter, vt superiori cap. diximus, sed est esse in effectu peccati: quia est in obligatione, & reatu ad pœnam causatam ex peccato, scilicet in ira, & odio, ac inimicitia Dei: quæ possunt dici, & dicūtur peccatū, non formaliter, sed originaliter, vel causaliter, quia causantur à peccato.

Ad nonā.

70 Ad nonam respondetur, quod peccatores sunt abominabiles etiam per pœnam, ad quam obligantur, non quatenus est à Deo, sed quatenus est causata à peccato; & illi dignos se fecerunt illa; sicut pœna suspendij in latrone est vituperabilis, non quatenus est à iudice, sed quatenus est propter peccatum inflicta dignè latroni. Vndè nō solùm dignitas talis pœnæ propter peccatum est vituperabilis in huiusmodi reis; sed etiam pœna inflicta eis propter talia delicta: quia infligitur propter obligationem, & dignitatem rei ad illam.

Ad decimā

71 Ad decimam respondeo me non inuenisse illam bullam in Bullario impresso Romæ nouissimè: ideò non potui illam in fōte videre, sed ex ijs, quæ adducit ipse Vasquez patet illam procedere contra opinionem illius Michaelis, & aliorum eius Sectatorum, qui, & si putauerint illam esse mentem Scoti; tamen decepti sunt. Nam Scotus non dicit, quòd transeunte actu peccati nihil remaneat, nisi reatus, idest obligatio ad pęnam, vt illi asserūt, sed dicit in peccatore post actum peccati remanere etiam carentiam iustitiæ habitualis, vt ostendimus suprà 1. cap. arguendo contra opinionem D. Tho. & licèt Scotus habeat illa verba. *Ex isto sequitur corrolarium, quòd nihil aliud est post actum peccati cessante offensa, macula, & reatus nisi obligatio*, &c. non vult propter hoc negare in peccatore remanere carentiam gratiæ habitualis; sed vult innuere, quòd macula non est quid reale absolutum vel respectiuum derelictum à peccato in anima, sed sola relatio rationis, vt suprà in eodem articulo probauerat. Insuper non dicit absolutè solùm obligationem ad pœnā manere, sed obligationem ad pęnam debitam propter peccatum commissum. Illi autem dū absolutè aiunt remanere reatum, idest obligationem ad pœnam *duntaxat*, de rigore sermonis vidētur velle, quòd illa obligatio sit obligatio ex voluntate Dei absolutè proueniens, nulla habita relatione ad peccatum præteritum, vt causam. Tandem non dicit Scotus, quòd in Sacramento pœnitentiæ per ministerium sacerdotis *duntaxat* reatus, & obligatio tollatur; sed dicit etiam gratiam habitualem, quæ est iniustitia inhærens instrumentaliter in animam causari eo modo, quo Sacramēta efficiunt gratiam, vt patet passim ex eius doctrina, & maximè in materia de causalitate sacramentorū, & ideò verè Pontifex asserit illas propositiones in rigore sermonis esse hæreticas, temerarias, scandalosas, pias aures offendentes, &c. non nominat autem Scotum: quia non putauit eas in hoc sensu haberi apud Scotū: ideò decipitur Vasquez, dum ait Michaelē, illū do-

cuisse

cuisse illam propositionem in eodem sensu, quo Scotus illam protulit.

Ad vndecimam.

72 Ad vndecimam negatur consequentia, nam remittitur in iustificatione non solùm pœna æterna, vt infert Suarez, sed obligatio ad pœnam æternam, quæ obligatio, vt dictum est, considerata ex parte peccatoris, & rei, prouenit ex peccato, & ex merito, ac dignitate peccati: & ideò dicitur peccatum siue offensa Dei: vt autem est à Deo dicitur ira, & odium Dei volentis vindicare ob peccatum commissum. Pro cuius intelligentia notandum est illud quod sæpius suprà animaduertendum esse diximus, scilicèt quòd culpa actualis non potest remitti in iustificatione: quia illa transiuit cum actu peccati; nec culpa habitualis, qua scilicèt quis habitualiter sit offendens, vt qui manet in continuo peccato sicut concubinarius: quia in proposito non loquimur de tali peccatore; sed de eo, qui fecit peccatum, non tamen amplius offendit, sed cessauit ab offensa; licèt neque pœniteat de primo peccato, vt suprà diximus. Relinquitur ergo, vt culpa, vt ita dicam, virtualiter remittatur; idest remittatur effectus per culpam actualem contractus, quo anima est obiectum obligationis ad pęnam æternam, & iræ, ac odij diuini, & est inimica Deo, non quia anima, vt sic offendat Deum, sed quia est obiectum actus diuini intellectus appræhendentis illam vt dignam vindicta, & tollatur actus diuinæ voluntatis volentis, ac ordinantis eam ad pęnam æternã, actu suo tempore infligendam. Et per hoc patet ad Concilium, & ad aliam probationem: nam in iustificatione remittitur illa obligatio ad pęnam æternam, quæ habet veram rationem peccati, & culpæ virtualis, siuè virtualiter modo exposito, scilicèt quia est derelicta ex peccato, & est quo formaliter anima remanet inimica Deo, ac in ira, & odio eius. Obligatio autem ad pęnam temporalem non habet rationem peccati: quia non procedit ex peccato nisi remotè, proximè autem prouenit ex complacentia diuinæ voluntatis cui placuit, facta retractatione actus peccati à pęnitente, pœnam æternam in temporalem commutare, & per illa sibi satisfieri, & eum ad suam amicitiam recipere, & ei sua dona conferre.

DISPVTATIO XI.

Vtrùm Pœnitentia virtus necessariò requiratur ad delectionem peccati mortalis post baptismum commissi.

Quid sit dicendum loquendo de potentia Dei ordinaria. Caput Primum.

1 PRo intelligentia tituli disputationis notandum est, hic esse sermonem de necessitate medij, non de necessitate præcepti: nam de necessitate pręcepti postea dicemus, ita quòd sensus est, An pœnitentia virtus sit medium necessarium secundùm potentiam Dei ordinariam ad delendum peccatum mortale. Dixi autem secundùm potentiam Dei ordinariam: quia hæc quæstio potest tractari, & de facto tractatur inter Scholasticos, & secundùm potentiam Dei ordinariam, & secundùm potentiam Dei absolutam. Prius tractabimus eum secundùm potentiam Dei ordinariam; deinde in sequentibus secundùm potentiam Dei absolutam. Distinctio autem hæc de potentia Dei absoluta, & ordinaria nota est.

Cõmunis assertio.

2 Ad quæstionem in hoc sensu communiter omnes Theologi respondēt partem affirmatiuam esse veram, vt est videre apud Theologos in hoc 4. dist. 14. & apud D. Thomam 3. p. q. 86. art. 2. Scotus autem præ cęteris hanc communem sententiam egregiè explicat in hoc 4. dist. 14. q. 1. Nam facit tres art. Primus est quid sit id ꝙ manet in peccatore post actum peccati, de quo egimus disp. præcedenti, & diximus esse reatum, & obligationem ad pęnam æternam ex actu peccati prouenientem. Secundus articulus est, quòd istæ reatus, qui appellatur peccatum, remittitur aliqn̄ à Deo, sed reqritur aliqua punitio. Tertius art. est qualis sit hæc punitio. De primo articulo nihil remanet dicendum hic, sed de secundo, & tertio, ex quibus patebit solutio quæstionis.

Peccatum remittitur per aliquã punitionẽ.

3 Quantum ergo ad secundum articulum probat Scotus reatum, & id, à quo quis dicitur peccator post actum peccati, & quod appellatur peccatum, vt diximus superiori disputatione, præsertim capite 3. ad vltimum argumentum, posse remitti, & deleri, & aliquando à Deo de facto deleri. Hoc autem probat primò auctoritatibus, deinde ratione. Auctoritates probant de facto, & prima est ex simbolo Apostolorum, & Niceno. *Credo remissionem peccatorum*: & aliæ passim habentur ex sacra scriptura, vbi dr̄ Deū remittere peccata, vt est illud Ezech. c. 18. *si impius egerit pœnitentiam à vijs suis pessimis, peccatorum eius non recordabor amplius*, & similes, quæ infrà adducentur ad probandum Deum per pœnitentiam peccata dimittere. Secundò probat ratione. Nullus prædestinatus potest consequi beatitudinem ad quam principaliter ordinatur, nisi deleto peccato, accipiendo peccatum modo exposito: at aliquando prædestinatus labitur in peccatum; ergo necesse est, quòd Deus deleat peccatum istud prædestinatorum; aliòquin non possent consequi beatitudinem ad quã ordinantur: & sic frustrà essent prædestinati. Minor est euidens de Dauid, Petro, Paulo, Magdalena, & similibus. Maior probatur, quia nullus beatificatur manens obligatus ad pęnam, & maximè æternam, soluendam. Hoc probatur, quia vel illa pœna esset simul soluenda cum gloria, & hoc est impossibile: quia pęna, & gloria repugnantem absolutè saltem secundùm dispositionem, & legem ordinariam Dei; vel illa pęna esset soluenda post glorificationem, quod similiter est impossibile: quia Deus disposuit illam gloriam in quocunque esse finalem, idest nunquam habiturum finem, sed esse æternam. Relinquitur ergo vt illa pęna, ad quam prædestinatus per peccatum ordinatur, remittatur ante glorificationem; ergo peccatum remittitur, & deletur ante glorificationem, & consequenter remittitur in hac vita.

1. Ratio ex auctoritate.

2. Ratio.

Peccatum deletum p pœnam secundùm legem ordinariã Dei.

4 His habitis, probat, quòd illud, per quod remittitur peccatum, est pęna, vel ęquiualens pęnæ. In acceptatione diuinæ, tamen secundùm legem ordinariam Dei, pœna est illud per quod culpa tollitur, vel saltem regulatur, & ordinatur: vbi est notandũ, quòd non potest esse in mundo aliqua culpa, cui non respondeat aliqua pęna. Vndè est illa maxima communis accepta à Boetio lib. 4. de consolatione philosophica prosa 4. *Pęna est ordinatiua culpæ*. Nam vel pęna tollit culpam, sicut obligatio ad aliquid tollitur per solutionem illius, quod debetur; vel si non tollit, & non delet culpam, vt in obstinato, saltem illam regulat, & ordinat, ita quòd non est simpliciter malum, illam culpam eo modo esse: quia eam concomitatur pęna debita, qua punitur, quod est bonum. Nam simpliciter melius est peccatorem non correctum esse in pęna, quàm sine pęna: quia in primo est aliquid boni, scilicet correspondentia pęnæ ad culpam; sed in secundo esset tantum malitia, scilicet culpa, & impunitas.

5 Quòd autem culpa vel tollatur, vel reguletur per pęnam, probat Scotus: quia per quodcunque peccatum offenditur Deus sicut scriptura satis clamat. Offensa autem eius, vel ira, vt dictum est præcedenti disp. cap. 2. est eius velle vindicare, & punire, vel exigere aliquid equiualens sufficiens ad placandum: tamen regulariter hoc correspondens, & sufficiens per quòd tollitur peccatum est pęna. Peccator enim ex peccato commisso remanet in reatu, & obligatione ad pęnam; ergo posito quocunque peccato, necessariò ponitur quòd Deus vult vindicare stante lege ordinaria: sed velle vindicare est velle punire; ergo peccatum commissum non potest tolli, nec peccator potest solui ab obligatione, nisi per punitionem aliquam, siue per inflictionem alicuius pęnæ, qua soluitur debitum, & tollitur obligatio: & si peccatum non tollitur per pœnam,

nam, saltem necesse est vt reguletur, & ordinetur per aliquam pœnam. Ex hoc ergo habetur, quòd peccatum tollitur, & id per quod tollitur de lege ordinaria est pœna, siuè punitio. Subiungit tamen in fine articuli, quòd cum dicit culpam tolli per pœnam, non intelligit hoc esse necessarium simpliciter: itaquòd oppositum implicet contradictionem; sed intelligit hoc tantùm de lege ordinaria: nam de potentia absoluta culpa potest deleri sine pœna, de qua re infrà.

Qua pœna deleatur peccatũ articulus tertius quæst. 1. Scoti.

6 Remanet nunc videndum quænam pœna, & punitio est hæc à qua deletur peccatum, ex quo patebit solutio quæstionis, scilicet quòd pœnitentia est medium ordinarium requisitum ad delendam culpam, & peccatũ. Hoc autem explicat Scotus in 3. articulo illius quæstionis, in quo ponit duas conclusiones. Prima est de re. Secunda de nomine.

1. Conclusio de re.

7 Prima conclusio de re est hæc. Ad deletionem peccati regulariter requiritur pœna siue punitio voluntaria. Hæc conclusio probatur, quia certum est, quòd peccatum deletur per pœnam, & punitionem aliquam, vt visum est nunc superiori ratione. Certum est etiam peccatum non deleri quacunque pœna, vt patet de pœna damnatorum in inferno, & vt etiam patet de illa pœna, quæ concomitatur turpitudinem peccati, vel sequitur statim culpam commissam: peccator enim post actum peccati commissum sentit pœnam, iuxta illud D. Aug. lib. 1. Confessionũ c. 12. *Iussisti Domine & ita est, vt pœna sua sit sibi quisque peccator*. Non possumus autem assignare aliam rationem, propter quam hæc pęna deleat peccatum, non autem illa, nisi quia hæc est voluntaria, illa autẽ non; ergo pœna voluntaria est, quæ requiritur ad deletionem peccati. Hoc vltimum assumptum probatur: quia siquis velit assignare hanc differentiam penes intensionẽ, vel extensionem dicens, quòd hæc pęna delet: quia est maior, illa nòn delet, quia est minor, hoc non est bonum discrimen: quia pœna damnatorum in inferno est longè maior intensiuè, & extensiuè, quàm pœna viatorum, & tamen illa non delet peccatum, pœna viatorum verò delet. Est ergo dicendum, quòd ratio, propter quam pęna in viatore delet peccatum, in damnatis nequaquàm, est, quia illa est voluntaria, ista verò inuoluntaria.

8 Confirmatur, quia videmus in offensis humanis, quòd pœna, vel punitio voluntaria placat offensam, non autem pœna omninò inuoluntaria; & cum murmure supportata, vel suscepta; ergo cum non videatur posse assignari aliud discrimen magis rationabile, quàm voluntarium, & inuoluntarium, dicendum est, quòd pœna, quæ requiritur ad delendum peccatum, est pœna voluntaria.

Culpa dupliciter ordinatur per pœnam.

9 Ex hoc deducit Scotus corrolarium istud, culpa per pœnam dupliciter ordinatur: nam si pœna est voluntaria, culpa ordinatur per illam: quia per pęnam deletur: si verò pęna est inuoluntaria adhùc culpa per eam ordinatur: quia pęna illam concomitatur, & semper durat cum illa; & sic eam ordinat: quia etsi culpa non tollatur: tamen non manet impunita, sed continuò punitur peccator propter illam.

Quot modis dicatur voluntariũ & inuoluntarium.

10 Postquàm Scotus statuit pęnam, quæ delet peccatum esse pęnam voluntariam, declarat quomodo pœna possit esse voluntaria: videtur enim esse impossibile aliquam velle pęnam, siuè pęnam esse voluntariam; quia de ratione pęnæ est esse inuoluntarium: ideò hoc declarat explicando, quid sit voluntarium, & inuoluntarium. Declarat etiam, quid sit pęna, & quot modis accipitur pęna: ex his enim patebit propositum. Vt autem melius intelligatur, quid sit inuoluntarium, declarandum est, quid sit pęna, licèt Scotus priùs explicet modos inuoluntarij, deinde quid sit pęna. Pęna ergo, inquit Scotus in proposito, est quodcunque disconueniens, siue incommodum. Hoc autem disconueniens potest esse duplex; vel enim est aliquid disconueniens parti sensitiuæ hominis, quod dicitur dolor: vel est aliquid disconueniens parti intellectiuæ, quod dicitur tristitia, quæ propriè, & primò est pœna, de qua loquens D. Aug. de Ciuit. Dei lib. 14. cap. 15. inquit. *Tristitia est dissensio animi ab his rebus, quæ nobis nolentibus accidunt*: hac duplici pęna punitur culpa. Nunc agamus de voluntario. Declarat autem Scotus primò, quid sit inuoluntarium simpliciter: hoc enim cognito per oppositum patebit, quid sit voluntariũ & quomodo pęna possit esse voluntaria: inquit itaque, quòd inuoluntarium simpliciter est illud, contra quod voluntas simpliciter remurmurat, & nollet simpliciter quãtum est ex se. Ex hoc patet, quid sit voluntariũ. Est enim actus oppositus inuoluntariò, scilicet contra quòd non remurmurat simpliciter voluntas: hoc autem quatuor modis se habere potest, & sic erit quadruplex modus voluntariæ pęnæ, siue actus voluntarius alicuius pęnæ, & incõmodi. Hoc autem declaratur sic. Voluntas tribus modis se habere potest circa pęnam inflictam. Primo modo quando voluntas non omninò remurmurat contra pęnam inflictam, sed patienter sustinet. Secundo modo quando voluntas voluntariè acceptat pęnam. Tertio modo quando voluntariè causat, & efficit aliquam pęnam in se ipsa. Et hoc dupliciter, scilicet, vel vt causa proxima partialis, & non intendens illum effectum pęnalem, sed aliud, vel vt causa remota principalis intendens effectum pœnalem.

11 Hos modos possumus declarare in pęna doloris, quam Scotus omittit: quia inquit esse manifestos hos modos in illa, quam appellat pęnam exteriorem, scilicet corporis, & carnis. Accipiamus ergo vulnus, quod inferat dolorem: voluntas potest velle dolorem prouenientem ex vulnere quatuor prędictis modis. Primo modo si quis habeat inflictum sibi hoc vulnus, & eius dolorem patiẽter tolleret ac patiatur sine murmure: hic actus erit voluntarius primo modo. Si verò quis acceptet voluntariè aliquam pęnam sibi inflictam, vt vulnus propter aliquẽ finem, vt consequatur aliquod bonum; hic actus est volũtarius secundo modo. Si verò quis ex se eligat, & velit illud vulnus propter aliquem finem, vt putà, vt placeat domino, cui seruit; non autem intendens, nec volens vulnus propter dolorem, & pęnam, quã causat, sed præcisè propter illum finem, ad quẽ illud vulnus ordinatur; est actus voluntarius tertio modo: quia hic volens est causa partialis proxima doloris prouenientis ex vulnere, licèt ipse volens non intenderet producere dolorem, sed aliud. Tandem siquis velit, & eligat vulnus, vel disciplinam, vt vulnus, vel disciplina efficiat illum dolorem, & pęnam, actus iste est voluntarius quarto modo, quia est causa effectiua remota principalis illius doloris, & pęnæ, & intendens illam, vult enim vulnus, quod vulnus est causa ipsius doloris; ac vult ipsum, vt efficiat dolorem. Distinctio istorum quatuor modorum voluntarij patet, quia in primis duobus modis pęna, & dolor est obiectũ tantummodò voluntatis: in tertio est effectus voluntatis, non obiectum: in quarto est obiectum, & etiam effectus voluntatis. Patet etiam ordo in actibus, quia vnus est magis voluntarius altero. Secundus enim in ratione volũtarij addit super primum, quia magis voluntarium est gratãter acceptare pęnam inflictam, quàm eam tantumodò patienter tollerare. Tertius modus addit etiam super secũdum, quia illa pęna est magis voluntaria, quæ mihi prouenit ex aliqua causa cui est naturaliter annexa illa pęna, quam ego elegi, licèt non in ordine ad illam pęnam, sed propter alium finem, quàm illa pęna quę mihi ab alio est inflicta, & causata. Quartus etiam addit super tertium; hic enim modus est maximè voluntarius: nam in hoc actu nõ solùm volo causam, à qua naturaliter manat talis pęna, & dolor; sed etiam volo talẽ causam, vt causet dolorem, & pęnam illam in me. Hic enim actus est magis voluntarius pęnæ, & doloris, quàm actus, quo volo causam doloris, sed propter aliquem alium finem tantùm, non autem, vt causet dolorem.

12 Hos quatuor modos voluntarij explicat Scotus de pœna interiori, quæ est tristitia, & facit ad nostrum propositum,

positum, sic, aliqua pœna potest esse voluntaria primo modo, vt putà si quid nobis disconueniens, & nolitum ponatur in esse existentiæ, vt priuatio lucis. Hoc disconueniens potest esse voluntarium primo modo: quia potest voluntas illud patienter tollerare, nec remurmurare. Secundo, istud disconueniens positum in esse potest voluntas acceptare in ordine ad aliquem finem, vt cum quis aliquam tribulationem acceptat libenter propter amorē Dei, quomodo dicere videtur D. Augst. lib. de Pœnitentia. Peccator de peccato doleat, & de dolore gaudeat; qui ergo gaudet de dolore, & tristitia peccati, acceptat illud disconueniens in ordine ad hunc finem, vt gaudeat de illa tristitia. Sed tertius modus, scilicet quomodo voluntas causat tristitiam voluntariè vt causa partialis, est difficilius: tamen

Tristitia causatur ex duplici causa.

hoc Scotus declarat sic. Primò notat, quòd tristitia non potest causari in aliqua voluntate nisi à duabus causis. Prima est actualis nolitio alicuius rei, quæ existit. Secunda est apprehensio existentiæ illius rei: quando enim ego nollem aliquid esse, & tamen illud est, & ego apprehendo illud esse, generatur in me tristitia, & displicentia, quòd tristitia ex his duobus causetur, probatur ex diffinitione allata D. Aug. *tristitia est de his, quæ nobis nolentibus accidunt*. Hoc supposito possumus sic declarare tertium, & quartum modum volendi tristitiam. Nam illæ duæ causæ duobus modis possunt se habere in causando tristitiam. Vno modo cum intellectus apprehēdit ex se existentiam rei alicuius, & voluntas nollet illam rem existere, nō quia ipsa voluntas intendat producere tristitiam, sed quia intendit aliquem alium finem; & hic est tertius modus volendi tristitiam, & pœnam, in quo voluntas est causa partialis proxima tristitiæ, scilicet quia est causa nolitionis rei existentis, ad quam nolitionem sequitur naturaliter tristitia de existentia illius rei, licèt ipsa voluntas non intendat tristitiam illam. Alio modo potest causari tristitia, scilicet, quia voluntas imperat, & vnit simul vtrâque causam tristitiæ, & illas vnit, vt causent ipsam tristitiam, ita quòd voluntas est causa principalis pręcipiens intellectui vt apprehendat aliquam rem existere; deinde pręcipiat sibi ipsi, vt nolit rem illam existere, & hoc imperat ad hoc, vt in se ipsa oriatur tristitia. Hic est quartus modus volendi tristitiam, qui est modus volendi pœnam, & tristitiam simpliciter voluntarius. Exemplum esse potest de tertio modo. Ego donaui equum Petro, posteà me pœnitet, & nollem donasse illum equum: quia noui Petrum non esse meum amicum; ex hac nolitione illius donationis oritur in me tristitia, & displicentia. Hic est tertius modus volendi tristitiam. Nam hic apprehendo existentiam rei, huius donationis equi Petro, quæ est prima causa tristitiæ: deinde nollem illam donationem existere, non quia intēdam illam tristitiam producere, sed quia Petrus non est amicus meus; ex his autem sequitur me velle illam tristitiam, licèt non intendam illam vt obiectum: quia patet voluntatem meam esse causam illius tristitiæ, sed partialem proximam, scilicet, quia voluntas vult nolitionem existentiæ donationis equi, ad quam sequitur ex se tristitia, licèt voluntas illam non intendat. Illud autem est voluntarium, quod à voluntate causatur. Exemplum de quarto modo. Voluntas imperat intellectui, vt apprehēdat existentiam donationis equi factæ Petro: deinde sibi ipsi pręcipit, vt nolit donationem ipsam esse, & hoc facit vt in se ipsa oriatur tristitia de existentia illius donationis equi Petro. Hoc modo tristitia de illa donatione est volūtaria quarto modo: quia voluntas est causa principalis efficiens, remota tamē tristitiæ, & habet pro obiecto ipsam tristitiam: quia illam intendit. Hic quartus modus est proprius modus volendi pœnam, & tristitiam de peccato, qui est actus pęnitētiæ virtutis, & est vindicatio, vt infrà videbimus. Cum enim voluntas pręcipit intellectui, vt apprehendat, se commisisse peccatum, & ipsa sibimet imperat, vt nollet, se commisisse hoc peccatum, vt in se ipsa sentiat tristitiam, se commisisse peccatum; est displicentia maximè voluntaria. Tertius modus volendi tristitiam, & displicentiam de peccato etiam est actus pęnitētiæ, vt videbimus, qui dicitur detestatio. Cum enim quis apprehendit se cōmisisse aliquod peccatum, & nollit illud commisisse, quia displicet Deo, dicitur detestari illud peccatum, & inducere in seipso tristitiam voluntariè: quia voluntas est causa displicentiæ, quæ naturaliter nascitur ex illa nolitione existētiæ peccati; licèt non intenderet voluntas inducere illam tristitiam; sed nollet illud peccatum fuisse, quia est offensiuum Dei, & illi displicet, vt infrà latius patebit. De his actibus agit quoque Scotus infrà dist. 16. q. 1. & habet hāc doctrinam. Disputat deinde, An contritio, confessio, & satisfactio sint partes sacramenti pœnitentiæ, & huius pœnitentiæ virtutis, de quibus agemus infrà tractando de materia sacramenti pœnitentiæ.

Argumentum contrarium soluitur.

13 Ad argumentum ergo, quo probatur, quòd pœna non possit esse volita, siue voluntaria: quia de ratione pœnæ est esse inuoluntarium (id enim nobis affert pœnam, quod nolumus, & tamen habemus, non autem id quod volumus, & habemus.) Respondet Scotus, quòd illa propositio, omnis pœna est inuoluntaria, potest intelligi dupliciter. Vno modo comparando pœnam ad voluntatem sequentem affectionem commodi, ratione huius voluntatis pœna est semper inuoluntaria. Alio modo comparando pœnam ad voluntatem, sequentem affectionem iustitiæ. Et hoc modo pœna potest esse voluntaria, & hæc est meritoria. Alio modo etiam potest responderi: nam, vel pęna potest comparari ad voluntatem antecedentem pęnam, vel ad sequentem pœnam. Primo modo potest esse voluntaria: quia posset velle, & applicare causas causantes tristitiam, & dolorem, & tamen nolle posteà ipsam tristitiam positam in esse: tandem potest pęna esse voluntaria: quia voluntariè, & iustè acceptatur. Et hæc quò ad primam conclusionem, scilicet, quod ad delendum peccatū regulariter requiritur pœna, siue punitio voluntaria.

Secūda cōclusio de nomine pęnitentiæ.

14 Secunda conclusio eiusdem tertij articuli est de vocabulo isto pœnitentiæ, scilicet quid sit pœnitentia. Verùm difficile est assignare diffinitionem pœnitentiæ: quia diffinitio est vniuocorum, non æquiuocorum: at pœnitentia videtur esse nomen æquiuocum: ideò non potest assignari de ea vnica diffinitio. Necesse est ergo distinguere significata eius, & posteà assignabimus quid sit pœnitentia. Inquit ergo Scotus notandum esse, quòd punitio potest considerari actiuè, & passiuè. Actiuè est punire; passiuè est puniri. Punitio actiua potest fieri quatuor modis quibus correspondent quatuor modi in punitione passiua. Punitio ergo actiua fieri potest quatuor modis, sicut diximus aliquem posse velle pœnam vulneris, quatuor modis. Primus ergo modus puniendi est, cum voluntas, vt causa principalis, vult efficaciter pœnam propter peccatū; & ideò imperat, & coniungit simùl causas proximas effectiuas tristitiæ, & pœnæ, vt diximus in quarto modo voluntarij, & hic actus dicitur vindicare commissum: imperat enim, vt aliquid fiat, quod causat pœnam ad puniendum peccatum commissum, vt putà voluntas imperat intellectui, vt apprehendat se commisisse peccatum furti; & rursus sibi ipsi imperat nolle se commisisse peccatum furti, quod tamen commisit: & hoc facit vt sentiat tristitiam, quæ ex his duabus causis naturaliter emanat. Hoc est vindicare peccatum. Secundo modo cum ipsa voluntas pręcipit apprehensionem peccati, & sibi ipsi pręcipit, vt nollet peccasse, siue vt sibi displiceat fecisse peccatum, vel peccasse; non tamen vt sentiat tristitiam de peccato, sed propter aliquem alium finem, vt quia offendit Deum, & tunc est causa partialis effectiua tristitiæ. Et hic actus dicitur detestatio peccati. Hæc enim detestatio, & nolitio peccati, quod tamen est, causat tristitiam in anima nolente. Tertio modo cum acceptat tristitiam, vel pęnam inflictam propter peccatum, quod dicitur acceptare pœnam inflictam. Quarto modo cum patiēter fert punitionem, & tristitiam, quod dicitur patienter ferre pœnam inflictā. His quatuor modis punitionis actiuę correspondent quatuor modis in punitione passiua. Puniri enim quod est

mate-

materiale potest induci quatuor modis, qui respectu illius sunt veluti formæ. Puniri enim potest esse volitum à volũtate causante, & imperante primo modo, vel à voluntate detestante, vel à voluntate acceptante, vel à voluntate patienter ferrente. Patet autem, quòd nõ sunt idem punitio actiua, & punitio passiua; aliud enim est velle punire, & aliud est ipsa punitio, & pœna inflicta: ideo non potest reperiri aliquod nomen vniuocum, quod significet punitionem actiuam, & simùl punitionem passiuam connotatam per punitionẽ actiuã vniuocè; sed significabit æquiuocè. Similiter non potest reperiri aliquod nomen, quod significet illos quatuor modos punitionis actiuæ; sed si illos significet, erit nomen æquiuocum. Et sic istis octo modis punitionis quatuor actiuis, & quatuor passiuis si sit nomen impositum, erit nomen æquiuocum. Vndè ad propositum, si pœnitentia est nomen impositum ad significandum hos octo modos punitionis, erit nomen æquiuocum non vniuocum, vt visum est.

Quid sit pęnitere secũdum vsum cõmunẽ, & propriè.

15 Sed demissa hac subtili consideratione, & declaratione, quid sit pœnitere propriè; & loquendo secundum vsum communem, & auctoritatem loquentium de pęnitentia, dicendum est, quòd pœnitere non significat punitionem passiuam, nec ad illam extenditur, sed solùm punitionem actiuam: & ideò extenditur ad quatuor modos punitionis actiuæ tantùm. Hoc probat Scotus, quia faciẽdo vim in vocabulo isto pœnitere secundùm vsum communem, & secundum auctoritatem loquentium, iuxta ethimologiam vocabuli, pœnitere est pœnam tenere; pęnam autem tenere, non significat solùm passionem, & pœnam inhærentem patienti, sed etiam importat actionem respectu pœnæ, & sic quatuor modis potest accipi.

Quadruplex diffinitio de pęnitere.

16 Et hinc quaduplex diffinitio, vel descriptio assignat de pœnitere, iuxta quatuor modos punitionis assignatos. Prima ergo diffinitio, vel descriptio est ista. Pœnitere est vindicare peccatũ à se cõmissũ: vindicare autẽ peccatũ est applicare sibi ipsi pęnam propter peccatum, vt dictum est nunc suprà in primo modo pœnitendi; adeo quòd tenere pęnam in hac diffinitione est applicare sibi ipsi pęnam peccati. Et ista applicatio, inquit Scotus, potest esse duplex, scilicet, quòd applicet in effectu, vel affectu; siue actu, vel virtute, de qua re in sequentibus erit contentio cum Thomistis, & nonnullis alijs. Secunda diffinitio est. Pœnitere est detestare peccatum à se commissum, siue habere displicentiam de peccato à se commisso. In hac diffinitione, pęnam tenere est, vt causa partialis, causare pęnam in se, & hæc displicentia, & detestatio potest esse formalis, vel virtualis, & potest esse de peccato quocunque commisso, vel de peccato in generali. Declarat deinde, quæ sit displicentia formalis, & quæ virtualis. Displicentia formalis est actus formalis detestationis peccati. Displicentia virtualis est actus virtualiter continens ipsam displicentiam peccati, vt amor Dei, vt infrà cap. sequenti dicemus. Tertia diffinitio. Pœnitere est pęnam inflictam pro peccato suo cõmisso gratanter acceptare. In hac diffinitione pęnam tenere est per actum volũtatis habere illam pęnam vt obiectum, & illam vt obiectũ velle &, diligere. Quarta diffinitio. Pęnitere est pęnam sibi inflictam, pro peccato suo patienter sufferre. In hac diffinitione pęnam tenere, est pœnam non abijcere per remurmurationem, sed conformare se agenti infligenti intentione illius pęnæ.

17 Habetur ergo, quòd pęnitentia aliquo istorum quatuor modorum dicitur. Habetur etiam, quod punitio voluntaria aliquo horum quatuor modorum fit. Et consequenter, quòd omnis pęnitentia reducitur ad aliquem istorum, quatuor modorum. Quæ autem dicit Suarez cõtra hos quatuor modos accipiendi, pęnitentiam adducuntur, & reijciuntur q. 2. huius dist.

Obiectio ex Soto cõtra Scotũ.

18 Verùm hic est obiectio ex Soto in 4. dist. 14. q. 2. a. 4. qui reprehendit Scotum hic, qui laborat tantum, vt explicet quomodo pęna, & tristitia sit voluntaria: hic enim labor est frustra, quia non requiritur ad pęnitentiam, vt quis velit tristitiam; sed sufficit velle illud, quòd est causa tristitiæ, vt quòd quis velit non peccasse, ad quòd posteà sequitur tristitia: tristitia enim ex detestatione peccati oritur. Verùm quàm irrationabilis sit hæc obiectio, & simùl opinio ipsius Soto, ex dictis suprà patet: nam dictum, & probatum est peccatum deleri per pœnam nõ quamcunque, sed voluntariam. Vndè pœna in damnatis non delet peccatum. Tristitia autem est pęna quædam; ergo si debet delere peccatum, necessariò debet esse volita aliquo illorum quatuor modorum. Modus autem assignatus à Soto est secundus, scilicet detestari peccatum. At patet quòd primus modus volendi tristitiam propter peccatum, scilicèt vindicare, est magis voluntarius, & magis perfectus modus pęnitendi de peccato; cum enim quis vult pęnam tanquàm obiectum propter peccatum, & ideo vult causas producentes tristitiam, quia vult tristitiam, & displicẽtiam, & dolorem de peccato, magis odit peccatum, quàm dum vult solùm causam inducẽtem tristitiam partialiter, vt nolle peccasse; non tamen habet tristitiam, & displicẽtiam de peccato pro obiecto. Vndè suprà dicebamus vindicare esse actum pęnitentis perfectiorem, quàm detestari. Sed Soto hoc dixit, quia ipse, & alij, excepto Scoto, non agnoscunt aliud pęnitere, quàm detestari peccatum; & tamen patet, quòd vindicare est nobilior actus pęnitendi; & hic solus est actus virtutis pęnitentiæ propriè loquẽdo, vt infrà videbimus. Licèt etiam alij modi pęnitendi, & maximè detestari peccatum, qui est secũdus modus quoque, sit verè pęnitere, accipiendo pęnitere in communi, de qua re infrà. Pręterea pęnitere est pęnam tenere, & non nisi voluntariè; at per solam pęnitentiam ex Sacra scriptura ordinariè dimittitur peccatum; ergo ad dimittendum peccatum requiritur volitio pęnæ. Tandem iam ostensum est, quòd detestatio peccati est actus pęnitentiæ: quia est modus volendi pęnam voluntarius simpliciter; ergo dum Soto dicit, quòd ad delendum peccatum requiritur, vt quis velit causam tristitiæ, quæ est detestatio peccati, siuè nolle peccasse fatetur esse necessariam volitionem pęnæ; ergo ignorans sentit cum Scoto.

Reijcitur.

Conclusio principalis tertij articuli.

19 Subiungit deindè Scotus conclusionem principapalem intentam in illo tertio articulo, quæ est, Quòd ad deletionem peccati mortalis actualis post baptismum commissi requiritur pœnitentia aliquo illorum quatuor modorum. Deducit autem illam conclusionem hoc syllogismo. Omnis punitio voluntaria cõtinetur sub aliquo quatuor modorum pęnitentiæ, vt dictum est in hoc tertio articulo; sed ad deletionem cuiuslibet peccati mortalis post baptismum commissi requiritur aliqua punitio voluntaria, vt ostensum est in secundo articulo; ergo ad eius deletionem requiritur pœnitentia dicta aliquo illorum quatuor modorum.

Solutio principalis quęstionis.

20 Vndè tandem §. *Ex his ad solutionẽ quæstionis*, &c. Soluit quæstionem principalem, quæ est, Vtrum pęnitentia virtus necessariò requiratur ad deletionem peccati mortalis post baptismum commissi: & responsio est affirmatiua, quam probat hoc syllogismo. Ad deletionem culpæ mortalis post baptismum commissæ requiritur punitio voluntaria, vel voluntas punitionis; sed neutrum istorum potest esse sine pœnitentia; (intellige de pœnitentia virtute;) ergo pœnitentia virtus requiritur necessariò ad deletionem peccati mortalis. Maior probata est suprà in principio, & à Scoto probata est articulo secundo, & in principio tertij, conclusione prima, quæ erat de re. Minor verò probata est nunc paulò suprà, & à Scoto art. tertio, secunda conclusione, vbi expositum est quid sit pœnitere, & dictum est ipsum esse quadruplex: vnde aliquis illorum quatuor actuum necessariò requiritur. Ideò cum dicitur in hac solutione necessariam esse pęnitentiam; pęnitentia accipitur indistinctè ad quemcunque quatuor prædictorum modorum.

Notandũ.

21 Notat etiam Scotus conclusionem hanc intelligi de pęnitentia actuali, non de potentiali; ita quòd sensus est necessariam esse tenentiam actualem pœnæ. Necesse est enim quòd actu habeat aliquem illorum quatuor

actuum punitionis voluntariæ. An verò necessarium sit actum istum pęnitentiæ esse rectum, siue virtuosum, vel non; &, An sit necessarium, quòd sit actus formatus vel non, inquit se tractaturum sequenti quæstione, art. 2. de qua re nos ibidem habebimus propriam disputationem.

22 Subiungit verò conclusionem istam debere intelligi de necessitate secundùm legem ordinariam Dei, non secundùm legem absolutam, itaquòd implicet contradictionem: quia tenet de potentia Dei absoluta posse dimitti, & deleri peccatum absque vllo actu pœnitentiæ, de qua re infrà.

23 Et rursus repetit, quod superius dixerat hanc conclusionem non intelligi de actu pęnitentiæ formali, qui scilicet sit dolor de peccato commisso aliquo illorum quatuor modorum; sed sufficit actus aliquis, qui virtualiter contineat actum hunc pęnitere, de qua re infrà.

Rationes Scoti ꝑ cõclusione adducta.

24 Hæc conclusio, & solutio probatur à Scoto hac ratione, Illud est necessarium de lege ordinaria Dei, quod est ordinatum à legibus diuinæ sapientiæ: sed inter leges diuinæ sapientiæ hæc est vna, quòd peccatum commissum non deleatur nisi peccator habeat displicentiam, & tristitiam, siue pęnam de peccato commisso; ergo pęnitentia est necessaria ad deletionem peccati mortalis. Maior est euidens. Minor probatur per auctoritates Sacræ scripturę innumeras, aliquas quarum adducemus cap. sequenti pro opinione illorum qui sustinent semper necessariam esse pęnitentiam formalem: nam etsi illæ non probant semper necessariam esse pęnitentiam formalem: tamen ad minimum probant esse necessariam pęnitentiam indifferenter, scilicet vel formalem, vel virtualem. Probatur autem præsertim per eas, quas Scotus in argumentis ad oppositum adducit. Hæc regula diuinæ sapientiæ est quoque rationalis, quia sicut peccatum auertit à fine vltimo, & conuertit ad creaturam: ita rationabile est quòd non deleatur nisi per motum oppositum auertentem à peccato, siue à creatura, & conuertentem ad Deum: hic motus est pœnitentia; ergo quod dictum est de displicentia, siue detestatione peccati, qui est secundus modus pęnitentiæ, dicendum est de reliquis tribus modis pęnitendi. Necesse est enim, quòd peccator per aliquam illorum quatuor modorum punitionem habeat tristitiam de peccato ad hoc vt deleatur. An verò hic actus pęnitendi requiratur ad deletionem peccati, vel vt dispositio, vel vt concomitans, & denique quomodo se habeat in expulsione peccati, patebit secunda quæst. huius distinctionis.

An semper necessaria sit pœnitentia formalis, An aliquando sufficiat pœnitentia virtualis.
Caput Secundum.

25 EX eo, quia dixit Scotus in fine quæstionis primæ dist. 14. §. *Ex his ad solutionem*, & §. superiori, quòd ad delendum peccatum mortale requiritur pęnitentia de peccato commisso; sed non est necesse, quòd actus iste pęnitentiæ sit semper actus formalis pęnitentiæ, sed sufficit, quòd sit actus pęnitentiæ virtualis, oritur grauis disputatio inter scholasticos, an hoc sit verum, necne, qua in re sunt duæ sententiæ omnino oppositæ. Aliqui enim sustinent opinionem Scoti nunc explicatam, vt Gabriel Biel in 4. dist. 14. q. 1. concl. 2. Maior ibidem q. 1. Nauarrus in Manuali cap. 1. nu. 10. vbi dicit opinionem Scoti esse communiter receptam, & alij. Aliqui alij verò, vt Thomistæ enixè sustinent esse necessariam semper pęnitentiam formalem, non autem sufficere virtualem, vt Soto in 4. dist. 15. q. 1. art. 2. qui tamen excipit actum martirij, vt videbimus, Cano relectione de pœnitentia, parte tertia, & Recentiores Thomistæ. Nunc fundamenta vtriusque sunt inspicienda. Per pęnitentiam autem formalem intelligitur actus aliquis formalis illorum quatuor, præcedenti cap. explicatorum, & præsertim secundus, scilicet detestatio peccati commissi, & tristitia, seù dolor de commissione illius. Pęnitentia virtualis est actus, qui virtualiter continet dolorem de peccato commisso, licèt actu homo de peccato nõ cogitet, nec doleat, vt actus martirij, qui enim ponit vitam suam pro fide Christi, & est in peccatis, licèt non pęniteat de peccatis formaliter, dummodo pro Christo velit mori, virtualiter dicitur dolere de peccatis, vt posteà videbimus ex Scoto in hoc 4. dist. 6. quæst. 6. vbi explicat quid sit intentio virtualis. Quòd ergo pęnitentia formaliter semper sit necessaria, probat in primis Soto in 4. distinct. 15. quæst. 1. art. 2. Suarez tomo 4. disp. 9. art. 1. & alij.

Opin. Gabriel Biel, Maior. Nauarri, & aliorum.

Opin. Soto, Cano, & Thomistarum.

1. Ratio.

26 Prima autem ratio, quæ est fundamentum principale, & radix huius positionis, est ordinatio diuina, quæ (aiunt) nobis innotuit per auctoritates Sacræ scripturæ, Patrum, & Conciliorum, ideò sic arguunt. Auctoritatibus Sacræ scripturæ, & Patrum habetur, pęnitentiam esse necessariam; sed illæ intelliguntur de pęnitentia formali; ergo pęnitentia formalis est necessaria. Maior est euidens ex vtroque testamento. Scotus in argumentis ad oppositum adducit paucas auctoritates, sed principales ex nouo testamento Lucæ 13. *Nisi pœnitentiam egeritis, simul omnes peribitis*: quæ auctoritas optimè probat pęnitentiam esse necessariam, cui aliæ addi possunt, quæ probant pœnitentiam valere ad remissionem peccatorum, vt illud Act. 2. vbi Petrus prædicans Hebræis, ex prædicatione cõpunctis, de occisione Christi, & quærentibus modum delendi suum peccatum, dixit. *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum*. & Matt. 3. cum Io. Baptista reprehendisset Iudeos dicens. *Progenies viperarum quis demõstrabit vobis fugere à futura ira*, & statì subdit, quasi vnicum remedium, *Facite ergo fructũ dignũ pęnitentiæ*. Apoc. 2. *Memor esto itaque vndè excideris, & age pęnitentiam*. Et paulò infrà, *Si quo minùs veniam ad te citò*. Ex his ergo patet pęnitentiam esse remedium ad delendũ peccatum. Ex veteri testamento quoque probatur pęnitentiam esse remedium necessarium ad dimittendum peccatum. Ezech. 18. *Si impius egerit pęnitentiam omnium iniquitatum eius, amplius non recordabor*. & Ecclesiast. cap. 2. *Si pęnitentiam non egerimus, incidemus in manus Dei, non in manus hominum*. Hæc probat, pœnitentiam esse necessariam.

D. Hieronimus.

27 Probatur etiam auctoritatibus Patrum. D. Hieronimus Epistola 2. ad Demetriadem appellat pęnitentiã, *secundam tabulam post naufragium*. Prima tabula comparatur naui integræ, qua fracta naufragus periclitatur, nisi alicui tabulæ adhæreat: hæc dicitur secunda tabula; ergo à simili, cadens in peccatum mortale post baptismum; & propter hoc passus naufragium periclitatur, nisi adhæreat secundæ tabulæ, quæ est pęnitentia. Chrisostomus Homil. 10, ait. *Pœnitentia sola est, quæ rectam facit viam, quæ in peccato erat obliqua*. Tandem Conciliũ Tridentinum sess. 14. cap. 4. post diffinitionem contritionis, quæ est pœnitentia virtus, habet hæc verba. *Fuit autem omni tempore necessarius hic motus ad obtinendã peccati veniam*. & multa alia similia adduci possent. Satis enim scriptura clamat, homines agere debere pœnitentiam à peccatis suis. Ex his ergo est probata maior. Minor verò probatur à Soto, quia istæ auctoritates, non possunt intelligi de pœnitentia virtuali, sed solùm de formali: nam scripturæ debent intelligi in proprietate sermonis, si commodè potest fieri, alioquin pari modo, vbi ait Paulus, *quod sine fide impossibile est placere Deo*, posset quis dicere, quòd fides virtualis sufficit, quòd est erroneum immò quis dicere posset, quòd dare eleemosinam, & remittere iniurias est pęnitentia virtualis, quia etiã isti actus pertinent ad charitatem, quod est hæreticum. Cum ergo alij actus, qui ex Sacra scriptura requiruntur ad salutẽ, vt fides, charitas, & huiusmodi sint actus formales: ita ẽt actus pœnitentiæ requisitus ad salutem debet esse formalis.

Chrisostomus.

Concilium Tridentinum.

Confirmatur.

28 Confirmatur, quia Sacra scriptura hos actus pœnitentiæ vocat quibusdam nominibus, quę indicãt proprietatem nominis pœnitentiæ. Vtitur enim scriptura sæpe

nomine

nomine, gemitus, doloris, tristitiæ, & similibus, vt Ioelis. *Conuertimini ad me in toto corde vestro in ieiunio, & in fletu, & in planctu*: isti autem significant, propriè pœnitentiam.

1. Confirmatio.

29 Confirmatur adhùc, quia Sancti Patres has auctoritates intelligunt de actu formali: vndè Aug. Sermone 1. in principio Psalmi 30. loquens de confusione pro peccato commisso dicit. *Hanc confusionem non formidat Christianus, immò hanc si non habeat habebit æternam*. & lib. de pœnitentiæ medicina cap. 5. ait. *Non satis est mores in meliùs mutare, sed oportet etiam Deo satisfacere, per pœnitentiæ dolorem*. D. Hieronimus lib. 5. Epistola 28. *Peccatum non tollitur nisi lacrimis, & pœnitentia*. & multas alias similes adducunt Recentiores, quæ omnes ostendunt pęnitentiam formalem requiri ad delendum peccatum; ergo pœnitentia virtualis non sufficit. Et hæc est ratio à priori, scilicet ordinatio diuina Dei, quæ ex Sacra scriptura innotuit.

2. Ratio.

30 Secundò probatur ex congruentia: quoniam, vt dicebat Scotus superiori capite, in fine, homo peccando auertit se à Deo: ideò ad delendum peccatum, necesse est, vt conuertatur ad Deum, & auertat se à creatura: hoc autem fit per pęnitentiam.

3. Ratio.

31 Hoc est medium maximè accõmodatum ad placandum personam offensam, & ad obtinendam veniam & est optimum remedium ad vitæ emendationem, quæ per pęnitentiam intenditur; ergo.

Reijcitur allata opinio.

32 Cęterum verissimum est auctoritates adductas, & primam rationem ex illis confectam concludere efficaciter esse necessariam pęnitentiam, vt dicebamus in fine prioris capitis: atque etiam probare pęnitentiam formalem esse necessariam. Non tamen sequitur eas probare pęnitentiam formalem esse medium ità necessarium, vt virtualem omninò excludant, & quodcunque aliud medium: quia reperiuntur aliqua alia media sufficientia ad delendum peccatum mortale post baptismum commissum, quæ non sunt formaliter actus aliquis pœnitentiæ; sed tamen illum virtualiter includunt: & ideò dicuntur pœnitentia virtualis; licèt quæ, & quot sint hæc media, inter omnes sustinentes hanc opinionem, nõ conueniat.

Peccata mortalia deleentur p martirium

33 In primis autem peccata mortalia deleri per martirium absque vllo actu formali pœnitentiæ, est certum, quod Scotus in hac quæst. art. vltimo probat hac ratione: quia possit contingere casus, quòd aliquis raperetur ad martirium statim sustinendum, vbi fortè non esset cogitatio de aliquo peccato mortali priùs cõmisso, nec per consequens aliquod pœnitere illorum quatuor prędictorum modorum, & hoc formaliter: licèt virtualiter in illo motu esset pęnitere iuxta secundam significationem pęnitentiæ superiùs explicatum, scilicet detestatio peccati: at in hoc casu ille per martirium deleret peccatum commissum; ergo non est semper necessarius actus pęnitẽtiæ formalis; sed sufficit actus pęnitentiæ virtualis. Minor probatur, quia nullus excluditur à Regno Cęlorum, qui faciat illud, quod simpliciter est necessarium; sed est possibile aliquem vsque ad instans A. existentem in peccato mortali ab instanti A. necessitari ad toto corde insistẽdum circa actum distrahentem à cogitatione de peccato commisso: vt patet de statim exposito martirio arctissimo: ideò iste in hoc casu faceret illud, quod est simpliciter necessarium, scilicet seruare fidem, & fortiter sustinere mortem pro Christo.

34 Confirmatur, quia, vt ait ipsamet Scotus in hoc 4. dist. 6. quæst. 6. fortè martires in actu sustinendi martirium non habebant vsum rationis: quia immensitas pęnarum illum absorbebat; ergo tunc temporis non poterant habere cogitationem, & consequenter neque detestationem peccati commissi; ergo dicendum est pęnitentiam virtualem in hoc casu sufficere. Hæc ergo assertio est certa, dummodo martir nullam habeat cogitationẽ, vel recordationem peccati mortalis, vt Suarez, Soto, & alij locis citatis etiam fatentur.

Obiectio contra prædicta.

35 Cæterũ est obiectio ex Melchiore Cano vbi suprà, & Suarez disp. 29. sect. 3. cap. 1. quòd casus iste Metaphisicè potest dari, sed phisicè, & moraliter nequaquàm, quod probat ex D. Ioanne Chrisostomo Homilia 4. de Lazaro, & diuite asserente, quod repentina mors exemplo memoriæ offert peccata præterita, quod probat exẽplo Fratrum Ioseph Gen. 42. qui in afflictione positi statim dixerunt. *Meritò hæc patimur, quia peccauimus in fratrem nostrum*. At respondet Soto eodẽ loco casum prædictum vsu, & phisicè euenire posse, & optimè probat: quia licèt in casu nostro magna peccata statim occurere possint, non tamen cętera mortalia, nõ ita grauia, & præsertim ea, quæ exculpabili ignorantia processerunt, indigent enim non parua discussione. Quod etiam patet, quia non est impossibile, quòd aliquis Christianus degẽs inter infideles causa mercaturæ de repente incidat in infideles, qui ipsum statim cogant ad negandũ fidem Christi, ita vt simùl ensis ad gutur paretur, & abnegatio fidei requiratur: quo certè casu nõ esset tempus de peccatis cogitandi, sed de seruanda fide, & fortiter confitendi Christum, ac mori constanter pro Christo.

Solutio.

An si martir haberet i actu martirij scientiã de peccato mortali teneretur ad pœnitentiã formalem.

36 Verùm hic est difficultas, An si quis tempore martirij haberet scientiam peccati mortalis, teneretur tũc habere pęnitentiam formalem de tali peccato. Soto in 4. dist. 15. quæst. 1. art. 2. concl. 3. fatetur quidem martiriũ delere peccatum mortale, quando adest obliuio peccati mortalis, licèt dicat hanc assertionem non esse omninò certam: attamen quando adest scientia peccati mortalis tenet requiri pęnitentiam formalem; & reprehendit Scotum in hoc, quòd nimium absolutè dicat feruorem martirij sufficere. Suarez tomo 3. disp. 29. sect. 3. concl. 1. ei fauet, & ex vtroque istæ rationes adducuntur.

1. Ratio.

37 Prima ratio eius est, quia pęnitentia, & contritio est medium ordinarium ad delendum peccatum actuale post baptismum, vt patet ex auctoritatibus superius adductis: martirium autem hoc habet ex singulari priuilegio, & non est medium ordinarium ad delendum peccatum; ergo est necessaria pęnitentia formalis.

2. Ratio.

38 Confirmatur, quia non est de fide certum, quòd martirium sine pęnitentia, si recordatur peccati commissi, deleat peccatum, sed est opinio tantùm probabilis; ergo non debet, qui exponitur martirio, si habet conscientiam peccati mortalis, & possit illud detestari, immò, & confiteri spernere medium ordinarium, quod est pęnitentia, & sequi medium incertum: quia vnusquisque in rebus salutis tenetur sequi tutiorem viam.

3. Ratio.

39 Et confirmatur, quia si quis expositus martirio haberet tempus pęnitendi, & confitendi, & nollet pęnitere, videretur contemnere: ideò martirium illi nihil prodesset, sicut si quis fidelis non baptizatus exponeretur martirio, & antequàm pateretur mortem posset baptizari baptismo aquæ, & nollet contemnere: nec martirium ei deindè aliquid prodesset: ita q potest pęnitere ante martirium, quod est baptismus sanguinis, nec pęnitet, contemnit; & sic martirium, sine pęnitentia nihil prodest.

40 Cum istis faciunt illi doctores, qui negant martirium ex se conferre gratiam gratum facientem, vt D. Bonauentura in 4. d. 4. p. 2. art. 1. quæst. 2. Alensis 4. p. quæst. 8. m. 9. art. 5. & alij citati a Suarez vbi suprà sect. 2.

Opposita Sententia.

41 Suarez ex aduerso ibidem sect. 3. concl. 2. tenet aliquando martirium cum sola attritione sufficere. Ad rationes autem nunc suprà adductas respondet, quòd, etsi obligatus sit homo ad contritionem, tamen per ignorantiam probabilem iuris, vel facti excusatur ab illa obligatione: idest sufficit, quòd probabiliter existimet eam dispositionem, quam habet esse contritionem, cum re vera non sit; aut quòd probabiliter existimet se non teneri ad habendam meliorem dispositionem, vel saltem omninò non aduertat se ad hoc obligari.

Opin. Scoti quæ sit.

42 Quæ sit sententia Scoti in hoc dubio non est clarũ. In hac quæst. videtur fauere Soto, quia dicit, quod martirium sufficit, vbi non esset cogitatio de aliquo peccato;

ergo videtur velle, quòd vbi est cogitatio de aliquo peccato commisso nõ sufficiat martirium, sed requiratur pęnitentia formalis, idest perfecta contritio: tamen quia pęnitentia formalis est duplex, perfecta, & imperfecta; de vtraque videtur posse intelligi. Vnde ego puto veram esse sententiam eorũ, qui dicunt non semper requiri contritionem, sed sufficere attritionem de peccato commisso, quam sequitur etiam ex professo Suarez disp. illa 19. sect. 3. concl. 2. & multi ex recentioribus, & aliqui ex citatis ibi à Suarez. Soto enim qui in hanc sententiam citatur à Suarez dist. 15. quæst. 1. art. 2. & lib. 2. de natura, & gratia cap. 16. tenet quidem martirium conferre gratiã, & maiorem copiam gratiæ, quàm baptismus aquæ: tamẽ non dicit in proposito sufficere attritionem de peccato commisso post baptismum cum martirio; sed vult esse necessariam pęnitentiam formalem, si peccati obliuionem non habeat, & possit illam habere: nisi fortè dicamus Soto per pœnitentiam formalem intelligere pœnitentiam perfectam, vel imperfectam, vt diximus de Scoto. Sed quidquid sit de eius opinione, nos dicimus, quòd etiam si posset habere contritionem, & illam non habeat aliqua de causa, vt quia non aduertit, vel quia habet attritionẽ, & putat se habere contritionem, vel putat sufficere attritionem solam, & rapitur ad martirium, hæc pœnitentia sufficit cum martirio ad delendum peccatum commissũ.

Opinio Auctoris.

Suarez t. 3. disp. 19. sect. 3. cõcl. 3

1. Ratio.

43 Rationes quibus hæc opinio probatur, & opposita reijcitur hæ sunt. Prima ergo ratio, & principalis est hæc. Ex Sanctis Patribus martirium est baptismus sanguinis, & est æqualis baptismo aquæ, quò ad remissionẽ culpæ, & pœnæ; sed sic est, quòd baptismus aquæ requirit in suscipiente contritionem, vel attritionem, itaquòd sola attritio de peccato commisso sufficit ad suscipiendũ ritè baptismum, & ad delendum peccatum; ergo etiam sola attritio in martirio sufficit. Maior, in qua consistit tota vis, probatur, quia licèt Alexander Alensis, & D. Bonauentura suprà citati teneant martirium non conferre primam gratiam: tamen verior est aliorum opposita sententia, quod conferrat primam gratiam, quam D. Thomas tradit 3. p. quæst. 66. art. 11. & quæst. 87. art. 1. ad secundum, & sui sectatores, & Scotus eam supponit veram in 4. dist. 4. quæst. 6. vbi dicit, quòd si baptismus sanguinis sit completus, martir moritur, & euolat in Cœlum, nec tenetur ad baptismum aquæ. Quòd autem hæc opinio sit vera, scilicet quòd martiriũ sit baptismus, & ęquiualeat baptismo aquæ, & quod consequenter deleat omnem culpam, & pœnam, probatur à Soto eodẽ art. conclus. 3. sect. 3. Suarez, & alijs pluribus auctoritatibus locis citatis, istæ sufficiant.

Priuilegij martirij.

Scoti opinio concordat cum D. Thoma.

Ex Sacra scriptura.

44 Martirum habet promissionem à Christo Io. 15. *Maiorem charitatem nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Vbi per animam intelligitur vita. & Matthæi 10. *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo. Et qui perdiderit animam suam propter me, in uitam æternam inueniet eam.* & similes.

Ex patrib.

45 Ex patribus autem eadem sentẽtia apertissimè patet, qui martirium appellant baptismum, & æquiparant baptismo aquæ: & multis dimissis sufficiant istæ. Clemens Papa lib. 5. constitutionum Apostolicarum, cap. 7. ait. *Qui martirium consequi meruit, gaudeat in Domino, quòd tantam coronam adeptus est, & quamuis fuerit catecumenus, lętus discedat, passio enim, quam pro Christo sustinet, cedet ei in veriorem baptismum, quoniam ipse re ipsa commoritur Christo, alij in figura.* D. August. lib. 13. de Ciuitate Dei capit. 7. id apertissimè docet, his verbis. *Quicunque etiam non percepto regenerationis lauacro pro Christi confessione moriuntur: tãtũ eis valet ad dimittenda peccata, quantum si abluerentur sacro fonte baptismatis.* Et subiungit rationem, dicens. *Qui enim dicit, nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto nõ intrabit in regnũ Cœlorum, alia sententia istos fecit exemptos, vbi non minus generaliter dixit. Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui est in Cęlis.* & idẽ habet lib. de Ecclesiasticis dogmatibus cap. 74. & alibi.

46 Innocentius Tertius de celebratione Missarum c. *Iniuriam facit martiri, qui orat pro martire.* quod sumptũ est ex D. Aug. tractatu 84. in Ioannem, vbi habet hæc verba. *Iniuria est pro martire orare, cuius nos debemus orationibus commendari, certauit contra peccatum vsque ad sanguinem.*

47 Idem habent D. Ciprianus epistola 73. Ambrosius sermone 3. in Psalmum 118. & alij, quos breuitatis causa omitto.

Minor principalis probatur.

Minor verò principalis, quòd ad baptismum aquæ sufficiat attritio sine contritione ostendimus cum Scoto in hoc 4. dist. 4. quæst. 5.

2. Ratio principalis

48 Secundò principaliter probatur idem, quia si semper ad martirium esset necessaria contritio de peccatis commissis, sequeretur nunquam per martirium tãquam per opus operatum remitti peccatum, quia iam per contritionem esset peccatum deletum: at hoc est falsum, quia Sancti dicunt per martirium remitti culpam, & pœnam, vt per baptismum aquæ.

3. Ratio.

49 Tertiò sequeretur numquàm martirium gerere vicem baptismi aquæ, quod tamen est falsum, vt patet ex prædictis auctoritatibus. Consequentia probatur, quia baptismus dimittit culpam, & pœnam cum sola attritione, vt dictum est; ergo si martirium gerit vicem baptismi aquæ, debet cum sola attritione delere peccatum.

Ad primã rationem ĩ oppositũ.

50 Ad rationem primam respondet Suarez, vt suprà diximus, quòd & si pœnitentia formalis sit remedium ordinarium, ad quod tenetur homo ad delendum peccatum post baptismum commissum: tamen potest excusari ab obligatione talis præcepti, non propter impotentiam pęnitendi, quia hæc semper ex gratia Dei adesse posset, sed propter ignorantiam probabilem iuris, vel facti, vt diximus.

51 Sed ego puto melius esse respondendum, quòd aliud est loqui de necessitate medij, aliud est loqui de necessitate præcepti. Nos in præsenti loquimur de necessitate medij, vt in principio huius capitis diximus: patet autem, quòd martirium est aliud medium ex se sufficiens, & est pęnitentia virtualis; ergo non est necessaria pœnitentia formalis ad delendum peccatum mortale quando habemus martirium. Loquendo autem de necessitate præcepti, verum est, quòd in extremo vitæ debet quis pęnitere si potest de peccatis, & adhibere medium ordinarium.

Ad secundam.

52 Et per hoc idem patet ad secundam, debet enim homo sequi semper tutiorem partem, & proindè licèt habeat medium sufficiens extraordinarium, non tamen debet omittere ordinarium, & maximè quando adest præceptum: in articulo autem mortis præceptum de pęnitentia pro peccatis maximè obligat.

Ad tertiã.

53 Per hoc idem patet ad tertiam, vndè in illo casu teneretur ad pœnitentiam ex præcepto, sicùt ille teneretur ad baptismum aquæ ex præcepto, & hoc est verum, si peccata ex se occurrant, quòd si non occurrant, non opus est martirem laborare in examine illorum, vt recordetur, sed potius debet incumbere præparatorijs ad fortiter sustinendum martirium pro Christi amore, qui est actus fortitudinis, & valde difficilis, vt etiam ipse Soto tandem fatetur.

Secunda ratio principalis, quòd pœnitentia formalis nõ sit semper necessaria desũpta ex obliuione.

54 Secundò principaliter probatur non esse necessariam pęnitentiam formalem semper de peccato commisso, quia potest quis oblitus esse peccata, nec per diligentem examinationem potest recordari, tunc peccata delentur sine pęnitentia: hoc est certum apud omnes, etiam Soto vbi suprà illud admittit.

55 Declaratur autem, & probatur: nam, cum quis non recordatur peccati commissi, non tenetur ad pęnitendum de illo, quia præceptum de pęnitentia obligat tunc solùm cum quis habet scientiam de peccato: quando habet autem obliuionem inculpabilem, non habet scientiam de

illo:

illo: ideò non tenetur; ergo peccatum poterit deleri per aliquem alium actum qui geret vicem pęnitentiæ, & ideò erit pęnitentia virtualis non formalis.

56 Quòd autem poſſit deleri per aliquem aliū actum bonum, qui non ſit actus pœnitentiæ, probatur: quia aliàs ille, licèt haberet fidem, & ſpem, & impleret omnia præcepta, quæ ſibi occurrerent, vt neceſſaria, & ſufficientia ad ſalutem, eſſet extra ſtatum ſalutis, quod eſt abſurdum magnum: quia nemo tenetur ad impoſſibile, ſtante autem obliuione peccati, & facto diligenti examine, & ſufficienti, de quo ſuo loco, eſt impoſſibile dolere de illo, & illud deteſtari: & hoc intelligitur nedum de obliuione habituali, ſcilicèt qua ex memoria iam excidit: ſed etiam de naturali actuali, dummodo, vt dixi, ſit inculpabilis: quia ſi facta diligenti examinatione illud peccatum non venit in mentem, nec ampliùs illius recordetur, licèt priùs illius recordaretur, peccatum dimittitur: neque hoc negat Soto vbi ſuprà, vt ei imponit Suarez; ſed dicit hanc eſſe rationem Gabrielis Biel, & neſcire cur ab aliquibus reprobetur: neque eſt neceſſaria contritio, & pęnitentia in generali ſub conditione, ſi haberet: quia ſi de nullo peccato habet conſcientiam, dolere de illis non debet; ſed ſe exercere in actibus alijs charitatis, & orare Deum, vt eum conſeruet, & agere gratias Deo, quòd non commiſit, qui omnes actus ſunt pęnitentia virtualis: ſi tamen aliquis habeat huiuſmodi actum pęnitentiæ in generali, non erit niſi bonus, quia eſt actus humilitatis.

Tertia rō ex charitate ſumpta.

57 Tertiò eſt argumentum ſumptū ex dilectione Dei ſuper omnes, qui eſt actus pfectiſſimus. Poteſt enim Deus dimittere peccatum commiſſum alicui per aliquem motum feruentem charitatis, & dilectionis in Deum, abſque quocunque quatuor prędictorum modorum actuum pęnitentiæ ſub propria ratione; iuxta illud. *Diliges Deum tuum, &c. hoc fac, & viues.* Talis autem actus non eſt pęnitentia formalis, ſed virtualis, vt patet; ergo.

An peccatū per actum charitatis ſine pęnitentia formali poſſit dimitti.

58 Hoc medium eſt valdè controuerſum: nam Cano de pęnit. relect. 3. Dominicus Soto in 4. diſt. 15. q. 1. art. 2. & libro 2. de natura, & gratia cap. 8. quos poſteà ſequuti ſunt nonnulli alij ex Recentioribus, & Suarez 3. p. tomo 4. diſp. 9. enixè concluſione prima tenent, quòd exiſtenti in peccatis mortalibus, quæ vel habet actu in memoria, vel habere poteſt per diligentem indaginem, per actum charitatis quantùmcunque egregium, excepto martirio, non poſſunt remitti ipſa peccata; ſed eſt neceſſaria pęnitentia formalis. Subiungit tamen Suarez in caſu obliuionis, per actum charitatis peccata poſſe dimitti abſque pęnitentia formali; & Soto habet conuenire cum eo, quia in ſecunda concluſ. ſuſtinet, quòd obliuio excuſat à neceſſitate pęnitentiæ, vt viſum eſt pręcedenti ratione.

Opinio Cano, Soto, Recētiorū, & Suarez.

1. Ratio. 59 Pro hac opinione arguit ibi Soto, pręſertim his rationibus. Primò quia auctoritates Sacræ ſcripturæ in hoc capite allatæ ad probandum pęnitentiam eſſe medium neceſſarium ad delendum peccatum commiſſum, debent intelligi de pęnitentia formali, vt ibi probatum eſt; ergo.

2. Ratio. 60 Secundò. Charitas de ſe non eſt pęnitētia virtualis; ergo peccatum per actum charitatis non poteſt dimitti. Antecedens probatur, quia quamuis ille, qui inimicum ſuum iniuriauerit, dicat, & verè dicat deinceps illum ex intimo animo amabo, & in omnibus ei morem gerere proponat, non propterea charitas illa comprehendit pęnitentiam præteritæ iniuriæ: nam cum illa dilectione ſtat, vt eum non pęniteat illatæ iniuriæ; ſed quia iam animo ſuo ſatisfecit, vult deinceps eſſe amicus, alioquin nō eſſet.

3. Ratio. 61 Tertiò. Dicere, quòd actus charitatis ſine formali pęnitentia ſufficiat ad delendum peccatum, videtur eſſe idem, quod hæreſis Lutheri ar. 6. & 7. condemnata à Leone X. nam dicebat Lutherus, quòd ad delendum peccatum ſufficit reſipiſcentia, & noua vita, & negabat ſolùm requiri actum formalē pęnitentiæ: vndè non renuebat, inquit Soto, Lutherus, quòd illa charitas in poſterum eſſet pęnitentia virtualis.

4. Ratio. 62 Quartò. Tridentina Synodus ſeſs. 6. cap. 6. & 14. diffinuit expreßè pęnitentiam non ſolùm continere ceſſationem à peccato, ſed etiam eorum deteſtationem; at talis deteſtatio non poteſt ineſſe pęnitentiæ virtuali, cum illa nullam includat memoriam, vel cogitationem de peccato; ergo pęnitentia neceſſaria ex Concilio eſt formalis, non virtualis.

63 Quintò. Legitima pęnitentia debet includere in voto confeſſionem; confeſſio autem includit neceſſariò deteſtationem peccati; at pęnitentia virtualis non poteſt includere confeſſionem peccatorum; ergo pęnitentia requiſita eſt pęnitentia formalis. 5. Ratio.

64 Sextò. Si charitas ſola ſufficeret, ſequeretur, quòd ſi habenti actum charitatis occurreret memoria peccati mortalis, non deberet confiteri, nec pęnitere de illo: quia iam haberet actum charitatis, qui eſſet medium ſufficiēs ad delendum peccatum mortale. Conſequens tamen eſt abſurdum. 6. Ratio.

65 Septimò ſubiungit Suarez, medium ordinarium ad delendum peccatum poſt baptiſmum, per ſe loquēdo, eſt pęnitentia; ergo quando poteſt cōmodè adhiberi, non dabitur effectus ſine tali medio: at cum quis recordatur ſuorum peccatorum, facilè poteſt habere actum pęnitentiæ, & deteſtationis peccatorum; ergo ſi tunc illud nō adhibeat, ſed adhibeat actum charitatis ſolum, non obtinebit veniam ſuorum peccatorum: quia actus charitatis nō impedit actualem deteſtationem peccatorum, ſi actu cogitantur. 7. Ratio ex Suarez.

66 Octauò arguunt alij. Non poteſt quis obtinere veniam vnius peccati, nec pęnitere de vno peccato tantùm, ſed ſimùl tenetur pęnitere de omnibus actualiter: at ſi quis habeat actum charitatis, & non doleat de omnibus peccatis, quorum recordatur, videtur petere veniam dimidiam peccatorum; ergo. Conſequentia probatur, quia poſſit pęnitere, & ſimul diligere: iſte autem non vult pęnitere, ſed ſolùm diligere; ergo vult adimplere ſolùm pręceptum dilectionis, non pœnitentiæ. 8. Ratio.

67 Oppoſita ſententia eſt per actum dilectionis Dei ſuper omnia abſque actuali pœnitentia peccatorū, quorum recordamur poſſe peccata ipſa deleri: quam quidem opinionem puto in ſe eſſe veriorem, licèt in praxi nedùm tutior ſic opinio prior, vt vult Suarez; ſed omninò ſi quis habet memoriam peccati mortalis, & copiam Confeſſoris, vel tempus pœnitendi, debeat, & teneatur pœnitere, ratione præcepti, vt poſteà dicam. Sed nō teneo hanc opinionem, ea ratione, quam adducit Soto, ſcilicet quia Scotus in 2. d. 28. aſſerit, quòd voluntas per actum charitatis licèt informem poteſt ſe diſponere ad gratiam gratum facientem de congruo. Nam falſum eſt Scotum hoc ibi dicere: eo loco habetur ſolùm hominem cum auxilio diuinæ prouidentiæ poſſe ex viribus ſolius naturæ adimplere illud pręceptum, *Diliges Dominum Deum tuum*, &c. quatenus eſt opus moraliter bonum, vt dicemus in diſputatione, An homo ſine auxilio ſpeciali poſſit facere opus moraliter bonum, cap. 3. ſed hæc opinio habetur ex Scoto in hac diſt. 14. q. 1. art. 3. §. *Ex his ad ſolutionem quæſtionis.* Nam inquit, quòd Deus poſſet remittere peccatum mortalem, *per aliquem motum feruentem dilectionis in Deum abſque quocunque quatuor prędictorum actuum pęnitendi ſub propria ratione*, & dat exēplum ſubiungens, *vt in actu feruoris ad martirium.* Cum ergo Scotus dicat, quòd peccatum poteſt dimitti per aliquem actum, & motum feruentem dilectionis in Deum, & exemplificet de martirio, non intelligit ſolùm de actu caritatis habito in martirio, ſed etiam de aliquibus alijs actibus charitatis: illa enim eſt propoſitio indefinita, *poteſt Deus dimittere peccatum per aliquem actum feruentem charitatis*: ideò ſupponit eſſe alios actus charitatis vltrà actū martirij, per quos Deus poteſt dimittere peccatum mortale ſine pœnitentia. Opinio oppoſita eſt verior, & ē Scoti.

68 Quòd autem hæc opinio ſit vera, vel ſaltem probabilior oppoſita probatur breuiter hac vnica ratione. Quicunque debens alicui decem, reddit viginti, ſatisfacit debito ſuperabundanter: vel dicamus, qui debet alicui vnū 1. Ratio.

pondus argenti, & reddit vnum pondus auri, satisfacit, & delet debitum: at homo per peccatum debet Deo actum pœnitentiæ, qui in comparatione ad actum charitatis potest dici argẽtum, & charitas aurum; ergo si quis per actũ pœnitentiæ satisfacit Deo, & ei dimittitur peccatum mortale, multò magis per actũ charitatis peccatum idem deletur, & satisfit Deo. Maior est euidens. Minor quoque est certa: nam certum est, quòd actus charitatis est perfectio legis: in illis enim duobus pręceptis, *Diliges Dominũ Deũ, & diliges proximum tuum, sicut te ipsum, pendet vniuersa lex, & Prophetę*; ergo actus charitatis est perfectior omnibus actibus aliorum pręceptorum: quia est finis illorum, & consequenter virtualiter, & perfectiori modo continet omnes actus aliorum præceptorum, quàm ipsi in se sint.

1. Ratio.

69 Cõfirmatur, quia dilectioni in Sacra scriptura promittitur remissio peccatorũ, & super omnes actus bonos extollitur 1. Petri 4. *Charitas operit multitudinem peccatorum*. & 1. Ioan. *Omnis, qui diligit ex Deo natus est*, & multa alia huiusmodi in Sacra scriptura habentur, ex quibus elicitur, quòd dilectioni, & actui charitatis promittitur dilectio Dei, & amor Dei; ergo qui habet actum charitatis fit amicus Deo, & habet actum perfectissimum, in quo actus pœnitentiæ, & aliarum virtutum continentur; ergo reddens actum dilectionis, virtualiter offert actum pœnitentiæ: & consequenter absque formali actu pœnitentiæ per actum charitatis dimitti potest peccatum.

Responsio Soto.

70 At respondet Soto hoc argumentum esse sophisticum: quia etsi diligens Deum diligatur à Deo: tamen negat aliquem existentem in peccato mortali posse diligere Deum legitimè, nisi detestando peccata. Probat, quia peccator per peccatum auersus est à Deo; ergo non potest deleri, nisi per actum conuersionis ad ipsum Deum.

Reijcitur.

71 Hæc responsio se ipsam destruit. Primò enim conceditur, quòd qui diligit Deum diligitur à Deo: tunc sic; ergo stante, quòd peccator existens in peccato mortali, habeat actum solùm charitatis, non autem pœnitentiæ, statim diligitur à Deo; ergo peccatum illi dimittetur, si quidem peccatum non potest manere in illo, qui diligitur à Deo.

2. Ratio.

72 Contra illud autem, quod ait, hominem peccatorem non posse legitimè diligere Deum, nisi pęniteat de peccatis, sic arguitur. Actus pęnitentiæ, & charitatis sunt actus omninò distincti, formaliter illos considerando; itaquòd vnus non dependet ab alio: quia sunt de diuersis obiectis, & sunt naturaliter subordinati; prior enim est dilectio Dei, deinde dolor de offensione ipsius, (& pęnitentia, quæ oritur ex charitate est vera, & perfecta: licèt etiam quãdoque pœnitentia oriatur ex timore gehene;) ergo potest vnus haberi sine alio, & prius põt haberi actus charitatis, quàm pęnitẽtiæ; ergo falsum est, quòd legitimè non possit haberi actus charitatis, sine actu pęnitentiæ.

3. Ratio.

73 Tandem confirmatur. Eo est necessaria pęnitentia formalis, vt homo auersus à Deo conuertatur ad Deũ; sed sic est, quòd per dilectionem charitatis hic effectus magis, & perfectius habetur, quàm per pęnitentiam formalem; ergo non est necessaria pęnitentia formalis cum habere possumus actum charitatis. Maior est euidens, & ab aduersarijs concessa. Minor probatur, quia actus charitatis est diligere Deum super omnia extensiuè, & intensiuè; sic autem diligere Deum, est magis velle Deum esse, quàm quamlibet aliam rem creatam, & omnes res creatas simul; & pro maiori malo reputare damnum peccati, quàm quodcunque aliud malum; & implicitè habere actualem voluntatem obseruandi omnia pręcepta, vt dicemus disp. An ad opus morale bonum requiratur auxilium speciale, cap. 3. Actus pęnitentiæ verò detestatur actum peccati: quia est contrarius Deo, non tamen virtualiter includit, quantùm est ex sua ratione formali, actualem voluntatem obseruandi omnia pręcepta directè, & alia quæ includit actus charitatis: quia ad illa directè nõ se extendit; at actus ille est magis conuersiuus voluntatis creatæ in Deum, qui conuertit aliquem in Deum secundùm nobiliorem rationem, & secũdùm plures rationes, quàm ille, qui secundùm vnicam rationem tantùm, & imperfectiorem; ergo actus charitatis magis coniungit voluntatem creatam Deo, quàm actus pęnitentiæ; ergo ad habendum huiusmodi effectũ conuersionis ad Deum, non est necessaria semper, formalis pęnitentia.

74 Propter has rationes, ego puto veram esse hanc opinionem; tamen in praxi non solùm est tutius sequi primã opinionem, vt ait Suarez; sed ego simpliciter dico habenti conscientiam peccati mortalis necessarium esse de illo pęnitere, & confiteri si habeat copiam Confessarij, non quia dilectionis actus non sit medium sufficiens ad delendum peccatum, sed ratione pręcepti: nam, vt infrà dicam, quotiescunque quis recordatur peccati mortalis, debet de illo pęnitere saltem in articulo mortis: ideo si quis constitutus in articulo mortis, haberet memoriam peccati mortalis, & nollet de eo pęnitere, sed solùm diligere Deum, peccaret: quia transgrederetur pręceptum pęnitentiæ. Et rursus adest alia ratio, nempe, quia nemo potest esse certus an diligat Deum super omnia, & habeat perfectum actum charitatis: ideò qui soli actui dilectionis fidere vellet, se exponeret periculo damnationis: vndè proculdubio debet pęnitere, licèt per actum charitatis deletum sit peccatum, sicut qui habuit perfectam contritionem, per quam deletum est peccatum mortale, adhuc tenetur confiteri illud peccatum ratione pręcepti, confessionis: nam sicut attritio includit in voto confessionem, ità charitas includit in voto omnes actus aliorum pręceptorum, vt dicebamus tertia ratione: ideò cum sibi offeretur tempus pręcepti, & occasio, habens charitatem tenetur ad actus illorum pręceptorum, & per hoc patet ad omnia argumenta in oppositum.

Ad primã rationem.

75 Ad primam rationem Soto iam dictum est, illas auctoritates probare pœnitentiam esse medium ordinarium ad delẽdum peccatum post baptismum cõmissum; non tamen ob hoc sequi, quin etiam per actum dilectionis tollatur; sicut non faciunt, quòd per actum martirij non tollatur, qui enim adimplet pręceptum dilectionis, adimplet totam legem, teste Saluatore.

Ad secũdã rationem.

76 Ad secundam ex dictis suprà iam patet, actum charitatis virtualiter comprehendere omnes actus pręceptorum Dei, & in impletione illius impleri totã legem, quia in pręcepto dilectionis continetur vniuersa lex, & Prophetæ. Ad rationem autem eius in oppositum respondetur, quòd exemplum illud non est ad propositum, nec simile. In primis actus ille diligendi inimicũ, non est actus charitatis Euangelicæ integer: nam diligere inimicum, vt se ipsum, vt docet Euangelium, est velle illi omne bonum conueniens, & nolle illi malum aliquod: at qui vult iniuriam factam alicui, licèt deindè illi vellit omnia alia bona, non habet integrum, & perfectum actum charitatis erga proximum, sed debet etiam ei nolle inesse iniuriam factam: & ideò debet pęnitere, & dolere de iniuria illata. Prętereà aliud est loqui de dilectione proximi, & aliud de dilectione Dei super omnia: dato casu, quòd dilectio hominis nõ esset virtualiter pęnitentia, certè dilectio Dei est virtualiter pęnitẽtia: quia includit implicitè actualem voluntatem obseruandi omnia pręcepta; vtrumque ergo est dolere de peccatis cõmissis, sed pręstantiori modo per actum charitatis.

Ad rationẽ in oppositum.

Ad tertiã.

77 Ad tertiam patet quàm longè differat hæc opinio ab hæresi Lutheri: nam Lutherus negauit pęnitentiam esse medium ordinarium, & necessarium ad delendum peccata, & contrà illum in Concilio deffinitur pęnitentiam esse medium necessarium ordinarium. An verò possit dimitti peccatum per actum charitatis, & per pęnitentiam virtualem solam, nec vllum quidem verbum; si tamen Lutherus concederet charitatem quoque dimittere peccatum, & esse pęnitentiã virtualẽ, in hoc non erraret.

Ad quartã.

78 Ad quartam dico, quòd pęnitentia virtualis continet nedum cessationem à peccato, sed etiam detestationẽ non formaliter, sed virtualiter, & hoc sufficit.

Ad

Ad quintã. 79 Ad quintam per idem : nam pęnitentia virtualis includit confeſſionem,& formalem pęnitentiam in voto non formaliter ſed virtualiter, ſicut includit implicitè actualem voluntatem adimplendi omnia pręcepta.

Ad ſextã. 80 Ad ſextam negatur falſitas conſequentis. Si enim alicui occurrat actus peccati,& loco actus deteſtandi actũ illum rapiatur in conſiderationem Dei, ex qua feratur in actum dilectionis Dei ſuper omnia,non debet ceſſare ab illo actu,vt deteſtetur peccatum:quia non debet relinquę re actum nobiliorem,vt ignobiliorem eliciat;licèt autem in illo actu charitatis deleretur ei peccatum, teneretur tamen etiam poſt actum dilectionis in quo ei peccatum dimiſſum eſſet, ſi actus peccati cõmiſſi recordaretur de illo actu peccati pęnitere formaliter propter pręceptum pęnitentiæ, de quo ſuo loco infrà, ſicut ille cui dimiſſum eſt peccatum per contritionem,ad huc tempore debito tenetur confiteri peccatum propter pręceptum de cõfeſſione.

Ad ſeptimam. 81 Ad ſeptimam negatur conſequentia, non conſiderando hic neceſſitatem pręcepti, de qua nunc non loquimur: quando enim ſunt duo media ſufficientia conſequẽdi aliquam rem,immò vnum eſt nobilius alio,poſſum eligere nobilius. In propoſito actus charitatis eſt mediũ nobilius ad reconciliandum hominem peccatorem Deo, quàm pęnitentia formalis; ergo. Quod verò ait actum dilectionis Dei non impedire actualem deteſtationem peccatorum,eſt falſum,loquendo de actibus formalibus: duo enim actus formales diuerſi non poſſunt ſimùl haberi ab intellectu, & à voluntate, ideò non poteſt actu formaliter diligere Deũ,& actu formaliter pęnitere de peccatis; benè poteſt actu formaliter diligere Deum, & virtualiter ſimul pęnitere de peccato, & hæc ſimul fieri concedimus, nec eſt contrà nos.

Ad octauã. 82 Ad octauam negatur teneri hominem ad deteſtandum ſimul actualiter formaliter omnia peccata in particulari,quia eſt impoſſibile habere plures actus ſimùl formaliter,de qua re in materia de contritione infrà. Prætereà,falſum eſt eum qui habet actum dilectionis Dei petere dimidiam veniam peccatorum,quia in illo actu perfectiſſimo virtualiter,& nobiliori modo, quàm formaliter de omnibus veniam ſimul peteret. Ad probationem conſequentiæ reſpondetur,quòd dum actu diligit Deum virtualiter pœnitet de omnibus peccatis,commiſſis,vt dictũ eſt, & ſic non petit dimidiam veniam ſed totam.

An oratio, fides, ſpes, eleemoſina,& ſimilia ſine pęnitẽtia deleant peccatum. 83 Sed adeſt difficultas cõmunis. An præter hæc,dentur alia media valentia ad delendum peccatum mortale ſine pœnitentia; & videtur, quòd ſic: quia Sancti Patres, & Sacra ſcriptura enumerant multa alia, vt fidem. iuxta illud, *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit.* Spẽ, Romanorum 8. *Spe ſalui facti ſumus*. Eleemoſinam, Lucæ 11. *Date eleemoſinam, & ecce omnia munda ſunt vobis.* Orationem, & ſimilia, immò D. Io. Griſoſtomus Hom, 22. ad populum apertè dicere videtur,quòd ſola mutatio vitæ ſine compunctione,& pœnitentia de peccato ſufficit ad dimittendum peccatum:habet enim hæc verba, *Non habes pecuniam, non habes compunctionem, ecce Propheta clamat, Probibe linguam tuam à malo,&c. & in ſalute tibi ſufficiet.*

Solutio. 84 Reſpondetur ad hoc quæſitum cõmuniter nullum enumeratorũ præter baptiſmum remittere peccata mortalia. A Sacra ſcriptura autem habent promiſſionem, ſed non ità plenam,vt martirium,& charitas, ſed habent promiſſionem gratiæ cum alijs medijs: ideò à Sanctis Patribus enumerantur inter remedia remittendi peccata:quia conferunt ad remiſſionem peccati de congruo, & tanquã diſpoſitiones proximæ, vel remotæ, & tam culpæ, quàm pœnæ. Diſponunt enim hæc opera ad actum verum pœnitentiæ formalis, & vltimò ad charitatem perfectam, quæ eſt vltima perfectio hominis, & licèt charitas quoque inter iſta media enumeretur, vt alia : non tamen eſt eadem ratio de charitate,& alijs medijs: quia, ex eadem Scriptura,& Sanctis Patribus,charitas eſt perfectio, & finis omnium virtutum : ideò non poteſt haberi quin omnes virtutes in illa virtute,implicitè habeantur : aliæ verò poſsũt haberi ſine charitate,ideò sũt diſpoſitiones ad illã.

85 Difficultatem aliquam videtur facere illa auctoritas D. Ioan. Griſoſtomi, ſed breuiter reſpondetur, quòd per compunctionem,non intelligit pœnitentiam,ſed dolorem ſenſibilem,vt exponunt Recentiores, & rectè. Excepi autem baptiſmum, quia cũ ſit ſacramentum ad illud ſuſcipiendum,ſufficit attritio, quæ eſt pœnitentia imperfecta, vt diſt.4.q.6.diximus. Ad auctoritatem D. Io. Griſoſtomi.

An de potentia Dei abſoluta peccatum poſſit deleri ſine pęnitentia. Caput Tertium.

86 ALterum, quod facit difficultatem in opinione Scoti eſt, quòd ait pęnitentiam eſſe neceſſariam ad delendum peccatum ſecundùm legem Dei ordinariam, non autem eſſe neceſſariam ſimpliciter: itaquòd implicet contradictionem, & proindè de potentia Dei abſoluta non poſſit ſine eadem deleri. Vndè de hac re eſt controuerſia inter Doctores; pro cuius intelligentia notandum eſt hic nos non diſputare, An Deus poſſit delere peccatum abſque infuſione gratiæ, vel alicuius alterius doni, & qualitatis: quia hæc eſt altera quæſtio, de qua egimus ſuprà in hoc 4. diſt. 1. diſp. 3. cap. 2. & ſuſtinuimus partem affirmatiuam: quia ſi peccator agat pęnitentiam, & retractet actum peccati, Deus poteſt de potentia abſoluta delere eius peccatum abſque infuſione gratiæ habitualis: ſed ſenſus præſentis quæſtionis eſt, An ſi peccator non retractet actum peccati, neque conuertatur ad Deum, neque auertatur à peccato, deteſtando illud actu contritionis,vel ſaltem attritionis; ſed omninò nullum actum habeat circa peccatum, ac nullo modo mutetur, Deus poſſit delere peccatum, & infundere, ei gratiam, & habere illum carum, & gratum.

87 Partem negatiuam ſuſtinent D.Thomas 3.p.q.86. art.2. vbi dicit, impoſſibile eſſe peccatum ſine pęnitentia dimitti, & hanc eſſe intentionem D. Thomæ ſuſtinet Soto in hoc 4. diſt. 15. art. 2. atque hanc opinionem expreſsè defendit, quem ſequitur Vaſquez par. 2. diſp. 206. Caietanus, & Medina quoque eandem ſequuntur, licèt ſint obſcuri part. 2.q.113. art.2. dum ſuſtinent peccatum non poſſe remitti ſine renouatione interiori, & tranſmutatione reali à prauitate ad rectitudinem: quod ſuſtinet Medina loco citato, præſertim dubio primo, concl.6. & dum aſſerunt peccatum non poſſe dimitti,niſi peccator conuertatur ad Deum;quod ſuſtinet Caietanus in commentario illius ſecundi articuli : nam conuerſio ad Deum eſt actus interior peccatoris,renouatio etiam animi interioris,& ſi poſſit intelligi per ſolam infuſionem gratiæ habitualis,tamen non videtur accipi præcisè in eo ſenſu à Medina, ſed pro renouatione proueniente ab actuali mutatione animi per actum elicitum pœnitentiæ, & retractationis: vndè ibidem adducit argumentum Caietani, quòd peccatum non poteſt deleri, niſi conuertatur homo ad Deum: quæ cõuerſio non poteſt fieri niſi per actum interiorem. Opin. Thomiſtarum, & multorũ aliorum.

88. Tandem Medina vbi ſuprà concl. quinta dicit, eſt ex his rebus, quæ fieri non poſſunt, quòd Deus remittat peccatum homini actualiter adhærenti peccato : licèt in hac re ſibi contradicat,vt infrà tangam, & oſtendi diſputatione, An peccatum, & gratia formaliter opponantur, ratione quinta.

1. Ratio. 89 Pro hac ergo opinione Soto loco citato ex Caietano,quos alij deindè ſequuntur,ſic arguit,& eſt fundamentum principale eorum. Deum remittere peccatum mortale homini,eſt eum hominem in gratiam, & amicitiam ſuam accipere, ac eum diligere: at propter nullam potentiam homo poteſt reuocari in amicitiam Dei, ac ab illo diligi, niſi fiat iuſtus, & bonus : impoſſibile eſt autem hominem adultum fieri bonum, & iuſtum, niſi conuertat voluntatem ſuam in Deum: hæc conuerſio non poteſt fieri niſi per deteſtationem peccati; ergo à primo ad vltimum eſt impoſſibile peccatum homini dimitti ſine pœnitentia.

nitentia. Prima propositio patet. Secunda verò probatur, quia Deus per suam potentiam non potest diligere quidquam nisi bonum: nam cum Deus sit ipsa bonitas per se; & bonitas, & voluntas sint eadem essentia, implicat contradictionem, quòd feratur per dilectionem in aliud, quàm in illud, quòd intellectus diuinus ostendit ei sub ratione boni, & quia falli non potest, (per hoc enim Deus differt ab homine) necesse est, vt illud sit verè bonum, immò diligendo facit illud bonum. Altera propositio quoque videtur esse manifesta, quia homo manens in peccato est formaliter iniustus, & peccator, & inimicus Deo; ergo est impossibile hominem existentem in peccato diligi à Deo, & consequenter peccatum de potentia Dei absoluta non potest deleri, nisi per penitentiam.

2. Ratio.

90 Secundò ex eodem ferrè medio arguit Vasquez, vbi suprà cap. 3. sic. Non potest fieri transitus à contrario ad contrarium, siuè à contradictorio, ad contradictorium sinè aliqua mutatione in extremis; sed sic est, quòd homo post peccatum est iniustus, inimicus Dei, & oditur à Deo; dimisso autem peccato, & infusa gratia habituali fit iustus, gratus, & dilectus Deo, & amicus ipsius; ergo necesse est, quòd hic facta sit aliqua mutatio: at non potest fieri mutatio ex parte Dei, quia Deus nō mutatur, nec aliquid de nouo potest velle, sicut nec aliquid de nouo potest cognoscere; ergo necesse est, quòd mutatio fiat ex parte hominis: hæc autem mutatio ex parte hominis non potest esse nisi detestatio peccati, quia conuersio ad creaturam, & auersio à Deo est ipsum peccatum; ergo est impossibile dimitti peccatum absque pęnitentiæ actu. Omnes propositiones assumptæ in hac ratione videntur esse manifestæ.

91 Alia argumenta, quæ faciunt Medina, & Vasquez loco citato ad probandum peccatum, non posse dimitti, nisi per renouationem interiorem animi, & mutationē physicam, siuè realem, non pertinent ad hanc quæstionē, sed ad illam, An peccatum possit dimitti sinè infusione gratiæ habitualis, vel alterius similis doni, quod repugnet peccato. Nam renouatio, & mutatio interior peccatoris potest esse duplex: altera per actus secundos diuersos ab actibus prioribus, quomodo quis dicitur mutari, q priùs volebat vnum obiectum, deindè illud amplius non vult, sed quid aliud; & de mutatione in hoc sensu est sermo in præsenti disp. Alio modo potest fieri mutatio per inhęrentiam alicuius formæ de nouo infusæ ipsi homini, quàm priùs non habebat; & hoc modo mutatur, & renouatur homo per infusionem gratiæ habitualis, quæ mutatio formaliter non includit priorem mutationem: potest enim quis mutari per aliquam formā de nouo inditam absque actione, & operatione aliqua ipsius hominis; & de hac mutatione est sermo in disputatione illa, An peccatum possit dimitti absque infusione gratiæ, de qua loquuti sumus in hoc 4. disp. 3. capit. 2. & dicemus infrà dist. 16. quæst. 2. pro vt tamen argumenta illa possunt procedere pro hac opinione adduximus, & soluimus disp. Quid sit peccatum cap. 8. vbi ostendimus gratiam, & peccatum non opponi formaliter, sed demeritoriè tantùm, & ex lege diuina: si tamen quis argumentari vellet ex illis ad propositum in hac quæstione sic.

3. Ratio.

Peccatum, & gratia formaliter repugnant; at quæ formaliter repugnant, non possunt manere simùl in eodem subiecto per nullam potentiam, quia quod implicat repugnantiam, neque per potentiam absolutam Dei fieri potest. Respondetur falsum esse gratiam, & peccatum opponi formaliter: falsum est enim, quod peccatum formaliter sit odiri à Deo: peccatum enim formaliter est carentia conformitatis actus in voluntate creata ad diuinam voluntatem, ad quam posteà sequitur de lege ordinaria voluntatem creatam esse inuisam Deo, & Deum odire peccatorem: & ideò non repugnant ex terminis peccatū & dilectio Dei in eodem subiecto: ibi autem diximus, peccatum, & gratiam opponi secundùm legem ordinariam, non secundùm potentiam absolutam. Præterea aduersarij ibidem fatentur gratiam habitualem posse manere in peccatore inhęrente actui peccati, licèt posteà adiungant tunc gratiam, non habere hunc effectum, vt faciat peccatorem ipsum Deo dilectum; sed hoc secundum posteà ibi impugnauimus, quia est effectus formalis gratiæ, & talis effectus est inseparabilis à forma, cuius est effectus: vndè in hoc sibi contradicunt.

Prætereà Medina p. 2. q. 110. art. vltimo dicit, quòd gratia habet duplicem effectum formalem. Primus est facere hominem rectum, iustum, & sanctum. Secundus est facere eum dilectum, & acceptum Deo. Subiungit, quòd hic secundus effectus est separabilis à gratia, non primus, & concedit, quòd gratia potest manere in peccatore cum primo effectu; tunc sic; ergo ex vi primi argumēti facti à Scoto, sequitur, quòd Deus diligere possit peccatorem existentem in peccato absque eo, quod pœniteat. Consequentia probatur, quia concedit, quòd gratia, vt est qualitas, potest manere in peccatore, & cum illo effectu, vt faciat illum sanctum, & bonum: at qui est bonus, necessariò diligitur à Deo; ergo peccator existens in peccato potest habere gratiam, & esse rectum, quo posito nō potest non diligi à Deo.

92 Pro eadem autem opinione solent adduci auctoritates superius adductæ ad probandum pœnitentiā formalem esse necessariam, illæ enim secundùm hos auctores videntur probare pœnitentiam esse necessariam non solùm de potentia Dei ordinaria, sed de potētia absoluta. 4. Ratio.

93 Insuper rationes probātes, reatum, qui post peccatum manet, esse maculam, & peccatum formale, hic adduci possent: quia si esse in peccato, & reatu peccati est esse offensiuum Dei, & odiri à Deo, videtur esse contradictio, quòd stante isto odio, & offensa Dei, Deus possit diligere ipsum peccatorem: nam diligere peccatorem est dimittere ei offensam, & peccatum: vndè tunc Deus diligeret, & non diligeret hominem illum, vt patet, quòd est contradictio. 5. Ratio.

94 Contrariam sententiam, vt vidimus, sustinet Scotus, quem multi alij sequuntur. OKam in 4. quæst. 8. dubio 1. & quæst. 9. Gabriel Biel dist. 14. quæst. 1. art. 1. & 2. Medina codice 1. de pœnitentia, tractatu 1. quæst. 7. & 12. & inter recentiores Suarez 3. p. tomo 4. disp. 9. sect. 2. qui sustinet opinionem Scoti esse verisimiliorem. Opin. Scoti.

95 Prima ergo ratio pro opinione Scoti, & pro consutatione opinionis præcedentis, quam Scotus tangit dist. 14. quæst. 1. art. vltimo §. *De secundo art.* &c. sed clarius tractat dist. 16. quæst. 2. secunda ratione pro prima conclus. §. *Respondeo hac sit prima conclusio*, &c. & distinct. 1. huius 4. quæst. 6. est hæc. Idem non potest separari ab eodem accipiendo vniformiter identitatem, & separationem, putà si realiter, realiter: si ratione, ratione: quia hoc includit oppositum primi principij, scilicet quòd idē, vt est idem, simùl sit, & non sit; sed remissio culpæ, & pęnitentia de culpa non sunt essentialiter idem; ergo possunt separari ab inuicē; ergo potest esse remissio culpæ absque pęnitentia. Maior est probata. Minor quoque manifestatur, quia in statu innocentiæ potuit infundi gratia homini, & potuit homo diligi à Deo, & tamen nullus ibi fuisset actus pœnitentiæ: quia nulla fuisset culpa, de qua posset esse pœnitentia. Et etiam de facto in angelis fuit gratia infusa, & nullus fuit actus pœnitentiæ, nec dimissio peccati; ergo infusio gratiæ, & pœnitentia sunt separabilia ab inuicem. Probatur etiam, quòd dimissio culpæ possit separbri ab actu pœnitentiæ, quia qualem Deus potuit creare hominem, talem potest Deus de potentia absoluta reparare; sed potuit Deus se solo creare hominem in puris naturalibus; ergo potest eodem modo se solo absque pœnitentia, vel aliquo actu pœnitentiæ peccatorem restituere in puris naturalibus. Opposita opinio cōprobatur, & allata reijcitur.

96 Vbi est notandum, quòd hoc argumentum in forma non habetur in Scoto: quia solummodo probat ibi, quod infusio gratiæ potest esse absque remissione culpæ: infusio autem gratiæ, & pœnitere non sunt idem; tamen

dicen-

dicendum eſt, quod ex eodem medio procedit hoc argumentum, vt inſinuauit quæſt. iſta art. 3. vt diximus: licèt enim infuſio gratiæ, & pœnitere non ſint idẽ; tamen eodem modo ſe habet pęnitere ad remitti culpam, ſicut ſe habet infuſio gratiæ ad ipſam deletionem culpæ: quia ſcilicet ſunt diuerſi actus, & ſeparabiles, vt probatum eſt: ideò ſicut de potentia abſoluta poteſt infundi gratia abſque dimiſſione culpæ, ita poteſt dimittere culpam abſque actu pęnitendi.

97 Hanc rationem in quantum probat poſſe peccatũ dimitti abſque infuſione gratiæ adduximus ſuprà diſt. 1. diſp. 3. cap. 2. num. 12. ac reſponſiones D. Thomæ, & Sectatorum, quas hic Soto adducit reiecimus, ideò non ſunt repetendę hic; ſed infrà diſt. 16.

Reſponſio actia. Inquantum verò formatur, vt nos formauimus, & prout probat poſſe dimitti peccatum abſque pęnitentia, reſpondent Medina, vbi ſuprà, dubio illo, An remitti poſſit peccatum ſine infuſione gratiæ, ad primum, & tertium in fauorem Scoti, & ſumitur ex Caietano vbi ſuprà, falſum eſſe infuſionem gratiæ eſſe ſeparabilem à pęnitere de peccato commiſſo: nam aliud eſt loqui de homine in ſtatu innocentiæ, & de homine poſt peccatum: nam in priori ſtatu potuit infundi gratia ſine dimiſſione peccati, quia homo tunc non habebat peccatum, de quo teneretur pęnitere, ſed poſt peccatũ tenetur pœnitere; ergo repugnat, quòd poſt peccatum infundatur gratia, & non pœniteat. Et confirmatur, quia homo poſt peccatum ante retractationem eſt formaliter offendens, & formaliter inuiſus Deo; ergo repugnat, quòd ſtante homine in tali actu diligatur à Deo.

Reijcitur. 98 Contrà. Ex argumento allato ſufficit nobis colligere, quòd pœnitere, & infundere gratiam, & dilectio Dei, non ſunt vnus actus, & vnus motus eſſentialiter; ſed diuerſi. Hoc autem efficaciter concluditur per illud argumentum: quia oſtenſum eſt non ſolùm de poſſibili, ſed de facto, in Angelo fuiſſe infuſionem gratiæ abſque pœnitentia; ſi ergo poſt peccatum, infuſio gratiæ non poteſt ſeparari à pœnitere, non poteſt prouenire ex repugnantia intrinſeca, ſcilicet quia ſint vnus, & idem motus, ſed erit ex aliqua repugnantia extrinſeca: at quæcunque ſit illa per potentiam abſolutam Dei poteſt tolli: quia Deus de potentia abſoluta poteſt facere totum illud, quod non implicat contradictionem: actus autem, & motus eſſentialiter diuerſi non implicat contradictionem ſeparari; ergo.

Confirmatur. 99 Et confirmatur, quia per peccatum nõ eſt factum, vt infundere gratiam, & Deum diligere hominem ſit idẽ quod pœnitere realiter, vel ſecundùm rationem; ergo eſt eadem ratio, ante peccatum, & poſt peccatum, quò ad eſſe ſimul, & non eſſe ſimul in iſtis duobus actibus: & ideo ſi ante peccatum vnus poterat eſſe ſine alio; ergo etiã poſt peccatum poteſt vnus actus eſſe ſine alio, quantum eſt ex ſua natura intrinſeca; & ſic per potentiam abſolutam Dei vnus poteſt eſſe ſine alio.

Cõfirmat. 100 Confirmatur, quia hæc repugnantia, quæ eſt poſt peccatum eſt moralis, & non poteſt prouenire niſi ex ratione ſtatus qui eſt lex, & decretum Dei, quo ſtatuit homini exiſtenti in peccato ſine pęnitentia non infundere gratiam: ideò benè ſequitur, quòd de lege ordinaria non poteſt homini, vt ſic, infundi gratia: at ſecundùm potentiam abſolutam, quæ non ſubeſt legibus ordinatis, non repugnat homini exiſtẽti ſic in peccato, infundere gratiam.

Confirmatur adhuc. 101 Et confirmatur, quia quòd creatura odio habeat Deũ, & illius pręcepta tranſgrediatur, nihil ponit in Deo: ideò non repugnat, quòd ipſe Deus è conuerſo illum diligat, & ordinetur ad bonum: & multo magis hoc valet de homine exiſtente in peccato poſt actum peccati: quia tũc nec actu, nec virtualiter offendit; nec tunc retractat actũ, ſed merè negatiuè ſe habet, vt diximus ſuprà. Hic enim differt ab habitualiter, & virtualiter offendente, vt eſt concubinarius, qui, & ſi actu non offendat dum dormit, tamen virtualiter offendit: quia habet animum continuandi in peccato; ſi ergo hunc actualiter peccantem poteſt diligere, multo magis alterum, qui non actu peccat.

102 Quòd ſi quis dicat, hoc repugnat diuinæ bonitati, & ſapientiæ, &c. Reſpondetur hæc omnia procedere ſecundùm legem Dei ordinariam, non ſecundùm abſolutam: extra Deum autem nihil eſt neceſſarium, ſed omnia ſunt contingentia reſpectu diuinæ voluntatis, ideò non repugnat eas aliter ordinare; & ſi aliter res eſſent ordinatæ, adhuc rectæ eſſent: quia quidquid eſt bonum extra Deũ, eſt bonum, quia eſt à Deo volitum; nõ autem eſt volitum, quia bonum, vt oſtendimus in diſput. de ratione formali peccati cap. 5.

103 Secundò ex eodem ferè medio arguit Suarez vbi ſuprà. Actus pœnitentiæ peccatoris non requiritur ad deletionem peccati, tanquàm forma per ſe ipſam formaliter excludens culpam, ſed tanquàm diſpoſitio congrua ex natura rei, & ex ordinatione diuina: at nõ repugnat Deũ producere formam quamcunque in ſubiectum abſque præuia diſpoſitione, vt patet etiam in formis naturalibus, quia poteſt ſupplere vices cauſarum diſponẽtium ad illas formas, vt ex ſanguine mulieris, & ſemine viri educere hominem abſque preuijs diſpoſitionibus; ergo poteſt inducere gratiam in homine abſque actu pœnitentiæ. Maior non probatur ab eo, ſed poteſt probari ex dictis: quia ad hoc, quod homo obtineat remiſſionem peccati, debeat agere pœnitentiam, eſt res moralis pendẽs omnino ex voluntate diuina, quæ ad extra merè contingenter operatur, & ideò pœnitentia, non eſt medium per ſe expellens peccatum, ſed ſolùm demeritoriè, ſiuè ex ordinatione diuina. 2. Ratio.

104 Tertiò confirmatur. In vnione hypoſtatica ſecundùm legem ordinariam natura aſſumpta à Verbo ſtatim ſanctificatur, & repletur gratia: at Verbum ſecundùm omnes potuiſſet aſſumere hominis peccatoris naturam; ergo in tali vnione peccatum dimitteretur homini illi ſine actu pœnitentiæ. Hec vltima conſequentia probatur, quoniam aſſumptio illa hypoſtatica fit in inſtanti; ergo ſi illa natura in toto priori tẽpore vſque ad inſtans aſſumptionis manſit in peccato in inſtanti aſſumptionis, non potuit habere actum pœnitentiæ, quia actus ille non poteſt haberi in inſtanti, cum nulla creatura operari poſſit in inſtanti. 3. Ratio.

105 Quartò. Certum eſt, cum homo habet ſolam attritionem de peccato per illã, peccatum non deleri, ſed per ſacramentum pœnitentiæ ſuperadueniens; ergo contritio ſeù pœnitentia virtus non eſt ſimpliciter neceſſaria ad remiſſionẽ peccati. Deindè ex hoc ità arguitur. Sicut Deus tunc ſupplet motum attritionis, qui eſt imperfectus ad inducendum gratiam, ità poſſet omninò ſupplere carẽtiam eius. Probo ſimilitudinem, quia attritio ſe ſola ità ſe habet ad remiſſionem peccati, ac ſi nihil agat, quia eſt motus inſufficiens ad delendum culpam: motus autem inſufficiens ad aliquid efficiendum eſt ac ſi non eſſet motus; cum ergo Deus ſuppleat inſufficientiam motus attritionis, & ſine illa deleat peccatũ, à pari poteſt ſupplere omnino carentiam illius, & ſic ſe ſolo ſine actu pœnitentiæ tã perfecto, quèm imperfecto delere, & remittere peccatũ. 4. Ratio.

106 Ad primam rationem aduerſariorum reſpondetur, ſecũdam propoſitionem poſſe habere ſenſum verum, & ſenſum falſum. Senſus falſus eſt ſi intelligatur bonitatẽ, & malitiam eſſe in re ex ſe, & non ex ordinatione Dei: nã vt diximus ſuprà, illud eſt malum, quod eſt prohibitum à Deo; & illud eſt bonum, quod eſt volitum à Deo. Sẽſus verus eſt, ſi intelligat quidquid Deus diligit, & vult, eſſe bonũ, & proindè eſt impoſſibile, quòd Deus vellit aliquid, quod non ſit bonum, & iuſtũ; & in hoc ſenſu conceditur; ipſi autem accipiunt illam in primo ſenſu, vt patet ex eorum probatione, ideò eſt falſa. Ad probationem cum dicitur, quòd voluntas diuina non poteſt ferri per dilectionem niſi in illud, quod ab intellectu diuino ei oſtenditur ſub ratione boni. Hæc propoſitio eſt falſa: quia res oppoſito modo ſe habet: nam extra Deum nihil eſt bonum niſi illud, quod voluntas diuina vult: ideò intellectus diui- Ad primã rationẽ aduerſariorũ.

nus

nus apprehēdit ad extra totū illud sub ratione boni, quod voluntas diuina determinat esse bonum: ideò si voluntas diuina ordinaret hominem peccantem esse bonum, peccatum nō esset peccatum, sed opus bonum, quod ipsemet Soto ibidem non intelligēs, admittit, dum ait, quòd Deus diligendo peccatorem, & res facit illas bonas. Hinc nego tertiam propositionem, scilicet esse impossibile hominem adultum fieri iustum, & bonum, nisi conuertatur ad Deū: nam hæc propositio est vera tantùm secundùm legem ordinariam Dei: at secundùm absolutam potentiam homo absque tali conuersione posset esse iustus, & bonus, vt dictum est; & probatio eius similiter procedit de lege ordinaria, non de potentia absoluta.

Ad secūdā rationem. 107 Ad secundam rationem multa cum Scoto dicam dist. 16. q. 2. pro nunc sufficiat hæc responsio, quæ est optima, & est eiusdem Scoti in hoc 4. d. p. q. 6. in responsione ad primum pro opinione contraria. Dico ergo, quòd in hac mutatione, qua homini deletur peccatum, & fit gratus Deo sine actu pœnitentiæ fit mutatio in altero extremorum, scilicet in homine: quia illi infunditur gratia habitualis, quæ ipsum reddit iustum, sanctum, & pulchrum, & gratum Deo. Præterea non est inconueniens ponere in Deo mutationem aliquam in ordine ad res, cōsiderando Deum secundùm potentiam diuersam: nam dicimus, quòd Deus de potentia ordinaria non potest non beatificare justum, de potentia verò absoluta potest non beatificare, sed damnare; ergo Deus se aliter habet respectu rerum consideratus diuersis modis: ideò si ordinaret modo alio res, ac ordinauit, quod potest facere, quia ad extra contingenter, & liberè operatur, diceretur Deus aliter se habere, & operari, ac modo operetur; nec esset inconueniens: quia tota mutatio esset ex parte creaturæ, loquendo de mutatione reali; Deus enim vnico actu diuersa, & contraria producere potest, vt diximus in primo disp. 54. nec in Deo aliquid mutatur, sed solùm insurgunt diuersi respectus rationis intellectus creati: sed de hac re fusius in distin. 16. q. 2. aduersus Vasquez. & per hoc patet ad probationem, quæ dicebat, auersionem à Deo, & conuersionē ad creaturā esse peccatum, & malum; respōdetur enim hoc esse verum de lege ordinaria, nō de potētia absoluta.

108 Quod si quis arguat infusio gratię est mutatio realis, & phisica: at conuersio à creatura ad Deum est moralis; & ideò etiam diuersorum generum; ergo per mutationem phisicam, quæ est infusio gratiæ, non mutatur peccator mutatione morali, sed manet peccato: qa actus semèl factus, & nō retractatus, moraliter permanere censetur.

109 Respondetur per idem, hoc esse verum de lege ordinaria, non de potentia absoluta Dei: quia per infusionem gratiæ potest tolli culpa, & fieri, quòd conuersio ad creaturam non sit culpa, nec causa odij Dei, ac moraliter non duret, vt dictum est; & eo magis, quia remittere peccatum est opus Dei, quod potest facere se solo sine retractatione hominis de potentia absoluta, non de potentia ordinaria, vt docet Scotus hac dist. 14. q. 1. ad secundum principale: quia, quod voluit ab æterno, est immutabile. Et per hoc soluuntur omnia, quæ dicit Vasquez, vbi suprà.

Ad tertiam rationem. 110 Ad tertiam, iam eodem loco ostendimus falsum esse peccatum, & gratiam opponi formaliter, & probauimus opponi tantùmmodo demeritoriè, neque enim peccatum formaliter est odiri à Deo; sed carentia conformitatis ad diuinam volūtatem, ad quā sequitur de lege ordinaria odiri à Deo: ideò hic non sunt repetenda ibi dicta.

Ad quartā quæ sūt auctoritates. 111 Ad auctoritates iam dictum est, quòd illæ concludunt de potentia Dei ordinaria, non de potentia Dei absoluta, de qua nunc loquimur.

Ad quintā rationem. 112 Ad quintam respondetur, quòd, vt diximus suprà, reatus, & macula peccati, quæ remanet in peccatore post actum peccati, non est offensio formalis, vt volunt Thomistæ; quia differt ille, qui est in peccato eo, quia commisit peccatum, tamen non habet voluntatem continuandi actum, nec actu, nec virtualiter, & tamen nō retractauit, sed omnino negatiuè se habet ab eo, qui est in peccato: quia habitu, & virtualiter manet in peccato, vt concubinarius; hic enim est actualiter, vel virtualiter offendens, nō ille: & ideò negatur, quòd esse in peccato sit esse offensiuum Dei, & formaliter odiri à Deo: hæc enim ab aduersarijs confunduntur; sed esse in peccato est esse obligatum ad pœnam ex demerito, & dignitate peccati facti: non implicat autem contradictionem Deum dimittere illum reatum, & obligationem, ac iniuriam, & offensam illam condonare absque actu aliquo pęnitentiæ ipsius peccatoris; licèt secundùm legem ordinariam Dei hoc repugnet.

113 Secundò dico, quod dato casu, quòd esse in peccato post actum peccati sit actu offendere Deum, tamē adhuc Deus potest dimittere peccatum illud absque pœnitentia, de potentia sua absoluta, vt dictum est ad primum, nam peccatorem esse dignum pęna æterna, & odio haberi à Deo propter actum peccati, est quid proueniens ex lege ordinaria Dei: ideò secundùm potentiam absolutam posset ordinare, quòd talis actus peccati vt purà furti, non esset peccatum: & sic ex illo actu homo nō esset inimicus, nec in odio Dei, & consequenter non repugnaret hominem manētem in peccato actuali diligi à Deo: quia actus ille non esset amplius causa odij, sed vel esset causa amoris, vel esset indifferens.

114 Remaneret disputandum, Vtrùm per potentiam Dei absolutam possit committi peccatum absque infusione gratiæ; sed de hoc egimus suprà d. 1. disp. 3. huius 4. & infrà aliqua tangemus dist. 16. q. 2.

115 Essent quoque hic explicanda argumenta principalia Scoti in hac quæstione, quia sunt necessaria, & pulchra; sed quia ex ipso Scoto patere possunt, videantur omnino apud Scotum.

Quædam quæstiunculæ, & argumenta principalia Scoti, quæstionis huius primæ distinctionis 14. soluuntur, & punctus notabilis de prędestinatione tangitur. Caput Quartum.

116 REmanent nōnullæ aliæ quæstiones breues, in quibus nulla est controuersia ad maiorem cognitionem quæstionis prędictæ tractandæ, & argumenta principalia eiusdem quæstionis dissoluenda. Primò ergo solet disputari, An per pœnitentiam omnia peccata quæcūque illa sint tollantur. Ad hoc quæsitum respondetur communiter, quòd aliquod peccatum non posse deleri per pœnitētiā, pōt intelligi duobus modis. Vno modo, an sit aliqd peccatum, cuius homo non possit pœnitere. Secundo modo, an sit aliquod peccatum, cuius, & si possit haberi pœnitentia; tamen non possit per illam dimitti. Intelligendo quæsitum primo modo, est respondendum proculdubio in statu viæ nullum esse peccatum, cuius non possit haberi pęnitentia. Ratio huius assertionis est, lex diuina, & ratio status viatoris. In hoc enim differt status viæ à statu extra viam, cuiusmodi est status damnatorum, & beatorum, quòd sicuti beati non possunt amplius mereri, sic damnati, tàm Angeli, quàm homines non possunt habere actum bonum; cuiusmodi est actus pęnitentiæ. Decreuit enim Deus damnatis non dare concursum suæ gratiæ ad actum pęnitentiæ, & alios actus bonos: sine illo autem non possunt habere actum pęnitentiæ. Non autem hoc prouenit, quia ita inuertibiliter velint obiectum, quòd primò volunt, vt non possint se auertere ab illo, vt volunt Thomistæ. De qua re egimus in secundo in materia de peccato Angelorum. Si etiam intelligatur quæstio secundo modo adhuc dicēdum est in statu viæ nullum esse peccatum quantùmcunque graue, quòd per pęnitentiam nō possit dimitti, quod patet ex Ioa. 1. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris nec solùm pro nostris; sed etiam totius mundi.* & Romanorum 15. *Donum Dei perfectius est quàm peccatum.* & Ioelis 2. *Benignus & misericors est patiens, & multæ misericordiæ, & pręstabilis super malitia.* At si esset aliquod peccatum, quòd non posset dimitti per pœnitentiam, Deus vinceretur à peccato. Et sic absolutè dicendum

An per pœnitētiā omnia peccata tollantur.

dum

dum eſt, viatorem de quocunque peccato poſſe pęnitere, & quodcunque peccatum quantumcunque graue poſſe dimitti.

117 Ex hoc autem ſequitur eſſe vitãdos duos errores. Alterum hæreticorum noſtrorum temporum aſſerentiũ noſtrum liberum arbitrium eſſe rem de nomine, non de re: & ideò nos cogi ad peccandum; immò Deum impellere nos ad peccandum: & proindè nos non poſſe pęnitere: quam impietatem ſuprà reiecimus in diſp. 8. vbi oſtendimus Deum non eſſe cauſam peccati: & contra ipſos eſt determinatio Concilij Tridẽtini ſeſſione 6. can. 6. quæ eſt, *Si quis dixerit non eſſe in poteſtate hominis vias ſuas malas facere, ſed mala opera, ita vt & bona, Deũ operari non permiſſiuè ſolùm, ſed etiam propriè, & per ſe, adeò vt ſit proprium eius opus non minùs proditio Iudæ, quàm vocatio Pauli, anathema ſit.* Alterũ eſt quorumdam aſſerentium aliquod peccatum eſſe irremiſſibile in hac vita: non quia liberum arbitrium non remaneat liberum; ſed quia lege diuina ſic eſt ſtatutum. Hic error tribuitur Armachano lib. 9. quæſtionum Armenorũ cap. 27. & reijcitur à D. Thoma 3. p. quæſt. 86. art. 1. & à Soto in 4. diſt. 15. quæſt. 1. art. 1. & à multis alijs, & eſt proculdubio falſa: licèt ad opinionem quorumdam recentiorum in materia de auxilijs ſequatur: de qua re aliàs. Pro nunc ſufficiant illud Pauli 1. ad Tim. cap. 1. *Deus vult omnes homines ſaluos fieri.* Ezechielis 18. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, iniquitatum eius amplius non recordabor.* & cap. 33. *Ego viuo, inquit Deus, nolo mortem peccatoris, ſed vt conuertatur, & viuat.* & rationes ſuperius factæ ex ratione ſtatus viatoris eandem veritatem conuincunt.

Opinio aſſerentiũ dari aliquod peccatũ irremiſſibile reijcitur.

118 Verùm contra hanc aſſertionem ſunt auctoritates nonnullæ, quæ videntur aſſerere Deũ eſſe cauſam peccati, & Deum inducere hominem ad peccatum: homo autem non poteſt reſiſtere voluntati diuinæ; ergo non poſſunt talia peccata deleri, nec homo de illis poteſt pęnitere: quia hæc non fiunt ſine voluntate Dei; ſed has auctoritates ſuprà adduximus, præſertim diſp. 8. cap. 6. & penultimo, & eas ibi ſoluimus.

Prima obiectio.

119 Sed præter illas quædam aliæ videntur facere difficultatem: quia apertè videntur aſſerere hominem non poſſe quorundam peccatorum veniã obtinere per ipſam pœnitentiam quantuncunque magnam, vt illud Pauli ad Hebræos 12. dum ait, *Eſau non inueniſſe pęnitentiæ locum quamquàm cum lacrymis inquiſierit eam*, vt patet Geneſis 27. quo loco gloſſa ait: non inuenit locum veniæ, & benedictionis per pœnitentiam. & 2. Machabeorũ 9. de Antiocho dicitur. *Orabat ſceleſtus Deum, à quo non erat miſericordiam conſecuturus.*

Secunda.

120 Præterea ſolet adduci obiectio de peccato in Spiritum ſanctum, quod ex verbo Chriſti Matt. 12. dicitur, non remitti, neque in hoc, neque in futuro ſæculo. & D. Aug. lib. de ſermone domini in mõte aſſerit impugnantes fraternam charitatem propter inuidiam non poſſe humiliari ad veniam petendam: licèt cognoſcant peccatum ſuum.

Tertia.

121 Prætereà prima Ioan. ca. 5. habetur. *Eſt peccatum ad mortem, non dico pro eo, vt oret quis.* & Ieremiæ 14. *Noli orare pro populo iſto in bonum, cum ieiunauerint, nõ exaudiam preces eorum, &c. quoniam gladio, & fame, & peſte conſumam eos.* Amos, *Super tribus ſceleribus Damaſci, & ſuper quatuor non conuertam eum.* & Prouerbiorum 1. *Tunc inuocabunt me, & non exaudiam, mane conſurgent, & non inuenient me.* Ergo videtur, quòd adſint aliqua peccata irremiſſibilia per pęnitentiam.

Ad primũ

122 Ad primum. Verùm iſtæ rationes minimè obſtant. Vndè ad primam reſpondet D. Bonau. diſt. 14. p. 2. art. 1. quæſt. 3. ad primum, & ſecundum D. Thom. 3. p. quæſt. 86. art. 1. & alij, quòd ex illis auctoritatibus, & exemplis Eſau, & Antiochi habetur ſolùm, quòd contẽptores legis diuinæ, vt erant illi, nunquàm, vel ſaltem vix veram pœnitentiam agunt: nam Eſau non eiulabat, niſi propter primogenituram ammiſſam, & odium contra fratrem retinebat: vndè non erat vera pœnitentia. Et Antiochus ſimiliter imaginem pœnitentiæ effingebat, ſed tamen offenſæ diuinæ non pœnitebat: dolebat enim ſolùm propter malum, quod ſibi acciderat, nõ quia Deũ offenderat, quod ſcriptura innuit illis verbis. *Sceleſtus Deum orabat.*

Ad ſecundum.

123 Ad ſecundum. Diximus ſuprà diſp. 5. c. 2. peccatum in Spiritum ſanctum eſſe remiſſibile; ſed dici irremiſſibile: quia difficile remittitur: quia aduerſatur principijs, à quibus remiſſio peccatorum oritur; inuidentia autem fraternæ charitatis, & illius impugnatio eſt ſpecies peccati in Spiritum ſanctum, vt ibi diximus: & ideò de ea ſimiliter eſt dicendum.

Ad tertiũ.

124 Ad tertium. Ad auctoritatẽ illam D. Ioan. Soto in 4. diſt. 15. quæſt. 1. art. 1. ad quartum argumentũ adducit varias reſponſiones, & tandem in communem ſolutionem incidit, quam priùs non probauerat. Inquit ergo Ioan. per peccatum ad mortem intelligere peccatum obſtinationis, & rectè: hoc enim eſt ad mortem; huiuſmodi enim fuit peccatum Iudæ, Architopheli, & ſimiliũ, quod nos loco ſupra citato cum Scoto diximus eſſe ſpeciẽ principalem peccati in Spiritum ſanctum: & proinde eſt irremiſſibile non ſimpliciter, ſed difficulter. Pro hoc ergo peccato D. Ioan. non dixit, nec præcepit non eſſe orandum, ſed non præcepit, vt orarent. Non enim dixit nemo oret; ſed dixit, non dico, vt quis roget. Innuens difficultatem conuerſionis peccatoris, non impoſſibilitatem: ſæpe enim obſtinati, vt Paulus ad preces Stephani, & D. Auguſt. ad preces matris conuerſi ſunt; licèt ergo non teneatur, quis pro iſtis orare, vndè Eccleſia non orat pro infidelibus, niſi in Hebdomada ſancta: tamen cõſilium eſt, quandoque pro illis orare.

Ad alias auctoritates.

125 Ad alias auctoritates reſpondetur dupliciter. Primò, quòd ibi non eſt ſermo de dimiſſione culpæ, ſed pœnæ: & ſenſus eſt, quòd licèt Deus dimittat culpam, tamen pœnam, quam pro illis peccatis merebantur, nolebat dimittere, vt fecit in Dauide, cui dimiſit culpam adulterij; ſed noluit dimittere pœnam: vndè filius ei natus mortuus fuit. Secundo modo poſſumus dicere, quòd verba illa erant comminatoria, ſicut illa Ionæ 3. *Adhuc quadraginta dies & Niniue ſubuertetur.* Volebat ergo dicere, quòd ſi permanſiſſent in peccatis ſuis, & non fuiſſent cõuerſi, illis non pepercißet; tamen ſi conuerſi fuiſſent, certè illis perpeciſſet. Vndè cum Ieremiæ 14. dixiſſet verba illa. *Noli orare pro populo iſto.* & 15. *Si Moyſes, & Samuel ſteterint coram me non eſt anima mea ad populum iſtum*, tamen eodem cap. ſubiunxit, propter orationem Ieremiæ nomine populi verba illa, *Si conuerteris conuertam te, & ante faciem meam ſtabis.* His duabus reſponſionibus alijs auctoritatibus ſatisfit. Poſſumus adere, quòd quãdoque loquitur ad ſerò pęnitentes, innuens difficultatem pœnitentiæ: non tamen impoſſibilitatem in eſtremis: quomodo præſertim exponi poteſt auctoritas illa Prouerbiorum, vt infrà diſp. 20. de pœnitentibus in extremis, dicemus.

An vnum peccatũ per pœnitentiã poſſit deleri ſine alio.

126 Solet etiam quæri, An vnum peccatum per pęnitentiam poſſit deleri ſinè alio. Sed breuiter reſpondetur negatiuam partem eſſe veram, quæ eſt ſententia communis omnium Theologorum, Scoti in hoc 4. d. 15. quæſt. 1. art. 5. D. Thomæ 3. p. quæſt. 86. art. 3. & aliorum in diſt. 14. & 15. ratio communis eſt: quia repugnat tum ex parte Dei, tum ex parte pęnitentis. Ex parte Dei, quia dimittit culpam per collationem gratiæ: gratia autem nõ poteſt ſtare cum vllo peccato, ideò nõ poteſt infundi gratia à Deo, niſi omnia peccata deleantur. Ex parte etiam pęnitentis repugnat: quia omne peccatum mortale eſt offenſa Dei; ergo per quodlibet cõſtituitur inimicus Dei. Non poteſt ergo vnum dimitti, & aliud non: quia etiam ſic maneret inimicus Dei. Tandem, vt inquit D. Aug. lib. de pęnitentia. *Quædam ſpecies impietatis eſt ab eo qui iuſtus, & iuſtitia eſt dimidiam petere, vel ſperare veniam.*

Si au-

Si autem vnum peccatum posset dimitti sinè alio, dimidiã veniam quis peteret, & haberet, quod est impium.

127 Hoc autem esse verum, non solùm de lege Dei ordinaria, sed etiam de potentia Dei absoluta existimant Soto, & alij, qui tenent peccatum sinè infusione gratiæ, & pęnitentia, etiam de potentia Dei absoluta non posse dimitti. Verùm quia iam vidimus hanc opinionem esse falsam, ideò dicendum est hoc esse verùm tantùm de lege Dei ordinaria, non de absoluta: si enim Deus potest absolutè conferre gratiam, & beatificare aliquem omninò sinè pęnitentia vlla de peccatis de potentia sua absoluta, eadem ratione posset dimittere vnum non dimittendo aliud, & eum cum aliquo peccato habere sibi gratũ, et beatum facere: & ex his fundamentis obiectiones, si quæ fiant, possunt solui.

Vtrum remissa culpa per pœnitẽtiam remaneat reatus pœnæ.

128 Altera est dubitatio, an dimissa culpa per pęnitentiam remaneat reatus pęnæ temporalis. Sed de hac agemus infrà tractando de satisfactione: assertio enim catholica est dimissa culpa non semper dimitti totam pęnã; sed penam æternam commutari in temporalem: quam deindè per satisfactionem delemus. Solùm hæretici nostrorum temporum hanc veritatem negant, volentes, ꝙ Deus semper culpam, & pęnam dimittat, quod falsum esse ibi diffusè ostendemus. Quòd etiam culpa non dimittatur nisi per pęnam, & pęnam volũtariam, capitibus præcedentibus cum Scoto ostendimus, ideò pro nunc nihil ad reliqua supersedendum est.

An dimissa culpa reliquiæ peccatorũ tollantur.

129 Quomodo etiam remissa culpa mortali tollãtur omnes reliquiæ peccatorum, quod pertractatur in hac dist. à D. Thoma, & alijs, infrà à Scoto d. 22. explicatur, vbi agemus de reditu peccatorum in recidiuãte, & de reditu gratiæ, & virtutum in pęnitente. De ordine verò pęnitentiæ, & infusionis gratiæ, quod etiam hac dist. solet tractari, agemus infrà dist. 16. cum Scoto quæst. 1. De dimissione etiam peccati venialis agemus dist. 21. quæst. 1. reliquæ quæstiones ab alijs motę infrà tractabuntur. Supersunt argumẽta Scoti principalia huius primæ quæstionis dissoluenda, quorum solutio, & si ex dictis pateat, tamen ad vnumquodque breuiter est assignanda solutio ipsa Scoti.

Primũ argumẽtũ principale Scoti.

130 Primum ergo, & secundum argumentum Scoti adducuntur ad probandum pęnitentiam non esse necessariam ad delendum peccatum actuale post baptismum commissum. Primum autem est, cessante actu interiori, & exteriori, cessat esse, seu essentia peccati; ergo statim absque pęnitentia desinit esse peccatum; & consequenter non est opus pęnitentia, qua peccatum deleatur. Antecedens est euidens: nam dictum est suprà, quòd ratio formalis peccati, est carentia rectitudinis debitæ inesse actui tàm interiori, quàm exteriori: actus autem ipse peccati quantùm ad substantiam transit: quia habet esse in fieri; ergo simul cum actu illo transit difformitas, seu carentia rectitudinis debitæ: & sic non remanet actus peccati; ergo peccatum desinit esse sine pęnitentia; ergõ nõ est opus pęnitentia, qua deleatur.

131 Respondetur, quòd peccatum transire contingit duobus modis, vel in se, vel quò ad reatum, verũ est, quòd peccatum in se transit: quia peccatum est actus ipse cum illa deformitate; remanet tamen, quò ad maculam, & reatum, vt dictũ est suprà tractando de hoc reatu peccati.

Secundum argumẽtũ.

132 Secundò homo offensus potest remittere offensam, absque hoc, quòd offendens pęniteat offensæ illatæ; ergo multo magis Deus, qui est summè misericors; sed remissa offensa remittitur peccatum; ergo peccatum potest remitti sine pœnitentia. Antecedens est euidens ex cõtinua praxi. Sæpissimè enim homines offensi dimittunt offensam absque eo, quòd requirant aliquam pęnitentiã, vel satisfactionem ab offendente: & hoc modo dimittere offensam est perfectio euangelica. Consequentia prima est quoque euidens: nam homo remittit offensam ex misericordia: Deus autem est multo magis misericors, quàm homo. Assumptum vltimum est quoque clarum, quia dimissa offensa placatur offensus, & fit reconciliatio, & amicitia.

133 Respondet Scotus, peccatum posse dimitti à Deo sinè pęnitentia, posse contingere duobus modis. Vno modo de potentia Dei absoluta. Alio modo de potentia Dei ordinaria. Primo modo conceditur posse Deum dimittere peccata sinè pęnitentia, vt suprà ostensum est, & sic concludit argumentum. At loquendo de potentia Dei ordinaria, falsum est, posse Deum dimittere peccatũ sinè pęnitentia; & sic non concludit argumentum.

Replica Scoti cuius solutio est notanda.

134 Contra hanc responsionem arguit Scotus, & solutionem offert, quæ maximè est notãda pro materia prædestinationis, vt videbimus. Obiectio est ista, quòd etiã de lege ordinaria videtur Deus, posse dimittere peccatũ absque pœnitentia. Nam homo hoc potest facere; ergo multo magis Deus. Consequentia est euidens, quidquid potest homo facere, multo magis potest Deus illud facere. Antecedens probatur, quia homo, dum est iratus aduersus inimicum, vult vindicare offensam, & punire inimicum: & consequenter non vult dimittere iniuriam sinè pœnitentia, seu punitione: at dimissa ira potest dimittere offensam sinè pœna, quia mutatus est.

Solutio Scoti.

135 Respondet Scotus, non valere consequentiam. Ratio est, quia non est par ratio de Deo, & homine. Homo enim potest mutari, & de facto mutatur: Deus autẽ est immutabilis, quoniam voluntas Dei in se, & in actu volendi est immutabilis, non solùm absolutè, sed etiam quatenus actus eius transit super obiectum: nàm semper est vniformis. Ex quo fit, quòd si voluntas Dei in æternitate, vult aliquem puniendum esse pro aliquo tempore, vult semper illum puniendum esse pro illo tempore, nisi aliquid in creatura mutetur. Vndè ad argumentum respondetur, quòd ideo homo potest velle punire inimicũ, dum est iratus, & deindè cessante ira potest dimittere culpam sinè pęna: quia voluntas eius est mutabilis, & potest habere actus diuersos oppositos: vt priùs velle vindicare, & punire, & postea nolle vindicare, & punire: Deus autẽ hoc facere non potest, quia habet vnum actum solum, & illum immutabilem, tam in se absolutè, quàm quatenus transit super obiectum; & sic semper manet idem. Vndè nisi fiat mutatio in obiecto, semper Deus habebit actum eundem respectu illius obiecti: & si obiectum mutetur, Deus non habebit amplius idem velle respectu illius obiecti, ideò cum qui peccauit per pęnitẽtiam mutatur actus, Dei quoque mutatur, non in se, sed quia obiectum super quod transit aliter se habet, at priùs.

Quomodo cũ immutabilitate diuinę volũtatis stet mutabilitas ex parte hominis, circa prędestinationem.

136 Qui locus est valdè obseruãdus, pro materia prædestinationis: nam ex hoc loco habetur, quòd licèt Deus in se, & in actu suo absolutè sit immutabilis, & quòd proindè si ab æternitate prædestinauit, & elegit aliquem ad gloriam pro tali tempore, quòd semper volet illũ ad gloriam pro illo tempore, nisi ille aliter se habeat, & mutetur, verùm si mutetur ille prædestinatus, fiet non prædestinatus: & tamen Deus in se, & quantum est ex se, manebit immutabilis, & nihilominus effectum oppositum producit in illud obiectum: quia vbi priùs illum prædestinabat, facta mutatione reprobat. Ex hoc ergo habemus, quòd secundùm Scotum est in potestate cuiuscunque prædestinari, vel reprobari: nam actus diuinæ voluntatis, qui trãsit super ipsum hominem prædestinatum, vel reprobatũ, licèt in se sit immutabilis, tamen mutatur ad mutationem hominis prædestinati, & reprobati. Vndè si homo qui ab æternitate à Deo est prædestinatus, pro tali tempore peccet, pro illo tempore reprobabitur: & è conuerso, reprobatus pro tali tempore, si cum gratia Dei, & auxilijs diuinis, quæ Deus nulli denegat ad faciendum opus pœnitentiæ, & vitandum peccatum in tanta abundantia, & efficacia, quòd peccatum non habet excusationem, auertat se à peccato ad pœnitentiam, pro illo tempore, pro quo reprobabatur, prædestinabitur. Et sic qui pro extremo articulo mortis est reprobatus, si in eo cum auxilijs diuinis prædictis conuertatur ad pœnitẽtiam, prò illo extremo prędestina-

In potestate hominis secũdũ Scotum est reprobari, & prędestinari.

destinabitur: & è conuerso, qui pro extremo articulo mortis est prędestinatus, si pro illo tunc peccet reprobabitur, & damnabitur. Hæc doctrina Scoti clarissimè ab eodem Scoto traditur lib. 1. dist. 40. licèt pauci illam animaduertant, de qua diffusè ego, si aliquando Deo placebit, agam in materia de auxilijs.

Vana distinctio de prędestinatione secundū præsentem iustitiā, & secundum æternū propositum.

137 Ex quo apparet quàm vana sit illa distinctio. (Nominalium de prędestinatione quam tamen audio sæpissime in ore multorum. Prędestinationem alicuius posse cōsiderari, vel secundùm pręsentem iustitiam, vel secūdùm æternum propositum, seu finalem determinationem. Reprobum posse esse prędestinatum secundùm pręsentem iustitiam, non secundùm æternum propositum, & finalem determinationem). Hæc enim distinctio supponit quòd actus diuinæ voluntatis non se habeat eodem modo in tempore, & in extremo articulo vitæ, & cum immutabilitate diuinæ voluntatis non posse manere mutabilitatem ex parte effectus. Hoc autem secundum tollit contingentiam rerum, & libertatem nostram. Primum verò est sinè fundamento. Nam videntur velle quòd diuina voluntas in tempore mutetur secundùm mutationem subiecti, super quod transit; in extremo verò vitæ nequaquàm: at hoc est absurdum: eodem enim modo semper diuinæ voluntatis actus se habet: & ideò sicut in tempore in se immutabilis manens, mutatur ad mutationem subiecti, sic in extremo articulo vitæ. Vndè etiam in illo sicut homo potest operari bonum, vel malum, sic in illo actu potest prędestinari, & reprobari, vt optimè cōcludit Scotus illa dist. 40. in medio corporis quæstionis: neque hoc repugnat prędestinationi, vel reprobationi æternæ. Et confirmatur ex solutione argumenti primi principalis illiusque in d. 40. in quo dissoluit Scotus deceptionem communem, qua homines putant prędestinationem, & reprobationem esse absolute, & omnibus modis immutabilem: quia iam facta est ab æterno; & quod factum est, Deus non potest infectum facere. Optimè enim docet quomodo actiones Dei non transeunt in pręteritum, si in se considerentur: & tamen si considerentur respectu nostri, cum nos simus mutabiles, non est inconueniens illas quoque esse mutabiles; & sic modo hominem esse prędestinatum modo reprobatum; atque eodem modo in extremo vitæ contingere posse, iuxta illud D. Ambro. in cap. p. Lucæ relatum in cap. *nouit*, de pœnitētia dist. 1. vbi ait, *nouit Deus mutare sententiam, si tu noueris emendare delictum*. & elicitur euidenter ex D. August. lib. 6. hypognosticon cap. vltimo in vltimis verbis, quæ sunt hæc. *Hinc nemo glorietur, nemo desperet*. & paulò infrà. *Pro inuicem oremus in conspectu Dei nos humiliemus dicētes, fiat voluntas tua, ipsius erit potestatis iudicium in nobis debitum mutare damnationis, & gratiam prędestinationis indebitam pręrogare*. Hæc D. August. in quibus certè virtute continetur vulgatum illud assertum ei tributum, *Si non es prędestinatus, fac vt prędestineris*, quare si sub his verbis formalibus apud ipsū nō reperitur, certè reperitur virtualiter, sub his alijs verbis.

Tertiū argumētum principale.

138 Tertiò principaliter arguit Scotus probans, quòd pęnitentia non sit sufficiens, nec valeat delere peccatum. D. August. in Homelia super illud Matthei 5. *Estote misericordes*, loquens de damnatis, inquit. *Erit, & tunc pœnitentia, sed tamen infructuosa*, quod probat per illud dictū de damnatis Sap. 5. *Pœnitentiam agentes, & prę angustia spiritus gementes*, &c.

139 Et si dicas, quòd pœnitentia quamdiu homo est in vita ista valet ad deletionem peccati, non post hanc vitam; replicat Scotus. Contrà, quia. D. Hieronimus super Mattheum ad caput 27. & refertur de pœnitentia d. 3. ca. *Nihil Iudæ*, ait, *Nihil Iudæ profuit egisse pœnitentiam per quam scelus emendare non potuit*.

140 Respondet Scotus, quòd pęnitētia damnatorum non est vera pęnitentia, quia vt dictum est suprà, illa non est voluntaria pęnæ tenētia, sed adest maxima remurmuratio. Ad illud verò de Iuda respondet, quòd neque illa fuit vera pęnitentia: quia, etsi illa fuit voluntaria, non tamen hoc sufficit: quia nō quicunque actus pœnitendi sufficit ad delēdum peccatum, sed necesse est, quòd sit actus ordinatus, & benè circumstantionatus, & pręsertim circumstantia finis, vt in sequentibus quæstionibus patebit; nimirum, quòd fiat ex charitate, & propter amorem Dei: finis enim est prima circumstantia inter circumstantias actus moralis. Iudas autem non pęnituit cum illa circumstantia, idest, ex amore Dei.

141 Quartò principaliter arguit Scotus ad idem, illud, per quod deletur peccatum mortale, debet esse maius bonum, quàm peccatum, quod habet delere, fuerit malum: vel saltem debet esse tantum bonum, quātum est malum illius peccati; sed pęnitentia est minus bonum, quàm peccatum mortale sit malum; ergo pęnitentia non valet delere peccatum mortale. Maior patet, quia non recompensatur malum, nisi per bonum maius illo malo, vel æquale illi malo, quod per ipsum tollitur. Minor probatur, quia pęnitentia est bonum finitum: peccatum autem mortale est malum infinitum, quod probatur per illud Anselmi lib. 2. Cur Deus homo cap. 5. vbi ait, tantum malum est peccatum, quantus est, qui offenditur, vel in quem committitur; sed ille est Deus, qui est infinitus: nam Dauid dixit, *Tibi soli peccaui*. Psalm. 50. Quartū argumētum principale.

142 Respondet Scotus, quòd patebit in sequenti quæstione, quis sit actus pęnitentiæ, qui requiritur ad delendum peccatum, & tunc patebit, quòd est tantæ bonitatis, vel maioris, quàm sit malū actus peccati, & maximè hoc patebit dist. 15. q. 1. vbi de satisfactione agemus. Pro nunc dicitur, quòd tantum bonum est actus pœnitentiæ, quantum malum est actus peccati, quod probatur, quia malum actus peccati consistit in hoc, quòd auertit ab vltimo fine: at actus pęnitentiæ reducit in vltimum finem; ergo ex hac parte tanta est bonitas actus pęnitentiæ, quanta est malitia actus peccati: si verò cōsideretur actus peccati in se secundùm suam substantiam, malitia eius non est infinita, sed finita, quod probatur: quia tanta est malitia actus peccati, quanta est bonitas, quæ debebat illi actui inesse, & nō inficit: at bonitas, & rectitudo, quæ inesse debebat est finita, quia actui finito non potest inesse, nisi bonitas finita: non est autem inconueniens, quòd detur actus pęnitētiæ, qui habeat maiorem bonitatem ex se, quàm habuerit malitiam aliquis actus peccati: quia poterit esse intensior in charitate, quàm actus peccati in malitia; ergo poterit esse maius bonum, quàm actus peccati fuerit malum, vel saltem æquale. Concludit ergo Scotus, quòd si actus peccati consideretur ratione obiecti, qui est Deus, est infinitus quidem infinitate participata, sed in se est finitus: ita quoque actus pęnitentiæ est infinitus ratione obiecti, quæ est infinitas participata. Ratione autem essentiæ cum sit finita, potest habere bonitatem æqualem, vel maiorem malitia actus peccati, ut diximus in 3. agendo de merito Christi. Solutio.

Quæstio Secunda.

DISPVTATIO XII.

Vtrùm actus pœnitendi requisitus ad deletionem peccati mortalis sit actus alicuius virtutis particularis.

Quomodo punire possit esse actus virtutis, & cuius virtutis secundùm Scotum. Caput Primum.

1 NVllus est Theologus, qui fundamento maiori, & rationabiliori explicet, & quæ pertinent ad doctrinam virtutis pœnitentiæ, quàm Scotus, & quæ ab alijs longo sermone explicantur, à Scoto breuiter, & eruditè dilucidantur. Primò ergo explicabo sententiam Scoti, deindè obiectiones aduersariorum seorsum adducam, & confutabo.

In hac itaque quæstione secunda huius distin. 14. facit Opi. Scoti.

duos articulos. In primo explicat, quomodo pęnitere sit actus virtutis, secundò cuius virtutis sit, An actus alicuius virtutis particularis; & quæ illa sit. In secundo articulo explicat, An actus pęnitentiæ, qui requiritur ad delēdum peccatum mortale, debeat esse actus pęnitentiæ, vt virtus est. De secundo agemus sequenti disp. in præsenti agemus de primis duobus, quæ primo articulo tractat.

2 Quoniam autem superiori quæstione, vt vidimus, posuit quatuor acceptiones actus penitentiæ, siue quatuor actus pœnitentiæ de vnoquoque illorum tractat, & explicat, An sit actus virtutis, & cuius virtutis; & proindè sicut sunt quatuor actus pęnitentię, sic ponit quatuor conlusiones principales pertinentes ad vnumquemque istorum actuum: tamē de vnoquoque illorum actuum posteà sunt variæ conclusiones particulares, quibus vnumquemque actum declarat, vt videbimus.

1. Conclusio. 3 Prima ergo conclusio pertinens ad pœnitere secundùm primam significationem explicatam q. præcedenti articulo 3. §. *De secunda conclusione* &c. quæ est pœnitere est vindicare peccatum à se cōmissum; & cōclusio est hæc. Pœnitere prædicto modo sumptum, potest esse actus virtutis medium (addit illam particulam *medium*, quia iustitia, vt habet in 3. dist. 34. §. *Notandum vlteriùs*, &c. non est genus virtutis supremum, nec species specialissima, sed genus medium: actus autem iste vindicandi est actus iustitiæ, vt posteà probabit) antequàm autem probemus hanc conclusionem, notandum est, quòd Scotus non dicit pœnitere in hac significatione, esse semper actum virtutis, idest elicitum à virtute, sed quia est natus elici à virtute, vel est natus generare virtutem: quia nimirum est actus cōformis rectæ rationi: in hoc enim cōsistit bonitas actus moralis, quòd verò eliciatur à virtute, vel generet virtutē, hoc est accidentale ipsi actui moraliter bono, vt dixit ipse Scotus in 3. dist. 33. & 34. de qua re aliàs. Hoc ergo supposito, probat Scotus hanc conclusionem sic.

Formatur ratio. 4 Ille actus est actus virtutis, qui est conformis rectæ rationi; sed pœnitere hoc modo est actus cōformis rectæ rationi; ergo. Maior est euidens. Minor probatur sic. Quilibet legislator secundùm rectam rationem vindicat trāsgressionē legis, & si legislator recta ratione vindicat trāsgressionem legis, etiam minister exequens voluntatem legislatoris recta ratione vindicat peccatum trasgressionis legis in eum in quem committitur sibi à legislatore vindicare. Subsumit; sed Deus est legislator vindicans trāsgressionem legis suę, & vnusquisque peccator est minister Dei ad vindicandum in se ipso peccatum transgressionis legis, qđ fecit; ergo actus, quo vnusquisque vindicat peccatū sic commissum, est actus conformis rationi rectæ, & virtutis: at pœnitere, vt loquimur in hac conclusione, est vindicare hoc modo; ergo pœnitere hoc modo est actus virtutis. Omnes istæ propositiones assumptæ probantur. Prima probatur sic, quia Philosophus in fine 10. Ethicorum statim post doctrinam de vitijs, & virtutibus introduxit legē positiuam, tanquàm vltricem vitiorum, & præmiatricem virtutum; ergo quilibèt legislator secūdùm rectam rationem vindicat transgressionem legis. Secunda propositio probatur, quia rectitudo in actu subministrationis, & ministerij, consistit in conformitate ad agens, cui ministrat: cum enim minister ministrat secundùm intentum agentis, cui subministrat, & inseruit, actus eius est rectus. Altera propositio assumpta est euidens, quò ad vtranque partem: quia vt visum est quæst. præcedenti art. 2. & disp. antecedenti cap. 1. omnis, qui committit peccatum, ex præcepto Dei tenetur de illo agere pœnitentiam, idest illud peccatum vindicare in semetipso: nam pœnitere est pœnam tenere; quando autem non additur datiuus, tenere, exprimens cui teneatur, significat, quòd sibi ipsi tenenti teneatur, quod patet ex communi modo loquendi: vndè Deus, licèt puniat peccatorem, idest teneat pœnam, quia tamen non tenet illam pœnam sibi sed peccatori, idest quia non infligit illam pœnam sibi, sed alteri, non dicitur pęnitere; sed quando aliquis sibi infligit pœnam dicitur pœnitere, idest sibi applicando, pęnam tenere. Deus pręcepit vt quicunque facit peccatum, de illo pęnitentiam agat; ergo peccator, ex pręcepto Dei tenetur pœnitere, idest pęnam sibi ipsi pro peccato tenere, & infligere.

2. Conclusio. 5 Secunda conclusio est cuius virtutis actus sit pęnitere, hoc primo modo sumptū, & est hæc. Pęnitere est actus virtutis specialis. Pro declaratione autem huius conclusionis explicat Scotus quæ, & quot causæ, & actus concurrant ad huiusmodi actum pęnitere, vt intelligatur quis sit actus, qui propriè est actus virtutis, & dignosci possit cuius virtutis in speciali actus sit: inquit ergo, quòd pęnitere in hoc sensu primò prærequirit, & supponit distinctam cognitionem rei, de qua pęnitet; cum enim quis vult vindicare aliquam iniuriam debet illam præcognoscere, & posteà elicit actum vindictæ; in eliciendo autem actum vindictæ ista se habent per ordinem. Primò est imperare coniunctionem causarum proximarum partialium tristitiæ. Secundo loco est coniunctio ipsarum causarum proximarum partialium tristitiæ, qui est effectus proximus imperij illius. Tertiò est effectus istarum causarum partialium, scilicèt tristitia, qui est effectus remotus illius imperij. Quartò sequitur complacentia illius tristitiæ, quæ complacentia est actus ipsius voluntatis habentis tristitiam pro obiecto. Quintò sequitur gaudium de tali tristitia, iuxta dictum illud Diui Augustini de pęnitentia. *Peccator de peccato doleat, & de dolore gaudeat*. Hæc omnia patent ex dictis disputatione præcedenti, cap. primo, in explicatione secundi, & tertij articuli quæstionis præcedentis. Patet autem, quòd ista quinque distinguuntur: nam imperium coniunctionis causarum partialium, distinguitur ab ipsa coniunctione, sicut causa prima, & remota à causa secunda, & propinqua: nam tristitia est effectus causatus ab imperio illo, & à coniunctione causarum illarum; sed causatur ab imperio tāquam à causa prima; & remota, à coniunctione verò ipsarum, tanquam à causa secunda, & proxima; cōiunctio verò illarum causarum distinguitur à tristitia, tanquàm causa ab effectu, & vt actio à passione; tristitia verò distinguitur à complacentia eiusdem, sicut obiectum ab actu, qui circà ipsum versatur; tristitia enim est obiectum complacentiæ; complacentia illa verò distinguitur à gaudio, quod est sicut obiectū à passione appetitiua de ipso; gaudium enim est passio appetitus prouenīēs ex illa tristitia, tanquàm ex obiecto. Ad propositum, inquit Scotus, ex horum quinque solùm primum actum, scilicet imperare coniunctionem causarum partialium proximarū tristitiæ, esse propriè, & per se vindicare. Probatur, quia quicunque vindicare dicitur aliquod peccatum sub eadem ratione, & sub eisdem circunstantijs, siuè in se, siuè in alio, siuè ille vindicās sit superior, siuè inferior; saltem quicumque immediatè vindicare dicuntur aliquod peccatum, habent actum vniformem, & tamen non habent alium actum, quam istum, imperare coniungi simul causas causantes tristitiam, & pœnam. Solus ergo ille actus imperare est vniformis à quocunque producatur: at alij actus sequentes, vt coniunctio ipsa causarum tristitiæ, non necessariò proueniunt ab eisdem causis, & sub eadem ratione: nam licèt causæ tristitiæ sint apprehensio obiecti, & nolitio illius, tamen possunt causari ex diuersis causis; neque enim omnes tristantur proper eādem causam; & qui ob eandem causam non semper tristantur sub eadem ratione: & sic non est vniformis à quacunque causa producatur, sed potest esse disformis, quia aliquis potest coniungere illas causas casualiter; aliquis alius in odium, & denique potest prouenire à causis quantumcunque indeterminatis. Sed his dimissis, quia ex dicēdis in sequentibus conclusionibus hoc magis manifestabitur, scilicet quòd solus actus imperandi est vindicare, & non alij, sufficit in præsenti habere, possibile esse dari aliquem actum priorem causis proximis tristitiæ, & coniungentem illas causas simùl ad producendum tristitiam, qui consequenter præcedit tristitiam ipsam, complacentiam de illa, & gaudium de tristitia. Hic actus appellatur à Scoto actus

to actus vindicare, & pœnitere, siue pœnam infligere; qui est pœnitere primo modo, ex quo patet diffinitio distincta quid nominis, penitere primo modo: qui est actus proprius, & principalis penitentiæ, vt videbimus.

2. Conclusio. 6 His premissis ponit secundam conclusionem superiùs adductam. Actus iste est actus specialis virtualis. Hæc conclusio facilè probatur, quia ille actus est actus specialis virtutis, qui habet speciale obiectum, & speciales circumstantias ordinatas; sed hic actus est huiusmodi; ergo. Minor probatur: quia obiectum eius est peccatum vindicabile, quod est obiectum speciale; circumstantiæ speciales sunt circũstantiæ, quæ conueniunt huic actui, vt sit rectus, & rectè tendat in tale obiectum, scilicet finis, qui est propter bonum commune: modus, vt cum spe veniæ; & alijs circumstantijs ipsum concomitantibus, de quibus infrà post quintam conclusionem.

3. Conclusio. 7 Subiungit Scotus tertiam conclusionem, quæ est. Penitere non est actus alicuius virtutis intellectualis. Hanc conclusionem probat: quia penitere hoc modo, est imperare voluntati, vt aliquod obiectum detestetur, ac nollit esse: & intellectui, vt cõsideret, & apprehendat illud obiectum esse: ex quibus duobus sequitur tristitia. Istæ enim duæ causæ sunt causæ partiales proximæ effectiuæ tristitiæ, vt diximus suprà: at imperare nõ est actus intellectus, sed solius voluntatis; ergo. Probatur minor: quia nulla vis sensitiua potest imperare intellectui, vel voluntati, & coniungere eos in actibus suis: neque intellectus potest imperare sibi, vel voluntati, sed sola voluntas imperat intellectui, & voluntati. Quod probat auctoritate D. Augustini lib. 11. de Trinitate cap. 3. & lib. 13. cap. 27. vbi D. August. ait, quòd voluntas copulat parentem cum prole: quæ auctoritas probat, quòd voluntas imperat intellectui. Quòd verò voluntas imperet sibi, patet ex se. Verùm, quòd imperium sit actus voluntatis, non intellectus, contra Thomistas abundè probaui in disput. 9. An voluntas sit nobilior intellectu.

8 Secundò probatur eadem conclusio: quia virtus intellectualis dictat verum esse, vel non esse, tam in speculãdis, quàm in operandis: non autem inclinat ad agendum, & ad operandum; vt patet de sapientia, & prudentia, &c. At pœnitentia inclinat ad sic agendum, & operandum; non autem inclinat ad dictandum agendum esse sic, vel sic; ergo pœnitere est actus virtutis appetitiuæ, non intellectualis.

4. Conclusio. 9 Subiungit quartam conclusionem. Pœnitere non est actus appetitiuæ virtutis ordinantis ad se ipsum; sed virtutis ordinantis ad alterum, idest iustitiæ communiter acceptæ. Hæc conclusio patet, quò ad primam partem: quia virtutes ordinãtes ad se ipsum sunt, vt temperantia, & fortitudo: istæ enim ordinãt actus circa propriam personam illius, qui habet has virtutes: at pœnitere, quòd est vindicare, potest aliquis eodem modo secundùm rationem rectam exercere in se, ac in alio: & quando quis exercet illũ actum in se ipsum, non exercet illum nisi vt in alterũ: quia non exercet illum actum vindictæ, nisi in quantum sibi committitur à legislatore, ut vindicet in talem reum: accidit autem sibi, vt sit minister legislatoris, & reus simul; vnde ità exercet secũdùm rectam rationem actum illum vindicandi in se ipso, sicut exerceret si esset alius in persona. Secunda pars, scilicet quo sit actus iustitiæ, patet ex dictis: quia stante illa famosa distinctione Arist. de virtutibus appetitiuis, quòd ad duo genera predicta redducuntur, scilicet quòd sunt ad se, vel ad aliud, sequitur, quòd cũ vindicare non sit earum virtutum, quæ sunt ad se, vt probatum est, sit actus iustitiæ: quia iustitia est virtus ad alterum, accipiendo iustitiam non propriè, sed in communi; prout omnis virtus, vt est ordinatiua ad alterum, vel quasi ad alterum, dicitur iustitia, vt docet Arist. 5. Ethic. cap. 1. Verùm cum iustitia sic sumpta sit virtus generalis; quæ sub se continet varias species virtutum, adhuc est difficultas sub quænam specie istarum contineatur, & præsertim est difficultas, an contineatur sub amicitia: nam amicitia est species iustitiæ, quia est virtus ad alterum 8. Ethicorum cap. 2. & 9. Ethicorum cap. 5. sed de hòc in speciali erit sermo cap. sequenti, in quo explicabimus ea, quæ hic habet Scotus. Concludit itaque hic Scotus, quòd vindicare est actus iustitiæ, & quia iustitia, vt dictum est, est multiplex, dicit, quòd est actus illius virtutis iustitiæ, quæ est punitiua; quæ contra distinguitur à iustitia commutatiua, & ab amicitia. Iustitia enim diuiditur in iustitiam distributiuã, & cõmutatiuam: distributiua autem est, quæ diuidit premia, & punit mala. Asserit ergo vindicare esse actũ iustitiæ punitiuæ, & subiungit hunc actum esse fortè nobiliorem, qui sub iustitia in communi reperiatur, excepto actu premiationis. Hoc probatur à Scoto, quia ille actus iustitiæ est nobilior, qui natus est competere personæ nobiliori; sed sic est, quòd actus vindicandi peccatum in reum est actus, qui competit soli legislatori, & est proprius eius, & nulli alio conuenit, nisi ex commissione legislatoris, qui alteri quasi suo vicegerenti hunc actum committit: at ceteri actus iustitiæ in communi, vt amicitiæ, iustitiæ commutatiuæ, & huiusmodi possunt cõuenire regulariter quibuscũque personis, vt patet. Actus verò premiationis, qui est quoque actus iustitiæ est nobilior vindicatione: ratio est quia in primis habet eandem nobilitatem cum vindicatione, ratione personæ cui competit: quia competit soli Principi: Princeps enim solus est, qui premiat, vel aliquis loco ipsius, tanquàm vicegerens; sed vlterius excedit vindicationem ratione extremorum, inter quæ exercetur. Nam premium habet pro vno extremo meritũ pro quo fit; & ex altera parte premium, quòd confertur; & pro altera parte habet personam meritam, cui cõfertur premiũ. Vindicatio autem habet pro vno extremo culpam, quam vindicat: ex alio pœnam, qua vindicat, & personam rei in qua fit vindicatio: at tria illa cõcomitantia præmiationẽ, vt patet sunt nobiliora: ideò actus præmiãdi est nobilior.

10 Tandem subiungit Scotus quintam cõclusionem, quæ est. Actus ille vindicare est actus voluntatis cuius est imperare intellectui, & ipsi voluntati, & hoc imperio pertinente ad irascibilem, & potentiam aliquam habentem in se aliquid simile virtuti irascibili. Hæc conclusio ex dictis patet quòad omnia; excepta illa particula, Imperio pertinente ad irascibilem, & potentiam aliquam habentem in se aliquid simile irascibili. Hæc autem probatur à Scoto, quia sicuti irascibilis in parte sensitiua vindicat, & punit suo modo; ita illa potentia, quæ in parte intellectiua imperat vindictam, habet quoddam simile cum potẽtia irascibili: hæc autem potentia similis irascibili in parte intellectiua est sola voluntas; ergo actus iste vindicandi est actus voluntatis. 5. Conclusio.

11 His habitis Scotus mouet dubium, quomodo hic actus se habeat ad charitatem, de qua re ca. sequenti. Tandem recapitulat, ac explicat in Epilogo quæ pertinent ad pœnitere hoc modo, dicens, quòd hic actus pœnitentiæ secundùm primam significationem, scilicet vindicare, est actus voluntatis, qui est imperare; & est eius effectus, quia tristitiæ; & per quæ, quasi per instrumenta, quia per causas proximas tristitiæ; quæ sunt consideratio actualis, & nolitio actualis alicuius obiecti; & circa quod obiectum, quia circa peccatum commissum; & à quo, quia à ministro habente commissionem puniendi à legislatore; & propter quem finem, quia propter obseruationẽ legis, & vlterius propter bonum commune. Et per hoc patet, quòd potest esse actus virtutis specialis, quia iustitiæ cuiusdam specialis, & cuius subiecti, quia voluntatis, & quam comparatione habeat ad alias virtutes Theologicas, & acquisitas. Sed hæc vltima particula nondum est declarata; declarabitur autem capite sequenti, exponendo, quomodo pœnitentia se habeat ad charitatem. Epilogus eorũ, quæ ad hũc modum pœnitendi concurrunt.

12 Secunda conclusio principalis est de pœnitere secũdo modo accepto, scilicet de detestari peccatũ, & est hæc. Detestari peccatum potest esse actus virtutis. Probatur eo modo, quò prima conclusio nunc suprà probata est. Iste actus potest elici conformiter rationi rectæ; ergo potest 2. Conclusio principalis de pœnitere secũdo modo accepto.

esse actus virtutis. Consequentia patet ex dictis suprà. Antecedens verò probatur, quia sicut ratio recta dictat complacendum esse in bono honesto; ita dictat displicēdū esse in malo inhonesto, & sic recta ratio dictat esse detestādum, & odiendum esse tale malum; ergo detestari potest esse actus virtutis.

Alia conclusio.

13 Alia conclusio. Actus iste detestandi peccatū non potest esse actus alicuius virtutis specialis, sed est actus cuiuscunque virtutis appetitiuæ. Vbi nota, quòd non vult dicere Scotus, quòd detestatio peccati sit aliqua vna virtus generalis, distincta à quacunque virtute speciali, quia talis virtus non datur; sed vult dicere, quòd detestatio cōpetit cuilibet virtuti speciali appetitiuæ, secundùm rationem generalem quandam communē omnibus illis, quæ est, quòd sicut appetunt proprium obiectum; ita detestātur, & nolunt oppositum: & quòd hæc sit mens Scoti, patet ex verbis formalibus conclusionis, & ex probatione eius: non autem vult, quòd sit actus præcisè virtutis iustitiæ, vel generalis, vel specialis: quia omnis virtus appetitiua, siue sit ad alterum, vt quæ sub iustitia continentur: siue sit ad se, vt temperantia, & fortitudo conueniunt in hac ratione, vt detestentur malum oppositum.

Obiectio notanda.

14 Sed aliquis dicet. Detestatio peccati non potest esse actus particularium virtutum, quia illæ habēt obiecta sua propria, vt charitas habet Deum pro obiecto, vt est commune bonum; castitas honestatem in actibus, &c. non autem habent pro obiecto peccatum sub hac, vel illa ratione; ergo detestatio peccati non potest esse actus alicuius virtutis particularis.

15 Respondetur, quòd in virtutibus est prosequutio obiecti proprij, & fuga oppositi, & discōuenientis. Actus illarum prosequutionis circa propria obiecta, vt dilectio Dei super omnia in charitate, est actus proprius charitatis: fuga verò, & detestatio peccati, quia est offensa Dei, est actus eiusdem virtutis, pertinens ad fugā; sed est actus ei communis cum alijs virtutibus, & sub hac ratione dicitur pęnitentia hoc secundo modo. Hæc conclusio habet difficultatem propter obiectiones aduersariorum, vt videbimus capite sequenti. Probatur autem a Scoto quò ad primam partem sic. Quæcunque virtus inclinat ad complacendum in bono honesto, inclinat etiam ad detestandum, & odio habēdum, siue ad displicentiam de malo inhonesto opposito: vt puta castitas sicut inclinat ad actum castum, ita inclinat ad detestandum actum inhonestum contrarium castitati: & humilitas inclinat ad detestandū actum superbiæ, quia est oppositus actus ipsius humilitatis: & sic de cæteris. Quò ad secundam partē, scilicet quòd sit actus tantùm virtutum appetitiuarū, probat, quia sola virtus appetitiua potest odire, & detestari: quia etiam ipsa sola potest amare: amare autem, & odire sunt effectus, & passiones appetitiuæ virtutis, vt clarū est.

Detestatio peccati non est actus pęnitētiæ virtutis ꝓpriæ

16 Ex his confutat opinionem D. Thomæ, Richardi, & aliorum multorum, qui dicunt, detestari esse actum virtutis specialis, & in particulari esse actum pœnitentiæ virtutis, accipiendo pęnitentiam strictè, vt est specialis virtus, & ratio est; quia ille actus odiendi malum, est nimis generalis: cōuenit enim pluribus virtutibus, vt visum est: at actus virtutis pęnitentiæ proprius competit soli virtuti pęnitentiæ. Accipiendo autem pęnitentiam largo modo, pro vt est punitio voluntaria, & est cōmunis illis quatuor modis prædictis, potest dici actus pęnitentiæ: & hoc modo, suprà dictum est, detestari peccatum, esse actum pęnitentiæ.

3. Conclusio pricipalis de gratanter acceptare.

17 Tertia conclusio principalis est de pęnitere tertio modo quod est gratanter acceptare pęnam, pro peccato inflictam, & est hæc. Actus iste potest esse actus virtutis. Probatur, vt duæ priores principales: quia scilicet talis actus potest esse concors rectæ rationi.

18 Secunda conclusio est similis secundæ præcedenti. Hic actus potest esse actus multarum virtutum, quarum quælibet est appetitiua. Hæc conclusio probatur, quò ad primam partem, quia quæcunque virtus potest esse principium acceptandi, & volendi aliquod obiectum, potest etiam inclinare, & esse principium ad acceptandum aliquid in ordine ad illud obiectū. Exemplum. Sicut ex charitate amatur Deus; ita ex charitate potest acceptari pęna aliqua in quantum est reductiua in amicitiam Dei. Item sicut ex virtute spei desideratur Deus, vt bonum ipsi desideranti; ita ex virtute spei acceptatur pęna, vt ordinatiua ad consecutionem, & possessionem huius obiecti. Sicut ex virtute timoris cauetur amissio vitæ æternæ: ita ex eodem timore acceptari potest pęna, quæ auertit, & excludit ipsam amissionem vitæ æternæ. Sicut ex amicitia honesta ad se ipsum quis diligit sibi munditiam, & innocentiam: ita ex eadē virtute potest acceptare pęnam sibi inflictam, quàm immunditia, & macula siuè reatus, quo priùs polluebatur, tollatur. Ex hoc patet, quòd actus ille non est vnius specialis virtutis, sed plurium. Quò ad secundam partem verò patet, quia sola virtus appetitiua est, quæ acceptat, & diligit, vt suprà dictum est.

19 Quarta conclusio principalis est de pęnitere quarto modo, qui est patienter ferre, & est hæc. Patienter ferre est actus virtutis, & virtutis particularis, scilicet virtutis patientiæ. Prima pars huius conclusionis patet eadem ratione, qua tres priores probatæ sunt, scilicet quia esse potest actus conformis rationi rectæ. Quò ad secundam quoque patet, quia est actus virtutis specialis, quæ est patientia. — 4. Conclusio principalis de patiēter ferre pęnā inflictā.

Obiectiones aduersariorum contra asserta in pręcedēti cap. & eorum opiniones. Caput Secundum.

20 MVlta ex dictis à Scoto in superiori capite impugnantur ab aduersarijs, & primò Soto in 4. dist. 14. quæst. 2. art. 2. quem sequuntur Suarez disp. 3. sect. 4. & nonnulli alij, arguunt, quòd multiplicare illos quatuor actus .s. vindicare, detestari, acceptare gratanter, & patiēter ferre, in pęnitentia non est necessarium, & confusionem parit. Probatur assumptum, quia neque docti, neque indocti eiusmodi numeri, & ordinis actuum etiam, quando diligenter attendunt, recordantur. Addit verò Suarez hanc diuisionem nulla Methodo, aut ratione inniti, & proinde esse voluntariam: & hoc modo nos posse distinguere innumeros modos pęnitentiæ. — Quod quatuor modi pęnitentiæ assignati sint malè à Scoto. 1. Ratio.

21 Secundò falsum est actum illum vendicare, quem Scotus dicit esse propriè actum pęnitentiæ, obtinere primarium locum in actibus illis: quia prior est detestatio peccati commissi, includens propositum destruendi illud, emendandi vitam, & satisfaciendi; ad hunc enim actum deinde sequitur vindicatio, & punitio, siuè voluntas vindicandi, & puniendi. Assumptum probatur, quia prior est satisfactio pro culpa, quàm pro pęna: quia satisfactio pro culpa est substantia, & essentia virtutis pęnitentiæ: satisfactio autem pro pœna, quæ est vindicatio, est actus, quasi secundarius in virtute pęnitentiæ: at detestari peccatum, quòd explicatur per ista verba, nolle peccasse, est satisfactio pro culpa: & est essentialiter pęnitentia; ergo actus iste detestandi est actus primarius in pęnitentia, nō autem velle vindicare, & punire. — 2. Ratio.

22 Tertiò. Frustra distinguuntur isti duo actus, velle punire peccatum, & detestari peccatum: quia vnus actus potest continere vtranque intentionem, scilicet detestari peccatum, & velle punire. Quod probatur: quia non est intelligibile, quòd aliquis habeat priùs actum puniendi peccatum, quàm peccatum illi displiceat, ac illud detestetur: ideò est dicendum, quòd simùl cum detestatur, etiam vult vindicare. — 3. Ratio.

23 Quartò. Velle punire, & vindicare, est pœnam debitam pro culpa velle exigere: quia punire est exigere culpam: at pęnitentia formaliter non est exactio pœnæ, vel volitio exactionis pœnæ; sed est ablatio culpæ; ergo vindicare, non est actus primarius pęnitentiæ. — 4. Ratio.

24 Secundò, impugnant illud, quod ait Scotus actum secundum, scilicet detestari peccatum non esse actū vnius virtu- — Secundū assertū principale Scoti Ipugnatur.

virtutis, quæ ſit pœnitentia: & primò Soto cum D. Thoma 3. p. quæſt. 85. art. 2. ſic. Quæcunque vna formalis ratio obiecti, quæ nulli alij virtuti conuenit, ſpecialem virtutem cõſtituit; ſed ſic eſt, quòd ratio formalis obiecti virtutis pœnitentiæ, quæ ſecundùm eum eſt deteſtatio peccati, nulli alij virtuti competit; ergo illa conſtituit vnam ſpecialem virtutem, quæ eſt pœnitentia. Maior probatur, quia actus per obiecta diſtinguuntur; ergo actus virtutũ diſtinguuntur per obiecta, circa quæ verſantur: virtutes autem, cum ſint habitus, diſtinguuntur per actus à quibus generantur, & quos generant; ergo vbi eſt actus laudabilis ſpecialis, ibi eſt ſpecialis virtus. Minor verò, in qua eſt tota vis, probatur. Pœnitentia virtus reſpicit pro obiecto peccatum ſub ratione generali peccati, quatenus eſt offenſiuum Dei, & ſub ratione emendabilis propter Dei amicitiam: at iſtæ duæ rationes nulli alij virtuti competunt; ergo conſtituunt pœnitentiam virtutem ſpecialem. Maior probatur, quia in Sacra ſcriptura, cum fit mentio de pœnitentia attribuitur ei conuerſio ad Deum. Secundo Paralipomenon 30. *Pius, & clemens eſt Deus veſter, & non auertet faciem ſuam à vobis, ſi reuerſi fueritis ad eum.* & Ioelis 2. *Conuertimini ad me in toto corde veſtro.* Et alibi ſæpè, conuerſio autem ad Deum eſt receſſus à peccato, ſiue deteſtatio peccati, ad illud tollendum, vitam emẽdandam, atque ad reficiendum amicitiam Dei. Minor verò probatur: quia cæteræ virtutes morales non habent pro obiecto proximo peccatum, vt patet diſcurendo per eas: & licèt aliqua virtus verſetur circa aliquod malum fugiendum, vt faciat aliquod particulare bonum, vt temperantia, & huiuſmodi: tamen nulla eſt virtus, quæ verſetur circa malum in communi emendandum, & caſtigãdum propter Deum, emendando vitam in omni genere virtutum: quod eſt ſimpliciter bene viuere. Hanc eandem rationem Suarez pluribus adducit, & explicat diſp. 2. ſect. 3. addens, quòd licèt obiectum formale huius virtutis, quatenus exercet peculiare munus deteſtandi peccata commiſſa, & proprium motiuum, ſit reſarcire diuinam iniuriam; tamen obiectum adæquatum formale eſt diuinum ius ſeruandum, ex peculiari debito iuſtitiæ. Pœnitentia enim eſt iuſtitia quædam: obiectum autem iuſtitiæ eſt, vt ſuum vnicuique reddatur: ideò obiectum formale pœnitentiæ, quæ eſt particularis iuſtitia, eſt, vt Deo ſeruetur proprium ius.

Suarez.

2. Ratio deſumpta ex Scoto & aduerſarijs

25 Secunda ratio pro aduerſarijs ex Scoto, vbi ſuprà, eſt hæc. Nolle pœnitere eſt ſingulare peccatum; ergo ſingulari virtuti opponitur: ſed non apparet cui virtuti particulari opponatur, niſi pœnitentiæ; ergo pœnitentia eſt particularis virtus.

3. Ratio.

26 Tertiò arguit Suarez vbi ſuprà diſp. 2. ſect. 3. nu. 6. In omni peccato, quatenus eſt contra Deum, inuenitur quædam ſpecialis malitia, circa quam tollendam, ſola virtus pœnitentiæ verſatur; ergo pœnitentia eſt virtus particularis. Aſſumptum probatur: quia in omni peccato eſt quædam ratio iniuriæ in Deum, qua tollitur ius diuinum, quo Deo aufertur dignitas vltimi finis, & alius vltimus finis extra Deum conſtituitur: ideò hoc peccatum requirit propriam virtutem reddentem ius hoc Deo, & deſtruentem malum illud iniuriæ Dei. Declaratur exemplo. Subditus debet Principi tributum, & honorem ex iuſtitia particulari; ergo multo magis homo debet Deo honorem, & recognitionem vltimi finis, quam aufert peccatum.

27 Confirmatur, quia ſcriptura frequenter vocat peccatum iniuriam, & offenſionem Dei: debemus autem ſcriptura propriè intelligere ſi cõmodè fieri poteſt; ergo, in propoſito Sacra ſcriptura oſtendit in quolibet peccato eſſe malitiam quandam propriam, & ab alijs malitijs peccatorum diſtinctam, qua Deo proprius honor aufertur, cuius emendatio pertinet ad virtutem ſpecialem iuſtitiæ.

4. Ratio. Aliud aſſer tũ Scoti im pugnatur.

28 Quartò arguit Suarez eadem diſp. 3. ſect. 4. quòd deteſtatio peccati poſſit eſſe actus aliarum diuerſarum virtutum particularium, vt charitatis, ſpei, & ſimilium, ex quo poſteà deducit, quòd non eſt actus virtutis generalis, vt vult Scotus, ſed eſt actus virtutis particularis alicuius: & conſequenter, quòd poteſt eſſe etiam actus virtutis ſpecialis pœnitentiæ: probat autem ſic. Deteſtatio peccati poteſt habere diuerſos fines, ſiue diuerſas rationes formales obiectiuas, (finis enim in moralibus eſt obiectum diſtinguens) poteſt ergo quis deteſtari actum peccati propter amorem, & dilectionem Dei, cui peccatum diſplicet: & tunc hic actus eſſet actus charitatis. Similiter ſi quis deteſtetur peccatum, vt per hanc deteſtationem conſequatur Deum, quem deſiderat ſibi bonum, eſt actus ſpei: & ſic cũ elicitur ab aliis virtutibus ſecundùm finem, & motiuum illarum virtutum, eſt actus illarum virtutum ſpecialium.

Confirmatur.

29 Confirmatur ex dictis à Scoto de 3. actu pœnitentiæ. Dicit enim, quod acceptatio pœnæ gratanter poteſt eſſe actus diuerſarum virtutũ particularium: nam ſi acceptatur pena, in quantum eſt reductiua ad Dei amicitiam, inquit Scotus, acceptatio illa eſt actus charitatis: & ſic de alijs, vt ſuprà diximus: ità inquit Suarez. Deteſtatio peccati vt reducatur ad amicitiam Dei eſt actus charitatis; & ſic de alijs. Et hac ratione probat, quòd actus ille deteſtandi peccatum poſſit eſſe actus ſpecialis virtutis: quia pari modo poteſt quis deteſtari peccatũ, vt reſarciat iniuriam illatam Deo, qui eſt finis, & ratio formalis pœnitẽtiæ; ergo hic actus poteſt eſſe actus particularis virtutis pœnitentiæ: quia ab eius obiecto, ſiue fine, vel motiuo elicitur.

Cõfirmat.

30 Præterea deteſtatio peccati nõ eſſet actus proprius pœnitentiæ, & tamen Sancti Patres, & Concilium Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 2. inquiunt pœnitentiam eſſe *deteſtationem cum pio animi dolore*. Adde, quòd capite 4. definiens contritionem, quæ eſt actus propriiſſimus pœnitentiæ, habet hæc verba. *Contritio, quæ primum locum inter dictos pœnitentis actus habet, animi dolor, ac deteſtatio eſt de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cætero.* Ergo deteſtatio eſt proprius actus pœnitentiæ, quod eſt ſpecialis virtus.

Confirmatur.

31 Præterea virtus pœnitentia parit dolorem: at deteſtatio eſt, quæ parit dolorem: quia dolor ſtatim illam comitatur; ergo deteſtatio eſt pœnitentia.

32 Eadem ratione probat, quòd reliqui duo actus pœnitendi, ſcilicet acceptare pœnam gratanter, & eandem patienter ferre, poſſunt eſſe actus virtutis pœnitentiæ ſpecialis. Si enim eliciantur ad recompenſandum iniuriam factam Deo, & ad ineundum eius amicitiam ſunt actus pœnitentiæ virtutis.

3. Ratio. Aliud aſſertũ Scoti im pugnatur.

33 Tertiò principaliter, probat Suarez diſp. 2. ſect. 3. num. 7. quòd vindicare non ſit actus peculiaris virtutis pœnitentiæ, quæ à Scoto dicitur iuſtitia vindicatiua; ſed quòd eſt actus pœnitentiæ virtutis, quæ propriè eſt deteſtari peccatum ad reſarciendam, & compenſandam iniuriã Dei: eſſe tamen tantùm actum ſecundarium, & minùs principalem. Primarius enim actus illius virtutis eſt deteſtatio peccati. Probat autem ſic. Ad pœnitentiam virtutem pertinet non ſolùm dolere de peccato; ſed etiam vindicatio, & expulſio illius; ſed per deteſtationem habetur dolor tantùm; ergo requiritur actus vindicandi, & vindicatio ipſa, ac expulſio ipſius peccati, ad hoc vt ſit perfecta pœnitentia. Maior probatur ex D. Aug. de vera, & falſa pœnitentia cap. 8. vbi ait. *Pœnitentia eſt doloris vindicta puniens in ſe, quod dolet commiſiſſe.* vbi non ſolùm dicit dolorem, id eſt deteſtationem, ſed etiam vindictam ex dolore pertinere ad hanc virtutem, & conſequẽter ad formale motiuum ipſius, & confirmatur ratione, quia ſatiſfactio pro iniuria redundat in maiorem honorem, & ampliorem ſatiſfactionem illius, cui iniuria compẽſatur; ergo ad perfectam reſarcionem iniuriæ requiritur vindicatio peccati, & iniuriæ.

34 Confirmatur adhuc, quòd deteſtatio peccati ſit actus primarius pœnitentiæ auctoritate Concilij Tridentini, quod ſeſſione 6. cap. 6. habet hæc verba. *Dum peccatores ſe eſſe intelligentes monẽtur aduerſus peccata per odium aliquod, & deteſtationem*, &c. ergo deteſtatio eſt primus actus pœnitentiæ.

4. Ratio. *Quòd pęnitere sit act⁹ amicitię ab aduersariis probatur. Prima rō.*

35 Quartò principaliter videtur, ꝙ pęnitere sit actus virtutis particularis amicitiæ. Hanc assertionem videtur tenere aliquo modo Soto vbi suprà, art. 3. nam ait, quòd finis intrinsecus pœnitentiæ est reficere amicitiam inter Deum, & homines: at reficere amicitiam, siuè actus reconciliandi amico est actus amicitiæ: amicitia enim est species iustitiæ in communi: quia est ad alterum ex 8. & 9. Ethicorum. Præterea actus eius principalis videtur esse se ipsum emendare, & corrigere, & habet Arist. 9. Ethicorũ cap. vltimo, dum inquit, ex proborum amicitia probitatẽ crescere. Vndè licèt teneat, quòd pœnitentia sit specialis virtus, & quædam species charitatis, tamen cum teneat actum ipsum esse reconciliare cũ Deo, habet tenere quòd sit actus amicitiæ propter prædictam rationem. Et hæc sit prima ratio pro hac assertione. Scotus etiam in hac quæst. 2. art. 1. adducit aliàs duas rationes, quas capite sequenti adducemus.

5. Ratio. *Quod pęnitẽtia sit charitas, vel superior ad charitatem ab aduersariis probat.*

36 Quintò principaliter videtur ex alia parte, quòd pęnitentia sit charitatis actus, vel virtus superior ad charitatem. Quòd sit actus charitatis probatur per argumentum quartum factum nunc suprà à Suarez, quò probabat pęnitentiam posse esse actum diuersarum virtutum particularium, vt charitatis, spei, &c. Et rursus probatur ex Caietano 3. p. q. 85. art. 2. Displicentia offensæ in Deum est actus charitatis: quia eius est gaudere, & complacere de bono diuino; ad eandem autem virtutem spectat efficere bonum, ad quod tendit, & expellere malum contrarium; ergo pęnitere est actus charitatis. Quòd verò sit actus virtutis superioris ad charitatem; probat Scotus eodem primo articulo sic. Pęnitẽtia per actum suum imperat actum charitatis; at virtus, quæ imperat alteri est superior; ergo pęnitentia est superior ad charitatem. Maior probatur, quia pœnitentia imperat punitionem peccati, & dilectionem Dei, ad quam ipsa punitio ordinatur.

6. Ratio. *Quod pęnitere sit act⁹ religionis. Prima rō.*

37 Sextò principalitèr ex Caietano 3. par. q. 85. art. 2. probatur, quòd pęnitere sit virtus specialis, quæ est reli-
38 gio: nam religio quoque est species iustitiæ. Prima ratio actus religionis est, quò diuinam excellentiam, nostramque subiectionem ad Deum profitemur, sed actibus pęnitentiæ vtrumque horum profitemur; ergo. Minor probatur, quia in pęnitẽtia sunt duo actus, scilicet satisfacere pro culpa, & satisfacere pro pęna. Primus actus autem cõsistit in tribus, scilicet in displicentia de offensa Dei: in confessione peccati; & in submissione sui ad offensum. Secundus actus consistit in luendo pœnam pro peccato. Illa autem tria, quæ sunt in satisfactione, quò ad culpam, qui est primus, & principalis actus pœnitentiæ, pertinent ad charitatem, & religionem. Primus ad charitatem; tristari enim de offensa Dei pertinet ad virtutem charitatis, ad quam pertinet gaudere de bono Dei. Confessio autem peccati interior, & exterior, qui est actus secundus pęnitentiæ, pertinet directè ad religionem. Submissio autem ad Deum, qui est actus tertius pęnitẽtiæ est actus principalis religionis; nec aliquid aliud addit hic actus, vt est pęnitentiæ, nisi causam subiectionis, scilicet pro offensa facta. Quòd autem isti duo actus vltimi sint actus religionis, probatur: quia actus religionis est, quò protestamur excellentiam diuinam, nostramque subiectionem ad eum; vtrumque autem horum in his duobus actibus pœnitentiæ profiteri, clarum esse videtur.

39 Confirmatur à Caieta. quia virtus pęnitentiæ non est virtus acquisita, sed infusa: quia non ex lumine naturali est nota, sed ex reuelatione supernaturali, & est notificata nobis eodem cursu, & ordine, quò nobis notificata est religio: in cuius signum inter pręcepta religionis, ità sũt sacrificia, & orationes pro peccatis, sicut pro beneficijs. Probat etiam, quòd pęnitentia non possit esse specialis virtus, duabus rationibus, quas adducam infrà, & soluam cũ rationibus principalibus Scoti.

Epilogus opinionũ aduersariorum.

40 Ex his omnibus colligũtur variæ opiniones aduersariorum. Primò quòd secundùm D. Thom. 3. p. q. 85. art. 2. Soto, Suarez, & alios Sectatores eius, & D. Bonauẽturã dist. 14. art. .. q. 3. pœnitentia est specialis quædam media virtus, distincta ab omnibus alijs virtutibus particularibus: quia habet proprium obiectum formale, & quòd illa est detestatio peccati. Secundùm alios est amicitia. Secundùm alios potest esse charitas. Secũdùm Caietanũ est religio. Secundùm Durandum in 4. d. 14. q. 2. est virtus ipsa iustitiæ, quia ipsa est qua redditur Deo debita obedientia, quam illi per peccatum peccator subtraxit. Secundùm Scotum verò pęnitentia (accepta pro detestatione peccati, vt aduersarij loquuntur) non est virtus aliqua particularis; sed coincidit cum alijs particularibus virtutibus, vt vidimus, & infrà magis patebit. Secundò habemus, quòd actus vindicare, qui à Scoto ponitur actus proprius pœnitentiæ, & pertinere ad propriam virtutem particularem, quæ est iustitia punitiua, secundùm Suarez, & Soto, est actus secundarius pœnitentiæ, prout est detestatio peccati, & pertinet ad satisfactionem; neque est primarius actus pœnitentiæ. Tertiò habemus, quòd secundùm aduersarios, illi quatuor actus pęnitentiæ, quos ponit Scotus, non sunt actus diuersi formales pęnitẽtiæ, sed solùm materialiter, vt ait Suarez, quia nulla methodo, nec vlla ratione distinguuntur.

Opin. Scoti.

Opiniones capite pręcedenti allatæ reijciuntur, & confirmatur, & magis explicatur opinio Scoti. Caput Tertium.

41 PRo confutatione opinionum adductarũ capite pręcedenti, & satisfactione ad obiectiones allatas non sunt iacienda alia fundamenta, nisi ea, quæ primo capite Scotus adduxit. Principalis ergo difficultas est, quinam actus sit ille, qui est de essentia virtutis pęnitẽtiæ: hoc enim explicato, patebit, quid sit dicẽdum de prima quæstione, An pęnitẽtia sit vna, & specialis virtus, vel generalis. Nam si dicamus primarium actum pęnitẽtiæ esse destationem peccati, Scotus sustinet esse virtutem generalem, siuè actũ cuiuscunque virtutis appetitiuæ. Si verò sit vindicare peccatum: sustinet esse specialem virtutem, scilicet iustitiam punitiuam.

Quòd autem pęnitentia accepta pro detestatione peccati, vt accipiunt Thomistę, non sit specialis virtus, probatur. Sed pro intelligentia huius rei notandum est, quòd aliud est considerare pęnitentiam secundùm propriam essentiam, vt est specialis virtus: & aliud est considerare ipsam quatenus aliqua virtus ea vtitur: & pręsertim, vt charitas ea vtitur. Nam secũdo modo nõ est vnica virtus, sed mixta ex duabus: vel, vt clarius dicam, actus eius, vt eo vtitur charitas non est actus vnius virtutis, sed duarum, scilicet pęnitentiæ, & charitatis, vt patet. Cum ergo voluntas detestatur peccatum, quia Deo est displicibile, & contrarium, actus iste est elicitus à pęnitentia, & à charitate: & primò à charitate, quia charitas est quæ imperat: est enim finis mouens, & vtens pęnitentia; pęnitentia verò est virtus eliciens, & qua charitas vtitur. Patet autem, quòd considerando pęnitentiam hoc modo, pęnitentia non habet vnicam essẽtiam, nec est vna virtus: (nisi dicamus esse virtutem charitatis: dictum est enim suprà, & nunc secunda ratione dicetur, quòd detestatio non est actus alicuius virtutis particularis, sed est actus omnium virtutum: & sic detestatio peccati propter Deum est actus charitatis,) sed est aggregatum quoddam ex duplici virtute, quod nesciens, sed veritate ductus fassus est Soto dist. illa 14. q. 2. art. 3. dum dicit, quòd pęnitentia, qua ratione est dolor, & vindicta de peccatis, est pars iustitiæ; qua ratione verò est dolor offensæ Dei, est species charitatis: at dum disputatur de pęnitentia, An sit specialis virtus, debet cõsiderari pęnitentia secundùm propriam essentiam, vt est distincta à quacunque alia virtute; & eius actus debet considerari, vt est actus præcisè virtutis pœnitentiæ, non autem vt inseruit aliæ virtuti; vndè contra Thomistas sic potest formari ratio. Si pęnitentia, accepta pro detestatione peccati, esset virtus specialis, præsertim hoc esset propter ratio- *1. Ratio.*

nem

nem adductā ab aduersarijs, scilicet quia habet obiectū secundùm rationem formalē diuersum ab omnibus alijs virtutibus particularibus, quæ est illa particula, propter Deum, siuè quatenus peccatum est offensiuum Dei. (Materiale enim obiectum est peccatum: formale verò est, vt est offensa Dei, & quatenus est emendabile propter amicitiam Dei.) Sed sic est, quòd ista ratio nō est intrinseca virtuti pœnitentiæ, sed accidētalis, & omninò extrinseca, scilicet ratione imperij charitatis; ergo pœnitentia sumpta pro detestatione peccati &c. non est specialis virtus. Maior patet ex positione aduersariorum. Minor est euidens ex dictis nunc suprà.

2. Ratio. 42 Considerando autem actum detestandi peccatum præcisè, pro vt est displicentia peccati, quod est pęnitere propriè in hac significatione, patet, quòd non est actus alicuius particularis virtutis. Quòd secundò probatur ratione adducta à Scoto: quia quæcunque virtus inclinat ad complacendum in bono honesto, inclinat etiā ad detestandum, & ad displicendum de malo inhonesto opposito; ergo detestari malum, & habere displicentiam de illo, nō est actus alicuius virtutis particularis, sed est actus communis omnibus virtutibus; ergo detestatio peccati, vt malum, non est virtus aliqua specialis: nec actus ille detestandi est actus alicuius virtutis specialis. Antecedens est communiter concessum, tanquàm principium commune in materia de virtutibus; omnes enim fatentur eiusdem virtutis esse malum fugere, & bonum contrarium prosequi, & illud in particulari admittunt D. Thomas 3. p. quæst. 85. art. 2. ad primum, & p. 2. quæst. 113. art. 5. ad primum, & illud supponitur à Soto in 4. dist. 14. quæst. 2. artic. 2. & clarius approbat Suarez 3. p. disput. 2. sect. 2. in principio Scotus autem illud probat inductione: nam castitas inclinat ad displicentiam de aliquo actu inordinato contra castitatem: sicut inclinat ad actus ordinatos conformes castitati: & humilitas inclinat ad displicentiam actus inordinati superbiæ, sicut inclinat ad actus cōformes humiliati: & sic de cæteris. Consequentia est euidens: quia repugnat, quòd aliquis actus sit generalis, & omnibus virtutibus competat, & quòd sit actus alicuius virtutis specialis: quia actus vnius virtutis specialis nō potest cōpetere alteri virtuti particulari; vt actus humilitatis nō potest cōpetere virtuti castitatis primò, & per se.

Responsio Soto. 43 At respondet Soto, & alij, quòd aliæ virtutes particulares inclinant ad fugiendum malū particulare, quod bono particulari illius virtutis opponitur, vt virtus castitatis inclinat ad detestandum malum particulare, quod opponitur bono castitatis: at pęnitentia inclinat ad fugiendum malum in communi, quatenus est offensa Dei: & inclinat ad vitandum omne malum, & ad simpliciter bene viuere.

Reijcitur. 44 Verùm hæc responsio quò ad illam partem, quòd pœnitentia incliner ad vitandum, & dolendum de peccato, quatenus est offensa Dei, iam reiecta est per primum argumentum, quia illa relatio inest actui detestationis ex accidenti, scilicet ex imperio charitatis: ideò ab illo non habet essentialem, & formalem distinctionem ab alijs virtutibus. Quòd verò ait pęnitentiam versari circa malum, & peccatum in communi, non in particulari, impugnatur sic. Actiones sunt circa singularia ex primo Met. sed sic est, quòd detestatio, quæ est pęnitentia, est detestatio peccati commissi: commissio autem est actio; ergo est circa aliquod peccatum particulare; ergo pœnitētia quoque siuè detestatio est necessariò actuum, & peccatorum particularium; ergo non potest esse de peccato in communi, sed necessariò est de peccatis in particulari, peccata autem particularia omnia sunt contra aliquam specialē virtutem; ergo detestatio non est actus alicuius specialis virtutis versantis circa malum in communi.

Confirmatur. 45 Et confirmatur, quia licet quis possit nolle aliquod vniuersale, & commune, vt puta hominem in communi, non tamen potest nolle illum in re, vt abstrahit à particularibus hominibus: quia non reperitur sine particularibus hominibus; ergo dato casu, quòd homo possit tristari de peccato in communi, non tamen posset tristari de illo, vt abstrahit à peccatis particularibus: quia non datur peccatum in communi in re seiunctum à particularibus peccatis.

46 Præterea dato, quòd hæc abstractio fieri posset, tamen in detestatione peccatorum, quæ est pęnitentia, fieri non potest, quia in hac virtute fit detestatio peccati commissi: & cum quis dolet de peccato in communi, dolet, quia dolet de pluribus peccatis particularibus, quæ commisit, quæ conueniunt in ratione cōmuni peccati, adeò quòd licet doleat, & tristetur de peccato in communi, tamen primò, & per se dolet de peccatis particularibus: secundariò verò, & ex consequenti dolet de peccato in communi.

47 Tertiò confirmatur ex D. Thoma 3. p. quæst. 85. art. 2. ad primum: nam inquit, quòd displicentia immediata de peccato præterito est actus charitatis non pœnitentiæ, sed intentio operandi ad deletionem peccati præteriti requirit specialem virtutem sub charitate, & hæc est pœnitentia: at intentio delendi peccata est actus vindicandi peccatum, non detestandi; ergo ex D. Thoma detestatio peccati præteriti non est actus specialis virtutis, quæ sit pœnitentia. Verba autem D. Thomæ sunt hæc. *Si ergo in actu pœnitentis consideretur sola displicentia peccati præteriti, hoc immediatè ad charitatem pertinet, sicut, & gaudere de bonis præteritis: sed intentio operandi ad deletionem peccati præteriti requirit specialem virtutem sub charitate.* Ex his habemus veram esse hanc assertionem Scoti, quòd pęnitentia accepta pro detestatione peccati, non est aliqua particularis virtus; sed est virtus generalis; siue actus ille detestandi peccatum est actus generalior, quàm possit esse ille actus, qui est actus proprius pęnitētiæ quæ est particularis virtus, & competit omnibus virtutibus appetitiuis. 3. Ratio.

48 Ex confutatione opinionis Thomistarum sequitur comprobatio opinionis Scoti: nam sustinendo, vt sustinere debemus propter secundam conclusionem cap. 1. positam de pęnitere primo modo, quòd pęnitentia sit specialis virtus, necesse est hoc intelligere de pęnitentia primo modo, quæ est vendicatio peccati commissi: nam reliqui duo actus pęnitentiæ, scilicet acceptatio pęnæ pro peccato gratanter, etiam est actus nimis communis, qui, vt visum est primo capite, pertinere potest ad diuersas virtutes: etiam patienter ferre pęnam inflictam, pertinet ad virtutem patientiæ: vndè ex his potest formari talis ratio, Pęnitentia est specialis virtus: at penitentia accepta secundo, & tertio modo, nō est specialis virtus, nec pęnitentia quarto modo est virtus specialis pęnitentiæ, sed est pacientia; ergo sequitur, quòd vindicatio sit virtus specialis, quæ pęnitentia dicitur. Maior patet ex secunda conclusione de pęnitere primo modo posita cap. 1. huius disputationis. Minor verò probatur, quia pęnitere accicipitur prædictis quatuor modis tantùm: de tribus posterioribus non verificatur, quòd pertineant ad specialē virtutem, vt nunc suprà probatum est; ergo verificatur de primo modo tantùm, qui est vindicare, siuè vindicatio peccati commissi.

49 Secūdò à priori, & proximè probatur. Ille actus est actus specialis virtutis, qui natus est habere obiectū speciale, & speciales circūstantias, siuè rationem formalē diuersam ab actibus aliarum particularium virtutum; sed sic est, quòd vindicare peccatum commissum est actus huiusmodi; ergo. Maior est concessa ab aduersarijs, & est euidens ex dictis suprà illa conclusione secunda primi capitis. Minor verò probatur ex Scoto in eodem articulo, quia vindicare habet pro obiecto materiali peccatum: pro formali verò, siue pro fine obseruationem legis: & vlteriùs bonum commune, & tandem bonum ipsius legislatoris. Iustitia enim punitiua punit peccatum commissum propter obseruationem legis; & vlterius propter bonum commune, & tandem propter ipsum legislatorem, 2. Ratio q̄ est principalis.

rem, si legislator, est finis legis, vt est Deus in lege diuina; sed hic est finis remotus, & extrinsecus: istæ autem circũstantiæ nulli aliæ virtuti conueniunt nisi iustitiæ, non in communi, sed vt contrahitur ad iustitiam punitiuam, siuè vindicatiuam, quæ est specialis virtus sub iustitia in communi. Quòd autem talis finis competat actui pęnitere accepto prò vindicare, probatur: quia vindicta ordinata, propriè sumpta, respicit correspondentiam pęnæ ad culpam secundùm legem, vt conseruet ipsam legem: finis.n. proximus vindictæ legalis est cõseruatio legis: punit enim transgressorem legis pœna imposita à lege, vt seruetur ipsa lex, & vlterior finis est ille, qui est finis legis, scilicet bonum commune: lex enim fertur ad seruandum bonum commune: lex autem diuina est data propter bonum commune hominum, quibus data est: in lege autem diuina potest poni vlterior finis, idest ipse legislator: & hoc ideò potest dici in lege diuina, non autem in lege posita ab hominibus, quia in ea bonum legislatoris est simpliciter melius bono communitatis: non in lege humana, Ratio ergo formalis obiecti pœnitentiæ, siuè circunstantia finis, quæ in moralibus tenet locum obiecti formalis, non est, quia peccatum est offensa Dei, & displicet Deo: quia illa circunstantia pertinet ad virtutem charitatis, non autem intrinsecè pertinet ad pęnitentiam: licèt ad hoc, vt actus pœnitentiæ, & pœnitentia sit fructuosa, requiratur hoc motiuum, scilicet vt fiat ac imperetur ex charitate, idest propter amorem Dei, & quia peccatum displicet Deo, vt infra patebit in responsione ad sextum principale, & disp. sequenti.

3. Ratio principalis & fundamentalis.

50 Tertiò à priori, ex dictis à Scoto quæst. præcedenti art. 2. & 3. elicitur hæc ratio, quæ est fundamentum, & declaratio totius istius quæstionis. Pœnitentia est virtus specialis, per quam tollitur, & destruitur culpa, & peccatum; sed sic est, quòd culpa non tollitur, nec destruitur nisi per pœnam voluntariam; ergo pęnitentia, quæ est virtus specialis, est pœna, siuè punitio voluntaria. Subsumo: at punitio, siuè inflictio pœnæ, quæ est vindicatio culpæ, est actus magis voluntarius, & nobilior omnibus alijs actibus voluntarijs pęnæ; ergo pœnitentia est vindicatio, & vindicare est actus principalis, & proprius pœnitentiæ virtutis, vt est specialis virtus. Propositiones assumptæ in syllogismo, & subsyllogismo omnes sunt euidentes: nam maior primi syllogismi etiam ab aduersarijs est concessa, & patet ex dictis in superiori disputatione, vbi ostensum est, quòd secundùm legem ordinariã Dei pęnitentia virtus est medium ad delendum peccatum mortale. Minor etiam probata est in superioribus ex his, quæ habet Scotus quæst. 1. huius distinctionis art. 3. nam culpa regulariter ordinatur per pęnam: per pęnam autem inuoluntariam non tollitur, vt patet de pęna æterna in damnatis: requiritur ergo, vt pęna, per quam tollitur culpa, sit voluntaria. Assumptum etiã in subsyllogismo patet ex dictis à nobis suprà in declaratione mentis Scoti circa illum tertium articulum quæstionis primæ: nam ille actus est magis voluntarius respectu alicuius rei, qui illam tanquam obiectum sibi proponit, atque ex proposito illam efficit, & causat, quàm actus ille, qui vult illam ex accidenti, siuè secundariò, & ex consequenti: at vindicare est actus, quo voluntas, vt causa principalis, & imperans, causat tristitiã de peccato, quæ est pęna: detestatio autem peccati est actus, quo voluntas, vt causa partialis, non tamen intendens, & ex instituto, sed ex accidẽti, causat tristitiam, quæ est pœna puniens culpam; ergo actus vindicare peccatum est magis voluntarius, quàm detestari peccatum.

52 Confirmatur, quia vt ibi diximus isti quatuor actus patienter ferre pęnam inflictam; gratanter acceptare pęnam; detestari peccatum, & vindicare peccatum, sic se habent respectu voluntarij, quòd secundus addit super primum, & tertius super secundum, & quartum super tertium, adeò quòd vindicare culpam est actus maximè voluntarius, & nobilior alijs. Et declaratur adhuc magis; nam qui non vult aliquod obiectum sibi inesse, sed illi displicet, & tamen inest, producit, ex hac displicentia in se ipso tristitiam de inexistentia obiecti sibi: tamen non vult directè, & omnino absolutè illam tristitiam: at qui imperat voluntati, vt nolit, & sibi displiceat illud obiectum, vt in se ipso causetur tristitia de tali obiecto, certè habet plenissimam rationem voluntarij circa illam pęnam, certissimum enim est, quòd illud est maximè voluntarium, quod nos primariò volentes, & scientes eligimus, & volumus: è conuersò autem, quòd non est volitum propter se à nobis, sed est volitum ex necessaria consequutione ad aliquod volitum primariò, non est ita plenariæ volitum sicut primo volitum; ergo volitio tristitiæ, quæ est pęna peccati, significata per vindicare, & imperare pęnam, est actus maximè voluntarius; ergo actus iste est principalis pęnitentiæ virtutis.

53 Sed aliquis forsan dicet, hoc concludit in actu vindicandi, tristitiam esse magis voluntariam; at non concludit magis in illo actu odiri peccatum, quàm in detestatione. Obiectio.

54 Verùm hoc nihil est, patet enim quòd in actu vindicandi est maior nolitio, & magis odium peccati, quàm in simplici detestatione: quia eo actu imperat odium, & detestationem peccati, vt consurgat tristitia, tamquàm pœna ipsius peccati, vndè detestatio est solùm actus elicitus; sed vindicare est actus imperatus actus eliciti, ideò est magis odiens peccatum, quia includit vtrũque actum, scilicet imperatum, & elicitum odij peccati. Solutio.

55 Præterea in omnibus illis quatuor modis pęnitendi includitur nolitio culpæ, quia nemo potest velle pęnam debitam pro peccato, nisi odio habeat culpam: in actu vindicandi autem est maior nolitio culpæ, quia est maior volitio pęnæ debitæ pro peccato.

56 Ex hoc argumento habemus non solùm comprobationem opinionis Scoti, quòd vindicare est actus proprius, & primarius virtutis pęnitentiæ, sed habemus etiam rationem efficacem contra aduersarios in eo, quòd dicunt, quòd detestatio peccati sit actus primarius pęnitentiæ: nam dato quòd detestatio pertineret ad specialem virtutem pęnitentiæ, (pertinet enim ad pęnitentiam in communi, vt est iustitia in communi, vt suprà diximus explicando opinionem Scoti primo capite) non tamen esset actus primarius virtutis pęnitentiæ, sed secundarius. Vindicare non est actus secundarius pœnitentiæ.

57 Ex hoc etiam patet, quòd malè aduersarij dicunt vindicare esse actum satisfactionis, & pertinere solùm ad delendum pęnam peccati non culpam: nam pęna temporalis debita pro peccato, ablata culpa, non necessariò tollitur per pęnam, vel per inflictionẽ alicuius pęnæ: patet.n. quòd potest tolli p orationes, eleemosinas, & alia pietatis opera, quæ non sunt pęnæ: culpa verò solùm tollitur per inflictionem pęnæ: at vindicare est inflictio voluntaria tristitiæ, quæ est pęna primaria; ergo non pertinet directè ad delendum pęnam, sed culpam. Vindicare non est actus satisfactionis.

58 Et confirmatur, quia inter homines iniuria, & culpa dimitti solet per voluntariam tristitiam de iniuria illata; nam cum offensus videt, quòd offendens afligit se tristitia, eò quòd ipsum offenderit, ex hac inflictione pęnæ imperata magis placatur, ita Deus magis placatur de offensa, & culpa commissa à peccatore, quando videt, quòd non solum displicet sibi offensa, sed infligit sibi pęnam tristitiæ propter illam offensam factam: inflictio ergo pęnæ, quæ est tristitia, nõ pertinet ad satisfactionem pro pęna peccati, sed pro culpa peccati.

59 Ex quo magis confirmatur veram esse opinionem Scoti, de macula culpæ relicta post peccatum: nam culpa illa certè remittitur per pęnitentiam: at pęnitentia est inflictio pęnæ voluntariæ; ergo culpa dimittitur per inflictionem pęnæ voluntariæ: at inflictio pęnæ voluntariæ est quædam satisfactio, & redditio debiti; ergo signũ est, quòd culpa, & macula derelicta à peccato (non offendente actualiter, vel virtualiter, sed cessante præcisè ab actu peccati, sinè tamen reuocatione actus peccati, vt suprà diximus) non est culpa pro formali manens; sed reatus, & Quòd macula peccati sit obligatio ad pęnã, vt Scot. ait.

obli-

obligatio nascens ex culpa ad pęnam istam, scilicet ad punitionem voluntariam, siue ad vindicationem, vel ad pœnam æternam, nisi hæc voluntaria adhibeatur.

60 Ego non video quid aduersarij huic rationi respondere possint: certùm est enim, quòd culpa dimittitur per pęnitentiam: si autem detestatio peccati est sufficiens, immò est actus primus secundùm eos, quo culpa dimittitur, multo magis vindicatio peccati sufficit: quia est actus magis voluntarius, & nobilior. Hoc autem dato necesse est dicere, quòd hic actus sit actus specialis virtutis, & quod hæc virtus specialis pœnitentiæ sit iustitia punitiua, vt dictum est suprà exponẽdo opinionẽ Scoti. Habetur etiam, quòd ratio formalis pęnitẽtiæ non est conuersio ad Deũ, sed actus ille prouenit ab aliqua alia virtute, scilicet à charitate, vel à spe, vel ab aliqua virtute, & ideò est extrinsecus ad pœnitentiam, vt infrà dicam: sed pœnitentia essentialiter est punitio, siuè inflictio pœnæ, vt sonat etiam nomen, & vt declarauimus: quia pęna voluntaria assumpta est, quæ delet peccatum, vt medium ordinarium.

4. Ratio. Pęnitentia non est virtus amicitiæ. 61 Quartò principaliter, pœnitentiam non esse virtutem amicitiæ ex dictis patet; tamen hoc est probandum in speciali, eo quòd hanc dubitationem tractat Scotus in particulari, & Thomistæ videntur quodammodo in eam inclinare, vt capite pręcedenti tetigi.

62 Quòd autem pœnitentia accepta pro vindicare sit virtus amicitiæ, & pœnitere pro vindicare sit actus amicitiæ, videtur probari his rationibus, quas adducit Scotus in hac quæst. 2. art. 1. Ille est actus amicitiæ, quò amicus reconciliatur amico: sed vindicare siuè actus pœnitentiæ est actus, quò peccator reconciliatur, & recipitur in amicitiam Dei; ergo pœnitere est actus amicitiæ.

Prima ratio, quod pęnitere sit actus amicitiæ. 63 Secũdò. Ad amicitiam spectat corrigere amicum, vt sit dignus amari, excluso eo, quod repugnat honestæ amicitiæ: at vindicare est çorrigere amicum, vt fiat dignè amabilis à Deo, excluso peccato, quod repugnat amicitiæ Dei; ergo vindicare est actus amicitiæ. Maior supponitur nota. Minor probatur. Vindicta ad hoc vt sit actus ordinatus, & virtutis, necesse est, quòd habeat pro fine correctionem illius, in quo fit vindicta, sed vindicare hoc modo est actus amicitiæ; ergo. Major probatur, quia exercere actum vindictæ, siuè punire aliquem tantummodo, vt vindicans satietur, siue vt habeatur vindicta sola, & non ordinetur vlterius ad correctionem, videtur esse actus crudelitatis, & contra rationem rectam. Minor patet ex ratione superiori proxima.

3. Ratio. 64 Tertiò. Arist. 2. Rethoricorum cap. 12. asserit, quòd differt correctio à punitione strictè accepta in hoc, quòd correctio est gratia correcti, scilicet vt emendetur: punitio autem fit punientis gratia, scilicet vt satietur: tunc ex hoc sic arguitur. Secundum istorum, scilicet punitio, vt puniẽs satietur, videtur esse actus crudelitatis, & consequenter talis punitio videtur esse crudelitas, quæ est vitium: non est autem dicendum, quòd pœnitentia sit tale vitium; ergo relinquitur vt sit punitio, quæ sit causa correctionis: at iste actus est actus amicitiæ; ergo pœnitentia est virtus amicitiæ, quæ est pars iustitiæ in communi; quoniam amicitia est ad alterum ex Arist. 8. & 9. Ethicorum.

Allata opinio reijcitũ. 65 Cęterùm rationes istæ non cogunt, & propter rationes superiùs nunc adductas dicendum est, quòd pœnitentia est iustitia vindicatiua, siue punitiua, & confirmatur adhuc per reiectionem rationem illarum: destructo enim fundamento cõclusio, quæ in illo fundatur, corruat necesse est. Respondet ergo Scotus ad has rationes, & pro solutione illarum explicat adhuc magis quid sit vindicare. Inquit ergo quòd vindicare etiam, quando est actus ordinatus, & conformis rectæ rationi, non est actus amicitiæ ordinatus ad reconciliandum eum, in quem fit vindicta: nam vindicta ordinata (vindicta enim priuata, quæ ordinatur ad bonum priuatum, non est recta, nec conformis rectæ rationi) & conformis rectæ rationi propriè respicit correspondentiam pœnæ ad culpam secundùm legem, quòd posteà concomitetur correctio puniti, vel non concomitetur, hoc est accidentarium vindictæ: vndè quãdoque per vindictam exterminatur ille, qui punitur, & tamen vindicta est iusta. Quòd autem, quando per vindictam exterminatur punitus, nõ possit dici, quòd vindicta ordinetur ad correctionẽ puniti, patet: quia si ordinaretur ad correctionem puniti, non exterminaret illum, sed seruaret, vt correctus rectè agere posset. Ratio autem, propter quam vindicta etiam si exterminet punitum, neque ad ipsum concomitetur correctio, non est vitium crudelitatis, sed est actus ordinatus, est: quia finis eius proximus est legis conseruatio; & vlterior finis est bonum commune. Nam bonum commune est finis legis, non autem bonum priuatum ipsius Legislatoris: ideò vindicta est actus rationabilis propter hunc finem: & est magis rationabilis vindicta inquantùm ordinatur ad hunc finem, qui est bonum commune, quàm si ordinaretur ad bonum priuatũ personæ punitæ, scilicet ad correctionem illius particularis. Ex his patet quòd vindicare est actus iustitiæ punitiuę, quæ est specialis virtus, non autem amicitiæ: quia si esset actus amicitiæ, ordinaretur primò, & per se ad correctionem; & si correctio amici alio modo haberi posset, quàm per vindictam, illum modum eligeret, & dimitteret vindictam. Ad propositum ergo vindicare, qui est actus pœnitentiæ est actus laudabilis, & virtutis specialis, scilicet iustitiæ punitiuæ: quia proximè ordinatur ad seruandum legem latam à Deo: secundariò ad bonum commune; tandem vltimò ad ipsum Deum, vt suprà diximus.

66 Ex his ad rationes nunc suprà adductas. Ad primã respondet Scotus ad minorem, quòd peccatorem reconciliari cum Deo per pœnitere potest intelligi duobus modis. Vno modo quòd reconciliatio, & amicitiæ instauratio sit actus primarius, & proprius pœnitentiæ, & vindicationis peccati. Alio modo, quòd sit actus secundarius, & concomitans. Primo modo est falsum; quia vt dictum est, finis proximus uindictæ pœnitentiæ, est solutio pœnæ taxatæ secundùm legem propter transgressionem legis, vt punitus sit immunis à debito illam soluendi: & vlterior finis est obseruatio legis, & bonum commune, & tandem propter ipsum Deum statuentem talem legem. Quòd autem per talem vindictam, & punitionem quis reconcilietur Deo, & in eius amicitiam reducatur, est actus externus concomitans ex dispositione diuina: actus autem, qui est amicitiæ, habet pro scopo principali reconciliationẽ amici; ideò hic actus pœnitentiæ non est actus amicitiæ. Ad primã rationem.

67 Ad secundam respondetur per idem, ideo negatur minor. Ad probationem respondetur, quòd vindicare non est principaliter propter correctionem puniti, licèt quandoque illa correctio sequatur; sed finis eius per se est vt ordinetur culpa commissa per pęnam, & vt obseruetur lex punitiua in quam est trãsgressum, & ideò negatur maior. Ad probationem, quia vindicta illa sine correctione esset actus crudelitatis, iam dictum est hoc non sequi: quia finis vindictæ est alter finis nobilior, scilicet bonum commune; sed esset actus crudelitatis si ordinaretur ad alium finem, quàm ad bonum commune. Ad secundam.

68 Ad tertiam, ex primo Rethoricorum, conceditur quòd corrigens corrigit gratia correcti, scilicet vt emendetur, & quòd puniens, & vindicans non vindicat, nec punit gratia correctionis, & emendationis, sed gratia ipsius punientis; & per hoc differunt correctio, & punitio. Verũ cum infertur quòd si vindicat, gratia sui vindicat, vt satietur, quod est crudelitatis, nego consequentiam: quia finis proximus vindicationis, & punitionis ordinatæ (de hac enim loquimur) est obseruatio legis, & bonum commune; & in proposito finis vltimus est Deus ipse legislator: quia ipse Deus est finis ipsius legis, non autem finis huius vindicationis, quæ est ordinata, est, vt puniens satietur pœna inflicta punito; sed illud habet locum in vindicta priuata, & non inordinata. Ad tertiũ.

69 Quintò principaliter. Ex dictis sequitur actum pęnitendi non esse actum charitatis: nam de detestari hoc superius ostensum est. De vindicare verò patet, quia est Qđ pęnitere nõ sit actus charitatis.

actus

actus iustitiæ punitiuæ: non potest autem esse actus diuersarum virtutum disparatarum cuiusmodi sunt pęnitentia, & charitas: à Scoto autem probatur hac ratione à priori. Illæ sunt diuersæ virtutes, quæ habent diuersa obiecta, sed sic est quòd charitas, & pœnitentia habent diuersa obiecta, ergo. Maior est euidens. Minor probatur, quia charitas habet pro obiecto Deum sub ratione nobilissima, scilicet quatenus est summum bonum, vel quatenus Deus est. Pęnitętia vero, scilicet virtus vindicatiua, habet pro obiecto proprio malum vindicabile, seu reum, in quē est uindicādū: ista autem, vt patet, sunt obiecta omnino diuersa.

Quam habitudinem habeat pœnitentia ad charitatē, et è conuerso.

70 Sed tunc est dubium, quam habitudinem habeat pęnitentia ad charitatem, & charitas ad pęnitentiam. Respondet Scotus, quòd voluntas secundùm diuersos habitus potest uti se ipsa quasi circulariter, hoc modo. Ex dilectione Dei in se, qui est actus charitatis potest imperare sibi actum uoluntatis uindicatiuum peccati: è conuerso ex actu imperatiuo uindicandi peccatum, potest imperare actum dilectionis Dei in se, ad quem sequatur nolitio, uel displicentia de aliquo peccato commisso: & consequenter sequatur tristitia de illo peccato; adeò quòd charitas potest uti actu pœnitentiæ, & etiam actu uirtutis cuiuscunque existentis in intellectu, & uoluntate, & etiam pęnitentia potest uti actu charitatis, & cuiuscunque uirtutis existētis in intellectu, uel uoluntate, quæ possit esse principium considerationis, & nolitionis peccati, quod est obiectū de quo vult causare tristitiam: tamen charitas est simpliciter superior uirtus, quia illa habet pro obiecto Deum, & ultimum finem: at illa uirtus est superior simpliciter, & ei magis conuenit imperare, quæ habet obiectum nobilius, cui magis conuenit imperare, & uti alijs: Deus autem est obiectum maximè supremum, quod ad nullum aliud ordinatur, sed omnia ordinantur ad illud; ergo charitati magis competit imperare, & uti alijs, quàm è conuerso, sicut semper in actibus, & potestatibus ordinatis habens finem superiorem regulariter utitur inferioribus, non è conuerso, ex quo elicit Scotus, quòd pœnitentia non solùm non est uirtus Theologica, sed nec uirtus simpliciter nobilissima inter uirtutes, quæ sunt circa obiectum creatum.

Quòd pœnitentia nō sit detestatio peccati pp Deū intrinsecè, sed solùm extrinsecè.

71 Ex his patet confirmatio rationis nostræ principalis contra aduersarios, quòd cum uoluntas detestatur peccatum, quatenùs est offensa Dei, ille non est actus simplex uirtutis pęnitentiæ, sed est aggregatus ex actu charitatis, & pęnitentiæ, ut est iustitia in communi: nam actus ille detestādi peccatum imperatur ex dilectione Dei: quia enim peccatum est contra Deum dilectum, ideò uoluntas imperat ut detestetur illud; & cum similiter uolūtas detestatur peccatum, quia est offensa Dei, pęnitentia imperat actum charitatis: imperat enim detestationem peccati, vt diligat Deum, & placeat illi, ac eius amorem acquirat: hoc autem multò magis est verum de vindicare, vt cum voluntas ex charitate imperat voluntati vindicationē de peccato, & è conuerso; patet enim, quòd hic sunt duo actus duarum diuersarum virtutum, quorum vnus est imperans, alter est imperatus: actus charitatis est imperans: actus vindicationis est imperatus: ideò stando præcisè intra actus pęnitentiæ, vt est specialis virtus, non includitur relatio ad Deum, sed solum ex vsu, & relatione ad charitatem, quæ est alia virtus distincta.

Pęnitentia non est religio.

72 Sextò, & vltimò patet, quòd pęnitentia nō est virtus specialis, quæ est religio contra Caietanum, quòd adhuc vnica ratione confirmatur. Virtutes distinguuntur per obiecta formalia: virtutes enim sunt habitus, & habitus distinguuntur per obiecta; sed sic est, quòd religio habet pro obiecto Deum in quantum est principium primū creationis, & gubernationis rerum, ratione cuius nosmetipsos illi subijcimus, & submittimus: virtus verò pęnitentiæ habet pro obiecto peccatum, vt vindicabile, & punibile; ergo habent diuersa obiecta, & consequenter sunt diuersæ virtutes speciales, licèt ambæ sub iustitia in communi contineantur. Prima pars maioris est communiter concessa præsertim à D. Thoma 2.2. quæst. 81. art. 3. & à Scoto in 3. dist. 9. q. 1. art. primo, vt nos cap. 1. disp. super illam quæst. diximus, quod adhùc magis patebit ex responsione ad rationes Caietani.

Rationes aduersariorum soluuntur.
Caput Quartum.

Ad primā obiectionē contra quatuor modos pœnitē di.

73 NVnc obiectiones aduersariorum superiùs allatæ sunt soluendæ, ex quo magis Scoti asserta confirmabuntur. Ad primam ergo obiectionem ex Soto, & Suarez, contra illos quatuor modos penitendi assignatos à Scoto respondetur, quòd illi quatuor modi optima methodo assignati sunt: nam assignati sunt pęnes modum volendi pęnam: nam vt ibi visum est, pœna potest esse voluntaria tantùm illis quatuor modis, vt patet ex dictis suprà, explicando primam quæstionem Scoti art. 3. vndè cum pœnitentia sit punitio voluntaria, per quam dimittitur culpa, patet esse maximè necessarium cognoscere quot modis possit pęna esse voluntaria, & sic patet ad primam partem obiectionis. Ad secundam partem patet per idē: quia ista multiplicatio actuum non parit confusionem, sed maximam dilucidationem, & nedum docti, sed ineruditus quicunque optimè illorum discrimen pertingere potest, & memoriæ mandare, quia exempla sunt clara ex continuo vsu.

Ad secundam.

74 Ad secundam rationem ex dictis est euidens detestationem peccati, & acceptationem pęnæ gratanter non esse actum proprium virtutis specialis pęnitentiæ, sed pertinere ad diuersas virtutes: solùm autem vindicare esse actum primarium, & proprium virtutis specialis pœnitentiæ. Ad probationem respondeo dupliciter. Primò, quia illa probatio supponit, quòd vindicare sit idem, quod satisfactio pro pęna, quod est falsum: ostensum est enim, quòd est satisfactio pro culpa, & illius destructio, & quòd est essentialiter ipsa penitentia, quod non est opus repetere. Secundò dico, quòd cum Scotus ait vindicare esse supremum, & primarium actum pęnitentiæ, non intelligit via originis, quia vnus non originatur ab altero, & vnus potest esse sine altero scilicet detestatio peccati absque vindicare, licèt vindicare non possit esse sine detestatione, quia vindicare includit nolle peccasse, quod est detestatio peccati; sed intelligit via perfectionis, quia est perfectus, & proprius actus pęnitentiæ virtutis: argumentum autem currit via originis, at de via, & de ordine originis agit Scotus art. 2. illius secundæ quæstionis, & nos sequenti disputatione de illo agemus.

Ad tertiū.

75 Ad tertiam, iam declaratum est, quomodo illi duo actus vindicare peccatum, & detestari peccatum distinguantur: distinguuntur enim ex propria ratione formali, quia vnus est magis voluntarius, quàm alter scilicet vindicare, quàm detestari. Differunt etiam per suas rationes formales, & conditiones, quas suprà sæpius explicauimus, & consequenter vnus potest esse sine alio, & præsertim patet posse esse detestationem absque vindicatione: potest enim contingere, vt alicui displiceat peccatum, & propter hoc doleat, & tristetur de illo, nec tamen imperet tristitiam, vt obiectum, quod est vindicare. Quòd autem vnus istorum actuum sine altero sufficiat, patet, & amplius manifestabitur, art. 2. huius quæst. & nos manifestabimus disputatione sequenti cap. primo.

Ad quartā.

76 Ad quartam respondetur concedendo, quòd penitentia est ablatio culpæ, & quòd actus penitentiæ destruit culpam; sed nego, quòd vindicare, siuè infligere pęnam debitam culpæ non sit auferre culpam. Dictum est enim, quòd inflictio voluntaria pęnæ debitæ pro culpa transgressionis legis ordinat ita culpam, quòd illam destruit, ad differentiam pęnæ inuoluntariæ inflictæ, quæ & si ordinet culpam, tamen ipsam non tollit. Iustitia autem hæc punitiua, quæ est pęnitētia virtus, cum exerceatur à ministro in se ipsum, & sit voluntaria, tollit culpam, & offensam derelictam ab actuali culpa, & peccato commisso, ut medium ordinarium. Argumentum autem procedit ac si vin-

si uindicare esset idem, quod satisfacere pro pęna peccati, quod est absurdum, quia illa satisfactio est pro pęna temporali peccati, non pro æterna, de qua suo loco infrà agemus.

Ad secundũ principale, ꝙ detestatio peccati sit specialis virtus.

77 Ad secundum principale concedo primum sillogismum, qui probat, quòd pœnitentia est specialis virtus, vt suprà ostensum est; habet enim specialem rationem formalem obiectiuum. Sed ad probationem minoris nego maiorem, scilicet quòd pęnitentia, quæ est specialis virtus, respiciat pro obiecto peccatum in communi, vt est offensiuum Dei, & sub ratione emendabilis propter amicitiam Dei: dictum est enim suprà, quòd ista relatio in peccato, quatenus est offensa Dei, & quatenus est emendabile propter amicitiã Dei, vel est actus charitatis, quæ est specialis virtus: quia detestatio est actus cuiuscumque virtutis, & sic cum istis circunstantijs est actus charitatis; vel si est actus pęnitentiæ virtutis, illa relatio, quatenus est offensa Dei, non inest intrinsecè actui pęnitentiæ, sed inest extrinsecè, scilicet quatenus subordinatur charitati, à qua imperatur: nam verum est quidem, quòd peccatum cõmissum est obiectum virtutis pęnitentiæ; sed ratio formalis eius est quatenus est punibile propter obseruationẽ legis; hic enim est proximus finis eius. Ad probationem ex illis auctoritatibus respondetur, quòd in Sacra scriptura attribuitur pęnitentiæ conuersio ad Deum, quia ad fructuosam pęnitentiam concomitatur actus charitatis præcedens, vel subsequens: nam actus pęnitẽtiæ, vt art. 2. huius quæstionis patebit, vel pręcedit vt imperans, vel subsequitur vt finis vltimus ipsius actus pęnitentiæ: in præsenti autem loquimur de virtute pęnitentiæ vt est specialis, & distincta virtus ab alijs: & hoc idem videtur confessus esse ipse Suarez ex euidentia rei conuictus, dum ait proprium, & adæquatum obiectum formale huius virtutis pœnitentiæ esse ius diuinum, seruandum ex peculiari debito iustitię.

Ad secundam.

78 Ad secundam rationem, falsum est velle pęnitere pertinere ad aliquam vnam virtutem: nam diximus pęnitere quatuor modis accipi, & vnumquodque illorum sufficere; illa tamen ad diuersas virtutis pertinent: tamen si concluderet, non esset contra nos: quia iam sustinemus pęnitentiam esse specialem virtutem.

Ad tertiũ.

79 Ad tertium respondetur argumentum concludere, pęnitentiam esse virtutem particularem, reddentẽ ius suum Deo, quod concedimus; sed dicimus, quòd reddit ius suum Deo puniendo peccatum, quatenus est trãsgressio legis diuinæ: tunc enim redditur ius suum legislatori ablatum per transgressionem legis, quando peccatum, & culpa punitur propter conseruationem legis: hæc autem est iustitia vindicatiua, & punitiua, quæ est pœnitentia. Quòd autem peccatum auferat à Deo rationem finis vltimi, & illud ponat in creatura, & quòd pœnitentia restituat hunc vltimum finem Deo puniendo peccatum, non competit peccato, nisi vt opponitur virtuti charitatis: nec ordinatio ipsius sub hac ratione competit pœnitentiæ, vt pęnitentia est, primariò, & per se; sed quatenùs est imperata à charitate, vel ordinatur ad charitatem, vt dictum est superiori capite.

80 Ad confirmationem respondetur, ꝙ peccatum vltimatè est iniuria Dei, & ratione charitatis, cui vltimatè opponitur, dicitur offensa Dei, & iniuria ipsius à Sacra scriptura; proximè autem est transgressio legis: & ideò per illam virtutem specialem habet corrigi, quæ est punitiua peccati propter conseruationem legis: secundariò autem & consequenter boni communis, & denique honoris ipsius Dei.

Ad quartũ.

81 Ad quartum respondetur, argumentum illud probare intentum nostrum, scilicet quòd detestatio peccati non est actus vnius specialis virtutis, sed conuenire potest pluribus, quod optimè probat argumentum: & ratio Scoti, quam Suarez in confirmationem sui argumenti adducit: nam cũ dicit Scotus, quòd detestatio peccati est actus virtutis in communi, non vult dicere, quòd detestatio debeat exerceri ab aliqua virtute cõmuni, non à particulari, vt videtur supponere Suarez; sed vult dicere, ꝙ ille actus detestandi peccatum non est actus præcisè vnius virtutis particularis, ita quòd ab alijs nõ possit exerceri, & hoc est verũ: quia videmus, quòd vnaqueque ferè virtus particularis ex motiuo suo particulari potest detestari peccatum: vndè charitas exercet actum detestandi peccatum, quatenùs est contra eius obiectum, scilicet quatenus est offensa Dei, sic spes, & aliæ virtutes. Cum verò vltimò dicit, quòd etiam pęnitentia potest detestari peccatum, quatenus est iniuria Dei, & quòd vt sic detestando resarcit amicitiam Dei. Respondeo, quòd hæc non est ratio formalis obiecti pęnitentiæ, quæ est virtus specialis, sed est relatio extrinseca actui pęnitentiæ competens, quatenus pęnitentia est imperata à charitate, vel ad illam vltimatè refertur. Et illud fundamentum principale aduersariorum, quòd ratio formalis, & finis pęnitentiæ sit destructio peccati, quatenus est iniuria Dei, & vt resarciat amicitiam Dei, iam dictum, atque ostensum est esse falsum.

82 Ad aliud respondetur, quòd Sancti Patres, & Concilium appellant pęnitentiam quidem detestationem peccati, & etiam hoc nos fatemur, & superiùs ostendimus, quòd pęnitentia est pęnæ tenentia voluntaria, & quia detestatio peccati est actus tenendi pęnam, scilicet tristitiã, & dolorem, ideò detestatio dicitur, & est pęnitentia: tamen Sancti Patres, & Concilium non voluerunt decernere, quòd actus iste detestandi peccatum, sit actus determinatus vnius specialis virtutis, quæ sit pęnitẽtia; sed hæc est disputatio Scholastica, de qua parum est curæ ipsis Patribus, & Concilio, dummodo enim asseramus pęnitentiam esse voluntariam tenentiam pœnæ, & doloris de peccato, siuè hic actus sit vnius virtutis determinatè, siuè diuersarum, nihil refert. Et propter hoc Scotus apertè superiori quæst. art. 3. & hac quæst. 2. art. 2. dicit, quòd pęnitere, quod requiritur ad deletionem peccati mortalis, non est necesse, vt sit vnius determinatæ virtutis; sed potest esse vel virtutis pœnitentiæ, quæ est specialis virtus, vel patientiæ, vel aliarum virtutum appetitiuarum.

83 Ad aliud respondetur, quòd illud concludit detestationem esse pęnitentiam, quod concedimus, sed non cõcludit, quòd detestatio sit virtus specialis. Præterea dicimus, quòd vindicare peccatum nobiliori modo parit tristitiam, quia illum imperat, vt suprà diximus.

Per hoc idem patet ad ea, quæ dicuntur contra alium actum de gratanter acceptare.

Ad tertium principale.

84 Ad tertiũ principale respondetur, falsum esse actũ primarium pœnitentiæ, quæ est specialis virtus, esse detestationem peccati: verũ est quidem, quòd detestatio peccati est actus virtutis appetitiuæ in communi: at negatur esse actum iustitiæ particularis, quæ est specialis virtus. Dicimus autem vindicare esse actum proprium, & solum virtutis pęnitentiæ, quæ est specialis virtus. Ad probationem negatur maior. Supponit enim illa, quòd ad pęnitentiam, quæ est virtus specialis pertineat primò detestatio peccati, deindè vindicatio: falsum est autem, quòd detestatio peccati sit actus proprius virtutis pęnitentiæ, vt dictum est. Ad probationem ex auctoritate D. Aug. dico, quòd illa auctoritas facit pro nobis: nam illa auctoritas non dicit, quòd pœnitentia sit detestatio peccati, sed ait, quòd est vindicta puniens in se, quod dolet commisisse: actus autem iste est actus vindictæ, & punitionis: & quod ait dolorem, idest detestationem etiam pertinere ad pęnitentiam, pro intelligentia est notandum, quòd detestatio, siuè displicentia de peccato etiam includitur in actu vindicationis: nam vindicatio infligit pœnam reo propter peccatum commissum, quod sibi displicet, & detestatur; sed detestatio hæc non pertinet in recto, & vt actus primarius ad pęnitentiam, sed virtualiter, & vt conditio integrans actum vindicationis. Per hoc patet, quòd prima confirmatio nullius momenti est, quia non procedit contra nos.

85 Ad secundam confirmationem respondetur, quòd

Con-

Concilium non assignat ibi actum pœnitentiæ, quæ est specialis virtus; sed assignat actum pęnitentiæ, quæ est virtus in communi, siuè actus cuiuscunque virtutis: in eo autem loco actus ille est actus virtutis charitatis; detestatio enim peccati propter amorem Dei, non est actus pœnitētiæ, quæ est virtus particularis; sed est actus charitatis, vt suprà sæpius dictum est. Quòd autem detestatio, & odiū peccati, de quo ibi loquitur Concilium, sit actus charitatis, patet ex verbis eiusdem Concilij; habet enim sic. *Fidentesque Deum sibi propter Christum propitium fore, illumque tanquàm omnis iustitiæ fontem diligere incipiunt, ac proptereà mouentur aduersùs peccata per odium aliquod, & detestationem*, &c. Detestatio ergo, & odium peccati, de quo ibi loquitur Concilium, est actus charitatis: quia ex motiuo charitatis, & dilectionis Dei oritur.

Ad quartū principale.

86 Ad quartum principale capite præcedenti ostensum est, quòd pœnitentia non est virtus amicitiæ, ideò nō oportet ea repetere. Ad primam rationem negatur quòd finis, & scopus primarius, & proprius pœnitentiæ sit reconciliare, vt ibi dictum est. Ad probationem responsum est ibi.

Ad quintū principale.

87 Ad quintum principale, iam pręcedenti capite explicatum est, quòd detestatio peccati potest esse actus diuersarum virtutum particularium: quia talis actus non reducitur ad aliquam virtutem specialem, & ideò concedimus, quòd detestatio peccati, quia est offensa Dei est actus charitatis: at pœnitentia, quæ est virtus particularis, est iustitia punitiua, & vindicatiua propter obseruationem legis; & hæc est pœnitentia, quæ est particularis virtus.

88 Ad argumentum ex Suarez, suprà suo loco responsum est, & per idem ad argumentum Caietani; concludit enim, quòd detestatio peccati, quia est offensa Dei diligēdi à nobis, est actus charitatis, quòd concedimus: at hoc non concludit, quòd non detur virtus particularis pœnitentiæ, distincta à charitate, & ab alijs virtutibus, quæ habeat proprium actum sibi peculiarem: hæc enim est virtus vindicatiua, & punitiua, vt dictum est.

89 Ad illud verò ex Scoto, quòd pœnitentia sit virtus superior ad charitatem patet responsio ex dictis cap. pręcedenti: nam ibidem Scotus statuit, pœnitentiam esse ignobiliorem charitate, & ideò simpliciter charitatem imperare pœnitentiæ, sicut cœteris virtutibus; sed tamen pęnitentiam posse vti charitate quoque, quia voluntas potest vti se ipsa quasi circulariter: nam ex actu charitatis potest imperare pœnitentiam, & ex actu pœnitentiæ potest imperare charitatem.

Ad sextum principale.

90 Ad sextum principale, patet, falsum esse pœnitentiam non esse virtutem particularem distinctam à religione, charitate, & alijs virtutibus particularibus, est enim iustitia vindicatiua. Ad primam rationem negamus minorem. Ad probationem negatur. Ad pœnitentiam, quæ est virtus specialis, pertinere actus illos displicentiam peccati, vt est offensa Dei, confessionem peccati, & submissionem sui ad Deum offensum. Nam suprà diximus actū primum, esse actum charitatis, secundum verò, & tertium fatemur esse actus religionis ex dictis à nobis 3. sent. dist. 9. cap. 1. disp. 1. super illam distinctionem; sed actus proprius pęnitentiæ, non communiter, sed propriè, & in particulari, vt est particularis virtus, est vindicare peccatum commissum propter obseruationem legis, vt toties dictum est: ideò quādo illi actus tribuuntur pęnitentiæ, non tribuuntur illi, quæ est virtus particularis, sed pęnitentiæ, vt est virtus iustitiæ communis; vel vt habet relationem ad charitatem, & ad alias virtutes, ex quibus, vel ad quas voluntas actum pęnitentiæ ordinat.

91 Ad confirmationem, patebit capite sequenti, quòd pęnitentia est virtus acquisita, non infusa, in responsione ad vltimum argumentum principale Scoti.

Argumenta principalia Scoti in contrarium, & quædam alia soluuntur, & declaratur, An pœnitentia fuerit in statu innocentiæ. Caput Quintum.

92 Contra asserta in pręcedentibus faciunt argumenta principalia Scoti quæstionis 2. illius distinctionis 14. ideò ea, cum quibusdam alijs sunt adducenda, & soluēda; & eo pręsertim, quia tangunt quasdam pulchras difficultates. Argumenta autem omnia Scoti probant, quòd pœnitentia non sit virtus, & consequenter, quòd actus pęnitentiæ non sit actus virtutis.

93 Primum argumētum ergo Scoti est istud. Ex Arist. 2. Ethicorum cap. 5. passionibus non laudamur, neque vituperamur, actibus verò virtutis laudamur: at pœnitere est passio quædam; ergo actus pœnitentiæ, non est actus virtutis; nec pęnitentia est virtus. Omnia assumpta in hac ratione ex dictis suprà patent.

Primū argumētum principale Scoti.

94 Secunda ratio. Actus virtutis est voluntarius, sed actus pœnitentiæ est inuoluntarius; ergo actus pęnitentiæ non est actus virtutis. Maior probatur auctoritate Arist. 2. Ethicorum capite 6. vbi diffiniens virtutem, ait, quòd virtutis habitus est electiuus, in mediocritate consistens, quæ est ad nos determinata ratione, & vt diffinierit ipse prudens, quod est, ac si dicat virtus est habitus electiuus in mediocritate consistens, quò ad nos secundùm rectam rationem, & prudentiam: patet autem, quòd prima differentia huius diffinitionis est quod sit electiuus: electio autem pertinet ad voluntatem; ergo virtus est habitus inclinans ad actus voluntarios, non ad actus naturales, vel inuoluntarios: & per hoc distinguitur ab actibus, non electiuis, vt sunt habitus intellectus scientiæ, & artis. Virtus enim regulat actus, qui possunt esse boni, & mali: isti autē necessariò sunt actus liberi, & voluntarij. Minor verò probatur, quia actus pęnitentiæ est inflictio pœnæ, & tristitiæ: at pœna, & tristitia est inuoluntaria; ergo actus pęnitentiæ est inuoluntarius.

Secūdū argumētum principale Scoti.

Tertiò. Virtutes, quæ fuissent in statu innocentiæ, remanebunt in patria, sed nec in innocentia, nec in patria potest esse pęnitentia; ergo pœnitentia non est uirtus. Maior probatur, quia natura fuisset perfecta in statu innocentię, & remanebit perfecta in patria: at virtutes sunt perfectiones pertinentes ad naturam; ergo. Minor quoque est euidens, quia ibi est pœnitentia, vbi est peccatum: at nec in innocentia, nec in patria fuit, nec erit peccatum; ergo nec in patria erit, nec in innocentia fuisset pœnitentia.

Tertiū argumētum principale.

95 Quartò. Si pœnitere esset actus virtutis alicuius, esset actus voluntatis, sed hoc est falsum; ergo. Maior est euidens, quia omnes actus virtutum pertinent ad voluntatem, vt patet inductiuè discurrendo per eas, & ratio est; quia debent esse voluntarij, vt suprà dictum est, alioquin non essent laudabiles. Minor probatur, quia actus voluntatis sunt tantùm duo, scilicet velle, & nolle: at pœnitere non est velle: quia habet pro obiecto peccatum; si autem eius actus esset velle, pœnitere esset velle peccatum, quòd est absurdum: neque est nolle, quia si esset aliquod nolle, est nolle peccasse: at pœnitere non potest esse nolle peccasse: quia non peccasse est impossibile; voluntas autem non est impossibilium; ergo voluntas non potest nolle peccare, quia nollet impossibile, scilicet illud non esse factum, quod tamen est factum, quod nec à Deo fieri potest, iuxta illud Agathonis apud Arist. 6. Ethicorū. cap. 2. *Hoc solo priuatur Deus, infecta facere, quæ facta sunt.*

Quartū argumētum principale.

96 Quintò. Si pęnitere est actus virtutis, vel est actus virtutis infusæ, vel acquisitæ, non secundo modo, quia virtus acquisita potest manere cum peccato mortali: at pœnitentia nequaquam, quia illud destruit: nec infusæ; patet per inductionem, quia virtutes infusæ sunt tantùm tres, scilicet fides, spes, charitas.

Quintū argumētum principale.

97 Sextò. Arguit Caietanus 3. p. q. 85. art. 2. quòd pœnitentia non sit specialis virtus duabus rationibus, quarum prima est. Nulla virtus exigit habentem ipsam priùs sub

Sexta ratio ex Caiet.

sub contrario ipsius virtutis esse; sed sic est, quòd pœnitentia præexigit pœnitentem fuisse sub peccato, quod est contrarium ipsi penitentiæ; ergo pœnitentia non est specialis virtus. Maior est euidens: tum quia semina virtutum nobis insita sunt à natura, vt illas auxilio diuino acquirere possimus absque peccato; maximum enim absurdum est dicere, quòd sit necesse peccare, ad hoc, vt habeamus virtutes in actu: tum quia in Christo fuerunt omnes virtutes, & tamen in Christo non fuit pœnitentia. Minor quoque est euidens, quia certum est nos non posse penitere nisi priùs peccauerimus: quia pœnitentia est detestatio peccati commissi, vt patet.

7. Ratio. 98 Septimò est altera ratio Caietani ibidem ad idem, quæ desumetur ex parte obiecti: nam obiectum istud penitentiæ est offensa, vt recompensabilis per proprium actum: istud autem obiectum non requirit propriam aliquam virtutem, quia potest illa offensa deleri per displicentiam offensæ factæ, & submissionem offendentis ad offensum; hoc enim modo offensa dimittitur apud homines, iuxta illud, *Parcere subiectis, & debelare superbos*. Illi autem actus non sunt actus virtutis particularis distinctæ ab alijs; sed vel sunt actus charitatis, vel religionis: ideò non est opus statuere pœnitentiam esse virtutem specialem.

Ad primũ argumentum principale Scoti. 99 Ad obiectiones deductas ex Scoto, ipsemet Scotus respondet. Ad primam, quòd minor potest duobus modis intelligi: nam cum dicitur penitere est passio, ibi penitere potest vno modo accipi pro tristitia inflicta, & hoc pacto conceditur, quòd penitere est passio, quia tristitia, quæ est effectus remotus vindicationis, est passio. Alio modo potest accipi penitere prout est actus imperans tristitiam ipsam, & hoc modo non est passio, sed est actus liber, & electiuus, & est laudabilis. Vel dicamus, quòd tristitia, propter quam penitere est passio, duobus modis potest accipi. Vno modo pro tristitia absolutè, & hanc concedo esse passionem, neque propter ipsam laudari, vel vituperari aliquem. Alio modo potest considerari quatenùs est effectus virtutis pœnitentiæ, quæ est vindicatio de peccato per actum imperandi causis producentibus tristitiam, vt ipsam actu producant in punitionem peccati, & hoc modo est laudabilis, quia nõ habet rationem passionis naturalis, sed rationem effectus actus liberi, & laudabilis voluntatis, qui est imperare.

Ad secundam. 100 Ad secundam datur duplex responsio à Scoto. Prima, tristitiam esse voluntariam potest intelligi duobus modis: vno modo quò ad affectionem commodi: alio modo quò ad affectionem iustitiæ. Si primo modo consideretur, dicitur, quòd tristitia, & pœna est inuoluntaria. Alio modo, quò ad affectionem iustitiæ, & hoc modo dicimus, quòd pœna, & tristitia potest esse voluntaria, vt suprà ex Scoto declarauimus. Secunda responsio est, pœnitentia potest duobus modis considerari: vno modo quò ad penam, quam infligit, quæ est tristitia: alio modo quò ad actum elicitum à voluntate, quo imperat tristitiam, & penam infligi: primo modo est inuolũtaria: secundo modo est voluntaria, nec inuoluntarium primo modo facit, quòd non sit voluntaria secundo modo.

Ad tertiã. 101 Ad tertiam adducit Scotus duas respõsiones. Prima est, quòd non est par ratio de statu innocentiæ, & patriæ, & de statu naturæ corruptæ: nam primò possumus dicere secundùm aliquos, quòd in statu innocentiæ non erat opus virtutibus; nam virtutes ponuntur in nobis ad supplendum defectus naturales; at in statu illo, natura fuisset perfecta, neque facere bonum tunc fuisset difficile, quia virtutes sensitiuæ fuissent subditæ rationi; nec fuisset pugna inter rectam rationẽ, & virtutes sensitiuas. Virtus autem versatur circa bonum difficile: & hac eadem ratione secundùm istos non ponuntur in Angelis virtutes morales, de qua re non nihil dicit Scotus in 3. distinct. 33. §. *Ad quæstionem potest dici*, & sequentibus: vndè cum virtutes morales, quæ versantur circa obiectum bonum, non ponantur in illo statu, multo minùs debent poni in illo virtutes habentes malum pro obiecto, vt sunt penitentia, & patientia, quia in statu illo non fuisset peccatum, nec fortè, inquit Scotus, fuisset malum penæ, quòd est obiectum patientiæ. Idem est dicendum de patria, in ea enim nullum horum malorum erit.

(An in statu innocentiæ fuissent virtutes. An in angelis sint virtutes morales.)

2. Responsio. 102 Secunda responsio est nos posse concedere in statu innocentiæ fuisse, & in patria manere omnes virtutes, & etiam istas, quæ habent pro obiecto malum; sed fuisse, & manere, non secundùm actum, sed secũdùm habitum, quæ etiam est responsio D. Thomæ par. 1. q. 95. art. 3. vbi tenet id de virtutibus, quæ includunt aliquam imperfectionem; & sic penitentia quò ad habitum fuit in statu innocentiæ, & erit in patria; licèt Soto dicat oppositum, vt patebit infrà ad sextam. Ratio est, quia innocens, & beatus, inquit Scotus, possunt habere habitum promptè vindicandi peccatum in alium reum; neque hoc est mirum, cum in Deo manet iustitia vindicatiua, licèt non in se ipsum; quia ipse non potest esse reus. Sicut ergo in innocente, & beato potest esse habitus vindicandi in alium reum, ita potest manere habitus vindicandi in se ipso peccatum, si ipse esset reus peccati; penitentia autem, secundùm quod est virtus, est habitus vindicandi peccatum in reo: illa autem conditio in se, vel in alio est conditio accidentalis, quæ non variat rationem formalem habitus, & ita patet ad formam argumenti: possumus enim maiorem negare, & ad probationem dicere, quòd virtutes sunt perfectiones naturæ corruptæ, & imperfectæ, non naturæ integræ: vel possumus concedere maiorem, & negare minorem, & ad probationem dicere, quòd in innocentia, neque in patria fuerunt, nec erant virtutes quò ad actus, sed solum quò ad habitus, vt explicatum est.

Ad quartã. 103 Ad quartam non respondet Scotus, sed supponit respõsionem patere ex dictis suprà, quomodo pena possit esse voluntaria, ideo neganda est minor. Ad probationem respondetur, quòd possumus primò dicere ex Scoto in 2. Sent. dist. 6. quæst. 1. quòd duplex est velle, efficax, & inefficax; voluntas vult non peccasse voluntate inefficaci, non efficaci; & hæc volitio sufficit ad penitentiam, & ad delendum peccatum, sicut volitio inefficax sufficit ad peccatum. Secundò possumus dicere, quòd in penitere includitur velle, & nolle; sed velle respicit, & terminatur ad tristitiam in recto, & est actus imperans voluntatis, quo voluntas vt causa totalis, & vt causa prima remota tunc imperat causis secundis proximè producentibus tristitiam, vt ipsam tristitiam producant, applicando eos ad hunc effectum, vt suprà dictum est quæst. 1. art. 3. includit etiam nolle; & istud tendit, & terminatur ad peccatum commissum, quod nollet commisisse nolitione inefficaci, & sic patet, quomodo penitere est actus voluntatis: vndè suprà art. illo 3. abundè declarauimus, quomodo in illis quatuor modis penitentiæ, vindicatione, detestatione, gratanter acceptatione, & patienter sustinere sit voluntarium respectu tristitiæ, & sit nolitio respectu peccati.

Ad quintã. 104 Ad quintam respondetur disputatione propria infrà, in qua disputatur, Vtrum penitentia sit virtus infusa, vel acquisita, ideò hic supersedeo.

Ad sextam quæ est Caietani. 105 Ad sextam rationem, quæ est Caietani, respondetur breuiter, quòd penitentia ex dictis nunc suprà potest duobus modis considerari: vno modo quò ad habitum: alio modo quò ad vsum, & actum. Si penitentia consideretur quò ad habitum non est necesse, quòd præsupponat, & præexigat peccatum in actu, in habente talem virtutem; sed sufficit, quòd præsupponat in potentia: vndè diximus hanc virtutem penitentiæ potuisse esse in statu innocentiæ, in quo tamen nullum erat peccatum: nõ est autem inconueniẽs, quòd detur virtus, cuius munus sit depellere malum si adesset, licèt non reducatur ad actum, quia peccatum non adest: sicut enim medicamenta, quæ apta sunt morbos depellere, qui tamen actu non sunt, ita sunt medicamenta, sicut illa quæ conseruant sanitatem: ita illa virtus sic esset virtus, quæ esset apta tollere peccatum, quod est malum animæ, sicut ille virtutes, quæ con-

seruant animæ bona; & per hoc ad rationem negatur maior. Ad probationem primam patet, quòd in nobis sunt semina acquirendi habitum pœnitentiæ absque peccato, licèt vsum illius non possimus habere, nec natus sit haberi, nisi posito peccato: aliud est autem loqui de virtute, aliud loqui de vsu, & actu virtutis.

Soto negat patientiam fuisse in statu innocentiæ.

Soto autem dist. 14. quæst. 1. art. 2. in responsione ad hoc argumentum negat patientiam fuisse in statu innocentiæ, qua in re satis miror: contradicit enim apertè D. Thomæ p.p. quæst. 95. art. 3. vbi apertè dicit, quòd patientia, & similes virtutes, quæ important imperfectionem repugnantem illi statui, vt est quoque misericordia, ibi fuissent quò ad habitum, licèt non quò ad actum, & per hoc soluitur ratio Caietani, propter quam Soto negauit in statu innocentiæ fuisse pacientiam, scilicet quia ibi non fuisset peccatum: hæc enim ratio concludit in eo statu non fuisse pœnitentiam, quò ad actum: non sequitur tamen ibi non fuisse, quò ad habitum, vt dictum est.

Ad secundam probationem.

106 Ad secundam probationem verò videtur posse concedi, quòd in Christo quoque fuerit pœnitentia quò ad habitum, non quò ad actum: quia conceditur hæc virtus quòad habitum manere in Beatis; tamen est dicendum hanc virtutem, neque quò ad actum, neque quò ad habitum fuisse in Christo: quia Christus nedum non habuit peccatum actu, sed etiam stante vnione beatifica, & de lege ordinaria erat impossibile, quòd peccaret: ideò frustrà poneretur in ipso virtus: quoniam exire in actum esset impossibile, & diceret repugnantiam: alij beati verò sunt alterius conditionis à Christo, quia etsi in patria peccatum non possint habere stante illo statu: tamen non est ità impossibile in illis, sicut in Christo: quia ibi non habent verbum vnitum hyppostaticè, sicut humanitas Christi. Est ergo dicendum ad argumentum Caietani, quòd in Christo fuerunt omnes virtutes, quæ non includunt aliquam imperfectionem: non autem illæ, quæ includunt imperfectionem: vndè neque habuit fidem, nec spem; & sic, neque etiam habuit pœnitentiam.

In Christo nō facit pœnitentiam.

Ad septimam.

107 Ad septimam respondetur, verum esse, peccatum posse dimitti per alias virtutes, quàm per pœnitentiam, scilicet per detestationem peccati factam ex motiuo, & fine aliarum virtutum, & præsertim charitatis, vt suprà diximus: quia detestatio peccati est actus iustitiæ generalis, quæ est virtus in communi, non virtus specialis, sed reducitur ad alias virtutes speciales; non tamen sequitur, quin detur vna virtus specialis, quæ est pœnitentia: hæc enim est iustitia punitiua, siuè vindicatiua, cuius actus est imperare causis proximis tristitiæ, vt illam producant in se ipso, in punitionem peccati commissi, propter obseruationem legis diuinæ.

DISPVTATIO XIII.

Vtrùm actus pœnitentiæ, qui requiritur ad delendum peccatum mortale debeat esse genitus à virtute, & formatus gratia.

Explicatur opinio Scoti, quam habet secundo articulo eiusdem quæstionis secundæ. Caput Primum.

1 IN eadem quæstione 2. dist. 14. art. 2. Scotus agit de conditionibus actus pœnitentiæ, qui requiritur ad delendum peccatum mortale, & in hoc explicando multa pulcra docet, de quibus posteà est contentio cum alijs Theologis: ideò, vt ordinatè hæc omnia intelligantur, priùs explicabo opinionem Scoti, deindè obiectiones, & opiniones aduersariorum adducam, & reijciam.

Tria facit Scotus.

2 Tria ergo facit Scotus in illo secundo articulo. Primò ostendit, quòd pœnitere, quod requiritur ad delendum peccatum mortale, non est necessariò actus elicitus vnius determinatæ virtutis, vt putà pœnitentiæ, quæ est virtus particularis, & est iustitia punitiua, vt diximus. Secundò ostendit, quòd neque est necesse, quòd sit actus proueniens ab aliqua virtute iam genita. Et tertiò declarat quomodo actus pœnitentiæ, quo deletur peccatũ mortale, se habeat ad gratiam.

3 Quantùm ad primũ breuiter rem absoluit, & propositum sic probat. Ex dictis suprà præsertim quæst. prima huius distinctionis sunt quatuor modi volendi pœnã, siuè sunt quatuor modi pœnitendi, quorum vnusquisque sufficit ad delendum peccatum: at isti non sunt actus eiusdem virtutis, sed diuersarum; ergo actus pœnitẽtiæ requisitus ad delendum peccatum mortale, non est actus vnius determinatæ virtutis. Minor propositio est euidens ex dictis superiori disputatione, in qua ostendimus, quòd vindicare peccatum, qui est primus actus pertinet ad specialem virtutem pœnitentiæ. Secundus, & tertius scilicet detestatio peccati, & acceptatio pœnæ inflictæ pro peccato gratanter, pertinent ad diuersas virtutes appetitiuas: patienter verò ferre pœnam inflictam pertinet ad specialem virtutem patientiæ. Minor ergo est euidens.

Pœnitere non esse necessariò actum vnius virtutis.

4 Sed aliquis obijciet. Peccatum non dimittitur per volitionem pœnæ, sed per nolitionem culpæ; ergo isti tres modi præter secundum, scilicet detestationem, non dimittunt peccatum.

5 Respondetur, quòd in omnibus illis quatuor modis includitur nolitio culpæ: nam dum quis vult pœnam pro peccato, simul habet nolitionem peccati: quia nemo potest velle pœnam debitam pro peccato, & non odire peccatum; & hoc est, quod aduersarij non aduertunt.

6 Maior autem probatur à Scoto in hoc articulo, auctoritate Ezechielis capite 18. vbi habet hæc verba. *Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudicium, & iustitiam, vita viuet, & non morietur. Omnium iniquitatum eius, quas operatus est non recordabor.* & cap. 33. *Viuo ego dicit Dominus Deus, & nolo mortem impij, sed, vt conuertatur impius à via sua, & viuat.* & paulò infrà. *Si autem dixero impio morte morieris, & egerit pœnitentiam à peccato suo, feceritque iuditium, & iustitiam, & pignus restituet ille impius, rapinamque reddiderit, in mandatis vitæ ambulauerit, nec fecerit quidquam iniustum, vita viuet, & non morietur, omnia peccata eius, quæ peccauit non imputabuntur ei.* In omnibus his locis apertè dicit Propheta peccatum remitti per pœnitentiam: pœnitentia autem est punitio voluntaria, vt dictum est quæst. 1. artic. 3. & pœnitentia voluntaria fit illis quatuor modis; ergo quolibet illorum quatuor modorum, remittitur peccatum mortale. Ezec. c. 18.

7 Per pœnitentiam autem, qua hic Propheta ait peccatum deleri, non intelligitur solùm noua vita, & mutatio anteactæ vitæ malæ in bonam, vt volunt hæretici; sed etiam est dolor, tristitia, & nolitio peccatorum commissorum: nam, vt ait Roffensis art. 7. aduersus Lutherum, ex Sanctis Patribus, non potest quis nouam vitam inchoare, nisi detestetur veterem, & malam, & auctoritates Sacræ scripturæ apertè id declarant: nam Ioel 2. describens modum huius pœnitentiæ dicebat. *Conuertimini ad me in toto corde vestro in ieiunio, planctu, & fletu.* & Dauid exercens pœnitentiam pro peccatis suis dicebat. *Per singulas noctes lacrimis meis stratum meum rigaui.* & rursus cum petebat misericordiam. *Miserere mei Deus secundùm magnam misericordiam tuam.* & confitebatur peccatum suum. *Tibi soli peccaui, & malum coram te feci*, &c. ostendebat pœnitentem debere petere misericordiam de peccatis, ac illa confiteri, & petere veniam, & misericordiam. Et Baruch 2. optimè explicat, quæ sit pœnitentia, quam facere debemus de peccatis commissis contra Deum, dicens.

Pœnitentia ē dolor anteactæ vitę contra hæreticos.

Non

Non mortui qui sunt in inferno, quorum spiritus acceptus est à visceribus suis, dabunt honorem, & iustificationē Domino, sed anima, quæ tristis est super magnitudinem mali, & incedit curua & infirma, & oculi deficientes, & anima esuriens, dat tibi gloriam, & iustitiam Domino. Ex his, & similibus, quæ in Sacra scriptura passim habentur, patet, quòd pœnitentia est dolor, & tristitia de peccato: non autem solùm mutatio vitæ, & quò ad hoc ista sufficiant.

8 In fine autem ferè illius articuli, versiculo. *Si quæratur de illis quatuor*, &c. Scotus mouet dubium, qui nam actus istorum quatuor, comparando eos ad inuicem, sit simpliciter dispositio magis conueniens ad deletionem peccati. Hanc dubitationem infrà explicabimus postquā declarauerimus quomodo isti actus pœnitendi se habeāt ad deletionem peccati.

Non est necesse, quod penitere nō sit actus genitus à virtute.

9 Quantùm ad secundum etiam breuiter se expedit, & probat non esse necesse, quòd actus penitendi, quo peccatum mortale deletur, sit actus genitus ab aliqua virtute, quæcunque illa sit. Probat autem sic. Quandocunque sunt duo actus æquè perfecti, secundùm omnes circunstātias morales, ambo æqualiter sunt Deo accepti, & grati; sed sic est, quòd antequam virtus sit genita, potest haberi actus ita perfectè circumstantionatus secundùm omnes circumstantias morales, sicut post adeptam virtutem; ergo talis actus æquè erit gratus, & acceptus Deo sicut actus ex virtute genitus; & ita poterit delere peccatū sicut actus genitus ex virtute; ergo actus pœnitētiæ requisitus ad deletionem peccati mortalis non oportet esse virtutis, vt à virtute inexistente; sed potest esse virtutis, vt est primò generatiuus virtutis. Minor probatur, quia voluntas ante virtutem genitam potest habere actum perfectum secundùm dictamen rectum rationis cum omnibus circumstātijs, quia actus sit primus generatiuus virtutis: virtus enim habitus fit ex frequentatis actibus; ergo ita est perfectus ille actus cum sit generatiuus virtutis, sicut ille qui generatur à virtute, & consequenter est æquè gratus, & acceptus Deo: neque de hoc inuenio aliquam controuersiam.

An actus pœnitentiæ requisitus ad delēdū peccatū debeat esse formatus charitate.

10 Quò ad tertium, scilicet an actus pœnitentiæ requisitus ad deletionem peccati mortalis debeat esse informis, vel formatus charitate, occurrunt difficultates circà doctrinam Scoti: ideò prius videbimus opinionem eius, deindè obiectiones in contrarium adducemus, & soluemus. Respondet ergo per distinctionem, quòd actum humanum penitendi requiri, & esse necessarium ad deletionem peccati, potest intelligi duobus modis. Vno modo, quòd sit necessarius tamquàm dispositio quædam præuia ad deletionem peccati. Secundo modo, quòd requiratur tanquàm quid necessariò concomitans deletionem peccati. Primo modo inquit Scotus non est necesse, quòd actus penitentiæ sit formatus gratia, sed semper est informis. Probatur, quia dispositio præuia ad peccati deletionem semper est sinè gratia, & charitate, à cuius solius inhærentia, & inclinatione ad actum, dicitur actus formatus. Sed loquendo de actu requisito, vt concomitans, ponit hanc assertionem, quòd talis actus necessariò est formatus gratia, & charitate. Probat Scotus hanc assertionem, quia in illo instanti, in quo peccatum deletur, gratia inest: & per consequens, si actus penitentiæ requiritur vt concomitans deletionem peccati, ita quòd requiratur ad delendum peccatum concomitanter, necesse est vt sit gratia formatus, quia nisi sit gratia formatus nō posset peccatum delere concomitanter.

1. Assertio Scoti.

2. Assertio Scoti.

Ordo qui seruatur in iustificatione impij adulti.

11 Pro huiusce rei intelligentia ponit Scotus omnem ordinem, & modum, qui seruari potest in iustificatione impij adulti, aitque esse talem. Primò supponit, quòd peccator post peccatum commissum manens in reatu peccati eo modo, quo quæst. prima huius dist. dictum est, dum incipit conuerti ad Deum, potest ex suis viribus naturalibus, cum influentia communi Dei considerare peccatum commissum, vt offensiuum Dei, & vt contra legem diuinam, & vt auersiuum à Deo, & vt impeditiuum pręmij, & vt inductiuum supplicij, & sub multis alijs rationibus, Hac habita consideratione voluntas duobus modis potest peccatum istud commissum detestari. Vno modo sub aliqua vna istarum conditionum tantùm, vel aliquibus pluribus, non tamen sub omnibus. Secundo modo potest illud peccatum detestari sub omnibus circumstantijs moralibus debitis: uterque iste motus, & detestatio peccati à Scoto appellatur attritio, & est dispositio siue meritum de congruo ad deletionem peccati mortalis, & iste motus debet certum tempus ex decreto Dei durare, in cuius vltimo instanti gratia infunditur: quantum autem sit tempus id quo debet continuari, non est notum: debet etiam habere certam intensionem, qua si careat, non est perfectè circumstantionatus. Subiungit tamen Scotus esse differentiam inter hos duos modos detestandi peccatum, siuè inter hanc duplicem attritionem: nam non est certum ex voluntate diuina, an detestatio peccati primo modo scilicet sub aliquibus certis conditionibus, non autem sub omnibus, & denique quatenùs est actus non perfectè circumstantionatus, sit sufficiens dispositio ad delendum peccatum mortale; est quidem certum, quòd si detestatio illa sit circumstātionata aliqua circumstantia inordinata, non est sufficiens dispositio ad delendum peccatum, quia tunc talis attritio est actualiter offendens, & peccatum; sed si careat aliqua circumstantia debita, solùm ex inconsiderantia intellectus, vel ommissione voluntatis, tūc est dubium, an sit dispositio sufficiens ad iustitiam, & gratiam acquirendam in termino illius attritionis. Cæterum si illa attritio, & detestatio sit perfectè circumstantionata (patet enim talem actum moraliter perfectum posse haberi à peccatore existente in reatu peccati, vt dictum est, quia non est verisimile, quòd sit necesse propter peccatum istud remanens, actum quemcunque detestandi peccatum commissum esse defectiuum in aliqua circumstantia morali) in genere moris, videtur esse dispositio omninò sufficiens ad acquirendam iustitiam in termino motus illius attritionis. Hoc probat Scotus tali ratione, Vel oportet dicere, quòd peccator iustificetur sine omni dispositione sufficienti de congruo ex parte sui; vel dicere oportet, quòd ille peccator iustificatur à Deo, quia habet congruam dispositionem ad suscipiendum gratiā, & ad obtinendum veniam de peccato commisso: at primus modus, scilicet quòd peccator iustificetur absque vlla dispositione cōgrua ad gratiam, videtur falsum omninò, quia tunc sequeretur, quòd apud Deum esset acceptatio personarum. Si enim Petrus, & Iudas æqualiter sint indispositi ex parte sua, & Deus iustificet Petrum, & non Iudam, nulla videtur assignari posse ratio, cur hunc iustificet, & alium damnet: & ideò videtur esse apud eum acceptatio personarum, quod est erroneum. Sustinendo autem secūdum modum, qui esse videtur verus, scilicet quòd ille peccator iustificatur, quia habet ex parte sui aliquam dispositionem congruam, & sufficientem; tunc nulla potest esse sufficientior dispositio ad istam iustificationem, quàm ista attritio perfectè circumstantionata in genere moris; & tunc in vltimo instanti, vel aliquo alio, ad quod vsque Deus determinauit attritionem debere durare ad hoc, vt sit meritum de congruo ad iustificationem, infunditur gratia, & deletur peccatum.

Ratio Scoti.

12 Subiungit deindè Scotus ordinem, & differentiam inter attritionem, & contritionem, & inquit, quòd si ille motus cōtra peccatum, qui dictus est attritio (siuè sit perfectè circumstationatus, siuè non, dummodo non ponat circumstantiam deformantem, vt dictum est suprà, neque enim Scotus hoc dubiū dirimit, an scilicet debeat ille motus esse perfectè circumstantionatus, siuè nō, sed dicit hoc esse dubium, de qua re dicemus agendo de contritione) maneat idem in esse naturæ, & moris, qui priùs in vltimo instanti temporis, quo durare debet, vt sit sufficiens dispositio, fit contritio. Quod probat, quia in illo instanti vltimo formatur gratia, & sic fit formatus: quia fit habens secum charitatem, quæ est forma, & actus eius, vt loquimur in proposito: & sic antequàm formetur, gratia dicitur attri-

Differētia, & ordo inter attritionem, & contritionē secundū Scotum.

tio, postquàm verò formatus est, gratia dicitur contritio. Vndè ad propositũ, inquit Scotus, in hoc processu est quidam ordo, & adsunt quædam signa naturæ: nam ille motus, & actus, vt est actus naturæ, & moris, cum auxilio, & influentia Dei communi, distinguitur à se ipso, vt est actus formatus, & dicitur contritio: & etiam inter ipsum, & gratiam qua formatur est distinctio; vndè statuit tria signa naturæ in illo vnico instanti temporis vltimo. In primo est ipse motus attritionis, in genere moris, & naturæ. In secundo creatur gratia in anima eius, qui iustificatur. In tertio actus ille formatur gratia inhærente animæ iustificati, & inclinante ad motum, & actum illum.

Dubitatio. 13 Verùm, vt hęc assertio magis declaretur, arguit aduersus ipsam, & primò sic. Si ista tria signa se habent modo prædicto in iustificatione peccatoris, sequentur duo inconuenientia. Primum, quòd peccatum non deletur per contritionem, quòd est falsum. Secundum, quòd non deletur per contritionem tanquam per meritum, & dispositionem de congruo, quod est contra superiùs dicta. Consequentia primi absurdi probatur: quia culpa deletur in secundo instanti naturæ; actus verò est contritio in tertio instãti. Consequentia secundi etiam patet: quia meritum, propter quod culpa deletur, debet præcedere, non subsequi: contritio autem sequitur deletionem peccatorum.

Solutio. 14 Respondet Scotus huic dubio, & illud soluens, magis declarat, quomodò se habeat talis motus attritionis ad creationem, & infusionem gratiæ, & quomodo præcedat eam. Scotus autem est valdè difficilis, & ego puto textum esse corruptum, & §. illo, vbi legitur, *Potest ergo dici*, debere legi, *Potest dici*, absque illa particula *ergo*, & infrà versiculo illo, *Sed hoc nihil est*. vbi legit, *Tamẽ, quia meruit de congruo ponere obicem*, &c. puto legendum esse, *Tamen qui meruit de congruo, potest ponere obicem*, & paulò infrà vbi legitur, *Si nõ esset obex, tũc sicut in termino*, &c. puto legendum esse, *Si nõ esset obex, & sicut in termino*, &c. Adeò quòd textus integer sit iste, *Tamen qui meruit de congruo potest ponere obicem in illo instãti, in quo reciperet pręmium meriti de congruo si nõ esset obex; & sicut in termino meriti de congruo*, &c. Hoc enim pacto legendo, sensus est facilis, & est hic. Quòd ad dubia mota duobus modis videtur posse responderi. Primus est dicendo, quòd attritio ex decreto Dei debet tempore pręcedere infusionem gratiæ, & in aliquo instanti posteà Deus infundit gratiam, qua attritio formatur, & fit contritio: & parum refert, an semper motus ille toto tempore illo præcedenti continuetur, vel interrumpatur, diuertendo cogitationem ad aliquid impertinens: nam, & si contineretur vsque ad instans, in quo Deus decreuit infundere gratiã, non tamen propter hanc continuationem Deus dat gratiam, sed quia attritio, vt meritum de congruo, præcessit: ideò licèt alius non continuet motum illum: si tamen non diuertat ad peccatum, videtur ità in illo instanti, quò Deus decreuit infundere gratiam, ille recipere, sicut alius, qui continuauit motum: quia etiam iste habuit motum illum, qui erat meritum de congruo illius gratiæ.

15 Verùm Scotus aduersus hunc modum dicendi adducit dubitationem difficilem, propter quam est reijciendus. Inquit ergo, Quid dicendum si in illo instanti vltimo, quò debet infundi ipsi gratia ponat obicem? patet enim, quòd potest ponere obicem: quia sicut habita attritione tempore præcedenti potest ab illa cessare, & habere actũ impertinentem, ità potest habere actum peccati, & ponere obicem.

16 Respondet Scotus, quòd sustinentes hunc modum dicendi, dicerent, quòd non potest in illo instanti ponere obicem: quia iam meruit, vt in illo instanti detur sibi gratia. Verùm hanc responsionem reijcit, quia etsi non possit aliquis in instanti pręmiationis, post meritum de condigno, ponere obicem; vt in instanti mortis non potest quis obicem ponere, & demereri, quia tunc merito suo debet reddi impeccabilitas: tamen hoc non est verum de merito de congruo, cuiusmodi est attritio respectu collationis gratiæ. Nam qui meruit de congruo, potest ponere obicẽ in illo instanti, in quò reciperet terminum meriti de congruo, quia meritum de congruo non est perfectum meritum, sicut meritum de condigno.

17 Ex hoc infert confutationem huiusmodi dicendi, Nam sicut, qui aliquid meruit de congruo in aliquo tempore, in instanti consequendi illud potest ponere obicem, & illud non consequi: ita verisimile est, inquit Scotus, in proposito, quòd qui meruit gratiam de cõgruo in aliquo tempore, nisi continuet actum illum meriti, vsque ad instans, & terminum, in quo debet consequi gratiam, non habebit illam; & sic daretur meritum, & non haberet pręmium, quia non continuauit, quòd est absurdum.

18 Ideò est alius modus dicendi sicut priùs. Nimirum, quòd attritio siue illa dispositio non pręcedit tempore infusionem gratiæ: ità quòd inter ipsam, & instans, in quo infunditur gratia, mediet aliqua duratio temporis, sed pręcedit tempore, quia ipsa fit in tempore, quo completo in instanti immediatè sequenti infunditur gratia, & attritio formatur: ità quòd in illo vltimo instãti temporis adsunt illa tria signa naturæ. In primo habetur attritio in esse cõpleto in genere moris, & naturæ. In secundo creatur gratia. In tertio attritio formatur gratia, & sic respondetur ad dubia proposita. Secundus modus dicendi.

19 Vndè ad obiectiones superiùs factas, quòd stante hoc modo dicendi, sequitur, quòd culpa non deletur per contritionem, quia deletio culpæ est in secundo instanti, contritio autem in tertio, & quod non deletur per contritionem tanquàm per meritum, & dispositionem præuiã. Respondet Scotus, quòd contritio, & deletio culpæ sunt simul in eodem instanti temporis: tamen motus ille, qui est contritio, duobus modis se habet, priùs est sine gratia, & non est formatus, & sic licèt simul tempore sit cum deletione culpæ, tamen est prior natura ipsa deletione tanquàm dispositio præuia, & meritum de cõgruo: quatenus verò est formatus gratia, est posterior natura dimissione culpæ. Vndè ad vtrumque argumentum potest responderi, quòd contritio, vt formata est posterior natura dimissione culpæ; sed vt informis est prior natura dimissione culpæ. Delet autem peccatum meritoriè, vt dispositio, & meritum de congruo: & sic debet concedi, quòd contritio non vt contritio, idest vt formata, & in sensu composito, sed vt dispositio præcedens, & in sensu diuiso delet peccatum. Solutio obiectionis propositæ nũc suprà.

20 Vbi hîc nota, quòd per attritionem, & motum hũc in genere moris, quem naturalem appellat, non intelligit motum factũ ex puris viribus naturæ absque auxilio gratiæ, vt aliqui male volunt; sed intelligit motum factum auxilio diuinæ prouidentiæ specialis, quod auxilium diuinũ appellat influentiam communem: quia Deus per suam prouidentiam illud omnibus largitur: ideò videtur quodammodo esse naturalis, quia à primo Motore omnibus hominibus, & naturæ humanæ tribuitur, vt latè ostendemus in materia de auxilijs disp. prima. Voluntas ergo nostra mota auxilio diuino, & illi assentiens facit actum dignum de congruo, vt Deus creet gratiam habitualem in ipsa, & iustificetur, qua gratia habituali creata homo iustificatur; & si perseueret in operibus bonis, vel in illo opere bono post gratiam habitualem acceptam, opera illa sunt meritoria vitæ æternæ, non amplius de congruo, sed de condigno. De qua re infrà, & multa alia dicemus in materia de auxilijs disp. An detur meritum de congruo. Quid Scotus intelligat per influentiã cõmunem.

21 Habemus hucusque quomodo, & quo ordine actus pęnitentiæ se habeat ad delectionem peccati: sic enim habet vt dispositio præuia de congruo merens deletionem ipsam.

Est modo aliud dubium hic explicatum à Scoto, scilicet, Quinam illorum quatuor modorum pęnitendi suprà assignatorum sit simpliciter dispositio magis conueniens ad deletionem peccati. Respondet assignando regulam generalem decidendi hoc dubium, quæ est hæc. Ille actus est tanto perfectior, & melior, quãto ex pluribus, & perfe- Quinam ex quatuor modis pęnitẽtiæ sit dispositio magis conueniens ad delendũ peccatum.

ctio-

ctioribus virtutibus elicitur; quæ regula est ex se euidens: ex hac autem regula elicitur, quòd si primus actus pęnitere, qui est vindicare peccatum commissum, eliciatur à sola iustitia; actus verò secũdus, & tertius, scilicet detestare peccatum, & gratanter acceptare pęnam pro peccato eliciantur à virtute perfectiori, quàm sit iustitia, vt puta eliciantur à charitate, erunt excellentiores, & perfectiores primo actu. Pœnitere verò quarto modo, scilicet patienter ferre omnibus his tribus modis, est imperfectior: tùm quia elicitur à minus perfecta virtute, quæ est patientia: tùm quia habet minus de ratione voluntarij. Si verò vindicare, qui est actus iustitiæ punitiuæ, imperetur à iustitia ex actu charitatis, sicut dictum est superiori disputatione, possibile esse, tunc actus ille habet duplicem bonitatem, scilicet ex iustitia proxima imperante, & ex charitate remota imperãte actum illum vindicandi: & sic est melior, & perfectior alijs duobus actibus. Idem dicendum de actu charitatis, si moueatur voluntas ad diligẽdum Deum ex charitate, sed ex imperio iustitiæ (dictum est enim præcedenti disputatione, quòd iste virtutes possunt se ipsis conuersim vti) iste actus charitatis, erit perfectior, quàm si ex sola charitate eliciatur.

Quis actus eorum quatuor sit efficacior ad causãdũ tristitiam.

22 Vltimò mouet Scotus dubium. Quisnam illorum quatuor modorum pœnitẽdi sit efficacior ad causandam tristitiam, & pœnam, ac dolorem in nobis. Et respondet, quòd duo vltimi modi pœnitendi non causant tristitiam, sed supponũt illam esse causatam in subiecto, in quo sunt. Patet de patienter ferre: qui enim pœnam, & tristitiam patienter fert, iam illam habet in se ipso: qui etiam gratãter acceptat pœnam, & tristitiam sibi inflictam, iam illam non causat, sed supponit causatam, & inflictam: & ideò illam gratãter acceptat. Quò ad alios duos modos priores, inquit Scotus, inter illos posse esse mutuam excellentiam in inducendo tristitiam: nam quandoquè ex charitate, siue ex contemplatione Dei, in nobis generatur statim, & faciliter quædã detestatio peccati, ad quam sequitur maxima tristitia nullo adhuc posito actu iustitiæ respectu illius tristitiæ: ita quòd illa tristitia causatur solùm ex motiuo charitatis, non virtutis particularis pęnitentiæ, quæ est vindicatio, siue pœnitentia primo modo dicta, quandoque verò ex contemplatione eadem Dei, primo nobis ingeneratur actus intensissimus iustitiæ vindicatiuæ; cognoscentes enim peccatum commissum esse offensiuum legis Dei, mouemur efficaciter ad vindicãdum tale peccatum, imperando intellectui, & volũtati, quæ sunt proximæ causæ tristitiæ, vt ipsam tristitiam efficiant in punitionem peccati, vt lex Dei seruetur; & tamen neque intellectus ad cõsiderandum, peccatum esse commissum, neque voluntas ad detestandum, & nolendum peccatum esse cõmissum (ex his enim duobus actibus diximus suprà quæst. prima causari tristitiam) mouentur efficaciter ex illo imperio iustitiæ: vel si mouentur ad considerationem peccatum esse commissum, & ad detestandum, & nolendum fuisse commissum: non tamen sequitur effectus aptus natus causari ab his actibus, qui est tristitia. Causa autem, quare iste causæ non moueantur quandoque ex imperio, potest fortè esse: quia intellectus, & voluntas carent habitibus inclinãtibus ad istos actus: qui enim non est assuetus considerare peccata sua, vt contraria legi diuinæ, & qui non est habituatus ad se nolle peccata commisisse, etiam si ex iustitia imperet intellectui, & voluntati, hos actus illi non parent, nec mouentur; similiter causa, propter quam etsi intellectus, & voluntas moueantur ad illos actus, tamen non sequatur effectus debitus, scilicet tristitia, potest prouenire ex pluribus causis: tamen quandoque potest prouenire ab hac, quòd sicuti intellectus in nobis conformatur parti sensitiuæ, ita & appetitus intellectiuus conformatur appetitui sensitiuo, quantùm ad faciliter condelectari, & faciliter tristari: & ideò cuius appetitus sensitiuus natus est tristari, & dolere faciliter, eius voluntas quoque faciliter tristatur, & cuius appetitus sensitiuus non est natus tristari faciliter, neque eius voluntas faciliter tristatur, & hæc omnia experientia patent. Ad propositum ex his patet, quomodo actus pœnitentiæ secundo modo, scilicet detestatio peccati, & vindicatio peccati mutuò se excedunt circa causationem tristitiæ: nam patet, quòd quandoque detestatio actu causat tristitiam: vindicatio verò nequaquã, & sic detestatio peccati excellit vindicationem: ex aduerso quandoque iustitia habet actu imperium intensissimũ, vt causetur tristitia, & tamen tristitia non causatur propter impedimenta adducta, & sic ex parte actus apti nati causare tristitiam, vindicatio excedit detestationem, licèt non sequatur tristitia. Ex his sequitur, quòd aliquis quandoque habet maximum actum pœnitentiæ primo modo, & nullum effectum, vel modicum, nempe tristitiæ; & ex aduerso aliquis quandoque habet maximum effectum, scilicèt maximam tristitiam sine aliquo actu pœnitentiæ primo modo. Sed tunc est dubium, quænam sit maior excellentia istarum respectu deletionis peccati. Respondet Scotus, quod maioritas in tristitia habet etiam maiorem excellentiam respectu deletionis peccati: quia qui magis tristatur de peccato, magis meretur, vt deleatur peccatum, & gratia infundatur: tamen inquit, quòd maior est excellentia, quæ attenditur penès actum, ad quem nata est sequi tristitia: ideò ille actus est excellentior, quò ad dimissionem peccati, qui est magis intensus, & aptus natus causare tristitiam, licèt illum non causet. Vndè actus causatiuus tristitiæ plùs delet meritoriè peccatum, quàm ipsa tristitia.

An pœnitere sit actus vnius determinatæ virtutis. Caput Secundum.

23 VErùm circa primam assertionem Scoti, qua dicit, quòd actus, quo remittitur peccatũ, non est actus vnius determinatæ virtutis, scilicet pœnitentiæ, sed diuersarum occurrit difficultas: quia actus, quo remittitur peccatum, est contritio: at contritio videtur esse actus proprius virtutis pœnitentiæ, quæ est specialis virtus, & hanc sententiam sequuntur D. Bonau. in 4. dist. 16. art. 1. q. 2. D. Thomas 3. p. quæst. 85. art. 2. & alij, quos sequitur Suarez, & alios citat tomo de pœnitentia disp. 4. sect. 1. n. 4. ergo non videtur, quòd peccatũ remittatur per alias virtutes distinctas à pœnitentia: adducit autem Suarez præsertim has rationes, quæ probant minorem assumptam. — Opinio opposita proponitur.

24 Prima. Contritio est proprijssimus, & perfectissimus actus pœnitentiæ, sed talis actus in detestatione peccati cõsistit, quæ detestatio est actus vnius specialis virtutis pœnitentiæ; ergo contritio est actus vnius specialis virtutis pœnitentiæ. Maior videtur esse euidens. Minorem dicit se probasse superiùs, vbi nitebatur ostendere, q detestatio sit actus vnius specialis virtutis pœnitentiæ. — 1. Ratio ex Suarez.

25 Secundò. Effectus contritionis sunt patere dolorẽ de peccato, & affectum puniẽndi, & vindicandi culpam in se ipso: at hi sunt effectus detestationis peccati; ergo contritio est actus detestationis peccati, quæ est virtus specialis pęnitentiæ. — 2. Ratio.

26 Tertiò. Quatuor sunt actus pertinentes ad pęnitentiam, inquit ipse, scilicet voluntas destruendi peccatum commissum, odium peccati, detestatio illius, & dolor de illo: at nullus horum actuum, nisi detestatio, est sufficiens ad veram contritionem; ergo sola detestatio est actus cõtritionis. Minor probatur de actu vindicandi: quia ille actus antecedit actum contritionis, scilicet ipsamdetestationem actualem: nec ex se solo sufficit, quia requiritur actualis detestatio, non autem voluntas detestandi: nec est necessarius ad contritionem, quia potest quis actu detestari peccatum absque eo, quod prius habeat actum hunc antecedentem volẽdi detestari peccatum. De odio probatur: quia includitur in detestatione, vel si summatur vt distinctos actus à detestatione, non sufficit ad contritionem: quia odium per se non parit tristitiam, neque vindictam, quod requiritur ad contritionem. Tandem — 3. Ratio.

nec sufficit dolor, quia dolor est passio sensitiua, quæ sequitur ad detestationem peccati, & ad ipsam cõtritionẽ; ergo relinquitur, vt contritio sit actus detestationis, quæ sit specialis virtus pœnitentiæ.

Reijcitur. 27 Hæc opinio ex dictis suprà quæst. 1. art. 2. & 3. reijcitur: nam ibi ostendimus, quòd pęnitentia accipitur quatuor modis: vno modo pro actu vindicandi culpam: secundo modo pro actu detestandi peccatum: tertio modo pro actu acceptandi pęnam gratanter: quarto modo pro actu acceptandi pęnam patienter; ostendimus etiam, quòd omnibus his quatuor modis deletur peccatum; & cum scriptura, & auctoritates superiùs adductæ docent, peccatum deleri per pęnitentiam, includunt omnes istos quatuor modos. Cum ergo secundùm omnes Theologos contritio sit actus pęnitentiæ, quæ delet peccatum, vt dispositio præuia, necesse est, quòd quicunque horum actuum possit dici contritio, & reuera sit contritio. Vlterius autem deduco, sed isti quatuor actus pertinent ad diuersas virtutes: nam primus actus pertinet ad iustitiam vindicatiuam, & hæc est specialis virtus pęnitentiæ, vt suprà diximus. Detestatio autem peccati nõ est actus vnius specialis virtutis, sed virtutis generalis, vt suprà vidimus cõtra Thomistas, & Aduersarios. Idem dicendum de gratãter acceptare; quartus est actus virtutis patientiæ; ergo falsum est, quòd contritio sit actus proprius virtutis specialis pęnitentiæ.

Quomodo opposita sẽtẽtia saluari possit. Possumus tamen aliquo modo oppositam sententiam saluare: nam licèt peccatum remittatur per omnes illos quatuor modos pęnitendi, non tamen sequitur, quòd omnes illi modi debeant dici contritio: quia peccatum etiam dimittitur per pęnitentiam virtualem, vt sunt martirium, charitas, & huiusmodi, & tamen ista non dicuntur contritio. Non ergo omnis actus, quo peccatum dimittitur, dicitur contritio.

28 Ideò propter hanc rationem, quæ est euidentissima, distinguendum est: vel nos per contritionem intelligimus quemcunque actum formalẽ pęnitendi, quo peccatum dimittitur: & tunc est dicendum, quòd quilibet actus illorũ quatuor est contritio: quia vt visum est vnoquoque illorum peccatũ dimittitur: vel nos intelligimus per contritionem actum pęnitentiæ excellentiorem, quo peccatum dimittitur: & tunc est dicendum, quòd primus actus, scilicet vindicare peccatum, est propriè contritio: quia hic actus est maximè voluntarius, & est proprijssimus actus pęnitentiæ virtutis. Notandũ est tamen, quòd communiter actus secundus, scilicet detestatio peccati, appellatur contritio: ideò videtur, quòd contritio propriè sit nedum actus pęnitentiæ, quæ est virtus specialis, sed pęnitentiæ, quæ est virtus generalis, de qua in superioribus multa diximus contra aduersarios probantes detestationem non esse specialem virtutem, sed generalem.

Ad primã rationem. 29 Ad primam rationem negatur maior, & minor. Maior, quia contritio est actus nedum virtutis specialis pęnitentiæ, sed etiam virtutis generalis pœnitentiæ. Minor, quia actus proprijssimus virtutis specialis pęnitentiæ est vindicare peccatum, non detestari peccatum, vt vidimus suprà: falsum est etiam, quòd detestatio peccati sit actus virtutis specialis pęnitentiæ.

Ad secundam. 30 Ad secundam, falsum est antecedens: superiori enim disp. cap. 3. visum est contra Suarez, quòd vindicare non est effectus detestationis peccati, sed actus alius, & primarius.
Ad tertiã. Ad aliud dico, quòd ne dum detestatio parit dolorem, sed etiam vindicare peccatum parit dolorẽ, idest tristitiam, vt visum est suprà.

Alia rñsio ad hęc duo argumenta 31 Prætereà ad hæc duo argumenta possumus concedere, quòd contritio est actus detestationis, vt diximus; sed negamus, quòd detestatio peccati sit actus pęnitentiæ, quæ est specialis virtus: diximus enim, quòd est virtus generalis pęnitentiæ.

Ad tertium 32 Ad tertium negatur maior, & minor. Maior, quia superiùs visum est, quòd actus pertinentes ad pęnitẽtiam sunt illi quatuor, vindicare peccatum, detestari peccatũ, gratanter acceptare pęnam impositam pro peccato, & patienter ferre pęnam inflictam pro peccato. Minor quoque est falsa: quia falsum est, quòd sola detestatio sit sufficiens ad veram contritionem: nam vindicare est actus nobilior, & primarius pœnitentiæ. Ad primam probationem respondetur, quòd vindicare est essentialior, & nobilior actus pęnitentiæ, quàm sit detestatio pura: quia vindicatio includit detestationem virtualiter, non ẽ contrà, vt suprà visum est. Ad aliam probationem concedo, quòd detestatio sufficit sine vindicatione: non tamen sequitur, quòd ipsa sola sit actus pęnitentiæ delens peccatum; quia etiam per alios actus peccatum remittitur, vt visum est. Deinde ipsa detestatio non est actus vnius virtutis particularis, vt etiam suprà ostensum est. Reliqua quæ in illa ratione continentur non faciunt ad propositũ.

Vtrum pœnitentia sit virtus supernaturalis, & infusa, an naturalis. Caput Tertium.

33 Circa ea, quæ dixit Scotus art. illo 2. quæst. 3. vt 1. cap. est explicatum à nobis, præter dicta superiori cap. varia dubia grauia occurrunt. Primum est. An pęnitentia sit virtus naturalis, an supernaturalis, & infusa. Secunda, An actus naturales sint meritorij de congruo gratiæ. Tertia, quomodo differat contritio ab attritione. Quarta, quis ordo sit inter infusionem gratiæ habitualis, & ipsum motum contritionis, vel attritionis, & nonnulla alia de quibus singillatim est agendum.

Quantùm ad primum, An scilicet pęnitentia, & actus eius sit supernaturalis, & infusus, est nõ parua difficultas: quia Scotus videtur velle, quòd sit naturalis, non infusus, vt videbimus. Hoc autem videtur falsum, & contra Scotum arguunt Thomistæ, & Recentiores. Quòd ergo pę- Opin. Thomistarum. nitentia, & actus eius sint supernaturales sustinent D. Th. 3. p. quæst. 85. art. 5. & Caietanus ibidem, Soto 4. dist. 14. quæst. 2. art. 5. Suarez de pœnitentia disp. 3. sect. 6. qui citat D. Bonau. in 2. dist. 28. art. 2. quæst. 1. Gregorium de Arimine 2. Sent. dist. 26. quæst. 1. & alios ex Recentioribus, posset etiam citari Medina p. 2. quæst. 109. art. 6. Sed isti tractant quæstionem aliam generaliorem, Vtrùm homo ex puris naturalibus sinè auxilio Dei possit facere aliquod opus bonum, & dignum vita æterna, quę etsi sub se contineat quæstionem istam, An pœnitentiæ actus sit supernaturalis; tamen vt dixi illa est quæstio generalior, de qua in materia de auxilijs disp. 1. satis superque disputabimus: tamen aliqua etiam hic attingemus. Notandum est autem, quòd isti Doctores distinguũt duplicem esse virtutem infusam vnam, scilicet ex genere, & natura sua; quia intrinseca ratione est supernaturalis, quæ naturaliter acquiri non potest; aliam verò, quæ est supernaturalis per accidens: quia scilicet non attingit Deũ pro obiecto, aut fine intrinseco, & potest acquiri naturaliter, immò regulariter naturaliter acquiritur; tamen quandoque infunditur à Deo, vt scientia, quam naturaliter Adã, & Salomon acquirere potuerunt, à Deo illis fuit infusa: ideò illa scientia in ijs erat supernaturalis per accidens. Ad propositum dicent pęnitentiam esse infusam per se, & ex natura sua, non autem per accidens.

34 Prima ratio pro hac opinione est ea, quam Caieta- 1. Ratio. nus, Soto, & alij locis citatis adducunt ex D. Thoma, vbi suprà. Illa est virtus infusa, ex suo genere, quæ ordinat hominem ad gratiam, ac ad amicitiam Dei, siue habet Deum pro intrinseco fine: at pœnitentia est huiusmodi; ergo. Maior probatur, quia virtutes Theologicæ, & infusæ in hoc differũt à moralibus, & naturalibus; excedũt enim statũ viæ. Minor quoque probatur: quia proprius actus pœnitentiæ est pęnitere de peccato tamquàm offensa Dei, & recõciliare hominem cum Deo, & eum in eius amicitiam restituere.

35 Secunda ratio principalis, quæ etiam est principa- 2. Ratio. le fundamentũ huius opinionis, est hæc. Ille actus est supernaturalis, qui viribus naturalibus non potest acquiri, & haberi; sed sic est, quòd actus pœnitentiæ non potest

haberi

haberi ex puris viribus naturalibus, sed est necessarium auxilium speciale Dei; ergo actus pœnitentiæ, & consequenter penitentia ipsa est virtus supernaturalis. Maior est euidens ex se: in hoc enim differunt virtutes infusæ ab acquisitis, & naturalibus: quia infusas non possumus habere proprijs viribus, vt sũt fides, spes, & charitas; acquisitæ verò, & naturales absque auxilio speciali Dei, sed ex viribus naturalibus cum communi concursu causarum vniuersalium acquiri possunt. Minor verò probatur auctoritatibus innumeris, vt Io. 6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum.* Et aliæ similes auctoritates, quas in materia de auxilijs adducemus ex aduersarijs contra hanc Scoti opinionem, qua dicit, quòd homo cum communi influentia potest mouere se in Deũ detestando peccatum, &c. & facere opus pium, quas hic non oportet repetere. Adiungit Suarez tomo de penitentia disput. 3. sect. 6. quasdam alias, vt illud 2. Ad Timotheum 2. *Ne quando Deus det illi pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, & resipiscant à Diaboli laqueis.* Quam auctoritatem adducit D. Aug. lib. 5. contra Iulianum cap. 3. dicens. *Nisi ipse dederit quis agit pœnitentiã?* & Leo Papa Epist. 91. dicens. *Pœnitentiam ex Dei credimus inspiratione conceptã dicente Apostolo, ne quando Deus det illis penitentiam.* & Actorum 5. *Hunc Principem, & Saluatorem Deus exaltauit dextera sua ad dandam pœnitentiam Israeli, & remissionem peccatorum.* & similia, quæ omitto. Probat etiam ex Concilijs, quæ sequenti ratione adducentur.

3. Ratio. 36 Tertiò principaliter eandem assertionem probat Suarez ratione sumpta ab effectu, & ex principijs fidei. Nam aliquis actus penitentiæ est vltima dispositio ad gratiam: at dispositio ad gratiam debet esse supernaturalis; ergo actus penitentiæ est supernaturalis.

37 Verùm quia Suarez vidit, quòd Scotus respondere posset, quòd pænitentia est actus supernaturalis non intrinsecè, & secundùm suam essentiam, sed extrinsecè quatenus, scilicet elicitur à charitate, vel ad charitatem ordinatur, vt nos suprà diximus, & infrà magis manifestabimus, nititur probare, quòd actus penitentiæ in se, & exclusa relatione ad charitatem, est supernaturalis: & quòd prædictæ auctoritates debent intelligi de actu ipso penitentiæ secundùm propriam essentiam: & ideò adducit Concilia, & rationem. Ex Concilijs arguit sic. In Concilio Arausicano 2. can. 4. dicitur. *Si quis, vt à peccato purgemur, voluntatem nostram diu expectare contendit, non autem, vt etiam purgari velimus per Sancti spiritus infusionem, & operationem fieri confitetur, resistit Spiritui sancto dicenti præparatur voluntas à Domino,* &c. Can. 7. & 25. habentur diffinitiones generales de actibus pertinentibus ad salutem, quòd isti à Deo proueniunt. Præterea expressius hoc docet Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 6. & can. 3. inquit. *Si quis dixerit sine præuenienti Spiritus sancti inspiratione, atque eius adiutorio hominem credere, sperare, diligere, aut penitere posse, sicut oportet, vt ei iustificationis gratia conferatur, anathema sit.* Hoc loco Cõciliũ docet eodem modo esse necessariam gratiam ad actum penitentiæ sicut ad actum fidei, spei, & charitatis; ergo sentit eodem modo actum penitentiæ esse supernaturalẽ, sicut actum fidei charitatis, &c. Quòd si responsio adducta valent, scilicet quòd Concilium intelligat actum penitentiæ esse supernaturalem ratione relationis ad charitatem, sequeretur eadem ratione aliquem posse dicere, actus charitatis, spei, &c. non esse in se supernaturales, sed quatenus habent relationem ad fidem: & è conuerso fidem secundum se non esse supernaturalem, sed vt informatam charitate, quæ omnia absurda sunt.

38 Præterea Concilium non tantùm diffinit gratiam esse necessariam ad omnes illos actus copulatiuè, sed diuisim, & ad singulos illorum actuum esse necessariã gratiam: vndè non sine causa apponit Concilium illam particulam, *aut*, & ex toto discursu Concilij patet, intentionem illius esse definire, ad singulos illos actus esse necessariam gratiam, & auxilium Dei; ergo iuxtà hanc definitionem fidei negari non potest actum pœnitentiæ in se esse supernaturalem.

39 Quartò. Si actus penitentiæ non est supernaturalis intrinsecè, sed solùm per relationem ad charitatẽ, sequitur, quòd sit extrinsecè solùm supernaturalis, & ex acceptatione diuina, non sua natura: tunc arguit Suarez, Vel actus penitentiæ acceptatur à Deo, & informatur gratia: quia supernaturalis est; vel è conuerso: ideò fit supernaturalis, quia acceptatur à Deo, & gratia informatur: si primum habet intentum: secundum verò est contra Concilium, quia tunc sequeretur, quòd actus ille, quatenùs præcedit acceptationem diuinam, & vt est naturalis, esset dispositio sufficiens ad acceptari à Deo, quòd est erroneum: quia nullus actus naturalis est dignus, vt acceptetur à Deo. Sequeretur etiam, quòd nos ad producendum eum secundùm suum esse naturale, & secundùm suam substantiam, non egeremus auxilio diuino gratuito; quod est contra diffinitionem Concilij ibidem. Consequentia autem est euidens, quia in eis, quæ sunt naturalia, non egemus auxilio diuino speciali, neque nos aliquid efficimus in illa acceptatione diuina, sed est Deus, qui ex seipso acceptat illum actum, & informat gratia. Si ergo nos egemus auxilio Dei ad actum illum producendum, hoc prouenit, quia actus ille secundùm substantiam est supernaturalis, & in se habet talem dignitatem, vt acceptetur à Deo, & informetur gratia: & ideò à nobis sine auxilio Dei non potest produci: quia ex viribus naturalibus non possumus producere actum ita dignum, vt ratione eius nobis donetur à Deo gratia: quia tunc possemus esse initium nostræ salutis, quod repugnat fidei diffinitionibus contra Pelagianos. 4. Ratio.

40 Contrariam sentẽtiam sustinet Scotus hac dist. 14. q. 2. argumento principali vltimo, cum quo aliquo modo sensit Durandus in 2. dist. 28. quæst. 5. & Gabriel Biel in 4. dist. 14. q. 1. Caietanus tomo primo opusculorum tractatu 4. q. 1. nec tamen Scotus sibi contradicit: quia tenet dari duas pœnitentias virtutes, alteram infusam, de qua suprà locuti sumus, & alteram, quæ est virtus moralis, & ex viribus naturalibus acquiri potest; quam sententiam sequitur quoque Suarez disp. 3. sect. 7. Pro clara autem intelligentia huius materiæ, quæ est magni momenti, duo facienda sunt. Primò ostendam opinionem Scoti esse veram. Secundò declarabo, quomodo opinio Scoti, licèt ipse sit valdè obscurus, non sit contraria fidei definitionibus; sed optimè cũ illis cõueniat, & illas optimè declaret. Reijcitur allata opinio.

41 Quòd ergo pœnitentia, & actus eius secundùm se, & intrinsecè non sit virtus, nec actus supernaturalis, (loquimur enim nunc de actu pœnitentiæ, & de pœnitentia in se, vt est actus particularis virtutis) probatur à Scoto in hac dist. 14. q. 2. vltimo argumẽto principali, quod dum soluit, concedit pœnitentiam non esse virtutem infusam, sed acquisitam; & quò ad partem concedit argumentum. Argumentum autem est hoc. Ex inductione virtutes infusæ sunt tantùm tres, secundùm communem opinionem, scilicet, fides, spes, & charitas; ergo pœnitentia, vt est virtus particularis in se, & eius actus nõ sunt virtus, nec actus infusi. Antecedens est euidens ex D. Thoma par. 2. quæst. 62. art. 3. vbi probat tres tantùm esse virtutes Theologicas, & q. 63. art. 3. quærit, Vtrùm præter virtutes Theologicas sint aliæ virtutes nobis infusæ: supponit ergo virtutes Theologicas esse nobis infusas. 1. Ratio.

42 Cõfirmatur per probationem communem. Nam quælibet virtus infusa, & actus eius habet immediatè Deum pro obiecto: at actus pœnitentiæ, vt est virtus particularis, non habet Deum pro obiecto immediatè; sed peccatum, vt punibile, & vt est contra legem Dei, ac contra bonum commune; ergo pœnitentia non est ex suo genere infusa. Nam etiam ex D. Thoma par. 2. q. 62. ar. 3. & q. 63. ar. 3. virtutes Theologicæ, quæ sunt infusæ, infunduntur ad ordinandum nos immediatè in Deum, vt ad finem vltimum nostrum, ad quem viribus naturalibus

perue-

peruenire non possumus. Quòd si quis dicat, vt aduersarij dicunt, Pœnitentiæ actus habet quidem peccatum pro obiecto; sed habet illud, vt est offensiuum Dei, & vt punibile propter amicitiam Dei impetrandam. Contrà, superiùs ostensum est, quòd de ratione intrinseca pœnitentiæ non est considerare peccatum, vt est offensiuum Dei: quia illa consideratio pertinet ad actum charitatis, quæ sicut habet Deum pro obiecto, vt est diligibilis, sic habet vitare omnia, quæ illi contraria sunt: ideò odire peccatum, vt est offensiuum Dei, primò competit charitati, & cum competit penitentiæ, ei competit extrinsecè ex relatione, & ordine ad charitatem. Quia suprà ostendimus, quòd pœnitentia potest vindicare peccatum ex imperio charitatis; & quòd è conuerso pœnitentia potest imperare charitatem: ideò aduersarij, cum in hoc errent confundendo rationem vnius virtutis cum altera, ideò putant Scotum errare in principijs fidei, quod omnino est vanum; aliud enim est loqui de pęnitentia in se; aliud loqui de ea, vt imperata à charitate, vel vt est ordinata ad illam, vt patebit in responsione ad eorum argumenta.

2. Ratio.

43 Secundò principaliter. Omnis virtus vel est Theologica, vel moralis: at pœnitentia non est virtus Theologica: quia illæ sunt tantùm tres, vt suprà dictum est, scilicèt fides, spes, & charitas; ergo pęnitentia est virtus moralis. Tunc sic, Omnis virtus moralis est naturalis, & acquisita, nõ supernaturalis; ergo pęnitẽtia est virtus naturalis, & acquisita non infusa. R̃ndent aduersarij, vt Soto in 4. d. 14. q. 2. ar. 5. Pœnitentiam esse quidem virtutem moralem: sed negat virtutes morales omnes esse naturales, & acquisitas. Nam ex D. Thoma par. 2. q. 63. ar. 3. dicunt virtutes morales esse duplicis generis: nam quędam sunt acquisitæ ex suo genere; per accidens tamen sunt infusæ, vt scientia infusa Adæ: erat enim naturalis, quia naturaliter acquiri poterat: sed per accidens erat infusa, quia à Deo immediatè in ipso producta. Aliæ verò sunt virtutes morales per se infusæ, quæ non sunt naturaliter acquisibiles, & in hoc genere ponunt pęnitentiam.

Responsio aduersariorum.

Reijcitur à Scoto.

44 Contra hanc sententiam arguit Scotus in 3. d. 36. §. Contra hoc est Aug. vbi probat nõ esse necessariũ ponere has virtutes morales infusas, de qua re aliàs: est enim disputatio longa cum Thomistis; pro nunc sufficiat hæc ratio. Causa propter quam D. Thomas par. 2. q. 63. ar. 3. & sequentibus ponit has virtutes morales infusas, est triplex, vt etiam patet ex Caietano in Commentario illius articuli tertij. Prima ex proportione effectus ad causam: nam sicut virtutes morales producuntur in nobis ex principijs naturalibus, scilicet ex cognitione naturali, quæ dictat, quid bonum, & quid malum, & dirigit voluntatem, & appetitum circa actus, & ita principijs naturalibus respondent propriæ virtutes naturales tãquàm effectus: ita principijs supernaturalibus infusis nobis à Deo, quæ sunt virtutes Theologicæ, debent respondere virtutes infusæ morales: istæ enim, & actus earum sunt proportionati virtutibus Theologicis, non autem actus, & virtutes morales naturales. Ex quo addit Caietanus, vbi suprà, istas virtutes morales supernaturales esse necessarias propter complementum naturæ. Nam per gratiam, & virtutes supernaturales inchoatur in nobis perfectio supernaturalis, quia istæ nos ordinãt circa finem supernaturalem: at hoc non sufficit, sed debent dari quoque virtutes ordinantes circa media, quæ sunt ad finem supernaturalem: istæ autem sunt virtutes infusæ morales. Vndè inquit Caietanus huic principio, quòd est charitas supernaturalis, non est proportionatus actus temperantiæ acquisitæ, & naturalis; sed temperantiæ supernaturalis. Sunt etiam necessariæ istæ virtutes infusæ morales ratione obiecti formalis, siuè modi, & medij, idest ratione regulæ secũdùm quam regulatur alia: est enim regula virtutum moralium naturalium, & alia infusarum. Nam naturalium est prudentia naturaliter acquisita; sed supernaturalium est reuelatio diuina. Alio enim modo dictat lex diuina quomodo passiones nostras regulare debemus, & alio modo prudentia naturalis: ideò istæ sunt duæ regulæ diuersæ formaliter, quæ ratio est D. Thomæ vbi supra, ar. 4. Tandem sunt necessariæ ratione finis: quia morales naturales ordinant ad finem naturalem humanum; infusæ ad finem supernaturalem.

Ratio propter quam Thomistæ ponunt virtutes morales infusas.

1. Ratio Scoti.

45 Arguit ergo Scotus, quòd nulla adsit necessitas ponendi has virtutes morales infusas: ideò frustrà ponuntur; & consequenter frustrà ponitur, quòd pęnitentia sit virtus moralis infusa. Probat autem Scotus has virtutes non dari, confutando has rationes adductas à D. Thoma, & inchoando ab vltima causa, scilicet à ratione finis, patet (inquit Scotus) quòd non est necesse ponere virtutes morales, vt nos ordinent ad finem supernaturalem: quia licet virtutes morales naturales, vt castitas, temperantia, iustitia, & huiusmodi non ordinent nos ex sua specie, & natura ad finem supernaturalem; tamen sufficienter ad hunc finem ordinamur per charitatem: ideò non est opus virtutibus moralibus infusis propter hoc. Exempli gratia. Actus temperantiæ ordinatur ex sua natura ad bonum humanum, & honestatem: at ex charitate possum illum ordinare ad finem supernaturalem, & sic omnes actus virtutum moralium, vt iustitiæ, fortitudinis, &c. possumus ordinare ex charitate ad finem supernaturalem; non est ergo opus in nobis præter iustitiam naturalem acquisitam, qua facio actum iustũ propter se, ponere aliquam aliam iustitiam infusam, qua faciam actum alium iustum ordinatum ad finem supernaturalem.

2. Ratio.

46 Confirmatur, quia si necessariæ essent illæ virtutes morales infusæ, sequeretur, quòd actus virtutum moralium naturalium non essent ordinabiles ad Deum per se, sed solùm per illas virtutes infusas. Consequens est absurdum. Cõsequentia probatur, quia propter hoc ponuntur esse necessariæ infusæ virtutes: si enim actus naturalium ordinari possunt in finem, frustrà multiplicantur entia. Absurditas verò consequentis probatur, quia actibus virtutum moralium cũ auxilio Dei disponimur ad gratiam gratum facientem, & ad iustificationem, vt patet: nam elemosinis, continentia, actibus iustitiæ, & huiusmodi disponimur ad impetrandam veniam à Deo; ergo ordinari possunt ad Deum, in illo autem priori tempore non habent gratiam habitualem infusam; ergo neque per has virtutes morales infusas, quia illæ cum gratia infunduntur non antè. Neque istæ virtutes morales infusæ sunt necessariæ ratione modi, siue medij consequendi finem vltimum: quia fides infusa satis superque docet regulas consequendi huiusmodi finem: ideò multiplicare has virtutes est vanum. Assumptum patet, alioquin fides non esset sufficiẽs cognitio eorum, quę spectant ad finem vltimum consequendum.

Responsio Caietani reijcitur.

47 Et per hoc confutatur responsio Caietani vbi suprà, qui dicit, quòd charitas ordinat in finem in se; sed virtutes istæ infusæ ordinant ad finem originaliter, non in se, sed in his quæ sunt ad finem. Et quòd fides ordinat, & dat media ad finem, sed remotè, non proximè, quæ duo dicta coincidunt, & est ac si dicat, quòd fides, & charitas, tendunt immediatè in finem, qui est Deus non in media: sed virtutes infusę tendunt immediatè in media ad finem hunc consequendum. Hæc inquam responsio est nulla, tùm quia fides, & cognitio infusa non esset sufficiens cognitio eorũ, quæ spectãt ad finẽ vltimũ consequendũ, immo esset imperfectior virtutibus moralibus infusis, quia istæ ostenderent proximè regulas, & media ad finem vltimum consequendum; fides verò remotè tantùm. Prætereà fides nostra non solùm est immediatè de fine vltimo, sed etiã est immediatè de medijs ad illum consequendum: vndè fides est prudentia infusa per quam scimus passiones nostras regulare; per illam scimus præcepta Dei Decalogi de virtutibus, & similia esse media ad cõsequendum vltimum finem: quod autem est de essentia, & ratione vnius virtutis, nõ potest alijs tribui: ergo docere media, & regulare rectè voluntatem circa illa non est opus alterius virtutis quam fidei, & sic cessat ratio de obiecto

for-

formali. Et ex hoc etiam refutatur ratio sumpta ex proportione effectus ad causam. Nam non est necesse, quòd virtutes Theologicæ, quæ sunt principia infusa, efficiant alias virtutes morales à naturalibus; sed sufficit, quòd alio modo illas dirigant, ac faciant principia naturalia. Nam alio modo secundùm fidem debemus exercere actum castitatis, iustitiæ, &c. alio modo secundùm lumen naturale. Et tandem patet has virtutes morales infusas non esse necessarias propter complementum naturæ: quia morales naturales sufficiunt ad complementum naturæ secundùm esse naturale: Theologicæ verò complent secundùm esse supernaturale. Et hac eadem ratione constat non esse necessarias istas virtutes morales infusas ratione obiecti; quia cum duplex sit obiectum, scilicet naturale, & supernaturale, ad vtrumque sufficiēter disponimur per virtutes morales, & Theologicas; & per istas homo simpliciter perficitur in se, & ad alia extra se; & ad Deum, vt fusè docet Scotus in 3. d. 34. de qua aliàs; ideò illæ virtutes infusæ morales non sunt admittendæ. Et quod aliqui dicunt de religione, nihil est; quia etiam religio est virtus moralis contenta sub iustitia. quæ quatenus ordinat nos ad Deum, vt est finis supernaturalis, hoc habet ex relatione ad fidem, & charitatem, & spem, sicut aliæ virtutes morales.

Religio est virtus moralis.

49 Sed obijcit Caietanus vbi suprà. Si ratio hæc Scoti sumpta ex parte obiecti, scilicet quia vnicum est obiectum supernaturale ad quod virtutes Theologicæ sufficienter disponunt, & ordinant, & propter hoc non sunt ponendæ aliæ virtutes infusæ circa illud idem obiectum, sequeretur quòd non esset necessarium, ponere virtutes Theologicas infusas, quod est inconueniens manifestum. Consequentia probatur: quia fides, spes, & charitas acquisitæ ordinãt nos, & perficiunt in ordine ad idē obiectum, scilicet Deū: nihil enim diligitur charitate infusa, quod non diligatur charitate acquisita, & sic de alijs.

Obiectio prima Caietani.

50 Præterea si non ponerentur virtutes morales infusæ, sequeretur, quòd baptizato puero vel adulto, qui respectu vitij, & virtutis moralis se haberet neutraliter, non sufficienter ei prouisum esset à Deo: quia esset quidem ei prouisum circa finem per virtutes Theologicas infusas, sed non esset ei prouisum circa appetitum inferiorem per virtutes morales, & sic non posset operari perfectè, sed imperfectè: ipse enim sine virtutibus esset imperfectus, & sic consequenter operationes eius essent imperfectæ.

Secunda obiectio eiusdem.

51 Ad primam breuiter pro nunc dicimus cum Scoto in 1. d. 17. vbi contra Magistrum probat charitatem creatam debere poni in nobis, & in 4. d. 4. q. 2. & 3. d. 23. quod naturaliter non est notum, nec potest probari in nobis esse virtutes infusas; sed sola fide creditur: ideò cum ex fide nō habeamus dari virtutes morales infusas, nō sunt ponēdæ: quia non adest necessitas, quæ de Theologicis habetur.

Ad primã obiectionē

52 Ad secundam responderur ex Scoto in 3. dist. 36. §. *Contra hoc est Augustinus*, versus finem, quòd per virtutes infusas est sufficienter prouisū illi: quia vel natus est habere virtutes morales acquisitas, vel non: si sic, per illas ei prouidetur: si non, vt putà, quia non habet vsum rationis, vt paruuli, dicendum est non esse necessarium ponere in eis virtutes morales aliquas, neque etiam in patria: quia sufficienter benè disponitur circa appetibilia per charitatem infusam; sicut non est necesse, quòd in patria habeant omnem notitiam in genere proprio; sed sufficit, quòd habeãt eam in Verbo. Dat alias responsiones Scotus, quas apud eum videre poteris; sunt enim faciles apud eum ibidem.

Ad secundam.

53 Tertia ratio principalis, quæ est fundamentū principale opinionis Scoti, est hæc, quã suprà declarantes quomodo pœnitentia sit specialis virtus, & quæ tetigimus, & habetur à Scoto in hoc 4. d. 14. q. 2. in responsione ad vltimum argumentum principale, & in 3. d. 36. §. *Contra hoc est August. in Sermone*, &c. Ratio, propter quam aduersarij ponunt pœnitentiam esse virtutem infusam, est, vt salnentur Scripturæ, & auctoritates Patrum, & Cōciliorum, quæ dicunt pœnitentiam esse à Deo, quas suprà ratione secunda, & tertia pro aduersarijs adduximus, quibus addere possumus auctoritates D. Augu. adductas à Scoto in responsione ad tertium, quarum vna est ex libro de vera, & falsa pœnitentia, vbi ait. *Cum sit opus Dei fructifera pœnitentia inspirare eam potest quandocunque vult sua misericordia.* & eodem loco habet pro inconuenienti, quòd sine vero amore Dei consequatur quis veniam, & de pœnitentia inquit. *Sine charitate in nobis esse non potest vera pœnitentia.* & plores alias similes. At optimè saluantur istæ auctoritates, & exponuntur Concilia secundùm opinionem nostram: quia licèt dicamus actum pœnitentiæ esse naturalem, & ex solis viribus liberi arbitrij elici posse; tamen dicimus cum Scoto ad hoc, vt actus istæ pœnitentiæ naturalis sit fructuosus, & vt sit pœnitentia, quæ exigitur à Deo ad delendum peccata, necessarium esse vt procedat ex charitate, & ex auxilio diuino. Quòd confirmatur ex Concilio Tridentino, vbi suprà sess. 6. cap. 6. can. 3. vbi addit illam particulam, *Sicut oportet*, Ad denotādum, quod non quæcunque pœnitentia absolutè est à Deo, & ex gratia illa præuenienti Dei; sed solùm pœnitentia fructifera, & quæ delet peccata: vel saltem est apta nata delere peccata, quæ est pœnitentia cum relatione extrinseca ad charitatem. Quòd adhuc confirmatur: quia non est de fide ponere virtutes morales infusas: ideò Concilium noluit hanc litem ibi dirimere; sed dum apposuit illam particulam, *Sicut oportet*, Tacitè voluit innuere dari pœnitentiã, quæ est virtus naturalis, & cuius actus est naturalis, & acquisitus, & quòd de hac non intendit: & hanc rationem confitetur Suarez, vbi suprà, esse efficacem in rigore.

3. Rō principalis.

Confirmatio.

54 Quòd autem Scotus asserat pœnitentiam fructuosam, & quæ delet peccatum, debere elici ex charitate, patet euidenter ex locis citatis. Nam in 4. d. 14. q. 2. in respōsione ad vltimum inquit, omnes auctoritates adductas vnam habere responsionem: quia pœnitentia siuè actus, siuè virtus non est vera, quantum ad finem pęnitentiæ attingendum sine charitate; & in tertio loco citato, vbi disputat, an virtutes morales sint connexæ charitati art. 3. dicit, quòd nulla virtus inclinat ad finem vltimum, nisi mediante illa virtute, cuius est per se respicere finem vltimum. Et ita cum sola charitas respiciat finem vltimū immediatè, aliæ virtutes non sunt ad finem vltimum nisi mediante charitate, & ita concedit, quòd in se sine charitate sunt imperfectæ: tamen vnaquæque illarum est perfecta in sua specie. Extrinsecè ergo, idest ex relatione ad charitatem habent hanc perfectionem vt ordinent nos ad Deū, vt ad finem vltimum; & propter hoc respondens ibi ad auctoritates D. Augusti. quæ probant, quòd virtutes morales sine charitate non sunt veræ virtutes. Dicit, quòd nō sunt veræ virtutes sine charitate, quia sine illa non perficiunt ad beatitudinē: tamen in suo genere sunt perfectæ,

Scotū asserere pœnitētiam fructuosã esse ex charitate.

55 Possumus addere aliam rationem quæ est, quòd si non datur pœnitentia, quæ sit actus virtutis naturalis acquisitæ, sequitur quòd cum quis cognoscit se detestari peccatum propter Deum, sciat certè se esse in gratia: quod tamē est absurdum, quia nemo in hac vita scit an sit dignus amore, vel odio, nisi hoc habeat ex speciali reuelatione. Consequentia autem est euidens: quia actus ille pœnitentię semper esset supernaturalis, & ex gratia: ergo qui illum haberet esset in gratia. Cæterum hoc argumentum concludit de gratia habituali, nō de auxilio præuenienti: ideò non est multum ad rem, vt patebit ex dicendis.

4. Ratio ex Caietano.

56 Nunc explicāda est breuiter opinio Scoti, & rationibus aduersariorum est satisfaciendum. Notandum est autem, quòd Scotus sibi aduersari videtur in hac re. Nam hucusque ex eo probatum est pœnitentiam esse virtutem naturalem acquisitam, & hoc nunc infrà magis patebit, & viribus naturalibus posse haberi; dixit etiam hac quæst. 2. art. 2. Hominem existentem in peccato ex viribus naturalibus cum communi influentia, posse considerare peccatum, vt offensiuum Dei, vt contra legem diuinam, & vt auersiuum à Deo, &c. Atque hunc motum esse attritionē, quæ si continuetur, vsque ad certum tempus determinatum à Deo informatur gratia, & sit cōtritio: & in responsione

Opin Scoti videtur includere cōtradictionem.

sione ad tertium ait, pœnitentiam absolutè posse innasci ex naturalibus. Ex hoc videtur velle, quòd actus pœnitentiæ, vt est virtus moralis naturalis absque auxilio supernaturali sit, dispositio sufficiens ad consequendam gratiã habitualem, ac remissionem peccati: tamen ex aduerso deindè sustinet in respõsione ad tertium eiusdem quæst. & in 3. d. 36. vt diximus suprà, quòd pęnitentia fructuosa, & quæ delet peccatum nõ possit haberi sinè charitate, & concursu supernaturali; ergo sibi apertè contradicit.

Contradictio soluitur.

57 Antequam hoc dubium soluatur, opinio Scoti de pœnitentia virtute naturali est explicanda: illa enim explicata ad hoc dubium facilius satisfaciemus. Notandũ est ergo, quòd ex Scoto in hac dist. 14. quæst. 3. pęnitentia virtus moralis est duplex: altera est virtus moralis purè naturalis: altera est virtus moralis non purè naturalis, sed euangelica, & docta à Christo; vtrumque membrũ mox declarabitur. Ratio huius diuisionis est, quia, vt docet ipsemet Scotus in 3. dist. 36. quæst. 1. art. 2. & communiter, omnis virtus moralis appetitiua habet regulam in intellectu, secundùm quam regulatur: virtus enim debet esse conformis rectæ rationi: modò regula, quæ dictat virtutes, & docet cognoscere, qui actus sint boni, vel mali, est duplex. Alia est naturaliter cognoscibilis, vt ista. De peccato est displicendum. Ista enim regula ex lumine naturæ est nota, & fuisset nota Angelo, si Angelus fuisset viator post primum peccatum: sicut sumus nos homines, qui post primum actum bonum, vel malum, non complemus nostram viam, vt Angeli; sed toto tempore vitæ nostræ possumus mereri, & demereri. Ex hac regula generatur in nobis virtus pœnitentiæ moralis naturalis, qua detestamur peccatum, ac illud nobis displicet: & hæc virtus sicut & regula eius, inquit Scotus, potuisset esse in Angelo, si post primum peccatum fuisset viator, sicut sumus nos. Et insuper, inquit Scotus, hæc virtus pęnitentiæ sicut & regula eius potuisset esse in omni statu vniformis, scilicet in statu naturæ conditę, & in statu naturæ lapsæ: quia si non deficeret cognitio naturalis conueniens naturæ humanæ, posset natura humana pro quocunque statu deuenire in cognitionem istius regulæ, & per consequens posset æquè habere in voluntate aliquid inclinans proportionaliter isti regulæ; istud esset hæc pœnitentia moralis naturalis. Altera regula cognoscendi peccatum esse detestandum est, quæ dictat peccatum esse detestandum, inquantum est offensiuum Dei, vel inquantum est auersiuum à Deo, vel impeditiuum acquisitionis beatitudinis, vel inquantum est inductiuum finalis miseriæ. Et hæc regula est nota solùm ex reuelatione. Huic regulæ correspondet alia pęnitentia in uoluntate, quæ est virtus quædam diuersa à pęnitentia naturali: sicut regula eã inducens est quoque diuersa. Quòd autem regula hæc, quæ dictat peccatum esse detestãdum quatenus est offensiuum Dei, &c. non possit naturaliter à nobis cognosci, sed ex sola reuelatione, probatur à Scoto: quia sicut lumine naturali, non possumus habere supremas veritates speculatiuas, sed tantùm ex reuelatione, vt Deum esse trinum, & vniuersaliter quascumque veritates immediatas de Deo, vt dictum est in primo libro in prologo quæst. 1. consimiliter veritates praticas, vt Deum sub propria ratione esse finem supernaturalem creaturæ intellectualis, & alias similes, non possumus cognoscere, nisi ex reuelatione: quia omnia ad extra sunt contingentia: contingentia autem non possunt sciri, nisi ex reuelatione Dei, vt prima illa quæst. prologi docuimus cum Scoto. Ex quo remanet impugnata opinio Veghæ lib. 13. in Concilium Tridentinum cap. 25. Suarez disp. illa 3. sect. 7. Et aliorum, qui sustinent lumine naturali posse hanc regulam cognosci peccatum esse detestãdum, quia est offensiuum Dei, &c. Auctoritates autem Sanctorum, quæ dicũt, Philosophos non excusatos esse à peccato, ibi explicauimus. Et argumentum Suarez, quòd prouidentia Dei est nota naturaliter, non concludit: quia falsum est, quòd prouidentia Dei sub hac speciali ratione, qua ordinauit creaturam intellectualem ad se ipsum tamquàm ad finem vltimum suæ beatitudinis, sit nota naturaliter.

Duplex pęnitentia virtus, scilicet naturalis & euangelica

Duplex regula cognoscẽdi bonitatẽ, & malitiã actus.

Opinio Veghæ, & Suarez reijcit.

Redeundo ergo ad propositum, inquit Scotus, quòd secundùm istas duas regulas possunt generari in nobis virtutes duplicis generis: aliæ enim generantur ex lumine naturali puro, vt virtutes morales, de quibus Philosophi, & talis est pęnitentia virtus naturalis: aliæ verò possunt generari in nobis ex 2. regula, scilicet ex virtutibus lumine supernaturali cognitis, vt ex istis. Omnia dimittenda sunt propter Christum, & pro Christo Prelatis est obediendum in omnibus licitis, & hoc modo generantur virtutes euangelicæ, vt paupertas euangelica, castitas, & huiusmodi: ex his enim regulis directiuis educuntur. Neque ex hoc, quod istæ virtutes oriuntur ex principijs, & veritatibus reuelatis, est dicendum, quòd non sint virtutes, & virtutes morales: immo dicendũ est, quòd sunt virtutes excellentiores, quàm virtutes morales ex principijs nobis lumine naturali genitæ: tum quia illæ veritates reuelatæ sunt excellentiores veritates; quia viator ad illas proprijs viribus attingere non potest: tum quia sunt certiores veritates, quia sunt dictatæ ab illa veritate, cui falsum subesse non potest, & qui mentiri, nec falli, nec fallere potest. Quòd etiam sint virtutes morales probat Scotus, quia secundùm Philosophum 2. Ethicorum cap. 1. virtus moralis dicitur esse ex hoc, quod est ex more, vel ex consuetudine generabilis: at appetitus ex cognitione ne dum naturali, sed ex fide habita, potest se exercere circa aliquos actus rectos secundùm finem: & sic poterit acquirere in se ipso habitum, & inclinationem ad eliciendũ actus rectus secundùm regulam, & fidem habitam. Et hoc modo paupertas euãgelica humilitas, castitas, & huiusmodi virtutes euangelicæ sunt virtutes morales: quia secundùm perfectam, & rectam rationem licèt non purè naturalem ex more, idest ex frequenti electione generantur in nobis; habita enim reuelatione, quòd paupertas voluntaria est medium ad acquirendum vitam æternam, possum me velle exercere in paupertate, in castitate, &c. & sic istæ virtutes euangelicæ naturaliter generantur. Et ita ad propositum pœnitentia, quæ est virtus euãgelica, potest naturaliter, & ex more, scilicet ex frequentibus actibus generari in nobis ex hac regula, & veritate euangelica nobis reuelata, Pęnitentiam agite. Audita enim hac veritate, & admonitione ex euangelio, potest quis sua voluntate frequenter elicere actum conformen illi regulæ, & sic in ipso generabitur habitus inclinãs ad similes actus: & ille habitus est verè, & propriè virtus, quia rectæ rationi immo rectissimæ est consonus: & tamen moralis, quia ex more, & ex consuetudine genitus.

Virtutes duplicis generis generantur in nobis

Paupertas, humilitas, castitas euãgelica, &c. sunt virtutes morales

58 Ex his ergo habemus, quòd secundùm Scotũ tàm pœnitentia, quæ est detestatio, sinè vindicta peccati, vt est absolutè malum, quæ est virtus moralis merè naturalis, quàm pęnitentia euangelica, & Christianà, quæ est vẽdicatio, & detestatio peccati secundùm regulas euangelicas vt quia est offensiuum Dei, &c. est virtus naturalis moralis, & acquisita. At tunc magis vrget dubium, & contradictio superiùs proposita: nam eius sententia repugnare videtur fidei Catholicæ, quæ tenet actum pęnitentiæ christianę oriri ex motu speciali Dei, non ex viribus puris liberi arbitrij. Videtur etiam Scotus velle, quòd actus naturalis pęnitentiæ sit dispositio sufficiens ad gratiam habitualem consequẽdam, quod pariter est contra fidem. Videtur etiam sibi contradicere: quia, vt diximus suprà, vbique asserit pęnitentiæ actum non esse meritorium, nec fructuosum, nisi sit ex charitate, & per hoc respondet ad auctoritates in contrarium; ergo sibi repugnat.

Epilogus opinionis Scoti.

Contradictio magis vrgetur.

59 Respondetur certissimum, & incõcussum esse Scotum tenere actum pęnitentiæ fructuosum, & meritoriũ de congruo gratiæ habitualis, ac ad illam dispositionem non esse ex puris viribus liberi arbitrij, secluso auxilio gratiæ: quia iam, vt diximus suprà locis suprà citatis, affirmat constanter actum pęnitentiæ tunc solùm esse fructuosum cum est ex charitate elicitus, & nos latè disput. sequenti demon.

Solutio cõtradictionis propositæ.

demonstrabimus longo sermone, quæ non sunt hic repetenda. Ideò est distinguendum quòd actus vtriusque virtutis pœnitentiæ moralis, tam naturalis, quàm Euangelicæ potest duobus modi considerari. Vno modo quatenùs est actus præcisè illarum virtutum moralium. Alio modo quatenùs est actus illarum, sed elicitus ex charitate, & dilectione Dei, & ordinatus ad delendum peccatum, & ad beatitudinem. Primo modo est actus merè naturalis, & homo ex puris viribus liberi arbitrij absque auxilio specialis prouidẽtiæ, & misericordiæ Dei potest elicere: quia vt dicemus in materia de auxilijs actus moraliter boni possunt elici à nobis absque auxilio gratiæ specialis diuinæ. Secundo verò modo non potest elici nisi ex gratia, & auxilio Dei præueniente, vt ibidem dicemus, & hoc modo loquntur auctoritates Sãctorum, & Concilia Patrum, & Scotus, cum ait, actum pęnitentiæ debere ordinari per charitatem; cum verò ait actum pœnitentiæ esse naturalem, est intelligendus de pœnitentiæ actu primo modo sumpto.

Obiectio grauis.

60 Sed aliquis dicet, Pœnitentia Euangelica includit relationem ad charitatem, & dilectionem Dei: nam in Euangelio, & Sacris litteris continetur, quòd debet nobis displicere peccatum propter amorem Dei. Deinde superiùs sæpiùs dictum est, quòd dolere de peccato, vt est offensa Dei, est actus charitatis; ergo actus pœnitentiæ Euangelicæ includit relationem ad charitatem; ergo distinctio allata est vana.

Alia obiectio.

Solutio primi dubij.

Respondetur, quòd pœnitentia Euangelica potest duobus modis considerari. Vno modo vt est specialis virtus pœnitentiæ causata ex regulis Euangelicis dictantibus actum pęnitentiæ, vt est actus specialis virtutis. Alio modo non vt est virtus pœnitentiæ specialis pręcisè, sed quatenùs complectitur omnes relationes, & conditiones, quæ requiruntur ad hoc, vt sit fructuosa, & ordinata ad vitam æternam. Verum est, quòd pęnitentia Euãgelica hoc secundo modo considerata includit relationẽ ad charitatem: at hoc est extrinsecum pęnitentiæ, quæ est virtus specialis. Si verò consideretur primo modo sic dicimus non includere relationem ad charitatem, & dilectionem Dei, quia hoc est extra essentiam pęnitentiæ virtutis specialis, quæ est dolor, & tristitia de peccato, prout est malum prohibitum à Deo, offensiuum eius, priuatiuũ summi boni, &c. Dictum est enim suprà, quòd virtus naturalis pęnitentię est duplex. Altera purè naturalis, quæ ex cognitione naturaliter insita acquiritur, & hæc est, quæ dictat peccatum esse vindicandum, quia naturæ est contrarium, & propter bonum commune, & ipsius legislatoris. Altera est naturalis Euangelica, quæ dictat peccatum esse vindicandum prout lex Euangelica docet; nimirum, quia peccatum est offensiuum Dei, impeditiuum acquisitionis beatitudinis, & inductiuum finalis miseriæ, & alijs circunstantijs explicatis in Euangelio: non autem propter amorem Dei, quia hæc ratio detestãdi peccatum est propria charitatis, vt suprà diximus. Nam licèt in Sacra scriptura habeatur etiam peccatum esse detestãdum propter amorem Dei; tamen hæc ratio non competit pęnitentiæ Euangelicæ, vt particularis virtus est; sicut nec alijs virtutibus particularibus, vt sunt castitas, obedientia, &c. Omnes enim virtutes habẽt propria obiecta, & proprias differentias, per quas distinguuntur, vt suprà diximus. Charitas ergo habet pro obiecto Deũ sub ratione nobilissima, scilicet vt dilectum; & sic distinguitur ab alijs virtutibus Theologicis, & moralibus. Quòd autem actus aliarum virtutum ordinentur ad Deum, hoc est extra rationem ipsarum; & competit eis, quatenus imperantur à charitate: vndè hæc relatio competit omnibus virtutibus, quòd esse non posset si esset propria alicui virtuti. Stando ergo pręcisè in actu virtutis pęnitentiæ Euangelicæ actus eius non elicitur propter amorem Dei; & idem de alijs virtutibus; & tunc nullus actus virtutum particularium est fructuosus, & meritorius, licèt sit bonus moraliter. At cum actus pœnitentiæ Euangelicę elicitur ex charitate, idest propter amorem Dei, est meritorius, & fructuosus. Et sic ad argumentum respondetur, quòd actus virtutis pœnitentiæ Euangelicæ, vt est virtus naturalis pręcisè non est meritorius, nec fructuosus; sed quatenus actus iste elicitur ex charitate est fructuosus; & actus hoc modo nõ potest elici solis viribus naturalibus; sed requiritur auxilium Dei: actus verò virtutis pœnitentiæ Euangelicæ, vt est pręcisè actus illius, & non est elicitus ex charitate, idest ex dilectione Dei, potest haberi viribus naturalibus.

Responsio ad argumẽtum.

Ad secũdã obiectionẽ

61 Ad secundam verò obiectionem, quia tristari de peccato quatenus est offensiuum Dei, auersiuum ab illo, &c. est actus charitatis, respondeo similiter, quòd pœnitentia, vt est pręcisè virtus particularis moralis etiam Euãgelica tristatur de peccato, vt est offensiuum Dei, nõ quatenus Deus est dilectus, sed quatenùs est supremus legislator cui est obediendum, à quo omne pręmium, & omnis pœna prouenit: & ideo licèt omnes virtutes Euangelicæ ordinentur ad charitatem, & dilectionem Dei; tamen habent etiam suos limites, & fines: vndè Theologicæ virtutes licèt omnes sint circa Deum; tamen sunt inter se distinctæ; & illæ posteà sunt multo magis distinctæ à virtutibus moralibus, etiam secundùm regulas Euangelicas ordinatis, & generatis, vt patet de castitate, paupertate, humilitate, &c. Est autem hic notandum, dum dicimus actum pęnitentiæ fructuosum, &c. elici debere ex charitate, nos non intelligere, quòd debeat elici à charitate inexistente, idest à gratia habituali iustificante, & debere esse formatum: nam hoc est omninò falsum, quod probat Scotus in quæstione secunda illius dist. 14. in responsione ad tertiũ: nam actus ille pęnitendi elicitus à charitate est dispositio, & via ad gratiam habitualem acquirendam, quia delet peccatum meritoriè, scilicet de congruo, sicut peccatum destruit gratiam demeritoriè: ideo actus ille est informis donec gratia habitualis creatur; & manet cum peccato mortali: immò ex multis actibus talis pœnitentiæ posset generari habitus pœnitentiæ in peccatore, nisi Deus iustificaret ipsum peccatorem priusquam possint generari tot actus, qui sint sufficientes ad generationem habitus pœnitentiæ. Dicitur ergo actus ille esse ex charitate, quia est elicitus ex motiuo charitatis, & est aptus natus, generare habitum charitatis. Cũ ergo quis ex dilectione actuali Dei explicitè non implicitè mouetur ad imperandum detestationem, & vindicandum peccatum, vt offensiuum illius summi boni dilecti; vel mouetur in odium peccati, vt acquirat amorem Dei, est actus pœnitentiæ fructuosus, & est ex impulsu diuino semper; & est dispositio sufficiens ad delendum peccatum: ideo cum Scotus ait, quòd homo existens in peccato cum communi influentia Dei potest detestari peccatum, vt offensiuum Dei, &c. Et quòd iste actus durans vsque ad debitum tempus, & habens sufficientem intensionem, est sufficiens dispositio ad gratiam, & fit contritio ex infusione gratiæ: loquitur de hoc actu pœnitentiæ, vt est ex impulsu charitatis, & dilectionis Dei actualis. Vndè rectè Concilium Tridentinum sect. 6. cap. 6. docens exordium iustificationis peccatoris inquit. *Disponuntur autem ad ipsam iustitiam dum excitati diuina gratia & adiuti fidem ex auditu concipientes liberè mouentur in Deum*, &c. Quibus verbis manifestè patet, non omnem actum bonum moraliter esse ex impulsu gratiæ diuinæ pręuenientis, sed solùm illum actum, quo quis mouetur in Deum explicitè credendo vera esse, quæ in Scriptura reuelata sunt, & quo quis considerans peccata sua timore diuinę iustitiæ concutitur vtiliter, & ad considerandam Dei misericordiam se conuertendo in spem erigitur fidẽs Deum sibi propter Christum propitium fore, &c. Hic ergo actus pœnitentiæ elicitus ex dilectione Dei, & charitate, est dispositio sufficiens ad gratiam habitualem; & hic à gratia Dei pręueniente inducitur, & producitur.

Actus pœnitentię an debeat esse formatus.

62 Ex his ad rationes aduersariorum facilè est respondere. Ad primam negatur minor. Ad probationem iam dictum est, quòd pœnitentia si consideretur in se, & intrinsecè non habet Deum pro fine, & obiecto, neque amicitiam Dei; sed solùm extrinsecè, & ex relatione ad charitatem:

Ad primã rationẽ aduersariorũ.

tatem: & licèt pœnitentia Euangelica, vt est particularis virtus moralis respiciat peccatum, vt est offensiuum Dei, non tamen respicit peccatum, vt est offensiuum Dei, vt dilecti, & vt vltimi finis immediatè; sed quatenùs est offensiuum Dei, vt est primus, & supremus gubernator, & legislator. Quòd autem vltimatè reducatur ad Deum, hoc nihil est: quia sic omnes virtutes morales vltimatè reducuntur ad Deum: nec tamen sunt infusæ, nec supernaturales.

Ad secũdã rationem.

63 Ad secundam respondetur ex eodem fundamento. Nam actus pœnitentiæ duobus modis considerari potest. Vno modo, vt est actus pœnitentiæ virtutis moralis nudè absque relatione extrinseca ad charitatem. Secũdo modo, vt includit relationem extrinsecam ad charitatem & est ordinatus ad beatitudinem. Primo modo est actus bonus moraliter, & hic viribus naturalibus haberi potest sine auxilio gratiæ. Actus pœnitentiæ secundo modo à solo Deo inspiratur, & auctoritates loquuntur de isto, non de primo, de quo nos loquimur.

Ad tertiam rationem.

64 Ad tertiam respondetur per idem fundamentum: pœnitentia enim quæ est sufficiens dispositio ad gratiam, non est pœnitentia nuda, quæ est virtus naturalis acquisita etiam Euangelica; sed quæ ex charitate imperatur, vel ordinatur ad charitatem, & ad beatitudinem, & Concilia loquuntur de pœnitentia, siue de actu pœnitentiæ hoc secundo modo dictæ. Ad rationem Suarez contra hoc negatur consequẽtia; neque enim est par ratio de actu fidei, spei, & charitatis, & de actu pœnitentiæ: quia illæ sunt virtutes Theologicæ, & supernaturales ex suo genere: at pœnitentia non est sic. Vndè Cõcilium hoc benè cognoscens addidit illam particulam, *Sicut oportet*, ad denotandum de quo actu pœnitentiæ intelligat: non enim de quolibet hoc dicit; sed de illo actu pœnitentiæ, qui habet relationem ad charitatem, & ordinatur ad vitam æternam. Et per hoc idem patet ad aliam rationem: concedo enim quòd Concilium loquitur distinctiuè, sed accipit pęnitentiam nõ nudè, sed vt includit relationem ad charitatem.

Ad rationẽ Suarez.

Ad quartã rationem.

65 Ad quartam respondetur, quòd actus pœnitentiæ, qui est dispositio sufficiens ad gratiam, est supernaturalis, & dignus ex sua natura dignitate, quæ competit merito de congruo, vt acceptetur à Deo; sed hic est actus pęnitentiæ cum relatione ad charitatem, vt dictum est: actus autem pœnitentiæ quæ est virtus moralis naturalis, non est dispositio congrua, nec sufficiens ad gratiam habitualem, vt dictum est, & hæc satis sint de hac difficili quæstione, quantùm ad declarationem, quæ virtus sit pœnitentia; quantùm verò ad aliud, quod in contradictione adducitur, quòd Scotus videtur velle actũ virtutum naturalium esse dispositiones ad gratiam, disp. sequenti quid sit dicendum manifestabitur.

DISPVTATIO XIIII.

Vtrùm actus naturales boni sint meritorij de congruo gratiæ habitualis, & iustificationis.

Obiectiones aduersariorum contra Scotum. Caput Primum.

1 SEcundo loco dubium graue occurrit circa dictum illud Scoti dist. 14. quæst. 2. quòd homo in peccatis existens cum cõmuni influentia Dei potest considerare peccatum vt offensiuum Dei, &c. & dolere de eo, & habere attritionem, & mereri de congruo gratiam habitualem, & iustificationem, vt diximus primo capite pręcedentis disputationis: videtur enim velle Scotus, quòd homo ex puris naturalibus sine auxilio gratiæ per Christum Dominum possit se disponere ad gratiam, & possit habere actum pœnitentiæ fructuosum, & consequenter sinè auxilio gratiæ pręuenientis, sed ex solis viribus naturæ possit facere opus pium, & resurgere à peccato, quod est hæresis Pelagianorum. Hanc eandem doctrinam habet Scotus in 2. dist. 28. & 3. dist. 27. ex professo sustinet hominem ex puris viribus naturæ posse diligere Deum super omnia, quæ est dispositio sufficiens ad gratiã Dei obtinendam. Vndè Gregorius de Arimino 2. Sent. dist. 26. 27. & 28. Soto in 4. d. 14. q. 2. a. 5. & lib. 1. de natura, & gratia cap. 2. & 19. & 2. lib. cap. 3. Vasquez p. p. disp. 91. cap. 10. & alij ex Recẽtioribus aduersus Scotum valdè inuehuntur, ac eius opinionem, vt Pelagianam damnant. Cæterùm de hac materia ex professo agemus in materia de auxilijs diuinis: ideò hic tantùm probabimus Scotum per influentiam generalem intelligere gratiam pręuenientem Dei per Christum, neque in sensu discrepare à cæteris Catholicis Doctoribus.

2 Cum ergo hæc opinio videatur multis Semipelagiana, contra eam arguunt. Primò Soto 4. Sent. d. 14. q. 2. art. 5. sic, Negare auxilium speciale in iustificationis exordio est contra illud Ioan. 6. *Nemo potest venire ad me nisi Pater, qui misit me, traxerit eum*. Quæ auctoritas nisi intelligatur de auxilio speciali nullam haberet energiam: quoniam sine auxilio communi, neque folia arboris mouentur. 1. Ratio.

3 Secundò. Paulus 2. ad Corinthios. 3. *Non quòd sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis.* 2. Ratio.

4 Tertiò. Ieremias 31. *Conuerte me Domine & conuertar*. & Threnorum 5. *Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur*. 3. Ratio.

Quartò. August. de gratia, & libero arbitrio cap. 5. *Nisi donum Dei esset etiam ipsa ad Deum nostra conuersio non ei diceretur, Domine Deus virtutum conuerte nos.* 4. Ratio.

Quintò. D. August. Hypognosticon lib. 3. ex professo aduersus Pelagium decreuit, quòd homo per liberum arbitrium, nec incipere valet, nec proficere, nisi speciali diuino subsidio pręueniatur. 5. Ratio.

5 Sextò. Ratione probatur, quia conuersio in Deum est actus supernaturalis; ergo non potest haberi ex solis viribus naturalibus: antecedens, & consequentia patent. 6. Ratio.

6 Septimò. Pelagius pro sua opinione vtebatur hoc argumento, vt refert D. August. contra duas Epistolas Pelagianorum cap. 7. Si facientem viribus naturalibus, quod in se est, Deus non iustificaret, Deus esset acceptator personarum: modò Scotus in hoc quarto vtitur eodem argumento; ergo Scotus planè consentit cum Pelagianis. 7. Ratio.

7 Octauò. Auctoritate Concilij Tridentini sess. 6. cap. 5. Vbi dicitur exordium iustificationis in adultis à præueniente gratia sumendum esse, per quam excitantem, & adiuuantem se homines ad suam iustificationem liberè assentiendo, & cooperando dispõnunt. & cap. 6. dicitur. *Disponuntur homines ad ipsam iustitiam, dum excitati diuina gratia, & adiuti librè mouentur in Deum.* 8. Ratio.

8 Nonò. Admittere meritum de congruo ex proprijs viribus naturalibus absque gratia est damnatum in pluribus concilijs. Sed Scotus videtur in hac sua opinione admittere meritum de congruo; ergo eius opinio est Pelagiana, & cum illa pœnitus consentit. 9. Ratio.

9 Decimò. Omnes rationes, quæ adducuntur contra Massilienses, & Semipilagianos valent etiam contra Scotum: quia hæc opinio Scoti coincidit cum opinione Massiliensium. 10. Ratio.

10 Hinc arguit Gabriel Vasquez p. p. disp. 91. cap. 10. probat enim quòd Scoti opinio, & multorum aliorum Scolasticorum coincidat cum opinione Semipilagianorum, hac ratione, Quia Scotus, & illi alij Scolastici ponunt aliquam dispositionem ad gratiam prouenire ex viribus liberi arbitrij, & præcedere: quia nos, aiunt, de congruo mereri collationem gratiæ. Hæc autem erat opinio Semipilagianorum. Vasquez.

11 Vndecimò. Auxilium, quo mouemur ad iustificationem, est gratia per Christum: at auxilium illud generale non est gratia per Christum; sed est debitum nobis à Deo; ex eo enim quòd nos creauit, debet etiam nos conseruare, & adiuuare, vt operemur opera naturalia. 11. Ratio.

12 Duodecimò. Gregorius de Arimino 2. Sent. d. 26. q. 1. sustinet quòd homo non potest operari opus moraliter 12. Ratio.

ter bonum sine auxilio speciali Dei; ergo multo minus possumus operari sine auxilio speciali opus, quod sit dispositio de congruo ad iustificationem.

13. Ratio.

13 Decimotertiò. Cōcilium Tridentinum sess. 6. can. 22. decreuit dari auxilium speciale, quòd Scotus negare videtur.

Exponitur intellectus verus opinionis Scoti, & opinio opposita reijcitur, opinione quorundam Scotistarum reiecta. Caput Secundum.

14 EX nostris Scotistis duos vidi, qui Scotum ab his calumnijs tueri voluerunt, Andream Vegam li. de iustificatione q. 10. & 11. & Delfinum in tractatu de iustificatione.

Vega.

Andreas autem Vega q. 11. apertè dicit, tantam sibi inesse pietatem erga Doctorem subtilem, vt argumentis superiùs adductis minimè adduci possit, vt existimet Doctorem ita Catholicum existimasse hominem se ex puris viribus naturę posse disponere ad gratiam sufficienter. Vndè respondet Scotum in hoc quarto loco citato loqui de dispositione intellectus non voluntatis. Et illa verba ex naturalibus, & cum influentia communi, non esse referenda ad vtramque potentiam rationalem; sed tantùm ad intellectum, non ad volūtatem, vt sensus sit, Intellectū quidem ex puris naturalibus cum communi influentia posse considerare peccatum, vt offensiuum Dei, & cęt. non autem dicere, Voluntatem posse Deum diligere, & velle propter se ex puris viribus naturæ, atque Scotum credidisse aliquam esse differentiam inter intellectum, & voluntatem.

Ad illud verò ex eodem loco, quòd nisi homo se possit disponere ex puris naturalibus, difficile est saluare, quòd Deus non sit acceptator personarum. Respondet. Posse concedi ex parte hominis requiri aliquam dispositionem quoque ad iustificationem, licèt quoque auxilium speciale concurrat; Scotum autem ibi intendere loqui de primo, non de secundo.

15 Ad illud ex eadem quæstione in responsione ad vltimum principale, ait Scotum intendere, quòd pœnitentia innascitur ex naturalibus, idest sine gratia habituali, & hoc Scotum ibi intendere, non autem sine auxilio speciali Dei.

16 Ad locum ex 3. Sent. dicit, Scotum ibi asserere, hominem potuisse diligere Deum super omnia in statu innocentiæ, non autem pro statu isto.

Delfinus.

17 Ad illud ex 2. ait Scotum ibi disputare, An homo possit implere omnia præcepta, & vitare omnia peccata sinè gratia habituali, non sine auxilio speciali.

Delphinus parùm ab eo distat, ait enim, Scotum gratiam præuenientem appellare influxum generalem non simpliciter, sed quia generaliter Deus vult omnes homines saluos fieri, quæ in comparatione ad influentiam, qua omnia regit, & conseruat, specialis est: quia sola speciei humanæ competat. Liberum arbitrium verò, & humanas vires disponentes ad iustificationem vocat pura naturalia, non quia nullam gratiam præuientem præsupponant, sed quia illis nulla sit infusa gratia.

18 Delphinus propiùs ad veritatem accedit, ait enim, Scotum liberum arbitrium cum auxilio pręparante ad iustificationem vocare pura naturalia, quia non habent gratiam habitualem infusam: & gratiam præuenientem Scotum appellare generalem influxum, quia Deus illam dat omnibus hominibus: dici verò speciale auxilium, quia datur soli speciei humanæ.

Defensio Scoti allata reijcitur.

19 Cęterùm, quis sit germanus sēsus Scoti, iam aperui, & clarius manifestabo infrà in materia de attritione, & cōtritione. Interim certum est, quòd isti viri rem non declarant, nec benè opinionem Scoti intellexisse videntur. Clarissimum est enim, Scotum in hoc 4. idem sentire de intellectu, & voluntate: asserit enim peccatorem ex puris naturalibus cum influentia generali posse cōsiderare peccatum, vt offensiuum Dei, & quòd voluntas potest illud peccatum sic consideratum detestari; & infrà ait difficilè esse saluare Deum non esse acceptatorem personarum, nisi ponamus talem dispositionem ex parte peccatoris. Et breuiter euidentissimum est, illas interpretationes nō posse accommodari textui Scoti: apertè enim Scotus negat auxilium diuinum pręueniens esse auxilium aliquod speciale, quod euidentissimum est in Reportatis lib. 2. d. 7. q. 1. Ideo vt defendamus Scotum, non est necessarium eum interpretari, vt non negauerit auxilium speciale, sed est ostendendum, quodnam auxilium speciale Scotus neget; & quomodo opinio Scoti de hoc auxilio generali non sit erronea, & sit Virorum Catholicorum, vt D. Thomæ, & aliorum, quod infrà Deo dante ostendemus: qua in re nō minus apparebit inscitia aduersariorum Scoti, & eiusdem acuties, quàm in alijs.

20 Vt ergo cognoscatur, An opinio Scoti sit catholica, vel Pelagiana, necesse est priùs in medium adducere opinionē Pelagij, & Semipelagianorū. Secūdò. Opinio catholica est explicanda: istis enim perspectis vnusquisque facilè iudicare poterit, An opinio Scoti sit catholica, vel hæreticis faueat.

Opin. Scoti vera explicatio, & defensio.

21 Quantum ad primam hæresis Pelagij, & Cælestij, vt colligitur ex D. August. in varijs locis, sed pręsertim ex Epist. 90. & 95. & ex Epist. 105. 106. 107. & ex Concil. Milleuitano can. 4. & Aphricano circa tēpora Bonifacij can. 79. & alijs, asserebat hominem posse solis naturæ viribus absque vlla alia gratia seruare totam legem, iustificari, in iustitia perseuerare vsque ad mortem, & gloriam consequi. Dicebat enim Pelagius, quòd homo habita creatione à Deo, audita prędicatione, & habitis præceptis à Deo ex se ipso poterat adimplere legem, & facere operationes ex se ipso absque vllo alio auxilio, & gratia Dei, quæ essent condignæ, & meritoriæ vitæ æternæ: & licèt aliquando concesserit gratiā Dei, & auxilium eius dari, vt fecit, cum in Concilio Palæstino subdolè sui erroris fecit retractationem: tamen dixit illam gratiam non esse necessariam ad operandum meritoriè, & ad pręstandum, quæ diximus; sed solùm esse vtilem ad facilius, & melius operandū opera meritoria. Et cum vrgebatur à Patribus, quòd concederet, gratiam esse necessariam iuxta Sacram scripturam, dicebat, gratiam necessariam esse ipsam creationem, pręedicationem, & collationem pręceptorum: hæc enim dona appellabat gratiam Dei; sed auxiliū, & gratiam vltra illam creationem, qua nos Deus adiuuat, vt operemur bonum, negabat: & pro tanto dicebat Pelagius nos gratia Dei iustificari: quia dicebat vires naturales gratuito nobis à Deo esse datas, quibus iustificamur absque vllo auxilio, & gratia Dei. Hunc esse errorem Pelagij pręterquàm quòd ex locis allegatis ex D. August. patet: etiam id asserunt Dominicus Soto lib. 1. de natura, & gratia cap. 1. & Vasquez p. p. disp. 99. cap. 4. & d. 88. cap. 1. qui duo auctores censent præsertim, Scotum fauere Pelagio, & Semipelagianis.

Hęresis Pelagianorū.

22 At Semipelagiani, qui & Massilienses dicuntur, siuè de reliquijs Pelagianorum, discrepauerunt à Pelagio, eo quòd ipsi fatebantur contra Pelagium gratiam, & auxilium Dei nouum vltra creationem, & pręedicationē esse necessarium ad hoc, vt operemur bonum: & sine hac gratia noluerunt nos posse aliquid mereri; sed discrepauerunt à catholicis, eo quòd dixerūt esse in nobis initia quædam ex nostris proprijs viribus, & labore, sinè vlla gratia Christi interius mouente, quibus incipimus operari bonum. Deindè Deus videns hæc initia dat gratiam, qua adiuuamur ad promouendum hos conatus, & hæc desideria, & qua perficiūtur opera nostra meritoria. Vndè hæc eorum erat propositio. *Labori humano subiungitur gratia*, & alia similis. *Conatus nostri irriti sunt nisi gratia adiuuentur, & promoueantur*.

Hęresis Semipelagiana.

23 Notandum est etiam, quòd dum asserebant esse aliquod initium ex nobis, & nos incipere, & Deum subsequi, non intelligebant, nec volebant, quòd illud initium, & opus inceptum ex viribus nostris esset meritorium de con

digno gratiæ; sed dicebant solùm esse meritorium de cógruo, siue esse impetratorium gratiæ. Videns enim Deus (aiebant) nos incipere operari bonum, ex misericordia sua offerebat gratiam. Hic est error Semipelagianorum, vt constat ex epist. Prosperi, & Hyllarij ad D. Aug. quæ sunt ante librum de prædestinatione Sanctorum, & ex Prospero in libro contra collatorem cap. 1. quod etiam attestatur, & longo sermone ostendit Gabriel Vasquez p.p. dist. 89. cap. 4. & 5. & nos in materia de auxilijs ex varijs locis D. Aug. confirmabimus.

Sententia catholica.

24 Ex his quoque patet, quæ sit sententia Catholica. Vltra enim Concilium Mileuitanum can. 4. & Aphricanum sub temporibus Bonifacij primi can. 79. & Concilium Arausicanum can. 6. nouissimè in Concilio Tridentino sess. 6. cap. 5. diffinitum est, necessariam esse gratiam per Christum, quæ est aliud donum à creatione, & prædicatione, & collatione præcepti; sed est gratia habitualis iustificans: & vlteriùs est necessarium auxilium diuinum nos adiuuans in omnibus operationibus nostris. Et hoc auxilium non solùm coadiuuat nos, & cooperatur nobiscum, sed etiam est præcedens, & præueniens operationem nostri liberi arbitrij. Vndè à Concilio appellatur gratia præueniens, quæ ita præuenit, & mouet nostrum liberum arbitrium, vt ei libertatem non auferat, sed excitet eum, & disponat ad cooperandum, liberè quidem, gratiæ, cui quidem si assentit, Deus ei infundit gratiam habitualem, & iustificatur homo, per gratiam illam iustificantem, & gratum facientem, quæ est gratia habitualis.

Duplex prouidétia generalis, et specialis.

25 Secundò principaliter est notandum, quòd vt habet Scotus in quolibeto 21. in vltimis verbis, versiculo *Secundùm fidem Catholicam*, &c. Deus habet duplicē prouidentiam de rebus: altera est prouidentia generalis: altera est prouidentia particularis: quæ distinctio ab omnibus Catholicis admittitur, quia est vera, & de fide: tamē membra illius non ita explicantur clarè ab alijs, sicut à Scoto, licèt id faciat breuiter, & concisè. D. Thom. quidem p. p. quæst. 22. art. 2. & 3. dicit, Deum habere prouidentiam de omnibus rebus, nedum in vniuersali, sed etiam in particulari, & in indiuiduo, tamen non declarauit posteà qualis sit hæc prouidentia circa singularia, & in particulari: an scilicèt sit concursus vniuersalis cum ipsis causis secundis, qui se extendat ad omnes effectus particulares, etiam minimos: an verò alio specialiori influxu ab ipso solo Deo prodeunte. Vndè de hoc concursu Dei, & prouidentia inter eius sectatores est magna ambiguitas, vt patebit in materia de auxilijs.

26 Prouidentia ergo generalis Dei secundùm Scot. est, qua regit res, secundùm quod natæ sunt regi, secundùm quam D. Aug. lib. 7. de Ciuitate Dei cap. 30. dicit. *Sic Deus administrat omnia, quæ creauit, vt etiam ipsa proprios exercere, & agere motus sinat.* Nihil enim potest esse sinè Deo, vt ibidem, & fusius lib. 5. cap. 9. & 11. & alijs docet. Præter autem prouidentiam istam vniuersalem, & generalem, Deus (inquit Scot.) habet prouidentiam specialem, *quæ est prouidentia ex quadam electione, secundùm quam prouidet vnicuique hominum secundùm merita præsentia, vel futura, & occulta nobis; tamen sibi præsentia, quia eius iudicia sunt semper iusta, licèt occulta: ita quòd aliquando aduersitas plùs proficit, quàm prosperitas, vt ait Boetius 4. de consolatione prosa* 4. Et secundùm hanc prouidentiam generalem, vel specialem dicit omnes casus fortuitos, & casuales, secundùm Theologos reducendos esse in Deum: disputat enim in illo quolibeto, An aliquis possit dici benè, vel malè fortunatus, & quæsitum soluit priùs in via Aristot. secundò in via Theolog. & supposito, quòd detur fortuna, de qua Arist. 2. Physicorum tex. 52. & inde, quæ est causa per accidens eorum, quæ eueniunt in minori parte actionum agentis à proposito; & supposito, quòd bona, & mala fortuna sit: patet enim agenti à proposito, quandoque euenire bonum, quandoque malum præter intentum, & per accidens, dum in his, quæ sunt in potestate nostra, agit, quo modo solemus eum appellare benè, vel malè fortunatū: & insuper in his, quæ non sunt in potestate nostra videmus nobis euenire aliquid bonum, vel malum, præter intentionem: vt cùm quis fodiens terram inuenit thesaurum, alius serpentem. Quærit deinde, quæ sit causa istorum effectuum, bonorum, vel malorum, & respondet secūdùm Arist. dari causam internam, & externam. Internam, ait, appellari ab Arist. impetum naturæ, quo aliquis ad bonum effectum à natura, & sinè cognitione impellitur: causam verò externam secundum Arist. ait, esse Deum ipsum, & probat ibi longo sermone, quomodo hoc non repugnet principijs Arist. qui posuit mundum æternum, & Deum immutabilem. Secundùm Theologos verò, ait, nullam dari causam internam effectuum fortuitò euenientium; sed solùm externam, & illam esse Deum, qui habet prouidentiam, non solùm generalem, sed specialem secundùm merita præsentia, vel futura; atque hoc probat non repugnare Deo: quia si repugnaret, videretur repugnare, quia in eo non cadit mutatio: at si Deus ponatur causa istorum effectuū, videtur poni in Deo mutatio. Hoc autem excludit, quia Deus potest producere hos effectus absque sui mutatione: quia tota mutatio, & nouitas est ex parte effectus, & causarum secundarum.

Verba Scoti.

27 Habemus ergo ex hac doctrina Scoti, Quòd in Deo est prouidentia generalis, qua Deus concurrit cum omnibus causis creatis, vt suos motus agere possint; quæ quidem prouidentia accommodatur ita naturæ ipsarum causarum, vt eas non euertat, sed conseruet, vt agendo de concursu causæ primæ cum secundis in materia de auxilijs dicam. Concurrit ergo hac prouidentia cum volūtate creata, ita, vt eius libertatem non lædat, sed seruet: & sic cum alijs causis secundis seruando earum naturas: & concursus huius prouidentiæ est generalis, vt patet, quia se extendit ad omnes res. Habemus etiam, Deum ipsum circa hominem habere specialem prouidentiam, idest efficere aliqua circa ipsum sinè ipso homine, idest sinè intentione, & proposito ipsius hominis, licèt per alias causas secundas, secundùm quas operationes disponit ipsum hominem ad faciendum merita præsentia, vel futura: huiusmodi autem sunt præcipuè auxilia præcedentia, & adiuuantia ad actus meritorios, & pios. Neque enim aliud esse potest istud, quod Deus prouidet vnicuique homini secundùm merita præsentia, vel futura, nisi auxilia illa præcedentia, & coadiuuantia. Verum est ergo, Scotum concedere Deum per prouidentiam particularem prouidere auxilia præcedentia necessaria ad opus pium, & meritorium.

28 Obseruandum est autem nonnullos multùm contendere, An ad actum bonum supernaturalem præter influxum istum prouidentiæ specialis, qui est præueniens, & adiuuans (aliquid enim Deus facit in nobis, vt cum nos vocat, & hic est influxus, præueniens, & cum assentimus, adiuuat: & hic est influxus cooperans, vel adiuuans) requiratur influxus generalis prouidentiæ: nam præter hunc concursum prouidentiæ specialis videtur requiri cōcursus prouidentiæ generalis: quoniam opus bonum habet duo; est ens creatum, & est ens supernaturale: in quantùm est ens creatum, videtur egere concursu generali, quò ad substantiam actus: quò ad esse supernaturale verò requiritur influxus prouidentiæ specialis. Vndè à quibusdam Thomistis propter hoc concursus iste appellatur supernaturalis. Verùm hæc lis est parui momenti: possumus enim dicere, non esse necessarium multiplicare hos concursus; sed quòd concursus particularis cum libero arbitrio dat actui substantiam actus, & etiam bonitatem supernaturalem partialiter. Vndè auxilium generalis prouidentiæ, & auxilium particularis prouidentiæ, quò ad substantiam, & entitatem sunt idem auxilium, differunt solùm quò ad terminos: nam quatenus concurrit, & dat esse rebus naturalibus, dicitur generalis con-

Auxilium speciale, et auxilium generale quomodo sint idē, et quomodo differant.

cursus

cursus: quatenus concurrit, & dat esse actui supernaturale, dicitur specialis, & supernaturalis. Vndè infrà ostendemus auxilium prouidentiæ specialis appellari generale auxilium, non speciale.

Auxilium speciale duplex.

29 Notandum est vlteriùs hoc auxilium præueniens Dei ad bona opera posse esse duplex: alterum, quod sit quoddam auxilium speciale, quod Deus conferat tantummodo electis, & prædestinatis, & ijs, qui conuertuntur, & habeat certas conditiones proprias, & particulares, vt quòd prædeterminet (secundùm aliquos) physicè, idest verè, & realiter prædeterminet voluntatem ad faciendũ bonum opus determinatum, vel (secundùm alios) sit congruum, itaut infallibiliter faciat illum bonũ effectum facere (de quo modo mouendi fusè agemus in materia de auxilijs.) Et hoc appellatur communiter à recentioribus auxilium efficax: alterum verò, quod sit auxilium quoddam distinctum ab auxilio illo generali, quo Deus concurrit ad causas secundas, vt suos motus agere possint, & sit particulariter ordinatum, ad efficiendum actus supernaturales à creatura rationali producendos, & indiferenter detur omnibus, licèt secundùm magis, & minùs, prout diuinæ prouidentiæ placet, & æquum videtur, quod auxilium communiter dicitur gratia præueniens. (Nota, quòd hic appellamus actus meritorios vitę ęternæ supernaturales, non ratione suæ substantiæ, quia secundũ Scotum sicut beatitudo est actus naturalis hominis: ita actus isti meritorij sunt naturales homini; tamen dicuntur supernaturales respectu agentis, quia ab agente naturali ex puris viribus naturalibus non possunt produci: sicut nec etiam actus beatifici; sed à Deo immediatè.) Ex hac distinctione patet, in quo cõsistat difficultas inter Scotũ, & aduersarios. Nam aduersarij volunt, auxilium necessarium ad iustificationem, & ad faciendum opus pium esse auxilium speciale primo modo, scilicet auxilium illud efficax prædeterminans physicè, vel moraliter, & congruè voluntatem ad operandum opus pium, quod auxilium Deus secundùm eos dat tantùm electis, & ijs, qui conuertuntur: non autem reprobis, nec ijs, qui non conuertuntur; & dicunt illos fauere Pelagianis, qui tale auxilium negant. Scotus è contra negat, auxilium huiusmodi speciale esse necessarium; immò, ait, repugnare diuinæ Iustitiæ, & misericordiæ admittere tale auxilium; sed auxilium necessarium ad faciendum opera supernaturalia, ait, esse auxilium speciale secundo modo dictũ, quòd ipse appellat auxilium generale, siuè influentiam generalem, vt ipsum contradistinguat ab auxilio isto speciali prædeterminante liberum arbitrium posito ab aduersarijs, vt fusius infrà videbimus. Quòd autem hæc opinio non faueat Pelagianis, sed sit Catholica, & etiam D. Thomæ, & aliorum Catholicorum, sequentibus rationibus ostenditur.

In quo sit discrimẽ inter Scotum & aduersarios.

Opinionẽ Scoti eẽ Catholicã probatur.

30 Illa assertio, & opinio fauet Pelagianis, quæ vel omnino negat gratiam propriè dictam esse necessariam ad hoc, vt opus nostrum sit meritorium, vel dicit nos ex proprijs viribus posse disponere nosmetipsos ad gratiam illam impetrandam: & nos incipere ex proprijs viribus; Deum verò posteà propter hunc nostrum bonum motũ subsequi sua gratia; sed sic est, quòd Scotus nullum horum affirmat, sed sustinet, necessariam esse gratiam propriè dictam ad hoc, vt opus sit meritorium: & insuper sustinet, initium nostrarum bonarum operationum esse ex gratia præueniente Dei; ergo opinio Scoti non fauet hæreticis, sed est Catholica, & vera.

31 In maiori propositione apposui illam particulam (gratiam propriè dictam) ad excludendam creationem, prædicationem, & præceptum, quæ à Pelagio dicebantur gratiæ: licèt enim aliquo pacto creatio prædicatio, & præceptum possint dici gratiæ, quia à Deo nobis grãtis facta sunt: tamen propriè non dicuntur gratiæ, neque apud Sanctos Patres, & Sacram scripturam hoc nomine gratię appellantur; sed gratia propriè dicta, vel est gratia habitualis, qua homo formaliter est iustus, vel est auxilium illud, quo adiuuat nostram voluntatem ad operandũ bonum. Etenim Deus prætérquàm quòd creauit naturam humanam, & dedit illi vires ad obeundum suas operationes, adhuc concurrit alio auxilio nouo cũ viribus naturalibus ad adiuuandum eas, & præsertim in operibus meritorijs vitæ æternæ. Ista maior cum hac declaratione est probata abundè ex dictis nunc in declaratione hęresis Pelagianorum, & Semipelagianorum, & sententiæ Catholicæ. Minor probatur ex auctoritate allata ex q. 21. quolibetali, vbi specialiter Scotus ponit prouidentiã specialem ad faciẽda merita præsentia, & futura; sed probatur adhuc ex alijs locis eiusdem. Nam Scotus 2. Sent. dist. 37. in corpore solutionis mouet vnam quæstionem sinè argumentis, quæ est, Vtrùm voluntas creata sit totalis causa, & immediata sui velle, ita quòd Deus respectu eius velle non habeat aliquam efficientiam immediatã; sed tantùm mediatã, & determinat, quòd voluntas creata nõ est omninò domina, nec totalis causa sui actus: quia Deus non esset omnipotens, nec omnisciens: quia nescire posset, quid voluntas creata sit factura; nec posset eam disponere, & dirigere suo modo, quæ omnia auferunt, prouidentiam, & ideò sunt inconuenientia. Ex hac opinione Scoti apertè sequitur, quòd voluntas creata sinè motu prouidentiæ Dei non potest aliquid operari bonum; ergo ex sententia Scoti voluntas ex proprijs viribus cũ caussis secundis non potest incipere bonum sine auxilio immediato Dei; ergo non consentit Scotus cum Semipelagianis.

Loca ex quibus sententia Scoti elicitur.

Locus ex 2 Sent. d. 37.

32 Secundò, est locus insignis Scoti in 3. Sent. dist. 19. quæst. vnica in corpore quæsiti, vbi quærens quid Christus, & quibus meruit. Respondet, quòd Christus meruit omnibus, qui primam gratiam recipiunt collationẽ illius: ita quòd non cooperatur voluntas nostra, nisi in adultis baptizatis, vbi requiritur aliqua bona dispositio voluntatis; (quæ dispositio est, vt non ponat obicem) Pelagiani autem, & Semipelagiani negabant primam gratiam, sed volebant nostra merita præcedere, vt visum est; ergo Scot. non consentit cum Pelagianis, nec Semipelagianis.

Locus ex 3 Sent. d. 19. quæst. 1.

33 Tertiò, Scot. in 4. Sent. loco citato, & 1. Sent. dist. 17. loco citato inquit, quòd homo in peccatis existens ex naturalibus cum communi influentia potest considerare peccatum commissum, vt offensiuum Dei, &c. idest potest se disponere ad gratiam iustificantem, quæ est gratia habitualis. Tunc sic non dicit Scotus, quòd homo peccator ex puris naturalibus se possit disponere, vt dicebant Semipelagiani, sed inquit solùm; quòd homo peccator ex viribus naturalibus: quasi dicat, Ex viribus naturalibus; sed non ex illis solis. Deindè adiungit, cum influentia generali; itaquòd homo secundùm Scot. ex viribus naturalibus ex vna parte, & influentia generali ex alia parte, potest se disponere ad gratiam. At subinfero ego; sed illa influentia generalis est gratia præueniens posita à Sanctis Patribus, & Concilijs; ergo Scot. catholicè sentit, & à Semipelagianis maximè distat.

Locus ex 1 Sent. d. 17.

34 Quòd verò gratia pręueniens possit dici, & verè sit influentia generalis, probatur primò, quia gratia præueniens est auxilium commune omnibus hominibus saltẽ adultis, quo Deus omnes homines vocat, & disponit, & præparat ad gratiam iustificantem: hæc autem vocatio non fit nisi per influxum Dei; ergo iurè à Scoto debet appellari influentia communis, non auxilium speciale. Deberet dici speciale auxilium, si aliquibus, & certis hominibus daretur tantùm, non omnibus: at datur omnibus; ergo debet dici auxilium commune.

Quod auxilium pręueniens possit dici influẽtia generalis.

35 Prætereà Scotus in 1. dist. 44. quæst. vnica parùm post literam E. versiculo *Aduertendum tamen est*, &c. vbi disputat de potentia Dei ordinata, & absoluta, inquit, quòd Deus potest de potentia sua ordinata saluare aliquem, qui finaliter morietur in peccato mortali, & damnabitur: & ratio est, quia potentia ordinata est, quæ stat cum lege vniuersali recta; lex autem vniuersalis Dei

Locus ex 1 Sent. d. 44. quæst. 1.

est, quòd quicunque finaliter est peccator, damnetur: at, inquit Scotus, potest Deus absque violatione huius legis saluare illum, qui finaliter futurus est peccator, & damnabitur: quia, inquit, potest *sua gratia præuenire eum, ne peccet*, & sic eum poterit non damnare, nec violabit legem suam vniuersalem de damnandis: sicut si Rex præueniret aliquem, ne faceret homicidium, si non damnat eum, nō facit contra legem suam vniuersalem, quòd omnis homicida moriatur. Verba autem Scoti sunt hæc. *Potest ille esse non peccator, & maximè dum est in via, quia potest Deus eum gratia sua præuenire, sicut si Rex præueniret aliquem, ne faceret homicidium, si non damnat eum, non facit contra legem vniuersalem, quòd omnis homicida moriatur.* Ex hoc loco apertè colligitur, quòd apud Scotum influentia Dei generalis, & gratia præueniens pro eodem accipiuntur, & proinde non discrepat ab alijs Theologis antiquioribus, & præsertim à D. Th. vt magis in sequentibus ostēdemus.

Locus ex 1.d. 46.

36 Præterea apertissimè in 1.d.46. ad primum principale, exponens illam propositionem, *Deus vult omnes homines saluos fieri*, inquit, eam esse veram de voluntate antecedenti, quia Deus vult vnicuique homini, quantùm est ex se, *illa communia adiutoria antecedentia ad salutem omnium, quibus quilibet etiam potest sufficienter benè viuere, & saluari.* Ecce quòd gratiā præuenientem appellat adiutorium commune, quia datur omnibus hominibus. Cum ergo gratiam præueniētem appellat auxilium commune, vel influentiam generalem, non intelligit auxilium prouidentiæ generalis, quo Deus concurrit ad motus vniuscuiusque rei, etiā inanimatæ, quòd à Gregorio Ariminensi, Soto, & alijs appellatur naturalis concursus, quia est debitum naturæ, vt possit suos actus efficere; sed intelligit auxilium prouidētiæ specialis, qua Deus prouidet hominibus, vt efficiant merita: & appellat illud auxilium generale, & commune ad differentiam auxilij specialis, quod aduersarij appellant gratiam quandam efficacem, quam dicunt tantùm electis dari; de qua plura dicemus in materia de auxilijs.

Verus intellectus sententiæ Scoti.

Alius locus ex 1.d.37. efficacissimus.

37 His addere possumus id, quòd habet ipsemet Scotus in 2. dist. 37. quæst. vltima, in qua quærit, vtrum vnum peccatum sit pœna alterius peccati. Nam §. *Sed iste modus vt videtur*, apertè asserit, Deum nullum peccatorē quantumcumque peccatis oppressum vnquàm suo auxilio derelinquere, vt nō possit habere actum secundum bonum; & hoc dicit contra quandam opinionem, quæ asserebat, quòd Deus aliquando peccatorem propter peccatum ita deserit, vt ei non assistat suo auxilio ad operandum bonū; ablato autem auxilio diuino peccator non potest facere actum bonum. Quam opinionem Thomistæ sequuntur, & nos eam fusè confutauimus suprà in disp. 8. An Deus sit causa peccati capite. 9. ideò eam hic non est opus repetere. Cum ergo apertè ibi Scotus sustineat Deum nunquàm in pœnam peccati substrahere auxilium suum à peccatore, sed adhuc semper illi assistere, vt actum secundum bonum possit elicere, ita quòd si non eliciat hoc non proueniat ex defectu Dei non adiuuantis, sed ex sola voluntate peccatoris; signum certum est, quòd Scotus admittit auxilium diuinum esse necessarium ad pœnitentiæ actum, ac ad surgendum à peccato.

Tandem est notandum, vt disp. superiori diximus, Scotum quidem asserere pœnitentiam esse posse virtutem naturalem acquisitā, atque ex illa, vt est virtus naturalis, posse haberi actum pœnitentiæ rectè circumstantionatum; non tamen dicere illam esse sufficientem de congruo ad merendum gratiam habitualem eo modo, quo cōtritionis actus est dispositio meritoria gratiæ; sed ait talem actū meritorium debere esse elicitum ex charitate, scilicet ex dilectione Dei explicita. Hic autem actus nō potest haberi sine auxilio Dei; hæc enim est pœnitentia fructuosa, & disponens ad gratiam, non ea, quæ ex virtute naturali habetur, quod manifestè docet Scotus in hac dist. 14. quæst. 2. in solutione ad vltimum argumentum principale. Vndè cum Scotus sustineat motum illum factū cum influentia communi, quem appellat attritionem, esse dispositionem de congruo ad gratiam habitualem, & esse fructuosum; sequitur, quòd Scotus per influentiam generalem intellexit auxilium Dei speciale, quod gratia præueniens, & operās dicitur, quam veritatem etiam videtur olfecisse Suarez 3. p. tomo de pœnitentia, disp. 3. sect. 6. n. 4. & eo vbi licèt non approbet opinionem Scoti, tamen inquit illam non repugnare definitionibus Conciliorum, neque, ait Scotum esse Pelagianum: quoniam autem hoc pendet ex disputatione præcedenti, & disputationibus alijs citatis, non est vt hic amplius immoremur.

Suarez fatetur opinionem Scoti, non facere Pelagianis.

Quòd iurè à Scoto, D. Thoma, & alijs auxilium præueniens nominetur auxilium generale. Cap. Tertium.

38 HAbemus ergo Scotum quantum ad rem non discrepare à Catholicis, neque ab alijs Theologis. Ostendendum est etiam, neque quò ad modum loquendi errare, neque ab alijs Theologis antiquioribus dissentire immò neque à Recentioribus multis. Nam communiter nunc tractantes quæstiones istas de auxilijs disputant de concursu generali primæ causæ cum secundis, & cum voluntate nostra, & proponunt disputationes sub titulo de concursu generali, vt patet apud Aluarez lib. 3. de auxilijs disput. 20. licèt posteà à nobis dissentiat, ac apud Suarez lib. 1. de auxilijs in principio, & apud alios. Quòd autem iurè debeat nominari auxilium generale probatur, & primò sic.

Auxilium, & adiutorium istud, quod requirit voluntas nostra ad obeundum hos actus supernaturales, est influxus, & auxilium, quod secunda causa recipit à prima causa (siuè in se, siuè in effectu, hoc non curo nunc) à qua essentialiter dependet: at influxus causæ primæ in secundas est influxus generalis; ergo auxilium necessarium voluntati nostræ ad obeundum actus supernaturales est auxilium, siuè influentia, & concursus generalis. Minor est clara; sicut enim prima causa est causa vniuersalis concurrens cum omnibus causis secundis ad earum operationes: ita auxilium eius est vniuersale, & vniuersale, ac generale nuncupatur. Maior quoque conceditur ab omnibus, nec potest negari; neque enim alia ratione voluntas nostra eget hoc concursu, nisi quia voluntas est causa secunda dependens essentialiter à prima: si enim ipsa esset prima causa, nec dependeret in causalitate sua ab alia, haberet ex se totam suam perfectionē, nec egeret auxilio alterius, at eget; ergo egentia eius est, quia est causa secunda, & sic dependet in ratione causæ à prima.

Prima rō qd̄ auxiliū speciale, & generale sint idem ī proposito.

39 Sed adhuc apertè probo ex doctrina D. Tho. hanc gratiam præuenientem esse auxilium generale, non speciale, & primo D. Tho. p. 2. q. 109. art. 1. apertè asserit, quòd omnis natura creata, tàm corporalis, quàm spiritualis, quātùmcunque sit perfecta, pendet à Deo, quò ad duo. Primò inquantùm à Deo habet perfectionem, & formam, per quam agit. Secundò inquantum ab ipso Deo mouetur ad agendum. Nam quæcunque natura, quantumcunque perfecta sit, non potest prodire in suum actum secundum, nisi moueatur à Deo. Hic ergo motus, quo Deus mouet res ad efficiendum suas operationes, prouenit à Deo ex prouidentia sua liberaliter, non necessariò. Hæc D. Thom. At hoc auxilium, quo Deus mouet peccatores ad pœnitendū, & operandum bonum, est gratia præueniens. Vndè D. Thom. in illo artic. immò in tota illa quæstione numquam nominat auxilium speciale, sed absolutè ait. Nos egere auxilio Dei. An verò illud auxilium sit speciale, vel commune, nec verbum quidem facit D. Tho. ergo secundùm D. Thomam, gratia præueniens est auxilium generale.

D. Th. sentire cū Scoto pbatur.

40 Et quòd ait Soto lib. 1. de natura, & gratia cap. 19. D. Thom. eo loco astruere auxilium speciale est falsum, quod ostendo sic; ait Soto, D. Thom. eo art. dicere, quod sicuti Deus nobis ingenerauit naturalem formam ad faciendum operationes naturales, ita generali auxilio nos

Effugiū Soto refellit.

adiuuat

adiuuat ad illas faciendum. Et rursus sicut ad faciendum operationes supernaturales dedit nobis formas supernaturales: nam ad cognitionem rerum supernaturalium dedit nobis fidem; ita ad faciendum operationes naturales Deus nos auxilio speciali mouet: itaquòd secundùm Soto D. Thom. admittit in eo art. duplex auxilium, scilicet generale, & speciale: at est omninò falsum, D. Thom. ibi hanc distinctionem diuini auxilij facere: nam D. Tho. ibi nihil aliud dicit, nisi quòd omnis natura creata quantùmcunque perfecta pendet à Deo, quò ad duo, scilicet quantum ad formam naturalem, qua agit, quæ sibi datur à Deo; secundò in quantum creatura mouetur ad operandum à Deo. Subinfert posteà D. Tho. ꝙ vnaquæque forma creata à Deo, & indita rebus habet efficaciam respectu alicuius actus determinati, in quem potest secundùm suam proprietatem; vltrà autem nō potest nisi per aliquam formam supernaturalem superadditam: vndè intellectus humanus per lumen intelligibile naturale intelligit res naturales; altiora verò intelligibilia non potest, nisi sibi sit inditum lumen fidei, quod est forma supernaturalis. Deindè concludit D. Thom. quòd homo in cognoscendo quocunque vero, tàm naturali, quàm supernaturali eget auxilio diuino, vt eo intellectus moueatur ad suum actum; sed intellectus non indiget ad cognoscendum quamcunque veritatem noua forma supernaturali, quia veritates naturales potest cognoscere absque lumine fidei. Ex hac conclusione D. Tho. non infertur, vt Soto ait, quòd in obeundis operibus supernaturalibus homo egeat auxilio speciali, quia hoc non dicit D. Thom. sed solùm habetur, quòd in cognoscendis quibuscunque, veritatibus, tàm naturalibus, quàm supernaturalibus, homo eget auxilio Dei, quo Deus moueat intellectum ad producēdum suum actum; ergo hoc auxilium, quo Deus mouet intellectum ad producendum actus humanos, est auxilium commune, & est idem auxilium, quo mouet intellectum ad actus naturales, & supernaturales; si enim daretur aliud auxilium speciale, D. Thom. illud distinxisset; sicut distinxit de lumine naturali, & supernaturali indito homini, quod est forma. Sensus ergo D. Thom. ibi est, quòd homo efficit operationes duplicis generis, quædam sunt naturales, quædam supernaturales. Naturales prodeunt ab homine per formam naturalem, quam homo recepit à Deo in sua productione, vt intellectio ab intellectu agente. Actiones supernaturales proueniunt à forma supernaturali, vt credere à fide &c. & ista forma est à Deo. Verùm istæ formæ largitę à Deo homini non sufficiunt, vt per eas producat suas operationes, sed requiritur aliud, scilicet auxilium diuinum. Ait ergo D. Thom. quòd vltrà has formas naturalem, & supernaturalem requiritur auxilium diuinum, quo forma naturalis producat actiones naturales, & forma supernaturalis producat suas actiones supernaturales. Non ergo D. Thom. ait, quòd forma supernaturalis auxilio speciali producat actiones suas; & forma naturalis auxilio communi producat suas actiones, sed ait absolutè requiri auxilium diuinum adiuuans vtramque formam ad hoc, vt possint exire in suas operationes. Nullam ergo assignat dist. auxilij generalis, & specialis; ergo secundùm D. Thom. idem est auxilium, quo concurrit Deus ad actiones supernaturales cum forma supernaturali, & ad actiones naturales cum forma naturali. Et consequenter hæc distinctio de auxilio generali, & speciali, quam isti Theologi supponunt esse D. Thomæ, eo in loco nullum habet fundamentum.

41 Prætereà in eadem quæstione art. 2. quærit, An homo possit, & velit facere bonum absque gratia, & in corpore concludit, quòd natura humana, tàm in statu innocentiæ, quàm naturæ corruptæ, *indiget auxilio diuino, ad faciendum, vel volendum quodcunque bonum, sicut primo mouente, vt dictum est in 1. art.* Ecce, quòd non nominat auxilium speciale, & deinde subiungit, quòd homo in statu naturæ integræ egebat gratuita virtute superaddita virtuti naturæ, quæ est gratia habitualis, quantùm ad vnum, scilicet ad operandum, & volendum bonum supernaturale; sed in statu naturæ corruptæ eget gratia gratuita, idest gratia habituali, quantùm ad duo: primum, vt natura sanetur: secundum, vt natura bonum supernaturale velle possit; sed vltra hanc virtutem superadditam naturæ, quæ est gratia habitualis, inquit, quòd in vtroque statu homo indiget auxilio diuino, quo moueatur ad bene agendum. Ecce non dicit D. Thom. quòd homo ad bene agendum egeat speciali auxilio, vt dicunt aduersarij; sed ait, egere auxilio diuino absolutè, & adducit rationem: quia Deus est primus Motor creaturæ in quacunque operatione sua, siuè naturali, siuè supernaturali, quæ est ratio eiusdem D. Thom. in 1. art. illius quæstionis. Quæ ratio etiam confirmat hoc auxilium non esse speciale, sed commune, quoniam ex hac ratione habetur, quòd causa, propter quam Deus auxiliatur nobis in operibus supernaturalibus, non est, quia actus sit supernaturalis, vt volunt aduersarij, sed quia Deus est primus Motor tàm respectu corporalium, quàm spiritualiū. Porrò, vt homo possit producere actus supernaturales apposuit naturæ aliud adiutorium particulare prẹter formas naturales, scilicet habitum fidei, & charitatis, qui inditi sunt homini tanquam formæ particulares, quæ adiuuant hominem ad faciendum actus supernaturales, sed vltra hos habitus, nō requiritur aliquod aliud auxilium speciale, sed sufficit auxilium diuinum generale, quo, vt primus Motor, cuncta mouet.

42 Prẹtereà D. Thom. eadem quæstione artic. 9. ait, quòd homo eget auxilio Dei, vt à Deo moueatur ad rectè operandum, & adducit duplicem rationem. Prima est ratio generalis, quā supra se adduxisse ait, scilicet, quòd nulla res creata potest in quemcunque actum prodire, nisi virtute motionis diuinæ. Nunc quæro, quodnam sit auxiliū, quo omnis res creata eget, vt agat operationes suas; certè non est aliqua specialis virtus, sed influentia generalis; ergo virtus hæc, de qua loquitur ibi D. Th. est influētia generalis. Secunda ratio specialis D. Tho. ibidem est, quia si omnis res creata eget auxilio Dei, multò magis natura humana, quæ per peccatum remanet ignorans, & inclinata ad malum eget auxilio Dei. Ecce quòd D. Thom. non loquitur de alio auxilio speciali, sed de auxilio generali, quo, vt primum agens creaturas mouet in suas actiones.

43 Similiter D. Thom. in eadem quæstione art. 6. vbi dicit, quòd homo, non potest se disponere ad recipiēdum gratiam; sed eget auxilio Dei gratuito interiùs animam mouente, & inspirante bonū propositum; non dicit, quòd homo egeat auxilio speciali, vt malè Soto asserit lib. 2. de natura, & gratia cap. 18. quia D. Thom. non ponit illud verbum, *speciale*, sed more suo dicit, quòd homo eget auxilio Dei ad disponendum se ad gratiam, quòd probat ratione superiùs adducta, quia Deus est primum mouēs.

44 Prætereà D. Thom. 2. 2. q. 136. art. 3. ad secundum vbi agit de patientia, inquit, quòd *opus Politicæ virtutis est commensuratum naturæ humanæ, & quod ideò humana natura potest tendere in illud, absque auxilio gratiæ gratum facientis; sed non absque auxilio gratiæ.* Ecce, quòd distinguit auxilium gratiæ gratum facientis ab auxilio gratiæ, & sustinet, quòd ad opus virtutis potest natura ex suis viribus cum auxilio gratię tendere. At opera moralia sunt naturalia, vt plantare, fodere terram, &c. ad producendū autem talia opera non requiritur auxilium speciale, alioquin, etiam canis ad latrandum haberet auxilium speciale, quod est ridiculum; ergo auxilium gratię apud D. Tho. est auxilium generale prouidentiæ Dei, quo vt primum mouens omnia mouet, & producit in fines suos. Multi etiam ex aduersarijs, vt Gregorius de Arimino 2. d. 27. Vasquez p. p. disp. 91. cap. 10. & 11. sustinent, quòd ad opera moralia bona requiritur auxilium speciale; ergo secundùm ipsos nulla esset differentia inter actus supernaturales, & naturales, quòad auxilium diuinum, quod tamen est absurdum.

45 Tandem confirmatur, & magis explicatur sententia nostra. D. Thom. p. 2. q. 111. art. 2. ait, quòd gratia du- Locus insignis ex D. Thom.

pliciter accipi potest, scilicet pro auxilio gratiæ, & pro gratia habituali, & dicit auxilium gratiæ posse dici gratiam operantem, & esse illud auxilium, quo Deus solus sine nobis nos mouet ad operandum bonum: cooperans verò esse illud auxilium, quo nobiscum concurrit ad operandum bonum, & art. 3. eiusdem quæst. dicit, auxilium gratiæ, sicut, & gratiam habitualem esse duplex, scilicet præueniēs, & subsequens nūquàm autem appellat hoc auxilium gratiæ auxilium speciale, sed appellat absolutè auxilium diuinum. Vbi est notandum, quòd art. 2. nunc citato ad illa verba D. Tho. *respondeo dicendum, quòd vt supra dictum est gratia dupliciter potest intelligi vno modo auxilium diuinum, quo nos monet ad bene volendum, & agendum* &c. In margine D. Thom. quotatur q. 109. & 110: quæst. autem 109. art. p. dicit, vt suprà vidimus, quòd sicut in corporalibus ad faciendum motum non requiritur solùm ipsa forma, quæ est principium motus, sed requiritur etiā motio primi mouentis, quod in ordine corporalium est corpus cæleste: vnde ignis quantumcunque habeat perfectū calorem, tamen non alteraret, nisi concurreret motio corporis cœlestis, tamquàm primi mouentis. Ita in spiritualibus quantumcunque aliqua natura siuè corporalis, siuè spiritualis ponatur perfecta, tamen non potest producere effectum suum, nisi moueatur à Deo, *quæ quidem motio est secundùm suæ prouidentiæ rationem, non secundùm necessitatem naturæ.* Hęc sunt verba D. Thom. Eadem ratione, & fundamento in art. 2. asserit, quòd ad volendum res naturaliter bonas requiritur virtus naturalis. Secundò requiritur auxilium Dei tamquam primi mouentis: ad volendum verò opus bonum supernaturale requiritur non solū virtus naturalis, sed requiritur quoque forma supernaturalis, scilicet gratia, & vlteriùs requiritur auxilium Dei tamquàm primi mouentis; & hoc auxilium dicit fuisse necessarium pro vtroque statu, scilicet innocentiæ, & naturæ corruptæ; & disertis verbis appellat hoc auxiliū, auxiliū primi mouentis. Cōfirmatur, quia in eod. 2. ar. in argumento ad oppositum vtitur auctoritate Apostoli. *Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei* &c. quæ loquitur secundùm omnes de auxilio gratiæ præuenientis, & adiuuantis; ergo gratia præueniens est auxilium generale non speciale secundùm D. Thom.

Epilogus opinionis D. Thom. et Scoti. 46 Ex dictis habemus Gregorium de Arimino Soto, Vasquez, Aluarez, & alios eos sequentes, vel non vidisse D. Thom. nec Scotum, vel eos non intellexisse; nam apud D. Thom. quem Gregorius de Arimino loco suprà citato adducit pro sua opinione, & ei imponit, quòd asserat p. 2. q. 109. art. p. 3. & 4. auxiliū præueniens, & cooperans ad iustificationem esse auxilium illud speciale, non generale, (cuius tamen verba inquit se nolle scribere propter breuitatem) numquam reperitur nomē auxilij specialis, neque alibi in tota illa materia de gratia, vt vidimus. Et licèt art. 6. appellet hoc auxilium, auxilium gratuitum, hoc dicit: quia Deus non dat necessariò auxilium istud, sed liberè, & gratis, ad differentiam cœli, quod est primum mouens in corporalibus ex necessitate naturæ. Apud Scotum verò in quolibetis q. 21. in vltimis verbis habetur apertè mētio, & doctrina de auxilio speciali: licèt non in sensu Gregorij, & aliorum, vt vidimus suprà. Vndè si negare auxilium speciale esset Pelagianum, potius hic error esset asceribendus D. Thomæ quàm Scoto; sed vanum est asserere hunc esse errorem. Ostendimus enim suprà, quomodo secundùm rem se habeat auxilium istud, & quomodo nominari possit auxilium speciale, & generale, quod magis confirmabitur ex dicendis cap. sequenti.

D. Hieron. 47 Hæc eadem sententia est Sanctorum Patrum, sufficiat auctoritas D. Hyeronimi lib. 1. aduersus Pelagianos paulò post principium, tomo 2. vbi habet hæc verba. *Si in singulis rebus quas gerimus Dei vtendum est adiutorio; ergo, & calamū temperare ad scribēdū, & temperatum pumice terere, manumque aptare litteris, tacere, loqui, sedere, stare, ambulare, & cętera huiusmodi, nisi Deus iuuerit non poterimus.* Et in Epistola ad Ctesiphontem circa medium referens errorem Pelagianorum habet hęc verba. *Ita Dei gratiam ponunt, vt non per singula opera eius nitamur, & regamur auxilio, sed ad liberum referunt arbitrium, & ad pręcepta legis ponentes illud Isaiæ. Legem enim Deus in adiutorium posuit, vt in eo Deo referendæ sint gratiæ quòd tales nos condiderit, qui nostro arbitrio possimus, & eligere bona, & vitare mala, & non intelligunt ista, dicentes, quòd per os eorum intollerabilem blasphemiam Diabolus sibilet.* Et post pauca subdit. *Audite quæso, audite sacrilegum, si inquit voluero curuare digitum, mouere manum, sedere, stare, ambulare, duobus digitis narium purgamenta decutere, releuare aluum, vrinam digerere, semper mihi auxilium Dei necessarium erit?* Et paucis interiectis. *Ipsum liberum, vt diximus arbitrium Dei innititur auxilio, illiusque per singula ope indiget, quod vos nō vultis, sed id vultis, vt qui semel habet liberum arbitrium Deo adiutore non egeat.* Ex his verbis habetur Pelagianos negasse auxilium generale Dei; ergo auxilium, quòd Sancti Patres, & Ecclesia aduersus illos adstruit, est auxilium generale; quod, quatenus se extendit ad opera supernaturalia, potest dici auxilium speciale, & supernaturale, vt explicatum est.

Rationes in oppositum soluuntur.
Cap. Quartum.

Ad loca ex Scoto. 48 AD rationes in oppositum, & primò quidem ad loca ex Scoto, quibus videtur sentire cum Pelagianis, vel Semipelagianis, patet ex dictis, quomodo sint intelligenda: non enim debemus ea ita explicare, vt saluemus eum non negasse auxilium speciale esse necessarium, vt nituntur facere Vega, & alij; sed debemus apertè concedere, Scotum negare esse necessarium illud auxilium speciale efficax, quod astruere nititur Gregorius, & ante eum aliqui antiqui, & multi ex recētioribus, vt dicemus in materia de auxilijs.

Ad primū. 49 Ad primum ergo locum ex 2. & 4. Sent. apertè respondeo, Scotum intendere negare esse necessarium auxilium illud speciale efficax, quod aduersarij ponunt; sed sustinet sufficere influentiam generalem, idest gratiam præuenientem, qua Deus, vt primus motor, concurrit ad opera supernaturalia, vt cum D. Thoma exposuimus.

Ad secundum, et tertium. 50 Ad secundum, & tertium respondetur, Scotum sustinere hominem posse viribus naturalibus cum auxilio generali diuinæ prouidentiæ, idest sine auxilio illo speciali, quod aduersarij tuentur, habere actum moraliter bonum, & diligere Deum suprà omnia, quatenus scilicet est actus moraliter bonus, vt vbi suprà dicemus: non tamē asserere hos actus esse meritorios, & valere ad salutem, nisi cum formantur gratia; ideò in his locis Scotus nihil dicit contra fidem, nec contra veritatem, sed solùm negat auxilium illud speciale efficax ad opera bona moralia, quod non est inconueniens.

Ad primū ex Scoto. 51 Ad primum ex Soto respondetur, quòd licèt illa auctoritas exponatur à pluribus de auxilio efficaci in sensu aduersariorum: idest quòd nemo vadit ad Christum nisi qui vocatur gratia efficaci, quæ est speciale donum: tamen non cogimur illam intelligere de hac gratia efficaci, etiam secundùm doctrinam ipsius Soto. Ipse enim 4. Sent. dist. 15. quæst. 1. art. 1. distinguit auxilium speciale in auxilium efficax, quo scelestissimi homines indigent, vt resurgant: & in auxilium aliud speciale, quod est sufficiēs, & adducit hanc auctoritatem. *Nemo potest venire ad me nisi*, &c. ad probandum dari auxilium speciale commune ad hęc duo, nimirum ad auxilium efficax, & ad auxilium sufficiens; ergo hoc auxilium commune ad hæc duo non est auxilium speciale, vt ipse cum Gregorio, & Vasquez vult, sed auxilium commune pertinens ad prouidentiam Dei; dicamus ergo, quòd ex hac auctoritate habemus necessariò requiri gratiam præuenientem, quæ est communis ad sufficientem, & efficacem ad hoc, vt homo possit se mouere ad iustificationem; quæ gratia præueniens, vt toties dictum est, est auxilium commune, non *Contradictio in Soto*

speciale,

speciale, non creationis, & conseruationis nobis debitũ; sed prouidentiæ, & liberaliter datum; & potest dici auxilium prouidentiæ particularis quatenus ordinatur ad actus supernaturales, & ad directionem hominis in vltimum suum finem, qui est beatitudo.

Ad 2. et 3. Hę auctoritates fusius exponũtur disp. 3. cap. vltimo. 52 Per idem patet ad secundam, & tertiam auctoritatem: ostendunt enim auxilium, & gratiam Dei nos præuenire in bono operando; sed non probant esse auxilium speciale proprium electis, & non alijs hominibus. Verùm hæ auctoritates, & aliæ plures vbi suprà fusius explicantur.

Ad quartũ. 53 Ad quartum dicimus, quòd conuersio est opus, & donum Dei, quia per gratiam suam præuenientem, quæ est auxilium istud diuinum, nos conuertit mouendo liberum nostrum arbitrium in bonam, sinè quo auxilio ex nobisipsis non possemus, vt dictum est.

Ad quintũ. 54 Ad quintum dicitur, quòd D. August. ostendit ibi contra Pelagium non posse hominem quidem incipere, nec perficere bonum sine auxilio Dei absolutè, quod est intelligendum, vt suprà dictum est de auxilio prouidentiæ communi ad sufficiens, & efficax, non de illo auxilio speciali.

Ad sextum 55 Ad sextum patet, quòd nos nõ dicimus hominem solis viribus naturalibus posse se mouere in Deum, & ad pęnitentiam; sed dicimus esse necessarium auxilium Dei non speciale, sed commune.

Ad septimum. 56 Ad septimum dico, quòd Pelagius excludebat gratiam, & auxilium prouidentiæ Dei: at Scotus hoc non excludit, sed includit: inquit enim quòd si Deus facienti, quod in se est cum influentia generali, non daret gratiã, esset acceptator personarum, & hoc modo argumentum est bonum, & concludit, & est diuersum ab argumento Pelagij, vt infrà ad vndecimum patebit.

Ad octauũ 57 Ad octauum falsum est nos negare gratiam præuenientem: illam enim fatemur, & comprobamus, vt patet ex dictis.

Ad nonum 58 Ad nonum falsum est nos admittere meritum de congruo, idest meritum ex puris viribus liberi arbitrij sinè gratia: dicimus enim Deum incipere per suum auxilium, & nos subsequi cooperatione voluntatis nostræ.

Ad decimũ 59 Ad decimum iam ostendimus, quomodo opinio Scoti, quàm maximè distet à Pelagianis, & Semipelagianis, & ideò falsum est, quòd argumenta aduersùs eos valeant contra Scotum.

Ad vndecimum. 60 Ad vndecimum respondetur, quòd auxilium istud est gratia per Christum, quia gratia per Christum non solùm appellatur gratia habitualis; sed omne auxilium nobis collatum, vel restitutum per Christum Dominũ: hoc autem auxilium in statu innocentiæ Deus dederat, quo Adam, & nos moueremur in bonum supernaturale; sed per peccatum in Adam illud amiseramus, quantùm ad hoc opus peculiare, vt nos moueret ad bonum supernaturale: quoniam eramus incapaces gratiæ iustificantis, & beatitudinis: eramus enim filij iræ: & consequenter eramus etiam incapaces auxilij prouidentiæ diuinæ specialis, sinè quo ad hoc particulare, & speciale, vt nos Deus moueret ad gratiam iustificantem, ad merita facienda, & ad gloriam æternam: per Christum autem facti sumus capaces gratiæ, & gloriæ, & cõsequenter sumus quoque per Christum facti capaces auxiliorum, quæ nos ducunt ad gratiam, & gloriam; in quorum numero est auxilium illud præueniens, & adiuuans: & hoc modo hoc auxilium potest dici, & est gratia per Christum.

Quomodo auxiliũ generale pręueniens sit gratia, per Christum.

61 Verùm aliquis dicet, D. Aug. contra Pelagianos sustinet, & probat esse necessarium auxilium quoddam speciale, & efficax, quod datur tantùm electis, & dicitur alta, & secreta vocatio; ergo auxilium necessarium ad iustificationem ex mente eius non est auxilium commune ad gratiam sufficientem, & efficacem.

62 Respondetur me nouisse quosdam non solùm negare illud auxilium speciale, quod ab aduersarijs dicitur gratia efficax, sed etiam simul negare D. August. quem putant fuisse illius opinionis: nam ad vitandum hæresim Pelagianam sufficit in nobis ponere auxilium sufficiens præueniens operationem voluntatis: dummodo enim saluemus, quòd nos non possumus incipere ex nobis; sed Deum incipere, & nos subsequi, vitamus hæresim hanc, & saluamus determinationes Sacrorum Conciliorũ Mileuitani can. 3. & 5. & Cartaginensis circa tempore Bonifacij capite 78. & Celestini epist. 1. cap. 10. quæ determinant esse necessariam gratiam, qua iustificamur, & ad iustificationem mouemur, & iniustitia semel accepta heremus, saluamus etiam Concilium Tridẽtinum, quod asserit, necessariam esse gratiam præuenientem. An autem ista gratia præueniens sit speciale donum, & beneficiũ, quòd gratia efficax dicitur, vel potius sit gratia sufficiens, non determinat: neque in hoc negare D. August. licèt sit tantæ auctoritatis, habent pro inconuenienti: siquidem etiam multi Theologi eum negant in alijs opinionibus, vt dum ait, quòd aliquibus denegatur gratia sufficiens in hac vita. Videtur autem hoc asserere multis in locis, sed præsertim lib. 1. ad Simplicianum quæst. 2. his verbis. *Ad alios quidem vocatio peruenit. sed quia talis fuit, qua moueri non possent, vocati quidem dici potuerunt, sed non electi.* Et hæc eadem sententia multis alijs in locis videtur haberi, vt est videre apud Recentiores: in hac autem auctoritate videtur apertè dicere, quòd vocatio in aliquibus non fuit sufficiens; & ideò non potuerunt ea moueri: hoc autem est idem, quòd asserere gratiam sufficientem aliquibus aliquando denegari: in hoc autem difficulter saluatur, & glosatur, vt reducatur ad bonum sensum: ideò eum non tenent, & præsertim, quia aduersatur ei Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 11. de iustificatione, vbi asserit, quòd Deus numquam deserit iustificatos, nisi ipse deseratur ab illis.

63 Ego autem nunquam auderem me opponere tantò viro, & ita graui Doctori, & præsertim in hac materia, quam ipse accuratius tractauit, quàm quiuis alius. Vndè si putarem eum fuisse huius opinionis, illi me subscriberem libentissimè captiuando intellectum meum; & meam ignorantiam accusando. Verùm ego non arbitror eum fuisse huius opinionis, vt in materia de auxilijs fusè ostendam; sed neque etiam arbitror eum asserere Deum denegare alicui auxilium sufficiens, vt infrà in propria disputatione dicam: etenim mihi in hac re multùm derogari videretur diuinæ misericordiæ, de qua tot, & tanta in Scriptura sacra celebrantur encomia. Sed de his locis citatis fusiùs agemus: pro nunc ad obiectionem allatam dico, quod per altam vocationem intelligit vocationem quorundam maiorum, vt Pauli, &c. Verus intellectus sẽtẽtiæ D. Augustini.

64 Ad duodecimum falsum est, ad opera moralia bona facienda necessarium esse auxilium speciale Dei, vt in propria disputatione demonstrabitur, in qua quæritur, An homo ex viribus naturæ possit facere opus moraliter bonum. Ad duodecimum.

65 Ad decimumtertium respondeo, quòd Conciliũ in illo Canone loquitur de perseuerantia, non autem de iustificatione. Hæc enim sunt verba Canonis. *Si quis dixerit iustificatum, vel sinè auxilio speciale Dei in accepta iustitia perseuerare posse, vel cum eo non posse, anathema sit.* At lata est differentia inter iustificationem, & perseuerantiam: fateor, quòd ad habendam perseuerantiam est necessarium auxilium speciale, quia perseuerantia est donum speciale: sicut etiam confirmatio in gratia, quæ paucis datur. Nego autem idem euenire in iustificatione. Vndè Concilium in doctrinalibus capitulis nunquam dicit ad iustificationem requiri auxilium speciale, sed solùm cum loquitur de perseuerantia, sicut etiam facit Diuus Thomas; sed de hac re fusius agendo de auxilijs. Ad decimũ tertium.

✠

DI-

DISPVTATIO XV.

Vtrùm detur meritum de congruo.

Opinio falsò tributa Scoto reijcitur, & eius germana opinio explicatur. Caput Primum.

1 EX dictis in præcedenti disputatione patere potest, quæ sit germana opinio Scoti de merito de congruo, de quo locutus est in hac dist. 14. quæst. 2 art. 2. dum dixit, motum illum, qui est attritio esse, & dispositionem meteri de congruo gratiam habitualem, qua in fine informatur, & fit contritio. Tamen quia Soto, Vasquez, & passim recentiores inuehuntur in Scotum, quò ad hoc meritum de cógruo, operæpretium esse duxi seorsum explicare opinionem eius, & simul ostendere, quàm aduersarij errent, & Scotus doctrinam Catholicam dilucidet, & explanet: agunt autem de hac re præsertim Soto in 4. dist. 14. quæst. 2. art. 5. & lib. 2. de natura, & gratia cap. 4. Vasquez p. p. disp. 91. cap. 10. & nonnulli alij ex eisdem fundamentis.

Duplex meritũ de congruo.

2 Verùm, vt intelligamus, in quo sit difficultas, necesse est scire, quid sit meritum de cógruo: ex recta enim intelligentia huius termini patebit solutio difficultatis. Notandum est igitur, quòd meritum de congruo est duplex: aliud est meritum de congruo ex puris viribus naturalibus proueniens absque auxilio Dei: aliud verò est meritum de congruo non ex puris viribus naturalibus proueniens; sed auxilio Dei: vtrumque meritum de congruo negant Soto, & sui sequaces. Alij verò solùm negant meritum de congruo primo modo, non secundo modo: omnes tamen tribuunt Scoto, quòd concesserit meritum de congruo primo modo: vndè secundùm ipsos meritũ de congruo apud Scotum est, quoduis opus factum ex puris viribus naturalibus seclusa gratia Dei, & præcedens gratiam Dei, vt dispositio ad illam: ille ergo asserit dari meritum de cógruo hoc modo, qui asserit hominem ex proprijs, & puris viribus sine auxilio gratiæ præueniẽtis operari posse aliqua opera, quę sint dispositio ad hoc, vt Deus postea illi homini intuitu illorum operum conferat gratiam. Hæc enim opera non sunt opera meritoria de condigno gratiæ, sed de congruo: quia videtur congruum, quòd Deus illis operibus retribuat gratiam pro præmio: huiusmodi meritum igitur astruere, & defendere aiunt Scotum prædicti auctores, & præsertim Soto in 2. lib. de natura, & gratia cap. 4. quod ostendit sic.

Ratio Soto contra Scotum.

3 Scotus in 4. dist. 14. q. 2. a. 2. ait, quòd homo ex puris naturalibus cum communi influentia potest habere attritionem, quæ sit meritum de congruo ad deletionem peccati mortalis: & ad maiorem explicationem subdit, quòd si hæc attritio est perfectè circunstãtionata in genere moris, videtur esse omninò dispositio sufficiens ad iustitiam in termino illius attritionis acquirendam, quem præfixit Deus esse terminum illius attritionis: & infrà subiungit ad tollendam omnem ambiguitatem hæc verba. *Alias difficile esset saluare, quòd non sit acceptio personarum apud Deum*. Concedit ergò Scotus meritum de congruo ex puris naturalibus, vt tollat acceptionem personarum apud Deum. Denique addit Scotus, quòd idem ipse actus immutatus per assistentiam gratiæ fit contritio. Ex his patet, ait Soto, quòd nihil clarius potest dici ad astruendum meritum de congruo sine gratia, cui de lege diuina infallibiliter succedat gratia. Quòd verò ij, qui asserunt dari hoc meritum de congruo, malè sentiant, immò consentiant Semipelagianis, patet ex dictis in præcedenti disputatione cap. 2. vbi opinionem horum hæreticorum adduximus: concedentes enim hoc meritum de cógruo, asserũt, Deum expectare, & experiri bonum vsum nostri liberi arbitrij: & denique nos incipere, & Deum subsequi, quæ est ipsissima hæresis Semipelagianorum: & consequenter rationes omnes, quæ adducuntur contra Semipelagianos, valent contra asserentes hoc meritum de cógruo, & ideò communiter adducuntur contra Scotum tanquàm assertorem huiusmodi meriti de congruo.

Defenditur Scotus.

4 Cœterùm Scotus quàm maximè distat ab hac opinione: verum est quidem illam opinionem esse quorundam Auctorum Antiquorum, & etiam Recenciorum, vt Durandi in secũdo dist. 28. q. 5. n. 7. Richardi ibidem art. 1. q. 2. & multorum aliorum, quos citat ibi Vasquez. Eandem opinionem posteà sequutus est Molina in concordia disp. 9. & 10. isti enim tribuunt libero arbitrio vt possit se disponere ad gratiam, & ad auxilia, quibus ad iustificationem præparatur: licèt posteà inter se discrepent: quia aliqui dicunt, liberum arbitrium posse se disponere tantùm indirectè, & remotè vt Richardus loco citato. Durandus verò, & alij quidam videntur asserere, quòd se possit disponere etiam proximè. Molina autem præsertim loco citato videtur concedere libero arbitrio hanc dispositionem proximam; quoniam in concordia disp. 9. licèt dicat initium credendi esse ex Deo, tamen ibidem subiungit, quòd quia gratia non destruit naturam, sed eam perficit; Deus in distribuendo gratias suas libero arbitrio, & eius conatui relinquit locũ suum, ac magna ex parte se accommodat vsui arbitrij, & infrà inquit vocationem internam multum pẽdere à libero arbitrio illius, qui vocatur, quod probat: quia est in potestate (inquit) cuiusque accedere ad audiendum, vel legendum verbum Dei, vndè notitias cõparet, quibus Deus se inserere, & ad fidẽ vocare solet. Potuit etiam accedere animo credendi, quod sibi bonum, & verum videretur, vel animo irridendi; ergo ex Sententia Molinę aliquando vocatio, & motio interna Spiritus sancti ad fidem, & ad opus pium immittitur à Deo alicui: quia ille ex proprijs viribus naturalibus decreuit audire verbum Dei, & facere, quòd sibi bonum videretur; & sic bonus vsus liberi arbitrij puri est initium, & causa collationis primi auxilij diuini. Et apertius disp. 10. exponẽs illam propositionem facienti, quòd in se est Deus, nõ denegat gratiam, idem affirmat: ait enim quotiescunque liberum arbitrium ex suis viribus naturalibus præsto est ad conandum totum id, quod ex se esse potest, tàm circa ea, quæ fides habet adiscenda, & amplectenda, quàm circa dolorem de peccatis, ac iustificationem, à Deo cõferri gratiam præuenientem, auxiliare, quibus id faciat, vt oportet ad salutem. Addit tamen illum conatum non esse dignum talibus auxilijs, nec vllo modo illa promereri; sed per merita Christi nobis donari, quoniam Christus obtinuit nobis, vt quoties sic ex viribus propriis naturalibus conamur, Deus det nobis gratiam præuenientem, quam sententiam posteà in tota illa disp. 10. probare nititur, præsertim per illud Ioa. 1. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri*, & primæ ad Timot. 2. *Vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem Dei venire*. Ezech. 18. *Proijcite à vobis præuaricationes vestras, in quibus prę uaricati estis & facite vobis cor nouum, & spiritum nouum*. At si Deus faciẽti, quod in se est ex puris viribus liberi arbitrij nõ daret auxilia gratiæ, quibus possit fidem amplecti, & dolere de peccatis, vt oportet, non dedisset eis potestatem, vt fierent filij Dei, &c. nec vellet omnes homines saluos fieri, &c. Itẽ D. Ambrosius in eo loco D. Pauli primæ ad Timot. 2. ait. *Deus vult omnes homines saluos fieri si accedant ad eum, non enim sic vult, vt nolentes saluentur; sed vult illos saluare, si & ipsi velint: nam vtique qui omnibus legem dedit, neminem excipit a salute*. & multa alia similia addit, quæ omitto, quia habent eundem sensum.

Richardus Durandus.

Molinæ opinio cum suis fundamentis.

Opin. Molinæ reijcitur.

Hæc autem opinio iurè mihi videtur reprobari ab omnibus ferè propter rationem nunc superius adductam: hæc enim nimis fauet Semipelagianis: quia vult bonum vsum liberi arbitrij esse dispositionem nedum remotam, vt dicebat Richardus; sed proximam ad impetrandum gratiam præuenientem, ac nos incipere bonum opus, Deum autem subsequi, & labori nostro subuenire; quæ erat opinio Semipelagianorum, contra quam valent rationes

tiones

tiones, & auctoritates adductæ ſuperiori diſp. & quæ adducentur in materia de auxilijs.

Reſponſio tacita reijcitur.

5 Nec valet, quod ait Molina, ſe non aſſerere bonum vſum liberi arbitrij mereri, vel eſſe dignum, vt illi prima gratia donetur; ſed meritum Chriſti eſſe illud, quod collationem talis gratiæ meretur, non valet hoc (inquam:) quia omne opus meritorium nedum de congruo, ſed de condigno habet ſuum valorem ex merito Chriſti, ergo ex hac parte nullum eſt diſcrimen inter iſtum bonum vſum liberi arbitrij, & alia opera meritoria de condigno. Ideò ſi bonus vſus liberi arbitrij puri meretur ex ordinatione Chriſti primam gratiam eſt meritum de condigno, vel ſaltem de congruo, vt alia merita noſtra facta ex gratia, quod eſt erroneum.

Pręterea iam concedit per merita Chriſti pręciſè non dari nobis primam gratiam ſemper; ſed hominē aliquādo prius facere, quod in ſe eſt, ideſt ſine auxilio Dei benè vti libero arbitrio, & viribus naturalibus, atque conatu naturali, & deinde Deū ſe interſerere, & dare auxilia gratię; ergo ſecundùm Molinam bonus conatus liberi arbitrij, puri, & ſine auxilio Dei eſt diſpoſitio pręuia, à qua pendet collatio auxiliorum gratiæ, & per conſequens eſt meritum ſaltem de congruo ex ordinatione Chriſti ad primam gratiam: adeò quòd Chriſtus ordinauit, & meruit, vt homo ſe pręparans ex puris naturalibus ſine gratia pręueniente habeat primam gratiam. Ex hoc autem ſequitur quòd prima gratia non ſit gratia, & quòd homo priùs incipiat, deinde Deus ſuccurrat, ne conatus noſtri ſint irriti, quæ eſt hæreſis ipſa Semipelagianorum.

Ad rōnes p Molina.

Auctoritates autem, quas pro ſe adducit Molina, nihil aliud probant niſi, quòd homo pręuentus, & adiutus auxilijs gratiæ habet in ſe poteſtatem aſſentiendi, & diſſentiendi.

6 Nunc oſtendamus Scotum, quàm longiſſimè diſtare ab hac opinione.

Germana opin. Scoti

7 Concedit quidem Scotus multis in locis doctrinæ ſuæ meritum de congruo, & de condigno: hæc enim eſt vulgata diſtinctio apud Theologos, & omnes etiam aduerſarij illa vtuntur; ſed pręſertim habetur apud Scotum p. Sent. d. 17. q. 1. ar. 1. K K. vbi etiam meritum de cōgruo appellat meritum ſecūdùm quid; & rurſus in hoc 4. Sent. d. 14. q. 2. art. 2. vbi dicit vt videmus attritionem debitè circunſtantionatam eſſe meritum de congruo, & diſpoſitionem ſufficientem ad iuſtificationem; & alibi ſæpè. At dum Scotus concedit dari hoc meritum de congruo, non accipit meritum de congruo in ſenſu, quo aduerſarij accipiunt: nimirum in primo ſenſu ſuperiùs, & hucuſque explicato, ſed in ſecundo ſenſu accepto: neque enim apud

Quid ſit meritū de congruo ſecundū Scotum.

Scotum habetur, neque ex doctrina eius elicitur, quòd meritum de congruo ſit opus aliquod bonum elicitum ex puris viribus naturalibus ſine auxilio Dei ad quod poſteà ſequatur gratia Dei: nam vt oſtendimus fusè in præcedenti diſputatione, Scotus non vult quòd homo ſe poſſit diſponere ad gratiam, neque habere attritionem, quæ eſt diſpoſitio ad gratiam, ſinè influentia generali, quæ eſt gratia pręueniens: & quia aduerſarij putant Scotum velle, quòd homo poſſit ex ſe ſinè gratia præueniente incipere, & facere opus bonum, propter quod Deus moueatur ad dādam gratiam, vt ibi oſtendimus, etiam tribuunt Scoto, quòd aſſeruerit meritum de congruo eo modo, quo dictum eſt, quod aſſerere, eſt eſſe Semipelagianum.

8 Meritum ergo de congruo ſecundùm Scotum eſt opus bonum præcedens iuſtificationem, factum cum influentia generali Dei, ideſt, cum auxilio, & gratia præueniente. Scotus enim per influentiam generalem intelligit gratiam præuenientem, vt ibi diximus. Opus enim huiuſmodi eſt meritum de congruo: quia eſt congruum quòd Deus homini, qui excitatus, & adiutus gratia præueniente aſſentit vocationi conferat gratiam habitualem, qua formaliter iuſtificetur. Opus ergo illud ſcilicèt aſſentire eſt opus meritorium non de condigno iuſtificationis, & gratiæ habitualis, quod etiam ſolet dici meritum impetratorium, ſed de cōgruo. Aſſerere autem huiuſmodi meritum de congruo non eſt conſentire Semipelagianis, ſed eſt ſententia catholica.

9 Duo ergo nunc agenda ſunt. Primum debemus oſtēdere quòd Scotus hoc ſentit. Secundò, quòd hoc aſſerere eſt veritas catholica. Quantùm ad primum, quòd Scotus fuerit huius opinionis, probatur, quia in p. d. 17. q. 1. art. 1. K K. ſoluens quoddam argumentum habet hæc verba. *Ad primum dico, quòd actus, qui eſt meritum, eſt in poteſtate mea ſuppoſita influentia generali, ſi habeo vſum liberi arbitrij, & gratiam.* Loquitur autem ibi Scotus de merito de cōdigno, ad quòd ait duo requiri vltra vſum rationis, ſcilicèt influentiam generalem, & gratiam habitualem; patet autem quòd actus elicitus ab homine exiſtente in gratia habituali eſt meritum de cōdigno. Ecce quòd Scotus ſupponit præcedere influentiam generalem elicitionem actus meritorij.

10 In 4. verò Sent. d. iſta 14. q. 2. art. 2. quando aſſerit quòd attritio eſt meritum de congruo, & eſt diſpoſitio ad gratiam, inquit, quòd homo cum influentia generali habet tale meritum in poteſtate ſua: quia ſe poteſt diſponere ad gratiam, & habere attritionem, ſcilicet homo cum gratia pręueniente poteſt facere opus, quod ſit meritorium de congruo gratiæ iuſtificantis. Ex Scoto igitur eſt differentia inter meritum de congruo, & meritum de condigno: quòd meritum de congruo eſt opus factum ex viribus naturalibus cum influentia Dei, ideſt cum gratia pręueniente excitante, & adiuuante liberum arbitrium ad illud efficiendum: meritum verò de condigno eſt opus factum ex viribus naturalibus cum gratia pręueniente, & etiam cum gratia iuſtificante. Hæc eſt doctrina Scoti.

11 Secundum explicandum, nimirum, quòd hoc meritum de congruo aſſertum à Scoto detur, & opinio eius ſit vera, probatur. Primò, quia hæc eſt communior ſententia, & catholica: eam expreſsè ponit D. Bonau. in 4. Sent. d. 15. p. p. diſt. quæſt. 5. ar. 1. & p. Sent. d. 41. q. 1. ar. 1. apertè enim aſſerit dari cauſam meritoriam de congruo iuſtificationis non de condigno: eandem ſequitur Iauellus p. p. q. 28. art. 5. qui tamen non fauent in hoc Semipelagianis, neque Pelagianis, vt aliqui eos calumniantur: quia non dicunt iſti Doctores, quòd opus meritorium de congruo ſit factum ab illis ex puris viribus naturalibus ſinè auxilio Dei, & gratia pręueniente; ſed aſſerunt illud opus eſſe ex auxilio Dei, & gratia pręueniente. Hanc eandem ſententiam tradit Alex. Alen. 3. p. q. 69. m. 5. art. 2. §. p. & D. Thom. in 2. Sent. d. 27. a. 4. nec ab hac ſententia abhorret in p. 2. q. 114. a. 5. ſed tantùm docet, quòd prima gratia non habet meritum de congruo: ideſt gratia pręueniens non habetur ex aliquo merito de congruo; ſed gratis omnino: in hanc eandem ſententiam citat multos, & etiam eam ſuſtinet Vaſquez p. p. diſp. 91. cap. 5. & 1. 2. diſp. 218. licèt dicat Scotum non fuiſſe huius opinionis, in quo multum decipitur, vt probauimus: atque in hanc opinionem citat multitudinem magnam Theologorum, & eam probat auctoritatibus, & rationibus ex alijs auctoribus congeſtis, ex quibus ſufficiat auctoritas D. Aug. ſuper quem aduerſarij valdè ſuam opinionem fundant, & qui in hac materia eſt maximæ auctoritatis, & præſertim, quia hoc meritum de congruo ex auxilio diuino non admiſit obiter, ſed ex profeſſo; & tamen ipſe ita apertè contra Pelagianos diſputauit. Auctoritas autem D. Aug. eſt illa vulgata, quam habet tractatu 44. in Ioan. cap. 9. reprehendens dictum illud Phariſeorum ad cæcum natum. *Scimus, quia Deus peccatores non exaudit*, habet enim hæc verba. *Adhuc inunctus loquitur, nam, & peccatores exaudit Deus: ſi enim peccatores Deus non exaudiret, fruſtrà ille Publicanus oculos in terram deijciens, & pectus ſuum percutiens diceret, Deus propitius eſto mihi peccatori; & iſta confeſſio meruit iuſtificationem, quomodo iſte cęcus illuminationem.* Ecce D. Aug. apertè ait peccatores, & Publicanum hunc meruiſſe iuſtificationem. Iuſtificatio autem nō fit niſi per infuſionem gratiæ habitualis; ergo datur meritum, quod non elicitur à gratia habituali, ſed illam promeretur:

Quod meritū de congruo aſſertū à Scoto detur, probatur. Primo auctoritatib.

meretur: hoc autem est meritum de congruo, quod nos cum Scoto intendimus; ergo huiusmodi meritum de cõgruo datur. Non desunt aliæ multæ auctoritates similes eiusdem D. Aug. nam Psalmo 50. in illud. *Ecce enim veritatem dilexisti, &c.* ait de Niniuitis. *De incerto pœnitentiam egerunt, certam misericordiam meruerunt.* & Epistola 84. q. 4. loquens de diuite Epulone, qui torquebatur in inferno, inquit. *Tamen si pauper vlcerosus, qui ante ianuam eius contemptus iacebat misertus fuisset, mereretur, & ipse misericordiam, quam vtique misericordiam? nisi remissionem peccatorum in hac vita nè post mortem in inferno cruciaretur.* Ex D. Aug. ergo datur meritum ad acquirendam iustificationem: at hoc non est meritum de condigno, quia non est ex gratia habituali, & gratum faciente, quæ requiritur tãquam principium eius, vt diximus in 3. Sent. dist. 18. disp. 42. loquendo de cõditionibus meriti; ergo est meritum de congruo.

1. Ratio. 12 Probatur etiam rationibus efficacissimis. Istæ autẽ sufficiant. Primò idem est, apud patres, & concilia dari aliquod ex operibus, ac dari ex meritis; at iustificatio datur ex bonis operibus; ergo iustificatio datur ex meritis. Maior probatur ex Concilio Trid. sess. 6. cap. 8. vbi ait, ideò homines gratis iustificari, quia opera, quæ præcedũt iustificationem ipsam, iustificationem non merentur. Minor probatur ex Apostolo Iacobo in sua canon. cap. 2. vbi vult, quòd quilibet adultus iustificatur, non ex fide tantùm, sed ex operibus; ergo iustificatio est ex meritis: patet autem D. Iacobum loqui non de secunda iustificatione, sed de prima, qua homo ex iniusto fit iustus.

2. Ratio. 13 Secundò. Vnicuique est promissa remissio peccatorum ratione orationis, & aliquorum operũ; ergo vnicuique tales operationes erunt merita ad remissionem peccatorum, & iustificationem. Antecedens probatur ex testimonijs varijs scripturæ, vbi orantibus, & operantibus promittitur, & præsertim Ioa. 16. vbi dicitur. *Amen dico vobis, si quid petieritis patrem in nomine meo dabit vobis.* & Lucæ 11. adducit parabolam illius, qui de nocte à vicino petens panem propter importunitatem, non propter amicitiam obtinuit. & in oratione dominica Matth. 6. docemur orare dicendo, *Dimitte nobis debita nostra*, quod est petere iustificationem; si ergo illam assiduè petamus, & vt debemus, illam obtinebimus per orationẽ; ergo oratio erit causa meritoria impetrationis illius.

3. Ratio. 14 Tertiò. Ex diffinitione meriti congrui hoc confirmatur. Meritum congruũ differt à merito de condigno: quia meritum de condigno est id, cui retribuitur præmiũ & merces secundùm æqualitatem, siuè est æquale merito. Meritum verò de congruo est id, inter quod, & præmium non est æqualitas, sed retributio, & præmium excedit valorem operis meritorij: dicitur verò meritum de congruo propter congruentiam, & conuenientiam, quã habet cum præmio: tunc sic arguo: at congruum est, quòd opus bonum factum ab homine etiam peccatore ex auxilio gratiæ, quo se disponit ad iustificationẽ à Deo, remuneretur; ergo huiusmodi opus est meritum de congruo. Minor probatur, quis enim vnquam diceret non esse conueniens, vt cum aliquis vocetur à Deo ad pœnitentiã sui peccati, & ipse assentit vocationi à Deo habeat retributionem iustificantis gratiæ? Excitatus enim à Deo facit, quòd in se est; quare ergo non est congruum pietati diuinę, vt illum exaudiat? Alię rationes adducuntur, quas ego omitto.

Rationes contra hoc meritum de congruo adducuntur, & soluuntur. Caput Secundum.

1. Ratio. 15 SEd contra hoc meritum de congruo, etiam ex auxilio diuino non ex puris viribus naturalibus factum, arguunt Soto lib. 2. de natura, & gratia cap. 4. & alij 1. Apostolus ad Rom. 3. & 4. negat nos iustificari ex operibus; inquit enim *quod ex operibus datur, non datur secũdùm gratiam, sed secundùm debitum.* & cap. 11. *Si autem gratia, iam non ex operibus alioquin gratia non est gratia?* At meritum congruum est opus nostrum; ergo non est causa iustificationis.

16 Secundò. Concil. Trid. sess. 6. cap. 8. habet hæc verba. *Gratis autem iustificari ideò dicimur, quia nihil eorum, quæ præcedunt iustificationem siuè fides, siuè opera, ipsam iustificationis gratiam promeretur.* At meritum cõgruum est opus præcedens iustificationem, & ipsam meretur per nos; ergo ex Cõcilio non datur: quæ auctoritas, aiunt, est ponderãda, quia nedum negat meritum de cõgruo ex puris viribus naturalibus contra Pelagianos, & reliquias Pelagianorum, sed etiam meritum de congruo ex auxilio gratiæ: quia dicit neque fidem neque alias dispositiones præcedentes iustificationem promereri iustificationem, neque potest Concilium voluisse excludere solùm meritum de condigno: tum quia absolutè Concilium negat illa opera præcedentia esse meritum: tum quia ita opponitur gratiæ meritum congruum, sicut meritum condignum: gratia enim gratis datur. 2. Ratio.

17 Tertiò. Apud Sanctos Patres non habetur aliud meritum nisi condignum: illud scilicet, cui ex iustitia debetur præmium: hoc meritum congruum non est huiusmodi; ergo. Vndè Aug. in præfatione Psalmi 31. ait, *Nihil boni fecisti, & tibi datur remissio peccatorum.* & Epistola 105. docet nihil boni meriti peccatores habere posse. 3. Ratio.

18 Tandem meritum, & merces sunt relatiua; ergo vbi est meritum ibi est merces; sed iustificatio, siuè gratia iustificationis non potest dici merces secundùm D. Aug. Epistola 105. ergo neque quoduis opus etiam ex auxilio Dei factum præcedens gratiam iustificationis potest dici meritum. 4. Ratio.

19 Ad rationes has ex dictis respondetur. Ad D. Paulum dicimus eum loqui de operibus solis viribus liberi arbitrij factis: non de operibus factis auxilio diuino: alioquin contradiceret D. Iacobo suprà citato, qui apertè ait hominem non iustificari ex sola fide, sed requiri opera: cum ergo opera sint necessaria ad iustificationem, tanquã causa illius, non est inconueniens asserere illã esse causam meritoriam de congruo gratiæ iustificationis. Ad primũ.

20 Ad secundum, quod difficilius est, laborat multum Vasquez disp. illa 218. cap. 5. & reiecta responsione Andreæ Vega asserit Concilium ibi intelligere per gratiam iustificationis, non ipsam gratiam habitualem gratum facientem, & renouantem intrinsecus hominem, sed primum auxilium, & gratiam in serie auxiliorum iustificationis: iustificatio enim potest accipi præcisè pro ipsa renouatione interiori, vel pro tota serie auxiliorum ad ipsã concurrentium, quæ sunt multa vt fides, bona cogitatio, bona opera, & alia. Primum enim auxilium illud solet à Patribus Aphricanis quãdoque vocari gratia iustificationis: quia ordinatur ad gratiam gratum facientem, qua formaliter iustificamur: & dicitur à Patribus gratia remissionis peccatorum: & ideò Sacrum Conciliũ ad huiusmodi primam gratiam negat præcedere aliquod meritum non solùm condignum, sed nec congruum: quia illud non posset esse nisi opus liberi arbitrij puri, quod nõ potest esse meritum vllo modo, vt ostensum est contra Pelagium. Ad secundum.

21 Hæc quidem doctrina est bona, sed tamen non videtur plenè satisfacere Concilio, quia Concil. loquitur apertè de gratia iustificante formaliter, & qua renouatur interius homo: nam Concilium dicit, nec fidem, nec bona opera, quæ præcedunt ipsam iustificationis gratiam, ipsam promereri; ergo loquitur de illa iustificationis gratia, quam præcedunt fides, & opera: illa autem est gratia gratum faciens. Primùm enim auxilium ad initium iustificationis non habet opera, neque fidem, quæ ipsum antecedant.

22 Ego itaque dico Concilium loqui de gratia iustificationis, quæ est propriè gratia renouans interius hominem, & gratum faciens, & loqui de merito de condigno,

non

nō de merito de congruo: non quidē meri liberi arbitrij, vt Vega; sed de merito de congruo ex auxilio gratiæ. Etenim hoc meritum congruum non includit debitum retributionis ex iustitia, nec repugnat gratiæ, quia & ipsum innititur auxilio gratiæ, non puris viribus naturæ.

23 Vndè sensus Concilij est, quod nec fides, nec bona opera præcedentia gratiam iustificationis illam promerentur de condigno, licèt illam promereantur de cōgruo: quoniam etsi illa opera facta sint auxilio diuino, tamen carent gratia habituali. Ex proprio valore autem sine gratia habituali, non sunt æqualia præmio secundùm iustitiā, sed cum gratia habituali maximè. Et hic videtur obuius sensus Concilij: neque vt patet tollit meritum de congruo factum auxilio gratiæ. Et hoc modo respondēdo non læditur illud dictum Pauli. ***Quid habes quod non accepisti***, &c. etsi enim habeamus illud meritum congruū illud non ex nobis habemus, sed ex Dei auxilio.

Ad tertiā. 24 Ad tertiam ostensum est ex D. Aug. dari meritum hoc de congruo: idem verò admitti ab alijs Sanctis Patribus ostenditur in disput. de prædestinatione, & cap. sequenti.

25 Ad auctoritates illas duas D. August. patet ex dictis, quòd ibi loquitur de merito ex proprijs viribus secluso gratiæ auxilio, quod est meritum Pelagianum: at non negat peccatorē auxilio gratiæ posse habere aliquod meritum, quod recentiores appellant meritum impetratorium, & quòd suprà habuisse publicanum ipse D. Aug. ostendit.

Ad quartā. 26 Ad quartam respondetur, quòd illud antecedens, meritum, & merces sunt correlatiua: est verum de merito de condigno, non de merito in communi, & proinde D. Aug. negauit iustificationem esse mercedem: quia nō confertur ex meritis de condigno; sed solùm ex meritis de congruo factis auxilio Dei, vt dictum est. Vndè à recentioribus ipsa iustificatio appellatur remuneratio, licèt non appelletur merces.

Meritū de cōgruo dari probatur ex Cōcilio. 27 Ex hucusque dictis patet dari meritum de cōgruo, quòd adhuc confirmatur ex Concilio Trid. hæc enim est expressa doctrina eius sess. 6. cap. 6. vbi explicans modū, quo quis præparatur ad iustificationem, inquit. ***Disponūtur autem ad ipsam iustificationem, dum excitati diuina gratia, & adiuti fidem ex auditu concipientes, liberè mouētur in Deum***, &c. Ecce quòd Concilium asserit, quòd tunc homo disponitur ad iustificationem cū adiutus gratia concipit fidem, & liberè mouetur in Deum. Hic ergo motus liberi arbitrij ex auxilio Dei factus, scilicet, concipere fidem, & mouere se in Deum liberè, est dispositio ad iustificationem: at dispositio ad iustificationem, & meritum de congruo iustificationis idem sunt; ergo ex Concilio datur opus meritorium de congruo iustificationis.

Scoti sēsus verus, & ratio efficax. 28 Hoc est illud, quod asserit Scotus in hoc 4. dist. 14. quæst. 2. art. 2. dum ait, quòd nisi admittamus hominem cum auxilio Dei, quod est gratia præueniens posse se disponere ad iustificationem, Deus esset acceptator personarum. Vndè dicimus catholicè, quòd qui assentit gratiæ præuenienti meretur gratiam habitualem: qui verò non assentit non meretur, & sic tollimus acceptationem personarum à Deo. Si autem hoc negemus, tunc peccator iustificaretur sinè omni dispositione sufficiente de congruo ex parte eius; & sic esset difficile saluare, quod apud Deum non sit acceptatio personarum.

29 Pro tanto autem Scotus in hoc 4. dist. 14. quæst. 2. dicit, quòd si attritio cum communi influentia, idest cum gratia præueniente habita est perfectè circumstantionatá in genere moris, videtur omninò dispositio sufficiēs ad iustitiam in termino illius attritionis acquirendam, quē Deus præfixit esse terminum illius attritionis: quia si aliquis excitatus à Deo moueatur in Deum, at non secundū omnem circumstantiam bonam; sed apponat aliquam malam, nulli dubium est, quòd tali actu non meretur iustificationem; sed si adsit omnis circunstantia bona clarissimum est actum illum esse bonum: & ideò in fine temporis præfixi, esse meritorium gratiæ habitualis de congruo, non de condigno.

D. Io. Chrisost. & Patres Græcos nequaquam consensisse Semipelagianis, sed prorsus sensisse cum D. August. contra Molinam, & Vasquez.
Caput Tertium.

30 MOlina lib. de concordia disp. 41. & Vasquez p. p. disp. 91. cap. 8. dicunt Græcos Patres, & alios, sed præsertim D. Io. Chrisostomum cum Semipelagianis sensisse: nimirum initium bonorum operum, nō esse ex gratia, & auxilio Dei præueniente; sed esse ex viribus puri liberi arbitrij, cui postea Deus auxilio suo subuenit, ac bonos motus inceptos promouet, sinè quo auxilio labores nostri essent irriti, & vani. Quòd autem Græci Patres, fuerint opinionis Semipelagianorū probat Vasquez disp. illa 91. cap. 9. hoc argumento, quia Massilienses adducebant Sanctos Patres contra opinionem D. August. respondens autem D. Aug. non negat Sanctos Patres fuisse sibi contrarios, sed excusat eos, quia eorum temporibus nondum exorta erat hęresis Pelagij: sed si fuissent tempore Pelagij sensissent cum ipsemet Aug. hoc autem probat ex D. Aug. lib. de prædestinatione Sanctorum cap. 14. vbi ait D. August. habere, quòd dictum est.

31 Quod autem præcipuè D. Io. Chrisost. talis opinionis fuerit Molina, & Vasquez probant: quia Hom. 12. in epistola ad Hebræos, in expositione morali habet hæc verba. *Oportet nos quippè eligere primùm, quæ bona sunt, & tunc ipse, quæ sua sunt, introducit: non antecedit nostras voluntates ne lædatur arbitrium: cum autem nos elegerimus multam, tunc nobis affert auxiliationem.* Secundò adducit Vasquez alium locum ex Hom. 17. in Io. super illa verba. *Conuersus autem Iesus*, &c. vbi ait D. Chrisost. sic habere. *Hinc admoneri possumus Deum suis in nos benefitijs nostras non præuenire voluntates, sed a nobis incipiēdum esse; sed cum nos prompto paratoque animo ad suscipiēdam gratiam exhibemus tūc multas nobis offert salutis occasiones.* Eandem doctrinā videtur innuere in Psal. 120. *Non des in cōmotionem pedem tuum*, & alibi. Ex his apertè ellici videtur D. Io. Chrisost. sensisse initium bonorum operum esse ex nobis, nō ex Deo, sed Deum posteà subuenire sua gratia nostro bono motui liberi arbitrij, ne conatus nostri sint irriti, quæ est sententia Semipelagianorū.

32 Cœterū in primis falsum est antiquos Patres Græcos, qui tempora D. Aug. præcesserunt sensisse cum Semipelagianis, & fuisse contrarios D. Aug. quod eodem testimonio, quo vsus est Vasquez, euidentissimè probatur. Nam lib. de prædestinatione Sanctorum cap. 14. qui est locus citatus à Vasquez, D. August. dicit oppositum: asseri enim apertè Sanctos Patres idem sensisse de gratia, quod ipsemet D. August. licèt ipsi non ita clarè rem tractauerint, vt ipse Aug. quia nondum hæresis Pelagiana orta erat: tamen antiqui Patres ostenderunt se sentire initium bonorum operum esse ex gratia Dei, quod probat hoc argumento, quia in suis sermonibus hortabantur populum ad orandum Deum, vt opera bona facerent, quæ ad vitam æternam ducunt: hoc autem non fecissent, nisi existimassent opera bona esse à Deo: verba autem D. August. sunt hæc. *Quid igitur opus est, vt eorum scrutemur opuscula, qui prinsquam ista hæresis oriretur non habuerūt necessitatem in hac difficili ad soluendum quæst. versari; quod procul dubio facerent si respondere talibus cogerētur? vndè factum est, vt de gratia Dei quid sentirent, breuiter quibusdam scriptorum suorum locis, & transeunter attingerent: immorarētur verò in eis, quæ aduersus alios inimicos Ecclesiæ disputabāt, & in exhortationibus, ad quasque virtutes, quibus Deo viuo, & vero pro adipiscenda vita æterna, & vera felicitate seruitur. frequentationibus aut orationibus simpliciter apparebat Dei gratia, quid valeret: non enim poscerentur a Deo, quæ præcepit fieri, nisi ab illo donarentur, vt fierent.* Hæc D. Aug. Allata opinio refellit ex D. Aug.

De

Quid dicẽdũ de Patribus Græcis, & Latinis.

33 De alijs verò Patribus Græcis, & Latinis, qui videntur quoquo pacto Semipelagianis consensisse, vt sunt Gregorius Naziancenus orat. 31. quæ est in cap. 19. Matth. & D. Hilarius in Psalm. 118. in illa verba. *Inclina cor meum* &c. D. Ambros. lib. 2. de Abraham, cap. 20. & D. Hieron. li. 3. aduersus Pelagianos in principio non est, vt multùm laboremus: quia ipse Vasquez eodẽ loco fatetur istos Patres nequaquã Semipelagianis consensisse, quod nos quoque in fine huius capitis manifestabimus. Superest ergo vt hoc de D. Ioan. Chrisost. ostendamus; si enim hic de quo magis videtur, eis non fauet, multò minùs alij.

Quid de D. Ioannes Chrisost.

34 Quòd ergo D. Ioan. Chrisost. quàm maximè distet ab errore Semipelagianorum, & fateatur gratiam præuenientem in omnibus operibus nostris boni, probatur, & 1. ex hom. illa 17. in Ioannem super illa verba. *Conuersus autem Iesus* &c. Nam licèt ille locus habeat diuersam lectionem, & in aliquibus enim exemplaribus habeatur lectio adducta à Vasquez, tamẽ in exemplaribus impressis Venetijs anno 1574. apud Valgrisium, & alijs, lectio est omnino opposita, & est hæc. *Hinc admoneri possumus Deũ suis in nos benefitijs nostras preuenire voluntates, nec à nobis incipiendum esse; sed cum nos prompto, paratoque per illum animo ad suscipiendum gratiam, exhibemus tunc multas nobis offert salutis occasiones, ac confert.* Ecce hic non habetur illa particula *non*, sed apertè dicit Deum incipere, non autem, nos. Et certè exemplaria Venetijs impressa sunt emendatiora, & eorum lectio est verisimilior sensui textus; tum quia ex textu Euãgelico habemus, quòd Iesus est primus, qui conuersus est ad discipulos, & primus eos alloquitur; ergo hic locus admonet nos Deum priùs incipere, non autem nos: tum quia illa particula, *sed*, bis tam breui spatio repetita, non satis congruè seriei textus accommodatur; sed multo magis congruit, loco prioris, *sed*, illa particula, *nec*, vt est videre legenti textum. Sed dato quòd lectio Vasquez sit legitima; tamen D. Ioan. Chrisost. non negasse gratiam preuenientem ex alijs locis suorum operum irrefragabiliter ostenditur, & 1. ex hom. de Adam, & Eua, quæ habetur 1. tomo suorum operum; in ea enim versus finem habet hæc verba. *Et non dubitemus ab ipsius gratia omnia nobis merita prouenire: per quem itẽ fit, vt aliquid boni, & velle inueniamur, & facere, quo vtique auxilio, & munere Dei nõ aufertur liberum arbitrium; sed liberatur,* &c. & paulò infrà. *Agit quippe in nobis, vt qđ vult, & velimus, & agamus,* &c. & alia plura pro gratia præueniente expresse habentur: at respondet Molina vbi suprà, quòd si illa homilia de Adam, & Eua est D. Ioan. Chrisost. certè D. Ioan. Chrisost. correxit errorem suum, atque omninò cum ceteris Patribus consensit; subiungit deinde meritò credi illã hom. non esse D. Ioan. Chrisost. sed ab aliquo insertam fuisse operibus eius, ne videatur cõsensisse Semipelagianis, & contrariari D. Augustin. quod confirmat: quia auctor illius homiliæ videtur legisse opera D. August. & concertationes Patrum aduersus Pelagianos, vndè ad illos lectores remittere videtur: Vasquez verò vbi suprà respondet nihil obstare, quod D. Ioan. Chrisost. in suis operibus dicat omnia merita nostra fidem, & virtutes ex Deo nos habere, & illius dona esse: quia hoc omnes Massilienses dicebant: solùm autẽ errabant quòd aliqua initia horum nobis tribuebant, tametsi aliqui fidem etiam ex nobis esse dicerent, in hac enim re, inquit, varij fuerunt.

Responsio Molinæ.

Responsio Vasquez.

Responsio allata reijcitur.

35 Cęterùm hanc eorum responsionem ex alijs D. Ioa. Chrisost. locis euidenter probabimus omninò esse vanam. Quod ergo hom. illa de Adam, & Eua sit D. Ioa. Chrisost. probatur ex hoc: quia propositiones quas habet in illa pro gratia præueniente, habet quoque in alijs suis operibus sparsim: vndè vel omnia eius opera corrupta sunt, vel hæc hom. est eius absque vlla hæsitatione; assumptũ probatur. Principales propositiones quas pro gratia pręueniente habet in illa hom. de Adam, & Eua sunt istæ. *His ergo ecclesiasticis regulis, & diuina sumptis auctoritate documentis confirmatis, confirmati sumus, vt omnium bonorum effectuum atque operum, & omnium studiorum, omniumque virtutum, quibus ab initio fidei ad Deum tẽdimus, Deum profiteamur auctorẽ, & nõ dubitemus, ab ipsius gratia omnia hominis merita prouenire, per quem item fit, vt aliquid boni, & velle inueniamur, & facere.* & rursus. *Tanta enim est erga omnes bonitas Dei vt nostra velit esse merita quæ sunt ipsius dona, & pro his, quæ largitus est, æterna pręmia sit daturus. Agit quippè in nobis, vt quod vult, & velimus, & agamus,* &c. Modò in his propositionibus in primis non retractat illud, quod est principale in hæresi Semipelagianorum, & quod hom. 12. in Epist. ad Hebr. dixit, scilicet nos incipere, & Deum subsequi, ne nostrum lædatur arbitrium. Si autem hæc hom. ab aliquo addita fuisset ad ostendendum ipsum non consensisse Semipelagianis, debuisset apponere aliquod verbum, quo insinuaretur Deum incipere, non nos; neque hoc lædere liberum arbitrium; ergo.

Nunc ex alijs locis eiusdem, eum gratiam pręuenientem admisisse ostendamus: & in primis fidem nobis ingenerari à Deo, non autem acquiri à nobis, vt dicebant Semipelagiani, hom. 39. in Matth. ait. *Gratiam quidem fidei Dominus donat, tamen homines eam nutriunt, & faciunt fortem,* &c. & hom. 45. in Ioan. super illa verba. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum.* ait. *Quomodo trahat inquit Propheta pręd ixerat, quòd erũt omnes docibiles Dei. Vides fidei diuinitatem, quòd non ab hominibus, neque per hominem; sed per ipsum Deum ea imbuendi sunt? idcircò, vt fidẽ verbis suis cõparet, eos ad Prophetã relegat.*

36 Antequàm alias auctoritates adducam, notandum est vnum, quod nobis manifestat, quare scilicet Chrisost. multum tribuat libero arbitrio, & per hoc satisfiet obiectioni Molinæ, & Vasquez. Istud autem est quod temporibus suis, & prioribus vigebat hæresis Manichęorum, qui dicebant animam, & naturam nostram esse malam, nec posse efficere aliquid bonum, & cum homo facit aliquod bonum, hoc nõ facere suo libero arbitrio, sed cogi à Deo: ideo D. Chrisost. semper fauet libero arbitrio, vt declinet hæresim Manichæorum, & ne tantum tribuat gratiæ, vt videatur destruere liberum arbitrium; & istæ concertationes contra Manichæos sunt illæ; de quibus loquitur in homil. de Adam, & Eua, non autem concertationes inter D. August. & Pelagianos; quæ omnia ex varijs eius locis patent. Primo loco ergo sit hom. 45. in Ioan. nunc suprà adducta super illa verba. *Nemo potest*, &c. vbi ait, *Hic insurgunt Manichæi nihil nos ex nobis ipsis posse, huius particulæ testimonio contendentes. Sed planè nos posse quæ volumus per hoc ostẽditur. Inquiunt enim si quis venit ad Deum quod opus est, vt trahatur? verùm hoc nostrum non tollit arbitrium; sed diuino egere auxilio ostendit, & non inuitum, sed omni conatu contendentem venire.* & paulò infrà addit verba, quę suprà adduximus scilicet. *Quomodo trahat*, &c. homil. in Psalmum 50. super illa verba. *Amplius laua me ab iniquitate mea*, loquens de misericordia Dei, quæ apud ipsum, & alios Patres est gratia Dei, inquit eam nos prouocare ad faciendum opus bonum: at qui prouocat aliquem ad aliquid agendum, ille proculdubio eum in illa operatione pręuenit. Verba autem eius sunt. *Prouocat nos,* (scilicet Deus) *& dicit dà & tu aliquid, vt putà mille scelera perpetrasti habes onera delictorum, volo alleuiare pondus, dà & tu manum tuam, non quia tui egeo, sed quia volo & te aliquid conferre ad tuam vtilitatem. Quomodo ergo latro saluatus est, & tanta soluit peccata? scito eum misericordia prouocatum; sed fide sua tanquàm adminiculo vsum in eo quòd dixit, Memento mei Domine, dum veneris in regnum tuum.* Quid clarius dicere potuit ad explicandũ gratiam pręuenientem Dei: si enim Deus nos prouocat; ergo ipse incipit, nõ nos; sed si nos assentimus sequimur. Hom. de ferendis reprehensionibus, & conuersione Pauli, quæ habetur tomo 3. prope finem inquit. *Aggrediuntur itaque nos hìc quidam, dicentes, vt quid mirum quòd Paulus ad fidem peruenit, cum Deus vocem illam quasi funẽ ceruici eius iniecerit, atque ipsum ad se adduxerit?* & paulò infrà

Cur D. Io. Chrisost. multũ tribuat libero arbitrio, ꝑ quod satisfit obiectioni Molinę, & Vasqz.

respon-

respondens ait. *Et vt discatis, quòd multùm quidem fecit ad salutem Pauli vocatio, sicut & ad aliorum omnium hominum facere solet; non tamen destituit eum à suis operibus, & suæ propriæ voluntatis laude, neque nouit eius libero arbitrio; sed voluntarius aduenit, atque sua bona voluntate.* hom. in Psalm. 5. super illa verba, *Ego autem in multitudinem misericordiæ tuę introibo in domum tuam.* ait, *Propter magnam inquit clementiam propter ineffabilem bonitatem seruata sum; sed nonnulli sunt, qui nec misericordiam quidem admittūt immedicabili morbo affecti, cuiusmodi sunt Iudæi; gratia enim, & misericordia, & si sit gratia, & misericordia volentes tamen, & gratiam habentes seruat, nō eos, qui effrenata audacia repugnant, & donum nolunt suscipere quales fuerunt Iudæi.* Si ergo Iudæi noluerunt suscipere donum gratiæ Dei; ergo Deus incępit; ergo Diuus Ioannes Chrisost. fatetur gratiam Dei pręuenire. hom. 12. in 1. ad Corinth. super illa verba, *Quid habes, quod non accepisti?* &c. ait. *Quid igitur tibi simulandum est quod nō habes? sed & tu hoc habes, & alij tecum, igitur quod accepisti habes, neque hoc tantùm & illud; sed quicquid habes: non enim merita tua hæc sunt; sed Dei gratia, quamuis fidē adducas a vocatione eā accepisti.* & paulò infrà subdit. *Quid igitur habes quæso, quod non acceptum habeas? nam ipse per te rectè operatus es? non sanè sed accepisti; & idcircò te magnum facis. Propterea cohibearis oportet: non enim tuum id munus est, sed largientis: nam si accepisti, ab illo accepisti, si ab illo non tuum accepisti, si non tuum quid insolescis, ac si tuum habeas? quare subdidit, si autem accepisti quid gloriaris quasi non acceperis?* hom. 18. in Epist. ad Romanos. *At dices, si ex gratia salus est, cur non omnes saluamur? quia noluistis. Gratia siquidem licèt gratuita sit, volentes tamen tantùm saluat, non eos qui nolunt.* & paulò infrà in principio moralis. *Gratias itaque Deo agamus quod de saluatis sumus, quodque cum ex operibus saluari nequiuerimus dono Dei gratis saluati sumus.* hom. 24. in Matth. *Sic & homo diuinæ gratiæ auxilio perdito per peccatum, non quod vult agit, sed quod Diabolus vult; & nisi Deus valida manu misericordiæ suæ soluerit illum vsque ad mortem in peccatorum suorum vinculis permanebit; ergo nostra quidem voluntate, & negligentia alligamur; sed per Dei misericordia absoluimur.* hom. 2. in Psalm. 50. *Vides quoniam iusti misericordia Dei indigent, vt ex peccatoribus iusti fiant, & iustificati iusti maneant. Nam, & D. Paulus per misericordiam talis factus est: gratias, inquit, ago qui me confortauit Christo, qui fidelem me habuit constituens in ministerio, qui priùs fui blasphæmus, & persecutor, & contumeliosus.* His & alijs similibus auctoritatibus constat D. Ioan. Chrisost. procul dubio admittere gratiam pręuenientem.

Adsunt multæ aliæ auctoritates, quæ aliquo modo obscuræ sunt: quia loquitur mixtim de gratia pręueniente, & subsequēte, vt hom. 8. in Epist. ad Philipenses, dum ait. *Tu bono sis animo, Deus est enim qui operatur in nobis; si ergo ipse operatur, oportet vt nos volūtatem exibeamus simul applaudentem, complectentem, & minimè effusam; si verò voluntatem in nobis ipse operatur, quomodo nos adhortaris? etenim si vt velimus ipse facit frustra nobis dicis, obedite; non enim obedimus. Frustra dicis in timore, ac tremore, nam totum Dei est, non ad hoc dixi Deum esse operantem in nobis, & vt velitis, & vt operemini; sed vt solicitudinem vestram releuarem. si volueris, tunc operatur, voluntatem, & promptitudinem ipse nobis dat, & operandi efficaciam: quādo enim voluerimus, voluntatem nostram postea adauget,* &c. Similia habet lib. 1. de compendio cordis prope finē, & alibi, quæ, vt dixi, obscura sunt: quia simul de gratia pręueniente, cooperante, & subsequente loquitur.

Ad locum adductū à Melina, & Vasquez.

37 Ad locum illum ex hom. 12. in Epist. ad Hæbreos, vbi dicit nos incipere ne nostrum liberum arbitrium lædatur; respondetur eum locum nos minime mouere debere: quia etiam D. Hieronim. habet similia verba 3. lib. aduersus Pelagianos in principio adducta à Vasquez, vbi suprà, & sunt hæc. *Et tamen hoc scito baptismum preterita donare peccata non futuram seruare iustitiam, quæ labore, & industria, ac diligentia, & semper super omnia Dei clemētia custoditur, vt nostrum sit rogare, illius tribuere quod rogatur: nostrum incipere, illius perficere: nostrum offerre, quod possumus, illius implere quod non possumus.* & tamen ibidem Vasquez ait, & rectè frustrà connumerari D. Hieron. inter reliquias Pelagianorum, qui tribus illis libris tā acriter contra Pelagium inuehitur. Sicut ergo cum Diuus Hieron. dicit nostrum esse rogare, incipere, offerre, &c. non intelligit nos incipere, & offerre sine auxilio pręueniēti. Ita cum D. Ioan. Chrisost. ait nos primum eligere, quæ bona sunt, deindè Deum quæ sua sunt introducere, est intelligendus, vt non neget, hoc nos facere ex auxilio Dei; sed loqui iuxta illud Sacræ scripturæ. *Conuertimini ad me in toto corde vestro,* &c. Et cum ait, *Non antecedit nostras voluntates, ne liberum arbitrium lædatur,* non vult negare auxilium Dei pręcedere; sed vult detestari hæresim Manichæorum, qui dicebant nos non posse operari bonum: quia natura nostra est mala: & cum quis operatur bonum Deum eum veluti fune auinctum trahere ad opus bonū, vt ipsemet D. Ioan. Chrisost. homil. de ferendis reprehensionibus asserit eos dicere fuisse solitos de conuersione D. Pauli, non negat ergo auxilium præueniens, sed negat illud esse tale, vt tollat liberum arbitrium, & cogat, & vi trahat voluntatem nostram, eo quia natura in se sit mala, & nō possit cum auxilio Dei ex se velle bonum; sed solū coacta, quæ omnia satis euidenter cōstant ex superiùs dictis.

38 Tandem accedit, quòd D. August. toto 1. & 2. libro contra Iulianum, ex professo probat hæresim Pelagianā esse contrariam omnibus Patribus Grecis, & Latinis, qui eum præcesserunt, & adducit testimonia Irenei, Cipriani Retitij, Olimpij, Hilarij, Ambr. Greg. Naziāz. Basilij, Io. Chrisost. quē vocat Sanctū Ioannē Episcop. Cōstantinop. & Hieronimi, modo si D. Ioan. Chrisost. dixisset gratiam Dei nos non pręuenire; sed subsequi, & secundùm nostra merita dari non potuisset D. August. Ioannem Chrisost. pro se ipso, & pro sententia catholica adducere. Patres Greci, & Latini.

DISPVTATIO XVI.

De contritione, & attritione.

Quid sit contritio. *Caput Primum.*

1 NVlla est materia magis necessaria, & scitu digna, quàm materia de contritione, & attritione; in hac enim vnusquisque debet esse frequens, quia sunt de essentia sacramenti pęnitentiæ, quod est secunda tabula post naufragium, & vnicum refugium nostrum post baptismum; & tamen est satis implicata, & obscura propter varias scribentiū opin.

Et primò quidem non est facilè inuestigare, quænam sit vera, & perfecta diffinitio contritionis, & quæ attritionis, loquendo de vera attritione: ex quibus definitionibus earum essentia manifestatur, & earumdem differentia aperitur. Nam apud veteres Doctores D. Thom. Scotum, D. Bonau. & alios, etsi multa habeantur ex quibus hę diffinitiones inuestigari possunt, non tamen habetur aliqua aperta, & clara definitio: ideo posteriores varias definitiones assignauerunt. Vt ergo res hæc distinctiùs, quo fieri potest, intelligatur, priùs aliorum opiniones adducā: deindè sentētiam, quam puto veriorem, aperiam; & de aliorum opinionibus iudicium feram; reijciendo illas in ijs, in quibus à veriori sententia recedunt. Quæ sit definitio contritionis, & attritionis. Caietanus in opusculis tractatu de attritione, & contritione quæst. 1. asserit essentiam contritionis consistere in tribus particulis, siue conditionibus, ex quibus definitio contritionis colligi potest. Prima conditio est, quòd contritio est displicentia de peccato commisso. Secunda cum proposito non peccandi ampliùs mortaliter. Tertia quòd sit charitate formata; Caietani opinio. ità quòd secundùm Caietanum hæc potest esse diffinitio contritionis: contritio est displicentia peccati commissi cū proposito de cætero non peccandi: gratia formata ve-

rùm quia non adhuc manifestum est, quænam differentia sit inter contritionem, & attritionem, magis declarat has tres particulas, dicens; quod si displicentia de peccato, quæ est prima conditio, sit summa, & super omnia, est cõtritio; si verò non sit summa, sed modica, & leuis; & denique non sit super omnia, sed deficiat, est attritio. Similiter quantùm ad secundam conditionem, si quis habeat propositum vitandi peccatum super omnia euitabilia, est contritio: si verò non habeat propositũ explicitum vitandi peccatum super omnia euitabilia, sed solùm quodãmodo in confuso, ita tamen quòd displicet illi peccatum explicitè, nec intendit aliquod peccatum committere explicitè; sed habet intentionem vitandi peccatum in confuso, est attritio; iuxta tertiam conditionem nullum ponit discrimen inter contritionem, & attritionem. Itaque secundùm Caietanum, contritio est perfecta displicẽtia de peccato super omnia, cum proposito super omnia nõ peccandi, formata gratia. Attritio verò est imperfecta displicentia de peccato, quia non super omnia; & est imperfectum propositum vitandi peccata: quia in confuso. Circa tertiã conditionem Caietanus nullũ ponit discrimen inter contritionem, & attritionem: quia illa tertia conditio, quòd contritio sit formata gratia, non ponitur à Caietano ad propriam mentem, sed ad mentem aliorum, vt Scoti, & aliorum, qui, vt ait ipse Caietanus, non agnoscunt contritionem sine gratia. Vndè inquit quòd motus ille contritionis, qui habet duas priores conditiones, quibus ab attritione distinguitur, potest durare vsque ad certum, & determinatum tempus ante infusionem gratię habitualis, & deindè illa formari: & hoc modo secundùm Scotum, & sequaces motus ille ex attritione fieret contritio: in hoc autem quod ait motũ contritionis posse durare per aliquod spatium temporis reprehenditur à Soto in 4. d. 17. q. 2. a. 5. quia videtur esse communis sentẽtia Patrum quòd eodem momento, quo quis habet contritionem, eodem momẽto Deus illa infundat gratiã habitualẽ, de qua re infrà.

Opin. Soto

Soto verò in 4. d. 17. q. 2. a. 1. agens de quiditate contritionis disputat, an illa communis difinitio contritionis, *Contritio est dolor pro peccatis voluntariè assumptus cum proposito confitendi, & satisfaciendi*, sit bona, & eam corrigit, & dicit hanc esse integram perfectamque difinitionem. Contritio est detestatio peccati quatenus est offensa Dei cum proposito emendandi vitam, confitendique, & satisfaciendi, cum spe veniæ diuinitùs obtinẽdæ, & eadem dist. & quæst. ar. 5. ponit quinque differentias inter contritionem, & attritionem veram, quæ cum sacramento sufficit ad veniam impetrandam: de alijs enim attritionibus non loquimur, quia non sunt ad propositum, vt infrà videbimus. Prima differentia est ex parte obiecti: quia contritio est dolor de offensa Dei, siue de peccatis propter Deum: attritio verò est dolor de peccatis propter pœnam inferni, aut aliarum pœnarum temporalium. Secunda sumitur penes causam, quòd cõtritio oritur ex timore filiali; attritio verò ex timore seruili, scilicet pęnarum. Tertia, contritio non potest haberi nisi ex auxilio speciali diuino: attritio verò haberi potest ex viribus naturalibus. Quarta sumitur ex parte effectus: quia cõtritio sua virtute cõstituit hominẽ in gratia; attritio verò nequaquã. Quinta, quæ ex præcedenti sequitur: cõtritio nũquã põt esse informis, sed sẽper habet annexã gratiã: attritio verò põt esse informis.

Opin. Nauarri.

2 Nauarrus in Manuali cap. 1. n. 1. difinit contritionẽ esse pœnitudinem voluntariã cum dolore maximo actuali, vel virtuali peccati proprij iam commissi, quatenus est offensa Dei, super omnia dilecti, cum spe ueniæ, & proposito non peccandi ampliùs, saltem mortaliter, & confitendi, ac satisfaciendi, vt minimum virtuali. Ponit verò discrimen inter contritionem, & attritionem eodem cap. n. 36. & n. 41. penes hoc, quòd illa pœnitudo, quæ caret prædictis conditionibus contritionis est attritio: præsertim verò distinguitur penes obiectum, quia contritio est propter amorem Dei; attritio propter timorem gehenæ, vel penarum temporalium: ac penes hoc, quia contritio est dolor de peccato super omnia odibilia: attritio verò nequaquã, sed est dolor leuis, vt dicebat Caietanus, cum quo in hoc apertè sensit Nauarrus, licèt in alijs ibi differat.

Opin. Toleti.

3 Toletus in Summa lib. 3. cap. 4. assignat hanc definitionem. Contritio est præteriti peccati, vt est Dei offensa voluntaria supra omnia detestatio cum proposito futura supra omnia vitandi, & commissa confitendi. Et eodem cap. n. 6. ponit discrimen inter contritionem, & attritionẽ penes hoc, quòd detestatio peccati, quæ caret aliqua ex illis sex conditionibus, est attritio, & præsertim eum caret circunstantia obiecti, scilicet quia nõ est detestatio peccati propter Deũ, sed propter pęnã æternã, vel tẽporalẽ. Ponit alias differentias inter contritionem, & attritionem, sed quia illæ pertinent ad attritiones quasdã, quæ non sunt veræ attritiones, de quibus nunc non loquimur, illas omitto.

Opin. Suarez.

4 Tandem, vt alios omittam, Suarez Tomo de pœnitentia disp. 4. sect. 1. n. 1. ponit hanc descriptionem de cõtritione. Contritio iuxta Ecclesiæ communem conceptionem significat perfectam auersionem voluntatis à peccato commisso, qua homo se præparat ad reconciliandam amicitiam cum Deo, si illa careat: deinde in sequentibus sectionibus quærit eius conditiones essentiales, quibus ipsa contritio manifesta fiat: quarũ prima est ex parte obiecti, siuè motiui, scilicet vt sit ex amore Dei, & quia peccatum est offensa Dei; in qua tamen particula explicanda multa dicit, de quibus posteà agemus, cũ opinionem Scoti, & veram explicabimus. Secunda est propositum cauendi peccatum in futurum. Tertia est propositum confitendi, & satisfaciendi, sect. 5. n. 8. deinde ponit discrimen inter contritionem, & attritionem penes obiectum, siue vt ipse loquitur penes motiuum. Nam contritio oritur ex amore Dei: attritio nequaquàm, sed ex timore pœnarum gehenæ vel temporalium, & disp. 5. sect. prima alias quinque differentias assignat, de quibus posteà erit agendum, Hæc autem, & alia, quæ pertinẽt ad cognitionem exactã contritionis, & attritionis, satis obscurè, & prolixè ibi tractat: ex quibus patet Doctores in aliquibus conuenire, & in aliquibus dissentire, quòd ex dicendis magis patebit.

Opin. Scoti, & resolutio huius materiæ.

Vt ergo res hęc distinctè intelligatur opus est priùs breuiter, & resolutè, explicare quid sit contritio, & quid attritio; deinde singula erunt consideranda, quæ in illis continentur, vt appareat, quæ sint ea, quæ sunt certa, & ab omnibus conceduntur, & quæ sunt sub controuersia, & quæ ex ijs quæ sunt sub controuersia sint magis vel minus probabilia. Ad hoc autem facindum nulla methodus, & via mihi videtur facilior quàm ea, qua vtitur Scotus in hoc 4. d. 14. q. 2. a. 2. Inquit ergo vt suprà vidimus, quòd actus humanus, qui requiritur ad deletionem peccati mortalis tanquàm dispositio præuia, potest esse duplex; vel enim est actus totaliter, & perfectè circunstãtionatus circunstãtijs moralibus debitis; vel non est perfectè, & totaliter circunstantionatus omnibus circunstantijs moralibus debitis; sed aliqua deficit: non tamen ponit aliquam circunstãtiam inordinatam. Ex his, ad propositum nostrum, habemus quis actus sit contritio, & quis attritio quantùm ad rem ipsam; dimisso modo loquendi Scoti, de quo posteà, & sequendo modum loquendi communem, qui est, quòd attritio, & contritio dicantur illi motus, qui pręcedunt infusionem gratiæ, & sunt dispositiones, ad illam; & quòd attritio est dolor imperfectus, & contritio est dolor perfectus: quam doctrinam apertè posteà tradit Scotus dist. illa 14. q. 4. a. 3. & in responsione ad secundum, vbi loquitur de dispositione necessaria ad confessionem. Ad propositum ergo actus primo modo dictus est contritio; actus secundo modo dictus est attritio. (Asserit autem Scotus, quòd actus primo modo, ante aduentum gratiæ, scilicet in illo priori natura, quo est dispositio, appellatur attritio, non cõtritio; sed dicitur contritio tantùm, quando est informatus gratia, quia communiter actus, qui delet peccatum, habet gratiam habitualem; secundùm autem omnes Theologos, & communem sensum Ecclesiæ contritio delet peccatum: ideò Scotus talem actum appellat contritionem,

tionem tantùmmodo, quando habet annexam gratiam: ideò vt est dispositio ad gratiam, & illam natura præcedit, dicitur attritio, vt illa formatur, dicitur contritio, (de qua re habebimus sermonem infrà cum disputabimus de ordine ipsorum inter se) attritio ergo propriè est actus ille imperfectus, ex defectu alicuius circunstantiæ debitæ, ex inconsideratione intellectus, vel omissione voluntatis, quantùm ad illam circunstantiam, qui tamen non habet annexam aliquam circunstantiam inordinatam: quia tūc esset actualiter offendens, cuius conditiones infrà ex Scoto q. 2. a. 2. & q. 4. a. 3. & ad secundum principale, & ex ratione ipsa, assignabimus, ponentes discrimen eius à contritione. Ex his habemus facilè quid sit contritio, & quid attritio, & quomodo inter se differant. Pro clariori tamē notitia vidēdum est, quæ sint circunstantiæ debitæ actus, vt sit contritio. Vbi supponendum est, vt certum ex moralibus, vt diximus suprà disp. 4. quòd nullus actus potest esse bonus ex circunstantia, si sit ex genere suo malus, sed necesse est ad hoc, vt actus sit bonus, quòd priùs sit bonus ex genere: at bonitas generis non sufficit sine bonitate circunstantiarum omnium. Ad propositum actus detestationis, & nolitionis, tunc est bonus ex genere, & est contritio, quando est circa debitum obiectū; debitum autem obiectum actus contritionis, seu detestationis, & nolitionis, est peccatum; sicut Deus est debitum obiectū actus amoris, & volitionis, quod patet ex Scripturis præcipientibus detestationem peccati superiùs adductis: ideò cum contritio sit detestatio peccati (appello nunc contritionem detestationem, quia communiter sic appellatur, & hic modus pœnitendi est vsitatior, & communior; & ad illum, vt ait Scotus suprà d. 14. q. 1. §. *Ex his ad quæst.* in fine, possunt reduci alij tres modi pœnitendi quos suprà enumerauimus cum Scoto eadem d. 14. q. 1. n. 3. tamen ex hoc non sequitur, qđ cōtritio sit actus alicuius virtutis particularis, vt tenēt Suarez, & multi alij antiqui, & moderni, neque sequitur, qđ sola detestatio sit contritio, sed alij tres actus, scilicet vindicatio, gratanter acceptatio, & patienter latio sunt quoque actus contritionis, quia illi sunt actus pœnitendi, qui delent peccata: actus autem pœnitendi delens peccatum est contritio, si tamen loqui velimus proprijssimè, vindicare peccatum est proprijssimè cōtritio: quia hic actus est actus pœnitentiæ, quæ est virtus specialis pœnitentiæ, & est nobolissimus inter alios actus pœnitendi, vt visum est suprà; ex quo etiam sequitur, quòd etsi contritio appelletur dolor, non tamē intelligitur, quòd sit dolor sensitiuus: quia hic sæpe haberi non potest; sed intelligitur, quòd sit dolor animi, idest tristitia, (vt suprà explicando p. q. 5. dist. 14. a. 3. diximus) est actus ex genere bonus: quia est circa obiectum debitum, & conueniens. Verùm quia circunstantiæ actuum humanorum dant aliquando malitiā, vel bonitatem actui ipsi, vt dictum est, & patet ex Arist. in 3. Ethicorum cap. 1. recepto communiter à Theologis, vt est videre apud D. Thom. p. 2. q. 7. Scotum in 4. d. 17. q. 1. a. 2. & clariùs, & distinctiùs quol. 18. a. 1. circa medium, & 2. dist. 40. & alibi passim, vt videbimus cum de confessione loquemur, actus iste detestandi peccatum, ex circunstantijs variatur, & habet quandoquè maiorem, quandoquè minorem bonitatem, & quandoquè habet malitiam. Circūstantiæ autem actuum humanorum communiter sunt septem ex locis suprà citatis, quæ continentur in hoc versu. Quis, quid, vbi, quo, cur, quomodo, quādo. Tamen circūstantiæ pertinentes ad bonitatem, & malitiam actus moralis necessariò requisitæ, & ītrinsecæ, vt ait Scot. quol. 18. loco citato, sunt tantùm finis, & modus, adhuc autem tempus, & locus: quia nō omni tempore omnia licent, neque omni loco; tamē sunt actus multi, quorum bonitas etiam completa moralis non determinat locum; & idem possumus dicere de tempore. Ad propositum actus dolendi de peccato, licèt possit habere aliquam mutationem ex qualibet circunstātia; tamen principaliter habet mutationem ex parte finis: quia hæc est principalis circunstantia inter omnes: vndè ponitur ab omnibus. Est etiam aliqua difficultas de circunstantia modi, an scilicet requiratur certa intentio, & duratio, de quibus infrà. Est etiam difficultas de circūstantia quo, scilicet quo auxilio fiat; sed de hac egimus suprà disp. An pœnitentia sit virtus supernaturalis: at de persona, loco, & tempore, quæ denotantur illis particulis, quis, vbi, quando, nulla est difficultas pertinens ad præsentem locum, in quo quærimus quidditatem cōtritionis, quia de istis non est specialis ordinatio: vndè à quantumcunque diuersis personis, & diuersis in locis, & diuersis tēporibus eliciatur actus detestandi peccatum, nūquàm variatur præcisè ex variatione illarum circunstātiarum. Circunstantia temporis posset facessere aliquod negotij; sed de ea infrà agemus tractādo de tempore, quo obligat præceptum contritionis, quod non spectat ad hunc locum, vt dictum est. Circunstātia autem, quid, sub qua comprehēditur etiā, circa quod, quatenus distinguitur ab obiecto, & à materia circa quam, quæ est de essentia actus, & significat effectum aliquem consequentem ipsum actum principalem, vt si quis dolēs de peccato, oret, &c. non pertinet ad præsentē consideratione: quia hic est actus omninò diuersus, qui ex illo sequitur extrinsecè. Hic autē quærimus intrinsecam rationem actus detestandi peccatum: ideò Doctores tractantes de contritione, & attritione, solùm communiter loquuntur de circunstantijs finis, auxilij, & modi. Loquendo ergo de circunstantia finis; finis debitus actui detestādi peccatum est ex charitate, scilicet propter amorem ipsius Dei: ideo cum quis detestatur peccatum propter amorem Dei, scilicet quia est offensa ipsius Dei, & quia est contra eius legem, actus ille est perfectè bonus ex hac circunstantia finis: quia est perfectè circunstantionatus circunstātia finis, & appellatur contritio. Si verò actus detestādi peccatum non solùm careat fine debito; sed apponat finem indebitum, & prohibitum: vt si quis doleat de homicidio, quia in carcere detinetur, nec ideò potest occidere inimicos, vel perpetrare aliquod aliud peccatū, iste actus non solùm non est contritio, sed est peccatum: quia non solùm caret circunstantia debita finis, sed apponit finem malum, & prohibitum, & circunstātiam offendentem: si verò actus detestandi peccatum careat circunstantia finis debiti immediatè, ita vt quis non doleat immediatè de peccato propter amorem Dei; sed tamen apponat circūstātiam finis, quæ vltimatè ordinetur ad amorem Dei, vel finaliter inducat ad amorē Dei, qui est finis debitus, vt si quis doleat de peccato propter gehenam, vel propter turpitudinem peccati, non tamen sistat hic præcisè deliberatè, sed timor huius pœnæ sit motiuum primū, quod tandem ducit ad amorem filialem, est dolor imperfectus, qui dicitur attritio vera, & bona, & sufficit cum Sacramento pœnitentiæ ad delendum peccatum mortale. Si ista detestatio cū prædictis circunstantijs sit debito modo intensa, est contritio; si sit imperfecto modo intēsa, est attritio. Hæc est breuiter resolutio huius materiæ. Verùm opus est hæc omnia diligentius explicare, quia hæc nimis cōcisa sunt, neque ex his cognoscūtur omnia, quæ sunt necessaria ad cōtritionem, & attritionem. Præsertim autem de his duabus circunstantijs, fine, & modo agendū est: supponimus enim ex dictis, quòd contritio, & attritio sint actus boni ex genere, versantur enim circa peccatum quod est debitum, & conueniens obiectum. In hoc cap. agemus de fine, & consequentibus ad ipsum: in 2. cap. agemus de modo, qui comprehendit intensionem, & durationē horum actuum attritionis, & contritionis, de quibus erit maxima contentio cum aduersarijs.

Circunstātiæ peccatorū sunt septem.

De circunstātia finis.

5 Quò ad primū ergo, quòd finis actus contritionis sit amor Dei, est cōmunis sentētia Theologorū Scoti in hac d. 14. q. 2. in respōsione ad vltimū principale, & q. 1. in respōsione ad tertiū, & d. 15. & 16. vt infrà videbimus, & nunc suprà dicebamus: quia cū detestatio caret circunstātia hac finis, non est debitè circunstantionata, & D. Tho. 3. p. q. 85. a. 5. & 6. Alensis 4. parte q. 17. m. 2. D. Bonau. Paludani dist. 17. Richardi dist. 15. & 16. Durādi, & aliorum. Et probatur auctoritatibus Sacræ scripturæ præsertim

Finis cōtritionis est amor Dei.

1. Ratio ex auctoritate.

sim ex illo 1. ad Corinth. 13. *Sine charitate nihil sum*. & 1. Io. 3. *Qui non diligit manet in morte*. & Lucæ 7. Christus de Magdalena dicit. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*. Ecce quod remissio peccatorũ tribuitur charitati, ex quibus habetur illud axioma Theologicum. Quod opera omnia sine charitate facta mortua sunt. Vndè D. Aug. lib. de vera, & falsa pœnitentia c. 9. & 17. inquit. *Sine amore nemo vnquam inuenit gratiã, nec veniam assecutus est*. & idẽ elicitur ex Côc. Trid. sess. 14. c. 4.

2. Ratio ex Scoto.

Probatur etiam ratione adducta ex Scoto suprà hac dist. 14. quæst. 1. §. *Ex his ad solutionem quæstionis*, versus finem, & est hæc. Homo per peccatum auertitur à Deo, & conuertitur ad creaturam: secundùm autem legem ordinariam non potest reconciliari Deo, nisi è contra auertatur à creatura, & conuertatur ad Deum, & fiat amicus Dei: non potest autem conuerti ad Deum nisi eum diligendo, & amando; requiritur ergo actus charitatis, vt finis, & motiuum detestationis peccati.

An charitatis actus requisitus habeat eẽ formalis.

6 Verùm hic est difficultas, An dilectio hæc vltimi finis requisita ad actum, vt sit côtritio, debeat esse dilectio, & amor formalis directè tẽdens in Deum, qua in re sunt duæ opiniones: prima tenet debere esse amorem formalem: altera inquit sufficere amorem virtualem Dei, qui includitur in simplici actu detestandi peccatum. Has opiniones refert Suarez tomo de pœnitentia disp. 4. sect. 2.

Duæ opiniones.

Fundamentum primæ opinionis.

& priorem tribuit D. Thomæ, Scoto, & alijs Theologis superiùs nominatis propter rationes nunc adductas ad probandum ad contritionem requiri hanc circunstantiã finis, scilicet vt sit propter Deum: illæ enim videntur intelligi debere de amore formali; alteram opinionem tribuit Gabrieli in 4. dist. 14. quæst. 1. art. 2. concl. 5. Paludano, Soto quæst. 2. art. 5. & alijs, qui illam insinuare videntur: pro qua opinione hanc rationem adducit.

Fundamentum secundæ opinionis.

Quia simplex, & solus actus pœnitentiæ virtutis specialis videtur esse sufficiens ad delendum peccatum: at actus quo deletur peccatum extra Sacramentum, & extra actũ formalem amoris Dei, est sola contritio; ergo ille solus absque amore formali, & directo explicitè in Deum, est contritio. Minor est euidens. Maior probatur per scripturas promittentes remissionem peccati actui pœnitentiæ, siue contritioni simplici, vt Ezechielis 33. *Si auerterit se peccator ab iniustitia sua*, &c. & Psalmi 31. *Dixi cõfitebor aduersùm me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei*. & alias huiusmodi: modò in his non fit mentio de actu expresso, & formali dilectionis Dei, sed solius contritionis: ergo. Actus autem cõtritionis est actus distinctus p se ab actu dilectionis Dei: quia est actus alterius virtutis: ideò hic potest haberi per se sinè dilectione Dei.

Opin. Suarez.

Suarez autem tenet mediam quãdam sententiam has duas conciliantem, quæ est, quòd amor formalis, vt medium, est necessarius ad iustificationem peccatoris: ideò debet semper concomitari actum detestationis peccati; alioquin non delebit peccatum, nec actus ille erit contritio: & hoc modo approbat primam opinionem, & eius rationes. Et ratio ipsius est, quia cum scriptura promittit alicui actui remissionem peccati, non excludit concomitantia requisita, sed potius subintelligit. Subiungit deinde, quòd etsi amor formalis requiratur, non tamen requiritur, vt actu elicitus in re ipsa: sufficit quòd virtualiter eliciatur in elicitione actus detestandi peccatum: & hoc modo probat secundam opinionem, & eius rationes.

Fundamentũ Suarez.

Ratio ipsius est, quia hæc sententia est valdè conformis suauitati diuinæ prouidentiæ, & humanæ conditioni; quia nõ potest homo sinè magna difficultate ad plura simul aduertere, & circa illa operari, & maximè in re tam graui: & hoc modo etiam satisfit commodè rationibus primæ sententię, dicendo quòd concludũt amorem formalẽ requiri, vt medium: non autẽ côcludũt requiri in actu exercito re ipsa. Rationes etiã pro secunda opinione nõ plùs probant, q̃ non esse necessariũ, vt amor formalis actu exerceatur, dum quis detestatur peccatum.

Opi. Scoti.

7 Scotus verò in hac 1. quæst. art. 2. vt suprà vidimus, sustinet duo, quorum vnum est certum, & concessum cõmuniter: aliud est dubium. Primum est, quòd detestatio peccati circunstantionata circũstantia finis, qui est amor Dei cum reliquis circonstantijs moralibus, proculdubio est actus contritionis, & est dispositio sufficiens ad delendum peccatum; & vt patet intelligitur explicitè: & de hoc nulla est dubitatio. Secundum dictum eius est. Si detestatio peccati careat circunstantia finis debiti, scilicet propter dilectionem Dei, ex aliqua inconsiderantia intellectus, vel aliqua omissione voluntatis, dummodo nõ apponat circunstantiam deformantem: tunc, inquit Scotus, est dubium, An iste actus sit contritio, & actus perfectus sufficienter disponens ad iustitiam, & delens peccatum. Has duas assertiones non probat Scotus, sed ex dictis suprà in hoc capite facilè probari possunt.

1. Cõclusio probatur.

Quò ad primam patet: quia auctoritates Sacræ scripturæ adductæ hortantur ad pœnitentiam propter Deũ; ergo cum pœnitemus propter Deum, & cum alijs circunstantijs implemus ordinationem Dei, & obtinemus promissum. Præterea actus ille est perfectissimus; ergo necessariò est dispositio perfecta ad gratiam obtinendam.

2. Conclusio Scoti p batur.

Secunda assertio ex eisdem auctoritatibus firmitur: nam ex Sacra scriptura habemus, quòd debeamus pœnitere de peccato propter Deum, & quòd remissio peccatorum tribuitur charitati, Lucæ 7. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*. Cum autem actus caret hac circunstantia finis, non possumus esse certi, an actus ille sit dispositio in se sufficiẽs ad gratiam.

Iudiciũ de vtraque opinione.

Ex his patet, quòd prima opinio ex duabus recitatis est securior: non tamen est omninò certa. Secunda verò, & opinio Suarez est minus tuta: non tamen est certũ eam esse falsam.

Ad rationẽ pro 2. opinione.

Ratio autẽ pro ipsa nulla est: quia falsum est, quòd actus simplex penitentiæ absque formali amore, & dilectione Dei explicito, qui est finis debitus, & motiuum actus illius detestationis, sit sufficiens dispositio ad gratiã: neque enim ex scripturis hoc habetur: quoniam scripturæ, dum commendant pœnitentiam, semper illam commendant propter amorem Dei, & quatenus est conuersio in Deum, quæ includit dilectionem Dei: ideò cum intellectus, vel voluntas illam omittit, quomodocunque actu, actus ille non habet debitam circunstantiam finis: ideò non possumus tutò, & absque dubitatione asserere talem actum esse dispositionem sufficientem ad gratiam, quæ dicitur contritio.

Ad ration: Suarez.

Alia ratio Suarez, quòd illa opinio est maximè conueniens suauitati prouidentiæ diuinæ, & humanę naturæ, &c. non concludit necessariò: quia etsi hic actus sit difficilis; non tamen est impossibilis, & virtus in difficultate cõsistit, & propterea Deus propter infirmitatẽ humanam ordinauit Sacramentũ pęnitentiæ, quod cũ actu minoris perfectionis delet culpam: illa tñ ratio est probabilis, sicut etiam opinio: non tamen est certa, vt dictũ est.

Contritio est detestatio peccati sup omnia mala.

8 Ex hac circunstantia sequuntur aliæ conditiones eis annexæ, scilicet, quòd contritio est detestatio peccati super omnia mala, & cum proposito ampliùs non peccandi, & cum spe veniæ. De prima patet, quia cum detestatio peccati, quæ est contritio oriatur, ex amore Dei, & ex charitate; & hic amor Dei debeat esse super omnia, vt patet ex 3. Senten. sequitur necessariò, vt etiam hæc detestatio sit nolitio peccati super omne nolibile; alioquin si quis non detestaretur peccatum super omne malum (intelligitur autem de malo pœnæ etiã Inferni) sequeretur, quòd diligeret aliquod commodum, & seipsum plusquã Deum: atque ita hic actus detestandi non procederet ex perfecta charitate, neque ex dilectione debita Dei, quem super omnia diligere debemus, iuxtà illud. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, &c. & hoc etiam confirmatur ex illo Ioelis. *Conuertimini ad me in toto corde vestro*, &c. & similibus.

Quomodo itelligatũ diligere Deũ super oĩa.

9 Cæterum circa hanc particulam recentiores litigãt quomodo intelligatur ista particula, super omnia. Aliqui enim dicunt illam non requiri: quia cum detestamur peccatum non facimus hanc comparationem ad alia mala; sed

sed absolutè detestamur peccatum commissum. Et hæc opinio tribuitur Nauarro in Manuali cap. 1. num. 34.& 35. sed eam apud ipsum ibi non inueni: tribuitur etiam alijs, quæ secundam opinionem nũc suprà assignatam sustinuerunt. Alij verò dicunt hanc particulam esse necessariam, vt sunt auctores superius citati, sustinẽtes detestationem peccati debere esse propter amorem Dei explicitè: & hæc est vera propter rationem,& auctoritates superius adductas; sed vt dixi, est difficultas, quomodo intelligatur. Suarez tomo de pœnitentia disp. 3. sect. 9. dicit, quòd non intelligitur illa particula comparatiuè formaliter, sed absolutè, & de comparatione virtuali. Ratio est, quia, cum quis detestatur peccatum, non est necess., vt faciat actualem, & formalem comparationem ad omnia mala pœnæ, & plùs detestetur peccatum, quàm omnia illa mala: quia hæc comparatio formalis non est in vsu, neque alicubi præcepta, neque etiam semper consulenda, propter infirmiores, ne in periculo aliquo constituantur, & hoc modo est vera prima opinio. Cum ergo comparatio formalis, non sit necessaria, sequitur, vt intelligatur de cõparatione virtuali, & hæc est opinio Suarez loco citato.

Reijcitur. 10 Verùm ego nõ video, quomodo quis possit diligere Deum super omnia, & non facere comparationẽ actu, & formaliter bonitatis diuinæ ad alia bona creata, & videtur expresè denotari p illa verba, *Conuertimini ad me in toto corde vestro*, &c. &, *Diliges Dominum Deũ tuũ ex toto corde*, &c. licèt non faciat comparationem ad omnia bona creata, neque enim est necesse, vt enumeret omnia, & singula bona creata; sed sufficit, vt enumeret principalia sub quibus alia continentur, vt cum quis intendit diligere Deũ super omnia, necesse est, quòd statim intelligat se diligere Deum super diuitias, voluptates, filios, adhuc etiã suprà se ipsum: dilectio enim hæc Dei, super omnia, formaliter includit relationem; illa enim particula, super omnia, est nota relationis: ita cum quis detestatur peccatum super omnia mala pœnæ, necessariò facit actu, & formaliter comparationem ad aliqua mala pœnæ principalia, vt quòd magis odit, & non vult peccatum, quàm paupertatem, infirmitatem, denique mortem ipsam: immò, & pęnam æternam. Et hinc ruũt rationes Suarez, & aliorum, quia est in vsu, & est consulenda: quia alio modo nõ potest explicari hæc dilectio super omnia, etiam rudibus: nec ingerere potest periculum aliquod, quia necessariũ est, quòd vnusquisque cognoscat, quòd debet præponere bonum Dei cuicũque bono suo proprio: non est quidem necessaria perfecta, & scrupulosa quædam comparatio cum quocunque bono, vt putà sensuali, quia hæc comparatio esset periculosa, nõ propter cõparationem, sed propter recordationem actus sensualis, quæ præberet occasionem tentationis alicui; sed requirit tamen aliquã cõparationem principalium bonorum hominis, vt dictum est: quia sinè aliqua comparatione non potest intelligi esse dilectionem super omnia. Idem dicendum de detestatione malorum: non.n. requiritur scrupulosa comparatio ad omnia mala, vt ad carentiam cuiuscunq. actus sensualis, quod est malum commodi, & similium: requiritur tamen comparatio ad aliqua mala principalia, sub quibus alia continẽtur virtualiter, & cadit sub præcepto, quo præcipitur, vt peccator detestetur peccatũ super omnia, & toto corde ad Deum conuertatur, & per illud, *Qui non odit Patrem, Matrem, & se ipsum non est me dignus*. Matt. 10. & Lucæ 14. est etiam in vsu cum Confessarij, & Cõcionatores continuò prędicent omnia bona creata despicienda esse, vt Christum lucrifaciamus.

Opin. Scoti. Est ergo dicẽdum cum Scoto in 3.d.27.§. *De primo dico*, &c. quòd illa particula, super oĩa, debet intelligi explicitè extensiuè, & intensiuè, ita quòd sensus est, quòd sicut debemus diligere Deum super omnia extensiuè, & intensiuè ex charitate: ita cũ detestamur peccatũ propter Deũ super omnia, debemus illud detestari super oĩa extensiuè, ita quòd magis, debemus odire peccatũ, & illud nolle q̃ quodcunque malum pęnæ, & intẽsius debemus illud nolle, quàm quodcunque aliud malũ pęnæ. Sed, an requiratur certa intensio in actu contritionis, nunc infrà in particulari explicabo. De modo autem quo intelligitur pręceptum illud de dilectione super omnia, explicabimus in disputatione illa, An ex puris viribus naturæ possimus efficere aliquod opus bonum morale, & diligere Deum super oĩa: & alibi dabitur occasio; pro nunc cũ Scoto, vbi suprà dico, quòd debet intelligi extensiuè, & intensiuè, non aũt secundùm omnes conditiones additas. s. ex toto corde, & ex tota anima, &c. quia vt sic non potest adimpleri in via, quia in via non põt esse tanta recollectio viriũ, vt amotis impedimentis voluntas tendat in Deum tanto conatu.

11 Ex eadem circunstantia deducitur alia conditio. s. quòd actus, qui contritio est, debet includere propositum ampliùs non peccandi: circa q̃ conditionem adhuc occurrit dubitatio: nã certũ est, quòd requiritur propositũ amplius non peccandi, quod supponitur à Scoto hac q. 2. sed explicitè ponitur q. 4. eiusdẽ distinctionis, loquẽs de attritione. Vndè si ad attritionẽ requiritur multò magis ad cõtritionẽ; neque.n. verè possum diligere Deum super oĩa, si non habeo firmum propositum eum ampliùs non offendendi. Si enim in humanis quis reconcilietur alicui, & tñ non habeat firmum propositum eũ non offendendi, hæc non est perfecta, & vera reconciliatio, sed ficta: quia si nõ habet propositum non offendẽdi, videtur habere propositum offendendi: & sic manet inimicus. Si quis dicat põt manere in actu neutro. Contrà ad uerã reconciliationẽ & perfectam amicitiam, quæ per actum dilectionis Dei super oĩa contrahitur cum Deo, nõ est satis actus neuter; sed requiritur propositũ firmum determinatum ad partẽ affirmatiuam non offendendi ampliùs Deum, sed potius milies mortem obeundi: per contritionem aũt homo ex motu charitatis, & ex amore Dei detestatur peccatũ; ergo necesse est, quòd etiam habeat propositum illud ampliùs non committẽdi peccatũ, alioquin nõ esset vera, sed ficta dilectio, & ficta reconciliatio, & amicitia cũ Deo. Et denique scripturæ hortantes, ad veram pęnitentiã postulant nouam vitã Ezech. 18. *Si vir fuerit iustus, & fecerit iudicium, & iustitiã*, &c. & post multa ait, *vita viuet, ait Dominus*. idem c. 33. & Apoc. c. 2. *Noua opera fac*. vide Alens. 4. p. q. 17. m. 3. a. 9. & alios in 4. & idem habetur ex Conc. maximè Trid. sess. 6. c. 6. & sess. 14. c. 4. neque de hoc est difficultas aliqua apud Theologos, sed difficultas est, an hoc propositũ debeat esse formale, an virtuale. Aliqui tenent debere esse formale, vt Soto in 4. d. 15. q. 1. a. 2. & 2. lib. de natura, & gratia c. 14. atque hoc quidem tenet tanta asseueratione, vt dicat, oppositũ tenere esse pernitiosũ errorem, sicut ẽt negat sufficere pęnitentiam virtualẽ, vt suprà disp. propria diximus, sed quò ad hoc eũ reiecimus, vbi suprà. Cum eo sunt nonnulli alij Recentiores citantes Alen. & D. Th. sed D. Th. 3. p. q. 90. a. 4. & Alen. 4. p. q. 17 m. 3. a. 9. solùm dicunt esse necessarium propositũ abstinẽdi in futuro à peccatis: at non dicunt illud debere esse, vel formale, vel virtuale, de quo est cõtẽtio inter Recẽtiores.

Propositũ ampliùs nõ peccãdi requiri.

Fundamenta huius opinionis maximè sunt, quia cum Sacra scriptura hortatur ad pęnitẽtiã, hortatur quoque ad nouã vitam: at noua vita actu haberi non põt, cũ sit futura non præsens; ergo debet haberi in voto, & proposito. Præterea Sancti, & Concilia definiendo verã pęnitentiã, & cõtritionẽ expresè ponunt requiri propositũ firmũ de cauendo peccato in posterũ, vt patet ex Magistro Sent. d. 14. & præsertim ex Conc. Trid. sess. 6. c. 6. & sess. 14. c. 4.

Fundamenta huius opinionis.

12 Alij verò tenent sufficere propositũ virtuale vt Adrian. in 4. q. 1. de pęnitentia. Maior d. 14. q. 1. Nauarrus in summa c. 1. n. 15. & alij nonnulli. Ratio prima pro hac opinione est: quia neque ex natura rei, neque ex speciali reuelatione diuina potest colligi sufficienter esse necessarium hoc propositum formale: nam ita videtur esse necessarium propositum abstinendi in posterũ à peccatis, sicut est necessarium propositũ confitendi, & satisfaciendi; sed ista sufficiunt virtualiter, & in voto, & hoc pacto intelligit Concilium Tridentinum; ergo.

2. Opinio.

1. Ratio.

2. Ratio.

13 Secundò auctoritates adductæ, ex quibus hoc probari videtur, non loquuntur præcisè de ijs, quæ requiruntur ad veram pœnitentiam, quæ est contritio; sed de omnibus ijs quæ pertinent ad vitam æternam cõsequẽdam: ad hanc autem consequendam clarum est, non sufficere detestationem peccati cum solo proposito virtuali, sed requiri propositum formale, & opera bona, si tempus adsit operandi.

Opin. Suarez.

14 Suarez vbi suprà disp. 4. sect. 3. tenet formale propositum non peccandi esse quidem necessarium per se: tamen detestationem solam sine proposito formali aliquãdo sufficere ad tollendum peccatum; & sic conciliat has duas opiniones, sicut superiùs conciliauit alias duas contrarias de necessitate amoris formalis Dei super omnia. Prima pars probatur per rationes primæ opinionis. Secunda pars probatur per rationes secundæ opinionis, quibus addit, quia detestari peccatum, & propositũ ampliùs, non peccandi, sunt duo actus diuersi, quorum vnus potest esse sine altero; vt si quis in extremo vitę, vbi moraliter nulla est spes vitæ futuræ, pęniteat; hæc contritio erit sine proposito non peccandi de cętero: tale enim propositum formale tunc non est necessarium, & tamen saluabitur.

Opin. Scoti.

15 Ego in hac re puto cum Scoto dicendum, sicut suprà dictum est de amore Dei, scilicet quòd si adest propositum formale in posterũ non peccandi, sumus certi, quòd illa detestatio est contritio, & pœnitentia perfecta: quia habet hanc circunstantiam debitam perfectiori modo, quo haberi potest: & sic certi sumus esse pœnitentiam, quã exigit Scriptura; perfectiorem enim exigere non potest secundùm hanc circunstantiam: quia perfectior non datur: si verò non adsit propositum formale, sed virtuale tantũ, dico, quòd non sumus certi, an sit contritio, & pœnitentia perfecta, quam exigit Scriptura: quia non est ita perfectè circunstantionata sicut posset esse, scilicet si haberet hoc propositum formaliter. Vndè ipse Suarez quoque dixit primam opinionem esse securiorem, & illam prędicandã populo. Secundam opinionem autem non damno, immo mihi videtur probabilis, quia illud propositum includitur virtualiter in dilectione Dei. Vndè cum quis detestatur peccatum propter amorem Dei actualiter, & formaliter in virtute habet propositum non peccandi in posterum, confitendi, & faciendi alia omnia, quæ requiruntur secundùm legem, & pręcepta Dei: ideo non videntur esse necessarij in actu formali actus aliorum præceptorum. Dico tamen cum Scoto quòd non sumus certi, an omissio illius circunstantiæ secundùm esse formale, vel propter inconsiderationem intellectus, vel ab aliquam aliam causam non culpabilem, sit perfecta pęnitentia, quæ est contritio: vndè videmus aliquas opiniones esse in contrarium. Rationes autem secundæ opinionis sunt tantùm probabiles; & ratio Suarez nihil valet, quia non datur instãs aliquod, in quo non sit spes vitæ: deindè semper requiritur votum non peccandi si vita sit futura: ideo & iam in extremo vitæ requiritur hoc propositum.

Dubium.

16 Sed solet dubitari, quia hoc propositum non peccãdi de cętero multis videtur impossibile, & præsertim de peccatis venialibus: ideò videtur, non posse haberi, quia voluntas non est impossibilium. Respondetur communiter, præsertim à Scoto in hoc 4. d. 17. q. 1. ad vltimum principale, falsum esse, impossibile esse vitare omnia peccata mortalia: nam cum gratia est possibile. Vndè Scotus loco citato ait, non esse incredibile multos esse in Ecclesia, qui per annum viuant sine peccato mortali: immò per Dei gratiam multi, multo maiori tempore sine peccato mortali se custodiunt, & multa opera perfectionis exercent, de quorum meritis thesaurus Ecclesiæ congregatur. Hoc autẽ videtur impossibile peccatoribus habitualibus. Sed hoc sibi imputent: debent talem difficultatem superare. Est tamen notandum ad dubij huius claram solutionem, quòd aliud est sibi persuadere, quòd in futurum numquã peccabit; & aliud est proponere non peccare in futurum. Primum non est necessarium, immò non est de illo curandum, aut cogitandum. Secũdum autem est id, quod est necessarium. Debet enim, qui detestatur peccatum, proponere quantum est ex se, velle vitare peccatum, & sperare cum auxilio Dei ampliùs non peccare, quod si aliter euenerit, ad pœnitẽtiam reddibit. De peccatis venialibus, licèt non sit necessarium absolutè, habere propositum illa vitandi; est tamen vtile, loquendo de ijs, quæ proueniunt ex libera voluntate; non de ijs quæ proueniunt ex subreptione, & ex imperfecto consensu: quia hæc vitare non possumus sinè priuilegio speciali; debemus tamen proponere adhibere omnem diligentiam illa vitandi, & attenuandi quantum fieri potest.

Propositũ confitendi requiritur cum spe veniæ.

17 Tandem ex eisdem principijs, scilicet quòd contritio est pœnitentia perfecta, & est detestatio peccati propter Deum, deducitur quòd includit quoque spem venię, & propositum confitendi peccatum, & satisfaciendi pro eo. Includit quoque spem veniæ: quia sinè illa non contingit venia, cap. *sceleratior*, de pœn. d. 3. Vndè pœnitentia Iudæ, quæ fuit sinè spe veniæ nihil illi profuit: quia vt dicit Scotus dist. ista 14. q. 1. in responsione ad tertium principale, non fuit ordinata: quia non fuit ex dilectione Dei, ex qua oritur spes veniæ. Propositum verò confitendi est necessarium in lege noua: quia in lege noua habemus pręceptum de confessione, & pœnitentia, vt de medio necessario, vt suo loco videbimus: qui autem detestatur peccatũ propter amorẽ Dei dilecti super omnia, qui est actus charitatis, etiam debet habere propositum seruandi omnia eius pręcepta, & vti medijs ab eo ordinatis; ergo debet habere quoque propositum confitendi peccata commissa tẽpore debito, ex pręcepto, & ordinatione Christi Domini: ideò hæc conditio expresè ponitur à Concilio Tridentino sess. 14. cap. 4. An verò requiratur, vt sit formale, vel sufficiat virtuale, omnes ferè videntur dicere sufficere virtuale, quod est valde probabile propter rationẽ superiùs nunc adductam de proposito non peccandi de cętero: attamen vt dixi ibi, si adsit hoc propositum formale sumus absque dubio certi: quia est perfectè circunstantionatus actus; si verò adsit virtuale tantùm, aliqua circunstantia expresè deficit, quæ potest parere aliquam dubitationẽ.

An propositum virtuale sufficiat.

An propositum satisfaciendi requiratur.

De proposito satisfaciendi est contentio inter Soto, Cano, & alios ex vna parte: Vegam, Suarez vbi suprà cũ alijs ex alia parte. Primi cum quibus est Alensis 4. p. q. 17. m. 1. a. 3. in responsione ad primum, dicunt esse necessariũ propter auctoritatem Ezechielis 33. dicentis. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est*, vbi ostendit detestationem actus pręteriti, *& custodierit omnia pręcepta mea*, vbi exigit propositum de non ampliùs peccando de cætero; *& fecerit iudicium, & iustitiam.* quibus verbis apertè exigere videtur satisfactionem, quia satisfactio est facere iudicium, quam auctoritatem præsertim adducit Soto in secundo de natura, & gratia cap. 14. Nauarrus quoque in definitione contritionis, & dicit requiri saltem virtualem satisfactionem: è conuerso Suarez vbi suprà, cum Vega in Concilium Tridentinum cap. 13. citato ab ipso, negant requiri hoc propositum: & nonnulli alij hanc conditionem in definitione nõ apponunt, quod indicat eos illam non esse necessariam iudicare, vt Toletus, & alij. Ratio ipsorum est, quia illa auctoritas adducta à Soto non cogit: nam, per iudicium, & iustitiam, non cogimur ibi intelligere satisfactionem, sed sufficienter explicatur intelligendo contritionem: quia dum quis detestatur peccatum propter Deum, agit actum iudicij, & iustitiæ: non debemus autem multiplicare actus pręsertim sub obligatione sinè necessitate. Et reuera illa auctoritas non cogit, & satisfacit hæc expositio; & aliæ possent afferri, licèt ex verbis textus videatur elici Prosetam aliquid aliud intelligere, quia iam posuerat pœnitentiam in prioribus verbis: ideo in sequentibus non est verisimile eum idem repetere.

Opin. auctoris, & Scoti.

18 Ego tamen sinè præiudicio puto dicendum, esse necessarium propositum satisfaciendi, saltem in voto, vt dixi suprà de proposito confitendi. Ratio est, quia cum pœ-

nitentia

nitentia contineatur sub iustitia, & secundùm legem ordinariam Dei, vt dicebat Scotus in hac dist. 14. quæst. 1. art. 2. culpa tollatur per pęnam, & satisfactionem, debet pęnitens habere propositum satisfaciendi, & acceptandi pęnam imponendam sibi à Deo, vel ab ecclesia pro culpa lata & confirmatur, quia præceptum de cõfessione includit in voto satisfactionem, vt habet Scotus dist. 17. quæst. 1. art. 2. o. & infrà dicemus, pari modo præceptum de pęnitentia debet includere idem votum: nam confessio videtur ordinata loco contritionis, & pœnitentiæ perfectę vt cum homo illud difficile habere nõ possit habeat aliud remedium oportunum ad liberandũ se à peccato. Si autem adsit propositum formale, nullum est dubium: si sit virtuale tantùm, non sumus ità certi, an sit sufficiens contritio, & perfecta pęnitentia: habemus tamen maximam probabilitatem, vt dictum est.

An ad veram contritionem requiratur certa intensio, & certa duratio actus, &, An debeat esse de omnibus, & formata gratia. Caput Secundum.

19 Circa circunstantiam modi occurrit maxima difficultas, An scilicet ad hoc, vt actus detestandi peccatum sit actus perfectus pœnitentiæ, qui appellatur contritio, requiratur aliqua certa intensio, & aliqua certa duratio temporis, in fine cuius infundatur gratia iustificans.

Tres opiniones. 20 In hac re sunt tres opiniones, duæ extremæ, & altera media. Nam aliqui dicunt nullam requiri intentionem, nec temporis durationem. Et hanc enixè sequuntur
1. Opinio. Soto in 4. dist. 17. quæst. 2. art. 4. quem postea recentiores omnes ferè sequuntur; & eam desumunt ex Gabriele Biel in 4. dist. 14. quæst. 1. art. 2. conc. 5. Nauarrus in Manuali cap. 1. num. 9. & num. 35. qui dicit sententiam Scoti, qui ponit hanc intensionem requiri, hodie derelinqui ab omnibus. Medina cap. de pęnitentia. Vega lib. 13. ca. 24. Suarez de pœnitentia disput. 4. sect. 4. qui alios citat.

2. Opinio. 21 Secunda sententia est in alio extremo, & asserit requiri dolorem, siuè tristitiam actus maximè, & summè intensam, quæ opinio est Adriani in 4. quæst. 2. de pœnitentia, cui videntur posse adiungi alij, qui dicunt ad actum contritionis requiri dolorem intensum maximè, non absolutè, sed comparatiuè, idest vt homo maiori intensione doleat de peccato, quàm de quolibet alio malo; & intensius diligat Deum, quàm quodlibet aliud bonum creatum, quæ opinio est D. Bonauenturæ in 4. dist. 16. art. 2. quæst. 1. Durandi dist. 17. quæst. 4. Richardi art. 1. q. 5. & aliorum.

3. Opinio. 22 Tertia opinio est Scoti in hoc 4. dist. 14. quæst. 2. art. 2. qui dicit requiri certam intensionem, & certam durationem, quæ, quanta sit, ignoramus nos, sed Deus ipse scit: in qua opinione sunt alij Doctores, quos posteà citabimus; sed quæ sit germana opinio Scoti posteà videbimus.

1. Ratio pro prima opinione. 23 Pro prima ergo opinione, quæ est cõmunior adducuntur multæ rationes à Soto loco citato, quæ postea ab alijs repetuntur, & augentur. Prima ergo ratio est desumpta ex auctoritatibus Sanctorum Patrum. D. Io. Chrisostomus in libello de reperatione lapsi, & refertur in cap. *talis*. De pęnitentia dist. 3. ait. *Quantulacunque, & quolibet breui tempore non despicit pœnitentiã*. & infrà. *Non patitur exiguæ etiam pœnitentia amitti mercedem*. Altera est D. Leonis epistol. 91. & refertur de pœn. dist. 1. can. *multiplex*, qui ait. *Nec misericordiæ mensuras possumus ponere, nec tempora diffinire, apud quem nullas patitur moras vera conuersio*. Cælestinus Papa epist. ad Episcopos Galiæ cap. 2. *Vera conuersio mente potiùs, quàm tempore metiẽda est, dicente Propheta, Si cõuersus fueris saluus eris.* Habetur etiam auctoritas Iulij Papæ primi in decreto secundo, quod habetur in primo tom. Conciliorum post tertiam eius epistolam, adducta à Suarez, vbi suprà, qui inquit. *Quia Dominus non solum temporis, sed etiam mentis inspector est, sicut latro vnius momenti pœnitentia meruit esse in Paradiso*.

24 Secundò probant idem ex auctoritatibus Sacræ 2. Ratio ex
scripturæ, quæ promittit homini iustitiam, & remissionẽ scriptura.
peccati ratione suæ conuersionis absque vlla mora, vel duratione. Ezech. 18. & 33. *In quacunque die, in quacunque hora ingemuerit*, &c. hoc est ac si dicat, quocunq. momento temporis, quod probatur à contrario, quia in eisdem locis ait: *In quacunque die iustus fecerit impietatem, iustitiæ eius non recordabuntur*, &c. At consensus in peccato mortali eodem momento, quo fit, destruit gratiam; ergo scriptura per illud tempus indefinitum intelligit momentum. Et sic habetur, quòd ex scriptura ad contritionem non requiritur certum tempus, sed in momento fieri potest, sicut, & peccatum. Et confirmatur, quia Deus Confirmatio.
non est pronior ad puniendum, quàm ad parcendũ: peccatum potest fieri in momento; ergo & contritio.

25 Tertiò, & elicitur ex eodem fundamento. In Sa- 3. Ratio.
cra scriptura requiritur sola conuersio hominis ad Deũ, iuxtà illud Zachariæ 1. *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos*. vbi fit promissio gratiæ actui cõuersionis secundùm substantiam, & absolutè absque vlla conditione intensionis, vel durationis certæ: at conuersio non dicit nisi simplicem motum à peccato in Deum; ergo absque vllo fundamento dicitur exigi intensionem, vel durationem aliquam.

26 Quartò promissio gratiæ in scriptura fit substantię 4. Ratio.
actui pęnitentiæ, non conditionibus accidẽtalibus: at substantia actus pœnitentiæ attenditur pœnes obiectum, scilicet quòd sit circa debitum obiectum, quod est offensa Dei propter ipsum Deum: intensio autem, & duratio sunt quid accidẽtale; ergo ista nihil conferunt ad hoc, vt actus detestationis consequatur gratiam, vel non consequatur: quia ex scriptura ad hęc accidentalia homo non tenetur, quòd si quis dicat teneri aliquo iure, debet illud ostendere, quod nemo vnquàm faciet, quia non datur.

27 Quintò non est necesse, quòd contritio præcedat 5. Ratio.
tempore infusionem gratiæ, sed simùl tempore potest esse cum gratia: necesse est enim, vt solùm pręcedat natura; ergo nulla duratio temporis ad contritionem requiritur, sed habito actu detestationis secundùm substantiam infunditur gratia. Consequentia est euidens, quia si requireretur aliqua duratio, necessarium esset, vt contritio tempore præcederet infusionẽ gratiæ. Antecedens verò probatur: quia tunc aliquis existens in articulo mortis, & habens actum detestationis perfectum secundùm substantiam posset damnari, nisi continuaret illum actum vsque ad debitum tempus, hoc autem est omninò falsum: quia repugnat omnipotentiæ, & clementiæ Dei; & vt erroneũ damnatur in lib. de ecclesiasticis dogmatibus cap. 80. & in Conc. Moguntino cap. 2.

28 Sextò sequeretur secundùm hanc doctrinam Sco- 6. Ratio.
ti, quod ad salutem requireretur nedum cõtritio, sed etiã attritio; & consequenter si de contritione est præceptum, esset pariter de attritione: at hoc est absurdum; ergo. Cõsequentia patet, quia detestatio illa peccati ante perfectã illam intensionem, & durationem esset secundùm Scotũ attritio, illa autem prærequiritur antequàm actus perfectè intendatur, & duret ad debitum tempus: quia intensio, & duratio illam supponunt, cum sinè illa esse non possint. Falsitas consequentis probatur, quia non est necessaria, nisi pœnitentia, quæ est contritio.

29 Quoniam rationes factæ pro prima opinione ab Opin. Sco-
auctoribus illis præcipuè fiunt, vt impugnent opinionem ti explica-
Scoti, necesse est prius illam explicare: hoc enim facto pa tur, & defẽ-
tebit in quibus opinio prima, & eius rationes deficiant: ditur.
& simùl patebit, quid dicendum de secunda opinione in altero extremo posita.

30 Notandum est ergo, quòd vt patet ex dictis suprà Scotus non
disp. 13. cap. 1. explicando intentionem Scoti circa secũ- tenet conti
dum articulum istius quæstionis secundæ, Scotus non te- nuationem
net, quòd ad detestationem peccati requiratur aliqua du- cõtritionis esse necessariam.

ratio

ratio, & continuatio ante infusionem gratiæ, vt aduersarij ei imponũt, tenet quidem quòd detestatio informis, & perfectè circumstãtionata, vt suprà diximus, in tempore producatur, sed vult, quòd in vltimo instanti illius temporis, quo illa attritio est perfecta, gratia à Deo creetur, & infundatur animæ, qua detestatio illa à Scoto vocata attritio, formatur, & sic vult, quòd inter motum illum, qui est contritio, vt nos nunc loquimur, & gratiam, sit quædã prioritas, & ordo naturæ tantùm; vndè ponit tria signa naturæ. In primo est actus contritionis perfectus in genere moris. In secundo creatur gratia. In tertio actus ille contritionis formatur gratia, quæ infunditur ipsi animæ. Ex quo apparet rationes aduersariorum, quò ad hãc partem non militare contra veram opinionem Scoti. Quòd autem Scotus neget continuationem contritionis debere habere aliquam durationem in facto, esse ante infusionẽ gratiæ probatur: quia licèt Scotus aliquando in eo articulo dicat contritionem debere durare, & continuari ante infusionem gratiæ, & debere continuari vsque ad quendam terminum, vsque ad quem, Deus vult illam cõtinuari: tamen in progressu illius articuli hanc opinionem reijcit, & approbat illum modum dicendi, quòd nulla requiratur duratio, nec continuatio attritionis informis, sed illa habita in vltimo instanti gratia producatur, & peccatum deleatur; & præsertim facit hanc rationem, quæ est efficacior, quàm quæuis ratio aduersariorum.

Rationes aduersariorum 1 quo non valent contra Scotum.

Ratio Scoti.

31 Si esset necessarium, vt contritio continuaretur per aliquod tempus ante infusionem gratiæ, sequeretur quod aliquis posset habere contritionem, & tamen non habere gratiam, quod est absurdum secundùm omnes. Consequentia probatur. Nam posito casu, quod aliquis habens contritionem perfectam in genere moris, quæ debeat durare per horam non continuet actum illum, sed intellectus, & voluntas conuertantur ad aliquem alium actum impertinentem, non tamen offendẽtem ex distractione, vel aliqua alia causa non culpabili, in qua duret vsque ad horam, quæ est terminus præscriptus, hic non iustificabitur, & tamen pręcessit contritio perfecta in genere moris; ergo dabitur contritio sinè gratia, & meritum sinè præmio, quod est absurdum.

2. Ratio.

32 Adducit aliam rationem ibidem. Sint duo, quorum vnus continuet actum imperfectum in genere moris vsque ad terminum præscriptum durationis, alius non continuet, sed habeat actum impertinentem vsque ad terminum pręfixum durationis, vt dictum est; proculdubio secundùm hanc opinionem iustificabitur ille, qui continuauit actum illum in illo vltimo termino. Tunc quæro, an ille iustificetur per actum illum contritionis, quatenus est in illo vltimo termino, vel quatenus præcessit illum terminum. Non primum, quia iustificatur per illum actum tanquàm per meritum: at meritum præcedit præmium; ergo vt præcessit: at ille qui non continuauit actum vsque ad illum terminum præfixum habuit quoque actum cõtritionis præcedentem; ergo non videtur quare etiam ille non debeat iustificari; ergo illa cõtinuatio, & duratio non est necessaria. Ex his patet Scotum non tenere esse necessarium cõtritionem perfectam in genere moris durare, vel continuari per aliquod tempus, in fine cuius gratia infundatur: ideo rationes aduersariorum in hac parte non sunt contra nos, sed pro nobis.

33 Loquendo autem de contritione, non quatenus est in termino, quo habito gratia formatur, sed de ipsa in fieri, non potest negari eam habere durationem, & continuationem aliquam temporis; quoniam est motus quidã, & aggregatio plurium actuum intellectus, & voluntatis. Necesse est enim quòd intellectus consideret peccatum, sub omnibus circunstantijs prædictis, & voluntas sub eisdẽ illud detestetur, scilicet vt est offensa Dei, & super omnia, & cum spe veniæ, & cum proposito amplius non peccandi, confitendi, & satisfaciendi; debet etiam esse intensus ad certum gradum, vt infrà ostendemus. Hæc autem omnia certum est non posse fieri in istanti; sed necessariò requirere aliquod tempus. Ideo à principio, quo incipit iste motus contritionis vsque ad terminum necessarium, qui est instans illud in quo intellectus, & voluntas omnes hos actus perfecerunt debito modo, necessaria est continuatio temporis, & quò ad hunc sensum argumenta aduersariorum nihil valent, vt patet, & vt videbimus ipsa soluendo.

In contritione esse necessariã aliquã intẽsionem.

34 Quantum verò ad intẽsionem, verissimum est Scotum illam exigere, & hoc, vt verum, & confessum ab omnibus supponit. Vndè iurè aduersarij dicunt Scotum hoc non probare: at non est difficile probare ex principijs cõmunibus, vnde has paucas rationes adduco.

Prima rõ pro Scoto.

35 Certum est, contritionem esse actum à charitate imperatum; est enim detestatio peccati propter amorem Dei super omnia dilecti, vt visum est suprà. Tunc sic. At in amore Dei includitur intensio, & extẽsio super omnia: debemus enim diligere Deum super omnia extensiuè, & intensiuè; ergo detestatio peccati, quæ est contritio, debet includere intẽsionem. Antecedens est probatum. Assumptum est euidens. Consequẽtia quoque est notissima: quia si detestor peccatum propter Deum super omnia dilectũ; ergo debeo etiam detestari peccatum super omne detestabile: si enim detestarer peccatum, non super omne detestabile, aliquod detestabile magis diligerẽ, quàm Deũ, vt patet; ergo in contritione includitur intensio aliqua. Respondent, quòd intensio in dilectione Dei intelligitur appretiatiuè, idest magis debeo diligere, & appretiare Deum, quàm quamcunque aliam rem, non autem intelligitur quò ad aliquos gradus intensionis in actu.

Respõsio.

Reijcitur.

36 Hæc responsio non soluit. Nam licèt intelligatur illa particula intensiuè appretiatiuè; tamen etiam includit aliquam intensionem, quod probatur. Nam in pręcepto illo dilectionis Dei ex charitate apponuntur illæ conditiones. *Ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex tota mente tua*, Deut. 6. & Matth. 22. At istæ particulæ significant, vt colligamus omnes vires nostras, & toto conatu feramur in Dei amorem: adeo quòd Deus præcipit nobis, vt diligamus Deum super omnia intensiuè, & extensiuè, idest appretiemus illum super omnem rem creatam, sed insuper præcipit, vt totis viribus, & toto conatu amoris omnibus impedimẽtis Deum diligamus: at adhibere totum conatum, & omnes vires est idem quòd elicere actum intensiorem quem possimus; ergo ad dilectionem Dei requiritur intensio actus prieter appręciationem obiecti. Et licèt hoc præceptum in via non possit impleri quantùm ad omnes istas conditiones, vt docet Scotus in 3. dist. 27. cum D. August. & Magistro; tamen non propter hoc sequitur, quòd homo in dilectione Dei non debeat recolligere vires, & producere actum intensiorem quem potest: at contritio est detestatio peccati propter amorem Dei super omnia dilecti; ergo homo in eliciendo talem actum debet recolligere vires magis quàm possit, & sic elicere actum magis intensum quem possit; & certè hæc ratio maximi momenti mihi videtur.

2. Ratio.

37 Secundò possumus arguere ex significato nominis contritionis, & ex differẽtia eius ab attritione. Hoc enim nomen, Cõtritio, significat rem aliquam duram in minutissimas partes diuidere, & comminuere. Attritio verò in partes non minimas, sed grossiores diuidere; ergo dolor, qui hoc nomine cõtritionis nominatur, debet esse dolor talis, qui cõminuat ipsum peccatum in minutissimas partes, ad differentiam attritionis, quæ non est comminutio tam vehemens. Et hoc est notandum, quia contritio differt non solùm secundùm obiectum, vel motiuum à contritione, vt tetigimus suprà, & infrà explicabimus fusius; sed secundùm omnes differt secundùm hanc doloris comminutionem: quia contritio est maior comminutio eiusdem peccati, quàm attritio: at hæc comminutio maior non potest intelligi sinè aliqua maiori, vel minori intensione actus ex parte virium illas producentium; ergo.

Confirmatio.

38 Confirmatur, quia illæ auctoritates Sanctorum Patrum, quibus in Scriptura sacra contritio siuè perfecta peni-

pœnitentis explicatur, præseferunt quoddam vehemens odium, & ingentem detestationem peccati, vt ait Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 4. vehemens autem odiũ, & ingens detestatio non potest intelligi sinè aliqua intensione actus illius, & sinè quadam collectione virium, & conatu voluntatis contra peccatum; ergo. Antecedens patet. Auctoritates illæ ex Conc. ibidem, & ex Sanctis Patribus sunt. *Tibi soli peccaui, & malum coram te feci. Laboraui in gemitu meo. Lauabo per singulas noctes lectũ meũ,* &c. *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* & similia.

1. Cōfirmatio.

39 Confirmatur adhùc ex Alexandro Alense, qui 4. p. quæst. 17. m. 1. art. 3. tenet eandem opinionem, quam Scotus, & Scotus videtur eã ex illo sumpsisse, neque curauit illam rationibus munire, quia non existimauit circa hanc esse debere vllam controuersiam; sed ab omnibus, vt veram, suscipi, & esse communem. Sacra scriptura pręcipit intensè, & amarè dolere pro peccatis: at si sufficeret ad dolendum de mortali dolor minimus, frustrà tam intensiuè scriptura præciperet dolere de peccatis. Hieremię 6. *Luctum vnigeniti fac tibi planctum amarum.* Glosa docet *pœnitentem, quid facere debeat.* & alia glosa, *Nihil dolentius morti vnigeniti.* Ergo tantùm quis debet dolere de peccato: at hic dolor includit intensionem; ergo.

3. Ratio.

40 Præterea, vt arguit ipsemet Alexander Alēsis ibidem. Si alicui displiceret, quòd Deum offenderit per peccatum, & illa displicentia non excederet displicentiam amissionis vnius obuli, nulli est dubium, quin illa displicẽtia insufficiens esset, ad hoc quod esset dolor contritionis; ergo requiritur aliqua intensio vehemens, & recollectio virium, vt eliciat displicentiam ita intēsam, vt sit sufficiēs.

Confirmatio.

41 Confirmatur auctoritate D. Aug. de vera, & falsa pœnitentia cap. 13. vbi habet hæc verba, *Omnes fructus suæ pęnitentiæ paruos habeat, nunquàm credat sufficere, semper doleat semper coram Domino antequam peccauit, erubescat, dolorem cum vita finiat.* His verbis D. Aug. docet modum pœnitentiæ, & dolendi de peccato per pœnitentiam: patet autem, quòd ex his verbis innuit, quòd pœnitens debet colligere vires, & magno conatu dolere, & quantumuis habeat dolorem intensum, numquàm tamẽ sistat, & nunquàm credat sufficere. Et D. Ambrosius ad Virginem lapsam cap. 8. docens ingentem debere esse pœnitentiam, ait. *Cor verò sit liquescens sicut cera, & totũ corpus maceret.*

Responsio Soto.

42 Verũ Soto ad has, & omnes alias auctoritates similes respondet vbi suprà. Primò, quòd salubre, & vtile est consilium percurrere singula peccata, & circunstãtias ad illa detestanda; & hoc intelligunt D. Aug. & alij. Secundò, quòd loquuntur de remissione perfecta peccati, scilicet quò ad culpam, & pœnam: non autem de remissione solùm quò ad culpam. Contrà, licèt, quantò contritio est intensior, tantò maius bonum mereatur, & sic non solùm gratiam, sed etiam deletionem aliquam pęnæ debitæ pro peccatis: tamen non sequitur, quòd quãdo Sancti prædicant intensionem contritionis, illud faciant prę cisè propter deletionem pœnę: nam ad delendum pęnã hortantur ad actus exteriores pœnitentiæ, scilicet orationis, ieiunij, elemosinæ, & similia, iuxta illud Ioelis. *Conuertimini ad me in toto corde vestro, ieiunio, planctu, & fletu.* vbi prius ponit conuersionem debere esse in toto corde, quæ est contritio: deinde ponit pœnalia ieiunij, &c. propter pęnam peccati. Præterea, Concilium vbi suprà dicit, Sanctos in illis auctoritatibus ostendisse se habere ingentem dolorem de peccatis, & illum dolorem ingẽtem asserit esse contritionem; ergo vanum est omnem intensionem actus velle referre ad dimissionem solius pęnæ; & ex hoc habetur etiam primam responsionem esse falsam, scilicet quòd auctoritates illæ indicent vtilitatem, non necessitatem, siuè essentiam contritionis, quia apertè repugnat interpretationi Concilij.

Reijcitur.

4. Ratio.

43 Quartò concedunt aduersarij, quòd tenemur diligere Deum quidem super omnes alias res appretiatiuè; dicunt tamen hoc diligere non includere aliquam intensionem, quia non tenemur diligere Deum magis intensiuè, quàm alias res. Ego autem nõ intelligo quomodo voluntas possit appretiare Deum super omnia alia obiecta, ita quod magis velit Deum esse, & bonum ipsius, quàm omnia alia: & tamen actus istæ dilectionis non requirat maiorem conatũ, & maiorem collectionem virium ad illum eliciendum, quàm ad eliciendum amorem cuiuscũque alterius rei: nam cum actus iste sit perfectissimus, & excellat omnes alios, nõ video quomodo sinè aliquo conatu, & collectione virium extra ordinaria possit elici: & ideò videtur omninò esse necessaria aliqua intensio, quæ quanta esse debeat Deus scit, vt ait Alensis vbi suprà.

44 Vltimò si ad actũ contritionis non requiritur quędam certa intensio, tamen ignota nobis, sed sufficit detestari peccatum propter Deum: vnusquisque certus erit, quando erit in gratia. Consequens est contra illud Ecclesiastici 9. *Nemo scit amore, an odio dignus sit.* Consequentia probatur: quia iste sciet se habere cõtritionem de peccatis suis, quia scit se dolere de peccatis propter amorem Dei, & quia est offensa eius, & habet spem veniæ, & propositum confitendi, & satisfaciendi, & amplius non peccandi; scit ergo se habere actum, qui habet excessum super omnia, nõ ratione intensionis, sed ratione obiecti, & excellentiæ actus secundùm suam substantiam, ratione cuius detestatur peccatum super omnia: at qui habet talem actum, qui est contritio est in gratia; ergo quis potest scire quando est in gratia. Nec valet si quis dicat neminẽ posse se scire esse in gratia, quia nemo scit, an detestetur peccatum propter offensam Dei, an propter timorem pœnarũ, vel an illa detestatio sit à natura, vel ab auxilio Dei supernaturali, quod requiritur ad attritionem: & sic non potest scire, an sit attritio, vel contritio, quæ est responsio Soto in 4. dist. 17. art. 5. in responsione ad quoddam argumentum Caietani in alio proposito. Contrà enim sic arguo. Prima euasio est omninò nulla: istæ enim conditiones detestari peccatum propter Deum, vel propter aliã aliquam causam sunt actus eliciti à potentijs nostris naturalibus, licèt auxilio diuino suffultis: nihil autem est notius nobis quàm actus nostrarum potentiarum: alioquin pari modo possemus negare nos intelligere nostras intellectiones, & volitiones, quod est ridiculum. Secunda autem responsio est pariter nulla: quia ex euentu possumus cognoscere actum illum detestationis esse, à Deo. Nam certum est, & maximè secundùm eos, quòd ex puris viribus naturæ non possumus detestari peccatum propter Deum: quia hic est actus supernaturalis; ergo quando talem actum habemus, sumus certi, quòd illum habemus ex auxilio diuino. Cum ergo quis tristatur de peccato propter Deum, &c. certus est ille se habere contritionem, & consequenter se esse in gratia Dei, quod est absurdum.

5. Ratio.

Responsio tacita reijcitur.

45 Ex his fieri potest iudicium de secũda sētētia: nam qd spectat ad Adrianũ, proculdubio si intelligat, quòd cõtritio debet esse dolor de peccatis super omnia intensiuè, idest cum illis conditionibus, quæ exponuntur per illas particulas ex toto corde, ex tota aĩa, & ex totis viribus, falsa est omninò illa opinio: quia in via non est possibilis tanta collectio virium, vt docet Scotus in 3. dist. 27. quęst. 1. §. *De primo dico*, &c. Si verò intelligat super omnia appretiatiuè: est vera, & coincidit cum alijs; & tunc dicendum est de illa sicut de alijs, quòd non excludit intensionem aliquam.

Quid sit dicendum de 2. opinione

46 Opinio verò D. Bonauenturæ, Richardi, & Durandi, cum quibus videtur quoque sentire D. Thomas in 4. dist. 17. quæst. 2. art. 7. quæst. 3. vbi ait dolorem voluntatis adeò remissum esse posse, vt non sufficiat ad contritionem, & si videatur posse intelligi de intensione appręciatiua, siue obiectiua, vt vult Suarez, quæ non attenditur pęnes subiectum, siuè pœnes potentiam tristantem ratione conatus, & collectionis virium: tamen expressè patet, quòd non excludit intensionem ex parte subiecti, siue potentiæ tristantis ratione conatus, & collectionis virium,

Quid de opin. D. Bonau. Ricardi, & Durãdi.

quæ

quæ habet quandam latitudinem: quia D. Bonauentura, & alij distinguunt sic. *Si de displicentia rationis, aut quantùm ad intensionem motus absolutè, & sic nec hoc modo oportet esse maximum, si in comparatione ad alios dolores dico sicut de amore, quòd oportet, quòd habeat, prædominium.* At si intelligerent de intensione appretiatiua, vt ait Suarez, & æquiuocè loquerentur, non facerent hanc distinctionem: quia appretiatiuè dolor debet esse maximus absolutè, sicut amor Dei absolutè est maximus, idest super omnia: nec patitur hanc distinctionem de maximo absolutè, & in comparatione ad alia, sed hæc attenditur ex parte conatus potentiæ, quia hæc habet latitudinem. Præterea, cum dicunt, si consideretur quantùm ad intensionem motus absolutè, non est maximus, patet, quòd loquuntur de intensione ex parte conatus potentiæ: quia intensio in motu est intensio ex parte conatus potentiæ in actu circa obiectum, quę obiecto ipsi minimè accomodari potest. Sunt ergo cum Scoto quãtum ad hoc, quòd requirunt aliquam intensionem, non solùm appretiatiuam, sed etiam ex parte conatus potentiæ; sed differunt, quia volunt hanc intensionem esse maximam in comparatione ad alios dolores: Scotus autem non diffinit quanta esse debeat ista intensio: quia in re videtur esse nimis rigorosa hæc eorum opinio, cum videatur esse admodum difficile habere ita vehementem intẽsionem in detestatione peccati propter difficilem collectionem virium ad eliciendum talem actum, & propter alia impedimenta virtutum sensitiuarum.

Differẽtia opinionis Scoti ab alijs.

6. Ratio.

47 Itaque opinio Scoti est communior apud veteres Theologos, & est securior, & magis prædicanda populo quàm opposita: nam Sancti, quando hortantur ad pęnitentiam, non hortantur ad quantumcunque paruum dolorem, sed ad vehementem, & intensiorem, quem elicere possumus: iuxta dictum Aug. superiùs citatum, & iuxta locutiones Sanctorum, & Sacræ scripturæ. *Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam. Lacrimis stratum meũ rigaui.* & similia, & iuxta illud. *Non omnis qui dicit Domine Domine intrabit regnum Cęlorum, sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cælis est*, &c. Matth. 7. *Et Petrus exiuit foras, & fleuit amarè.* Matth. 26. & Magdalenæ. *Remittuntur ei peccata multa, quoniã dilexit multum.* Lucæ 7. & alia similia multa, quæ omitto, in quibus vltra intensionem appręciationis obiecti ostenditur requiri intensionem ex parte potentiæ, & recollectionem virium, ac conatum potentiæ: proinde hęc opinio absque dubio videtur probabilior; nunc ad rationes pro aduersarijs.

Ad primã rationẽ aduersariorũ.

48 Ad primam rationem aduersariorum desumptã ex auctoritate D. Io. Chrisostomi videtur posse dici, dictum illud accipi secundùm sensum illius propositionis, nullum bonum irremuneratum, nec vllum malum impunitum: ita quòd sensus sit, quòd pęnitentia quæcunque etiam insufficiens ad delendum peccatum non amittit mercedem suam, sed valet, vel ad bona tẽporalia, vel est dispositio ad habendam pœnitentiam perfectam, & huiusmodi: non autem ex eo loco habetur, quod quantulacunque remissa pœnitentia, & detestatio actus peccati sit perfecta pœnitentia, quæ contritio dicitur, & delet peccatum. Altera auctoritas D. Leonis nõ est ad propositum: sensus enim est, quòd Deus potest quemcunque peccatorem quantumuis magnum conuertere, & citò conuertere, quia misericordia eius non est alligata alicui determinatæ mẽsuræ, vel alicui determinato tempori. Ecce, quòd hìc non loquitur de intensione, vel remissione contritionis, de qua est disputatio nostra; sed neque etiam intelligit contritionem fieri momento, cum ait, *apud quem nullas patitur moras vera conuersio*, sed vult innuere tantùm, quòd Deus non est alligatus, vt certo tempore tantũ & misereri, & conuertere possit peccatorem; sed quocũque tempore: quia vera conuersio apud eum non patitur moras, idest non est determinata ad certum tempus expectandum: denique si quid concluderet, concluderet nullam durationem requiri in facto esse, non autem in fieri, quod nos quoque asserimus, vt visum est suprà. Ad alias duas auctoritates multa possent dici, sed sufficiat pro nũc, quòd si concludunt, concludunt nullam durationem esse de essentia contritionis, postquàm est in termino, & in facto esse ante infusionem gratiæ, quod concedimus.

49 Ad secundam deductam ex auctoritatibus respondetur, vt nunc dictum est suprà, quod si concludunt, habent vim contra asserentes durationem, & continuationẽ aliquam temporis esse necessariam, & esse de essentia cõtritionis modo prædicto. Nos autẽ iam diximus hoc non sustinere Scotum, & illud probauimus. Per hoc idem ad confirmationem. Sed aliquis obijciet, hoc valere quoque de intensione: nam ad actum peccati non requiritur aliqua intensio ex parte potentiæ, sed cum quis plus appręciat rem creatam, quàm Deum, peccat; siue intensè, siue remissè rem creatam appręciet magis, quàm Deũ: dummodo verè deliberet magis velle rem creatã, quàm Deũ. Respondetur primò nullum esse actum dilectionis rei creatæ suprà Deum, qui non habeat aliquam intensionẽ secundùm magis, & minus. Vnde D. Aug. citatus à D. Bonauẽtura, vbi suprà 11. de ciuitate Dei, inquit. *Necesse est, vt tantum vrat dolor quantum hæserat amor.* Ex quibus verbis manifestè patet eum in quouis peccato agnoscere quamdam intensionem amoris rei creatæ. Secundò dico, quòd *arcta est via, quæ ducit ad salutem*: ideò non est par ratio de peccato, & contritione: nam homo etiã ex se ipso potest amittere gratiam; sed eam ex se ipso sinè auxilio Dei non potest recuperare: ita non est verum, quod si actus malus possit esse peccatum sinè intensione; actus bonus pœnitentiæ non requirat ad sui perfectionem aliquam intensionem. Cum autem dicitur Deus nõ est pronior ad puniendum, quàm ad parcendum, non significatur aliquam requiri intensionem in actu contritionis; sed Deum ex parte sua magis inclinari ad misericordiã, quã ad iustitiam, quia vellet omnes homines saluos fieri, &c. quod non facit contra nos, quia etsi ad contritionem requiratur intensio, tamen est promptus ad dandum auxilium necessarium si nos velimus assentire.

Ad secundam.

50 Ad tertium respondetur implicitè in illo *Conuertimini* intelligi intensionem: nam cum Sacra scriptura hortatur ad pęnitentiam, & promittit gratiam conuersioni, intelligit de conuersione cum omnibus conditionis requisitis ad illam, quas aliàs explicauit, vt diximus suprà in rationibus adductis pro nostra opinione, & ex auctoritatibus Sacræ scripturæ manifestauimus.

Ad tertiũ.

51 Ex eodem fundamento respondetur ad quartum. Verum est enim, quòd promissio gratiæ sit conuersioni; sed negatur, quòd fiat conuersioni secundùm substãtiam nudè: quia dicitur fieri illi, sed cum circunstantijs debitis quarum hæc est vna, vt quis toto corde, tota anima, &c. diligat Deum, & detestetur peccatum propter Deum, sic dilectum toto corde, &c. non quidem quòd obliget ad dilectionem hanc secundùm has omnes circunstantias perfectè, sed tamen requirit eas aliquo modo imperfecto cõpetenti, & possibili viribus humanis in hac vita: & sic patet quo iure hęc intensio requiratur, & vndè hoc ius sumatur: sumitur enim ex scriptura, vt patet ex auctoritatibus adductis.

Ad quartũ.

Quintum argumentum non est contra nos: quia procedit de duratione, & continuatione contritionis informis, quam nos diximus cum Scoto non requiri.

Ad quintũ.

52 Ad sextum negatur consequentia. Ad probationẽ respondetur, quòd contritio informis, idest quæ nõdum est formata gratia habituali, tamen est circunstantionata perfectè in genere moris, à Scoto appellatur attritio; & hanc cadere sub præcepto concedo. Attritio verò, quæ est imperfecta in genere moris de qua infrà, potest duobus modis cõsiderari. Vno modo vt habet terminum in se, siuè in hoc esse imperfecto: & sic non cadit sub præcepto, Alio modo, vt est via ad contritionẽ perfectam, & sic implicitè cadit sub præcepto: sicut qui tenetur audire mis-

Ad sextam

sam

ſam die feſto, tenetur quoque implicitè ire ad eccleſiã in qua celebratur miſſa.

An contritio debeat eſſe de omnibus peccatis diſtinctè recogitatis.

53 Oritur aliud dubium ſatis inter Doctores controuerſum, An contritio debeat eſſe de omnibus peccatis diſtinctè recogitatis: in qua cõtrouerſia non eſt dubium, an cõtritio debeat eſſe de omnibus peccatis: hoc enim eſt certum, & vulgatum inter Chriſtianos catholicos, quòd debet eſſe de omnibus; & fundamentum eſt, quia quando Sacra ſcriptura præcipit, vel requirit pœnitentiam ad delendum peccata, illam requirit de omnibus, non de vno, vel altero tantùm. Nam Ezechielis cap. 18. dicitur. *Si autem impius egerit pęnitętiam ab omnibus peccatis ſuis, quæ operatus eſt, & cuſtodierit omnia præcepta mea, &c. vita viuet, & non morietur.* Idem cap. 33. & alibi ſæpè, & Sancti Patres paſſim idem aſſerunt, quorum multæ auctoritates adducuntur de pœn. diſt. 1. cap. *Non poteſt.* & diſt. 3. cap. *Qui non pœnitet.* Scotus in hoc 4. diſt. 15. quæſt. 1. art. 5. adducit hanc auctoritatem. Ex D. Aug. de vera, & falſa pęnitentia cap. 9. *Scio Dominum inimicum omni crimino ſo, quomodo ergo qui crimen reſeruat de alio recipiet veniam? ſinè amore Dei conſequeretur veniam, ſinè qua nemo vnquàm inuenit gratiam, hoſtis enim eſt, dum perſeueranter offendit, & quædam impietas infidelitatis eſt, ab eo, qui iuſtitia eſt, dimidiam ſperare veniam.*

Opinio D. Th. & multorum aliorum.

54 Difficultas autem eſt, An ad contritionem requiratur diſtincta recogitatio de ſingulis peccatis commiſſis, qua in re duæ ſunt opiniones. Prima eſt D. Tho. 3. p. quæſt. 87. art. 1. D. Bonau. in 4. d. 16. par. 2. art. 2. quęſt. 1, Richardi art. 4. quæſt. 2. Soto in 4. diſt. 17. quæſt. 2. art. 3. & aliorum multorum, qui ſuſtinent partem affirmatiuã, quæ fundatur in aliquibus auctoritatibus Scripturę.

Fundamentũ huius opinionis.

Iſaiæ cap. 38. *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Adducitur etiam hæc ratio, quia qui agit pęnitentiam eſt Medicus, & Iudex ſui, quia caſtigare, & emendare delicta debet: at non poteſt hoc facere, niſi ſua peccata diſtinctè recognoſcat: alioquin neque proportionatam medicinam, neque condignam applicare poterit: hæc enim eſt ratio etiam propter quam in confeſſione neceſſaria eſt confeſſio diſtincta omnium peccatorum.

2. Ratio, 3. Ratio.

Tertiò. Soto vbi ſuprà vnumquodque peccatum eſt auerſio à Deo; ergo vnumquodque peccatum requirit cõuerſionem ad Deum: hæc eſt contritio; ergo.

4. Ratio.

Quartò. Contritio debet metiri grauitate peccati; ſed vnumquodque peccatum ex proprijs circunſtantijs habet propriam grauitatem; ergo vnumquodque peccatum requirit propriam pœnitudinem.

5. Ratio.

Quintò. In lege naturæ vnuſquiſq; tenebatur ad pœnitentiam ſingulorum peccatorum: & tunc non aderat confeſſio; ergo abſolutè de vnoquoque peccato eſt neceſſaria contritio.

Opin. Scoti.

55 Altera eſt opinio cõtraria, quòd ſcilicet hæc actualis recogitatio de vnoquoque peccato non ſit neceſſaria, ſed ſufficiat deteſtatio, & recogitatio omnium peccatorũ in confuſo, & in generali. Hæc ſententia eſt Scoti in hoc 4. diſt. 15. quæſt. 1. art. 3. §. *Ex hoc patet, &c.* vbi dicit, quòd contritio vna ſpecie poteſt competere pluribus peccatis diuerſarum ſpecierum, & quòd vna numero contritio de pluribus peccatis in generali poteſt competere pluribus peccatis numero: & ibidem articul. 5. apertè dicit, quòd non eſt neceſſe intellectum ſimul conſiderare hoc peccatum, & illud, nec voluntatem ſimul pœnitere de hoc, & illo actu, ſed ſufficit, quòd dũ cogitat de vno, cogitaret de alio, ſi illi occurreret: & dum pœnitet de vno, pęniteret quoque de altero, ex quo apertè innuit contritionem de vno peccato formaliter, & actu, & virtualiter, ſiue ſecundùm affectum de alio ſufficeret, e. g. cum quis dolet actu de peccato aliquo luxuriæ, quod illi occurrit, virtualiter dolet quoque de alijs eiuſdem ſpeciei, de quibus actu doleret, ſi ſingula ſibi occurrent actu: quia autem occurrũt in confuſo de illis, in confuſo dolet: & cum dolet actu de peccato vnius ſpeciei, vt luxuriæ, quod ſibi actu occurrit, dolet etiam virtualiter de alijs peccatis aliarum ſpecierũ, quæ ſi actu in ſingulari ſibi obijcerentur doleret: quia autem in confuſo tantum obijciũtur, de illis omnibus in confuſo, & virtualiter dolet. Eandem ſententiam tuetur Caietanus in Comentario illius articuli citati, vbi ait, ridiculum eſſe aſſerere, quod cuilibet peccato debeat reſpondere propria deteſtatio, & recogitatio: quia neque hoc eſt neceſſarium in confeſſione: quoniam in confeſſione vnico actu confitemur mille peccata: vnde ait hanc non eſſe intentionem D. Tho. ſed ſenſum eſſe, quòd, quodlibet peccatum terminet deteſtationem, quæ expoſitio eſt vera; ſed non puto eſſe ad aures D. Tho. qui ibi inquit apertè peccatorem debere adhibere diligentiam quantũ in ipſo eſt, vt rememoretur ſingula peccata, vt ſingula deteſtetur.

Caietanus.

Suarez.

56 Alij, vt Suarez vbi ſuprà diſp. 4. ſect. 6. dicunt illos Doctores loqui de contritione in ordine ad confeſſionẽ, patet enim in ea neceſſariò adhibendam eſſe diligentiã, vt ſingula etiam in numero recenſeantur, & confiteantur quæ expoſitio eſt vera, ſed non poteſt eſſe ad aures illorũ doctorum: quia loquuntur de contritione abſolutè, non de illa in ordine ad confeſſionem. Alenſis, qui pro illa opinione citatur 4. p. quæſt. 17. m. 3. art. 8. & 10. dicit eſſe neceſſariam contritionem de ſingulis peccatis, quãdo occurrunt memoriæ: non tamen inquit, quòd vnuſquiſque teneatur facere diligentem indaginem, vt illorum omnium recordetur ad hoc, vt habeat veniam; ſed ait deleri per contritionem generalem, & art. 10. ait non poſſe eſſe contritionem de vno peccato manente complacentia alterius; tamen ibi concedit, quòd cõtritio, vt eſt dolor momentaneus de peccato, vt diſplicet Deo, & eſt gratia formatus, eſt de omnibus ſimùl. Eandem ſententiam cum Scoto ſuſtinent multi ex Recentioribus, vt Nauarrus in Man. cap. 1. n. 25. qui citat Io. Maiorem in 4. d. 17. quæſt. 5. & Caietanum vbi ſuprà, Suarez, & alij, quos ipſe citat.

Alenſis.

Nauarrus.

Ratio Nauarri, & Suarez.

Ratio autem addicta à Nauarro, & Suarez eſt: quia ſi quis non poſſet obtinere veniam per contritionem, niſi facta recogitatione omnium peccatorũ, ſequeretur quòd aliquis adhuc viuens priuaretur potentia conſequendi ſalutem æternam, quod eſt expreſsè contra auctoritates in cap. 1. de pęnitentia diſt. 7. & cap. *Tonderet* 50. diſt. Conſequentia probatur, quia poteſt contingere, quòd quis mille peccata mortalia cõmiſerit, & ſolam quartam horę ſit victurus. Hic non poſſet viuens concipere de mille peccatis mille pęnitudines; ſed hæc ratio non valeret, dicerent Richardus, & Soto, quia ipſi intelligunt dũmodo adſit tempus, & opportunitas.

Præcipua ratio.

57 Ratio ergo præcipua videtur eſſe hæc, quã innuit Scotus diſt. illa 15. art. 5. quia videtur ſufficere ad placandum offenſam, quòd ſatisfaciens non intendat permanere in aliqua offenſa amplius; ſed omninò velit reconciliari offenſo: tunc enim de quacunque offenſa dolet, de qua cogitat, & memoratur: & doleret de omnibus ſi recordaretur: & de quibus non recordatur actu, dolet virtualiter, quia non vult ampliùs vllam offenſam, nec petit dimidiã veniam; ſed totalem, & conſequenter pœnitentia generalis de omnibus ſufficit.

Confirmatio.

58 Confirmatur quia Ezech. 33. dicitur. *Impietas impij non nocebit ei in quacunque die conuerſus fuerit ab impietate ſua.* vbi per diem intelligit, quodcunque tempus etiam breue. Vndè D. Aug. lib. de vera, & falſa pęnitentia citans hunc locum Prophetæ dicit. *In quacunque hora peccator ingemuerit vita viuet.* & ibidem paulò ſuprà dicit, quod ſi pœnitentia in extremo hiatu vitæ adueniat ſanat: at ſi neceſſaria eſſet hæc diſtincta recordatio omniũ peccatorum, proculdubio non poſſet ſemper quacunque hora, vel momento contingere. Requiritur ergo tantùm hæc diſtincta recogitatio de conſilio, & quando datur opportunitas, & neceſſitas, vt cum quis ad ſacramentũ confeſſionis accedit, vt ſuo loco dicemus.

Ad rationes alterius opinionis.

59 Ad rationes alterius opinionis reſpondetur, quòd auctoritates illæ indicant pœnitentiam eſſe de omnibus peccatis; ſed an debeat eſſe diſtincta recogitatio, & diſtincta deteſtatio de vnoquoque, non habetur ex illis: poteſt

autem

autem haberi de omnibus illis recogitatio vna cōfusa, & generalis, quæ virtualiter omnia complectitur.

Ad secūdū. 60 Ad secundam respondetur etiam hominem ex illa confusa recogitatione multorum peccatorum posse inuenire sibi opportunam medicinam: dum enim occurrit illa multitudo peccatorum in suis generibus, & speciebus, potest sibi de remedio opportuno consulere; licèt hoc remedium ad contritionē in se nō requiratur: sufficit enim, vt actu doleat, & tristetur se commisisse peccata: quia sic hic est dolor propter Deum virtualiter continet propositum abstinendi de cætero, & consequenter etiam media opportuna ad se sanandum, & præseruandum, quæ sunt satisfactiones debitæ, & opportunæ. Quod autem additur de confessione, non est par ratio: quia confessarius non nosscit peccata pœnitentis, nisi sibi manifestentur: ideò in cōfessione omnia aperienda sunt: at in contritione non est necessarium, quia pœnitens iam illa nouit sufficienter.

Ad tertiū. 61 Ad tertiam ex Soto respondetur, sufficere vnam cōtritionem singularem actualem de vno, & virtualem de pluribus: illa enim æquiualet virtualiter illis pluribus sin-

Ad quartū. gularibus. Per idem ad quartam. Solùm concludit, quòd quanto plura sunt peccata, tanto plùs debet conteri. Ad

Ad quintū. quintam respondetur etiam in lege veteri fuisse satis habere vnicam contritionem actualem de vno, & virtualem pro pluribus, quòd etiam ipsemet Soto in eodem art. ante conclusionem tertiam videtur concedere.

An contritio sit semper formata gratia. 62 Est alia dubitatio, An contritio sit actus semper formatus gratia: qua in re est cōtentio aliqua inter Scolasticos: nam Scotus videtur velle, quòd actus contritionis aliquando non sit formatus gratia. Et hæc opinio ei tribuitur communiter, & Caietanus opusculo de contritione, eam tenuit. Alij verò tenent oppositum. Sed quid sit dicēdum de opinione Scoti, ex dictis patere potest; tamen sequenti capite in fine, & disputatione sequenti hæc magis explicabuntur. Pro nunc dicendum est, quòd contritio, & gratiæ infusio in eodem instāti temporis fiunt; sed contritio præcedit natura infusionem gratiæ, quia est dispositio ad illā impetrandam: ex quo sequitur, quòd contritio non oritur ex gratia habituali, sed illam præcedit natura, vt dictum est. Ex dictis colligi potest diffinitio contritionis, sed hoc commodius fiet cap. sequenti.

Quid sit attritio, & quæ differentia sit inter contritionem, & attritionem. Caput Tertium.

63 EX dictis superiùs cap. primo, & secundo huius disputationis facilè possumus colligere diffinitionē contritionis, & attritionis, & differentiam ipsarum adinuicem. Verùm vt istæ definitiones, clarius elucescant oportet singillatim explicare in quibus conueniant, & in quibus differant contritio, & attritio: sic enim facilè definitiones ipsarum elicere poterimus. Ex dictis ergo primo capite habemus ex sententia Scoti, quòd cōtritio est actus perfectus, idest, est bonus ex genere, & debitis circunstantijs circunstantionatus: attritio verò est actus imperfectus idest bonus ex genere: non tamen omnibus circunstantijs debitis, & requisitis circunstantionatus, sed aliqua, vel alit quæ deficiunt, non ex malitia, sed ex inaduertentia intellectus, vel omissione voluntatis ex infirmitate. Quæ doctrina quantùm ad primam distinctionem, quòd contritio sit dolor perfectus, attritio imperfectus, est communis omnium Theologorum, qui ex metaphora vocis eas sic distinguunt: cōtritio enim significat dolorem perfectum: attritio verò dolorem imperfectum; & hæc distinctio est etiam Concilij Tridentini sess. 14. cap. 4. si nō explicitè tamen implicitè. Nam initio capitis dicit contritionem primū locū inter actus pœnitentis habere; quo modo loquēdi satis indicat actum contritionis esse actum perfectum pœnitentiæ, alioquin pœnitentia nullum haberet actum perfectum, cum hic sit primus; deinde in progressu attritionem appellat expresse contritionem imperfectam.

Verùm ad exactam cognitionem differentię attritionis à contritione, nō sufficit dicere, quòd attritio est actus imperfectus ex defectu alicuius circunstātiæ debitæ: quia multæ species attritionis assignantur à Doctoribus, quæ sunt imperfectæ, & carent debitis circunstantijs, & tamen aliquæ illarum sunt vera attritio: quædam verò non sunt attritio vera, & Christiana, quæ cum sacramento pœnitentiæ est sufficiens dispositio ad delendum peccatum, vt modò loquimur. Possumus autem hoc discrimen elicere ex dictis à Scoto, præter ea quæ q. 2. a. 2. dixit ex q. 4. eiusdem distinctionis art. 3. & in responsione ad secundum principale, vbi assignat quænam dispositio requiratur ad dignè suscipiendum sacramentum pœnitentiæ; ea enim omnia, quæ ibi assignat pro debita dispositione, pertinent ad veram attritionem, quæ cum sacramento sufficit ad obtinendum veniam peccatorum, de quibus infrà agendo de dispositione requisita ad suscipiendum sacramentum pœnitentiæ. A Doctoribus ergo solēt assignari quinque species attritionis, quarum quatuor primæ appellari possunt attritiones quò ad nomen, non autem quò ad rem. Prima est, quæ ponit circunstantiam malam, vt si quis doleat de peccato, non quia est offensa Dei, sed quia impedit pœnitentem ne possit aliquod aliud peccatum efficere; vt qui dolet de peccato, quia incurrit aliquam infirmitatem, qua impeditus non potest vsuram exercere, vel aliquod aliud peccatum facere: hæc enim attritio est peccatum, immò à Caietano vbi suprà nomine attritionis indigna censetur & iurè, quia est nouum peccatum; quod ex Scoto desumpsisse videtur illa q. 2. d. 14. a. 2. Secunda est, cum quis dolet de peccato, & displicet illi peccasse; tamen non habet efficax propositum relinquendi peccatum: quia scilicet non vult relinquere statum peccati, in quo est; & hæc à Caietano appellatur attritio impœnitentium, quæ etiam non sufficit, nec est vera attritio Christiana. Tertia est, cū quis dolet, & tristatur de peccato, nō tamen tristatur de eo super omne malum creatum, sed magis dolet, & tristatur de aliquo malo temporali, vt de carcere, vel amissione bonorum, & huiusmodi; hæc etiam non est vera attritio Christiana, quæ est dispositio cum sacramento pœnitentiæ ad remittenda peccata. Quarta attritio est, cum quis dolet de peccato non propter Deum, sed propter gehennam, & pœnas inferni præcisè, non referendo vltimatè dolorem illū in Deum, & propter amorem ipsius; quæ à Soto dicitur attritio nota, quam ipse putat sufficere ad sacramentum suscipiendum; sed neque illa est vera attritio, vt infrà videbimus. Quinta est, cum quis dolet de peccato, sed non propter Deum immediatè, sed propter aliquam aliam causam, scilicèt vel propter timorem inferni, vel propter turpitudinem peccati; habet tamen alias conditiones, scilicèt dolet de peccato super omnia, & habet propositum efficax ampliùs non peccandi, & dolet de peccato non præcisè propter metū pœnæ, sed vltimò refert dolorem in amorem Dei, vt infrà dicam; & hæc est attritio vera: quia hæc est attritio, quæ dicitur putata contritio. Omnes istæ attritiones distinguuntur à cōtritione, quia sunt detestationes imperfectę, & illis deficit aliqua circunstantia debita, sed tamen diuerso modo. Nam prima attritio non solùm caret debita circunstantia finis, sed apponit finem malum; quia dolet de peccato ex eo quòd non potest peccatum aliud facere, adeò quòd finis detestationis peccati est non posse peccare vt vellet. Secunda attritio deficit quantum ad substantiam actus; qui enim non habet efficax propositum, & voluntatem relinquendi peccatum, non habet perfectam detestationem, & dolorem peccati: vndè talis volitio non peccasse solet appellari velleitas, quæ non est volitio efficax, qualis debet esse volitio non peccasse, quæ est attritio Christiana. Tertia quoque deficit quantùm ad circunstantiam finis: quia qui non detestatur peccatum suprà omne aliud malum, non habet efficacem, & veram nolitionem de peccato propter Deum, quod patet, quia si darètur optio, vt vel peccatum nollet, vel illud aliud malum, quod magis detestatur, nollet potiùs illud aliud malū quod magis detestatur, quàm

Species attritionis quot sint.

Prima species attritionis.

2. Species.

3. Species.

4. Species.

5. Species.

pec-

peccatum; & sic patet, quòd talis detestatio nõ est propter Deum verè, & realiter. Quarta attritio deficit absolutè à contritione ratione finis: quia dolet de peccato præcisè propter gehenam. Quinta attritio verò conuenit in substantia actus cum contritione: quia est efficax, & determinata nolitio, & detestatio peccati super omnia, & cũ proposito non peccandi de cętero; habet etiam circunstãtias alias debitas; sed deficit quò ad circunstantiam finis proximè, & immediatè, non autem absolutè: quia non dolet immediatè propter Deum, sed propter timorem pœnæ, vel aliquam aliam causam, quam differẽtiam infrà nunc declarabimus magis, & hæc est vera attritio christiana.

Per quid attritio distinguatur à contritione.

64 Cum itaque secundùm omnes, priores quatuor attritiones non sit attritio christiana; & tamen distinguantur à cõtritione penes perfectionem, & imperfectionem, & penes carentiam conditionum, & circunstantiarum debitarum, videndum est, quæ imperfectio, & carentia circunstantiarum constituat attritionem veram, & illam distinguat à contritione. Et quia hic sunt variæ opiniones, & modi dicẽdi Doctorum, priùs opinionem quam puto veram, & esse Scoti, adducam: deinde aliorum opiniones à nobis dissentientes confutabo. Primò itaque notandum est, quòd contritio, & attritio conueniunt in hoc, quod vtraque est detestatio peccati perfecta ex genere. Secundò, quòd vtraque est propter amorem Dei, & ex charitate; quòd vtraque sit perfecta detestatio ex genere probatur, & de contritione patet: quia nullus actus potest esse bonus ex circunstantia nisi sit bonus ex genere, vt suprà cap. primo huius disputationis diximus. Quò ad secundam verò, scilicet quo ad circunstantiam finis abundè eodem primo capite probatum est. De attritione verò quòd debeat esse bona quò ad substantiam actus, & ex genere, eadem ratione probatur: quia si esset ex genere malus actus, nunquam per quamcunque circunstãtiam posset fieri bonus: attritio autem est actus bonus; ergo. Et confirmatur, quia attritio est detestatio peccati: detestatio autem peccati est actus circa debitam materiam; ergo est bonus.

65 Tota difficultas est de circunstantia finis, An scilicet attritio sit detestatio peccati propter Deum, itaquòd includat dilectionem Dei. Nam Suarez, vt videbimus infrà, negat attritionem includere dilectionem, etiam virtualiter. Quòd ergo attritio sit ex dilectione Dei, probatur sic. Ex Concilio Tridentino sess. 14. cap. 4. & ex communi cõsensu Theologorum, Attritio est dispositio ad gratiam suscipiendam ex se quidem, & solitariè sumpta insufficiẽs, & remota, tamen cum Sacramento est sufficiens: at omnis dispositio ad gratiam impetrandam necesse est, quòd oriatur ex charitate, & ex dilectione Dei: quia vt suprà diximus cum Scoto in hac quæst. 2. in responsione ad vltimum principale, & suprà primo cap. huius disp. ostendendo, quòd contritio debet esse propter Deum, nulla pœnitentia est fructuosa, & meritoria, nisi emanet ex charitate, & eliciatur propter ipsum Deũ summè dilectum: ideò cum attritio sit dispositio cum Sacramento sufficiens, necesse est vt emanet ex charitate, & habeat pro motiuo, & fine dilectionem Dei, & consequenter detestetur peccatũ propter ipsum Deum quoque: tamen differt à contritione: quia actus aliquis potest ordinari ad charitatem duobus modis. Vno modo proximè, & immediatè, siue formaliter; alio modo virtualiter, & remotè. Attritio est detestatio peccati propter Deum, sed remotè; proximè autẽ habet alium finem: & ideò principalis differentia, quæ est inter attritionem, & contritionem, est circunstantia finis proximi: quia finis contritionis immediatus est amor Dei: ideò detestatio illa peccati, quæ proximè, & immediatè est, quia peccatum est offensa Dei super omnia dilecti, est contritio: illa verò detestatio peccati, quæ proximè, & immediatè, non habet pro fine dilectionem Dei, sed timorẽ pœnarum, vel turpitudinem peccati, vel aliud simile, si datur, est attritio, & non contritio: quia est actus imperfectus ex circunstantia finis: quia finis proximus nõ est dilectio Dei; sed aliquid aliud .s. timor pęnarũ, & huiusmodi, quod est quid minus perfectum q̃ dilectio Dei.

Primo in quo attritio, & contritio differunt.

Attritionẽ esse dolorẽ pp Deum.

66 Quòd autem attritio includat implicitè eundem finem, quem cõtritio, scilicet dilectionem Dei, & ad illam ordinetur, patet etiam ex communi assertione Theologorum, qui dum dicunt proximũ, & immediatum obiectũ, siue finem attritionis esse timorem pœnarum, vel turpitudinem peccati; dicunt tamen non excludere debitum finẽ vltimũ qui est dilectio Dei, vt est videre apud D. Tho. 3. p. q. 85. a. 5. & alios, quos citat Suarez disp. 5. sect. 2. n. 7. & est euidẽs: quia si quis detestaretur peccatum præcisè propter timorem gehenę, itaquòd in illo timore vltimo sisteret, & non ordinaret actum illum ad timorem filialem, sed illum timorem pœnarum pro vltimo fine sibi constitueret, licèt actus de se non sit malus, sed bonus; tamen illa non est attritio, quæ est dispositio ad sacramentum: & si quis cum hac attritione accederet ad sacramentum, nõ solùm non consequeretur gratiam, sed peccaret: quia nõ accederet cum dispositione requisita. Vbi est notandum quod licèt timor, & metus gehenæ sit actus de se bonus, vt latè Doctores ostendunt contra hereticos, & diffinit Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 4. & probatur pręsertim, quia hic timor est vtilis ad veram pœnitentiam impetrandam, & est donum Dei, non quidem inhabitantis, sed tantùm mouentis, quo pœnitens adiutus viam sibi ad iustitiam parat, de qua re fusè doctores in 4. & alij quos adducit Suarez vbi infrà disp. 5. sect. 1. & à Diuo Tho. Scoto, & alijs supponitur, vt verissimũ: tñ nõ sufficit hic timor nisi terminet in timorẽ filialem, & charitatẽ: quia, vt suprà diximus, sine charitate non põt actus vllus esse fructuosus.

Alia confirmatio.

67 Confirmatur, quia ex Concilio Tridentino vbi suprà ad hoc vt detestatio peccati propter timorem pœnarũ sit attritio vera, requiritur propositum amplius non peccãdi cum spe veniæ; spes aũt veniæ ordinatur ad charitatẽ, quæ est perfectio actuum omniũ virtutũ; ergo attritio ordinatur ad charitatem, & ab illa, vt à fine vltimo oritur.

Cur attritio dicatur putata contritio.

68 Et hinc est quòd hæc attritio perfecta vocatur putata contritio: quia qui sic dolet de peccato propter timorem pœnarum, licèt proximè ab hoc fine moueatur: tamẽ non sistit in illo vltimatè, sed terminatur in Deum, & propter hoc putatur contritio: quia ferè habet eamdem circunstantiam finis, quam contritio: licèt nõ habeat ita perfecto modo sicut contritio, quia non habet illam pro fine proximo, & formaliter, sed vltimatè, & virtualiter.

Attritio nota non est vera attritio contra Sotum.

69 Ex hoc quoque oritur, quòd attritio, quæ à Soto in 4. dist. 6. q. 1. a. 7. con. 6. dicitur nota attritio, quæ est precisè propter timorem pœnæ, non propter Deum, non est vera attritio christiana, nec sufficit ad sacramentum baptismi suscipiendum, vt diximus suprà, & in hoc 4. dist. 4. dispu. 12. Ex eodẽ fundamento deducitur, quòd detestatio peccati purè naturalis, qualis esset detestatio peccati in philosopho procedente ex lumine, & viribus naturalibus, nõ est vera attritio: quia hæc non procedit ex charitate tamquam ex fine, siue motiuo, nec proximo, nec remoto, siue vltimato: nec est donum Dei; cuiusmodi est omnis dispositio ad gratiam. Hęc enim prouenit ex gratia præueniente, & cooperante, vt dicam in materia de auxilijs, qua in re Soto in 4. d. 17. q. 2. a. 5. in tertia differentia attritionis à contritione allucinatus est, asserens attritionem veram differre à cõtritione, quia est ex viribus naturæ: repugnat enim apertissimè Concilio Tridentino sess. 14. cap. 4. vbi appellat attritionẽ, quæ ex timore pęnarũ inascitur impulsum Spiritus sancti, & est cõtra principia ipsiusmet Soto, q contra Scotum, (quẽ asserere ait hominẽ ex viribus naturæ puris se posse disponere ad gratiam,) tantũ inuehitur.

Secundum discrimẽ inter cõtritionẽ, & attritionem, penes intẽsionem, & remissionem

70 Aliud discrimen est inter contritionem, & attritionem perfectam, scilicet quòd contritio est actus habens intensionem vsque ad terminum præfixum à Deo. Attritio verò caret debita intensione. Hæc differentia patet ex dictis capite superiori, vbi ad cõtritionem requiri certam intensionem ex parte potentiæ ostendimus, licèt nesciamus quanta esse debeat.

Nunc colligamus breuiter in quibus cõueniunt, & dif-

Epilogus quo conueniãt, & differant attritio, & contritio.

ferunt contritio, & attritio perfecta, & vera. Conueniunt primò, quòd vtraque est actus perfectus, & efficax secundùm substantiam, & in genere bonus. Secũdò, quod vtraque habet pro fine charitatem, & dilectionem Dei super omnia cum proposito ampliùs, non offendendi, & cum spe veniæ, &c. Tertiò, & sumitur ex his vtraque nullam apponit circunstantiam malam, siue offendentem. Omnia ista patent ex nunc suprà dictis cõtra alias species attritionis, quæ non sunt veræ attritiones christianæ. Differunt verò dupliciter. Primò in circunstantia finis proximi, siue vt alij dicunt, ratione motiui: quia contritio est dolor de peccato proximè, & immediatè propter amorem Dei: attritio verò est dolor, siue detestatio peccati proximè, & immediatè propter timorem pęnarum, vel propter deformitatem peccati, vel aliquid simile, si datur: vltimatè verò, & virtualiter propter amorem ipsius Dei, vt diximus suprà: adeò quòd prima differentia est ratione finis proximi, & immediati. Et hoc est verum loquẽdo secundùm certitudinem quã habemus ex Scriptura de doctrina cõtritionis, & attritionis. Nam, vt dicebamus primo capite huius disp. si hæc circunstantia finis propter Deum apponatur actui explicitè, & formaliter, sumus certi, quòd est contritio, si verò apponatur tantùm virtualiter non sumus certi, quòd sit contritio, sed dubij: vndè saltem erit attritio. Secundò differunt ratione modi, scilicet ratione intensionis, & remissionis. Nã contritio vltra debitum finem, & alias circunstantias adductas, debet habere certam intensionem, quæ nos latet: ideo nunquam possumus esse certi quantumcunque doleamus de peccato, an sit vera contritio: quia nescire possumus, an actus sit debitè intensus: attritio verò non requirit intensionem tantam, quia non est actus ita perfectus, neque se sola; sed cum Sacramento dispositiuè remittit peccatum. In hac differentia alij non conueniunt, sed superiori capite illã probauimus.

71 Possumus vlteriùs addere, quòd datur alia species attritionis nempe detestatio peccati non perfectè circunstantionata; sed carens aliqua circunstantia, vel ex inaduertentia, vel ex aliqua alia causa non culpabili: non tamen apponit circunstantiam malam. Nã, vt dicebat Scotus, non sumus certi, quòd talis detestatio sit sufficiens dispositio ex se sola ad iustificationis gratiã; ergo ad minùs videtur esse dispositio simùl cum sacramento pœnitentię, qui enim auxilio Dei detestatur peccatum propter amorem ipsius Dei, sed omittit actu aliquam circunstantiam necessariam ex inconsideratione, facit quod in se est: ideò videtur sufficienter dispositus ad suscipiendum gratiam cum sacramẽto. Et sic possumus statuere quatuor species attritionis Christianæ. Prima est detestatio peccati propter timorem pœnarum proximè. Secunda detestatio peccati propter turpitudinem eius. Tertia detestatio peccati cum omnibus circunstantijs requisitis ad contritionem, sed non debitè intensa. Quarta detestatio peccati imperfecta propter carentiam alicuius circunstantiæ debitę ex inaduertentia, vel aliqua alia causa non culpabili. Vel dicamus, & meliùs, quòd attritio in communi distinguitur à contritione, quia contritio habet omnes conditiones prędictas formaliter, & explicitè: attritio caret aliqua illarum incupabiliter, nec apponit circunstantiam malam. Hæc attritio autem in communi diuiditur præsertim in illas tres species, quarum alia est propter gehenã, alia propter turpitudinem peccati, alia ex defectu intensionis debitæ.

Quatuor spẽs attritionis Christianę.

72 Nunc aliorum opiniones, quæ à nobis dissentiunt, examinemus: duo autem sunt præcipuè, in quibus est difficultas. Primum est de conditionibus attritionis per quas differt à contritione. Secundum est de speciebus attritionis. Quòad primũ Suarez disputatione illa 5. sect. 1. ponit quinque differentias negatiuas inter attritionem, & contritionem. Nam præter differentiam illarum penes finem, siue motiuum, dicit eas differre primò: quia cõtritio ex propria ratione includit formaliter vel virtute dilectionem Dei super omnia: attritio verò minimè. Secundò. Cõtritio est actus à charitate elicitus: attritio verò ab alia inferiori virtute, quam infra sect. 2. dicit, esse virtutẽ spei. Et Soto lib. 2. de natura, & gratia cap. 14. in hoc cum eo sentit. Tertiò. Contritio detestatur peccatum simpliciter super omne detestabile: attritio verò non semper, vel nũquàm perfectè. Quartò. Contritio semper est ex voluntate formali, vel virtuali destruẽdi culpam, quatenùs in homine manet: attritio verò nec semper, neque per se postulat hanc voluntatem, cum possit esse cum culpa. Quintò. Contritio semper est vniuersalis saltem virtualiter ex vi motiui: attritiò verò non semper. Et est notandum, quòd licèt dicat has esse differentias inter attritionem in communi, & contritionem: tamen per attritionem in communi non intelligit attritionem, vt est quid commune ad attritiones malas, quæ non sunt dispositiones vllo modo, etiam remotissimè ad gratiam, quas suprà reiecimus: eas enim ipse reiecerat eadem disput sect. 1. puncto superiori, sed loquitur de attritione vera, quam ipse appellat attritionem Christianam, quæ est commune quoddam, quia sub se varias species attritionis continet, vt vidimus. Fundamenta istorum sunt: quia D. Aug. de vera, & falsa pęnitentia cap. 17. appellat contritionem conuersionem: attritionem autem versionem; ergo non est perfecta, & sic nõ includit dilectionẽ Dei, &c. Deinde, quia qui odit peccatum propter pœnam, non magis odit peccatum, quàm illam pęnam; ergo non odit super omnia odibilia. Si etiam odit peccatum propter turpitudinem, & malitiam; non tamen odit supra omnem turpitudinem, & malitiam: quia odit illud, quia est offensa Dei, quæ est summa malitia. Denique attritio stat cum culpa, nec semper efficaciter quærit media ad expellendum peccatum. Et denique eam probat ex confutatione differentiarum ab alijs positarũ.

Aliorũ opiniones reijciuntur.

Opin. Suarez.

73 Ego non possum non satis mirari Suarez incidisse in hanc opinionem, vt neget attritionem christianam, & veram includere virtualiter dilectionem Dei super omnia, & detestari peccatum super omne detestabile, & includere propositum destruendi, & expellendi culpam, ac oriri ex charitate, quæ sunt quatuor differentiæ per quas distinguit attritionem à contritione. Nam si intelligeret quòd attritio non includit illa tria formaliter; non esset vlla dubitatio: at dicere quod nõ includat illa virtualiter, non video, quomodo possit habere veritatem. Quòd ergo attritio oriatur ex motiuo charitatis, & consequenter sit propter dilectionem Dei super omnia, & sit detestatio peccati super omne detestabile, ex dictis suprà patet esse verum, & adhuc probatur sic. Omnis actus, qui est dispositio ad gratiam oritur ex charitate, & propter dilectionẽ Dei; sed attritio est dispositio ad gratiam simùl cum sacramento pœnitentiæ; ergo attritio est actus ex charitate, & propter Dei amorem elicitus: at non est ex charitate, & propter amorem Dei formaliter, & proximè, sed remotè; ergo remanet vt sit ex illa virtualiter. Maior probatur, quia ex Sacra scriptura habemus quòd illi actus tantùm, qui charitati, & dilectioni Dei innituntur, sunt dispositiones ad gratiam. Nam Epistola prima D. Ioan. cap. 3. dicitur. *Qui non diligit manet in morte.* Et prima ad Corinth. 13. *Sinè charitate nihil sum.* Istæ duæ auctoritates notandæ sunt, quia dicunt opera habentia negationem dilectionis esse nihil, & esse in morte. Inquit enim Apost. *Qui non diligit* &c. Et D. Io. *Sine charitate nihil* &c. Ergo in opere fructuoso, & bono christiano includitur dilectio Dei, vel formaliter, vel saltem virtualiter. Et D. August. lib. de vera, & falsa pœnitentia cap. 9. inquit. *Sed quoniam pœnitentia non omnis est bona, dicamus aliqua, quæ seperant veram à falsa, sterilem à fructuosa.* Et postquam ostendit veram, & fructuosam pœnitentiam esse ex charitate, habet hæc verba. *Sine amore Dei cõsequeretur indulgentiam, sinè quo nemo vnquàm inuenit gratiam.* Et cap. 17. inquit. *Oportet enim vt pœnitentia fructificet, ad hoc vt mortuo vitam impetret: scriptum est enim sinè charitate neminem saluũ esse.* & alia similia apud eũ, & alios Sanctos habẽtur. At certũ est, q attritio fructificat: qa sinè ea sacramentũ nihil prodest, cũ ea aũt prodest ad uitã; ergo attritio ẽ ex charitate.

Reijcitur.

Ex hac

74 Ex hac aũt conditione reliquę tres consequuntur: qui enim detestatur peccatum propter Deum ex charitate, debet detestari peccatum super omne detestabile, & propter Deum super omnia dilectum: dilectio enim Dei, est super omnia, & consequenter detestatio peccati debet esse super omnia: alioquin, non responderet dilectioni Dei super omnia, vt suprà ostendimus: illud enim malũ, quòd magis, quàm peccatum detestaretur, opponeretur alicui bono, quòd magis quàm Deum diligeret.

2. Ratio.

75 Secundò. Dispositio sufficiens ad cõfessionẽ sacramentalẽ ex cõi consensu requirit propositũ destruẽdi peccatũ, & ampliùs non peccandi, alioquin cõfessio esset nulla, neque remitteret peccatũ: at attritio est dispositio sufficiẽs ad cõfessionẽ sacramẽtalẽ, & ad suscipiendũ sacramẽtũ pęnitẽtiæ fructuosè; ergo attritio includit propositũ destruendi peccatũ virtualiter, & cõsequẽter includit detestationẽ peccati super oĩa, & reliquas cõditiones: qa illę includũtur intrinsecè in dilectione Dei, vt suprà vidimus.

3. Ratio.

76 Tertiò. Conc. Trid. sess. 14. c. 4. loquens de attritione, inquit. Si attritio excludat voluntatẽ peccandi cũ spe venię esse donum Dei, &c. at qui non detestatur peccatũ pp Deum, neque detestatur super oẽ detestabile, neq; hẽt voluntatem omninò destruendi peccatũ, nõ põt habere efficax propositũ non peccãdi, vt requiritur ad delendũ peccatũ: nec põt habere spem venię, qa ad ueniã requiritur, vt detestetur peccatum pp Deũ, itaquòd hic sit finis saltẽ vltimus: requiritur ẽt, vt illud detestetur super oĩa, & habeat omninò voluntatem efficacem destruendi peccatũ, quia vt visum est suprà, hæc virtualiter includuntur in voluntate non peccandi de cętero pro nulla re mũdi. Vndè ipse Soto in 4. d. 17. q. 2. a. 5. dicit attritionẽ cũ contritione debere conuenire in detestatione peccati super oĩa, & in proposito efficaci ampliùs nõ peccandi ꝓ nulla re mũdi.

Responsio tacita reijcitur.

77 Nec valet si quis dicat auctoritates superius adductas, & rationes concludere de pęnitẽtia perfecta, quę est contritio: nam, vt vidimus D. Aug. loquitur de oĩ pęnitentia fructuosa, & vtili, & illã ait inniti charitati. Attritio est fructuosa, quia cum sacramẽto delet peccatũ; ergo intelliguntur ẽt de attritione. Adest ergo hęc differẽtia inter attritionem, & contritionẽ, quò ad circũstantiã dilectionis Dei, & reliquarũ dictarũ ex ea orientiũ, ꝙ contritio includit illas formaliter, & explicitè. Attritio verò implicitè, & virtualiter tantùm siuè ex consequenti, & vltimatè.

Ad rõnes aduersariorum.

78 Rationes aũt adductę ꝓ eis nihil ampliùs probãt, q̃ ꝙ attritio non est ita perfecta detestatio peccati, sicut cõtritio, quia non hẽt illas cõditiones formaliter sicut cõtritio: non probant aũt, quòd non debeat habere illas virtualiter, & implicitè. Locus aũt ille D. Aug. facit pro nobis, quia paulò suprà dicit, *Non itaque in solo timore viuit homo, quẽ ergo serò pœnitet, oportet non solũ timere Deũ iudicẽ, sed & iustũ diligere*. Ex eo loco habetur solũ, ꝙ q auertitur à peccato, & non cõuertitur ad Deum, non perfectè conuertitur, quia actu, & formaliter nõ conuertit in Deũ: non habetur aũt, ꝙ qui vertitur à peccato cũ fructu nõ teneatur verti pp Deũ, & simùl diligere Deũ saltẽ virtualiter, sed oppositum: ideò facit ꝓ nobis. Illa alia duo concludunt, ꝙ qui odit peccatum pp pęnã fructuosè, vt est attritio actu, & formaliter, non odit magis peccatũ, q̃ pęnã: non aũt concludũt, ꝙ non magis odiat virtualiter; & qui odit peccatum pp malitiam ex se, non odit pp summã malitiã formaliter, nõ aũt virtualiter: nec obest, ꝙ maneat cũ peccato, qa iã dictũ est, ꝙ est dispositio ex se insufficiẽs ad delẽdũ peccatũ; tñ cũ sfamento est sufficiẽs, ideò est vtilis.

An attritio debeat esse de omnib. peccatis.

79 Circa quintam differẽtiã ẽt hæc opinio Suarez est reijcienda, quia ad obtinendã veniam peccatorũ necessaria est pęnitentia, & detestatio oĩm peccatorum, q̃ est cõis opinio Theologorũ, q̃ Scotus breuiter tradit in hoc 4. d. 15. q. 1. a. 5. adducens illud D. Aug. de vera, & falsa pen. c. 9. *Scio Dominũ inimicũ oĩ criminoso, quomodo ergo qui crimen reseruat, de alio recipiet veniam. sinè amore Dei consequeretur veniam, sinè qua nemo vĩ q̃ inuenit gratiã*. Et alij Theologi suis locis, vt dixi superiori capite huius disputationis. Suppono ẽt sufficere vnã cõtritionẽ specie, & in generali ꝓ multis peccatis diuersarũ specierum, & generũ; vel vnã contritionem sm̃ num. de pluribus peccatis num. vt habet Scotus eadẽ d. 15. q. 1. a. 3. §. *Ex hoc patet*, &c. neque est necessaria distincta cogitatio, & detestatio de vnoquoque, qñ quis plura peccata cõmisit; sed sufficit, ꝙ cogitãdo de vno, & illud actu detestãdo, habitu, & affectu oĩa alia detestetur, vt Scot. ead. d. 15. q. 1. a. 5. insinuat, & nos superiori cap. ostendimus. Et confirmatur, quia q accedit ad confessionem debet ad minùs esse attritus; debet aũt habere tristitiam de oĩbus, vt suo loco dicemus, & oẽs fatẽtur; ergo, &c. ideò ad propositũ dico attritionẽ in hoc nõ differe à cõtritione, quia ẽt attritio debet dolere de oĩbus peccatis in generali, & cogitando de vno, ac illud detestãdo actu, & formaliter, tenet habitu, & virtualiter alia peccata oĩa detestari, alioquin nõ esset sufficiens dispositio ad sacramentum, quia impium est à Deo dimidiam veniam peccatorum petere, & propter auctoritates D. Aug. suprà adductas, & propter rationes ibi tactas.

Differẽtiæ assignatæ à Soto reijciuntur in parte.

90 Ex dictis etiam facilè est ferre iudicium de differẽtijs allatis à Soto in 4. dist. 17. quæst. 2. art. 5. quæ videntur coincidere cum differentijs Suarez, & sunt quinque. Prima est ratione obiecti seu finis, quòd contritio est de offensa Dei, siuè de peccato propter Deum: attritio verò est dolor de peccato propter pęnas inferni. Hæc est vera, sed est intelligenda, vt suprà explicatũ est. Secunda est, quòd attritio oritur ex timore seruili: contritio ex timore filiali. Hæc quoque est intelligenda, vt suprà, ꝙ timor seruilis sit finis proximus, nõ vltimus. Tertia est, ꝙ attritio põt innasci ex viribus naturalibus. Hæc differẽtia est oĩno falsa, & reijcitur ẽt à Suarez, & iurè: quia attritio est donum Dei ex Conc. Trid. sess. 14. c. 4. vt supra dictũ est. Quarta est, ꝙ cõtritio cõstituit hominẽ in gr̃a sua virtute sinè charitate: attritio verò nequaquã. Hæc differentia est obscura, & nisi benè declaretur, est falsa. Nã contritio est donũ Dei: ideò licèt sit dispositio sufficiens ad gratiam habitualem ex se, hoc tamen non habet, nisi à charitate imperetur, cum non possit habere esse sinè charitate: intelligo autem, ꝙ sit à charitate, nõ vt à charitate iam inexistẽte; sed est à charitate, quia est ab actu generatiuo virtutis charitatis, vt diximus suprà explicãdo 2. art. huius 2. q. Scoti. Deinde sola gr̃a habitualis facit hominem iustũ formaliter; ergo non sola cõtritio. Si verò intelligatur dispositiuè, est vera, vt suprà diximus. Quĩta, & vltima est, ꝙ attritio põt esse actus informis: contritio nequaquàm. Si intelligat, quòd contritio intrinsecè est formata, est falsa: quia, vt diximus suprà, contritio est dispositio ad gratiam, & natura præcedit ipsam, non tempore; ergo contritio intrinsecè non est formata gratia, licèt in nullo instãti temporis habeat esse quin sit formata. Variæ alię differentiæ assignãtur ab alijs, quæ nullius sunt momenti, ideò illas omitto.

Quomodo cõtritio sit à charitate

Diffinitio cõtritionis & attritionis.

91 Possumus hinc colligere breuiter diffinitionem cõtritionis, & attritionis sic. Contritio est detestatio peccati continens explicitè, & immediatè has conditiones, vt sit propter Dei amorem, & sit super omne detestabile, cũ proposito de cætero non peccandi, cum spe veniæ, & debita intensione, & cũ proposito confitendi tpe debito, & satisfaciendi. Attritio verò est detestatio peccati continẽs prędictas cõditiones nõ explicitè, & formaliter, & immediatè, sed secũdariò, & mediatè: formaliter verò, & immediatè est pp gehenam, vel turpitudinem peccati, vel caret debita intensione, vel aliqua circũstãtia requisita, sed inculpabiliter. Ratio, & declaratio istarũ particularũ supiùs est exposita, & declarata. Dicitur contritio detestatio de peccatis, quia cõtritio sm̃ substãtiã est actus in genere pfectus, cuius obiectũ est peccatũ, cui sm̃ se cõpetit detestabilitas, & nolitio. Dicitur de oĩbus, quia cõtritio est detestatio generalis de oĩbus peccatis. Dicitur perfectè intensus ad dr̃iam attritionis, quæ nõ habet perfectã intensionẽ, q̃ conditio ponitur cõtra negantes intensionẽ certã requiri ad veram contritiom. Dicitur super oẽ detestabile, quia si aliquid magis detestaretur quàm peccatũ, non esset actus

perfectus, neque esset ex charitate, & ex dilectione Dei, quia hæc est super omnia. Dicitur propter Deũ, quia finis, & motiuũ detestationis debet esse amor Dei super omnia dilecti. Dicitur cũ proposito ampliùs non peccandi, confitendi, & satisfaciendi saltẽ virtualiter, quia omnia ista includũtur in dilectione Dei super omnia: ideò requiruntur vel explicitè, vel saltẽ virtualiter, & implicitè; si adsint explicitè, sumus certi, quòd est cõtritio, si adsint implicitè, nõ sumus certi, vt diximus, & tunc ad minus talis cõtritio est attritio. Particulæ attritionis eodẽ modo intelligũtur, differt autẽ solùm ratione finis proximi, & immediati: quia contritio est propter Deũ tamquàm propter finem proximũ, & immediatũ: attritio est propter pęnã, vel turpitudinem peccati tãquàm propter finẽ proximũ: tamen habet pro fine vltimo dilectionẽ Dei, alioquin nõ esset vera attritio, vt dictũ est. Ponitur alia particula non debitè intensus, quia vt dictũ est cõtra Soto, Suarez, & alios ad cõtritionẽ requiritur certa intẽsio quæ cũ deest, actus est attritio, si habeat alias circũstãtias in cõtritione positas. Vltima species attritionis verò differt à contritione, quia cõtritio est detestatio pfectè circũstãtionata: attritio verò caret aliqua circunstantia, vt dixi, ex causa inculpabili, nec apponit vllam circcunstantiam malam.

De speciebus attritionis christianæ. Opin. Suarez.

92 Quantum verò ad secundũ nimirum de speciebus attritionis christianæ, adest quoque difficultas inter Doctores. Nã Suarez disp. 5. sect. 2. sustinet solũ duas species attritionis dari, scilicet illam, quæ est propter timorem pęnarum, quæ comprehendit tàm pęnã gehenæ quàm omnes alias pœnas temporales, & aliam, quæ est propter fęditatem peccati, sub qua cõprehenditur omnis malitia peccati, quatenus discordat à regula rationis, quæ postea põt habere varias species sub se. Fundamentum autem huius sufficiẽtiæ est duplex. Primum est auctoritas Conc. Trid. sess. 14. c. 4. vbi assignat tantũ duas species attritionis prædictas: si autem darentur aliæ species attritionis Conciliũ illas assignasset: quia verba illius capitis sunt doctrinalia, & ibi assignat generalem doctrinã de attritione, ideò nõ debebat omittere aliquam speciem attritionis.

2. Ratio.

Secũdum fundamentum est ratio, quia omnis detestatio peccati reducitur ad duo capita: vel enim quis detestatur peccatum quia est malum: vel quia est causa mali. Primũ membrũ adhuc subdiuiditur; vel enim detestatur peccatũ, quia est malum supremum, & offẽsa Dei: vel detestatur absolutè, quia est malum in se, & non quia est supremum malum, siue offensa Dei. Detestatio peccati, quia est causa mali, est attritio illa, quam diximus oriri ex timore gehenæ, & pœnarum: detestatio peccati, quia est malum supremum, & offensa Dei, est contritio. Detestatio verò peccati, quia est in se malum, nõ tamen quia est offensa Dei, est alia species attritionis, quæ est propter fęditatem peccati.

Reijcitur.

93 Hæc opinio ex dictis suprà reijcitur. Ostendimus enim cap. superiori, ad veram contritionem requiri certã intensionẽ: at contingere potest quòd quis doleat de peccato propter Deum, tamen non magis doleat de peccato, quàm de amissione vnius obuli. Certè nemo dicet hãc esse contritionem perfectam, vt dicebamus ex Alex. Alẽsi; nõ enim congruit cum dolore illo Prophetæ. *Lacrimis meis stratum meum rigabo.* & cum dolore Magdalenę, & similibus in Scriptura habitis; & tamẽ hic actus est honestus, quia est bonus ex genere, & ex circunstantijs reliquis, excepta intensione debita; ergo cum non sit contritio erit attritio. Consequentia probatur, quia est pœnitentia, sed imperfecta: pœnitentia autem imperfecta, quæ nõ habet vllam circunstantiam malam, non videtur posse reduci, nisi ad attritionẽ: idem dicendum de quarta specie attritionis superiùs assignata. Fundamenta autẽ Suarez nullius momenti sunt.

Ad primã rationẽ Suarez.

Ad primum respondetur, Concilio in eo loco nõ esse curæ velle inuestigare omnes species attritionis, & diffinire lites, q̃ inter Scolasticos sunt: vel orire possunt, sed solùm est ipsi curæ diffinire, quòd illa attritio, siue pęnitẽtia imperfecta, quæ oritur ex timore pęnæ, vel ex fęditate peccati tãquã ex fine, & motiuo proximo, est actus bonus, & donũ Spiritus sancti, cõtra hæreticos, qui dicebãt, actus illos esse vitiosos, & facere homines hippocritas, & hanc esse intentionem Concilij patet legenti caput illud.

Ad secũdũ.

94 Ad secundũ negatur prima propositio; est enim insufficiens, deberet enim adiungere aliud membrũ, scilicet quòd detestatio peccati aliquãdo est propter Deum, & cũ alijs circunstantijs requisitis, excepta debita intensione: & aliquãdo nõ est perfectè circunstãtionata, sed deficit ei aliqua circunstantia debita, tantũ ex inaduertentia, vel aliã causa inculpabili; & hæc quoque est attritio distincta ab alijs duabus speciebus attritionis propriè dictis.

Cur Scotus cõtritionẽ appellet attritionem.

95 Remanet adhuc aliud dubiũ principale, in quo explicãdo est aliqua difficultas. Nã Scotus in hac q. 2. a. 2. vt vidimus suprà, detestationẽ istã pfectã, q̃ etiã ex principijs suis est cõtritio, appellat attritionem, antequã sit formata gratia habituali, & iustificãte; cũ verò est formata, appellat eã cõtritionẽ. Vndè videtur confundere attritionẽ cũ cõtritione. Respõdetur, quòd Scotus sicut omnes ferè alij antiqui Theologi appellat attritionẽ eũ motũ, qui est dispositio sufficiens ad gratiã, quatenus est dispositio, & nõdũ est formata gratia; cũ verò est formata gratia, appellat cõtritionẽ: quia secũdũ omnes cõtritio, quæ est pœnitẽtiæ perfectus actus, delet peccatũ; nõ potest autẽ delere peccatũ actualiter, nisi sit informata gratia. Vndè in eodẽ loco dixit, quòd actus, qui est cõtritio, vt est prior natura deletione peccati, est attritio: vt verò est formatus gratia, & posterior natura deletione peccati est contritio; & sic ille motus, qui priùs fuit attritio, in eodem instãti fit cõtritio.

An attritio fieri possit contritio.

96 Ex quo patet solutio alterius dubij emergẽtis in eodẽ loco apud Scotũ, & alios. Nã inquit Scotus quòd si ille motus, qui priùs fuit attritio, permaneat, fit cõtritio. Vndè videtur velle quòd attritio fiat cõtritio, quòd similiter videtur cõfũdere naturã attritionis, & cõtritionis.

Opin. Suarez.

In hoc dubio sũt varię cõtentiones. Suarez disp. 5. sect. 3. ait cõmunẽ sẽtẽtiã Theologorũ, sustinere attritionẽ nequaquàm fieri posse cõtritionẽ, loquẽdo ꝓpriè, & in rigore, & inter alios citat Alensẽ 4. p. q. 74. m. 3. & 4. Ego aũt hãc q. 74. nõ inuenio in Alẽsi, immo in q. 17. m. 2. a. 3. sustinet ad cõtritionẽ requiri certã intẽsionẽ quæ, inquit, quanta sit, Deus noscit, ex quo elicitur eũ esse eiusdẽ sẽtẽtię cũ Scoto. Citat etiã Richardũ in 4. d. 17. a. 1. q. 2. pro sua sẽtẽtia; qui tamen ibidẽ cõclus. 2. & in respõsione ad tertiũ, & in argumẽtis ad oppositũ sustinere videtur attritionẽ posse intẽdi, & fieri cõtritionem, quæ est nostra opinio, vt videbimus.

Tres modi quibus aliqui dicunt attritionẽ fieri contritionem.

97 Notãdũ est tamẽ varios modos à diuersis excogitãri, quibus attritio fiat cõtritio, qui nõ sũt approbãdi. Aliqui enim sustinẽtes, actus morales posse transire ab vna specie morali ad aliã speciẽ, manẽte eadẽ substãtia actus, vt actũ dãdi elemosinã pauperi pp subleuãdã miseriã eius, posse mutari in actũ vanę gloriæ, vt si homo velit illũ actũ, vt videatur ab hominibus absque eo quòd actus secũdũ entitatem suam mutetur, ad propositum dicunt, quòd attritio fieri potest contritio hoc modo. Si quis priùs detestetur peccatum propter pęnas, deindè mutet circunstantiam finis, & incipiat detestari propter Deum, actus ille, qui erat attritio, fit contritio.

Secundus modus dicendi.

Alij dicunt actum, qui est attritio, fieri contritionem per additionem actus exterioris, qui deficiebat; vt si quis detestaretur peccatum pp Deũ, non tamẽ relinqueret occasionẽ peccati, si posteà relinquat occasionẽ peccati, actus ille fiet cõtritio, qui priùs erat attritio.

Tertius modus.

Alij dicunt attritionem fieri contritionem per additionẽ actus charitatis, vt si quis priùs detestetur peccatum propter iustitiam, deinde addat etiam detestationẽ propter Deum, actus ille, qui priùs erat attritio, fit contritio.

Reijciũtur omnes prędicti modi.

98 Contra omnes istos modos multa possent dici, quæ omitto. Ego omnes istos modos esse falsos puto, & vnica rõne cõtra omnes ostendo. Certũ est quòd actus morales per circũstãtias mutantur, ac ita mutantur, vt mutent speciem, vt dicam in materia de confessione, & omnes fatẽtur. Omnes autem prædicti modi nituntur asserere, quòd actus morales, qui habent diuersas circunstantias mutantes speciem, possent fieri vnus, & isdẽ actus numero, quod est im-

est impossibile: quia quæ differunt specie, non possunt esse idem numero. Minor patet de primo modo: quia facere elemosinam propter subleuandam miseriam proximi est circunstantia, quæ ponit actum illum in genere virtutis: facere autem propter vanagloriam est circunstãtia ponens actum in specie vitij; ergo actus isti non possunt fieri vnus numero: quia licèt materiale sit idē.s. dare elemosinam: tamen formale, scilicet finis, est diuersus, finis autem est, qui dat in moralibus speciē; ergo illi actus specie differunt, & sic non possunt fieri vnus, & isdē actus numero. De secũdo modo patet quoque, quia dolere de peccato propter Deum, & non relinquere occasionem peccati, non est actus perfectus, & efficax displicentiæ peccati, sed velleitas quædam: nec est actus virtutis, vt suprà diximus: detestari verò propter Deum cum remotione occasionis peccati est actus secundùm substantiam perfectus, & virtutis: actus autem perfectus, & imperfectus virtutis, & vitij, sunt plusquàm specie differentes; ergo nō possunt euadere, vnus, & isdem numero actus. De tertio modo quoque patet: quia actus, qui prouenit ab vna virtute, & actus, qui prouenit à duabus virtutibus, non possunt esset vnus actus numero: quia actus vnus numero non potest prouenire simùl à diuersis causis totalibus, scilicet ab vna sola, &, simùl à duabus, & diuersis totalibus: effectus enim etiam distinguuntur numero per causas efficientes totales à quibus proueniunt.

Solutio.

Puto ergo esse respondendũ, quòd attritiones christianæ omnes non possunt fieri contritio: quia quædam sunt omninò diuersi actus.

Quatuor spēs attritionis Christianæ.

Attritio autem vera habet quatuor species, vt suprà dictum est: altera est propter timorem gehenæ, & pęnarum: altera est propter turpitudinem peccati. Istæ duæ species sunt actus omninò diuersarum specierum à contritione: quia habēt diuersos fines proximos, vt dictũ est suprà: ideò nulla istarum attritionum potest fieri contritio. Et de hoc est vera opinio asserētium attritionem nō posse fieri contritionē, & ratio facta contra illos tres modos dicendi est efficax, & simùl efficaciter probat attritiones non veras, non posse fieri contritionē. At datur altera species attritionis, quæ differt à contritione solùm penes intensionem, & remissionem, vt diximus suprà. Ista est eiusdem speciei cum cōtritione, quia magis, & minus non variant speciem: ideò ista potest fieri contritio: nam quòd isdem actus numero possit augeri manens isdem, est certum, vt aliàs in tertio in materia de gratia Christi diximus, & ideò, qui dolet de peccato propter Deũ super omnia, &c. sed tamen non habet intensionem debitam, si actus ille continuetur, & intendatur vsque ad debitum terminum, & gradum, fit cōtritio: ideò loquendo de hac attritione verum est dicere, quòd ille actus, qui est attritio, fit contritio. Et hoc modo intelligit Scotus, cum ait attritionem fieri contritionē. Datur ēt alia species attritionis, quæ differt à contritione ex omissione alicuius circunstantiæ requisitæ ad contritionē ex inaduertentia voluntatis, vel ex incōsiderantia intellectus: non tamen ponit aliquam circunstantiam malam. Etiam ista fieri potest contritio, scilicet apponendo circunstantiā omissam, si illius recordetur, & illam animaduertat.

Quomodo ex attrito fit cōtritus

Et his duobus modis possumus dicere, quòd homo ex attrito fit contritus: hoc aũt non fit virtute sacramenti, sed extra sacramentum: absque enim susceptione sacramenti his duobus modis aliquis ex attrito fieri pōt contritus: quomodo aũt virtute sacramēti aliquis ex attrito fieri possit contritus nunc infrà dicam. De hac quoque loquitur Scotus: de alijs verò attritionibus non dicit Scotus, quòd attritio fiat contritio. Tribus ergo modis possumus dicere, quòd attritio fiat contritio: duobus modis nũc suprà explicatis, scilicet cum attritio non est perfectè intensa, & deinde perfectè intenditur. Secundo cum deest aliqua circunstantia ex incōsideratione, & deinde illa opponitur. Tertio modo accipiendo attritionem pro cōtritione perfecta antequā sit formata gratia, vt Scotus eā accipit, hæc.n. cum formatur gratia euadit cōtritio, eo modo quo loquitur Scotus: loquendo tñ cōmuniter, vt alij Theologi loquuntur, hęc attritio est propriè contritio, sed informis.

Quomodo virtute Sacramēti homo ex attrito fit contritus.

Ex his similiter habetur, quomodo intelligatur dictũ illud vulgare, Homo ex attrito fit contritus virtute sacramenti: non intelligitur.n. sic, quòd attritio præcedēs susceptionem sacramenti fiat contritio: quia licèt aliqua attritio euadere possit contritio, vt dictum est suprà; tñ actus, qui est attritio, virtute sacramenti non fit contritio: quia secundùm substantiam non mutatur ex vi sacramenti. Dictum est aũt quòd sunt actus diuersarum rationũ, & specierum per se: ideò vnus non potest euadere alius numero; sed debet intelligi per metaphoram, & similitudinē, scilicet, quia sicut homo per contritionem acquirit gratiā, ita homo per attritionem simul cum sacramento acquirit gratiam: ita quòd attritio virtute sacramenti habet eundem effectum, quem habet cōtritio, & sic videtur virtute sacramenti, fieri contritio, quia eundem effectum producit. Ex quo etiam deducitur, quòd gratia gratum faciens non est de intrinseca, & essentiali ratione contritionis, sed est effectus dispositiuè ab ea causatus.

DISPVTATIO XVII.

De ordine inter contritionem, aut attritionem, & infusionem gratiæ habitualis, & peccati expulsionem.

Contritionem præcedere infusionem gratiæ. Cap. I.

1 NOn esset immorandũ circa hāc q. quoniā ex dictis suprà patet contritionem præcedere infusionem gratiæ; nihilominus, quia inter Theologos est maxima cōtrouersia de hac re, res hæc est diligenter explicanda. Cum ergo in iustificatione peccatoris requiratur contritio, siue attritio cũ sacramento, deinde infusio gratiæ, & expulsio culpæ: vidēdum est priùs, quomodo contritio se habeat ad infusionē gratię: & idem erit dicendum de attritione cum sacramēto. Secundò erit videndum, quo ordine, & quomodo se habeat infusio gratiæ ad expulsionem culpæ. Primum tractabimus hoc capite, secundum sequenti capite.

2 Prima ergo opinio in hac q. est D. Th. & sectatorũ ipsius. D. Th. 1. 2. q. 113. a. 8. in corpore expresè tenet, quòd infusio gratiæ præcedat motũ liberi arbitrij, qui est cōtritio: vndè oēs Thomistę hāc opinionē recipiũt, & defēdere nitũtur, licèt varijs modis. Caiet. p. 2. q. 113. a. 7. Ferrar. 4. contra Gentiles c. 153. Soto in 4. d. 15. q. 1. a. 6. Melchior Cano relectione de penitētia p. 1. & Vasq. p. 2. disp. 211. — Opin. Thomistarum.

Prima ratio est D. Th. loco citato, & est hæc. Causa est prior naturaliter suo effectu; sed infusio gratiæ est cā motus liberi arbitrij in dilectionem Dei, & in detestationem peccati, qui est contritio; ergo infusio gratiæ præcedit cōtritionē ordine naturæ. Maior est euidens. Minor probatur, quia licèt iustificatio fiat in instanti, & non successiuè; tñ ordine naturæ in ea sunt quatuor. Primum est infusio gratiæ. Secundùm est motus liberi arbitrij in Deũ. Tertiũ est motus liberi arbitrij in peccatũ: homo.n. detestatur peccatum pp Deũ, quia amat Deum. Vltimò est terminus huius motus, q est expulsio peccati. Ex his patet ꝙ infusio gratiæ est causa contritionis, quia est prima causa omniũ eorũ, quæ requiruntur ad iustificationem: infusio aũt gratiæ est idē, ꝙ motio Dei qua mouet liberum arbitriũ: cōtritio .n. sinè motu diuino haberi nō pōt, quia est donum Dei, iuxta illud 3. ad Rom. *Iustificati gratis per gratiā ipsius.* — 1. Ratio.

Secunda ratio desumitur ex Vasquez loco citato c. 3. & est hęc. Quęcunq; causa efficiens inducit priùs formam in passo, qua passum agere debet, & per q̄ ipsum agēs expellere debet formam oppositā, q̄ ipsum passum operetur; sed sic est, ꝙ forma, per q̄ liberũ arbitrium mouetur ad detestandum peccatũ propter Deum, & per q̄ Deus expellit peccatum ex anima, est gratia habitualis; ergo infusio gratię habitualis est prior motu liberi arbitrij in detestationem peccati propter Deũ, qui motus est contritio. Maior — 2. Ratio.

patet ex illa vulgata propositione: priùs oportet tribuere passo formam, quàm operationem, si quidē passum per formam operari debet. Minor quoque probari potest, quia motus liberi arbitrij, qui est contritio, est motus supernaturalis; ergo necesse est, quòd sit à principio supernaturali intrinseco: hoc autem principium supernaturale non potest esse nisi gratia, & charitas, quia talis actus ad amicitiam Dei, & ad charitatem pertinet.

3. Ratio. 3 Tertiò. Nullum agens per se primò destruit formā, quam corrumpit, sed secundariò, & ex accidenti, scilicet quia primò intendit producere formam in subiecto, cui illa forma est incōpossibilis; sed sic est, quòd forma, quæ destruitur per motum liberi arbitrij, & per gratiæ infusionem est peccatum; ergo prius Deus infundit gratiam, per quam mouetur liberum arbitrium ad expellendum peccatum, quàm ipsum liberum arbitrium detestetur peccatum, & peccatum expellatur. Maior patet ex communi axiomatè philosophico, quòd natura in sua actione non intendit corruptionem formæ, quod est, ac si dicatur primariam actionem agentis, quam vocant intentionem naturæ esse productionem formæ positiuæ, non autem corruptionem formæ ei oppositæ.

4. Ratio. 4 Quartò. Omnis forma, quam agens producit in aliquod passum, priùs natura est ab agente, quàm operetur in passo; sed sic est, quòd gratia est forma, qua à Deo producitur contritio in anima; ergo contritio est posterior gratia in genere efficientis. Minor est concessa, quia contritio non fit sine gratia Dei. Maior patet, quia cum ignis producit calorem in lignum per calefactionem, prior est calefactio, quàm calor producatur; ergo à pari priùs contritio est à gratia, quàm contritio recipiatur in passum; ergo gratia est prior contritione in genere causæ efficientis.

5. Ratio. 5 Quintò. Arguitur anctoritate Concilij Arausicani 2. can. 18. vbi dicitur, *debetur merces operibus si fiant; sed gratia, quæ non debetur, præcedit, vt fiant*. ergo ex Concilio gratia habitualis præcedit ipsum motū liberi arbitrij, qui est contritio, & est opus bonum.

6. Ratio. 6 Sextò. Ex eodem Concilio can. 25. vbi dicitur. *Dei donum esse diligere Deum, quia ipse dedit nobis, vt eum diligeremus, qui charitatem diffundit in cordibus*. At diffundi in cordibus pertinent ad habitum; ergo per gratiam Concilium ibi intelligit gratiam habitualem.

7. Ratio. 7 Septimò. D. August. in Manuali cap. 20. dicit. *Cum amat nos infundendo gratiam, nihil aliud intendere, quàm vt illum amemus*. ergo prius Deus infundit nobis charitatem, deinde illum diligimus, & propter amorem eius detestamur peccatum.

8. Ratio. 8 Octauò. Gratia creatur: at in creatione nulla est dispositio præcedens, vt aliàs in 2. in materia de creatione dictum est; ergo contritio non potest esse dispositio ad producendam gratiam.

9. Ratio. 9 Nonò. Arguit Soto in 4. d. 15. quæst. 1. art. 6. quòd contritio non sit causa infusionis gratiæ, & consequenter contritio non sit prior gratia sic. Si contritio esset causa gratiæ habitualis non posset esse nisi causa meritoria: at non potest esse causa meritoria, quia contritio etiam proueniens ex auxilio gratiæ, non autem ex gratia habituali, non est meritum de condigno, sed de congruo: meritum autem de congruo non est meritum, quia meritum de congruo non datur; ergo contritio non est prior infusione gratiæ.

Allata opinio reijcitur. 10 Hæc opinio à multis reijcitur, & sequuntur oppositam, quæ est Scoti, vt vidimus exponendo 2. quæst. dist. 14. art. 2. scilicet, quòd licèt contritio, infusio gratiæ, & expulsio peccati fiant in instanti: tamen contritio, vt est dispositio ad gratiæ infusionem, est prior natura ipsa infusione. Rationes autem, quæ confutant opinionē D. Thomæ, confirmant, & probant opinionem Scoti.

1. Ratio. Ratio autem prima, & principalis est ea, quam adducit D. Thomas eadem p. 2. quæst. 113. art. 8. secundo loco, & est hæc. Dispositio præcedit naturaliter formam ad quam est dispositio; sed sic est, quòd contritio, siue motus liberi arbitrij est dispositio quædam præparans animam ad suscipiēdam gratiam; ergo contritio est prior ordine naturæ ipsa inductione, & infusione actuali gratiæ. Maior est cōmuniter cōcessa ex philosophia: dispositio enim, quæ præparat subiectum ad suscipiendum aliquam formam necessariò debet precedere infusionem, & inductionē formæ in illa materia, & subiecto, alioquin esset superflua illa præparatio. Minor quoque est communiter concessa ex modo communi loquendi Sacræ scripturæ, & Sanctorum, qui hortantur nos ad contritionem, vt per eam consequamur veniam, iuxta illud Ezech. 33. *Si impius egerit pænitentiam, iniquitatum eius non recordabor*. & nunc videtur definitum in Conc. Trid. sess. 14. cap. 4. vbi dicit contritionem fuisse quocunque tempore necessariam ad impetrandam veniam peccatorum, & dicit ipsam præparare ad remissionem peccatorum; ergo contritio est dispositio ad gratiam.

11 Huic argumento respondet D. Thomas, quòd etsi dispositio subiecti præcedat susceptionem formæ ordine naturæ: tamen sequitur actionem agētis, per quam actionem ipsum subiectum disponitur: ideò non est inconueniens, quòd contritio præcedat ordine naturæ susceptionem gratiæ: & tamen eodem ordine sequatur infusionē gratiæ. Responsio D. Tho. & Caietani. Hanc responsionem declarantes Caietanus, Vasquez, & alij, faciunt hanc distinctionem, licèt sint valdè obscuri. Gratia habitualis potest comparari ad duo nimirum ad causam efficientem, & infundentē, quæ Deus est: & ad subiectum in quo recipitur, vt in passo. Si consideretur primo modo, gratia habitualis ordine naturæ præcedit motum liberi arbitrij, siue contritionem. Si verò secundo modo, gratia est posterior motu liberi arbitrij, siue contritione, quod declaratur sic. Infusio gratiæ habet duo officia, inquit Caietanus. Primum est, quod est inductiua. Secundum est, quod est expulsiua: secundùm primum officium facit duo. Primò inducit liberum arbitrium in dilectionem Dei. Secundò inducit iustitiam in anima; si licèt gratiam habitualem: iuxta secundùm officium etiam facit duo. Primum expellit peccatum per detestationem ipsius. Secundò expellit peccatum per inhærentiam iustitiæ; actus autem istorum officiorum non ordinatur inter se, ita quòd priùs vterque actus inductiui officij producatur: deinde vterque actus officij expulsiui; sed interscalariter ordinantur: ita quòd primo loco est primus actus officij inductiui. Secundo loco est actus primus officij expulsiui. Tertio loco est actus secundus officij inductiui. Quarto loco est actus secundus officij expulsiui: vndè gratiæ infusio primò mouet liberum arbitrium in Deum: secundò in detestationem peccati: tertiò infunditur iustitia: quartò est expulsio culpæ. (Licèt Caietanus ponat quinque actus, scilicet primò infusionem gratiæ: secundò motum liberi arbitrij in Deum: tertiò motum liberi arbitrij in peccatum: quartò consecutionem iustitiæ: quintò expulsionem culpæ; quæ tamen enumeratio est vana, quia non declarat, quid sit primus actus, scilicet infusio: illa enim nihil est distinctum à quatuor sequētibus.) Ex hoc patet, quòd gratia, vt infunditur actiuè à Deo, est medium ad introducendum motum liberi arbitrij, qui est contritio. Nam Deus per gratiam mouet liberum arbitrium in Deum, & in detestationem peccati, & simùl disponit subiectum ad recipiendum gratiam ipsam, & iustitiam, & in termino illius motus liberi arbitrij ponit gratiam in anima; ergo gratia, vt prouenit à Deo infundente actiuè, idest mouente liberum arbitrium, & producente contritionem, est prior ipsa contritione: vt autem ipsa gratia recipitur in anima disposita per contritionem est posterior ipso motu, & dispositione, siue se ipsa disponente animam ad suscipiendum gratiam, itaquòd summatim hæc est responsio. Summa dispositionis Si gratia habitualis consideretur in ordine ad agens, & infundens, qui est Deus, est prior contritione, & motu liberi arbitrij, quia hic motus, & contritio efficitur à Deo mediante gratia habituali. Si verò comparetur ad subiectū,

in quo

in quo recipitur, ſic eſt poſterior ipſa contritione, & motu, quia per illam ſubiectum diſponitur. Vndè ad argumentum conceditur, quòd diſpoſitio eſt prior forma, quæ inducitur in ſubiectum ratione receptionis, quomodo in naturalibus diſpoſitio præcedit formam: at ſi illa forma ſit quoque productiua diſpoſitionis, vt contingit in propoſito, nihil impediet quin ratione actionis forma eadem ſit prior diſpoſitione ipſa.

Reſponſio eadem eſt Vaſquez.

Hanc eandem reſponſionem adducit Vaſquez diſputatione illa 212. licèt multis verbis, & obſcurè: nā, inquit, ex parte efficientis Dei ſunt illi quatuor actus ſuprà aſſignati ex Caietano, quos reducit ad tres, ſcilicèt, productio gratiæ, motus liberi arbitrij, & inductio gratiæ. Ex parte paſſi etiam ſunt ijdem tres actus, ſed inuerſo ordine: nam primò eſt priuatio gratiæ: ſecundò motus liberi arbitrij: tertiò gratiæ receptio; vnde id, quod eſt primum in ordine efficientis, eſt vltimum in ordine paſſi. Cum ergo D. Thomas dicit gratiam eſſe priorem contritione, debet fieri comparatio inter gratiam, & contritionem in eodem ordine, vt in ordine efficientis, vel in ordine paſſi: non inter iſtos actus, vt ſunt in diuerſis ordinibus: & ideò dicit D. Thomas, quòd in ordine efficientis prior eſt gratia, deindè motus liberi arbitrij, deinde inductio gratiæ, & ſic in hoc ordine gratia præcedit contritionem. Si verò fiat comparatio in ordine paſſi, prior eſt expulſio peccati, ſecundò contritio, tertiò gratiæ receptio: & ſic gratiæ receptio eſt poſterior contritione, quæ omnia longo ſermone explicat, & probat, & ſic ad argumentum reſpondet, quòd contritio eſt prior gratia in ordine paſſi, & ratione receptionis: non autem ſequitur, quòd non ſit poſterior in ordine effectionis.

12 Hæc reſponſio quantùm ad id, quod ait D. Thomam aſſerere gratiam in genere agentis præcedere contritionem, coincidit cum reſponſione Caietani, & aliorum, vt patet, quò ad id verò, quod ait non poſſe fieri comparationem inter iſtos actus, quatenus ſunt in diuerſis ordinibus: quia ſic vnus non eſt prior altero, quia, verbi gratia, expulſio peccati, & inductio gratiæ eſt vnus motus, & actus, examinabitur capite ſequenti.

Rejcitur.

13 Hæc reſponſio confutatur à Recentioribus. Hęc autem inter alias mihi eſt ratio efficaciſſima. Supponit hæc reſponſio, quòd gratia habitualis, quò ad infuſionem, & effectionem à Deo in iuſtificatione, non pendeat à contritione tamquàm à diſpoſitione præuia; ſed è côuerſo, quòd ipſa contritio, & motus liberi arbitrij pendeat effectiuè à gratia habituali, ita quòd gratia habitualis ſit medium quo Deus efficit contritionem. Hoc autem eſt falſum; ergo. Antecedens patet ex dictis. Falſitas conſequentis probatur, quia Concilium Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 4. apertè ait, contritionem eſſe motum, qui ſemper fuit neceſſarius ad impetrandam veniam peccatorum: modo impetrare veniam peccatorum eſt eſſe diſpoſitionem ad inductionem, & effectionem gratiæ habitualis: quia qui impetrat ab aliquo aliquam gratiam, impetrat effectionem, & productionem illius gratiæ ab eo, apud quem impetrat: & ſic patet, quòd contritio eſt cauſa diſpoſitiua effectionis gratiæ: non è conuerſo, gratia habitualis, eſt cauſa effectiua contritionis. Hoc idem habetur ex Concilio Tridentino ſeſſ. 6. cap. 7.

Reſponſio Vaſquez reijcitur.

14 Sed reſpondet Vaſquez Concilium ibi non loqui de contritione, ſed de attritione, quæ eſt pœnitentia imperfecta, & nunquàm Concilium dixiſſe contritionem perfectam eſſe diſpoſitionem, aut quòd ipſa iuſtificationem impetret. Hæc reſponſio eſt omninò falſa: nam poſtquàm Concil. cap. 6. ſeſſ. 6. deſcripſit præparationis modum ad iuſtificationem, ſtatim in initio cap. 7. inquit. *Hanc diſpoſitionem, ſeu præparationem iuſtificatio ipſa conſequitur.* Tunc ſic arguo: at iuſtificatio non conſequitur attritionem, ſed contritionem; ergo per illam præparationem, & diſpoſitionem intelligit contritionem. ſeſſ. 14. cap. 4. habentur hæc verba. *Contritio, quæ primum locum inter dictos actus pœnitentis habet, animi dolor, ac deteſtatio, eſt de peccato commiſſo cum propoſito non peccandi de cætero. Fuit autem quouis tempore ad impetrādam veniam peccatorum hic contritionis motus neceſſarius*, &c. Debebat Vaſquez animaduertere illa verba, *ad impetrandam veniam peccatorum*, & tunc non dixiſſet Concilium nullibi dixiſſe contritionem perfectam nobis impetrare veniam.

Alia reſpōſio reijcit.

15 Adducit deindè Vaſquez reſponſionem communem, quòd etſi contritio ſit diſpoſitio ad gratiam, eſt diſpoſitio reſpectu receptionis in anima, non autem reſpectu effectionis, & infuſionis ipſius. Hæc reſponſio non facit ad propoſitum, quia Concilium loquitur de effectione iuſtitiæ, & gratiæ iuſtificantis, non de receptione, niſi ſecundariò: quia gratia non poteſt recipi, niſi efficiatur. Dicit autem Concilium contritionem fuiſſe ſemper neceſſariam ad impetrandam veniam peccatorum: at venia non impetratur per receptionem ſolam, neque principaliter, ſed per infuſionem, ſiue inductionem, & productionem gratiæ primariò, & ſecundariò per receptionem: quia venia, vt dictum eſt, per receptionem gratiæ ſolùm, vel primariò, haberi non poteſt; ſed per productionem, vt dictū eſt. Primariò ergo Concilium intendit, quòd contritio eſt cauſa gratiæ ex parte efficientis, & ſic eſt prior gratiæ effectione ordine naturæ.

2. Ratio.

16 Prætereà, quòd contritio ſit diſpoſitio gratiæ ratione effectionis in comparatione ad agens, probatur: quia quædam dona, & auxilia dat nobis Deus vt operemur: quædam verò dat quia operamur. Dona priori modo data dantur nobis abſque vlla diſpoſitione: at dona ſecundo modo dantur nobis propter diſpoſitionem ex parte noſtra: infuſio gratiæ habitualis eſt donum datum nobis ſecundi generis, ſcilicet, quia operamur; ergo datur propter aliquam diſpoſitionem in nobis præexiſtentem. Hęc eſt contritio; ergo contritio eſt diſpoſitio gratiæ habitualis ratione agentis, & inducentis. Secunda pars maioris patet, ſcilicet, quòd aliqua dona donantur nobis à Deo, quia operamur: pręſertim ex Concilio Tridentino ſeſſ. 6. cap. 6. & 7. vbi ponit auxilia, quibus conſequimur iuſtificationem, & dona, quæ deindè poſt iuſtificationem conſequimur. Quòd verò gratia habitualis ſit tale donum, quæ eſt minor, probatur: quia ideò Deus infundit nobis gratiam habitualem, quia operati ſumus, & deteſtati ſumus peccatum propter Deum; ergo eadem gratia habitualis, non poteſt eſſe ea gratia qua operati ſumus: quia Deus daret id per quod iam operati ſumus; & ſic daret id quòd priùs habebamus, quòd eſt repugnatia dicere.

3. Ratio.

17 Tertiò non poteſt negari gratiam habitualem infundi nobis propter contritionem, iuxta auctoritates Sacræ ſcripturæ adductas, vt Ezechielis 33. *Si impius egerit pœnitentiam à vijs ſuis peſſimis* &c. *ampliùs eius iniquitatē non recordabor*, & Actorum 3. *pœnitemini, & conuertimini, vt deleantur peccata veſtra.* & ſimilium. Tūc quæro, vel gratia habitualis infunditur, & ab agēte Deo cauſatur in nobis propter contritionem iam inexiſtentem nobis; vel propter contritionem induendam. Si primum, habeo intentum: quia prior eſt contritio, quàm infuſio gratiæ. Si ſecundum. Contrà; ergo finis infuſionis gratiæ habitualis eſſet cōtritio, & ſic gratia habitualis eſſet medium, & via, ac diſpoſitio ad habendum pœnitentiam; non autem pęnitentia eſſet via, & medium ad impetrandum gratiam habitualem, qua iuſtificamur, quod eſt omnino abſurdum, & contra modum loquendi Scripturæ, & Sanctorum, ac Conciliorum.

4. Ratio.

18 Quartò nullus actus meritorius procedit effectiuè à termino meriti, ſeu à forma, quam meretur: ſed ſic eſt, quòd gratia habitualis eſt terminus contritionis, tāquàm meriti de congruo; ergo gratia habitualis non pręcedit contritionem. Maior eſt euidens ex dictis 2. Sent. d. 4. vbi contra Magiſtrum Sententiarum oſtendimus meritum debere pręcedere præmium, nō è conuerſo. Et licèt ibi ſit ſermo de merito de condigno, contritio autem ſit meritum de congruo: tamen eſt eadem ratio de vtroque inquan-

quantùm est meritum, vt patet de se. Minor autem patet ex disputatione illa, An detur meritum de congruo, vbi ostendimus, quòd cum quis gratiæ præuenienti, quæ non est gratia habitualis, sed auxilium Dei, assentit, meretur de congruo iustificationem, & gratiam habitualem, qua gratia habituali habita posteà de condigno meretur beatitudinem, vt diximus in tertio in materia de merito Christi.

5. Ratio. 19 Quintò principaliter sic arguo. Nihil idem numero realiter potest esse priùs, & posterius natura eodem; sed sic est, quòd infusio gratiæ, vt est ab agente Deo, & vt recipitur in passo, est eadem res realiter, sicut via à Thebis ad Athenas, & ab Athenis ad Thebas est eadẽ realiter; ergo infusio gratiæ non potest esse prior natura contritione, & posterior eadem contritione.

6. Ratio. 20 Sextò, inquiunt Caietanus, & aduersarij, quòd gratia habitualis est medium, quo Deus mouet liberum arbitrium in dilectionem Dei, & detestationem peccati, qui motus est contritio; tunc sic. Nulla forma potest esse principium agendi nisi sit recepta in subiecto operante per illam: neque enim forma apta nata esse in materia abstractà materia per se existit vel operatur, vt patet de caliditate, & similibus; ergo gratia habitualis priùs recipitur in libero arbitrio, quàm liberum arbitrium per illam moueatur, ad dilectionem Dei, & detestationem peccati; ergo priùs recipitur in libero arbitrio quàm operetur, quod est contra eos, quia ponunt hunc ordinem, vt priùs moueat liberum arbitrium in Deum, & in peccatum, & postea recipiatur in anima.

7. Ratio. 21 Septimò, vel est dicendum, quòd gratia baptismalis amissa recuperatur sine aliqua dispositione præuia, vel cum aliqua dispositione. Non primum, quia tunc nulla esset ratio, quare Deus hunc iustificat, non alium. Deindè omnes Theologi dicunt, quòd pœnitentia est secunda tabula post naufragium; ergo pœnitentia est dispositio præuia ad gratiam efficiendam, & inducendam. Si secundum nulla est maior dispositio quàm pœnitentia, & contritio: quia, vt dictum est, hæc est secunda tabula post naufragium.

Respõsio. Soto. 22 Soto verò in 4. d. 15. q. 1. ar. 6. licèt sit obscurus, respondet per hanc distinctionem. Contritio potest duobus modis considerari. Vno modo vt procedit à libero arbitrio. Alio modo, vt procedit à gratia habituali. Primo modo, inquit, contritio est prior gratia; sed tunc contritio non est nisi dispositio quædam materialis, nec est perfecta contritio, licèt sit de offensa Dei. Secũdo modo est posterior gratia ipsa, & prior in genere causæ efficientis remissione peccati.

Reijcitur. 23 Contrà, hæc responsio primò supponit, quòd contritio, quæ præcedit, vt dispositio infusionem gratiæ habitualis, sit à solo libero arbitrio absque adiutorio auxilij diuini, quòd est falsum, quia licèt non sit à gratia habituali; tamen est ab auxilio gratiæ præuenientis, & hoc sufficit ad hoc, vt sit actus supernaturalis, & meritorius de congruo gratiæ habitualis, vt patet ex Concilio Tridentino sess. 6. cap. 6. de exordio iustificationis, & nos in disputatione de merito de congruo diximus. Deindè falsum est, quòd contritio perfecta, vt exposuimus, possit esse à gratia habituali; quoniam nulla forma producit effectum, quẽ iam inuenit factum, cum ipsa fit; sed contritio iam est facta, cum gratia producitur: quia gratia datur propter pœnitentiam. Rationes etiam factæ nunc suprà contra præcedentem responsionem valent etiam hic. Præterea D. Thom. videtur sentire, quòd actus contritionis non procedat actiuè à gratia habituali 1. 2. q. 109. art. 6. nam ibi apertè ait, quòd duplex est præparatio hominis: altera qua præparatur ad fruendum Deo: alia qua præparatur ad consequendum ipsum donum gratiæ habitualis. Ad primum requiritur gratia habitualis, à qua opus est meritorium. Ad secundam requiritur solùm auxilium gratiæ, non autem gratia habitualis, quia sic daretur processus in infinitum in gratijs habitualibus.

24 Tãdem alij concedunt contritionem esse priorem gratia habituali propter rationes dictas; tamen dicunt ipsam esse posteriorem habitibus voluntatis, à quibus aiunt contritionem actiuè produci: & hæc opinio tribuitur Cano, sed facilè reijcitur: quia est eadem ratio de gratia habituali, & de aliorum virtutum habitibus: quia illi sequũtur gratiam, & commensuratè ad illam infunduntur. Vndè Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 7. ait ad prædictã dispositionem, quæ est contritio, sequi iustificationem per infusionem gratiæ, & donorum; quæ dona sunt habitus virtutum infusarum, quæ à gratia non separantur. De habitibus enim fidei, & spei non est sermo: quia sicut illi sinè charitate esse possunt, ita possunt produci priùs illa, de qua re suo loco. Aliorũ responsio.

Medina p. 2. q. 113. a. 8. concedit posse intelligi per gratiam, non gratiam habitualem, sed gratuitam Dei voluntatem, & sic coincidit nobiscum in hoc: secundò sustinet D. Tho. posse intelligi de gratia habituali: tamen facit deinde multa argumenta contra hanc sententiam, quorum aliqua etsi soluantur ab eo, habent aliqualem efficaciam, quæ breuitatis causa omitto. Responsio Medinæ.

25 Vera ergo est opinio Scoti, & multorum aliorum Theologorum, quos infrà citabo, qui asserunt contritionẽ esse priorẽ ordine naturæ infusione, & productione gratiæ habitualis: intelligitur autem hoc de contritione informi: cum autem producitur gratia in anima, contritio dicitur formari, & sic contritio fit formata per concomitantiam gratiæ habitualis; vt verò est formata, est posterior natura deletione peccati. Cum autem dicimus, quòd contritio informis est dispositio ad gratiam habitualem efficiendam, nõ intelligimus, quòd sit dispositio phisica, quæ aliquo modo verè, & realiter attingat causalitatem gratiæ habitualis, quia gratia creatur immediatè à Deo: quod autem creatur nõ potest habere aliquam dispositionem præuiam disponentem materiam, & subiectum, ex quo educatur: quia cum creetur non educitur ex aliqua materia. Et sic non eget dispositione, vt diximus in 2. Sent. in materia, An creatura possit creare. Est ergo contritio dispositio moralis, siuè ex institutione diuina, qui ordinauit, & statuit, vt habemus ex Scriptura, quòd cum quis aget pœnitentiam perfectam, ipse creabit in anima eius gratiam iustificantem, & inhærentem sibi. Vbi etiam notandum est quòd etsi contritio sit dispositio mediante qua passiuè subiectum, scilicet anima disponitur ad recipiendum gratiã habitualẽ; tamen magis propriè dicitur dispositio ad producendum actiuè gratiam, eo modo quo meritum est dispositio ad consequendum gloriam, quæ tamẽ à solo Deo producitur, & in homine recipitur, & eo modo quo sacramenta dicuntur causæ gratiæ, vt diximus in 4. disputatione de causalitate gratiæ in sacramentis. Diximus etiam contritionem præcedere gratiam habitualem ordine naturæ, non autem ordine durationis, & temporis: quia iustificatio fit in instanti, vt cap. sequenti contra Gregorium dicemus, & licèt Scotus in hac q. 2. art. 2. aliquando dicat motum contritionis præcedere tempore infusionem gratiæ, & gratiam in vltimo instanti illius temporis infundi: non vult tamen dicere quòd contritio informis perfecta in genere moris per aliquod tempus debeat præcedere infusionẽ gratiæ: quia, vt vidimus suprà, hanc opin. reijcit, & sustinet probabiliorẽ esse illam viam, quæ dicit in eodẽ instãti, in quo contritio in genere moris, est perfecta, gratiã infundi; sed vult dicere, quod contritio præcedit tempore infusionem gratiæ: quia motus ille contritionis, si consideretur in fieri, requirit multam præparationem, vt cogitationem de peccato cum illis circunstantijs, & tandem voluntas peccatum simùl sub omnibus illis conditionibus detestatur. Vndè licèt actus voluntatis, qui est detestatio, fiat in instanti: tamen illa præparatio fit in tempore: in termino autem illius præparationis, siue in vltimo instanti illius præparationis, voluntas elicit actum detestationis: & in illo eodem instanti Deus infundit gratiam, & peccatum expellitur ab anima: ideò iurè dicit motum contritionis tempore præcedere infusionem gratiæ; sed in vltimo Opin. Scoti.

mo instanti illius temporis infundi gratiam: in illo verò vltimo instanti temporis sunt tria instantia, siue signa naturæ. In primo est actus contritionis perfectus in genere moris, qui est contritio informis. In secundo signo naturæ infunditur gratia habitualis, in quo gratia concomitatur contritionem ipsam in genere moris, & ipsam format, & peccatum expellit. In tertio signo naturæ ipsa contritio est formata, & sequitur expulsionem peccati. Hæc opinio est quoque D. Bonauenturæ in 4. d. 16. art. 3. q. 1. Alensis 4. p. q. 17. m. 1. ar. 2.

D. Bonau. Alensis.

Ad primã rationé aduersariorũ.

26 Ad primam rationem aduersariorum negatur minor. Ad probationem respondetur, priorem illum actum positum à Caietano, quem dicit esse infusionem gratiæ, posse habere duplicem sensum. Primus, quòd per infusionem gratiæ intelligat infusionem gratiæ habitualis, & in hoc sensu est falsa, vt dictum est, quia productio, & infusio gratiæ habitualis est post illum duplicem actum, & motum liberi arbitrij in Deum, & in peccatum, vel intelligit per illam infusionem, impulsum ipsum diuini auxilij, & gratiæ præuenientis, quæ non est gratia habitualis, & sic concedo. Et tunc nihil habet contra nos: quia diximus esse priùs motionem liberi arbitrij à Deo, à quo est contritio: deindè est productio gratiæ habitualis tamquàm effectus contritionis, vt dictum est.

Ad secundam.

27 Ad secundam, negatur quoque minor, quia forma qua mouetur liberum arbitrium ad eliciendum actus contritionis, non est gratia habitualis, sed auxilium gratiæ præuenientis, & adiuuantis. Ad probationem respondetur, quòd actus ille est supernaturalis, non quia sit à gratia habituali; sed quia est ab auxilio gratiæ.

Ad tertiã.

28 Ad tertiam, respondetur ad maiorem, quòd aliud est loqui de ordine formæ corrumpendæ, & generandæ in intentione agentis, & aliud in re extra, & in executione. Maior est vera ordine intentionis; sed est falsa ordine executionis: quia, quod est primum in intentione, est vltimum in executione, vt videbimus infrà explicando opinionem Scoti circa ordinem infusionis gratiæ, & expulsionis peccati: in proposito autem loquimur de ordine in executione, non in intentione: deindè argumẽtum si concluderet, concluderet, quòd priùs infunditur gratia, quàm fiat expulsio peccati: at de hoc non loquimur modò, sed infrà loquemur: non concludit autem, quòd prior sit infusio gratiæ habitualis, quàm motus liberi arbitrij in Deũ: quia diximus hunc motum fieri per auxilium gratiæ Dei, non per gratiam habitualem.

Ad quartã.

29 Ad quartam, respondetur ad minorem, quòd duplex est gratia: alia habitualis, & alia sumpta pro auxilio gratiæ. Deus operatur contritionem in homine per auxilium gratiæ, non per gratiam habitualem, & sic conceditur auxilium gratiæ præcedere contritionem, & motũ liberi arbitrij: negatur aũt gratiam habitualem præcedere.

Ad quintã, & sextam.

30 Ad quintam, & sextam ex Concilio Arausicano patet per eandem distinctionem: nam gratia potest accipi pro auxilio gratiæ, & pro gratia habituali, & vtraque gratia est donum Dei: differenter tamen datur à Deo, quia auxilium gratiæ præuenientis datur nobis absquè vllo merito nec condigno, nec cõgruo: gratia verò habitualis datur ex merito de congruo, quia Deus non iustificat nos, quòd fit per infusionem gratiæ habitualis, sinè nobis, idest sinè motu liberi arbitrij, qui est contritio. Cum ergo priori loco dicit Concilium, *sed gratia, quæ non debetur præcedit, vt fiant*, non intelligit de gratia habituali, sed de auxilio gratiæ: & similiter secundo loco cum dicit, *Dei donum esse diligere Deum, quia ipse dedit nobis, vt eum diligeremus*, intelligit de auxilio gratiæ, licèt etiam illa locutio sit vera de gratia habituali, quia illam quoque Deus dat, vt illum diligamus, immò, vt magis, & perfectius diligamus, scilicet meritoriè de condigno ad vitam æternam consequendam: & de hac dilectione intelliguntur illa alia verba, *qui charitatem diffundit in cordibus nostris*. Nã charitatem habitualem non diffundit nisi priùs cum ex auxilio gratiæ dilexerimus.

31 Ad septimam, respondetur D. Augustinum ibi posse intelligi, & de auxilio gratiæ, & de gratia habituali. Nam Deus vtramque infundit vt illum diligamus, sed tamen diuerso modo, quia auxilium gratiæ infunditur, vt adiutorium ad eliciendum actum contritionis; sed gratia habitualis præcipuè datur, vt opus sit meritorium de condigno vitæ æternæ. Ad septimam.

32 Ad octauam, duplex est dispositio: alia phisica, & operans realiter ad productionem termini agentis principalis: altera est dispositio moralis, nullo modo operans ad terminum agentis principalis phisicè; sed solùm ex pacto, & decreto agentis, vt sunt sacramenta respectu gratiæ sacramentalis: & hoc modo contritio est dispositio ad gratiam creandam. Argumentum autem currit de dispositione phisica. Ad octauã.

33 Ad nonam, ex Soto respondetur, contritionem esse meritum de congruo, vt sæpiùs suprà dictum est. Falsum est autem non dari meritum de congruo, vt abundè probauimus in disputatione 16. An meritum de congruo detur: meritum enim de condigno requiritur ad merendum gloriam, non autem ad merendum gratiam habitualem, qua iustificamur, & euadimus filij Dei, vt ibidem dictum est. Ad nonã.

An infusio gratiæ, & expulsio culpæ sit vna mutatio, vel duæ. Caput Secundum.

34 Declarauimus, quomodo cõtritio præcedat infusionem, siue productionem gratiæ habitualis in anima: nunc est videndum quomodo se habeat infusio gratiæ ad expulsionem peccati. Pro declaratione huius rei tria agenda sunt. Primò videndum est, an infusio gratiæ, & expulsio culpæ sit vna mutatio, vel duæ, Secundò si sint duæ, quomodo ordinentur ad inuicẽ. Tertiò, an istæ mutationes fiant in instãti, quod supposuimus aliquo modo capite præcedenti.

35 Caietanus p. 2. q. 113. art. 6. tenet, quòd infusio gratiæ, & expulsio culpæ sint vna mutatio secundùm substantiam, distinguantur verò secundùm rationem: ratio eius est, quia sustinet, quòd culpa sit priuatio gratiæ, & consequenter, quòd expulsio culpæ non sit propriè corruptio: quia corruptio est ab esse ad non esse, siue à positiua forma ad non esse formæ, vt patet in corruptione naturali substantiæ: ideò licèt in naturalibus generatio vnius subiecti, & corruptio opposita, sint duæ mutationes, quia ibi sunt quatuor termini: tamen infusio gratiæ, & expulsio culpæ non sunt duæ mutationes, quia expulsio culpæ non habet pro termino à quo aliquod positiuum, sed priuationem gratiæ. Potest confirmari, quia Arist. 3. phisicorum tex. 20. & indè asserit motum esse vnum substantia, duo verò ratione: sicut via à Thebis ad Athenas, & ab Athenis ad Thebas; ergo infusio gratiæ, & corruptio culpæ est vnus motus secundũ substantiam diuersus ratione. Opinio 1. quæ est Caietani.

36 Hæc opinio est falsa, & contra ipsam multæ rationes fieri possent, vt patebit ex dicendis aduersus illã: pro nunc sufficiant rationes Scoti. Rationes enim, quas facit Scotus pro sua opinione, militant contra hanc opinionẽ, quam sustinet Caietanus, vndè nititur illas soluere, vt videbimus. Reijcitur.

37 Scotus ergo in 4. dist. 16. quæst. 2. disputat exactè de quæstione proposita, & sustinet, quòd infusio gratiæ, & remissio peccati non sint omninò, & simpliciter vna mutatio, sed neque etiã sint simpliciter duæ mutationes reales; sed quòd sint duæ mutationes, vna realis, altera rationis, quod quomodo intelligatur postea videbimus. Primo loco itaque hanc conclusionem ponit. Infusio gratiæ, & remissio culpæ siue expulsio culpæ non est simpliciter vna mutatio. Hanc conclusionem, quæ est contra Caietanum, probat quatuor rationibus. Prima idem simpliciter non potest plurificari, & non plurificari simùl, accipiendo vniformiter plurificari, & non plurificari, scilicet si realiter realiter, si ratione ratione; sed sic est, quòd infusio Opin. Scoti. 1. Conclusio Scoti. 1. Ratio.

fio

sio gratię potest esse vna, & remissiones culparum possunt esse plures; ergo infusio gratiæ, & remissio culpæ non est vnica mutatio simpliciter. Maior patet, quia quòd idem multiplicetur, & non multiplicetur, est oppositum primi principij, quia idem, vt est idem, esset vnum, & nō vnum, quod implicat contradictionem. Minor probatur, quia cum aliquis committit multa peccata per infusionem vnius gratiæ, omnia illa remittuntur: at vnaquæque illarum culparum habet propriam remissionem, & expulsionem; ergo potest esse vna infusio gratiæ, & plures remissiones culparum. Assumptum probatur, quia quælibet illarum culparum posset remitti sinè remissione aliarum culparum, si tantùm illam vnam culpam commisisset, & non aliam; ergo remissio vnius culpæ non est idem, quod remissio alterius culpæ. Consequentia probatur, quia vna remissio sinè alia, non posset habere esse; sed esset, & non esset simùl: dū enim remittitur vna culpa, esset: dum alia non remittitur, non esset: vnaquæque ergo culpa habet propriam remissionem.

2. Ratio. 38 Secundò. Idem non separatur ab eodem accipiendo vniformiter identitatem, & separationem. Putà si realiter realiter, si ratione ratione, sed remissio culpę, & infusio gratiæ possunt separari ab inuicem; ergo infusio gratiæ, & remissio culpæ non sunt idem simpliciter, & omninò. Maior patet, quia quòd idem vt est idem simul sit, & non sit, includit oppositum primi principij, siue contradictionem. Minor probatur, & primò quòd infusio gratiæ possit esse sine remissione culpæ, quia in statu innocentiæ in genere humano potuit infundi gratia, & tamen ibi nulla fuisset remissio culpæ, quia nullum adfuisset peccatum sicut de facto factum est in Angelis bonis, quibus Deus infudit gratiam absque vlla remissione culpę, quia Angeli boni non peccauerunt. Quòd verò remissio culpæ possit esse sinè infusione gratiæ, patet: quia Deus de potentia sua absoluta posset dimittere culpam absque infusione gratię, vt in propria disputatione suprà diximus hoc 4. d. 1. in materia de circuncisione cum Scoto contra Thomistas, & alios.

Responsio Caieta. ad duas rationes factas. 39 Ad has duas rationes respondet Caietanus ex hoc fundamento, quòd identitas rerum nō est semper eodem modo: quędam enim sunt ita idem, quòd vnum potest esse, & absolui ab altero: alterum verò non sinè illo. Exemplum, animal potest esse sinè homine, at homo non potest esse sinè animali, & cū illo est idem; & illuminari potest absolui ab exitu à tenebra, exire tamen à tenebris non potest absolui ab illuminari. Ita consecutio gratiæ potest absolui ab exitu à culpa; sed exitus à culpa non potest absolui à consecutione gratiæ: quia exire à culpa est exire à priuatione gratiæ: non potest autem exiri à priuatione habitus, nisi per inductionem habitus.

Ad primū argumentum. 40 Hinc ad primum argumentum respondet primò, quòd remissio culpæ non multiplicatur ad remissionem multorum peccatorum secundùm per se terminum: quia omnia peccata conueniunt in auersione: multiplicantur verò per accidens, quod non inconuenit. Secundò respondet, quòd idem, inquantùm idem, non potest multiplicari, & non multiplicari secundùm idem; tamen secundùm diuersa potest multiplicari. In proposito remissio culpæ secundùm substantiam non multiplicatur, sed secundùm rationem: quia infusio gratiæ se tenet ex parte termini ad quem: expulsio, ex parte termini à quo.

Ad secundum. 41 Ad secundum respondet ex primo fundamento, quòd, quæ sunt idem realiter conuertibiliter, non possunt separari ab inuicem, sed quæ sunt idem realiter non conuertibiliter: vnum potest esse sinè alio, vt animal sinè homine, & ita infusio gratiæ potest esse sine expulsione gratiæ: at expulsio gratiæ nō potest esse sine infusione gratię.

Reijcitur respōsio ad secūdum. 42 Contrà. Fundamentum illud commune, quòd vnū possit absolui ab altero, & tamen esse ille idem, est oppositum primi principij: quia esset vnum, & non vnum realiter, quod implicat contradictionem. Consequentia est euidens in exemplo eius. Nam si animal, & homo sunt idem, sunt etiam vnum: si verò animal potest esse sinè homine; animal, & homo sunt nō vnum, sed duo. Ideò cum dicit animal esse posse sinè homine, falsum est in re: quia animal est vniuersale, quòd destructis homine, & alijs speciebus animalium non potest habere esse; tamen per abstractionem intellectus potest esse sinè homine: loquimur autem nūc ex parte rei. Aliud exemplum autem de exitu à tenebris probat à priuatione ad habitum esse vnum motum, & supponit peccatum, & gratiam opponi priuatiuè: hoc autem est falsum, vt in prima disputatione dictū est, & per hoc habes impugnationem responsionis ad secundum: quia non datur aliquod vnū numero realiter, quod non sit idem conuertibiliter: illa enim distinctio est fictio quædam.

43 Contra primam responsionem ad primum, patet ex probatione minoris: nam multiplicitas numeralis in peccatis non facit differentiam, & multitudinem peccati per accidens tantùm: quia vnumquodque peccatum est per se peccatum mortale; ergo remissiones quoque multiplicantur numero. Cōfirmatur, quia quodlibet peccatum habet suam deformitatem, & pœnam: & habens plura peccata, est magis peccator per se non per accidens habēte pauciora peccata; ergo illa est multitudo numeralis per se non per accidens. Secunda responsio quoque est falsa, quia distinctio rationis non facit, quòd vnum possit esse idem, & vnum numero realiter, & non idem, vt probatio minoris habet; stante autem opinione Caietani esset vnū, & non vnum peccatum realiter. Reijcitur respōsio ad primum.

44 Ad argumentum primū Caietani patet, quòd procedit ex falso fundamento, scilicet, quòd gratia, & peccatū opponantur formaliter, & priuatiuè. Ad secundum respōdetur, quòd motus pro re mota est vnus, secundùm substantiam: pro formali sunt duo, scilicet relatio agentis ad passum, & relatio passi ad agens; quarum prima dicitur actio, secūda passio. Aliud est autem loqui de motu actionis, & passionis, & aliud loqui de generatione, & corruptione: in motu enim permanet idem subiectum sub vtroque termino, sed in generatione, & corruptione termini sunt diuersi secundùm substātiam: quia vnum corrumpitur, & aliud generatur: ideò non sequitur, quòd si in motu permanet idem subiectum secundùm substantiam, & diuersificetur secundùm rationem, etiam hoc fiat in motibus generationis, & corruptionis: ideò non est ad propositum. Rationes etiam sequentes idem probant.

45 Tertiò. Illa est vnica mutatio simpliciter, quæ est inter terminum à quo, & inter terminum ad quē, qui formaliter, & repugnanter sint oppositi; sed sic est, quòd gratia, & culpa non sunt termini formaliter, & repugnanter oppositi; ergo infusio gratiæ, & remissio culpæ non sunt vnica mutatio. Maior patet ex 5. Physicorum à tex. 30. & inde. Nam motus ab albedine ad ægritudinem, & motus à sanitate ad albedinem, non sunt vnus motus numero: quia terminus à quo, & terminus ad quem non opponuntur, nec repugnant adinuicem: motus verò ab ægritudine ad sanitatem est vnus numero, cum subiectum, & tempus est idem. De ratione enim omnis motus est, vt sit à termino à quo ad terminum ad quem, quos quidem terminos necesse est esse oppositos, alioquin non posset subiectum mobile ab vno termino transire ad alium. Minor probata est in disputatione prima, cap. Vtrum peccatum sit corruptiuum gratię, vbi hanc rationem Scoti, & alias examinauimus. 3. Ratio.

46 Quartò. Mutatio, quæ est vna, est à priuatione propriæ formæ positiuæ ad eamdem formam positiuam: at culpa, quæ est terminus à quo iustificationis, non est priuatio propria gratiæ; ergo iustificatio, quæ est infusio gratiæ, & culpæ remissio, non est vnica mutatio. Maior est euidens ex eodē quinto, vbi loquitur de oppositione motus, & quietis, & per se patet. Minor probatur, quia vnica gratia, non habet nisi vnicam priuationem, sicut ipsa est vna: at possunt esse multæ culpæ, quæ remittuntur per infusionem gratiæ vnius, vt dictum est in prima ratione; ergo in- 4. Ratio.

go infusio gratiæ, non est à priuatione gratiæ, si quidem illa vna est, ad positionem gratiæ, sed est à diuersis priuationibus, & culpis: ideò non est vnica mutatio.

47 Quòd si quis obijciat cõtra maiorem, quòd aliqua mutatio habet vtrumque terminum positiuum. Respondetur, quòd etsi illud verum sit de aliqua mutatione; tamẽ nõ est verum de hac mutatione, quæ est à peccato ad gratiam: nam in ista terminus à quo est priuatio: ideò in ipsa terminus à quo est priuatio termini proprij ad quem, quicunque ille sit; de quo posteà. Istæ rationes non probant has duas mutationes esse duas mutationes reales, vt patebit in responsione ad vltimum principale; sed probant, quòd non sunt vna mutatio simpliciter, vt ibi dicitur, & ex his patet.

1. Opinio. 48 Alij dicunt infusionem gratiæ, & expulsionem culpæ esse duas mutationes reales, vt sunt generatio, & corruptio substantialis naturalis; pro qua sunt argumenta principalia Scoti, quæ infrà adducam, & hæc opinio videtur esse Vasquez p. 2. d. 204. cap. 3. ratione quarta.

Reijcitur. 2. Conclusio Scoti. 49 Contra hanc opinionem est secunda conclusio Scoti, quæ est hæc. Infusio gratiæ, & remissio culpæ non sunt duæ mutationes reales; sed infusio gratiæ sola est realis: remissio verò culpæ est mutatio rationis. Hęc conclusio quò ad infusionem gratiæ patet: quia infusio gratiæ habet pro termino ad quem gratiam, quæ est terminus realis; mutatio autem terminata ad terminum realem est realis; difficultas est in probatione secundæ partis conclusionis, scilicet, quòd remissio culpæ non sit mutatio realis.

An remissio culpæ sit mutatio realis.

Opin. Scoti. 50 Hanc partem tamen probat, & declarat Scotus, pro cuius intelligentia inquit, quòd si peccatum esset corruptio alicuius entitatis positiuæ, vt alicuius gradus naturæ, vel habitualis gratiæ, vel alicuius alterius positiui: tunc posset dici, quòd remissio culpæ esset mutatio realis, quia tunc expulsio culpæ esset restitutio illius positiui, quod priuabat culpa, & sic remissio peccati esset verbi gratia mutatio à priuatione gratię ad restitutionem, & positionem ipsius gratiæ, vel illius positiui, quod erat per culpam corruptum; sed hoc est improbatum suprà disp. 1. & à Scoto in secundo d. 35. si etiam poneretur, quòd post actum peccati remaneret in peccatore aliqua macula realis, remissio culpæ, tunc posset poni mutatio realis, licèt non positiua: quia esset mutatio ab illa macula ad carentiam illius, quæ esset terminus realis, licèt non positiuus. Sed hæc positio est impugnata suprà d. 14. q. 1. disput. 10. vbi probatum est quòd macula, & reatus, qui manet in peccatore post actũ peccati, nihil aliud est, nisi relatio rationis, scilicet obligationis illius peccatoris ad pœnam æternam.

Quod remissio culpæ sit mutatio rõnis. 51 Ex hac ergo doctrina habita d. 14. q. 1. de reatu ꝓbat Scotus, quòd remissio culpæ est mutatio rationis sic. Illa est mutatio rationis, quæ pro termino à quo, & pro termino ad quem habet ens rationis: remissio peccati est huiusmodi; ergo. Maior patet, quia mutatio realis est, quæ habet pro termino à quo, & pro termino ad quem aliquid positiuum, vel priuationem realem, vt generatio substantialis, quæ est ad ens positiuum: & corruptio substantialis, quæ est ad priuationem realem entis, scilicet ad non ens. Minor probatur. Ordinare aliquem ad pœnam æternam non ponit in subiecto ordinato ad illam pœnã, nisi relationem rationis ad Deum ordinantem illum ad talem pœnam, quæ relatio rationis est ipsamet ordinatio; ergo mutatio ab ordinatione, & obligatione ad pœnam æternam ad non ordinationem, & non obligationem ad pœnam æternam, est mutatio à relatione rationis ad carentiam relationis eiusdem; & consequenter est mutatio rationis non realis, subsumo; sed sic est, quòd mutatio ab ista relatione rationis, scilicet ordinationis ad pœnam æternam ad carentiam illius relationis est remissio culpæ; ergo remissio culpæ est mutatio rationis non realis. Antecedens primum declaratur: quia sicut volitum à me, per hoc quòd est volitum à me, nullam habet formam realẽ nouam absolutam, vel relatiuam, sed tantùm relationem rationis correspondentẽ reali volitioni in me: ita per hoc, quòd aliquis est volitus, vel ordinatus ad pœnam æternã à voluntate diuina, postquàm commisit culpam, non remanet in eo aliqua forma absoluta, vel relatiua realis; sed solùm relatio rationis fundata in peccatore, & terminata ad diuinam voluntatem, & diuinum intellectum. Consequentia, & reliqua assumpta patent. Et sic habemus, quòd infusio gratiæ est mutatio realis, quia est à priuatione gratiæ ad collationem gratiæ: & remissio culpæ, est mutatio rationis, quia est à relatione rationis, ad carentiam relationis rationis, quæ est obligatio peccatoris ad pœnam æternam. Hæc est resolutio difficultatis quò ad hoc.

52 Ceterum, vt magis hæc solutio declaretur, Scotus contra solutionem assignatam adducit tres rationes. Prima est. Non est transitus à contradictorio ad cõtradictorium sinè aliqua mutatione reali; sed sic est, quòd quando remittitur culpa alicui, fit transitus à cõtradictorio, ad cõtradictorum; ergo necesse est, quòd in remissione culpæ fiat aliqua mutatio, & mutatio realis. Maior est euidens: quia si nulla esset mutatio, nõ esset ratio, quare magis nũc vna pars contradictionis est vera, quàm alia; & alia priùs erat vera quàm nunc: necessariò ergo est aliqua mutatio. Et quòd hæc relatio sit realis, probatur: quia mutatio rationis necessariò reducitur ad aliquam mutationem realem. Exempli gratia. Quod hic iam ordinatus ad pœnam non sit nunc ordinatus ad pœnam, reducitur ad mutationem actus voluntatis ordinantis, quæ mutatio est realis. Minor probatur: quia antequàm peccatori dimittatur culpa, ipse est ordinatus ad pœnam, & dignus pęna: quando ei remittitur, non est ordinatus ad pęnam, nec dignus pęna; ergo in hac expulsione peccati fit transitus à contradictorio ad contradictorium. Prima rõ Scoti cõtra sententiã allatã vt magis declaretur.

53 Confirmatur. Ante remissionem culpæ intellectus diuinus scit ipsum esse puniendum; ergo illud scitum est verum. Post remissionem culpæ scit intellectus diuinus illum non esse puniendum; ergo illud scitum est verum; ergo est transitus à contradictorio, ad contradictorium, & per consequens est mutatio realis. 2. Ratio.

54 Tertiò. In remissione peccati est mutatio, vt patet: at non est in voluntate diuina, neque in actu eius: quia in Deo non cadit mutatio; ergo erit in isto, cui culpa dimittitur; ergo in illo, cui culpa remittitur, erit aliqua mutatio propria, quæ est mutatio realis: mutatio enim rationis nõ videtur esse propriè mutatio. 3. Ratio.

55 Pro solutione istarum obiectionum notat aliqua, quæ fusiùs declarauit in primo d. 39 de modo, quo voluntas humana, & diuina se habent circa volitiones contradictorias respectu eiusdem obiecti: ex diuersitate enim modi volendi voluntatis creatæ, & diuinæ circa ista contradictoria, declarat, quid sit dicendum de voluntate diuina, & quomodo ad obiectiones factas sit respondendum. Ait ergo, quòd voluntas creata non potest quidem velle simùl affirmationem, & negationem eidem subiecto pro simùl, idest vnico actu nõ potest velle, quòd, exempli gratia, Sortes pro eodem nunc sit albus, & nõ albus: quia hoc implicat contradictionem; tamen potest non simùl velle illa eidem pro simul, idest, tamen diuersis actibus potest velle, vt illi subiecto pro eodẽ nũc insint illa cõtradictoria esse album, & non esse album: non tamen simul: quia in illo nunc, quo voluntas vult Sortem esse album, potest velle non esse album: quia cum voluntas sit libera in eo instanti, quo vult vnum contradictorium, potest velle oppositum, licèt non possit velle illa eidem inesse simùl, vt declarauimus in 1. dist. 39. & ideò dicit, quòd potest non simùl velle eidem cõtradictoria prò simùl; vbi illud, pro simùl, non significat, quòd simùl contradictoria velit, quia hoc repugnat etiam illud negauit; sed significat, nunc temporis, & est sensus, quòd in eodem nunc, quo vult vnum cõtradictorium, posset, si vellet, velle alterum contradictoriũ, quod est illud, quod solet dici, Potest velle cõtradictoria alicui, simul, seu pro codẽ nunc, nõ in sensu composito, sed in sensu diuiso. Et sic patet quomodo pro simùl potest eidem subiecto velle contradictoria. Potest etiam velle Notabilia quædã pro solutione rationum.

illa

illa contradictoria eidem subiecto, nō simùl, sed pro diuersis nunc, hoc autem est de se clarum. Subiungit deindè, quòd voluntas creata potest velle ista contradictoria subiecto alicui absque eo, quòd illud subiectum per huiusmodi volitiones mutetur, quod pariter patet esse verum. Nam voluntas creata potest velle Sortem nunc esse album, & cras non esse album, & tamen nulla mutatio fit in Sorte propter has voluntatis creatæ volitiones contradictorias. Vbi est notandum hoc esse verum in volūtate creata tantùm, quia ipsa non est omnipotens: ideò per volitionem suam circa aliquod subiectum nihil reale ponit in illo: at hoc non est verum semper de voluntate diuina: quia cum illa sit omnipotens, cum vult aliquid circa aliquod subiectum: si illud volibile sit creabile, vel producibile, idest non sit ens rationis, & illud velit voluntate absoluta, illud ponitur in esse, & sic illud subiectum per simplicem volitionem Dei mutatur: verùm cum voluntas diuina vult aliquod etiam creabile circa aliquod subiectum voluntate conditionata, illud non ponitur in esse, nisi adimpleta conditione, vt verbi gratia vult Petrum beatificare, si pœniteat: beatitudo non ponitur in esse, donec Petrus pœniteat, & sic Petrus nō mutatur, nisi postquàm pœnituit: voluntas autem diuina per adimpletionē conditionis non mutatur, licèt ante adimpletionem conditionis, non vellet absolutè beatitudinē Petro, & post adimpletionem conditionis velit beatitudinem Petro, sed est idem actus sub diuersis conditionibus in ordine ad subiectum illud.

56 Ex his ascendendo ad voluntatem diuinam, inquit Scotus, habemus quęnam sit differentia inter voluntatem diuinam, & creatam: est enim hæc. Nam quidquid voluntas creata potest velle alicui pro eodem nunc, vel pro alio, & alio nunc, & hoc siue vno actu, siue diuersis, voluntas diuina potest vnico actu velle eidem pro eodem nunc: & hic actus est vnicus actus, & vnica volitio realiter; sed diuersa, & plura secundùm rationem, scilicet quatenus fundat diuersas relationes rationis ad diuersa nunc, & ad diuersa volita: & sic eodem actu voluntatis diuinę, diuerso verò secundùm rationem potest velle eidem contradictoria non simùl, sed pro eodem nunc, & pro diuersis nunc absque mutatione diuinæ voluntatis, & actus eiusdem diuinæ voluntatis, & obiecti eiusdem diuinæ voluntatis: (quia non potest mutari obiectum, quin etiam muteur actus diuinę voluntatis) sufficiunt enim diuersi respectus rationis in eodem obiecto. Potest etiam velle contradictoria, & omnia illa quæ potest voluntas creata velle eidem subiecto eodem actu absque mutatione subiecti; dummodo illa volita non sint volita voluntate absoluta, & ipsa sint realiter causabilia: quia tunc subiectum per illa realiter mutaretur: sed si illa volibilia sint entia rationis, non mutabitur subiectum realiter, sed solùm secundùm rationem. Si etiam illa volibilia sint entia realia realiter causabilia, sed tamen Deus illa non velit, nisi voluntate conditionata, illud subiectum non mutabitur, nisi adimpleta conditione.

Ad primū argumentum.

57 Ex his ad primum argumentum videtur posse assignari duplex responsio. Prima esse potest ad minorem, quòd in remissione culpæ est mutatio rationis, scilicet ab obligatione ad pœnam ęternam ad non obligationem ad pœnam æternam, quæ sunt entia rationis: & hæc mutatio relationis rationis in subiecto sufficit ad verificandum contradictoria; non est autem mutatio realis in voluntate diuina, quia in nullo ente reali fit mutatio.

Reijcitur.

58 Verùm Scotus hanc responsionem non admittit, quia sola nouitas, & mutatio entis rationis non sufficit ad saluandum transitum à contradictorio ad contradictorium: cum ergo fit transitus à contradictorio ad contradictorium, necesse est, quòd præter nouitatem entis rationis sit aliqua nouitas, & mutatio in ente reali. Probatur, quia nullum ens rationis est nouum nisi per nouum actum voluntatis, vel intellectus; vbi ergo est nouum, & nouum ens rationis est mutatio realis, non inter illa quæ sunt entia rationis: sed inter actum, & non actum voluntatis, & intellectus, quæ sunt entia realia. Si ergo in remissione peccati priùs in peccatore est relatio rationis obligationis ad pœnam æternam: deindè est carentia illius obligationis, videtur necessariò esse aliqua mutatio in voluntate, siuè in actu voluntatis diuinæ, & in intellectu diuino, non ratione entis rationis, & carentiæ entis rationis, sed ratione actus diuinæ voluntatis, & carentiæ eiusdem actus: nam priùs obligabat, & deindè non obligat; videtur ergo, quòd priùs haberet actum, deindè non haberet actum obligandi, & ordinandi ad pœnam; & sic esset mutatio in diuina voluntate; ideò alia responsio est danda.

2. Responsio, & vera.

59 Secunda responsio ergo, & vera est hæc. Quòd cum Deus ordinat peccatorem ad pœnam æternam propter peccatum, hæc ordinatio, & volitio non est volitio absoluta, sed conditionata: quia vult illum esse obligatū ad pœnam æternam non absolutè, sed si sit in termino viæ, & extremo vitæ: cum verò pœnitet, ab illo nunc, quo pœnitet, vsque ad instans noui peccati, vult non esse puniendum. Modò ad propositum. A prima volitione ad secundam non est aliqua mutatio, quia prima volitio non erat absoluta, sed conditionata: ideò non est opposita secundæ volitioni: obligabat enim ad pęnam æternam si non pœniteret; ponitur deindè conditio in esse, quia pœnitet; ideò non ordinat eum amplius ad pœnam æternam: ideò hæc non est noua volitio, & diuersa à prima ac illi opposita; sed eadem sub diuersis conditionibus continuata. Hinc ad formam argumenti Scotus cōcedit maiorem, negat verò minorem, quia in remissione peccati, non est mutatio propriè, quia non est transitus ab vno opposito ad aliud oppositum, sed hic est circa idem obiectum velle conditionatum affirmationis pro vno nunc, & velle conditionatum negationis pro alio nunc: & ista duo velle stant simùl in æternitate, in qua sunt vnus actus eminenter, & infinitus, & circa obiectū in æternitate volitum, licèt non pro æternitate, sed pro alio, & alio nunc, respectu quorum videntur esse duo actus ratione terminationis. Dictum est enim suprà, quòd voluntas diuina vnico actu, qui est infinitus, potest velle, & de facto vult omnia, quæ vult voluntas creata diuersis actibus, & pro vno, vel diuersis nunc. Esset mutatio in diuina voluntate si ista velle essent absoluta: non est autem mutatio, quia sunt velle conditionata, vt dictū est suprà.

Ad secundam.

60 Ad secundam respondet, quòd Deum priùs scire hunc esse ordinatum ad pœnam, deinde scire hunc non esse ordinatum ad pœnam, non est transitus ab opposito ad oppositum; sed est scire illum esse ordinatum ad pœnam pro illo nunc, quo voluntate conditionata est ordinatum ad illam, & scire pro alio nunc non esse ordinatum ad illam pœnam, pro quo voluntas diuina non ordinauit: ita quòd hic non est successio in actibus voluntatis, ita vt actus succedat ad actum in se, vel in ordine ad obiectum, in quod tendit, sic, quòd priùs in vnum obiectum, deindè in aliud tendat: quia in æternitate actus ille idem tendit super vtrunque obiectum: neque requiritur successio obiecti ad obiectum extrà in se, quia existentia rei ad extra non requiritur ad volitionem Dei: vult enim res in æternitate antequàm sint extrà in se: neque est successio in ordine ad obijci ipsi intellectui diuino, & voluntati: itaquòd vnum priùs obijciatur, quàm alterum: quia priùs, vt priùs, & posterius, vt posterius possunt simul intelligi; sed est ordo, & successio inter ipsa obiecta in esse obiectiuo.

Obiectio tacita soluitur.

61 Si quis dicat semper stat difficultas rationis, quia primò vna pars contradictionis est vera, scilicet istè est ordinatus ad pœnam: deindè alia pars contradictionis est vera, iste non est ordinatus ad pœnam: ista sunt contradictoria: à contradictorio ad contradictorium est mutatio; ergo. Respondet Scotus, quòd ista non sunt contradictoria simùl vera, neque succedentia sibi in veritate, sed

te; sed sunt vera pro diuersis nunc temporis sibi succedentibus, ratione quorum apprehenduntur, vt contradictoria, vt explicatum est. Alia solutio. Adducit aliam solutionem, quæ superius est adducta, quòd non sunt contradictoria, quia ista non sunt absolutè volita, sed conditionatè: ideò non sunt opposita.

Ad tertiam. 62 Ad tertiam respondetur ex dictis, quòd hic non est mutatio realis, & propria, neque ex parte Dei, neque ex parte creaturæ: non ex parte Dei, quia non sunt oppositi actus, vt visum est, sed vnus sub diuersis respectibus, neque ex parte peccatoris, quia remissio peccati non ponit in ipso aliquam entitatem realem absolutam, vel respectiuam, sed solùm mutationem relationis rationis.

Argumenta principalia Scoti. 63 Verùm in argumentis principalibus probat Scotus, quòd infusio gratiæ, & expulsio culpæ sint duæ mutationes propriè dictæ contra secundam conclusionem; in argumentis verò ad oppositum probat contra primam conclusionem, quòd infusio gratiæ, & expulsio culpæ sit vna, & eadem mutatio.

Primò, adducemus rationes principales Scoti, quæ militant contra secundam conclusionem Scoti, & earum solutiones ex Scoto: deinde rationes ad oppositum, quæ militant contra primam conclusionem Scoti.

1. Ratio cōtrà secundā cōclusionē. 64 Prima ratio. Habet Diuus Augustinus de vera, & falsa pœnitentia capite secundo, hæc verba. *Dolendum est peccatori non solùm, quòd peccauit, sed quia se virtute priuauit.*

Ex hac auctoritate elicitur, quòd peccare, non est se formaliter priuare virtute, sed aliquis alius motus, & quòd peccatum, non est formaliter priuatio virtutis, sed aliquid aliud, scilicet inductio culpæ: itaquod hic sunt duæ materiæ doloris. Cum hoc supponendum est etiam, quòd si infusio gratiæ est expulsio alicuius priuationis, est expulsio priuationis propriæ gratiæ. Tunc sic formatur ratio: illi sunt diuersi motus reales, qui sunt ad diuersos reales terminos; sed infusio gratiæ est expulsio priuationis gratiæ; remissio culpæ est expulsio priuationis culpæ: priuatio verò culpæ, & priuatio gratiæ sunt priuationes diuersę reales; ergo infusio gratiæ, & remissio culpæ sunt mutationes diuersæ reales, & sunt diuersæ materię gaudij; sicut priuatio virtutis, & inductio culpę erant duę materiæ doloris.

2. Ratio. 65 Secundò. In moralibus corruptio vitij est alia mutatio realis ab inductione virtutis; ergo similiter inductio gratiæ, & expulsio culpæ, sunt diuersæ mutationes reales. Antecedens probatur. Corruptio vitij timiditatis, non est inductio virtutis fortitudinis, quæ sibi opponitur; sed est corruptio illius qualitatis, quæ est habitus vitij timiditatis, itaquòd corruptio timiditatis est motus ab habitu timiditatis ad priuationem habitus timiditatis: & inductio fortitudinis est motus à carentia habitus fortitudinis, ad acquisitionem habitus fortitudinis. Vndè hic sunt quatuor termini. Consequentia probatur, quia infusio gratiæ est inductio virtutis, & habitus: remissio culpæ est corruptio vitij, & peccati.

3. Ratio. 66 Tertiò. Generatio, & corruptio sunt duę mutationes reales, quia vnaquęque habet duos terminos reales, vnum positiuum, alterum priuatiuum: generatio enim est à non esse ad esse, & corruptio est ab esse ad non esse; sed sic est, quòd infusio gratię est mutatio à non esse gratię ad esse gratię, & expulsio culpę est ab esse culpę ad non esse culpę: vnaquęque illarum mutationum habet duos terminos reales proprios, & sic sunt duę mutationes reales diuersę.

4. Ratio. 67 Quartò. Dispositio, & illud, ad quod disponit, non sunt idem; sed sic est, quòd expulsio culpę est dispositio ad infusionem gratię; ergo infusio gratię, & expulsio culpę, non sunt vnica, sed duę mutationes reales diuersę. Minor probatur, quia per expulsionem culpę est non inimicus; per infusionem gratię est amicus; sed non esse inimicum disponit ad esse amicum; ergo expulsio culpæ, est dispositio ad infusionem gratiæ.

68 Ad hęc argumenta respondet Scotus, & ad primum concedit, quòd peccatum formaliter non est priuatio gratię: in prima enim disputatione ostendimus, quòd peccatum est priuatio rectitudinis debitę actui, non alicuius positiui; & sic concedit, quòd infusio gratię, siue inductio gratię, & cuiuscunque virtutis non est expulsio gratiæ, quod in prima conclusione huius quęstionis intendebat probare, & ideò concedit totum argumentum. Ad primū argumentum.

Nam ex illo sequitur, quòd sunt diuersæ mutationes, vt dictum est in prima conclusione, sed non sequitur, quòd sint duę mutationes reales, & propriç, vt argumentum intendit, & vt negauimus in secunda conclusione.

Quòd si quis arguat peccare, & gratiam corrumpi sunt duę mutationes reales, vt dictum est; à simili infusio gratiæ, & remissio culpæ sunt duæ mutationes reales. Scotus negat consequentiam, quia in illis sunt quatuor termini reales, duo positiui, & duo priuatiui: at in infusione gratię, & remissione culpę non sunt quatuor termini reales: quia in remissione culpę terminus à quo, & terminus ad quem sunt ens rationis, & priuatio entis rationis: nam remissio culpæ est motus ab obligatione peccatoris ad pœnam æternam ad carentiam obligationis ad pœnam æternam: culpa enim, & peccatum transit, & relinquit in anima solùm reatum, qui est relatio rationis obligationis ad pœnam, vt dictum est disp. 10.

69 Ad secundum respondetur per idem, quòd non est par ratio de illis motibus, & istis: in illis enim sunt quatuor termini reales, vt visum est: in his autem duobus motibus, non sunt quatuor termini reales, sed duo reales in infusione gratiæ, & duo rationis in remissione culpę. Ad secundum.

Ad tertium ex dictis patet responsio: vnde Scotus ad illud nullam aliam responsionem affert, sed ex eodem fundamento, & responsione, qua satisfecit primo, & secundo argumento iudicat satisfactum esse quoque tertio. Et rationabiliter, nam in generatione, & corruptione sunt quatuor termini reales: in generatione enim est transitus de non esse reali ad esse reale, & in corruptione est transitus ab esse reali ad non esse reale, vt dicitur in argumento. Patet autem hos esse quatuor terminos reales: in his autem duobus motibus expulsionis culpæ, & peccati, & infusionis gratiæ non sunt quatuor termini reales, sed duo reales in infusione gratiæ, & duo rationis in remissione culpæ, vt dictum est. Ad tertium.

70 Ad quartum negatur minor: quia illa remissio culpæ, siue remissio obligationis ad pœnam æternam, non est mutatio realis, nec actiua, nec passiua, nec rei, nec rationis, idest non est mutatio actus intellectus diuini, nec obiecti circa quòd fit: & ideò non potest esse dispositio realis ad amicitiam, seu gratiam Dei. Ideò ad probationem minoris, cum dicitur, per expulsionem culpæ est non inimicus, dico, quòd esse non inimicum est carentia relationis illius obligationis ad pœnam æternam, quæ est relatio rationis: ideò non potest esse dispositio realis ad infusionem gratiæ, quæ est motus realis. Subiungit in fine illius responsionis, ex hoc haberi, quòd quatuor rationes adductæ ad primam conclusionem, non concludunt, quòd infusio gratiæ, & expulsio culpæ sint duæ mutationes; sed solùm, quòd non sunt vna mutatio simpliciter, sed duæ, iuxta secundam conclusionem. Ad quartū.

71 Arguit deindè Scotus aduersùs primam conclu-

Contra primam conclusionem 1. ratio.

sionem, & probat, quòd infusio gratiæ, & expulsio culpæ sit vna mutatio simpliciter. Et prima ratio est hæc. Si expulsio culpæ sit alia mutatio ab infusione gratiæ, aut erit alia mutatio positiua, aut alia priuatiua, siuè vt alij loquuntur, erit vel alia mutatio deperditiua, vel alia acquisitiua: at non est alia mutatio positiua, siuè acquisitiua diuersa ab infusione gratiæ: quia mutatio acquisitiua est ad terminum positiuum, vt patet de generatione substantiali, & similibus: at terminus ad quem expulsionis culpæ positiuus nullus alius est, nisi gratia; ergo si expulsio culpæ est mutatio acquisitiua, est eadem mutatio, quæ est infusio gratiæ, neque est alia mutatio deperditiua, siue priuatiua, quia illa expulsio culpæ non est mutatio priuatiua. Probatur, quia mutatio priuatiua, & deperditiua est à termino à quo positiuo, at terminus expulsionis culpæ non est positiuus, quia ille terminus est culpa: culpa autem non est quid positiuum.

2. Ratio Scoti.

72 Secundum argumentum ad oppositum procedit contra eandem conclusionem primam; sed quia in eius solutione explicat Scotus ordinem inter has duas mutationes infusionem gratię, & expulsionem peccati in sequenti capite explicabitur.

Ad primā rationem.

73 Ad primam ergo rationē nunc adductam respondet Scotus, quòd expulsio culpę est mutatio priuatiua, siuè deperditiua. Ratio est, quia expulsio culpę est à termino positiuo, quod est ens rationis ad carentiam illius entis rationis; nam terminus à quo expulsionis culpę non est culpa, quia illa transit transeunte actu peccati, & manet solùm reatus, scilicet obligatio, & ordinatio ad pœnam ęternam, si non pœniteat: illa autem obligatio non est priuatio, vt est culpa pro formali, quę est carentia rectitudinis debitę, vt diximus propria disputatione de peccato pro formali; sed est ens rationis. In expulsione autem culpę terminus ad quem est carentia illius obligationis ad pœnam ęternam: ideò est mutatio deperditiua: ens enim rationis est ens positiuum: ideò sufficit ad faciendum hanc mutationem deperditiuam. Notandum est autem iuxta dicta superiùs in hoc capite in solutione illarum trium obiectionum contra secundam conclusionem, quòd hęc mutatio, & transitus ab obligatione, ad non obligationem non fit in intellectu, nec voluntate diuina: quia mutaretur, quod est inconueniens. Non fit autem, quia volitio illius obligationis non est voluntas absoluta; sed conditionata. Similiter non obligatio est voluntas conditionatà: ideò adimpleta conditione fit transitus à volitione obligationis, ad non volitionem obligationis, absque mutatione voluntatis, & actus eius: quia semper manet idem actus; sed sub diuersa conditione in ordine ad obiectum. Neque est mutatio ex parte subiecti, siue obiecti, vt obiectum est. Neque in obiecto extrà, quia obiectum illud manet idem in se, & quatenùs obijcitur diuinę voluntati; sed hęc mutatio cadit in obiecto ad extrà, quatenus pro diuersis nunc cadit super ipsum actus diuinæ voluntatis, qui est obligatio, vel non obligatio; vndè mutari in hoc obiecto siuè transire à non esse in isto nunc, ad esse in illo nunc, est concomitanter mutari mutatione rationis, ab obligatione ad non obligationem, siuè, vt suprà dicebamus, est mutatio non in Dei voluntate, neque in obiecto extrà, neque in obiecto in ratione obiecti, sed in obiecto, quò ad esse obiectiuum.

Quomodo se habeant adinuicem infusio gratiæ, & expulsio culpæ. Caput Tertium.

Opi. Thomistarum.

74 THomistæ prima secundæ quæst. centensima decimatertia, articulo sexto, & octauo iuxta sua principia, & consequenter ad dicta tenent, infusionem gratiæ esse priorem expulsionem culpæ: nam, vt vidimus, ponebant tres motus in iustificatione. Primò infusionem gratiæ. Secundò duplicem motum liberi arbitrij in Deum scilicet, & in peccatum. Tertiò remissionem culpæ. Si ergo infusio, & creatio gratiæ in anima præcedit contritionem, consequenter etiam præcedit ordine naturæ expulsionem culpæ. Verùm, quia non videtur intelligi posse, quomodo priùs inducatur gratia in anima, quàm expellatur culpa, cum expulsio culpæ sit dispositio in anima ad recipiendam gratiam, & dispositio ordine naturæ priùs sit in passo, quàm forma. Respondent, quod infusio, & inductio gratiæ potest duobus modis considerari: vno modo ex parte agentis siuè efficientis: alio modo ex parte mobilis, & passi. Primo modo infusio gratiæ præcedit expulsionem culpæ. Secundo modo expulsio culpæ præcedit infusionem gratiæ.

Medina ibidem dat tria exempla, quorum vnum est de aere ingrediente fenestram. Nam aer ingrediens fenestram est prior aperitione fenestræ in genere causæ efficientis: quoniam suo ingressu apperit fenestram; sed in genere causæ materialis, & dispositiuè prior est aperitio fenestræ: quoniam nunquam intraret aer, nisi fenestra aperiretur. Ita in proposito infusio gratiæ in genere causæ efficientis est prior expulsione peccati, quia peccatum expellitur per infusionem gratiæ: in genere verò causæ materialis prior est expulsio culpæ, quàm infusio gratiæ, quia anima per expulsionem culpæ disponitur ad recipiendam gratiam. Vndè Medina ibidem, Vasquez disputatione centesima decimaprima, capit. tertio, & quarto, & alij ponunt hunc ordinem ex parte agentis. Primò est infusio gratiæ habitualis. Secundò est motus liberi arbitrij. Tertiò est expulsio culpæ. Ex parte mobilis siue passi est ordo inuersus. Primò est expulsio culpæ. Secundò motus liberi arbitrij. Tertiò est infusio gratiæ. Sed dimisso nunc secundo actu, scilicet motione liberi arbitij, qui est contritio: quia de ea locuti sumus primo capite huius disputationis, nunc est sermo de infusione gratiæ, & expulsione culpæ. Thomistæ ergo dicunt priorem esse infusionem gratiæ in genere causæ efficientis, quàm expulsio culpæ: in genere verò causæ materialis priorem esse expulsionem culpæ, deindè infusionem gratiæ.

75 Sed quoniam hic modus dicendi est valde obscurus, & inter se non benè conueniunt, notandum est pro intelligentia recta huius difficultatis, quòd cum quæritur, Vtrùm infusio gratiæ sit prior expulsione culpæ, non quæritur, An prior sit actio agentis, quàm receptio passi, quia causæ in suis causalitatibus non se inuicem præcedunt, sed omnes simùl natura causant: nam dum efficiens efficit, materia materiat, & forma format: quia non potest intelligi, quòd efficiens aliquid efficiat nisi efficiat in materiam siue in passum: nec potest agere in passum nisi aliquam formam inducat, & propter aliquem finem operetur. Et hæc est doctrina Scoti in secundo, distinctione trigesimaseptima, §. *Ad solutionem*, &c. & ab aduersarijs, præsertim à Vasquez, vbi suprà conceditur. In eodem ergo instanti naturę, quo causa efficiens infundit gratiam, in eodem instanti recipitur in passo, nec intercedit aliquis ordo.

An in mutationibus naturalib. prior sit inductio nouæ formæ, vel corruptio veteris.

Difficultas ergo est, cum causa efficiens duos effectus efficiat in passum, scilicet inductionem formæ nouæ, & expulsionem formæ præexistentis; vt cum ignis agit in lignum, & producit in lignum calorem, & expellit frigiditatem, quisnàm horum duorum effectuum primò producatur, An caliditas in ligno, an expulsio frigiditatis à ligno. Et similiter, quis effectus priùs natura recipiatur in passo, An caliditas, an expulsio frigiditatis. Et ita in proposito quæritur, An Deus priùs infundat actiuè gratiam, deindè actiuè expellat culpam: vel prius actiuè expellat culpam, deindè actiuè infundat gratiam. Et è conuerso, An priùs in passo

passo, scilicet anima recipiatur infusio gratiæ, vel expulsio culpæ.

[Opin. Tho mistarum.] 76 In hac ergo re explicanda Thomistæ variant, & à distinctione assignata ex Diuo Thoma de ratione agentis, & passi, recedere videntur. Nam Caietanus parte secunda, quæstione centesima decimatertia, articulo sexto, tenet, quòd priùs recipiatur in passo infusio gratiæ, quàm expulsio culpæ. Ex quo patet, ipsum recedere ab illa distinctione Diui Thomæ, qua dicebat, quòd ratione agentis priùs est inductio gratiæ, deindè expulsio culpæ: ex parte passi verò prior est expulsio culpæ, deindè infusio gratiæ. [Caietanus.] Caietanus verò, dicit ex parte passi priorem esse receptionem gratiæ, deindè expulsionem culpæ. Et quòd hæc dicat Caietanus, patet, quia in Commentario illius articuli sexti, dicit, quòd in omni mutatione ordo naturæ ex parte agentis exigit, quòd duorum, quæ in termino ad quem inueniuntur, scilicet inductionis formæ, & expulsionis oppositi. Primò fit inductio formæ intentæ, deinde expulsio oppositi. Hæc Caietanus: at terminus ad quem est passum, in quo illa duo reperiuntur. Et magis patet hanc esse eius mentem: quia hanc doctrinam suam probat exemplo de illuminatione aeris; nam, inquit, licèt aer simùl illuminetur, & excludatur à tenebra; ex hoc tamen quòd illuminatur excluditur à tenebra. Ex quo deducit, quòd exclusio tenebræ est consumatio illuminationis. Modò aer est passum, in quo recipiuntur lumen, & expulsio tenebrarum. Fatetur ergo Caietanus in receptione in passo priorem esse receptionem formæ, deindè expulsionem oppositi; & sic consequenter ait priorem esse infusionem gratiæ, quàm expulsionem culpæ, ex parte passi, & mobilis. Quòd confirmatur, quia hoc dicit Caietanus, vt saluet dictum Diui Thomæ, quòd in iustificatione impij vltimum est expulsio culpæ, & remissio peccatorum. Recedit ergo ab illa distinctione Diui Thomæ, quam re vera etiam non posse stare, nunc infrà ostendam.

[Medina.] 77 Medina verò in eodem articulo, & alij tenent, in omni mutatione Physica priorem esse expulsionem formæ oppositæ, deindè inductionem nouæ: itaquòd inductio nouæ formæ, est consumatio motus; & ideo in proposito tenent priorem esse expulsionem culpæ, deindè infusionem gratiæ. Quod probat, quia improprijssimè dicitur, quòd terminus à quo sit consumatio motus: consumatur enim in termino ad quem, & multò minùs terminus à quo dicitur peruentio ad terminum motus; cum opposito modo res sese habeat. Vndè terminus, & consumatio illuminationis non est expulsio tenebrarum, quia illa est terminus à quo illuminationis; sed inductio luminis in aerem. Qua in re opi- [Opin. Scoti.] nio Medinæ est procùldubio vera, & est opinio Scoti, præsertim in hac distinctione decima sexta, quæstione secunda, ad secundum ad oppositum, vbi inquit, quòd in mutatione inter opposita immediata secundùm se inductio vnius sequitur ad amotionem alterius. Vbi manifestè patet velle, quòd in passo priùs sit amotio, & expulsio oppositæ formæ: deindè fit inductio nouæ formæ. Idem habet posteà expressè in secundo Sententiarum, distinctione prima, quæstione tertia, ad tertium principale, vbi explicans illas duas propositiones: generatio vnius est corruptio alterius, & corruptio vnius est generatio alterius, ait, quòd corruptio est prior ordine naturæ, quàm generatio; licèt secundùm intentionem agentis sit prior generatio, quàm corruptio formæ oppositæ. De qua in Philosophia Naturali egimus Theoremate proprio, quod est 39. & per rationes nunc adductas à Medina conuincitur. Ad rationem autem Caietani, quòd ideo corrumpitur forma opposita, quia noua inducitur, & ideò expelluntur tenebræ ab aere, quia lumen inducitur in aerem, & sic de alijs, conceditur, quòd aer illuminatur, quia tenebræ expelluntur: nisi enim agens ageret introducendo formam nouam in materia manente sub opposita forma, opposita non recederet: tamen non potest forma noua recipi in materia, nisi opposita recedat: quia duæ formæ oppositę essent simùl in eodem subiecto. Et hęc est ratio fundamentalis: ideò necesse est, quòd per vim agentis superantis agens contrarium conseruans formam oppositam in materia, forma apposita priùs natura corrumpatur, & desinat esse, deindè forma noua inducatur. Ratio ergo illa, solùm ostendit principium motus esse ab efficiente; non autem probat formam nouam priùs recipi in passum, quàm expulsio veteris formæ inducatur.

78 Accedendo tamen ad propositum, Medina ait, etiam posse dici, in iustificatione impij esse priorem infusionem gratiæ, deindè remissionem culpę; sed alio modo, scilicet ratione agentis, & ratio est, quia non est par ratio de mutatione naturali, & de mutatione ista supernaturali à culpa ad gratiam. Nam in generatione naturali agens non intendit primariò, & per se corruptionem formæ oppositæ, sed solùm per accidens, scilicet quatenus est incompossibilis cum forma noua, quàm vult inducere in idem subiectum: at in iustificatione primaria intentio Dei, & hominis est destructio culpæ, & peccati; & ideo ablatio culpę est consumatio, & vltimus terminus motus iustificationis. Et sic saluat dictum Diui Thomę, quo asserit remissionem culpæ esse vltimum eorum, quæ concurrunt ad iustificationem. [Medina asserit priorē esse infusionem gratię remissione culpæ rōne intentionis agentis.]

79 Hæc responsio Medinæ potest habere veritatem in aliquo sensu, vt infrà patebit cum loquemur, quid horum sit priùs in ordine istorum, vt sunt obiecta diuinæ voluntatis; sed nunc non loquimur de hoc ordine, sed de ordine extrà in re, secundùm generationem, & productionem realem, & receptionem in passo: secundùm autem hunc ordinem videtur concedere, quòd prior sit in passo expulsio culpæ, deindè infusio gratiæ. Quæ opinio esset vera, si gratia, & peccatum formaliter opponerentur, vt ipsi sustinent. Sed tunc non saluat mentem Diui Thomæ, qui vult, quòd ordine generationis vltimum in iustificatione sit ablatio, & expulsio culpę. Patet enim Diuum Thomam loqui de ordine generationis in re extrà, non de ordine obiectiuo in mente diuina. [Reijcitur.]

80 In hac opinione Thomistarum duo videntur falsa. Primum. Quòd supponunt gratiam, & peccatum opponi formaliter, siue priuatiuè. Hoc autem est falsum, vt ostendimus in prima disputatione, in qua visum est opponi demeritoriè tantùm: ideò non potest assignari ordo inter infusionem gratiæ, & expulsionem culpæ, eo modo, quo generatio, & corruptio physica opponuntur, & vna est prior altera. Vndè licèt in generatione naturali priùs natura sit corruptio formæ oppositæ, quàm inductio nouæ formæ; tamen hoc non potest dici in motu iustificationis, quia non sunt similes. [Opi. Tho mistarum reijcitur.] [1. Ratio.]

Secundum. Est modus vniuersalis eorum respondendi ad hoc dubium, scilicet quod ratione agentis, infusio gratiæ est prior: ratione verò passi, & mobilis expulsio culpæ est prior. Nam hic modus non est intelligibilis; quoniam, vt suprà visum est, vnum genus causæ non est priùs natura alio genere causæ in causando: non enim causa efficiens priùs natura producit effectum in passo, & materia, quam passum, & materiam illum recipiat; sed in eodem instanti naturæ efficiens efficit, & materia materiat, siue recipit. Ex hoc sic arguitur. In eodem instanti naturæ, quo Deus infundit gratiam, in eodem recipitur in anima: at in ordine agentis secundùm Thomistas prior est infusio gratiæ; ergo etiam ratione patientis in primo instanti recipitur gratia in passo; ergo ratione passi, non est prior expulsio culpæ, [2. Ratio.]

& deindè receptio gratiæ, sed est prior receptio gratiæ, deindè expulsio culpæ.

81 Nec valet dicere, quod causę sunt sibi inuicem causæ ex Aristot. 2. Physicorum tex. 30. & indè, vt sanitas est causa finalis deambulationis, & deambulatio est causa efficiens sanitatis, vt vult Medina loco citato art. 8. Quoniam aliud est loqui de vna causa in ordine ad aliam causam, & de causis in ordine ad effectum, qui ab illis prouenit: nam verum est quidem, quòd vna causa potest causari ab alia, & sic vna in suo genere est prior alia, sed in ordine ad effectum vna non est prior alia in causalitate: quia efficiens non potest producere aliquam formam, quam nõ producat in subiecto, & sic de alijs. Neque enim Sol priùs efficit lumẽ, quã recipiatur in aere, & sic de alijs.

3. Ratio. Exemplũ de aperitione fenestrę & ingressu aeris ducitur ad oppositum.

82 Tertiò. Exemplum illud de aperitione fenestræ & ingressu aeris, non est ad propositum, sed ad oppositum, quia ille non est vnus motus, sed duo: quia aperitio fenestræ est vnus, ingressio aeris est alius, & primus prærequiritur ad secundum, tanquàm præuia dispositio. Neque rectè dicitur, quòd aperitio fenestræ est prior in ratione causæ materialis, ingressu aeris, & ingressus aeris est prior in genere causæ efficientis, quia vnus non est causa alterius, nisi per accidens, & ad vnumquemque requiritur efficiens, & materia. Nam cum efficiens impellit aerem, vt ingrediatur, necesse est dari passum, in quo aer pulsus recipiatur. Nec potest dici, quòd priùs sit impulsus aeris, deindè receptio aeris, sed hæc simùl sunt. Similiter aperitio fenestrę habet causam efficientem, & materialem: à prima efficitur: à subiecto, in quo est, recipitur. Omninò ergo falsum est dicere, quòd idem effectus ratione efficientis sit prior, & ratione materiæ sit posterior, & sic quòd infusio gratiæ ratione efficientis sit prior, & rationé receptionis in materia sit posterior. Itaquòd in primo signo sit expulsio culpæ, & in alio signo sit receptio gratiæ in anima. Falsitas huius opinionis magis patebit ex declaratione opinionis Scoti, qui mirabiliter hunc ordinem explicat.

Opin. Scoti.

83 Scotus ergo in hàc quæstione in responsione ad secundum ad oppositum loquens de ordine istarum mutationum inter se, distinguit de quadruplici prioritate. Primò de prioritate secundùm generationem, & perfectionem. Secundò de prioritate secundùm consequentiam. Tertiò de prioritate secundùm causalitatem. Quartò de prioritate in ratione obiectiua ad Deum.

1. Assertio. Scoti.

Quantùm ad primam prioritatem inquit, quòd alius est ordo generationis, & alius est ordo perfectionis. & quæ sunt priora generatione sunt posteriora perfectione, & quæ sunt priora perfectione sunt posteriora generatione. Loquendo ergo de ordine generationis, inquit, expulsionem culpæ esse priorem infusione gratiæ. Loquendo verò de ordine perfectionis ait, infusionem gratiæ esse priorem expulsione culpæ. Hanc assertionem quò ad vtramque partem probat, quia ex Aristot. 5. Methaphys. cap. de priori, & 9. Methaph. cap. 7. *quæ sunt priora generatione sunt posteriora perfectione*, & è conuerso. Modo expulsio culpæ est imperfectior infusione gratiæ, & è conuerso, infusio gratiæ est perfectior expulsione culpæ; ergo via generationis prior est expulsio culpæ, quàm infusio gratiæ, & ita in subiecto priùs recipitur expulsio culpæ, quàm infusio gratiæ.

2. Assertio.

84 Loquendo de prioritate secundùm consequentiam ponit hanc aliam assertionem. Expulsio culpæ est prior infusione gratiæ. Hæc assertio probatur: quia illud est prius consequentia, quod est imperfectius: nam à subsistentia imperfectioris non valet inferre subsistentiam perfectioris; sed è conuerso à subsistentia perfectioris, valet inferre subsistentiam imperfectioris. Exemplum. Est animal; ergo est homo, consequentia non valet: quia animal est quid imperfectius quàm homo. E conuerso. Est homo; ergo est animal, valet consequentia. Cum ergo ab imperfectiori ad perfectius non valeat consequentia, imperfectius est prius. Ad propositum expulsio culpæ, est quid imperfectius infusione gratiæ; ergo expulsio culpæ est prior consequentia infusione gratiæ.

85 Confirmatur, quia ad expulsionem culpæ, non sequitur infusio gratiæ, nequè enim valet, est expulsio culpæ; ergo est infusio gratiæ: quia, vt aliàs visum est in disputatatione prima quid sit peccatum, culpa, & gratia, non opponuntur immediatè, & simpliciter ex natura extremorum, sed ex institutione diuina: vndè suprà diximus, quòd posset Deus expellere culpam, & non infundere gratiam, loquendo de potentia absoluta Dei: ad infusionem autem gratiæ sequitur expulsio culpæ: valet enim, est infusio gratiæ; ergo est expulsio culpæ; ergo prior est expulsio culpæ, quam infusio gratiæ.

86 Cęterùm hoc videtur dubium, scilicet quòd expulsio culpæ sequatur ad inductionem gratiæ: hæc enim consequentia non videtur necessaria. Est infusio gratiæ; ergo est expulsio culpæ: quia culpa, & gratia non sunt opposita formaliter: talis autem consequentia non valet nisi in formaliter, & immediatè oppositis. Quòd si quis dicat, falsum esse illa non esse formaliter, & immediatè opposita, vt dicerent Thomistæ, quia est contradictio esse amicum Deo, & non esse amicum Deo: per gratiam quis est amicus: per culpam verò inimicus. Respondetur, falsum esse culpam, & gratiam immediatè opponi, vt suprà visum est. Ad rationem autem contra hoc respondet Scotus, & rectè: quia amicitia cum Deo per gratiam est ordinari ad vitam æternam; inimicitia cum Deo per peccatum est ordinari ad pœnam æternam. Hæc autem possunt simùl stare: non tamen pro eodem nunnc, sed pro diuersis nunc absquè mutatione diuinæ voluntatis, vt capite precedenti visum est. Ideo hoc modo esse amicum Deo, & non amicum Deo non sunt contradictoria, & ità hac ratione non est necesse, vt vnum sequatur ad aliud. Dubium.

87 Tamen ad dubium est dicendum, quòd ad infusionem gratiæ sequitur expulsio culpæ, licèt non è conuerso: non quia sint immediatè opposita; sed quia infusio gratiæ ponit in esse expulsionem culpæ: nequè enim vbi est gratia ibi est culpa. At expulsio culpæ non ponit in esse gratiam: quia, vt dictum est, Deus potest expellere culpam, & non infundere gratiam, sed restituere hominem in puris naturalibus. Solutio.

88 Loquendo verò de prioritate causalitatis inter se, ponit hanc assertionem. Nullum istorum est causa efficiens alterius. Probat: quia nec infusio gratiæ est causa, efficiens expulsionis culpæ: nec expulsio culpæ, idest negatio obligationis & reatus ad pœnam æternam, est causa infusionis gratiæ, sed causa efficiens vtriusque est sola voluntas diuina, quæ ex sua iustitia determinat, & obligat peccatorem ad pœnam æternam; sed ex misericordia aufert obligationem. 3. Assertio.

89 Loquendo verò de ordine inter gratiæ infusionem, & expulsionem culpæ, quatenus sunt obiecta secundaria diuinæ voluntatis. Respondet Scotus hoc fuisse explicatum in primo distinctione 41. vbi tractauit de ordine volitionis diuinæ ad obiecta secundaria. Tamen pro nunc dicendum est, quòd loquendo de ordine secundùm intentionem priùs vult gratię infusionem, quàm expulsionem culpæ: ratio est, quia ordinatè volens priùs vult ea, quæ sunt proximiora fini, quàm ea, quæ sunt remotiora; sed sic est, quòd gratiæ infusio est propinquior fini, scilicet beatitudini, quàm expulsio culpæ; ergo. Loquẽdo verò de ordine executionis prior est expulsio culpæ, quàm infusio gratiæ: ratio est, quia ordo executionis est contrarius ordini intentionis. Vndè quæ sunt priora in intentione, sunt posteriora in executione: & ideò peccatori vult prius inesse remissionem culpæ: deindè infusionẽ gratiæ; sicut etiam ordine executionis Deus vult prius merita quàm pręmium, & gloriam. Si autem ista obiecta gratia, & culpa considerentur, vt sunt obiecta diuinæ voluntatis secundaria; non autem vt ponunt aliquid ad extra, sic est respondendum, quòd ista obiecta secundùm generatio- 4. Assertio. 5. Assertio. 6. Assertio.

rationem, & causalitatem nullum habent ordinem: quia, vt sic, nō causantur, nec generantur, sed habent esse idem, quòd essentia diuina; sed tamen habent inter se quendam ordinem perfectionis, quatenus diuina voluntas tendit in ea; & sic id est prius, in quod dicitur priùs intendere diuina voluntas; & sic infusio gratiæ erit prior expulsione culpæ.

An iustificatio fiat in instanti. Cap. Quartum.

90 Est alia difficultas, an iustificatio, & istæ duæ mutationes fiant in instanti; & quidem communis sententia Theologorum sustinet fieri in instanti, solus Greg. Ariminen. discrepat, vt videbimus. Opin. Scoti. Scotus ergo in hoc 4. dist. 14. q. 2. ar. 2. hoc supponit, dum ait, quòd actus, qui est contritio in eodem instanti temporis, præcedit natura deletionem culpæ, licèt, vt formatus sequatur deletionem peccati ordine naturę: id verò ex professo tradūt D. Tho. D. Thom. p. 2. q. 113. a. 7. & ibi Thomistæ. Alesis 4. p. q. 17. m. 1. a. 2. Alensis. de quantitate contritionis. D. Bonau. in 4. d. 16. a. 3. q. 1. & D. Bonau. alij. Et ratio est: quia Sacra scriptura docet hominem in 1. Ratio. quacunque hora posse iustificari, iuxta illud Ezechielis 18. & 33. *In quacunque hora ingemuerit peccator* &c. vbi illud, *quacunque hora*, significat quodcunque temporis 2. Ratio. momentum. Præterea ratio etiam est euidens: quia si requireretur aliqua duratio temporis, vt v. g. dimidia hora, sequeretur dari in via aliquod tempus, in quo peccator esset extra statum salutis, & in quo non esset capax gratiæ, scilicet illa quarta, & sexta hora, quod est contra Scripturam apertè.

3. Ratio. 91 Tertiò à priori. Quòd aliqua actio sit successiua, & & non fiat in instanti, prouenit ex duplici causa: vel quia subiectum est successiuum, & continuum: vel quia forma est continua, & diuisibilis. Hoc patet ex Arist. 6. Physicor. & probatur, quia motus omnis includit motum localem ex 8. Physicor. tex. 53. Motus autem localis est successiuus ratione subiecti super quod fit: vel ratione formæ, quæ est diuisibilis; quæ ideo inducitur per partes in subiectum, si sit diuisibilis; si verò sit indiuisibilis, inducitur priùs in vna parte subiecti, deinde in alia, vt ostendimus in Phylosophia Naturali Theoremate 38. In proposito autem forma, quæ inducitur in iustificatione, est indiuisibilis, & anima est indiuisibilis: ideò gratia potest induci in instanti. Similiter actus voluntatis potest esse in instanti: quia voluntas non est quanta, nec subiectum, in quo ille actus recipitur, est corporeum, & quantum: ideò consensus voluntatis in obiectum propositum potest esse in instanti. Hoc tamen est intelligendum de actu consensus voluntatis, nō de dispositionibus præuijs, vt dixit D. Bonau. loco citato: quia ad habendum actum contritionis necessaria est multa præparatio, quæ non potest fieri in instanti. In eodem ergo instanti voluntas habet actum detestationis peccati, & Deus infundit gratiam; licèt ordine naturæ sint plura instantia, vt suprà probatum est.

Gregor. de Arimino. 92 Gregorius de Arimino in 2. Sent. d. 4. & 5. q. 1. in responsione ad quartum, & 1. d. 38. art. 3. tenet, quòd etsi homo possit elicere actum detestationis peccati in instanti; tamen sit necessarium, quòd illum actum per aliquod tempus continuet: & sic secundùm ipsum iustificatio non videtur fieri in instanti. Pro hac opinione sunt variæ ra- 1. Ratio. tiones satis difficiles. Prima. Actus peccati non potest durare tantùm per instans; sed necessariò durat per tempus; ergo non potest remitti, & expelli in instanti, & sic iustificatio non fit in instanti. Antecedens probatur: quia in eodem instanti, quo peccatum fit, non potest destrui, nec in instanti proximè immediato: quia non dantur instantia duo immediata, ex 5. & 6. Physicor. ergo durabit per tempus medium inter illa instantia. Consequentia probatur: quia peccatum non potest expelli in eo tempore, quo debet durare; ergo in illo tempore, non potest homo iustificari; sed erit expectandum, quòd finiatur; ergo non pro quolibet instanti temporis iustificatio fieri posset, vel sic:

Fab. de Pœnitentia.

cuius generatio est continua, & successiua, eius corruptio est quoque successiua, vt patet: quia nihil potest esse diuersorum generum, scilicet successiuorum, & indiuisibilium; sed peccatum fit in tēpore; ergo corruptio eius fieri habet in tempore non in instanti.

93 Secundò. Si gratia infunditur in instanti, & culpa 2. Ratio. remittitur in instanti, necessariò est assignare instans, in quo gratia recipitur in anima, & instans, in quo anima erat sub culpa: at hæc non possunt esse idem instans: quia tūc anima esset sub gratia, & sub culpa simùl, quod est inconueniens. Neque possunt esse duo instantia sibi subsequentia immediatè: quia hæc non dantur, ex 5. & 6. Physicorum; ergo istæ mutationes necessariò erant in tēpore.

94 Istæ rationes non cogunt. Ad primam respondetur Ad primā. falsum esse peccatum, non posse fieri in instanti. Dictum est enim potentias spirituales, quæ non sunt quantæ posse efficere suos actus spirituales in instāti. Ad probationem, quia non posset in instanti sequenti corrumpi, respondetur, quòd hoc se habet sicut generatio, & corruptio eorum, quæ fiunt in instanti, vt generatio, & corruptio substantialis, illuminatio, &c. Nam ista fiunt in instanti, & in tempore immediatè pręcedenti non erant, nec in tempore immediatè sequenti sunt. Itaquòd non est imaginandum, quòd in vno nunc generentur, & in alio nūc immediatè sequenti corrumpantur, sed est imaginādum, quod in vno nunc generantur, quòd mediat inter tempus pręteritum, & tempus futurum. Vndè in tempore immediatè præcedenti non erant; & in tempore immediatè sequēti ad nunc, in quo generantur, habent non esse. Vndè solet dici, Quòd instantanea incipiunt per primum sui esse, & desinunt per vltimum sui esse: quia in instantaneis primū, & vltimum est in esse, quia sunt indiuisibilia: in non esse verò non habent primum, nec vltimum eadem ratione, quia sunt indiuisibilia; sed primum, & vltimum non esse eorum est in tēpore. Quia ante illud instans, in quo fiunt, immediatè non sunt; & in tempore immediatè sequenti ad illud instans non sunt. In permanentibus verò est dare primum sui in esse: quia incipiunt in instanti; sed habent vltimum sui in non esse, quia in eo instanti, quo corrumpuntur, generatur aliud permanens sibi succedens, quod generatur quoque in instāti. Vndè si quod corrumpitur, haberet vltimum sui in esse, haberet dispositiones ipsum insequentes, quæ in instanti non possunt corrumpi, & sic nunquàm corrumperetur: & præterea duo instantia immediatè se consequerentur, quod est absurdum. Desinunt ergo: quia vltimum sui est in non esse, & quod generatur habet primum sui in esse. Vide Scotum in quolib. 12. a. 3. fusè hæc explicantem.

95 Ad secundum respondet, quòd expulsio culpæ, & Ad secundam. infusio gratiæ, non fiunt in duobus instantibus sequentibus se immediatè; sed in vnico instanti, in quo est primū non esse culpæ, & primum esse gratiæ. In illo enim vltimo instanti temporis pręcedentis, sub quo præfuit culpa, est primum, non esse culpæ: quia in illo desinit. Et in illo eodem instanti est primum esse gratiæ, quod quidem instās est finis præteriti temporis, & principium temporis futuri; adeò quod in iustificatione accidit sicut in generatione substantiali quantùm ad hoc. Nā sicut in eodem instanti Generatio, & corruptio substātialis quomodo fiat in instanti. corrumpitur forma substantialis præcedens, & noua forma substantialis inducitur, ità quòd in illo vnico instanti est primum non esse formę corruptę, quæ in tempore pręcedenti immediatè fuit, & in illo eodem instanti est primum esse formæ generandæ, quæ in tempore immediatè pręcedenti non erat: ita in iustificatione, in eodem instanti est primum non esse culpæ, siue obligationis ad pęnam æternam, quæ in tempore immediatè pręcedenti fuit, & in eodem instanti est primum esse gratiæ, quod in tempore immediatè antecedenti non erat. De his copiosè Scotus quolib. illo 12. art. 3.

DISPVTATIO XVIII.

De pręcepto contritionis.

De necessitate contritionis, ex lege naturæ. Caput Primum.

1 Vidimus suprà q. 1. a. 2. huius distinctionis 14. quòd pœnitentia virtus est necessaria ad delendum peccatum; & sermo erat de pœnitentia virtute, quæ est contritio: contritio enim est primus actus virtutis pœnitentiæ: immò est vnicus actus virtutis pœnitentiæ, quia attritio, etsi sit actus pœnitentiæ virtutis, est tamen actus imperfectus, quia ei deficiunt aliquæ circunstantiæ actu, quæ requiruntur ad actum virtutis. Dicebamus autem esse necessariam pœnitentiam non absolutè, & simpliciter, itaquòd oppositum implicet contradictionem; sed solùm regulariter, idest secundùm potentiam Dei ordinatam. Verùm, quia hæc necessitas potest esse duplex, scilicet medij, & præcepti, nondum manifestum est, qua necessitate sit necessaria; an necessitate medij, an pręcepti. Sed quidem, quòd sit necessaria necessitate medij, potest haberi ex dictis suprà in explicatione secundi articuli huius secundæ quæstionis, vbi per varias auctoritates Scripturæ probauit Scotus peccatum remitti per pœnitentiam. Ezechielis 18. & 33. & aliàs, quæ auctoritates ad minùs probant contritionem esse necessariam, vt medium ad delendum peccatũ, quibus alias annectere possumus, vt nunc statim dicam. Sed difficultas est de necessitate pręcepti, & de hac est pręsens difficultas. Et sensus est, an contritio cadat sub pręcepto, itaquòd, qui habet peccatum mortale, & non conteritur de illo, non solùm non obtineat veniam de illo peccato, sed nouo peccato peccet.

Duplex necessitas medij, & pręcepti.

Est difficultas de necessitate pręcepti.

2 In huius quæstionis explicatione tria facienda sunt. Primùm videndum est, quid sit dicendum de principali quæsito. Secundùm, dato quod cadat sub præcepto, quo tempore obliget. Tertiùm, vtrùm quotiescunquè quis recordatur peccati commissi, teneatur sub pęna peccati mortalis de illo conteri.

Opin. Soto

3 Quantùm ad primum, Soto in 4. d. 17. q. 2. a. 6. asserit contritionem cadere quoquo modo sub pręcepto confessionis: quia dum ius Ecclesiasticum præcipit confessionem, præcipit nos confiteri debere, eo modo, quo ius diuinum præcipit nos debere confiteri: hoc autem est nos verè accusando: non esset autem vera accusatio, nisi nos verè pœniteret peccatorum; ergo. Et dicit hoc neminem negare.

Reijcitur.

4 Cęterùm licèt præceptum confessionis includat circunstantiam, qualiter, siue modi, qui est, vt quis confiteatur peccatum cum displicentia ipsius, quatenus est, commissum contra Deum, & cum proposito abstinendi, & satisfaciendi, vt dicemus agendo de confessione tamen hęc pœnitentia, & displicentia, quæ in hoc pręcepto requiritur, non est necessariò ipsa contritio perfecta, de qua loquimur, sed attritio, quæ cum sacramento dimittit peccatum. Ideò ex hoc non habemus contritionem cadere sub præcepto confessionis.

1. Assertio.

5 Vt autem sinè ambiguitate procedamus in hac re, notandum est, quòd licèt ista quæstio ab aliquibus intelligatur de contritione sumpta pro pęnitentia, quæ includit, & contritionem, & attritionem: tamen nos ipsam intelligimus de contritione propriè dicta tantùm: nam attritio, quæ est pœnitentia imperfecta, ex se non dimittit peccata, sed solùm cum sacramento pœnitentiæ: at nunc non loquimur de pœnitentia sacramento, sed de pœnitentia virtute; & dicimus eam esse necessariam necessitate pręcepti. Hæc assertio est communis omnium Theologorũ, & licèt Scotus eam expresè non doceat; tamen eam supponit veram, & rationes ex eo adducemus. Eam verò cæteri Theologi expresè tradunt in 4. d. 17. D. Bonau. 2. p. a. 1. q. 1. Richardus, Durandus, & D. Tho. 3. p. q. 84. art. 7. ad 1. Alensis 4. par. quæst. 18. m. 2. a. 3. Soto in 4. dist. 17. quæst. 2. art. 6. Suarez qui alios multos citat de pœnitentia disp. 15. sect. 1.

1. Ratio ex auctoritatibus.

6 Hæc assertio probatur, primò auctoritatibus Sacræ scripturæ, quarum aliquas adducit Scotus in hoc 4. d. 14. q. 1. in argumentis ad oppositum. Lucæ 13. *Nisi pœnitentiam egeritis omnes simùl moriemini.* & Matthæi 4. *Pœnitentiam agite appropinquauit enim regnum Cœlorum.* Probatur adhuc ex Sanctis Patribus, Hieronymus Epist. 2. ad Demetriadem dicit. *Pœnitentiam esse secundam tabulam post naufragium, cui qui naufragium spirituale facit, nisi adhæreat, periclitatur.* Clariùs Tertulianus lib. de pœnitentia cap. 4. vbi ait. *Bonum est pœnitere an non? quid reuoluis? Deus præcipit.* Tandem confirmatur, quia Christus Dominus, Ioan. Baptista, & Apostoli omnes suam prædicationem inchoarunt à pœnitentia, sicut constat, Matth. 3. Marci 1. & Actorum 2. quod est non exiguum argumentum pœnitentiam fuisse sub preceptor; & loquuntur de pœnitentia virtute: quia cum Christus Dominus inçepit pœnitentiam, prædicare nondum institutum erat sacramentum pœnitentiæ, & præsertim Lucæ 13.

Responsio tacita.

7 His omnibus auctoritatibus, qui oppositum teneret, vt Victoria, qui prout Recentiores referunt, tenuit pœnitentiam esse necessariam solùm necessitate medij, responderent eas non concludere nisi necessitatem medij, non autem necessitatem præcepti. Habetur enim ex illis, non posse deleri peccata nisi per pœnitentiam, quod indicat ipsam esse medium, & secundam tabulam post naufragium.

Reijcitur.

8 Contrà. Similibus verbis scriptura, & Christus Dominus vsus est cum instituit, & dedit præcepta de alijs sacramentis necessarijs ad salutem, vt est baptismus, dixit enim. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto non intrabit regnum Cœlorum.*

1. Ratio.

9 Prætereà duabus rationibus efficacissimis idẽ probat Scotus, quibus alij posteà vtuntur, & ampliant, & habentur apud Scotum dist. 17. quæst. 1. art. 1. E. & eas tangunt alij locis citatis. Prima est ex habitu iustitiæ vnicuique innato; nam contritio est confessio mentalis peccatorum cum proposito ampliùs non peccandi, &c. facta Deo, vt patet ex dictis suprà: at talis cõfessio fuit sub pręcepto de lege naturæ; ergo contritio fuit sub præcepto legis naturæ: & cum lex naturæ perseueret adhuc, & lege euangelica perficiatur, sequitur adhuc contritionem cadere sub præcepto. Minor probatur, quia ex lege naturæ hæc est nota, quilibet reus debet iudicari, & puniri: quia nullum delictum relinquendum est impunitum in vniuerso, si est vnus rector vniuersi iustus. Hoc autem est notum naturaliter, vel saltem maximè consonum notis naturaliter, scilicet quòd detur vnus rector vniuersi, qui omnia mala, & peccata puniat: at ex lege naturæ non est notum reum esse iudicandum, & puniendum ab aliquo alio: quia nemo potest esse iudex peccati alterius hominis, nisi vt minister Dei: ex lege autem naturæ non potest haberi, quòd homo sit iudex alterius, vt minister Dei; sed bene, quòd vnusquisque sit iudex, & minister Dei in se ipsum, quia cognoscit de peccato, vt de re mala esse dolendum, vt dicemus in materia de confessione; ergo relinquitur, vt ab eo, qui peccauit peccatum puniri, & vindicari debeat: punire autem peccatum proprium, & illud vindicare in se ipso est actus contritionis; ergo contritio cadit sub præcepto naturæ.

10 Alio modo alij confirmant hanc rationem. Ex iure naturæ, patet vnicuique suum esse tribuendum; sed sic est, quòd peccatum est iniuria Dei; ergo homo peccator tenetur ex præcepto naturali restituere honorẽ ipsi Deo restituere autem honorem Deo, & reficere iniuriam ipsius est dolere de peccato, quia hoc modo Sancti Patres legis naturæ puniebant peccata sua; & pro omni statu post lapsum iusti, qui habuerũt fidem de Deo, quod erat rector vniuersi iustus, postquàm peccauerunt contra le-

gem

gem Dei confitebantur Deo peccata ſua, petentes ab eo remiſſionem, ſcientes eum ſinè tali remiſſione tanquam iuſtum iudicem vindicaturum de illis peccatis. Et proinde clamabat Dauid. *Tibi ſoli peccaui, & malum coram te feci. Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ*, &c. Vndè Sacrum Concilium Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 4. iurè dicit motum contritionis fuiſſe quouis tempore neceſſarium ad impetrandum veniam peccatorum.

2. Ratio. 11 Secunda ratio eiuſdem Scoti eodem loco paulò infrà ſumitur ex præcepto charitatis erga Deum, & erga ſe ipſum, vbi licèt loquatur de confeſſione ſacramentali; tamen in virtute concludit de contritione quoque: eſt autem hæc, Quicunque primam gratiam amiſit tenetur illam recuperare quantùm in ſe eſt; ſed nullum aliud medium eſt ex lege naturæ recuperandi gratiam, niſi contritio; ergo homo tenetur, & eſt obligatus ex præcepto ad habendam contritionem de peccato commiſſo. Maior patet, quia primum eſt maximum præceptum, in lege Dei eſt dilectio Dei, in quo tota lex pēdet, & Prophetę: & ſecundum præceptum eſt dilectio ſui ipſius ſuper omnia alia poſt Deum. Cum autem quis peccat non diligit, ſed offendit Deum, & præponit creaturam Deo, quia ab eo auertitur, & conuertitur ad creaturam. Si autē vult adimplere præceptum charitatis erga Deum, neceſſe eſt, quòd auertat ſe à creaturis, & iterum conuertatur ad Deum: talis autem motus eſt contritio; ergo contritio eſt neceſſaria ratione præcepti charitatis erga Deum. Eſt etiam neceſſaria ratione præcepti charitatis circa ſe ipſum, quia ex hoc præcepto tenetur quis ſe ipſum ſubleuare, & eripere ex miſeria corporis, & multò magis animæ: peccatum autem eſt maxima miſeria animæ; ergo tenetur eripere ſe ipſum à peccatis. Medium ad hoc eſt contritio, vt patet expreſſè ex auctoritatibus ſcripturæ, quæ ad minus probant contritionem eſſe medium ordinarium ad tollendum peccatum; ergo homo ex præcepto dilectionis erga ſe ipſum eſt obligatus ad contritionem.

Dubium. 12 Sed aliquis objiciet contra hanc rationem, ſicut elicitur ex eodem loco Scoti. Quando dantur diuerſa media ad aliquid faciendum obligatus ad illud faciendum, non tenetur magis ad vnum medium, quàm ad aliud eligendum; ſed ſic eſt, quòd ad impetrandam veniam à Deo, & reſtituendum illi honorem ſunt duo media, ſcilicet contritio, & ſacramentum pœnitentiæ; ergo poteſt quis adhibere ſacramentum pœnitentiæ ad reconciliandum ſe Deo, & ſic falſum eſt, quòd ad contritionem obligetur ex præcepto nunc in lege euangelica.

Solutio. Reſpondetur, quòd pro ſtatu legis euangelicæ additū eſt illud medium ad recuperandam gratiam Dei, quòd eſt ſacramentum pęnitentiæ: ideò pro iſto ſtatu manet obligatio, & manet præceptum iſtud ſub diſiunctione, vt ſcilicet homo pœniteat, vel per contritionem perfectam, vel per attritionem coniunctam cum ſacramento pœnitentiæ: ideò ſi ſatisfacit per ſacramentum pœnitentiæ, nō tenetur ad contritionem: tamen qui habet contritionem perfectam tenetur etiam ad ſacramentum: quia eſt ſpeciale præceptum de confeſſione: nec eſt certum, an quis habeat perfectam contritionem; ſed qui adhibuit ſacramentum pœnitentiæ non tenetur ad contritionem, vt ex dicendis infrà, & in materia de præcepto confeſſionis patebit. Soto in 4. diſt. 17. quæſt. 2. art. 6. & alij alias rationes adducunt, ſed cum his coincidunt.

1. Ratio in oppoſitum. 13 Contra hanc aſſertionem ſunt aliquæ rationes parui momenti. Prima eſt. Gratia eſt ad ſalutem neceſſaria ſimpliciter, & tamen non tenemur ad illam habendam ſingulari præcepto; ergo licèt contritio ſit medium neceſſarium ad ſalutem, non tamen propter hoc ſequi videtur vt ſit de illa præceptum.

2. Ratio. 14 Secundò. Contritio eſt vltima diſpoſitio ad gratiā; ergo ſi tenemur præcepto contritionis, videtur ſequi nos teneri ad habendam gratiam præcepto ſingulari: at hoc eſt impoſſibile, quia gratia eſt donū ſupernaturale, quod non eſt in noſtra poteſtate; ergo ad illam habendam nō tenemur.

15 Tertiò. Non tenemur perſeuerare in gratia, quam in baptiſmo accepimus aliquo ſpeciali præcepto; ſed ſolùm alijs præceptis particularibus, vt ſunt decalogi, & eccleſiæ: alioquin, qui hominem occideret, duplici peccato peccaret, ſcilicet lapſu gratiæ, & homicidij, quod eſt falſum: patet ergo maior. Sed ſic eſt, quòd non maiori obligatione obligatur quis ad recuperandam gratiam, quàm ad conſeruandam eam; ergo de contritione, quæ eſt medium ad hoc, non eſt ſingulare præceptum. 3. Ratio.

16 Quartò. Videtur captioſum obligare aliquem ad aliquid, quòd neſcit, an aliquando illud adimpleat; ſed ſic eſt, quòd nemo ſcit quando contritionem perfectam habeat; ergo. Maior eſt euidens. Minor etiam patet: quia nemo ſcit, an odio, vel amore dignus ſit. 4. Ratio.

17 Ad primam reſpondet Soto, vbi ſuprà non eſſe parem rationem de gratia, & contritione, quia gratia eſt finis, contritio eſt medium: præcepta autem dantur de medijs, non de fine. Sed hæc reſponſio eſt nulla, quoniam gratia non eſt finis; ſed gloria: gratia autem habitualis, quę datur in via, eſt medium ad gloriam. Ad primā rationem.

18 Ideò dicendum, quòd & de gratia habenda eſt præceptum, ſicut de contritione: & præceptum eſt præceptum charitatis erga ſe ipſum: vnuſquiſque enim tenetur diligere ſe ſuper omnia excepto Deo: ideò tenetur vitare à ſe omnem miſeriam, & comparare ſibi omne bonum: miſeria autem magna eſt peccatum: gratia eſt magnum bonum; ergo tenetur ad eam etiam ex pręcepto dilectionis: ad illam enim ſequitur directè expulſio culpæ, & infuſio gratiæ, vt patet ex dictis ſuprà.

19 Ad ſecundum. Reſpondetur nos teneri ad habendam gratiam eo modo, quo poſſumus illam habere: poſſumus autem diſponendo noſmetipſos auxilio diuino aſſentiendo: ideò hoc modo tenemur ad habendā gratiā. Ad ſecundam.

20 Ad tertium. Non eſt par ratio de conſeruatione ſui ipſius in gratia, & de recuperatione gratiæ perditæ: quia homo in diuerſis ſtatibus conſtitutus poteſt habere diuerſa præcepta ipſum obligantia. Homo autem in gratia exiſtens eſt in vno ſtatu, in quo non tenetur, niſi ad præcepta vniuerſalia Dei, & eccleſiæ, &c. at dum eſt in peccato eſt in alio ſtatu: ideò præter præcepta vniuerſalia tenetur ad hoc ſingulare præceptum charitatis, vt gratiam conſequatur, quia datur tunc caſus illud actu adimplendi. Ad tertiū.

21 Ad quartum. Reſpondetur hominem teneri ad faciendum, quod in ſe eſt, ſiuè poſtea illam reuera conſequatur, ſiuè non, ſatisfecit præcepto: ideò hoc præceptum non eſt captioſum. Ad quartū.

22 Aliud dubium eſt, quale præceptum ſit iſtud: certum eſt enim eſſe diuinum, neque enim humanum eſſe poteſt, cum etiam Adam ipſe ad illud teneretur, nec ab hominibus poſſit diſpenſari. Cum ergo ſit præceptum diuinum, quærendum eſt, an ſit naturale, vel poſitiuum. An præceptū de contritione ſit diuinū naturale, an diuinū poſitiuum.

In hac diſputatione ſunt duæ opiniones oppoſitæ. Prima tribuitur Medinæ Codice de pęnitentia, tractatu 1. q. 2. art. 2. poſt medium, atque pro ea iſtæ afferuntur rationes. Hoc præceptum de contritione, ſiue de pęnitentia eſt diuinum, non naturale; ergo poſitiuum. Conſequentia eſt euidens. Quòd verò non ſit naturale probatur. Primò, omnia præcepta naturalia continentur in præceptis Decalogi, vel formaliter, vel virtualiter: ſed hoc præceptum in nullo illorum clauditur nec formaliter, nec virtualiter; ergo. Maior patet ex dictis à Scoto, & alijs 2. Sen. d. 36. q. 1. Minor etiam patet: quia quòd formaliter hoc præceptum de contritione in illis non includatur eſt euidens: quòd neque etiam virtute in illis ſimiliter claudatur eſt euidens: quia per euidentem conſequentiam non poteſt colligi ex aliquo illorum. 1. Ratio pro prima opinione.

23 Secundò. Præcepta naturalia ſunt immutabilia, vel ſaltem ſecundùm legem ordinariam Dei non mutantur; ſed ſic eſt, quòd hoc præceptum de pœnitentia, & contritione eſt mutabile; ergo. Maior eſt euidens. Minor probatur, 2. Ratio.

batur, quia potuit Deus remittere peccatum absque eo quòd exigeret ab hominibus formalem contritionem peccatorum, sed esse contentum sola dilectione sui ipsius: potuit etiam iustificare homines per solam attritionem. Tandem in lege euangelica hoc præceptum mutatum est: nam nunc non simpliciter obligat; quia, qui habens attritionem, accedit ad sacramentum pœnitentiæ, consequitur gratiam, nec tenetur ad contritionem: ante legem euangelicam verò obligabat simpliciter, quia nullum aliud medium aderat.

3. Ratio.

24 Tertiò. Non potest intelligi, nec cognosci hominem obligari ad præceptum contritionis, nisi adsit aliqua lex positiua explicans mentem Dei esse hominem teneri ad pœnitentiam; ergo hoc præceptum est de iure positiuo non naturali. Antecedens probatur. Nam vel lex naturalis obligat ad præceptum contritionis propter rectitudinem naturalem voluntatis, vel vt per huiusmodi actum satisfaciat Deo. Non primum: quia ad regulandam voluntatem in bono sufficeret obligatio ad propositum ampliùs non peccandi: quia sicut ex actibus vitiosis generatur habitus vitiosus, ita ex actibus bonis generatur habitus bonus, & rectus; non erat ergo opus detestatione, & dolore peccati, sed sufficiebat propositum nouæ vitæ. Si verò dicatur secundum, tunc sic. Non potest vlla actio humana in se esse satisfactio æquiualens pro peccato, & iniuria illata Deo, sed necesse est, quòd Deus illam acceptet pro satisfactoria: at non potest hoc esse nisi per aliquam legem manifestet Deus se talem operationem pro satisfactoria accipere; ergo hoc præceptum est de iure positiuo Dei.

Scoti, & aliorũ opin. quæ est vera.

25 Alia est opinio contraria, & est communior, quòd hoc præceptum sit diuinum, sed legis naturæ: quam opinionem sequuntur Scotus, & alij authores suprà citati locis prædictis. Scotus in 4. d. 17. q. 1. art. 1. D. Thomas 3. p. q. 84. art. 7. ad primum, vbi ait de iure naturali esse quòd aliquis pœniteat de malis, quæ fecit: idem innuit q. 86. ar. 6. ad vltimum. Caietanus q. 84. art. 7. Soto d. 14. q. 7. art. 7. & eodem modo loquuntur alij Scholastici. D. Bonauentura in 4. dist. 17. p. 2. art. 3. q. 1. Richardus ar. 2. q. 3. Alensis 4. p. q. 18. m. 2. ar. 3. §. 2. & alij eget tamen declaratione, vt posteà videbimus.

1. Ratio.

Prima ratio pro hac opinione est, quia ante legem scriptam Moysis nulla fuerunt præcepta Dei positiua: vndè propter hoc illud tempus ante legẽ scriptam dicitur tempus legis naturæ: pro illo ergo tempore nullum potuit esse præceptum positiuum diuinum. Attamen pro illo tempore fuit hoc præceptum de contritione, & pœnitentia: quia Adam obligabatur ad illud, & quot quot illo tempore peccauerunt, iuxta dicta superiùs, & sacrum Concilium Tridentinum asserens contritionem quocunque tempore fuisse necessariam ad impetrandam veniam peccatorum.

2. Ratio.

26 Secundò. Præcepta de iustitia, & charitate sunt naturalia, siue conformia naturæ humanæ, siue ista præcepta respiciant Deum, siue homines: at præceptum de contritione, & pœnitentia, est præceptum prouenien ex charitate, & iustitia; ergo est præceptum legis naturæ. Maior probatur. Illud est præceptum legis naturæ, quòd ex puris terminis apprehenditur esse verum, vel euidenter deducitur ex principijs notis ex terminis: ita quòd sicut in speculabilibus principia prima sunt ea, quæ habent euidentiam ex terminis, vel ex illis euidenter colliguntur: ita in practicis, illa propositio est principium naturale, quæ est euidens ex terminis, vel saltem ex illis euidenter colligitur. Illud ergo præceptum est de iure naturæ, quod ex puris terminis absque vlla alia reuelatione externa est notum esse verum: præcepta autem charitatis erga Deũ, & proximum, scilicet, diligendũ esse Deum super omnia, (supposita cognitione, quòd Deus sit quæ illo tempore naturaliter haberi poterat) & se ipsum post Deum, & reddendum esse vnicuique quod suum est, sunt propositiones veræ notæ lumine naturali; ergo sunt præcepta de iure naturæ, quòd optimè ostendit Scotus in 3. d. 37. §. *Contrà primum istorum*, &c. quia nil clarius notum est ex natura, quàm quòd nulli est irroganda iniuria, nec damnum; ergo multò magis Deo supremo domino: hæc enim præcepta erant scripta in cordibus hominum, sicut & in nobis absque alia externa promulgatione, & obligatione. Minor patet ex dictis suprà de contritione, & eius motiuo.

Quomodo hoc præceptum sit de lege naturæ. Primũ notandum.

27 Verùm hic sunt duo notanda, quæ eliciũtur ex Scoto in 3. d. 37. in responsione ad 2. & 3. principale. Primò, quòd non omnia præcepta legis naturæ, & nota quãtum est ex se ex terminis, erant nota populo existenti in statu legis naturæ ante legem scriptam post peccatum: quia etsi in statu innocentiæ illa essent omninò nota, quia peccatum nondum induxerat ignorantiam, tamen post peccatum, & cursu temporis populus ille factus est rudis, & inexercitatus in speculabilibus: ideò licèt naturaliter posset ex terminis concludi Deum esse, & consequenter esse colendum super omnia, & alia præcepta naturæ cognosci, vt sunt præcepta Decalogi primæ tabulæ, & istud de pœnitentia, &c. vt suo loco dicam, tamen ille populus has veritates, & principia non cognoscebat saltem vt oportet: propter quod fuit opus lege positiua, quæ eum hæc doceret, iuxta illud Apostoli ad Hebreos 11. *Oportet accedentem ad Deum credere, quia est.* & ad Romanos 7. *Concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, non concupisces.* vbi Apostolus non vult dicere absolutè, quòd in lege naturæ non possit cognosci ex principijs naturalibus nobis notis Deum esse, sed quòd si quis propter ignorantiam clarè hanc veritatem non poterat cognoscere, scilicet Deum esse, debebat illam supponere pro vera, & credere: neque voluit dicere, quòd ex principijs notis naturaliter non possit cognosci aliquam concupiscentiam esse contra legem naturæ, sed quòd hominibus corruptis hoc non erat notum: ideò opus fuit lege positiua hoc magis declarare. Ex quo sequitur, quòd etsi ista præcepta sint de lege naturæ, & in statu innocentiæ tenebantur illa obseruare, quia illa optimè nouerant, nec egebant auxilio externo cognitionis, sed sufficiebat lex scripta in cordibus eorum: tamen post peccatum eguerunt instructione aliqua externa data à Deo, quam discebant parentes, & descendebat in filios: & hac ratione potest dici, quòd etsi radicaliter sint de iure naturæ; tamen quò ad explicationem exactam erant positiua, scilicet per aliquam externam instructionem, quæ à parentibus ad filios descendebat, & memoriæ mandabatur absque scriptura: quia populus illius temporis erat longioris vitæ, & fuit melioris dispositionis in naturalibus, quàm populus temporis posterioris, quo tempore infirmitas populi requirebat legem dari, & scribi.

Secundum notandum

28 Alterum, quod est notandum, & sequitur ex dictis proximè est, quòd præceptum de contritione, & pœnitentia potest duobus modis considerari. Vno modo absolutè, quatenus includit pœnitentiam virtualem, vel formalem. Altero modo propriè, quatenus arctatur ad pœnitentiam formalem, siue ad modum specialem pœnitentiæ, qui est detestatio peccati, &c. Hoc præceptum primo modo est proculdubio de lege naturæ, vt probatum est nunc per rationes secundæ opinionis: quia notum est ex lumine naturali, quòd Deo est satisfaciendum pro iniuria illata; sed de modo, an scilicet qui peccauit debeat satisfacere per pœnitentiam formalem, & illo modo particulari, qui est per detestationem peccati, est dubium. Suarez disput. 15. sect. 3. num. 7. tenet hoc pacto non esse de iure naturæ, quia hic modus videtur esse de lege positiua, & hoc ait concludi per rationes primæ opinionis adductas: de lege enim naturæ satis esse videtur, vt sit præceptum satisfaciendum esse Deo in generali; sed modus posteà per contritionem determinatus sit lege positiua. Et hic modus dicendi mihi quoque placet, quia de lege naturæ solùm esse videtur, vt iniuriam Dei ita propellamus, vt gratiam ipsius acquiramus. Modus autem, quo acquiramus gratiam Dei post peccatum, non est solùm

con-

contritio, & pœnitentia formalis, sed virtualis, vt dilectio Dei, martirium, & huiusmodi, vt suprà diximus; ergo modus, & formalitas istius præcepti videtur esse de lege positiua: & hoc idem innuere videtur Scotus vbi suprà in responsione ad tertiũ, dũ de præceptis Decalogi dicit, quòd illa scripta erant in cordibus hominum, vel per aliquam doctrinam externam data erant eis à Deo: illa enim doctrina externa erat potius declaratio illorum, quàm traditio substantiæ eorum præceptorum. Vndè videtur velle, quòd substantia præcepti sit de lege naturæ, sed declaratio, & explicatio in particulari sit de lege positiua: patet autem etiam in humanis non esse inconueniens dari præceptum de facienda satisfactione, & nullã tunc haberi considerationem de modo satisfaciendi, & alio tempore posteà statui de modo satisfaciendi: vel dicamus, vt suprà, quòd & præceptum, & modus satisfaciẽdi Deo per pœnitentiam est de iure naturæ: quia est satis conformis lumini naturali, vt offensa Dei per detestationem eiusdem offensæ dimittatur: tamen in statu naturæ post peccatum hæc intelligentia erat obscurata, & sic eguit externa admonitione Dei, quæ erat lex positiua descendens à patribus ad filios per traditionem vsque ad legem scriptam.

29 Et hoc modo possunt istæ duæ opiniones conciliari aliquo modo. Nam rationes secundæ opinionis concludunt hoc præceptum esse de iure naturæ, quò ad substantiam, & in generali; sed quò ad modum particularẽ esse de iure positiuo, vel vtrunque esse de iure naturali, tamen propter obscuritatem ignorantiæ eguisse positiua lege. Nihilominus ad rationes pro prima opinione est respondendum in particulari.

Ad primã rationem.

30 Ad primam. Respõdetur ab aliquibus hoc præceptum de pœnitentia reduci ad quintum pręceptum de nõ occidendo: quia si homo tenetur alios non occidere, multò magis tenetur nõ occidere se ipsum spiritualiter, quod fit per peccatum. Sed hæc responsio rectè reijcitur à recentioribus: quia est reductio nimis remota, & moralis: & si valeret, posset pari modo dici, quòd homo speciali præcepto tenetur ad non peccandum mortaliter, quia sic occidit se ipsum.

31 Respondetur ergo falsum esse omnia pręcepta specialia legis naturæ contineri in pręceptis decalogi: potiùs omnia præcepta decalogi reducuntur ad præcepta legis naturæ, quorum aliqua sunt de lege naturæ strictè, vt pręcepta primæ tabulæ, aliqua sunt de lege naturæ largè, vt præcepta secundæ tabulæ: non autem omnia pręcepta naturæ reducuntur ad præcepta decalogi. Possumus ergo dicere non esse necessarium, vt reducatur ad aliquod illorum, nec formaliter, nec virtualiter: vel dicamus, quòd hoc pręceptum pænitendi radicaliter continetur in præcepto dilectionis Dei, & sui ipsius; formaliter verò est quędam iustitia, quæ reducitur ad præceptum primum colendi, & honorandi Deum.

Ad secundam.

32 Ad secundam. Respondetur secundùm legem Dei ordinariam præcepta de lege naturę esse indispensabilia, sed secundùm potentiam absolutam possunt dispensari: quia posset Deus remittere peccatum sine aliqua satisfactione, vt suprà dictum est: quia Deus ad extrà nihil necessariò efficit, sed merè contingenter: ideò sicut ordinauit peccatum remitti debere per pœnitentiam, ità potest illud præceptum mutare, & ordinare, vt dimittatur per alios actus, vel sinè vllo actu nostro dimittatur, & sic non manebit obligatio. Et hac ratione mutauit in lege noua præceptum de penitentia, & contritione: quia priùs obligabat simpliciter, nunc obligat sub disiunctione, non simpliciter. Hoc autem fit sine mutatione diuinę voluntatis, quia hoc facit voluntate antiqua non noua.

Ad tertiã.

33 Ad tertiam. Respondetur propter vtrunque simul datum esse pręceptum pœnitentię, vndè in pœnitentia vtrunque includitur. Cum autem dicitur, quòd homo non potest satisfacere Deo, nisi Deus acceptet opus, & det gratiam suam, & quòd hęc manifestatio debet haberi in lege aliqua positiua. Respondetur ex principijs lumine naturali notis haberi cognitionem, quòd facienti, quod in se est Deus non denegat gratiam suam, & quòd auxilio suo prestò est nos adiuuare, & misereri. Hęc tamen cognitio est magis explicata, & declarata, per legem positiuam in statu naturę datam Adę, & posteris, & per patres translatam in filios vsque ad legem scriptam.

Rationes pro secũda opin. nõ cõcludũt aliquid cõtra nostrã opinionem.

34 Rationes pro secunda opinione non concludunt aliquid contra nostram opinionem. Ad primam enim rationem dicimus, quòd in lege naturę fuerunt omnia pręcepta naturę data quò ad esse vniuersale, & generale; quò ad particularia verò fuerunt determinata per legem positiuã Dei datam Adę, & suis posteris. Vndè pręcepta de iustitia, charitate, spe, & similia fuerunt semper necessaria. Et cum dicitur in statu legis naturę non fuerunt pręcepta positiua. Respondetur hoc verum esse de actibus externis, quibus cultus Dei, & hęc pręcepta executioni mandabantur extrinsecè; tamen interius per aliquam legem positiuam fuerunt determinata. Vel dicamus, vt suprà, quòd in lege naturę omnia pręcepta naturæ etiam quantùm ad particularia erant inserta, & scripta in cordibus hominum, sed propter ignorantiam inductã propter peccatum, illa cognitio fuit obnubilata: ideò opus fuit reuelatione, & doctrina Dei externa, quę illa pręcepta magis manifestaret, & sic fuerunt etiam de lege naturę, & positiuę: per hoc idem patet ad secundam rationem.

An impœnitentia sit speciale peccatum.

35 Ex dictis colligitur impœnitentiam esse speciale peccatum: quia opponitur speciali pręcepto: ideò omittere pœnitentiam tempore debito pro quo obligat pręceptum pœnitentiæ ad pœnitendum, (neque enim obligat pro quocunque tempore, vt nunc videbimus) est speciale peccatum.

1. Obiectio.

Sed contra hoc est duplex dubium. Primò quia impęnitentia videtur esse circunstantia generalis, quę cuicunque peccato est annexa: qui enim facit aliquod peccatũ, illud ei non displicet, sed placet. Confirmatur, quia daretur processus in infinitum: nam si impęnitentia de primo est peccatum speciale, erit secundum peccatum; impęnitentia de hoc secundo erit aliud speciale peccatum, & sic erit tertium, & sic de alijs in infinitum, quod est absurdũ.

2. Obiectio.

36 Secundò si impęnitentia de peccato est speciale peccatum, non erit vnum, sed triplex peccatum. Consequens est falsum; ergo. Consequentia probatur: quia opponeretur triplici obligationi, à qua prouenit præceptum pœnitentię, scilicet pręcepto charitatis erga Deum, pręcepto charitatis erga se, & pręcepto iustitię. Falsitas consequentis probatur, quia sequèretur, quòd homo nunquã posset mori in vnico peccato mortali, quia moreretur in quadruplici peccato e.g. Si quis peccat peccato furti, & non pœnitet de illo, ac in illo moritur, moritur primò in peccato furti, secundò in peccato impęnitentiæ, quatenus opponitur iustitiæ erga Deum, tertiò in peccato impęnitentię, quatenus opponitur charitati erga Deum, quartò in peccato impęnitentię, quę opponitur charitati erga se. Similiter cum quis peccat, peccaret quadruplici peccato, e.g. peccato furti: deinde peccato iniustitię contra Deũ, quia sicut tenetur ad reddendum honorem debitũ Deo, ita tenetur ad nunquam offendendum ipsum, quod est pręceptum negatiuum, & obligat pro semper; & sicut tenetur diligere Deum, ita multò magis tenetur ad nunquã eum offendendum, & sic de alijs; ergo in quolibet peccato essent quatuor peccata, quod est absurdum.

Respõsio.

37 Respondetur proculdubio esse vnum peccatũ propter rationem factam scilicet, quia opponitur vni præcepto speciali. Notandum est tamen, quòd aliquis potest nolle pœnitere debito tempore tribus modis: vno modo expresè, ita quòd optimè cogitat tempore mortis esse pęnitendum sibi, & tamen ipse expresè determinat illo tempore nolle pęnitere. Et hoc est speciale peccatum, & quocunque tempore quis habeat hunc actum est semper speciale peccatum secundùm affectum, & est communis do-

ctrina

ctrina Theologorum. Vel potest nolle actum pœnitendi interpretatiuè, vt putà, quia tempore debito pęnitēdi vult aliquid incompossibile actui pœnitendi, vel ex ignorantia culpabili, vel ex negligentia culpabili omittit pęnitere: & tunc etiam, est speciale peccatum: sicut qui tempore debito debet audire missam, & ipse vult illo tempore ludere in platea, qui lusus est incompossibilis auditioni missæ. Tertio modo potest accipi impęnitentia negatiuè, idest pro carentia pęnitentiæ, non per modum priuationis, sed per modum negationis tantùm, idest non pęnitere pro eo tempore quo non tenetur quis pęnitere: & hoc modo est circunstantia omnis peccati; quia, dum quis manet in quolibet peccato, non pęnitet: est tamen peccatum veniale, inquit Soto eo articulo sexto, quia est non volitio obiecti boni. Quid verò sit dicendum de D. Thoma qui 2.2. q. 14. ar. 1. ad 3. dicit impęnitentiam in articulo mortis non esse peccatum speciale: quia impœnitentia est circunstantia generalis, quæ cuicunque peccato potest adiungi, discrepant Thomistæ. Posset dici, vt suprà, quòd dum dicit impęnitentiam non esse speciale peccatum, sed circunstantiam, loquitur de impęnitentia negatiuè, & habita tempore quo homo non tenetur pœnitere, sed impęnitentia habita tempore, quo quis pęnitere debet, etiam secundùm ipsum, debet esse speciale peccatum.

Ad primã rationẽ in oppositũ. Ex dictis patet ad primam rationem in oppositum, quia impęnitentia, quæ est circunstantia omnis peccati non est speciale peccatum mortale, sed quæ habetur tempore debito pœnitendi, & est voluntaria duobus primis modis.

Ad Confirmationem. 38 Ad confirmationem patet, quòd non est processus in infinitum, quia non tenetur quis ad habendam pœnitentiam statim de peccato commisso, sed certis temporibus, vt posteà dicemus: ideò solùm tunc est peccatum mortale impœnitentia.

Ad secundam. 39 Ad secundam rationem respondetur impœnitentiam esse vnum peccatum, quia est contra vnum præceptum speciale. Cum arguitur: quia opponitur triplici obligationi, & triplici præcepto. Respondetur, quòd præceptum de iustitia erga Deum: præceptum de charitate erga Deum, & proximum, non habent rationem præceptorum specialium, sed vnius præcepti generalis, à quo alia præcepta pendent, vt elicitur ex Scoto in 1. dist. 37. §. *Ex ista solutione*, &c. Vndè non solùm peccatum impœnitentiæ opponitur illi triplici obligationi, sed quodcunque peccatum: quia omne peccatum est contra iustitiam erga Deum, contra charitatem erga Deum, & sui ipsius: ideò ab istis obligationibus, & præceptis non potest sumi distinctio, & multiplicatio peccatorum.

Quo tempore quis teneatur ad habendum contritionem, seu pœnitentiam de peccatis ex iure positiuo, diuino, & humano. Caput Secundum.

40 GRatis, & difficilis est ista quæstio de tempore, quo quis obligatur ad habendam contritionem, seu pœnitentiam de peccato. Omnes Theologi quidem fatentur hoc præceptum, cum sit affirmatiuum obligare ad semper, sed non pro semper, idest obligare tantùm quando adest necessitas ponendi actum præcepti in esse: verùm quodnam sit tempus istud, quo occurrit necessitas ponendi in actu hanc detestationem, ita quòd nisi ponatur in esse sit peccatum mortale, est maxima contentio. Nam licèt in aliquibus casibus omnes Theologi conueniant; in alijs tamen posteà discrepant. Vt ergo ordinatè procedamus, supponendum est, quòd tempus, in quo est necessitas ponendi in actu hoc præceptum, determinatur ex triplici radice; vel enim determinatur ex intrinseca ratione huius præcepti; vel ex ratione extrinseca, & hæc est duplex; vel enim oritur ex iure positiuo determinante hoc tempus; vel ex aliqua accidentali causa, quæ cum aduenit tenetur quis conteri, & pœnitere de peccato. Vt incipiamus à faciliotibus, agemus de tpe determinato à iure positiuo.

41 Hic sunt tres opiniones. Prima, asserit, quòd hoc tempus est omnis dies festus. Secunda, quòd est tempus Paschatis cuiuslibet anni. Tertia, quòd nullum tempus est determinatum de iure positiuo. Prima opinio est Scoti, quem multi alij sequuntur, & clariùs eam tenent Gabriel Biel 3. d. 27. q. 1. art. 1. in fine, citatur Marsilius in 4. q. 12. art. 1. particula quinta, & alij, quos omitto. Hanc priùs explicabimus, & confirmabimus, ex quo aliæ duæ reijcientur. Scot. ergo in 3. d. 27. q. 1. §. *Quantũ ad secundũ dico*, &c. videtur fauere illi opinioni, quæ asserit tempus determinatũ à iure positiuo esse dies festos. Facit enim ibi hanc rationem, quæ simùl declarat mentem Scoti, & opinionem ipsam confirmat. Præceptum illud Deuteronomij. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde*, &c. est præceptum quod obligat non solùm ad fugiendum contrarium, scilicèt odium Dei, sed obligat ad ponendum in esse pro aliquo tempore actum positiuum elicitum dilectionis Dei super omnia. Hęc propositio probatur: quia quicunque tenetur ad habendum actus virtuosos, & bonos, quorum bonitas prouenit ex aliquo alio actu, necessariò tenetur ad habendum illum priorem actum, sed sic est, quòd homo tenetur ad habendum actus morales bonos, & virtuosos, quorum bonitas prouenit ex dilectione Dei super omnia; ergo. Maior propositio est euidens: quia ablato illo priori actu, cęteri actus non haberẽt bonitatem, cum eam ab illo priori recipiant. Minor quò ad primam partem patet: quia homo tenetur ad actus præceptorum in legibus contentorum, qui sunt actus moraliter boni. Quò ad secundam partem quoque patet, quia actus moraliter bonus debet habere circũstantiam finis debitam; hæc autem apud Theologum est dilectio Dei: ideò illi actus solùm sunt boni, qui sunt boni propter dilectionem Dei. Concluditur ergo, quòd homo tenetur ad habẽdum aliquo tempore actum dilectionis Dei. Tunc quæritur, quodnam sit illud tempus. Respondet Scotus, videri sibi esse illud tempus quod determinatur per tertium præceptum, *Sabbata sanctifices*. (Hoc tamen non dicit plenè asserendo, sed ait. *Fortè determinauit hoc illud præceptum diuinum Sabbata sanctifices*) Sabbatum autem est idem apud Christianos, quod dies festus; ergo dies festus est tempus determinatum, in quo præceptum de dilectione Dei obligat ad actum.

Tres opiniones.

Opin. Scoti.

1. Ratio ex Scoto.

42 Ad hoc adducit Scotus etiam rationem, quæ est, quòd Exodi 20. dicit Deus dum præcipit Sabbatum sanctificari, quòd *maneat vnusquisque apud se*, idest recolligendo se, & ascendendo ad Deum suum. Ex quo subiungitur sic. At non potest quis diligere Deum super omnia, nisi detestetur peccata commissa; ergo.

43 Confirmat, quia Ecclesia videtur specificasse tempus ponendi in esse actum dilectionis Dei, dum specificauit die Dominico esse audiendã Missam, de consec. d. 2. cap. *Missas*. Non potest autem quis audire Missas, idest habere actum adorationis, & dilectionis Dei super omnia, nisi detestetur peccata commissa; ergo. Confirmatio.

44 Secunda ratio ex alijs, ex vi tertij pręcepti tenemur vacare Deo, & cultui eius: quod non potest facere conuenienter ille, qui est in peccato, nisi de illo doleat. 2. Ratio ex alijs.

45 Tertia. Ad hoc ordinantur festa, vt homo in illis sanctificetur: at homo non potest sanctificari, nisi à peccato mundetur, quod fit per pœnitentiam de illis; ergo homo in die festo tenetur ad pęnitentiam. 3. Ratio.

46 Aduersus hanc sententiam insurgunt Soto in 4. d. 17. q. 2. art. 6. & Suarez disp. 15. sect. 6. n. 11. & alij ab eo citati. Primò sic. Præceptum de cultu festorum, & præceptum de pœnitentia sunt distincta præcepta: quia vnum pertinet ad iustitiam, scilicet præceptum de pęnitentia: alterum ad religionem, scilicet festorum cultus: nullum autem præceptũ obligat ad officia alterius; ergo præceptum de cultu festorum non obligat ad pęnitentiam. 1. Ratio cõtra opinionem Scoti.

47 Secundò. Pręcepta non obligant ad finem, sed ad media quibus finis obtinetur: at pręceptum de cultu festorum obligat ad media consequendi dilectionem Dei; ergo non 2. Ratio.

go non obligat ad ipsam dilectionem Dei, quæ est finis. Maior est euidens, quia non datur præceptum de fine, sed de medijs propter finem: nemo enim dat pręcepta de habenda sanitate, sed de medijs ad consequendam sanitatem. Minor patet quoque, quia præceptum de diebus festis non obligat nisi ad abstinendum ab opere seruili, & ad audiendum sacrum, siue Missam, vt vsus ecclesiæ habet: ista autem duo sunt media ad consequendum finem hunc, qui est dilectio Dei: potest enim concedi, quòd ordinati sint dies festi ad dilectionem Dei, tamẽ finis non cadit sub præcepto, vt dictum est.

3. Ratio.

48 Tertiò. Esset nimis durum, & difficile, vt quilibet fidelis in tam festorum aceruo numeroso teneretur ad legitimè conterendum, atque ad omnes fimbrias peccatorum, & occasiones præscindendas.

4. Ratio.

49 Quartò. Ecclesia decreuit explicando hoc præceptum, homines semel in anno compelli ad peccatorum pęnitentiam; ergo ius diuinum non compellit ad tam crebram contritionem, siuè pęnitentiam internam.

5. Ratio.

50 Quintò arguit Suarez. Præceptum cultus festorum se extendit ad vnum negatiuum, quod est, abstinentia ab opere seruili, & alterum positiuum, quod est, audire Missam: at vtrumque horum potest fieri absque contritione peccatorum; ergo. Maior supponitur vera ex vsu ecclesiæ. Minor quò ad primam partem videtur esse euidens: quia absque vlla contritione quis potest vacare ab opere seruili. Quòad secundam partem quoque probatur: quia is, qui est in peccato mortali, potest efficere actum religionis, prout est præceptus absque eo, quòd sit gratia sanctificatus, ac ex gratia procedat: quia non est de ratione illius præcepti, vt quis faciat actum religionis in gratia, & sinè peccato.

51 Confirmatur, quia determinatio de audiendo sacrum die festo est præceptum Ecclesiasticum: Ecclesia autem non potest pręcipere actum internum.

2. Opin. q̃ est Soto.

52 Propter has rationes Soto tenet, vbi suprà, quòd tempus determinatum, quo præceptum pœnitentiæ obligat, est articulus mortis, & semèl in anno, vt tempore paschatis. Adiungit Soto aliud tempus, in quo putat necessariam esse contritionem, scilicet quando immineret periculum obliuionis peccatorum.

Fundamentum Soto.

Fundamentum huius opinionis est, quia præceptum de contritione legis naturæ, & scriptæ Christus Dominus determinauit in lege Euangelica quò ad modum, per legem annualis cõfessionis: ita quòd præceptum de pœnitentia, & contritione in lege naturæ, & lege scripta, in lege Euangelica est idem quod præceptum de confessione: & quia ex Euangelio liquido non poterat colligi, quodnam sit hoc tempus, Ecclesia illud determinauit per præceptum de annuali confessione. Asserit ergo singulis annis, vt putà in Paschate vnumquenquè teneri ad sacramentum pœnitentiæ; vel si non possit habere copiam sacerdotis, vel adsit aliquod aliud impedimentum, teneri ad contritionem: quia hoc tempus esse tempus obligationis, est determinatum à Christo, & ab Ecclesia. Quòd verò vnusquisque teneatur in articulo, & imminenti periculo mortis ad confessionem, est clarum; & cum illa haberi non potest tenetur ad contritionem.

3. Opin. q̃ est Suarez.

53 Suarez disp. 15. sect. 6. n. 15. tandem cõcludit nullum esse determinatum tempus ex iure positiuo, neque diuino, neque humano: quam opinionem probat ex confutatione duarum pręcedentium ostendendo, quòd tempus assignatum ab illis non sit tempus necessitatis huius præcepti: & consequenter nullum aliud, quia si aliquod esset, esset pręsertim aliquod illorum: nullum illorum est; ergo. Quòd autem non dies festus; probat per rationes adductas contra opinionem Scoti. Quòd verò non sit vera opinio Soto, probat rationibus, quibus nunc infra vtemur aduersùs Soto.

Opin. Soto reijcitur, & cõfirmatur opin. Scoti.

54 Licèt res hæc difficilis sit, ego tamen puto opinionem tributam Scoto esse veram, licèt ea ex illo non habeatur apertè. Eius autem veritas patebit ex confutatione opinionis Soto, & ex confutatione opinionis Suarez, quæ cõfutatio habebitur ex confirmatione opinionis Soti. In primis quòd opinio Soto sit falsa euidenter ostendit Suarez: quia præceptum de confessione annuali non includit nęcessariò contritionem, sed vel contritionem, vel attritionem: & ratio est, quia lex de annuali confessione obligat tantùm ad illud, quod est necessarium ad verum sacramentum pœnitentiæ: illud autem potest esse sola attritio; ergo tunc contritio non cadit sub præcepto. Falsum ergo assumit Soto, quòd præceptum contritionis sit determinatum per præceptum de sacramento pœnitentiæ: quia hæc sunt diuersa præceptà. Nec præceptum de confessione includit ex vi sua præceptum de contritione, nisi quatenùs includitur in sacramento confessionis: cum autem sacramentum confessionis possit haberi per attritionem, non requiritur contritio. Vndè dato, quòd tempore Paschatis quis non possit habere copiã confessoris, & quòd illo tempore teneretur ad contritionem, non teneretur ex vi præcepti contritionis, sed alterius præcepti, scilicet legis naturæ de contritione.

55 Prætereà secundùm omnes Theologos, & ipsum Soto, si quis suscipiat sacramentum pœnitentiæ tempore pręcepto indignè, & sinè cõtritione, satisfacit pręcepto illi particulari Ecclesiastico de annuali confessione, licèt peccet contra generale præceptum de sacramentis dignè recipiendis; ergo signum euidens est, quòd illud præceptum confessionis annualis nõ est præceptum contritionis: quia tunc illam non habendo, non satisfaceret illi præcepto particulari, & tamen satisfacit.

Periculum obliuionis non determinare tẽpus contritionis.

56 Quod etiam ait teneri ad contritionem quotiescunque imminet periculũ obliuionis peccatorum, est falsum, quia præceptum contritionis non obligat ad recogitationem, & detestationem cuiuscunque peccati particularis, vt suprà vidimus, sed solùm in generali; ergo licèt aliquod peccatum cadat in obliuionem, hoc non impedit actum contritionis.

Opin Scoti cõfirmatur.

57 Quòd autem opinio Scoti sit saltèm valde probabilis, & probabilior opposita, licèt, vt dixi, Scotus implicitè, & sub dubbio illam innuat, probatur ex ratione eius ibi adducta, ex cuius probatione remanebit impugnata opinio Suarez: pro cuius intelligentia suppono, quòd vnusquisque tenetur sæpe sæpius ad eliciẽdum actum dilectionis Dei in vita, non autem in solo articulo, vel periculo mortis. Cum enim sit pręceptum affirmatiuum obligat ad semper, non pro semper, sed tempore debito: nimis autem absurdum est dicere, quòd nunquam in tota vita occurrat tempus ponendi in actu hoc præceptum, quod est fundamentum totius legis diuinæ, nisi semel, vel bis; cum tempus adimplendi alia præcepta affirmatiua minoris momenti, quàm sæpè occurrat. Tunc vlteriùs subsumo; ergo necesse est, quòd sint aliqua diuersa tempora præter articulum mortis, in quibus vnusquisque teneatur ad hunc actum. Consequentia est euidens, quia repugnat, quòd aliquis teneatur ad habendum plures, & diuersos actus in vita sua, & non sit determinatum tempus, in quo ad hos actus teneatur: quia si in toto tempore vitæ nullum tempus sit determinatum, poterit peruenire ad extremum vitæ absque eo, quòd coactus fuerit actũ aliquẽ istorũ ponere in esse: quia scilicet nũquàm debitum tempus occurrit. Hoc autem statuto, nullum aliud tempus videtur aptius huic determinationi, quàm dies festus, quod probatur, tum quia, nec tempus annualis confessionis assignatum à Soto, nec tempus, in quo est periculum obliuionis, determinant hoc præceptum, vt visum est contra Soto, & Suarez sect. 6. n. 16. vt infrà videbimus, nullum assignat certum tempus præter articulum mortis, & tamen ex dictis ibidem ab ipso debet aliquod aliud assignari: hoc autem non potest rationabiliter esse aliud quàm dies festus, qui ex iure diuino hoc præceptum determinet; alioquin quò ad hoc præceptum essemus perplexi, quod est inconueniens: tum quia ex Sacra scriptura dies Sabbati videtur sanctificatus esse principaliter propter exibitionem actus dilectionis Dei. Nam Exodi cap. 16. loquens Dominus

de die

de die Sabbati habet hæc verba. *Videte quòd Dominus dederit vobis Sabbatum, & propter hoc die sexta tribuit vobis cibos duplices, maneat vnusquisque apud semetipsum, & nullus egrediatur de loco suo die septimo*. Ex quibus verbis apparet finẽ traditionis præcepti de Sabbato fuisse, vt illa die Hæbrei manerent apud se, idest recolendo se, & ascendendo ad Deum suum.

58 Ex quo sequitur falsum esse in præcepto sanctificationis Sabbati haberi pręcipi solùm cessationem ab opere seruili, & cultum Dei in genere. Nam etsi verum sit in illo pręcepto cõtineri cessationem ab opere seruili, & cultum Dei, non tamen verum est quòd præcipiatur sola cessatio ab opere seruili, & cultus solùm in generali: immò habetur præcipi cessationem operis seruilis propter recollectionem sui ipsius, & ascensionem ad Deum suum: & præcipitur cultus determinatus non in communi, quia præcipitur, vt vnusquisque maneat apud se. Vndè Scotus non facit vim in illis verbis. *Affligetisque animas vestras*. quæ adducunt, & expendunt Suarez, & alij, sed in his. *Maneat vnusquisque apud sè*, ex cap. 16. Exodi, ad quæ nullus respondet. Ex hoc antecedenti autem sequitur propositum, quòd die festo vnusquisque tenetur ad præceptum de cõtritione: quia dilectio Dei super omnia non potest haberi sinè contritione peccatorum, quæ consequentia est de se euidens. Si enim occurrit mihi peccatum, illud non detestor, est impossibile, quòd simùl diligam Deum super omnia: quia inuoluit contradictionem, vt suprà in materia de contritione dictum est.

Confirmatio. 59 Confirmatur, quia Ecclesia determinauit, die dominico, & extenditur ad omnes dies festos, audiendam esse Missam de consecr. dist. 2. cap. *Missas*. Tunc sic, at audire Missam est exhibere Deo actum latriæ; exhibitio autem actus latriæ non potest esse sinè dilectione Dei formali, vel virtuali: nam adoratio latriæ est protestare Deũ esse summum bonum, & summum Dominum adorãtis, & est actus moraliter bonus; ergo debet habere circunstantiam finis debitam. Hæc est vt propter dilectionem Dei eliciatur; ergo adoratio Dei includit actum dilectionis Dei, & cõsequenter contritionem. Confirmatur, quia

Confirmatio. ipsemet Soto in 4. d. 17. a. 6. in responsione ad quoddam argumentum concedit, quoties aduenit tempus exercendi actum dilectionis Dei super omnia, tunc etiam obligari ad contritionem: quia dilectio Dei non potest haberi sine contritione: at subinfero? Sed tempus dilectionis Dei est præsertim eo tempore, quo quis tenetur ad cultũ, & ad actum latriæ, ad quem in diebus festiuis determinãtur homines ab Ecclesia; ergo tempus determinatum cõtritionis ex iure positiuo est dies festiuus; vel ignoratur tẽpus, quo debemus elicere hunc actum, & sic sumus perplexi, quod est euidens absurdum.

3. Ratio. 60 Tertiò confirmatur, quia ipsemet Suarez eadem disp. 15. sect. 6. num. 19. & 20. tandem fatetur præceptum dilectionis Dei obligare pro aliquibus tẽporibus ante articulum mortis, & consequenter ad contritionem peccatorum: quia non potest quis seruare præceptum illud de dilectione sine contritione peccatorum; licèt dicat se nescire quale tempus istud sit; sed hoc iudicium esse committendum prudenti arbitrio ipsius hominis, vel alterius, qui (eius conscientia cognita) possit auxilium pręstare, vt pẽsatis omnibus circunstantijs iudicet, an incipiat esse nimia dilatio. Et ratio est, quia sicut tertium præceptum, quatenus præcipit generatim; vt aliquibus temporibus cultui diuino vacemus, obligat nos ad non differre actũ cultus Dei vsque ad articulum mortis: ita, & multo magis præceptum de dilectione Dei super omnia obligat nos ad non differre actum dilectionis vsque ad articulũ mortis: quia actus huius præcepti dilectionis est multò magis necessarius, & magis Deo debitus: cum ergo ex Suarez præter articulum mortis etiã aliud tempus detur, in quo tenet obligatio huius præcepti dilectionis Dei, & in illo claudatur actus contritionis peccatorum, dicendum est hoc tempus esse determinatum: nullum autem tempus videtur esse magis determinatum ex iure positiuo, q̃ dies festiuus, vt suprà diximus; (qd. n. dicit Suarez tempus, quo hoc præceptum obligat esse relinquendum iudicio viri prudentis, est omninò absurdum, & vanum: sic enim hoc tempus esset incertum, & essemus perplexi, quod est absurdum: deindè vir prudens deberet se regulare in hoc iudicio ex scriptura, & sana doctrina Theologica; ergo necesse est, quod ex Theologis, & ex Scriptura, vel ex iure aliquo possit intelligere quodnam sit hoc tempus obligationis. Vndè iure, & melius statuitur esse tempus, quo homo determinatur ad cultum specialem ipsius Dei, qui est dies festus) ergo dicendum est de iure positiuo determinatum esse hoc præceptum pęnitẽtiæ ad dies festiuos.

61 Ex dictis conspicitur quoque opinionẽ Suarez esse falsam, si quidem etiam ex ipso habemus præceptum de contritione pro aliquo tempore obligare vltra articulum mortis; ergo melius est dicere hoc esse determinatum per aliquod præceptum positiuum ne simus perplexi: hoc autem rationabilius est ponere esse sanctificationẽ Sabbati, vt visum est suprà, propter rationes superius adductas. Præter autem rationes superiùs adductas confirmatur ex solutione rationum aduersariorum. Reijcitur opinio Suarez.

62 Ad primum argumentum ex Soto respondetur ex dictis præceptum religionis, & cõsequenter de die festo, reduci ad iustitiam, vt docet Scotus in 3. dist. 9. quæst. 1. articul. 1. & subordinari ad præceptum dilectionis Dei, virtute cuius includit etiam præceptum de contritione, quod etiam pertinet ad iustitiam: ideo non est inconueniens, quòd præceptum religionis includat aliud præceptum pertinens ad iustitiam, licèt formaliter habeant officia diuersa. Ad primũ ex Soto.

63 Ad secundum iam ostensum est in pręcepto cultus Dei festiui nedum includi obligationem cessandi ab opere seruili, & ad cultum Dei in generali; sed etiam obligari ad dilectionem Dei actualem formalem, vel virtualem, & hoc esse primarium in præcepto sanctificationis Sabbati: quia debet homo cessare ab opere seruili, vt possit manere in se, & se recolere, & ascendere ad Deum: & cum dicitur, quòd dilectio Dei est finis non medium ad finem, & quòd pręcepta dantur de medio ad finem non de fine. Respondeo, quòd dilectio Dei est finis, & medium respectu diuersorum. Respectu beatitudinis consequendæ est medium, ideò datur præceptum de dilectione. *Diliges Dominum Deum tuum*, &c. nisi enim dilectio esset quoque medium non daretur de illa istud præceptum: est verò finis respectu aliorum præceptorum, quia omnia præcepta ex charitate tanquàm ex fine habent omnem suam bonitatem, vt suprà visum est. Ad secundum.

64 Ad tertium respondetur hoc non esse difficile, quia sufficit contritio formalis, vel virtualis: per vtramque enim remittitur peccatum, & satisfit præcepto; neque Thomistæ debent dicere actum contritionis esse difficilem, quia ad illum non requirtur recogitatio singulorum peccatorum, sed sufficit in generali; & secundùm eos non requiritur aliqua intẽsio, sed simplex actus cuiuis detestationis; neque est mirum, quòd his diebus teneatur homo ad præceptum contritionis, quia tenetur ad habendum alios actus morales bonos, qui non possunt haberi sinè contritione peccatorum, vt ostensum est suprà de actibus præceptorum affirmatiuorum: nam licèt non teneatur quis ad habendum illos actus in gratia habituali, tamen tenetur ad habendum illos ex charitate, idest ex dilectione Dei, & propter amorem Dei, alioquin non essent boni moraliter, quia carerent circunstantia finis debiti: hic autem finis non potest haberi sinè contritione. Ad tertiũ.

65 Ad quartum ostensum est esse falsum hoc præceptum de contritione esse determinatum per præceptum confessionis annualis. Ad quartũ.

66 Ad quintum iam dictũ est pręceptũ de cultu festorum includere dilectionem Dei super oĩa, quæ nõ põt haberi sine contritione peccatorũ, et ex ipso Suarez; deinde Ad quintũ.

cessa-

cessatio ab opere seruili, & audire missam, licèt possint haberi sinè gratia habituali: non tamen possunt haberi sinè actu charitatis formali, vel virtuali, quia non essent actus boni moraliter, quia carerent debito fine: dilectio autem Dei non potest haberi sinè contritione peccatorũ virtuali, vel formali, quia illam virtualiter, & intrinsecè includit.

Ad confirmationem.

67 Ad cõfirmationem breuiter dicitur, quòd Ecclesia non pōt præcipere actum internum purum, sed pōt pręcipere actum internum dum præcipit actum externum illi respondentem, v.g. dum præcipit orationem, tunc ēt præcipit intentionem, quæ est actus internus: ità dum præcipit actum externum audiendi missam, qui est actus externus, etiam pręcipit reuerentiam internam debitam Deo, quæ habet annexam dilectionem Dei, & consequenter contritionem peccatorum, vt patet ex dictis.

Quo tempore obliget ex accidenti, & per se. Caput Tertium.

De tēpore determinato ex accidenti.

68 SEcundo loco dicēdum est de tempore, quo hoc pręceptũ pœnitentiæ, & contritionis determinatur ex accidenti. Circa quod breuiter est dicendum à Doctoribus enumerari tres casus, in quibus ex accidenti obligari videtur quicunque ad contritionem habendam.

1. Casus, quo quis tenetur ad cõtritionē ex accidenti.

Primus cum aliquis ex officio tenetur ministrare, vel suscipere sacramenta, & non habet copiam confessoris, & habet conscientiam peccati mortalis, vel tenetur facere aliquod aliud opus, quod propter sanctitatem suam requirit statum gratiæ in ministro operante, nec potest sinè nouo peccato exerceri in statu peccati mortalis: in similibus enim casibus tenetur præmittere confessionem si potest, si non potest debet conteri de peccatis, & in hoc cõueniunt omnes Doctores. Sed hæc obligatio non oritur ex obligatione præcepti pœnitentiæ, sed præcepti de dignè tractando sacramenta, & res sacras: vndè fit, vt qui non præmissa contritione ministret sacramenta, non peccet duplici peccato, sed altero tantùm, scilicet contra præceptum tractandi dignè res sacras.

2. Casus.

Secundus casus positus à multis est tempus magnæ tentationis: nam ad vincendam illam opus esse videtur contritione. Sed cum Suarez mihi videtur dicendũ, esse optimum consilium hoc tempore conteri, &c. non autem esse præceptum: ita quòd qui tentatur, & non habet actum contritionis, si labatur in peccatum, peccet duplici peccato, scilicet, & peccato commissionis, vt putà lapsus carnis, & peccato omissionis præcepti de pęnitentia: & ratio est, quia homo existens in peccato mortali cũ auxilio Dei potest vincere quamcunque tentationem, & se conuertere ad Deum: ideò non est necesse, vt sit in gratia habituali, & ideò nulla ratio suadet, vt hoc tempore sub pœna peccati mortalis teneatur ad pœnitentiam, quòd si quis putet se esse obligatum ad pęnitentiam, & non conteritur, concedo tunc peccare, sed nō peccat, quia adsit pręceptũ pęnitentiæ; sed quia agit contra conscientiam.

3. Casus.

69 Tertius casus est qñ commune malũ Reipublicę imminet, & membra eius tenentur orare Deũ, vt à malo liberentur, quē casum ponunt Adrianus, & Nauarrus in Manuali c. 1. n. 31. pro quo videtur hęc ratio esse, quia qui tenetur orare, ita tenetur orare, vt exaudiatur quantũ in se est: at qui non habet pęnitentiam de peccato, ponit impedimentum ne exaudiatur. Nihilominus, cum Suarez ēt eodem loco mihi videtur hanc rationem concludere esse optimum consilium tunc temporis habere contritionem: at non concludere tunc temporis obligari sub præcepto ad contritionem: & ratio est, quia sæpe ipsa oratio est medium ad delendum peccatum, & in peccatis existēs cum auxilio Dei potest eam habere; ergo nō videtur præsupponere gratiam habitualem; sed posita tali obligatione in tali casu ad contritionem dicendum est, quod oritur non ex præcepto pœnitentiæ, sed ex præcepto diligendi patriam, & procurandi bonum eius.

Quo tempore hoc p̄ceptũ obliget ex se.

70 Tertio loco principaliter est videndum quo tempore hoc pręceptũ obliget ex vi, & natura sua intrinseca. In qua re illud est certissimum hoc præceptum de pœnitētia obligare saltem in articulo mortis, & in quocunque casu, in quo moraliter sit periculum mortis. Hæc assertio est communis, & ratio est, quia præceptũ hoc est affirmatiuum, & est pro hac vita non pro futura: oportet itaque illud pro aliquo tempore impleri in hac vita; si ergo nō sit adimpletum ante articulum mortis, necesse est pro illo tempore obligare: vndè si pro illo tunc non adimpleatur homo damnatur.

An obliget in articulo mortis.

An ēt habito sacramēto pęnitentiæ in articulo mortis quis teneat ad cōtritionē perfectam.

71 Verùm hic insurgit dubium, an hoc pręceptum cõtritionis, & pœnitentiæ perfectæ, etiam habita cõfessione sacramentali cum attritione cognita duret, ita quòd etiam suscepto sacramento teneatur ad contritionem habendam. Suarez disp. illa 15. sect. 4. num. 17. refert duas sententias.

1. Opinio.

Prima asserit teneri: & ratio est, quia non est omninò certum, an attritio cognita cum sacramento sit sufficiens ad iustificationem, quoniam illa opinio est tantùm probabilis, & noua: vndè dato casu, quòd illa opinio esset falsa, discedens ex hac vita cum sola attritione, & cum sacramento damnaretur. Ex hoc ergo habetur adesse aliquod periculum, quòd qui sic moritur, & sinè perfecta cõtritione moritur, damnetur. Vndè tunc sic arguitur. Qui se exponit periculo morali æternæ damnationis, peccat mortaliter; sed qui sciens, & videns, moritur solùm cum attritione cognita, & sacramento, sed sinè perfecta contritione, se committit periculo æternæ damnationis; ergo talis peccat mortaliter. Et hanc sententiam ipse Suarez sequitur propter allatam rationem, quam ipse sic confirmat. Ex præcepto charitatis erga Deum, & erga se ipsum, homo tenetur in illo articulo habere maiorem dispositionem, quàm sit attritio; ergo si cognoscit se non habere perfectam contritionem, sed solam attritionem, quam appellamus attritionem cognitam, tenetur ad contritionem: quia certum est cognoscens se non habere contritionem teneri ad illam; ergo si cum sola illa attritione voluntariè sinat se mori, peccat mortaliter, & damnatur. Antecedens probatur, quia homo præcepto charitatis tenetur aliquando in vita diligere Deum, & sæpiùs, sed maximè in articulo mortis; ergo tunc temporis si voluntariè hunc actum omittat peccat mortaliter: & rursus tenetur tunc maximè habere charitatem erga se; ergo debet niti habere maiorem dispositionem possibilem: ideò si voluntariè illam omittit peccat mortaliter. Subiungit tamen, quòd si quis hunc actum non habeat in articulo mortis, vel quia illum omittit ex probabili ignorantia obligationis, siuè iuris, siuè facti: quia scilicet conatus est ad habendum talem actum, & putauit se habere; re tamen non habuit, vel quia raptus est antequàm posset aduertere an illam haberet. In his casibus ille homo saluabitur, quia cum hæc sit necessitas præcepti, non medij, in tali casu excusatur.

2. Opinio.

72 Altera est opinio virorum piorum, atque doctorum, vt ipse ait, qui sustinent alatam opinionem esse nimis rigorosam, & eorum fundamentum est, quia post Sacrum Concilium Trideotinum videtur illis, quòd opinio sustinens attritionem cognitam cum sacramento iustificare, non sit ampliùs opinio, sed determinatio de fide: & ideò illam esse certam, & nullam esse dubitationē, quòd per eam quis in articulo mortis saluetur. Et confirmatur, quia sequeretur nũquam licere homini confiteri cum sola attritione, quia semper se committeret periculo peccandi mortaliter, vel saltem non recipiendi gratiā, quod est omninò falsum.

Opinio auctoris.

73 In hac re tanti momenti puto hanc secundā sentētiam esse verā: tamen quia in rebus dubijs tutior pars est eligenda, puto in praxi esse sentiendũ cum prima: nō quidem existimando, quòd cũ sola attritione cognita sit aliquod periculũ nō consecutæ veniæ, qa ingereret cõscientiā erroneam, contra quam postea facere esset peccatum

mortale, sed abundando in cautela. Vndè, & sibi, & alijs est suadendum in tanto periculo omnem viam, & medium esse adhibendum, vt tantum bonum, quantum est vita æterna, assequatur; certò existimans, quòd, etsi non habeat deindè contritionem: quia tamen fecit quod in se est, saluabitur.

An obliget hoc præceptum quoties peccata memoriæ occurrunt. Caput Quartum.

An obliget hoc præceptum quoties peccata memoriæ occurrunt. 1. Opinio D. Thom.

74 SVpersunt adhuc duo dubia satis controuersa, & difficilia. Primum est, an hoc præceptum contritionis obliget quotiescunque peccata memoriæ occurrunt, siue illa sint remissa, siue non. Alterum, an statim, cum quis commisit peccatum, teneatur ad contritionem. Quantùm ad primum sunt duæ opiniones: altera est negatiua, & habet multos sectatores, & videtur inter recentiores magis recepta. In hanc sentẽtiã citatur D. Thomas 3. part. quæst. 84. art. 8. & 9. sed potius oppositum ibi eum docere ostendam infrà: eam verò tenet Caietanus in commentario illius articuli octaui, & in Opusculis Tomo 1. tractatu 17. Medina Codice de pœnitentia, q. 6. dubio 2. Soto in 4. dist. 14. q. 1. ar. 9. & d. 17. q. 2. ar. 6. & alij quos citat, & sequitur Suarez disp. illa 15. sect. 4. Rationes pro hac opinione istæ potissimæ adducuntur à Soto, & Suarez.

1. Ratio.

75 Nullum est præceptum, ex quo huiusmodi obligatio colligi possit: at nihil, & præsertim grauissimũ est imponendum hominibus, & asserendum sine aliquo euidenti fundamento; ergo non est dicendum hominem præcepto pęnitentiæ teneri quotiescunque peccatum memoriæ occurrit. Prima propositio probatur. Hoc pręceptum non potest esse iuris humani: quia Ecclesia non potest obligare ad actum merè interiorem, nec est diuinum positiuum: quia nullibi scriptum legitur in sacra scriptura, & sic patet non esse positiuum. Sed neque est pręceptum diuinum naturale: quia vel hoc præceptum obligat ex cogitatione ipsa per se ad dolendum de peccato; vel obligat solùm per accidens, scilicèt ne stante cogitatione peccatorum in aliquod peccatum incidat, vt putà in contemptum pœnitentię, vel in complacentiam peccati recogitati: neutro autem modo istorum obligare potest; ergo. Probatur de primo membro, quia sola recogitatio peccati non potest inducere obligationem ad habendam hanc detestationem de peccato. Nam non tenetur homo, quotiescunque intellectu cogitat aliquod obiectum, in voluntate habere actum circa illud obiectum, & habere actum illi obiecto conuenientem; sed potest vel nullum actum voluntatis habere, vel solùm habere voluntatem cogitandi de tali obiecto, & nihil amplius: vt cum quis cogitat de Deo, non statim tenetur voluntate elicere actum dilectionis Dei super omnia ex vi solius cogitationis: neque etiam potest obligare secundo modo, quia semper adest aliud remedium vitandi peccatum: potest enim diuertere cogitationem ad alia obiecta honesta, in quo actu non est cõtemptus pœnitentiæ. Sed solùm negatio pœnitentię; vel potest habere actum positiuum non committendi tale peccatum, qui actus non est pœnitentiæ, sed est actus virtutis, cui peccatum recogitatum opponitur; vt si quis cogitet de peccato carnali, potest habere actum nolendi committere tale peccatum. Hic actus est actus castitatis, & sic de alijs; vel potest se sentire constantem in illa cogitatione, vt nullum sit periculum noui consensus, & complacentiæ in illo peccato. Non est etiam periculum contemptus pęnitentię, quia pęnitentia non proponitur semper vt necessaria hic, & nunc: immò fieri potest, vt peccata cogitentur, & nulla occurrat cogitatio de pœnitentia. In hoc tamen casu Cano relectione de pœnitentia par. 4. concedit, quãdo aduenit simùl recogitatio de peccato teneri ad habendum contritionem, saltem ad vitandum peccatũ veniale: quia videtur impossibile præposita cogitatione de peccato non habere vel velle, vel nolle. Si primum habeo intentum: si secundum est saltem peccatum veniale, quia etsi voluntas possit esse indifferens; tamen dum non vult, actus ille erit otiosus, & nõ ordinatus ad aliquem bonum finem, & sic erit peccatum veniale. Suarez autẽ tenet neque in hoc casu teneri ad contritionem: quia, inquit, non esse impossibile voluntatem tunc circa talem actum nullum habere actum. Nam voluntas quò ad exercitiũ actus à nulla re cogitur; ergo potest cogitare de contritione, & nec velle, nec nolle habere: vel quia potest actum intellectus alio diuertere, vel voluntas potest habere simplicem complacentiã in actu contritionis, non tamen efficaciter illam velle. Ex quo concludit Suarez, quòd nullum quidem adest pręceptum dolendi de peccatis quotiescunque occurrunt memoriæ: esse tamen periculosum sæpiùs cogitare de peccatis, & nunquàm de illis habere displicentiam: & quandoque posse accidere tantum periculum, vt in illo casu teneatur ad detestationem peccati propter vitandum illud periculum; sed hæc obligatio non oritur ex vi præcepti pęnitentię, sed ex vi præcepti prohibentis illud peccatũ: ideò ista obligatio ad cõtritionẽ est p accidẽs. Suarez.

2. Ratio.

76 Secundò. Præceptum pœnitẽtiæ semel obligat tantùm circa eadem peccata; ergo non obligat quotiescũque memoriæ occurrit peccatum. Consequentia est euidens. Antecedens probatur, quia habita semel pęnitentia, & cõtritione perfecta de vno, vel pluribus peccatis, ille liberatur à pœna ęterna, & fit amicus Dei, & hæres vitæ ęternę. Et sic satisfacit præcepto charitatis erga Deum, & erga se, & præcepto iustitiæ erga Deum; ergo propter illud, vel illa peccata non est necessarium ampliùs pœnitere, sed si noua peccata adueniunt, iterum semel de illis est pœnitendum. Assumptum probatur, tùm quia Deus nunquam postulat à peccatore, vt sępiùs de eodem peccato pœniteat; sed solùm, quòd ex toto corde conteratur, & conuertatur ad ipsum: tùm quia sequeretur nunquã peccatum dimitti per vnam contritionem, nisi in voto alterius, vel aliarum, quod est inauditum, & improbabile: tùm tandẽ, quia pręceptum confessionis obligat tantùm semel de eisdem peccatis; ergo & præceptum de contritione, quia sunt similia.

Quòd homo cõmisso peccato nõ tenetur pęnitere statim. Suarez.

77 Pro hac eadẽ opinione faciunt rõnes quę adducuntur ad probandũ quòd homo statim post cõpletum peccatum cũ occurrit sibi cogitatio de peccato, vel aliqua occasio detestandi peccatum, non tenetur ad pęnitentiã de peccato eodem, q̃ tenẽt plurimi, & sequitur Suarez vbi suprà. Nã si homo nõ tenetur statim post peccatũ, cũ sibi primò occurrit memoria peccati, de illo cõteri, sequitur euidẽter nõ teneri pro quocunque tpe quo in memoriam ei venit. Has rõnes nũc infrà adducemus in decisione illius pũcti.

Altera opinio sustinens partẽ affirmatiuam quam sequtur Scotus.

78 Altera sententia in oppositum sustinet partem affirmatiuam, scilicet hominem obligari ad detestationẽ peccati quotiescũque memoriæ occurrit. Hæc est opinio antiquorum Theologorum, eã in primis tenet Scotus in 4. d. 49. q. 4. §. *Iuxta hoc quasi ex latere*, post N. vbi habet hæc verba *actu intelligens Deum, & nullo modo diligens peccat, similiter actu cogitans peccatum, & sinè omni displicentia peccat*. & eodem 4. d. 45. q. 3. §. *Ad argumenta principalia*, &c. ad tertiũ vbi non solùm asserit viatorẽ obligari ad contritionem peccatorũ commissorum quotiescũque illorum recordatur completa deliberatione, sed etiam ait ad hoc fore obligatos beatos si in illis daretur memoria peccatorum, vel si datur; nisi gaudium beatificum impediret. Et patet quòd loquitur de peccato per pœnitentiam deleto: loquitur enim etiam de peccatis beatorũ, quæ, certum est, deleta fuisse ante ingressum beatitudinis. Eandem sententiam tenet D. Thomas 3. par. q. 84. ar. 8. vt posteà videbimus. Alensis 4. par. q. 17. m. 1. art. 2. §. 2. vbi ait, quòd Deus soluens pœnitentem à culpa, ligat eum vinculo perpetuæ detestationis eiusdẽ; & dicit esse præceptum affirmatiuum, quod obligat ad semper, sed non pro semper, sed solùm pro loco, & tempore, cum cogitat mala sua, in quibus offendit Deum. Idem pœnitus habet D. Bonauentura in 4. dist. 16. p. p. art. 3. quæst. 2. Ricardus dist. 14. art. 9. quæst. 1. vbi addit illud, quod ait Scotus, tunc teneri ad de-

ad detestationem peccati, quando ex deliberatione habet recogitationem de peccato: & hoc modo ait intelligi debere Hugonis dictũ adductũ ab Alensi, & D. Bonau. Multi alij in eadem sententia sunt Gabriel Biel q. 3. art. 3. & alij multi citati ibi à Suarez.

D. Th. esse eiusdẽ sententię cum Scoto.

79 Quòd autem D. Thomas fuerit huius opinionis, licèt Caietanus, & alij oppositum teneant, vt suprà dixi, probatur efficaci ratione. Nam D. Th. 3. p. quæst. 84. art. 8. ait, quòd semper debet homini displicere, quòd peccauit, & adducit rationẽ: quia si homini placeret peccasse, iam hoc ipso peccatum incurreret; ergo si secundùm D. Th. homo toto tẽpore vitæ suæ debet de peccato dolere, sequitur, quòd ẽt, cum illius recordatur, debet illud detestari. At respondet Caiet. quẽ sequitur Suarez, & alij vbi suprà, ꝙ displicere peccatum põt intelligi duobus modis. Vno modo negatiuè, alio modo cõtrariè, siuè positiuè. Primo modo vnusquisque tenetur habere pęnitentiã vsque in finem vitæ, idest non retractare pęnitentiam iam habitam, qua peccatum fuit deletum. Secundo modo nemo tenetur ad displicentiam, idest non tenetur elicere actum alium contritionis de eodem peccato. D. Th. loquitur primo modo, non secundo modo.

Responsio Caietani.

Reijcitur.

80 Contrà, displicentia negatiua, idest quę est pura negatio retractationis peccati, non generat dolorem, nec tristitiam de peccato commisso: illa enim displicentia est simplex negatio complacentiæ in peccato: simplex autem negatio non potest parere dolorem: illa enim displicentia, quæ parit dolorem, est displicentia, & detestatio positiua: at D. Thomas ibidem postquam dixit, quòd homini debet semper displicere, quòd peccauit, subiungit hæc verba. *Displicentia autem causat dolorem in eo, qui est susceptiuus doloris, qualis est homo in hac vita, post hanc vitam autem Sancti non sunt susceptiui doloris. Vndè displicebunt eis peccata commissa sinè omni tristitia.* Ex quibus verbis apertè colligitur, quòd D. Thomas loquitur de displicentia positiua, quæ exit in actum, & parit dolorem de peccato in viatore: & sic non differt D. Thomas à cęteris antiquis Theologis, & à sententia, quam sequitur Scotus.

1. Ratio ex D. Tho.

81 Vndè pro hac sententia possumus sic argumentari ex ratione D. Th. Secundùm D. Aug. in libro de pęnitẽtia debemus dolere de peccatis in vita, ita quòd dolor nũquàm finiatur; sed dolere sic de peccatis est habere continuam displicentiam, & contritionem peccatorum: hæc continua displicentia non potest haberi pro quocunque tempore, & loco, vt cum quis dormit, &c. ergo solùm quando quis recogitat de peccatis; ergo quocunque tempore quis cogitat de peccatis debet de illis habere contritionem, & displicentiam positiuam. Maior patet ex verbis D. August. adductis à D. Th. in argumento ad oppositum quæ sunt. *Quid restat nobis dolere in vita? vbi enim dolor finitur deficit pœnitentia, si verò pœnitentia finitur, quid derelinquitur de venia?* Minor patet ex dictis, & per hoc etiam impugnatur responsio Suarez ad hanc auctoritatem D. Aug. & aliorum Patrum, qui dicunt pœnitentiam debere esse perpetuam: dicunt enim eos intelligere solùm de pœnitentia negatiua. At cum D. Th. ostendimus necessariò eos intelligere de pœnitentia positiua, quia pœnitentia negatiua non parit dolorem, cum non sit actus positiuus.

2. Ratio ex Richardo.

82 Secundò ex Richardo vbi suprà, Quicunque nõ seruat fœdus diuinæ amicitiæ reparatum fideliter, peccat, & cadit ab amicitia Dei; sed qui ex deliberatione cogitat de peccato commisso, & de illo non tristatur, non seruat fideliter fœdus reparatum amicitiæ Dei; ergo peccat mortaliter. Maior probatur, quia quicunque recogitat aliquid, quod fuit causa inimicitiæ inter eum, & aliquem alium, vt putà aliquam iniuriam illatam alteri, propter quam ille alter factus est inimicus eius, & de illa re nullam habet displicentiam, non fideliter seruat fœdus reparatum, vt patet, quia debet de illa iniuria tristari, cum illam ex deliberatione cogitat. Minor quoque probatur, quia peccatum fuit causa inimicitiæ inter Deum, & peccatorem; ergo cum peccator ex deliberatione cogitat de peccato illo, & de illo non tristatur, non seruat fideliter fœdus reparatum cum Deo. Vbi nota, quòd idem est cogitare de peccato deliberatè, & cogitare de illo animaduertenter, & non ex surreptione; quòd alij dicunt cogitare de peccato praticè, non speculatiuè, vt infrà dicam.

3. Ratio.

83 Tertiò alijs rationibus dimissis est ratio Scoti in 4. dist. 45. quæst. 3. in responsione ad tertium principale. Cum quis, vt Petrus, recordatur actus peccati, aut illum vult, siue in illo se complacet; vel illum non vult, & illi displicet: aut nullum actum voluntatis habet circa illum actum peccati, quia nec placet, nec displicet. Si primum, Petrus peccat, & malus est, quia complacet in peccato, quod commisit. Si secundum habeo intentum, quia sibi displicet. Si tertium adhuc est malus, & peccat, & ratio est, quia quilibet tenetur præcepto charitatis, & dilectionis Dei: hæc autem semper impellit ad odiendum illud, quod est contra Deum. Vndè si quis prudens, & sciens cogitat de aliquo, quod est contra Deum, & illud ei non displicet, non habet veram dilectionem Dei, quia illa nõ patitur secum aliquid, quod sit contra Deum: dum autem actu cogitat de peccato commisso, quod est offensa Dei, & illud ei non displicet, non habet veram, & perfectam dilectionem Dei. Potest confirmari exemplo. Nam si quis perfectè diligat Petrum ex corde, cogitans de aliqua iniuria illata Petro, non poterit non tristari de illa iniuria: ita si quis diligat Deum verè, & perfectè ex corde, & actu cogitet de peccato commisso, quòd est iniuria Dei; non poterit non tristari de huiusmodi peccato, & iniuria. Vndè si alio diuertat actum voluntatis, vel ille actus non displiceat, sed solùm cogitet sinè animo consentiendi, peccat, quia tenetur elicere illum actum detestationis peccati positiuè propter præceptum charitatis, vt dictum est.

Ad primũ in opposi tum.

84 Ad primum in oppositum negatur maior. Ad probationem respondetur, præceptum de contritione non esse præceptum positiuum diuinum, sed naturale. Ad rationem contra hoc dicitur, quòd hoc præceptum obligat non ex vi recogitationis, neque per accidens, scilicet propter periculum incidendi in consensum peccati recogitati; sed obligat ex vi præcepti dilectionis Dei, & charitatis, quæ non patitur secum, vt quis habeat deliberatè, idest sciens, & animaduertens cogitationem de peccato, quod est iniuria Dei, & illud non habeat odio, ac detestetur.

Ad secundum.

85 Ad secundum respondetur præceptum contritionis obligare semel ad pœnitentiam pro venia obtinẽda: obligare verò quotiescunque cogitat, ne nouum peccatum committatur propter vim præcepti charitatis, à quo pendet, vt dictum est.

An homo teneatur statim conteri, cum commisit peccatum. Caput Quintum.

An homo teneat' statim conteri cum cõmisit peccatum.

86 QVantùm ad aliud dubium, An homo teneatur statim habere contritionem de peccato. Pro intelligentia notandum est, quòd hic per statum non intelligitur illud tempus, quod immediatè sequitur ad actum completum peccati, sed illud tempus quo post actum peccati, memoria ipsius peccati, siue recogitatio occurrit, vel aliqua occasio sese offert de illius cogitatione. In hac dubitatione, quæ est difficillima apud veteres Theologos D. Thomam, Scotum D. Bonauenturam, Alensem, nihil est expresè determinatum, sed in vtramque partem ab auctoribus trahuntur: videntur tamen inclinare in partem affirmatiuam, vt postea videbimus.

Opinio Soto, Suarez, & aliorum

Hic sunt duæ opiniones. Prima est negatiua, quam tenet Soto in 4. dist. 17. quæst. 2. art. 6. conclusione secunda Cano de pœn. p. 4. Suarez de pęnitentia disp. 15. sect. 5. qui multos alios in hanc sententiam citat. Pro hac opinione

1. Ratio. nione primò sic arguitur. Si vnusquisque teneretur statim ac peccauit conteri de peccato commisso, sequeretur, quòd qui semel peccauit differendo pœnitentiam, continuò, ac semper peccaret nouo, & speciali peccato: hoc est apertè falsum; ergo. Consequentia est euidens, quia qui non implet præceptum eo tempore, quo obligat, peccat; ergo si præceptum pœnitendi, statim cum quis eius recordatur, obligat; & tamen non impletur tunc peccat: & sic quoties recordatur, & non tristatur, toties nouo peccato peccat. Falsitas consequentis probatur, quia est cõtra omnem vsum Ecclesiæ: fideles enim solent semel in anno solùm confiteri, nec de dilatione contritionis, aut omissione vnquàm confitentur, neque interrogantur à confessarijs etiam doctissimis; ergo omnes sentiunt præceptum contritionis non esse ita strictum, esset etiam hoc præceptum nimis durum.

2. Ratio. 87 Secundò. Sequeretur fidelem peccare quotiescunque recogitans peccata sua commissa, & nondum remissa sciens, & volens solùm de illis attiritionẽ haberet. Cõsequens est falsum; ergo. Consequentia probatur, quia tunc tacitè vult omittere perfectiorẽ dolorem, qui est cõtritio. Falsitas consequentis patet, quia est contra Conc. Trid. sess. 14. c. 4. vbi asserit attritionem, quæ est pęnitentia imperfecta esse vtilem, & disponere ad gratiam.

3. Ratio. 88 Tertiò. Præceptum affirmatiuum secundùm omnes obligat ad semper, sed nõ pro semper, sed pro statuto tempore: at hoc præceptum de pœnitentia est affirmatiuũ; ergo non obligat pro semper: at si quis teneretur sẽper statim postquam peccauit, pęnitere; sequeretur, ꝙ hoc præceptũ obligaret pro semper, vt præceptum negatiuũ.

89 Quòd siquis obijciat hoc præceptum quidem esse affirmatiuum, sed includere negatiuum: quia obligati sumus ad non esse extra gratiam, & amicitiam Dei, sicut tenemur non furari. Vndè sicut qui furatus est aliquid, tenetur illicò restituere: ita & qui Deo iniuriam intulit, tenetur statim satisfacere. Contrà sinè fundamẽto dicitur hoc pręceptum includere negationẽ: quia negatio in illo formaliter nõ includitur, vt patet. Ad probationẽ dicitur, ꝙ tenemur nõ esse extra gratiã Dei, non p speciale pręceptũ pęnitẽtię, sed p alia pręcepta, nõ occides, nõ furaberis, &c.

4. Ratio. 90 Quartò. Ex eo, quòd quis non statim pęnitet, non augetur peccatum eius; sed qui fecit homicidium, homicida manet; neque fit noua iniuria Deo, quia vel ipsa esset sola dilatio contritionis: & in hoc petitur principium; vel esset aliqua alia offensa, quę nulla apparet.

5. Ratio. 91 Quintò. Si hoc pręceptum statim obligaret, hoc esset virtute præcepti charitatis Dei, & sui ipsius; sed præceptum charitatis Dei ad hoc non obligat, vt inquiũt, patebit ex solutione rationum in contrarium. Adducũt deindè ipsi quasdam rationes ex quibusdam auctoribus illam opinionem sequentibus, & soluunt.

Altera opinio affirmatiua. 92 Altera opinio omninò huic contraria est eorum, qui dicunt statim, cùm alicui post peccatũ occurrit recordatio peccati, teneri ad detestationem. De hac re expressè nihil dicit Scotus, quod viderim; sed tamen ex eius dictis colligitur pars affirmatiua, vt videbimus. Pro hac sententia videntur esse omnes Doctores superiùs citati, qui dicunt peccatorem teneri ad conterendum quotiescunque recordatur peccati commissi, etiam deleti: nam si verum est de peccatis commissis, & deletis, multò magis debet valere de peccatis commissis, & non deletis vnquam: quia magis opponuntur charitati. In particulari verò citantur in hac opinione Paludanus in 4. dist. 17. quæst. 2. Gulielmus Parisiensis in libro de sacramentis. Alensis 4. p. quæst. 17. m. 4. art. 1. Maior dist. 17. quæst. 5. & 9. D. Ant. 3. p. titulo 14. cap. 18. §. 2. Caietanus in opusculis tractatu 17. vbi hanc quæstionem tractat ex professo, sed tenet, quòd recordatio peccati obliget solũ pro illo statum, in quo non solùm omittitur detestatio peccati; sed actus peccati approbatur, sicut qui furatus est rem alienam nõ peccat quotiescunque recordatur se habere rem alienam & illam non determinat restituere; sed quando recordatur, & determinat illam non restituere: quia in tali casu præceptum restitutionis obligat ad velle restituere, scilicet ad non habendum actum positiuum contrariũ præcepto restitutionis. Sic quis obligatur ad cõtritionem pro illo, quando, quod determinatur per aliud, quãdo, vt pro illo, quãdo, quod per articulum mortis determinatur ad obligari ad contritionem; pro illo autem, quando, quo quis recordatur peccati, & positiuè non vult contritionẽ, obligat ad habendum contritionem: quæ opinio est satis inuoluta, & mihi videtur in summa velle, quòd hoc præceptum de pœnitentia non obliget pro quolibet statim, siuè pro quolibet nunc quo quis recordatur peccati; sed solùm pro illo statim, & nunc, quo occurrit articulus necessitatis, vt administrandi sacramentum, vel articulus mortis, vel in quo habetur cõmissio peccati prohibiti: in quo casu vltimo certũ est esse nouũ peccatũ: ideò nõ mihi videtur posse referri pro hac opinione, sed pro præcedẽti.

93 Pro hac opinione faciunt rationes superiùs factæ, 1. Ratio.
pro illa opinione, quòd quòtiescũque quis cogitat de peccato debeat de illo conteri: nam si teneretur quotiescunque de illo recordatur; ergo etiam cum primum recordatur de peccato commisso statim deberet conteri, quia etiam tunc recordatur.

Secundò. In speciali arguo sic. Vel homo ex vi pręcepti pœnitentiæ, vt est præceptum legis naturæ obligat 2. Ratio.
aliquando in vita, vel ante articulum mortis, vel solùm in articulo mortis. Si secundum contrà; ergo posset quis determinare nolle pęnitere de peccatis, nisi in articulo mortis. Consequens est falsum; ergo. Consequẽtia probatur, quia nemo peccat determinando non obseruare præceptum, nisi eo tempore, quo præceptum obligat; ergo si præceptum de contritione obligat solùm pro tempore, & articulo mortis, nemo peccat determinando nolle obseruare illud præceptum, nisi in articulo mortis. (Hoc medium assumitur ab ipsis quoque) Falsitas consequentis probatur, quia qui determinat non pœnitere nisi in articulo mortis, mortaliter peccat, ex Scoto in 4. dist. 20. ad 2. quia se exponit periculo decedendi ex hac vita in peccato mortali, cum articulus vitæ sit incertus.

94 Tertiò. Secundũ aduersarios, & maximè Suarez, 3. Ratio.
& est verum, vt infrà nunc probabo, certum est aliquando, & pro aliquo tempore teneri eum, qui commisit peccatum, ad pęnitendum. Quærò, quodnam sit illud tempus. Non potest dici, nisi, quòd sit aliquod tempus, in quo recordetur peccati. Quæro ergo cur magis teneatur homo ad pęnitentiam dum illo tempore recordatur, quàm alio tempore, in quo eiusdem peccati recordetur. Non potest dici, quia illo tempore adest præceptum positiuum, & non alio tempore, quia Suarez nullum dicit esse tempus determinatũ positiuo præcepto: tẽpora aũt assignata à Soto reiecta sũt; ergo nulla pôt assignari ratio, cur magis illo tpe recordationis, q̃ alio teneatur ad pęnitẽtiam.

95 Quarto. Ratio Scoti facta superiùs ad probandũ 4. Ratio.
quocunque tempore occurrit memoria peccati mortalis teneri ad pęnitentiam, hic quoque efficaciter concludit. Ex pręcepto dilectionis Dei tenetur homo odire, & nolle quicquid est offensa, & iniuria Dei, & (vt dicebat Richardus) est causa inimicitiæ inter Deum, & hominem: pręceptũ ergo dilectionis perfectæ, includit intrinsecè odiũ, & detestationem oĩs illius rei, quæ displicet dilecto, vt patet, et in dilectione perfecta inter homines. Cũ. n. ego diligo aliquem ex corde, & cogito aliquã iniuriã, vel damnum illatũ esse illi à me, vel ab alio, non possum non dolere de illo damno: at certum est peccatum esse iniuriam Dei; ergo non possum simùl diligere Deũ perfectè, & verè, & non dolere de iniuria illata ipsi Deo à me ipso: quia hæc sunt incompossibilia, & non solùm sunt incõpossibilia quò ad actus dilectionis Dei, & odij peccati, sed etiã quò ad habitum. i. dilectio Dei perfecta habitualis non stat cum recogitatione peccati sinè displicentia; sed cũ qs habitualiter diligit Deum perfectè, cũ actu recogitat offensam illi factam, illa actu necessariò displicet ei.

Et pro-

Responsio aduersario rũ reijcitur. 96 Et proinde responsio Cano, Suarez, & aliorũ eos sequentium, quam suprà adduximus, nullius est momenti: dicebat enim, quòd non velle amicitiam Dei eo tempore, quo non teneor velle, charitati non repugnat; sed velle Dei inimicitiam hoc repugnat: patet enim ex dictis, quòd non solum odire Deum repugnat charitati; sed etiã non odire iniuriam Dei: cum ergo iniuria Dei mihi cogitatione occurrit, & non exeo in actum odij illius iniuriç; sed vel sic absolutè volo eam cogitare absque displicentia, (suppono enim, quòd scio esse iniuriam Dei, & nullum habeo impedimentũ; sed optimè cognosco, & possẽ si vellem detestari, tamen deliberatè omitto detestationem illius, & cogito de aliquo alio obiecto, vel aliquod aliud facio, ita quòd non elicio detestationem illius iniuriæ) non sum fidelis Deo, nec verè diligo: quia dilectio impellit ab actu odire illam iniuriam. Ex quo etiam patet falsum esse illud, quod aiunt ipse Cano, Suarez, & alij, quòd nullo præcepto Dei negatiuo sumus adstricti, vt nõ simus inimici Dei, sed vt ait Soto, solùm alijs particularibus non occides, non furaberis, &c. patet enim præceptũ dilectionis fidelis, & perfectæ Dei includere hoc præceptum, vt odio habeamus iniuriam Dei: ideò cum mihi memoriæ occurrit, quòd sum in statu inimicitiæ cũ Deo, & hæc cogitatio offert voluntati hoc obiectum malum inimicitiç Dei, necessariò voluntas tenetur ad detestationem illius actualem, alioquin non est fidelis, nec perfectè diligit Deum: immò contemnere, & declinare potius in oppositum videtur, scilicet in odium Dei: quia, vt dictum est, inimicitia est obiectum repugnans dilectioni rei dilectæ: vndè si diligo aliquem habitualiter, etiam habitualiter necessariò odio habeo quicquid illi repugnat: ideò cum actu offertur aliquod obiectũ repugnans, & disconueniẽs ei, necessariò actu teneor illud odire: alioquin deficio ab habituali amore illius rei, quam amabam.

5. Ratio. 97 Quintò certum est præceptum de contritione obligare aliquibus alijs temporibus præter articulum mortis ex sua naturali institutione; sed ista alia tempora non possunt magis determinari, quàm hac circũstantia, cum primùm, & quoties homo deliberatè cogitat de illis; ergo. Maior probatur ex multis auctoritatibus Scripturæ, & Patrum, quæ suadent magnam esse inordinationem differre pœnitentiam vsque ad mortem, aut nimio tempore.

Ad Rom. 2. Paulus ad Romanos 2. *Ignoras, quia benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? tu autem secundùm duritiem tuã, & impœnitens cor tuum thesaurizas tibi iram Dei in die iræ.* Ex hac auctoritate sic arguo. Thesaurizare sibi irã Dei est peccare: at habere cor impœnitens, & durum ad pœnitentiam est thesaurizare sibi iram Dei; ergo habere cor impœnitens, & durum ad pœnitentiam est peccare mortaliter. Loquitur autem Apostolus de tempore vitæ, non de articulo mortis.

Isa. 65. Isaiæ 65. *Omnes in cæde corruetis propterea quòd vocaui sæpe, & non respondistis.* Ex quo sic arguo. Resistere vocationi, & voluntati diuinç, est peccatum; sed sæpe Deus vocat peccatores, & illi respuunt: ergo tunc peccant, & in cæde corruunt, vt ait Propheta.

D. Aug. serm. 57. de tempore. Ex Patribus sufficiat D. Aug. serm. 57. de tempore, vbi inquit. *Pœnitentia, quæ ab infirmo petitur, infirma est, quæ autem à moriente petitur timeo ne, & ipsa moriatur.* & Sermone 71. ad fratres in Eremo. *Alienus est à fide, qui ad agendum pœnitentiam tempus senectutis expectat.* & similia. Minor probatur, quia omnia præcepta affirmatiua habent aliquam conditionem, & circunstantiam, quæ, quando aduenit, obligat, vt colere Deum determinatur ex circunstantia diei festi: ideò cum aduenit dies festus tenemur ad cultum Dei: honorare parentes habet determinatam conditionem, scilicet cum aduenit egentia, & inopia parentum: at pręceptum de contritione nõ habet aliam circunstantiam, & conditionem ex natura sua, quæ faciat ipsum pro illa obligare, nisi cum memoriæ occurrit: quia articulus vitæ est conditio extrinseca. Vndè si quis de repente moreretur, & non haberet tempus recogitandi de peccato, non peccaret, non pœnitendo de peccato in articulo mortis; & licèt damnaretur, non damnaretur propter peccatum impœnitentiæ in articulo mortis, sed quia habuit peccatum, de quo nũquam pœnituerat. Similiter si quis suscipiat sacramentum, nec recogitet de peccato, quia illi memoriæ non occurrit, non peccat. Propria ergo conditio, & circunstantia determinans præceptum de pœnitentia ad obligationem est cum memoriæ occurrit, & voluntas deliberatè versatur circa illud sibi ex cogitatione oblatum: non autem ex accidenti, vt putà, quia de illo, vel illius circunstantijs speculatur quot, & quales sint, & huiusmodi; sed cogitat de peccato, vt commisso, & vt est offensiuũ Dei, & huiusmodi: tunc enim est tempus, in quo debet poni actus eius in esse, & in quo obligat: hoc enim est statim, siue tempus, quo obligat.

Ad rationes in oppositum. 98 Ad rationes in oppositum pro intelligentia notandum est, quòd recogitatio peccati potest esse duplex, scilicet deliberata, & ex accidenti, siuè non deliberata. Deliberata est quando voluntas ex electione cogitat de peccato commisso à se contra Deum, vel si ex accidenti eueniat recordatio de peccato, volũtariè, & deliberatè sistit in cogitatione illius: ex accidenti verò est, cum quis cogitat de peccato, nõ ex electione, sed vel ex primis motibus, & raptim transit, vel voluntas illam cogitationem nõ apprehendit tanquàm de obiecto malo; sed vel speculatiuè tantùm se habet circa illud obiectum, vel cogitat de peccato occasione alicuius alterius rei, & similium. Alij cũ Caietano distinguunt, quòd cogitatio peccati potest esse duplex, vel pratica, vel speculatiua. Cogitatio pratica est cum peccatum occurrit vt detestandum: speculatiua verò, cum peccatum occurrit, non vt detestandum, sed sub aliquo alio respectu. Membra istarum duarum diuisionum quasi coincidunt: occursus enim peccati praticè idẽ esse videtur, quod occursus deliberatè. Ad propositũ cum dicimus hominem obligari ad præceptum pœnitentiæ cum occurrit cogitatio de peccato, intelligitur de cogitatione deliberata, & occurrente praticè, non de cogitatione accidentali, siue occurrente speculatiuè, ratio superiùs est adducta: quia omninò irrationale esse videtur, quòd aliquis diligat Deum, & tamen cogitet de peccato, quod est iniuria Dei, & cogitet deliberatè de illo, siue objciatur, & proponatur ab intellectu voluntati, vt detestabile; & tamen voluntas possit absque vlla offensione dilectionis Dei illud non actu detestari. Nam si peccatum est dimissum, qui non tristatur de eodem occurrente, non seruat fideliter fędus contractum cum Deo per dimissionẽ peccati: si verò peccatum non est dimissum, & occurrat modo prædicto, non seruat fidelitatem in dilectione Dei: non enim verè diligit, sed spernit diligi à Deo, & amicitiam eius; quæ multò magis opponuntur præcepto charitatis Dei. Nam maius est non diligere, & insuper spernere dilectionem Dei, quàm solùm, non diligere.

Ad primã rationẽ in oppositum. 99 Ad primum argumentum in oppositum respondetur concedendo, quòd quotiescunque occurrit recordatio peccati deliberatè, & praticè, & non conteritur, semper est nouum peccatum: non autem quando occurrit sed non deliberatè, siuè speculatiuè tantùm; & sic nego falsitatem consequentis. Ad probationem respondetur difficile esse facere iudicium de hac re ex vsu Ecclesiæ, & confessorum: nam confessores docti student Doctoribus, & prout Doctores Ecclesiæ docent sic procedere habent; cum ergo Doctores antiqui Scolastici cõmuniter sint huius sententiæ nostræ, & Syluester in summa, qui est maximè in vsu, verbo, *Contritio* quæst. 2. & alij hoc teneant, videtur potius colligi oppositũ, scilicet quòd vsus antiquus Ecclesię habeat, vt quis pœniteat, & interrogetur à confessarijs, an quoties recordatus est peccati, & offensę Dei illius pœnituerit.

Ad secundam. 100 Ad secundum respondetur cõcedendendo cõsequentiã, & negando falsitatem consequentis: qui.n. dolet de peccato precisè propter gehenam, & non ordinat illũ

dolorem ad dilectionem Dei, non habet attritionem veram, neque sufficientem cum sacramento ad delendum peccatum, vt diximus suprà in materia de attritione. Ad Concilium respondetur, illud loqui de attritione, quæ ordinatur ad dilectionem Dei, & ad illam terminatur: hæc enim est donum Spiritus sancti, non de illa, quæ est præcisè ex timore seruili, & illic sistit, de qua est sermo in argumento: qui enim habere vult præcisè attritionem, & non vult contritionem saltem virtualiter, sed facit illam præcisionem, iste non pœnitet ex motiuo charitatis, & nō est bona attritio.

Ad tertiū. 101 Ad tertium dicitur, quòd hoc præceptum de pœnitentia est affirmatiuum, & non obligat pro semper; sed pro certo tempore: declarauimus autem hoc tempus esse, cum peccatum deliberatè, & practicè occurrit; hoc autem non semper euenit, sed aliquando tantùm.

Ad quartū. 102 Ad quartum dico nouam iniuriam fieri Deo, quia non odit peccatum, quod est iniuria Dei, nec se gerit fideliter in dilectione ipsius: fidelis enim dilectio, & fędus requirit, vt actu detestemur iniuriam, & offensam dilecti, & multò magis Dei: vndè illa dilatio habet annexam offensionem Dei.

Ad quintū. 103 Ad quintum respondetur nos alijs rationibus inniti, ac sint illæ, quas Suarez, & alij adducunt, vt patet, neque videmus has solui ab illis.

Quæstio Tertia.

DISPVTATIO XIX.

Vtrùm pœnitentia virtus sit tantùm vnius pœnæ inflictiua.

Veritas breuiter aperitur, & declaratur 3. quæstio Scoti dist. 14. Caput vnicum.

1 Quæ tractat Scotus in hac quæstione superiùs explicata sunt in disp. An actus pœnitentiæ, qui requiritur ad delendum peccatum mortale debeat esse genitus à virtute, & formatus gratia cap. 2. vbi disputatum est, An pœnitentia sit virtus supernaturalis: sensus tamen principalis quæstionis non est pertractatus: ideò nunc breuiter est explicandus, cum circa hanc quæstionem non sit controuersia.

2 Respondet ergo Scotus supponendo duo alibi probata. Primum est, quòd omnis virtus existens in appetitu cuiusmodi sunt morales, vt docet in 3. dist. 33. habent aliquam regulam in intellectu, à qua diriguntur, quæ regula in intellectu est virtus prudentiæ, siue illa prudentia sit vna dirigens omnes virtutes appetitiuas, & morales, siuè sint plures prudentiæ particulares respondentes singulis virtutibus moralibus conuenientes in vno genere, quod prudentia dicatur, de qua re fusè agit Scotus in 3. dist. 36. art. 2. Secundum suppositum est, quòd pœnitentia est virtus, & virtus particularis, quæ quædam iustitia particularis dicitur, scilicet vindicatiua, & habet proprium actum, qui est pœnitere, primo modo dictum, vt visum est sup. dist. hac quæst. 1. art. 3. concl. 2. scilicet vindicare. Hoc suppositum probatum est ab ipso suprà 2. quæst. huius 14. distinct. art. 1. & nos suprà probauimus disputat. illa, An actus pœnitendi requisitus ad delendum peccatum mortale sit actus alicuius particularis virtutis.

3 Ex his suppositis sequitur in intellectu dari aliquam regulam illius virtutis, secundùm quam actus illius virtutis regulatur. Oportet ergo inuestigare istam regulam, siue hoc dictamen rationis, secundùm quod pœnitentia virtus regulatur, & secundùm hoc erit iudicandum cuius pœnæ, & an vnius, vel plurium ista virtus sit inflictiua. Regula autem hæc potest esse duplex: alia est naturaliter cognoscibilis, & alia est tantùmmodo nota ex reuelatione diuina. Prima regula naturaliter nota est hæc, Quòd de peccato est displicendum. Hæc regula est nota cuicunque intellectui naturaliter. Nam omnis intellectus creatus, ex suo lumine naturali cognoscit de peccato esse dolendum, & displicendum: est enim res mala, & de malo esse dolendum omnes nouerunt, qui vsus rationis sunt capaces: & cognitio huius regulæ manet etiam in viatore post actum peccati; & posset esse vniformis in omni statu, scilicet naturæ conditę, & lapsę, si cognitio naturalis propter peccatum non deficeret; & Angelus post peccatum ipsam quoque habere potuisset, si permansisset viator; & consequenter potuisset acquirere, & in sua voluntate habere virtutem hanc inclinantem ad actum vindicandi, & puniendi peccatum commissum, scilicet virtutem pœnitentiæ, si permansisset in via post actum primi peccati commissum. Regula verò supernaturalis, & nota solùm reuelatione diuina est hæc. Quòd peccatum est detestandum, inquantùm est offensiuum Dei, vel inquantùm est auersiuum à Deo, vel inquantùm est impeditiuum acquisitionis beatitudinis, vel in quantùm est inductiuum finalis miseriæ. Sacra enim scriptura, ex qua hæc regula sumitur, docet peccatum esse detestandum propter omnes illas rationes. Huic autem regulæ correspondet in voluntate virtus pœnitentiæ; sed non illa pœnitentia, quę nunc dicta est, & est virtus moralis naturalis correspondens priori regulæ, quę est dictamen rectum rationis naturaliter notum; sed est alia virtus pœnitentiæ, quæ dicitur pœnitentia Euangelica, & Christiana, & est supernaturalis quò ad cognitionem, tamen habita reuelatione potest homo illam in se generare naturaliter ex frequentatis actibus, vt diximus suprà in disput. Vtrùm pœnitentia sit virtus naturalis, vel supernaturalis.

4 Ad propositum pœnitentia primo modo, quam possumus appellare virtutem moralem purè naturalem, est inflictiua vnius pœnę tantùm, scilicet displicentię de peccato, ad quam displicentiam sequitur tristitia in voluntate, quę est vnica, & prima pęna. Et ratio est, quia regula, & dictamen rectum rationis, à quo illa regulatur, & secundùm quod gignitur, non dictat aliam pœnam pro peccato esse infligendam. Secunda pęnitentia verò, scilicet Euangelica est inflictiua plurium pœnarum, scilicet omnium illarum, quas regula sua, quę est Sacra scriptura, dictat, & pręcipit. Illę autem sunt illę pœnę, quas legislator legis Euangelicę Christus Dominus, cuius pęnitens est minister in actu vindicandi in se ipso peccatum, voluit infligendas esse, vt sufficienter placaretur. Et tales sunt multę, vt suprà diximus, & colligitur ex Sacra scriptura.

5 Vndè ad quęstionem. Respondet Scotus, quòd quæstio potest intelligi de duplici pœnitentia. Vel enim intelligitur de pœnitentia virtute, primo modo scilicet de pœnitentia morali purè naturali, vel intelligitur de pęnitentia secundo modo dicta, scilicet de pœnitentia morali Christiana. Si primo modo, illa est inflictiua vnius pœnæ tantùm, scilicet displicentiæ, & nolitionis peccati, ad quam sequitur tristitia. Si verò intelligatur de pęnitentia secundo modo dicta, scilicet de pęnitentia virtute morali Christiana, dicendum est, quòd est pluriū, & diuersarum pęnarum inflictiua, scilicet ieiuniorum, orationum, disciplinarum, elemosinarum, & huiusmodi. Reliqua, quæ dicit Scotus in hac quæstione, explicata sunt supra disp. illa, Vtrùm actus pęnitentiæ, qui requiritur ad delendum peccatum sit actus genitus à virtute cap. 2. vbi disputatur, An pęnitentia sit virtus naturalis, vel supernaturalis. Solutio quęstionis.

6 Secunda pars solutionis istius quæstionis, quòd pęnitentia Euangelica sit inflictiua plurium pęnarum probatur per rationes Scoti principales ad oppositum, quarum prima est auctoritas ex Ioele capit. 2. *Scindite corda vestra, & non vestimenta vestra, ait Dominus omnipotens.* Secunda ex Iacobi. *Confitemini alterutrum peccata vestra.* Tertia Matthei 3. *Facite fructus dignos pœnitentiæ*, & plures Secūda pars opin. Scoti probatur.

res aliæ ſimiles adduci poſſent, ex quibus poteſt cõfici hęc ratio. Pœnitentia eſt iuſtitia punitiua ſecundùm legem diuinam, ſed ſecundùm legem Dei oportet plures pœnas infligere, vt peccatum puniatur, vt patet ex auctoritatibus adductis, in quibus ieiunia, mortificationes, confeſſio peccatorum, & ſimilia pręcipiuntur; ergo pęnitentia non purè naturalis, ſed Euangelica non eſt inflictiua vnius pœnę tantùm, ſed plurium. Ex quo colligitur, quòd chriſtianus, qui vult peccatorum ſuorum obtinere veniam, non debet eſſe cõtentus diſplicentia peccati, ſed debet adhibere alias pœnas, vt illud deleatur.

Secũda auctoritas. 7 Secundò probatur auctoritate D. Auguſt. de vera, & falſa pœnitentia ca. 14. & 15. quam etiam Magiſter Sent. adducit in hoc quarto diſt. 16. & habetur in decretis de pœnitentia diſt. 5. cap. 1. vbi D. Auguſt. longo ſermone docet, quæ peccator exercere, & conſiderare debet in agẽda pœnitentia, & dicit exercendũ eſſe in lacrymis in eleemoſinis, in ieiunijs, in orationibus, & ſimilibus, quæ vocat fructus dignos pœnitentiæ: ex qua auctoritate colligitur pœnitentiam Euangelicam eſſe inflictiuam plurium pœnarum non vnius tantùm.

Prima pars opin. Scoti 8 Prima autem pars opinionis Scoti non probatur à Scoto alia ratione niſi ea, quæ adducta eſt ipſam explicãdo, ſcilicet quia recta ratio lumine naturali nota dictat de peccato eſſe diſplicendum, ad quam diſplicentiam ſequitur triſtitia: at lumine naturali non eſt notum nobis vlteriùs aliquam aliam pœnam eſſe adiungendam: quia non eſt notum peccatum eſſe offenſiuum Dei, & impeditiuum beatitudinis, ſed ſolùm eſſe actum malum, & dignum vituperio, quia eſt contra bonitatem moralem, quam omnes commendant, & laudant, &c.

1. Ratio in oppoſitũ. 9 Contra ſecundam aſſertionem autem Scoti ſunt argumenta principalia Scoti in hac quæſtione, quorum primus eſt. Virtus pœnitentię eſt inflictiua pœnę, vt ordinet culpam; pęna enim ordinat culpam: at vnius culpę eſt vna pœna: quia vna pœna eſt ordinatiua vnius culpę; nulla enim culpa duplici pœna ſufficienti punitur; ſicut nec vna deordinatio pluribus ordinationibus punitur, ſed vnica, &c.

2. Ratio. 10 Secundò. Pœnitentia eſt iuſtitia quædam particularis, ſcilicet vindicatiua: at iuſtitia reddit æquale pro æquali; vna autem pęna eſt æqualis vni culpę; ergo vni culpæ non debent ex pœnitentia infligi plures pœnę.

3. Ratio. 11 Tertiò. Vnius virtutis eſt vnicum obiectum, & vnicus actus, ſed ſic eſt, quòd pœnitentia eſt vnica virtus; ergo debet habere vnicum obiectum, ſcilicet vnicam pęnam, & vnicum actum, ſcilicet infligere vnicam pęnam, non plures.

Ad primũ. 12 Ad primum reſpondet, quòd pęna, quæ regulariter ordinat culpam poteſt duobus modis conſiderari. Vno modo in ſe. Alio modo in ordine ad offenſum. Primo modo eſt vna: quia vnius peccati eſt vna pęna; ſed ſecundo modo poteſt eſſe multiplex: ratio eſt, quia iudex ordinans pęnam ad vindicandam culpam in offenſum, reſpicit voluntatem offenſi, & ſecundùm eius voluntatem ordinat tantam, & tantam pęnam; vnam, & plures, prout placet offenſo, vt placetur. Pęnitentia enim eſt iuſtitia ordinatiua pęnę, ita vt placet offenſum: ideò iudex ordinans hanc pęnam debet reſpicere voluntatẽ offenſi, alioquin nunquam dimitteretur offenſa; tunc enim ſolùm dimittitur, cum offenſus eſt placatus. In Scriptura ſacra autem habetur, quod Deus offenſus requirit multiplicem pęnam propter peccatum; ergo, &c.

13 Quòd ſi quis dicat. Si offenſus eſſet indiſcretus, vel crudelis, & nollet debita pęna, & æquali delicto placari? Reſpondetur vt ad ſequens.

Ad ſecundum. 14 Ad ſecundum reſpondet per idem, ſcilicet quòd pęna ſecundùm ſe conſiderata poſſet eſſe æqualis peccato; & ſic vnius culpæ eſſet vna pęna; tamen reſpectu offenſi poſſet non eſſe ſufficiens ad ipſum placandum, & ſic inflictio pęnæ non obtineret effectum ſuum, qui eſt placatio offenſi, & dimiſſio culpæ. Quòd ſi quis dicat: qui non vult acceptare æqualem pęnam, eſt crudelis; ergo talis offenſus eſſet crudelis, & ſic Deus eſſet crudelis. Scotus nullam aſſignat reſponſionem ad hanc obiectionem, ſed ait. *Quęre reſponſionem.* In textu autem aſſignatur in extra aliorum reſponſio, quæ eſt hæc. Quòd quandoque vna pęna non eſt æquiualens culpæ: ideò aliæ requiruntur, quæ omnes æquiualent vni perfectæ punitioni.

15 Ego meliùs reſponderi puto, quòd non valet conſequentia, quòd Deus eſſet crudelis. Ratio eſt, quia ille eſt crudelis, qui pęna æquali culpæ non eſt contentus, ſed exigit pęnam longè ſuperantem culpam: at nulla eſt pęna, quæ poſſit æquari culpæ, & peccato commiſſo in Deum; ſed quæcunque pęna data etiam æterna ignis inferni, adhuc culpa eſt maior. Nam eſt communis doctrina Theologorum, quòd Deus punit etiam damnatos ſemper citra condignum, ſicut præmiat vltra condignum. Proindè Deus quantumcunque requirat plures pęnas pro eadem culpa vna; non tamen poteſt eſſe crudelis: quia quantacunque pęna illa ſit grauis, & quæcunque, numquam tamen illæ ſuperant dignitatem culpæ, ſed ſemper ſunt minores.

16 Ad tertium reſpondetur, quòd pęnitentia virtus eſt vnica virtus, vt ſuprà dictum eſt, & habet vnum actum, & vnum obiectum. Actus eſt imperare cauſis cauſantibus triſtitiam, quæ ſunt conſideratio peccati, & nolitio eiuſdem, vt cauſent triſtitiam, & punitionem peccati. Obiectum eſt ipſa triſtitia, quæ eſt effectus proximus productus ab illis duabus cauſis, eſt verò effectus remotus actus eliciti voluntatis imperantis actum illum nolitionis peccati; de qua re infrà in materia de ſatisfactione: quæ triſtitia licèt ſit multiplex ratione obiectorum, ex quibus oritur; tamen quatenus cauſatur ex illo vnico actu voluntatis, qui eſt imperare cauſationem triſtitiæ, & quatenus ſunt punitio vnius peccati, poteſt dici vnum obiectũ. &c. Ad tertiũ.

Quæſtio Quarta.

DISPVTATIO XX.

Quid ſit pęnitentia ſacramentum.

Quòd pœnitentia eſt ſacramentum inſtitutum à Chriſto Domino. Caput Primum.

1 NEceſſe eſſet priori loco explicare diffinitionẽ ſaltem quid nominis pœnitentiæ, quòd eſt ſacramentum: diffinitio enim quid nominis in omnibus quæſitis pręſupponitur, ex primo Poſterior. tex. 2. de pręcognitis: ignorato enim nomine rei nulla poteſt inſtitui quæſtio de vlla re. Verùm, quia diffinitio quid nominis, & diffinitio quid rei ſacramenti pęnitentiæ ſunt vna, & eadem, vt videbimus: (nam licèt pœnitere quò ad vim vocabuli ſit pœnam tenere, tamen pœnitentia, quæ eſt ſacramentum non explicatur propriè per illam definitionem nominalem, ſed potiùs per illam explicatur pœnitentia virtus) & de diffinitione quid rei ſacramenti pœnitentiæ eſt non parua lis inter Theologos, decreui vtramque tractare ſimùl, quòd fiet in ſequẽtibus. Pro nunc ſatis ſit, quòd cum quærimus, An pœnitentia ſit ſacramentum à Chriſto Domino inſtitutum: per pœnitentiam intelligimus aggregatum, ſcilicet contritionem, confeſſionem, & ſatisfactionem de peccatis factam à pœnitente, & abſolutionem datam à Sacerdote. Certum eſt enim hæc omnia, vel eſſe ſacramentum pœnitentiæ, vel in illis contineri, de qua re poſteà. Vndè pro nunc ſenſus difficultatis eſt, Vtrùm à Chriſto Domino ſit inſtitutum vnum ſacramentum particulare, in quo aliquis doleat de peccatis, illa confiteatur ſacerdoti, à quo abſoluatur, & ei imponatur ſatisfactio pro illis. Vel, vt loquar cum Bellarmino lib. 1. de pœnitentia cap. 8. quia hæc quæſtio eſt propriè cum hæreticis, titulus, ſiue ſtatus quæ-

quæstionis est, Vtrùm pœnitentia signis exterioribus manifestata accedente ad eam verbo absolutionis, sit sacramentum nouæ legis propriè dictum. Ad inuestigandum autem hoc, oportet quærere, An Christus Dominus instituerit in Euangelio aliquam potestatem, qua possint remitti peccata hominibus: hoc enim probato, patebit propositum. Nã institutio sacramenti pœnitentiæ nihil aliud est, quàm collatiò potestatis absoluendi homines à peccatis, vt videbimus.

Duo errores.

2 De hac re duo referuntur errores omninò contrarij. Alter asserit hoc sacramentum institutum fuisse à Deo in Paradiso terrestri, quando Dominus dixit Adæ post peccatum. Quid fecisti? vel in lege veteri, vel naturæ quãdo instituta fuerunt sacrificia pro peccatis, in quibus pręmittebatur quædam confessio, vt patet in Leuitico cap. 5. & in Numeris cap. 5. Hic error refertur à Nauarro de pęnitentia dist. 5. à principio, & à Medina tractatu 2. de Cõfessione in principio. Fundamentum huius erroris videtur fuisse, quia in lege veteri antequàm fierent illa sacrificia pro peccatis pręmittebatur confessio quædam peccatorum, & Matthei cap. 3. & Marci 1. legitur, quòd Iudei accedentes ad pręedicationem Ioannis Baptistę ab eo baptizabantur in Iordane, confitentes peccata sua; ergo videtur quòd cõfessio peccatorum instituta fuerit ante aduentum Christi; & consequenter quòd collata fuerit potestas absoluendi homines à peccatis, alioquin frustrà visum fuisset instituere illam confessionem peccatorum.

Reijcitur eius fundamentũ falsum.

3 Hic error communiter reijcitur non solùm propter ea, quæ adducemus in explicatione sententiæ catholicæ; sed quia eius fundamentum est omninò nullum. Nam confessio, quam faciebant Iudæi, qui à Ioan. Baptista baptizabantur, & quam pręmittebant in lege veteri ante sacrificia facta pro peccatis, non erat confessio sacramentalis, quæ fieret alicui habenti potestatem dimittendi peccata, à quo veniam illorum obtinerent, vt fit in confessione sacramentali: quia talis potestas est data à solo Christo Domino in Euangelio: neque enim in lege veteri, vel naturæ erant sacramenta conferentia gratiam, & dimittentia peccata, nisi peccatũ originale, vt visum est suprà dist. 1.

Quæ verò fuerit illa confessio, aliqui dicunt quòd erat confessio generalis peccatorum, non alicuius particularis; & hanc sententiam sequitur Suarez, de pœnitentia disp. 17. sect. 1. Sed Bellarminus de pęnitentia lib. 3. cap. 3. probat aduersus hæreticos fuisse confessionem peccatorum in speciali, & indiuiduo, vt patet ex verbis textus Numeri cap. 5. qui dicit. *Confitebuntur peccatum suum*, loquitur in particulari; & eodem modo probat intelligenda esse verba D. Matthei, & D. Marci. Est ergo dicendum cum D. Ioan. Chrisostomo homelia 10. in Matthenm, quòd illa confessio facta à Iudęis Ioan. Baptistæ erat facta propter eorum humilitatem, & erat figura confessionis Euangelicę; sicut eius baptismus erat figura baptismi Christi. Similiter cõfessio instituta à Deo in lege veteri erat instituta, vt figura confessionis Euangelicę: ideò non erat sacramentum, sed vmbra, & figurà sacramenti pœnitentię; sed de hac re infrà agendo de necessitate confessionis plura cum Scoto dicemus.

Alia hæresis nostrorũ tẽporũ.

4 Alter error est hæreticorum nostrorũ temporum in extremo oppositus priori, quòd nullum sit sacramentum pœnitentiæ distinctum ab alijs sacramentis, præsertim à baptismo. Hæc hæresis fuit antiquitus primum excitata à Montanistis, & Nouatianis, vt ex D. Cypriano lib. 2. Epistola 4. D. Amb. lib. 1. de pœnitentia cap. 2. D. August. lib. de hæresibus cap. 38. & alijs Patribus ostendit Belarminus lib. 1. de pœnitentia cap. 9. quam iamdiù damnatam, & sepultam, nouissimè Lutherus, Zuinglius, Caluinus, & cæteri sectarij nostris temporibus excitarunt.

5 Hanc hæresim his rationibus præsertim munire cõtendunt, vt colligitur ex Ruardo Taper art. 3. qui est de pœnitentia. Bellarmino lib. 1. de penitentia cap. 1j. & alijs.

1. Ratio.

Primò. Scholastici Doctores desudant quærendo quid in pœnitentia sit sacramentum, & quòd tandem nihil determinant, sed totum hoc negotiũ in opinionibus cõsistit.

2. Ratio.

Secundò. Sacramẽtum secundùm diffinitionem hęreticorum est ceremonia externa à Domino instituta ad fidei confirmationem: at pœnitentia non est huiusmodi; ergo &c.

3. Ratio.

Tertiò. Secundùm D. August. sermone de baptismo ad infantes; & lib. 3. quæstionum veteris, & noui testamenti, Sacramentum est signum visibile: at pœnitentia non est visibilis: contritio enim, & confessio, & absolutio, immò, & satisfactio non sunt res visibiles.

4. Ratio.

Quartò. Non potest assignari locus, in quo Christus instituerit hoc sacramentum. Nam quod dicunt catholici institutum esse in illis verbis Io. 20. *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata remissa erunt* &c. negãt: quia dicunt in his verbis non esse institutum aliquod sacramentum: quia hic non dessignatur Symbolum, nec forma, sed ibi Apostolis designatur legatio ad pręedicandum Euangelium, & ijs, qui extra Ecclesiam sunt.

5. Ratio.

6 Quintò. Inepta est pœnitentiæ diffinitio assignata à D. Hieron. & à Patribus. Pœnitentia est secunda tabula post naufragium. Nam nullus est, qui non nisi vnum naufragiũ faciat in tota vita sua; ergo debebat diffiniri, quod pœnitentia sit nedum secunda, sed tertia, & quarta &c. tabula post naufragiũ. Præterea ex hoc dicto sequitur quòd baptismus per peccatum deleatur, quod est impium.

6. Ratio.

7 Sextò. Ex Kemnytio in quolibet sacramento debet reperiri aliqua materia, siue aliquod elementum sensibile, vt patet in baptismo, & Eucharistia: at in pœnitentia nullum est elementum; ergo non est sacramentum.

7. Ratio.

8 Septimò. Penitentia erat in veteri testamento cum omnibus his tribus partibus, scilicet cõfessio, cõtritio, & satisfactio, vt vidimus nunc suprà adducendo primum errorem. Sed ibi pęnitentia non erat sacramentum; ergo neque penitentia Euangelica est sacramentum.

8. Ratio.

9 Octauò. De ratione pęnitentiæ secundùm catholicos est enumerare peccata singula, & illa confiteri: at non legitur Apost. vnquàm exegisse enumerationem peccatorum ad remissionem peccatorum, & tandem nullum esse exemplum pęnitẽtiæ apud Apostolos, neque apud Patres antiquos; ergo videtur ficta à Catholicis.

Refutatur

10 Hæc hæresis procedit ex odio mero hæreticorum contra Ecclesiam Romanam, iuncto cum excęcatione, quæ est communis omnibus hæreticis. Nihil enim clarius in Sacra scriptura habetur, & apud Sanctos Patres antiquissimos, quàm pęnitentiam esse sacramentum, & sacramentum distinctum ab alijs, & quia hoc diffusè ostenditur à pręedictis auctoribus, & alijs scribentibus contra hæreticos, breuiter rem absoluam.

Assertio catholica continẽs duas partes.

Statuitur ergo hæc conclusio catholica. Penitentia est sacramentum propriè dictum nouæ legis institutum à Christo Domino. Hæc assertio continet duas partes. Prima est, quòd pęnitentia est sacramentum propriè dictum nouæ legis. Secunda pars est, institutum à Christo Domino, quæ ex priori deducitur, sed propter Hęreticos seorsùm probabitur. Prima pars facilè probatur Sacramẽtum est signũ sensibile ex institutione, diuina efficaciter significans gratiam vel effectum gratuitum ordinatum ad salutem hominis viatoris. At pęnitentia, de qua nunc est sermo, scilicet absolutio hominis pęnitentis à peccatis cõfessis cum debita intentione satisfaciendi, est signum sensibile ex institutione diuina efficaciter significans absolutionem hominis à peccato ordinatum ad salutem hominis viatoris; ergo pęnitentia est sacramentũ nouę legis. Maior patet ex dictis à nobis suprà dist. 1. disp. 7. cap. 2. & 3. vbi explicauimus conditiones requisitas ad sacramentum nouę legis, quæ in illa diffinitione continentur. Hęretici & si in aliquibus particulis diffinitionis sacramenti conueniãt cum catholicis; tamen alio modo illas intelligunt, & alias addunt, quę nullo modo pertinent ad diffinitionem sacramenti. Conueniunt nobiscum, quòd omne sacramentum sit aliquod symbolum, siue signum externum, sed differunt, quia Caluinistę volũt istud signum esse visibile,

Prima pars probatur.

Maior contra hæreticos probat.

& fal-

& palpabile, & propter hoc admittūt tantùm duo sacramenta, scilicet baptismum, & Eucharistiam, quia ista sunt signa visibilia; sed catholici dicunt sacramentum esse signum sensibile, vt suprà ostendimus. Nam D. August. à quo sumpta est illa diffinitio sacramenti, Sacramētum est inuisibilis gratiæ visibile signum, per visibile intelligit sensibile: nam apud eum lib. 10. Confessionum cap. 33. rectè dicimus, *vide quid sapiat, vide quid oleat, vide quid sonet, vide quomodo durum sit.*

11 Ex quibus patet visibile illud dici à D. Aug. quod aliquo sensu externo sentiri potest, & ita omnia sacramenta sunt signa visibilia: idest sensibilia, quia aliquo externo sensu visus vel auditus sentiuntur.

12 Differunt etiam circa illam particulam *efficaciter significans gratiam vel effectum gratuitum.* Nam hæretici dicunt esse signa tantùm gratiæ, non autem esse signa efficacia, siue continentia, & conferentia gratiam quantùm est ex se, nisi ponatur obex, vt Catholici dicūt: ponūt enim hæretici solū duos effectus in sacramētis, scilicèt obsignare promissiones Dei, & esse testimonia nostræ pietatis coram Deo, Angelis, & hominibus. Et hinc differunt consequenter circa vltimam particulam *ordinatam ad salutem hominis viatoris.* Nam catholici volunt quòd sacramenta sint instituta à Deo ad producendam gratiam gratum facientem, qua viator obtinet vitam æternam, & liberatur à peccato: hæretici verò (quod tamen obscurum est, & laborant in declarando) volunt quòd sacramenta sint instituta à Deo, tanquàm sigilla quædam, quæ instar miraculorum confirment, & obsignent promissiones, scilicèt prædicationem fidei, & fidem, ac illam excitent, & nutriant, vt faciunt miracula; ex qua fide apprehensa per prædicationem postea dicunt hominem iustificari, & recipere gratiam; dicunt enim hominē iustificari per solā apprehensionem fidei, qua credant peccata sibi esse remissa. Vndè Caluinus in libello de formula sacramētorum administranda, vt refert Bellarminus lib. 1. de sacramentis cap. 14. docet priùs verbum Dei annuntiandum esse, & remissionem peccatorum per fidem: deindè adhibenda sacramenta tanquàm sigillum confirmans doctrinam, & fidem prædicatam esse veram: non ergo volunt quòd sacramenta immediatè efficiant gratiam, sed mediatè scilicet mediante prædicatione excitante fidem, siue veriùs fiduciam, qua apprehensa dicunt hominem iustificari. Volunt enim quòd homo iustificetur per fidem idest per fiduciam, quòd sibi per merita Christi sunt remissa peccata.

Sed hanc conditionem hæreticorum esse omninò falsam optimè cōuincunt Richardus, Bellarminus vbi suprà, & alij. Hæ duæ rationes sufficiant. Prima. Si sacramenta essent sigilla promissionum Dei, & fidei, essent notiora, & efficaciora ipsa scriptura, & verbo Dei. Sed hoc est falsū; ergo. Antecedens probatur: quia ignotius non adhibetur ad probandum notius, sed è contra: si ergo sacramenta adhiberentur ad comprobandum prædicationem verbi Dei necessariò deberēt esse notiora, & efficaciora ad persuadendum fidem, quàm ipsa prędicatio, & verbum Dei. Sigillum enim Regis notius est, & efficacius est, quàm sint litteræ Regis, quæ illo obsignantur, & miraculum est notius, & efficacius ad faciendum, & nutriendum fidem prædicatam ab aliquo, quàm ipsa prędicatio. Vndè si quis in testimonium veritatis suæ prædicationis suscitet mortuum, vt faciebant Apostoli, & Sancti, ex illo miraculo maiorem fidem faciet veritati prædicatæ à se, quàm faceret ipsa prædicatio. Falsitas consequentis est euidens: quia sacramenta confirmantur ex verbo Dei, & ex Sacra scriptura. Vndè nos catholici, & etiam hæretici numerum, & substantiam ipsorum in Sacra scriptura quærimus, nec nisi ex Sacra scriptura, & verbo Dei admittimus.

1. Ratio cōtra hæreticos.

2. Ratio.

13 Secundò confirmatur idem: quia essentia, & natura sacramentorum non potest aliundè meliùs cognosci quàm ex verbis Dei auctoris sacramentorum, quæ in Sacra scriptura habentur: at in Sacra scriptura sacramenta nusquàm dicuntur testimonia promissionum, vt fingunt hęretici, qui tamen nihil volunt admittere, nisi scripturas, & traditiones, & consensum Patrum pertinaciter spernunt; sed describuntur vt instrumenta iustificationis. Maior est euidens. Minor probatur. Ad Titum 3. Apostolus vocat *baptismum lauacrum regenerationis, & renouationis.* Ad Ephęsios 5. dicit *Ecclesiam sanctificatam & mundatam lauacro aquę in verbo vitæ,* & similia. Io. 6. de Eucharistia dicitur, *qui manducat hunc panem viuet in æternum* &c.

Obiectiones hæreticorum tolluntur.

14 Nec valet quòd Paulus ad Romanos 4. vocat circuncisionem signaculum iustitiæ: quia ex hoc habetur solùm, quòd circumcisio in Abraham fuit illi signum iustitiæ fidei: quia data fuit illi circumcisio merito fidei: ideò circumcisio in ipso fuit signum fidei, & iustitiæ. At ex hoc non deducitur, quòd sacramenta nouæ legis sint signa promissionum. Hoc deberent probare hæretici de sacramentis nouæ legis.

15 Neque valet quidquàm id quod adducunt ex D. Petro Epistola 1. cap. 3. vbi dicit, *quos & vos similis formæ saluos facit baptisma, non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio* (vel vt ipsi vertunt) *pactum in Deum.* Quia horum verborum sensus est. Saluos facit baptisma non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ pactum seù interrogatio cum Deo. Nam hic non dicitur, quòd baptismus sit sigillum vel obsignatio promissionum Dei, sed solùm quòd baptismus saluas facit animas, & efficit iustificationem animarum, ex qua iustificatione & salute oritur testimonium bonæ conscientiæ, seù interrogatio, & responsio ad Deum: qui enim iustificatus est per baptismum audet cum fiducia accedere ad Deum, & eum interrogare, idest colloqui cum eo, & eum rogare pro se, & alijs, vt exponunt D. August. tractatu 80. in Io. & sermone 30. de verbis Domini. Ex his patet veram esse maiorem, scilicet quòd difinitio sacramenti assignata à catholicis est vera &c.

Minor principalis rationis probatur.

16 Minor verò principalis rationis patet: quia pœnitentia est signū sensibile. Absolutio enim facta à sacerdote verbis istis, *Absoluo te à peccatis tuis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti,* est signū sensibile: auditu enim percipi potest. Similiter confessio peccatorum est signum sensibile, quia est audibilis; est etiam signum efficaciter significans, & efficiens gratiam ex institutione diuina, ordinatum ad salutem hominis viatoris; quæ sunt cæteræ conditiones sacramenti: quia vt nunc infrà ostendam hoc signum est institutum à Christo, & illi est promissa gratia liberans à peccatis post baptismum commissis, & est institutum à Christo ad salutem hominis viatoris, vt post baptismum possit liberare se à peccato.

Pœnitētia est sacramētum distinctum à reliquis.

17 Est etiam sacramētum distinctum à reliquis sacramentis, vt à baptismo, confirmatione, & alijs; quia vt diximus suprà cum Scoto dist. 1. q. 3. a. 4. sacramenta propriè dicta distinguuntur penes duo. Penes signum sensibile, & penes effectum. Baptismus autem est signum sensibile diuersum à pœnitentia: quia baptismus est ablutio facta in aqua naturali cum istis verbis, Ego baptizo te in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Pœnitentiæ autem signum sensibile est absolutio ipsa sacerdotis, & confessio pęnitentis, quæ vt patet sunt diuersa signa sensibilia. Sunt etiam diuersa signata, & effectus, quia licèt in vtroque sacramento significetur gratia gratum faciens; tamen diuerso modo significatur: quia baptismus est signū gratię, quatenus liberat à peccato originali, & actuali quoque; sed pęnitentia est signum gratiæ gratū facientis, quatenùs liberat hominem à peccato actuali commisso, post baptismum.

18 Possumus etiam dicere, quòd distinguitur ab alijs sacramentis: quia vt diximus suprà dist. 3. disp. 9. cap. 1. in omnibus sacramentis, propriè loquendo, est propria materia, & forma, per quæ distinguuntur. Materia est fundamētum signi; forma est relatio ipsa signi ad signatum, siue signatio gratiæ: patet autem quòd ista fundamenta sunt diuersa in baptismo, pęnitentia, & alijs sacramentis.

Nam

Nam in baptismo fundamentum est totum illud, ablutio, & verba, & relatio est significatio ablutionis animæ à peccato. In pęnitentia fundamentum sunt absolutio, & actus pęnitentis. Relatio est signatio absolutionis animæ à peccato actuali commisso post baptismum. Vel secundùm alias scholas sustinentes, quòd in sacramentis materia sint res, verba sint forma, patet quòd alia res, & forma sunt in baptismo, & alia res, & forma sunt in pęnitentia; ergo sunt diuersa sacramenta, &c.

Hæreticorum deméntia refellitur.

19 Ex quo patet dementia hæreticorum negantium pęnitentiam esse sacramentum diuersum à baptismo. Cęterùm hæretici dicunt, pęnitétiæ sacramentum esse idem sacramentum, quòd baptismus: quia omninò negant pęnitentiam esse sacramentum: volunt enim, quòd cum quis post baptismum peccauit, obtineat veniam suorum peccatorum per baptismum memoria, non autem re ipsa repetitum, vt colligitur ex Bellarmino lib. 1. de pœnitentia cap. 12. Ruardo, & alijs: & ideò ita infensè clamant contra dictum D. Hieron. acceptum à tota Ecclesia Catholica, pœnitentia est secunda tabula post naufragium; & calumniantur Catholicos, quòd dicant per peccatum aboleri baptismum: & ideo necessarium esse aliud sacramentum ad remittendum peccata commissa post baptismum, quod est pœnitentia.

Secunda pars assertionis principalis, scilicet pœnitentiā esse sacramētū institutum à Christo Domino, probatur.

20 Ad hanc dementiam, vel potiùs iniquitatem delendam, & veritatem confirmandam, Primò ostendenda est breuiter secunda pars assertionis principalis superiùs posita, scilicet quòd pœnitentia est Sacramentum à Christo Domino in nouo testamento institutum: deindè per baptismum non remitti peccata actualia commissa post baptismum.

21 Quò ad primum. Conueniunt Catholici omnes pęnitentiam institutam fuisse à Christo Domino; sed de loco non omnes conueniunt. Aliqui enim dixerunt institutam esse ab Ecclesia, vel à Iacobo S. vbi dicitur. *Confitemini alterutrum peccata vestra.* &c. Hæc opinio recitatur à Scoto in 4. dist. 2. q. 2. §. *Secunda conclusio,* &c. & à Marginistis tribuitur Alexandro Alensi. Sed re vera hæc opinio non est Alensis, vt est videre apud ipsum p. 4. q. 18. m. 3. art. 2. vbi cum Scoto, & alijs tenet institutam esse completiuè Ioan. 20. ea verò opinio tribuitur Glosæ in principio de pęnitentia, Hugoni Victorino lib. 2. de sacramentis par. 14. cap. 1. & eam quò ad confessionem tenet D. Bonauent. in 4. dist. 17. parte 2. a. 1. q. 3. vbi dicit, quòd, *Confessio fuit à Domino insinuata, ab Apostolis instituta, ab Episcopo Hierosolimitano S. Iacobo promulgata.*

Opin. quorūdā catholicorū, quæ tribuit Alēsi, sed falso

Reijcitur.

22 Hæc opinio reijcitur à Scoto, & ab omnibus alijs Doctoribus, à Scoto autem reijcitur. Primò, quia ex verbis, & processu Epistolæ illius apparet illic nullam factā esse institutionem sacramēti alicuius; sequitur enim. *Orate pro inuicem*, &c. quæ verba non denotant aliquam institutionem sacramenti alicuius, nec promulgationem, vt patet. Sed ratio principalis est, quia apud D. Iacobum Apostolum non erat potestas instituendi sacramentum aliquod: quia vt suprà dist. 1. disp. 3. diximus, potestas instituendi sacramenta est apud solum Deum, qui nedum potest instituere signum sensibile ad signandum gratiam, sed ipse solus potest facere, vt sit signum verum, & efficax, idest vt conferat gratiam, quam significat.

23 Alij alias opiniones habuerunt, quas abducunt Alensis illa q. 18. m. 3. a. 2. & Suarez disp. 17. sect. 2. D. Tho. 3. parte q. 84. art. 7. tenet in diuersis partibus Euangelij diuersas partes institutas fuisse. Sed id, quod pertinet ad officium ministrorum, quod est potestas absoluēdi, ait, fuisse determinatum Matthei 16. vbi dixit Petro. *Tibi dabo claues regni cęlorum,* &c. Verùm, & si ibi Christus Dominus pollicitus sit Petro potestatem ligandi, & soluendi, quæ est potestas absoluendi à peccatis, post baptismum commissis; tamen illam ei ibi non dedit: deindè ibi soli Petro loquutus est: at alij Apostoli hanc auctoritatem habuerunt à Christo Domino. Ideo Scotus in hoc 4. dist. 2. q. 1. dicit hoc sacramentum institutum fuisse, Ioan. 20. cùm Dominus dixit Apostolis suis. *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt eis.* quæ fuit vniuersorum Patrum sententia, & nunc certa est ex Concilio Tridentino sessione 14. cap. 1. Scotus loco citato explicat quænam sit hæc auctoritas data Apostolis dimittendi peccata, & inquit non esse potestatem principaliter dimittendi peccata: quia hæc est propria Dei, sed esse potestatem arbitrariam, siue iudicis arbitri. Sacerdos enim constituitur arbiter inter Deum, & peccatorem, de qua re infrà, & in materia de confessione.

Opinio D. Tho. reijcitur.

Opin. Scoti approbata à Cōcil. Trident.

24 Vbi non possum non vehementer admirari inaduertentiam Soto, (ne quid peius dicam) in 4. dist. 18. art. 1. qui ex his verbis Scoti malè intellectis, quæ repetit distin. 17. q. 1. art. 1. deduxit Scotum asserere pœnitentiam non esse medium necessarium ad dimittendum peccata, sed esse medium vtile, & arbitrarium. Hoc enim non dicit Scotus, sed solùm asserit potestatem datam à Christo sacerdotibus absoluendi à peccatis, nō esse potestatem principalem, sed arbitrariam, & ministerialem, qualis est auctoritas Iudicis arbitri.

Obiectio Soto, & Suarez, ex ignorantia Scoti sententiæ.

25 Quòd autem confessio siue sacramentum pęnitentiæ sit medium ad delendum peccata secundùm legem Dei ordinariam, ostendimus suprà dist. 14. q. 1. in propria disp. & diximus non esse medium necessarium, itaut nullum aliud medium detur: diximus enim dari pœnitentiam virtualem, vt martyrium, & alia, quæ sunt media sufficientia ad delendum peccatum, & consentit Suarez. Vndè sibi non videtur constare, cum disp. 17. sect. 3. nititur probare oppositum, nisi intelligat in voto, vt re vera intelligit. Sicut patet eadem disp. sect. 3. de qua re iterum agemus dist. 17. q. 1.

26 Certum est ergo sacramentum pœnitentiæ institutum esse Ioan 20. vbi Apostolis, & eius successoribus, qui in hac parte sunt presbiteri, concessa est potestas absoluendi à peccatis, & certum est institutam esse ibi quò ad omnes partes, scilicet confessionem, & absolutionem, possumus addere & quòad cōtritionem, vel attritionem: nam vt pręsertim declarat Scotus in hoc 4. dist. 17. q. 1. a. 1. Dominus ibi facit Apostolos Iudices ministeriales, & arbitros iudicandi, & dimittendi peccata hominibus: at non potest iudex cognoscere de peccatis occultis peccatoris, nisi peccator illa manifestet; ergo necessariò requiritur confessio peccatorum vocalis. Necessaria est quoque aliqua displicentia de peccato, alioquin pecator non est dignus venia, iuxta alia pręcepta domini, & regulas Euangelicas; ergo requiritur contritio, vel attritio ex parte pœnitentis ad hoc vt sit capax absolutionis. Patet deindè absolutè ibi institui formam absolutionis; inquit enim, *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt eis*; ergo forma in hoc sacramento est modus aliquis ferendi sententiam iudicialem absolutiuam à peccatis, quæ etsi in verbis non sit determinata: hæc tamen accommodatissima est. *Ego absoluo te à peccatis tuis.* de qua infrà in proprio loco.

Ioan. 20. īstituta est quoque cōfessio.

27 Tandem quòd hæc institutio pœnitentiæ sit institutio sacramenti patet, quia hic est signum sensibile, scilicet absolutio facta certis verbis à sacerdote; & adest cōfessio peccatorum, quæ etiam est quid sensibile: adest etiam promissio gratię, qua signum illud est efficax, & efficit gratiam Dei ex institutione diuina: quia cum det auctoritatem hic Apostolis absoluendi, & dimittendi peccata, necesse est quod etiam det efficaciam, & infallibilitatem ipsi signo: alioquin esset Deus mendax, & deceptor, quod de Deo dicere nefas est.

Hæc institutio est institutio sacramēti pœnitentiæ.

28 Ex quo etiam colligitur eodem loco instituisse ordinem sacrum quòad actum secundarium. Nam vt ait Scotus vbi suprà, & omnes Patres, & Theologi affirmant, duo pertinent ad ordinem sacerdotalem, scilicet potestas respectu corporis Christi veri, scilicet confectio Eucharistiæ, & potestas respectu corporis Christi mistici. Prima habetur Matthei 26. vbi dixit Dominus Apostolis, & discipulis,

Sacramētū ordinis ibidem institutum esse.

ſcipulis, quibus ſuccedunt Epiſcopi, & ſacerdotes. *Hoc facite in meam commemorationem*, vt diximus ſuprà diſtin. 13.q.2.a.1.cum Scoto. Altera poteſtas habetur ex his verbis Ioan. 20. *Accipite Spiritum ſanctum*, &c. Hic enim tribuit poteſtatem Apoſtolis, & diſcipulis abſoluendi fideles à peccatis commiſſis: & ita ex his duobus locis habetur integra inſtitutio poteſtatis ſacerdotalis. Dicit etiam Scotus hanc auctoritatem abſoluendi à peccatis, colligi ex illo Matthei 16. *Tibi dabo claues regni cęlorum, quodcunque ligaueris*, &c. quæ fuit etiam mens D. Thomę. Tamen ille locus non propriè ſpectat ad inſtitutionem pœnitentiæ, & auctoritatis ſacerdotalis; licèt includat quoque hanc auctoritatem ſacerdotalem. Nam Matthei 16. loquitur ſolum ad Petrum, & facit ei illam ampliſſimam promiſſionem, dabo tibi claues regni celorum, &c. quam poſteà adimpleuit Ioan. vltimo, cum dixit eidem Petro in propria perſona, & nominatim *paſce oues meas*; quā ampliſſimam auctoritatem non promiſit, nec dedit alijs Apoſtolis; quia debebat eſſe vnum caput in Eccleſia. Vndè licèt promiſſio facta Petro Matth. 16. quò ad aliqua adimpleta ſit Ioan. 20. cum dedit omnibus Apoſtolis, & Diſcipulis poteſtatem abſoluendi à peccatis, inter quos erat quoque Petrus: tamen illa non eſt adimpletio adequatè reſpondens promiſſioni Chriſti factæ Petro, Matthei 16. ſed illa facta Ioan. vltimo *paſce oues meas*. de qua re infrà agendo de clauibus Eccleſiæ, vbi patebit quomodo dando claues Petro, eas dederit Eccleſiæ ex D. Auguſt.

29 Eſt ergo certum, Chriſtum Dominum Ioan. 20. inſtituiſſe poteſtatem abſoluendi à peccatis, & eam dediſſe Apoſtolis, & ſacerdotibus, quibus tunc loquebatur. Hæretici, vt refert Bellarminus lib. 1. de pęnitentia cap. 10. & lib. 3. cap. 2. agnoſcūt ex his verbis inſtitutum eſſe aliquod ſignum ſenſibile, cui eſt annexa promiſſio gratiæ abſolutionis à peccato. Sed tamen duo effugia aſtruere nituntur.

Primū effugiū hæreticorum.

Primum eſt Dominum hic nō loqui de iudiciaria aliqua poteſtate remittēdi peccata, vt nos catholici dicimus; ſed de poteſtate enuntiandi Euangelium. Dicunt enim Chriſtum Dominum in his verbis inſtituiſſe Apoſtolos legatos, & præcones ad annuntiādum Euangelium extraneis, & nondum in Eccleſiam coaptatis; & eſſe illis mandatū, vt annuntient remiſſionem peccatorum ijs, qui Euangelio credunt. Hęretici enim, qui iactant ſolam ſuam fidem, ſiue potiùs fiduciam, hominem iuſtificare, dicunt, tunc vnumquemque liberari à peccato, cum credit ſe eſſe liberum à peccato per Chriſtū: & ideò dicunt hoc loco Chriſtum Dominum mandaſſe Apoſtolis miniſterium verbi, & prædicationis, vt pręedicent extraneis per Chriſtum Dominum eſſe remiſſa peccata ijs, qui credunt Chriſto, ideſt ijs qui credunt ſibi per Chriſtum eſſe remiſſa peccata; & ſic nullum aliud requiri ſacramentum; nec aliquid aliud ad remiſſionem peccatorum. Hāc eſſe hæreticorum Caluini, & Kemnitij ſententiam præter ea quæ locis citatis adducit Bellarminus, oſtendunt clariſſimè verba Caluini in Antidoto contra Concilium Tridentinum adducta à Ruardo Taper a. 3. de pęnitentiæ ſacramento, quæ ſunt hæc. *Vbinam à Chriſto inſtitutum fingunt?* Loquitur de Sacramento pęnitentiæ, *Quia dixit, Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata remiſſa erunt. Primum ſi Chriſtus hanc auctoritatem donauit Apoſtolis, eſt ne proptereà ſacramenti inſtitutio? Vbi ſymbolum? Vbi forma? Deindè quis ignorat munus Apoſtolis illis fuiſſe iniunctū, quo erga extraneos fungerentur? Chriſtus teſtimoniū, quod de peccatorum remiſſione reddituri erant mundo, cōfirmat. Ea porrò legatio eſt, quæ per Euangelium defertur, & quidem in Eccleſiam nondum coaptatis.*

Reijcitur hoc hæreticorum effugium.

1. Ratio.

30 Cęterùm hoc commune hęreticorum effugium eſt adeò inſulſum, & adeò contra apertum ſenſum ipſius Euangelij, vt mirum videatur eos, qui ſolam ſcripturam venerantur non pudere ſic lacerare, & extorquere ſcripturam; ſed nihil eſt quod non audeat hæreticus. Primò ergo patet Chriſtum Dominum hic nullum habere verbū de miniſterio verbi, neque de prædicatione, neque ante vllum verbum dixit de teſtificatione iſta facienda infidelibus per pręedicationem. Et licèt priùs dixerit. *Sicut miſit Pater, & ego mitto vos*. non intelligitur de miſſione ad prædicandum pręciſè, ſed de ſubſtitutione in poteſtate, & auctoritate: quia ipſe Dominus miſſus fuit à Patre non ſolùm ad prædicandum, ſed ad remittendum peccata: ideò ſic Chriſtus miſit Apoſtolos committēs eis auctoritatem ſuam, non quidem principalem ſed miniſterialēm, & arbitrariam; & proindè vt eſſent idonei dedit illis Spiritum ſanctum, & dixit. *Quorum* &c. Et notādum quòd non dixit Dominus, *quorum anuntiaueritis peccata eſſe remiſſa illis, dimiſſa erunt, & quorum annuntiaueritis eſſe retenta illis retēta erunt*; ſed diſertè dicit, *quorum remiſeritis remiſſa erunt, & quorum retinueritis erunt retenta*, non facit eos legatos, & præcones ad annuntiādum peccata eſſe dimiſſa ijs, qui crediderint; ſed dat facultatem dimittendi, & retinendi, ſi ipſi iudicauerint eſſe dimittenda, vel retinēda; ergo hæc hæreticorum expoſitio eſt omninò voluntaria, & contra textum.

31 Secundò. Falſum eſt quòd his verbis iniūxerit Apoſtolis munus, quo fungerentur erga extraneos, ideſt nondum baptizatos: quia verba Saluatoris nihil tale continent: inquit enim, *quorum remiſeritis* &c. 2. Ratio.

32 Tertiò. Apoſtolus nihil curat de his, qui ſunt extra Eccleſiam 1. Corin. 6. *Quid enim ad me de his qui foris sūt?* intelligenda ſunt ergo verba adducta de ijs, qui baptizati ſunt, & ſunt in Eccleſia Dei, & tamen poſt baptiſmum peccant. 3. Ratio.

33 Quartò. Verba illa *ligandi, & ſoluendi*, quæ habentur Matthei cap. 18. & quibus hæc auctoritas promittitur Apoſtolis manifeſtè indicant poteſtatem aliquam iudiciariam Apoſtolis concedi: quia ligare, & ſoluere non ſignificat prædicare, vel enuntiare, ſed vincula alicui inijcere, vel demere. 4. Ratio.

34 Quintò. Verba iſta, *Quorum remiſeritis, & quorum retinueritis peccata* apertè ſonant Apoſtolis communicari auctoritatem iudicādi in cauſis peccatorū inter Deum, & hominem. Cum enim quis cōſtituitur à principe iudex arbiter in aliqua cauſa, nō vtitur ferè alijs verbis, quàm remittendi, & retinendi, ſiue abſoluendi, & condemnandi; ergo impudentia maxima eſt negare hic Apoſtolis datam eſſe poteſtatem iudiciariam. 5. Ratio.

35 Sextò. Tandem ceremonia illa inſufflationis, qua vſus eſt Chriſtus Dominus hoc oſtendit. *Hæc cum dixiſſet inſuflauit, & dixit eis, Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta ſunt eis.* 6. Ratio.

36 Septimò. Confirmatur expoſitionibus Sanctorum Patrum, & diffinitionibus Eccleſiæ, quæ fusè apud citatos auctores habentur. 7. Ratio.

37 Aliud effugium hæreticorum parùm diſtās à præcedenti eſt Chriſtum Dominum in illis verbis loqui de poteſtate, qua miniſtri per prædicationem remittunt peccata. Dicunt enim hæretici, quòd dum miniſter prædicat verbum Dei, excitat fidem in audientibus, vt credant ſibi eſſe remiſſa peccata per Chriſtum, & appræhenſio huius fiduciæ, ſiue credulitatis dimittit illis peccata. Verba ipſorum ſunt relata à Bellarmino cap. 10. lib. 1. de pœnitētia; *Illis enim miniſter peccata dimittit, in quibus pręedicando fidem excitat, qua remiſſio ipſa apprehenditur.* Aliud effugium hæreticorum.

38 Hoc effugium reijcitur vt primum: quia hìc non eſt ſermo, nec verbum vllū de remiſſione peccati per fidem, vel per pręedicationem Apoſtolorum, ſed de remiſſione peccati per collationem Spiritus ſancti: inquit enim, *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis*, &c. dat ergo Apoſtolis Spiritum ſanctum, ideſt auctoritatem Spiritus ſancti: neque enim dat perſonam Spiritus ſancti, ſed auctoritatem ipſius vt remittant peccata, vel retineant. Reijcitur. 1. Ratio.

39 Pręetereà nō dicit Dominus. Accipite Spiritum ſanctum, vt illorum peccata, in quibus per pręedicationem fidem excitaueritis, remittatis, & quorum fidem non excitaueritis retineatis. Nullum eſt hic verbum de fide, nec de mini- 2. Ratio.

ministerio verbi; sed solùm de remissione, ac retentione peccatorum. *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata remissa erunt, & quorum retinueritis retenta erunt*; ergo est maxima impudētia deprauare Sacram scripturam, & ad tam extortum sensum trahere.

3. Ratio. 40 Prætereà assertio illa, quòd peccata dimittantur per solam fidem, siuè potiùs fiduciam est omninò inanis, & contrà Euangelium, dicente Christo Lucæ 13. *Nisi pœnitentia ageritis omnes simùl moriemini*. & alibi plura similia; ergo vltra fidem veram requiruntur opera bona, & fructus pœnitentiæ. Tādem ridiculum est dicere, quòd cum quis ad concionem alicuius conuertitur, & credit, & pęnitet suorum peccatorum, illa peccata dimittantur per potestàtem aliquam collatam concionatori, & predicanti, & quòd Christus Dominus cum in hoc loco dicit Apostolis. *Accipite Spiritum sanctum, quorum*, &c. loquatur de hac potestate. Concionator enim non dimittit illa peccata potestatiuè, sed est instrumentum valde remotum, excitatiuum tantùm causæ principalis secundùm hæreticos, scilicèt fidei quæ est illa quæ iustificat: at hic Dominus confert potestatem proximam, & immediatam Apostolis super peccata dimittenda vel retinenda, & committit potestatem determinatam, scilicet arbitrandi, & iudicandi de peccatis ipsis: quia ponit in eorum optione, & arbitrio dimittere, & retinere, quod tamen arbitrium regulatur doctrina ab ipso Christo tradita: est enim duplex clauis in Ecclesia, scilicet potestatis, & scientiæ, vt suo loco dicemus.

4. Ratio. 41 Vltimò consensus Ecclesiæ vniuersalis, quæ à Spiritu sancto regitur, nec errare potest, hunc locum de institutione sacramenti pœnitentiæ intelligit, & de auctoritate iudiciaria ministeriali de dimittendis peccatis; ergo.

Ad primā rationē pro hæreticis. 42 Ad rationes hæreticorum. Ad primam respondetur Catholicorum contentionem de sacramento pęnitentie non facere ad rem: quia satis est quòd concedunt dari sacramentum pœnitentiæ distinctum ab alijs quo peccata post baptismum commissa dimittuntur, & istud dicunt esse, & contineri in hoc aggregato ex actibus pœnitentis, & absolutione, & hoc est, quod pertinet ad fidem. Dissentiunt verò quodnam sit sacramentum tantùm, quod sit res sacramenti, & quod sit sacramentum, & res, quæ ad quæstionem fidei nihil pertinent.

Ad quartū. 43 Ad quartum iam ostensum est Ioan. 20. institutum esse sacramentum pœnitentiæ: quia illic institutum est à Christo Domino signum sensibile, & facta est illi promissio certæ gratiæ, quæ est conditio necessaria ad sacramētum: non autem vt sit confirmatio fidei, vt garriunt hæretici: facta est autem hæc promissio gratiæ, & institutio signi, quando dedit Apostolis potestatem absoluendi à peccati eos, qui post baptismum lapsi sunt: & hæreticorum deprauationes ad illum locum reiectæ sunt.

Ad tertiū. 44 Ad tertium iam dictum est, quòd signum visibile ibi accipitur pro signo sensibili: sacramentum autem pœnitentiæ scilicet absolutio, & confessio sunt signa sensibilia, quia audibilia.

Ad secūdū. 45 Ad secundùm scio catholicos ostendere pœnitentiam esse sacramētum, etiam secundùm diffinitionem hęreticorum sacramenti; sed quia illa hæreticorum diffinitio est falsa, vt suprà ostendimus. Falsum est enim sacramenta esse signa instituta à Christo Domino ad cōfirmationem fidei. Sed hæc est diffinitio vera. *Sacramentum est signum sensibile ex institutione diuina efficaciter significans gratiam vel effectum gratuitum ordinatum ad salutem hominis viatoris*. Ostensum est autem suprà hanc diffinitionem conuenire sacramento pœnitentiæ: ideò maior est falsa.

Definitio sacramenti hæreticorū reijcitur.

Ad quintū. Ad quintum ex Sanctis Patribus alijs à Diuo Hieronimo, & ex Sacra scriptura patet pœnitentiam iurè dici secundam tabulam post naufragium: quia ex Apocal. cap. 2. & 3. habemus. *Memor esto, vndè excideris, & pœnitentiam age, & prima opera fac*. Quibus verbis intelligimus eum, qui vestem innocentiæ in baptismo acceptam amiserit, per pœnitentiam recuperare posse: & ideò hac methaphora, tabulæ secundæ, post naufragium iurè designatur. Neque ex hoc sequitur nos asserere per peccatum baptismum deleri: dicimus enim charaterem eius esse indelebilem, & hoc sacramentum esse irreiterabile; sed dicimus eius vim non extendi ad peccata post ipsum commissa. Institutus est enim baptismus ad delendum peccatum originale, & alia peccata actualia, quæ ante susceptionem ipsius præcesserunt: quia per baptismum ex filijs iræ euadimus filij Dei. Ideò si quis peccat post susceptionem baptismi, baptismus non habet ampliùs vim illa dimittendi: quia suo munere, ad quod à Christo institutus fuit, functus est: ideò necesse est recurrere ad pœnitentiam, quæ est aliud remedium institutū pro peccatis actualibus, post baptismum commissis delendis. Virtus autem baptismi adhuc remanet: quia pęnitentiæ sacramentum valet ijs solis, qui baptizati sunt, non ijs, qui non sunt baptizati: quia baptismus est ianua sacramentorum, & alij multi effectus baptismi remanent, de quibus non est modo agendum. Hoc enim sufficit ad ostendendum non valere consequētiam illam si asserimus pœnitentiam esse sacramentum, baptismus tollitur.

Peccata cōmissa post baptismū, non per baptismū, sed per pœnitētiā deleri.

46 Ad sextum ostensum est, ad sacramentum requiri aliquod signum sensibile, & hoc sufficere: non autem esse necessarium, esse signum matteriale, & tangibile, siue palpabile, vt contingit in baptismo, & Eucharistia: neque enim valet consequentia, in baptismo, & Eucharistia sunt signa materialia, & tangibilia; ergo in alijs sacramentis quoque signa debent esse talia; sicut non valet à specie arguere ad genus, dicendo, Homo est rationalis; ergo omne animal debet esse rationale; ita à baptismo, & Eucharistia, quæ sunt species sacramenti non valet arguere ista sunt signa materialia; ergo omne sacramentum debet esse signum materiale, & tangibile. Ad sextū.

47 Ad septimum eius ineptia est ex se euidens. Nam pœnitentia in veteri testamento, non erat sacramentum, sed figura sacramenti instituendi in nouo testamento à Christo Domino: ideo non valet, pœnitentia ibi non fuit sacramentum; ergo neque in nouo testamento. Ad septimum.

48 Ad octauum respondetur cum Bellarmino lib. 1. de pœnit. cap. 2. nos non habere exemplum pœnitentiæ, & confessionis, ac enumerationis omnium peccatorum in confessione apud Apostolos: quia nullibi habemus exēplum, quo Apostoli alicui lapso post baptismum absolutionem impenderint: at ex hoc non est dicendum eos nō exigisse enumerationem singulorum peccatorum: quia sumus certi multa fecisse, & docuisse Apostolos, quæ scripta non sunt. Vndè neque etiam legimus Apostolos baptizasse *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, & tamen non propter hoc est negandum homines debere baptizari in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Ad octauū.

49 Quòd verò in Patribus pœnitentia sacramentum non habeat exemplum, & fundamētum, est apertum mēdacium. Vndè Bellarminus lib. 3. de pœnit. cap. 2. & sequētibus multa loca ex Patribus adducit, vbi pœnitentiæ, & confessionis necessitatem ostendit, ac eam in vsu fuisse eo modo, & ritu, quo nūc apud nos catholicos est in vsu. Prę sertim autem adducit Chrisostomum li. 3. de Sacerdotio. Gregorium Nazianz. oratione ad ciues timore perculsos. Ambrosium lib. 1. de pœnitentia cap. 2. & sequentibus. D. Hieron. Epist. ad Heliodorum de vita solitaria. D. Aug. lib. 20. de ciuitate Dei cap. 9. & alios, de qua re in materia de confessione dicemus.

In quo posita sit essentia sacramenti pœnitentiæ. Caput Secundum.

50 Ex dictis in præcedenti capite certum est in Ecclesia dari quoddam sacramentum, quod dicitur pęnitentia distinctum ab alijs, institutum à Christo ad delendum peccata post baptismum commissa. Certum est etiam ad hoc sacramentum ex vi suæ institutionis concur

rere

rere aliqua ex parte illius, cui dimittuntur peccata, & aliqua ex parte ministri dimittentis peccata, quæ consequenter ex vi institutionis huius sacramenti instituta quoque sunt à Christo Domino. Nam hoc sacramentum institutum est à Christo dando potestatem Apostolis, & eius successoribus, vt remittant, & retineant peccata illis, quibus dimittenda, vel retinenda iudicauerint: ex hoc modo autem institutionis, vt inquit Scotus in hoc quarto, distinctione decimasexta, quæstione prima, & distinctione decima septima, articulo primo, & cęteri Doctores Catholici, elicitur, quòd ille, cui dimittenda sunt peccata à sacerdotibus, debeat ipsa peccata manifestare per confessionem sacerdoti, alioquin sacerdos de illis non poterit iudicare, an dimittenda, vel retinenda sint. Et sic apparet ex vi institutionis huius sacramenti, necessariam esse simpliciter confessionem peccatorum. Et licèt circa hanc consequentiam sint aliquæ difficultates, de quibus agemus tractando de necessitate confessionis: tamen certum est hanc consequentiam esse necessariam, vt patet de se. Et quoniam confessio peccatorum non est vtilis, nisi pręcedat in pęnitente aliqua contritio, vel attritio, sequitur etiam ex vi institutionis huius sacramenti necessariam esse contritionem, vel attritionem. Christus enim instituit hoc sacramentum in remedium, & vtilitatem peccatoris; ergo quæcunque sunt necessaria ad vtilitatem huius sacramenti sunt ab eo ordinata. Denique requiritur aliqua satisfactio in re, vel in voto, vt habeat efficaciam, vt agendo de satisfactione dicemus. His habitis ex parte pęnitentis, ex parte sacerdotis, & ministri requiritur absolutio à peccatis, quæ consistit in illis verbis, *absoluo te à peccatis tuis*, cum debita intentione prolatis, &c. est modò difficultas in quonam istorum quatuor consistat essentia sacramenti pœnitentiæ, an in aliquo illorum tantùm, & quodnam illorum sit, an in omnibus simùl.

51 In hac re sunt tres sententiæ. Aliqui dicunt sacramenti essentiam esse ipsam materiam solùm, scilicet actus pęnitentis. Alij compositum simùl ex materia, & forma. Alij formam tantùm. Prima est Soto in quarto distinctione decimaquarta, quæstione secunda, articulo primo, qui sustinet actus pęnitentis, scilicet contritionem, confessionem, & satisfactionem esse ipsum sacramentum pęnitentiæ: formam verò esse complementum ipsius sacramenti: quoniam actus illi pęnitentis, qui dicuntur materia proxima huius sacramenti, sunt sacramentum, quatenùs subsunt formæ absolutionis, siue quatenùs connotāt quòd tali formæ subiacent. Hanc eandem sententiam sequitur Ruardus Taper articulo tertio, in responsione ad argumenta Caluini, & eadem fuit Magistri Sententiarum in quarto distinctione vigesimasecunda, vbi facit hanc diuisionem de pœnitentia. Pœnitentia alia est sacramentum tantùm, scilicet pœnitentia exterior, per quam proculdubio intelligit actus pęnitentis siue materiam. Alia est res tantùm, scilicet remissio peccatorum. Alia est simùl res, & sacramentum, scilicet pęnitentia interior, idest contritio. Nam contritio est signum, & causa remissionis peccatorum, & sic est sacramentum: quia est signum, & causa. Est verò res: quia est res signata à pęnitentia exteriori: pœnitentia enim exterior est sacramentum, quia est signum contritionis interioris, & est causa remissionis peccatorum. Non est autem res, quia non est signata ab vlla re. Remissio peccati quoque est tantùm res: quia non est signum alicuius rei alterius. Omnes ergo, qui cum Magistro sentiunt, dicunt, sacramentum pęnitentiæ esse pęnitentiam exteriorem, scilicet confessionem, & satisfactionem, & contritionem significatam per confessionem, & illi annexam. Secundùm ergo hanc opinionem essentia Sacramenti, consistit in actibus pęnitentis tantùm: quoniam aper-

1. Opinio, quæ est Soto, Taper, & aliorum.

tè negat absolutionem esse partem huius sacramenti, & consequenter negat absolutionem nedum esse totam essentiam sacramenti, sed neque etiam esse partem essentialem: quod enim non est pars sacramenti, non potest esse pars essentialis eiusdem: quòd autem neget absolutionem esse partem sacramenti, patet, quia dicit esse complementum eiusdem: & denique vult, quòd sacramentum pęnitentiæ supponat pro ipsis actibus pęnitentis, quæ sunt materia, vel quasi materia huius sacramenti.

52 Hanc suam opinionem probat primò reijciendo alias duas opiniones, scilicet eorum, qui dicunt sacramentum pœnitentiæ esse absolutionem sacerdotis, & eorum, qui dicunt sacramentum pęnitentiæ esse aggregatum ex materia, & forma, quas infrà adducemus, & earum rationes soluemus. Secundò id probat auctoritate Diui Thomæ tertia parte, quæstione octuagesimaquarta, articulo primo, nam in responsione ad secundum, inquit Diuus Thomas, quod sacerdos absoluendo dat complementum huic Sacramento.

1. Ratio Soto.

2. Ratio.

53 Tertiò compositum arteficiale non supponit pro materia, & forma, sed pro materia sola connotando formam; at pœnitentiæ sacramentum est compositum arteficiale; ergo sacramentum pœnitentiæ supponit pro materia sola, & connotat formam. Maior probatur: quia statua non supponit pro aggregato ex ligno, & forma accidentali, scilicet figura, sed pro ligno connotando figuram, cui subest. Quod etiam confirmat exemplo sacramenti baptismi, quod supponit pro sola ablutione, & connotat formam. Pro hac eadem opinione faciunt argumenta, quæ facit contra opinionem Scoti, quæ infra adducemus, & soluemus.

3. Ratio.

54 Ruardus Taper vbi suprà addit, Denominatio sacramentorum fit à materia, vt patet de Baptismo, chrismate, Extrema vnctione: at materia in sacramento pęnitentiæ sunt actus ipsius pœnitentis, scilicet pœnitere, siue dolere de peccatis, confiteri ea, &c. ergo iurè ipsa materia pęnitentiæ est sacramentum: alia quæ adducit, sunt eadem, quæ ex Soto.

4. Ratio ex Ruardo Taper.

55 Secunda opinio est eorum, qui dicunt essentiam sacramenti pœnitentiæ constare ex materia, & forma, scilicet ex actibus pęnitentis, & absolutione. Hæc sententia est Diui Thomæ tertia parte, quæstione octuagesimaquarta, articulo primo, ad tertium, & alijs locis vt quarto contra Gentiles, caput sexagesimosecundo, licèt Diuus Thomas potiùs hoc supponat, quàm declarat. Vndè Soto Sectator acerrimus Diui Thomæ eum in priori sententia esse censuit. Hanc apertè tenet Caietanus vbi suprà. Diuus Bonauentura in quarto distinctione vigesimasecunda, articulo secundo, quæstione secunda. Richardus eadem distinctione, articulo secundo, quæstione prima. Alensis quarta parte, quæstione decimasexta per totam. Durandus distinctione decimaquarta, quæstione tertia. Suarez disputatione decimaoctaua, de pęnitentia, sectione secunda. & alij. Et hæc est communior opinio. Fundamentum principale huius sententiæ, ex Caietano vbi suprà, & alijs post ipsum, est auctoritas Conciliorum, pręsertim Florentini in decreto Eugenij Papæ, & ex Concilio Tridentino sessione decimaquarta capite tertio. Nam in his duobus Concilijs apertè determinatur, quodlibet sacramentum constare ex materia, & forma: & in hoc sacramento pœnitentiæ actus pœnitentis esse quasi materiam; absolutionem verò sacerdotis esse formam; ergo dicendum est sacramenti essentiam constare non ex forma tantùm, vel ex materia tantùm, sed simùl ex materia, & forma. Et cum dicunt, Concilia allata actus pœnitentis esse qua-

Opin. Diui Thomæ.

D. Bonau.

Richardus

Alensis.

Durandus.

Suarez.

Fundamentum huius opinionis.

si materiam, hoc non dicunt: quia actus pœnitentis non sint materia eo modo, quo materia ponitur in sacramentis; sed vel quia materia sacramentorum, non est propriè materia, sed per quamdam similitudinem: vel quia materia huius sacramenti, non est ex aliquo elemento, seu corpore sensibili, sicut est in alijs sacramentis baptismi Chrismatis, &c.

3. Opinio quæ tribuitur Scoto.

56 Tertia opinio, asserit essentiam sacramenti pœnitentiæ consistere in sola absolutione. Hæc opinio communiter tribuitur Scoto, eo quia in hoc quarto distinctione decimaquarta, quæstione quarta, protestans se velle assignare diffinitionem sacramenti pœnitentiæ, assignat hanc diffinitionem. *Pœnitentia est absolutio hominis pœnitentis facta certis verbis cum debita intentione prolatis à sacerdote iurisdictionem habente ex institutione diuina efficaciter significantibus absolutionem animæ à peccato.* Hæc autem diffinitio nihil aliud videtur complecti, quàm ipsam absolutionem; de confessione verò, contritione, & satisfactione nullum est verbum. Preterea distinctione decimasexta, quæstione prima, propè finem ait, quòd ista tria contritio, confessio, & satisfactio, nullo modo sunt partes sacramenti pœnitentiæ: quia vt dictum est, distinctione decimaquarta, quæstione quarta, pœnitentia sacramentum est illa absolutio sacramentalis facta certis verbis, &c. Huius autem absolutionis nulla pars est contritio, nec confessio, nec satisfactio; ergo Scotus apertè videtur velle, quòd tota essentia sacramenti pœnitentiæ sit absolutio, non materia, siue actus pœnitentis. Contra autem hanc sententiam Scoti, clamant Soto, Suarez, & alij ferè omnes, quorum obiectiones nunc infrà videbimus.

Opin. Scoti explicatur, & defenditur.

57 Verùm, & si opinio Scoti parùm accurratè considerata videatur omninò falsa, & repugnans Sacris Concilijs; tamen diligenter considerata, nulla est, quæ magis sit conformis Sacris Concilijs, & clariùs rem hanc obscuram declaret. Ideo vt iudicium vnusquisque ferre possit de illa, & alijs duabus opinionibus priùs recitatis, reuocanda sunt in memoriam duo, quæ suprà distinctione tertia, disputatione septima, & nona diximus. Primum est de materia, & forma sacramentorum. Secundum est de partibus ipsorum. Loquentes igitur de materia, & forma sacramentorum dicebamus, quòd accipiendo materiam, & formam propriè in sacramentis, signum sensibile, super quod fundatur relatio signationis, est materia; ipsa relatio verò est forma: ex his enim duobus componitur sacramentum quodlibet. Et ita in proposito, in Sacramento pœnitentiæ, materia est totum illud sensibile, absolutio, & actus pœnitentis, super quos fit absolutio. Forma verò est relatio illa rationis, scilicet significatio absolutionis animæ à peccato. Loquendo verò de materia non propriè, sed metaphoricè, ista ambo sunt ex parte signi sensibilis; & illud est materia, quod est magis determinabile, & potentiale; & illud est forma, quod est magis determinatiuum, & magis significatiuum. Et sic dicebamus verba esse formam, rem verò sensibilem; vt in baptismo ablutionem, esse materiam. In proposito loquendo de materia, & forma in hoc sensu nulli dubium est, vt infrà videbimus, quòd actus pœnitentis sunt materia; absolutio sacerdotis est ipsa forma. Nam certum est quòd absolutio in hoc sacramento est maximè significatiua effectus huius sacramenti, scilicet absolutionis animæ à peccato: & actus pœnitentis ordinantur ad absolutionem, tanquam ad complementum, & perfectionem suam, sicut actus processus in iudicio ordinantur ad sententiam absolutionis.

58 Quò ad secundum, scilicet quò ad partes essentiales sacramentorum, dicebamus distinctione tertia, disputatione nona, cap. secundo, quòd & si materia, & forma, hoc secundo modo sumpta, scilicet res, & verba sint partes essentiales sacramenti: quia ex illis signum sensibile, quod est fundamentum relationis significationis, conficitur, & integratur: tamen dicebamus non semper pertinere ex æquo, & intrinsecè ad fundamentum; sed quandoque formam esse circunstantiam quamdam ipsius fundamenti, quandoque esse partem integralem ipsius fundamenti, & ex æquo cum re fundare relationem. Vndè in hoc quarto distinctione tertia, quæstione prima, loquendo de baptismo, Scotus adduxit duas opiniones: quarum vna dicebat, quòd ablutio, & verba erant partes integrales fundamenti baptismi: altera dicebat, quòd ablutio ipsa erat fundamentum, forma verò erat circunstantia fundamenti; sicut intentio ministri, & cęteræ particulæ ad hoc, vt fundent relationem ablutionis animæ à peccato. Et in sacramento Eucharistiæ dicebat Scotus verba consecrationis, quæ sunt forma, non esse de essentia sacramenti Eucharistiæ: quia verba posita sunt in vsu; sacramentum verò Eucharistiæ est in facto esse, & est permanens; neque ex æquo fundant relationem; sed res sunt fundamentum, verba sunt circunstantia fundamenti necessariò requisita ad hoc, vt fundet relationem signationis. Omnes autem partes istæ, scilicet materia & forma, res, & verba dicuntur esse essentiales partes Sacramentorum: quia necessariò requiruntur ad integritatem Sacramenti; sicut dicimus etiam intentionem sacerdotis esse de essentia sacramenti, licèt non sit, nec materia, nec forma signi sensibilis: quia necessariò requiritur ad sacramentum; alioquin non est signum efficax, & perfectum.

59 Ex hac doctrina, quæ tota est Scoti, vt locis citatis ostendimus, elicitur, quæ sit germana sententia Scoti, licèt enim ipse apertè non explicauerit, quæ sit essentia sacramenti pœnitentiæ, vt nunc loquimur, neque ex quibus constet, sed solùm assignauerit diffinitionem ipsius; tamen ex dictis, & ex diffinitione pœnitentiæ assignata ab ipso colligitur ipsius sententiam consistere in duabus conclusionibus, quarum prima est, accipiendo essentiam sacramenti pœnitentiæ pro integra, & perfecta ratione sacramenti pœnitentiæ, & eorum omnium, quæ ad illud necessariò requiruntur, absolutio, & actus pœnitentis sunt de essentia sacramenti pœnitentiæ. Secunda conclusio, accipiendo essentiam sacramenti pœnitentiæ pręcisè pro quidditate, & essentia formali, & quidditatiua signi sensibilis, quòd est fundamentum relationis significationis absolutionis animæ à peccato, in sacramento pœnitentiæ, sola absolutio ipsa est sacramentum pœnitentiæ, non autem actus pœnitentis. Opin. Scoti germana. 1. Conclusio Scoti. 2. Conclusio.

60 Prima conclusio probatur, quia ex Concilio Tridentino sessione decimaquarta cap. tertio, actus pœnitentis dicuntur partes pœnitentiæ, quatenùs ad integritatem sacramenti ex institutione diuina pertinent. Verba enim Concilij sunt hæc. *Sunt autem quasi materia huius sacramenti ipsius pœnitentis actus, nempè contritio, confessio, & satisfactio, qui quatenus in pœnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenamque, & perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur, hac ratione pœnitentiæ partes dicuntur.* Ex hoc loco, ex quo Aduersarij colligunt actus pœnitentis esse partes essentiales sacramenti pęnitentiæ, patet, pro tanto dici partes essentiales pęnitentiæ, sacramenti: quia necessariò requiruntur ad integritatem illius. At Scotus in hoc quarto distinctione decimasexta, quæstione prima, apertè dicit, actus pœnitentis necessariò requiri ad hoc, vt sacramentum pœnitentiæ dignè recipiatur; 1. Cōclusio probatur.

& sub-

& subdit, quòd confessio est simpliciter necessaria: quia sacerdos non absoluit reum arbitrariè, nisi priùs reus sibi fuerit accusatus in foro illo: non est etiam vtilis confessio, nisi præcedat in confitente aliqua contritio, vel attritio: & sine satisfactione, non est efficax hoc sacramentum; ergo ex Scoto actus pęnitentis sunt de essentia, idest de integritate ipsius sacramenti pęnitentiæ.

Confirmatio.

61 Confirmatur hanc esse opinionem Scoti, quia in distinctione decimaquarta, quæstione quarta, diffiniendo sacramentum pęnitentiæ, inquit. *Pœnitentia est absolutio hominis pœnitentis facta certis verbis*, &c. Ecce non dicit Scotus quòd sola absolutio sit sacramentum pœnitentiæ, & totum sacramentum pœnitentiæ; sed etiam adiungit actus pęnitentis pertinere ad eius essentiam: quod enim ponitur in diffinitione essentiali alicuius est de essentia illius: at actus pęnitentis ponuntur in diffinitione sacramenti pęnitentiæ (ponuntur autem, vt additum, & vt circunstantiæ necessariò requisitæ ad efficacem signationem gratiæ, vt infrà dicemus;) ergo actus pęnitentis pertinent ad essentiam sacramenti pęnitentiæ. Assumptum probatur: quia Scotus dicit in diffinitione sacramenti pęnitentiæ. *Pœnitentia est absolutio hominis pœnitentis*. Ille autem est pęnitens, qui habet illos tres actus, scilicet contritionem, confessionem, & satisfactionem; ergo ex Scoto actus pęnitentis sunt de essentia sacramenti pęnitentiæ.

2. Conclusio probat.

62 Secunda conclusio probatur. Illud est de ratione formali, & quidditatiua sacramenti pęnitentiæ, quod est propriè pars signi, & fundamenti sensibilis pęnitentiæ, sed sic est, quòd actus pęnitentis non sunt pars fundamenti, & signi sensibilis sacramenti pęnitentiæ; ergo. Maior probatur, quia sacramentum pęnitentiæ formaliter est signum sensibile, &c. Significans absolutionem animæ à peccato; ergo illa sunt de essentia, & ratione formali huius sacramenti, quæ sunt de essentia huius signi sensibilis. Minor probatur. Signum sensibile, siue fundamentum, super quod fundatur sacramentum pęnitentiæ, significat absolutionem animæ à peccato: at tale signum est ipsa absolutio pęnitentis, non actus pęnitentis; sed isti sunt circunstantiæ adiunctæ ipsi absolutioni ad hoc vt sit signum verum, & efficax: actus autem pęnitentis non sunt pars absolutionis, vt patet; non contritio, quia hæc est quid spirituale in anima; non confessio, quia nihil est ipsius sententiæ sacerdotis; non satisfactio, quia illa sequitur absolutionem; ergo actus pęnitentis non sunt pars essentiæ, & quidditatis sacramenti pœnitentiæ. Quòd autem absolutio sit signum absolutionis animæ à peccato, non actus pęnitentis, est euidens: quia confessio est accusatio rei, accusatio autem non significat absolutionem aliquam. Idem dicendum de alijs duabus partibus contritione, & satisfactione. Saltem habetur absolutionem significare directè, & in recto absolutionem hanc animæ à peccato: actus verò pęnitentis, nisi in obliquo: ideo rectè dicitur, quòd actus pęnitentis non sunt de essentia interna signi sensibilis, quod est pęnitentia.

Confirmatio.

63 Confirmatur etiam ex concessis ab aduersarijs: quia sacramentum est signum sensibile gratiæ; ergo illa pars signi, quæ est magis significatiua gratiæ est principaliter signum, & fundamentum relationis significationis gratiæ: at absolutio est magis significatiua gratiæ; ergo. Minor probatur, tum quia ipsa absolutio est forma huius sacramenti: forma autem, & verba sunt magis significatiua quàm res: tum quia hoc sacramentum est iudicium quoddam institutum à Christo inter peccatorem, & sacerdotem, tanquàm inter reum, & iudicem: hoc autem iudicium magis significatur per absolutionem, quàm per actus pęnitentis: quia prolatio sententiæ est complementum, & perfectio iudicij; sed hæc confirmatio procedit secundùm illam opinionem, quòd actus pęnitentis sint pars fundamenti, quam nunc nos non sequimur, licèt sit probabilis, vt supra dixi nunc.

Hæc secunda cōclusio est de mente Scoti.

Hanc autem conclusionem esse de mente Scoti, patet ex diffinitione sacramenti pęnitentiæ. Nam dicit, pęnitentia est absolutio, &c. Vbi Scotus ponit absolutionem in recto, actus pęnitentis ponit in obliquo: ex quo apparet ipsum existimare actus pęnitentis non esse fundamentum, nec partem fundamenti, siue signi sensibilis sacramenti pęnitentiæ, sed esse circunstantias necessarias ad absolutionem, vt sit sacramentum, sicut intentio sacerdotis est conditio ipsius absolutionis, ad hoc vt sit sacramentum. Vndè Scotus in proposito sacramento, sequitur secundum modum dicendi propositum distinctione secunda, quæstione secunda, in diffinitione baptismi, scilicet quòd in signo sensibili sacramenti aliquid est principale, quòd solùm est fundamentum; & aliquid, quod est circunstantia illius fundamenti: in hoc sacramento, fundamentum, & signum sensibile est absolutio: circunstantiæ eius sunt actus pęnitentis, & reliqua requisita.

Opin. Scoti conuenit cū opinione cōmuni ī re, differt ī modo explicandi, & quò ad hoc est rectior.

64 Ex hac declaratione opinionis Scoti, quæ est de mente eius, absque vllo dubio, patet opinionem Scoti quò ad rem conuenire cum secunda opinione, quæ est communior: nam etiam ipse sustinet actus pęnitentis, & absolutionem constituere integram, & perfectam essentiam sacramenti pœnitentiæ, quatenùs necessariò requiruntur ad eius constitutionem, & esse; differt verò quò ad modum explicandi: quia cum absolutio ipsa sit signum principale, & proprium gratiæ signatæ in hoc sacramento, & proindè ipsa sit forma, & complementum huius sacramenti: actus verò pœnitentis sint conditiones requisitæ necessariò tantùm, appellat ipsam absolutionem sacramentum, & essentiam sacramenti pęnitentiæ, Quod rationabiliter facit propter rationes adductas in secunda conclusione. Ideo rationes pro illa secunda opinione non faciunt contra Scotum, sed concludunt pro prima conclusione. Cur autem Concilium Tridentinum appellat actus pœnitentis quasi materiam huius sacramenti, dictum est in probatione primæ conclusionis: ideò licèt rationes adductæ ibi à Suarez sint veræ, & possent esse causæ, cur quasi materia appellarentur, vt nos declarauimus distinctione tertia, disputatione nona, cap. primo. Tamen nulla illarum est ratio, propter quam Concilium appellat illos actus quasi materiam; sed ea quæ dicta est ibi, quia necessariò requiruntur ad integritatem sacramenti, & vno illorum deficiente sacramentum nullum est. Rationes verò adductæ pro opinione Soto, infrà post solutionem sequentium, quæ etiam ipsius Soto sunt, soluentur.

Rationes aduersariorum cōtra Scotum.

65 Nunc adducendæ sunt rationes aduersariorum contra Scotum, & soluendæ, licèt ex dictis earum vanitas patere possit. Soto igitur in quarto distinctione decima quarta, quæstione prima, articulo primo, & alij Recentiores contra Scotum sic arguunt. Primò Caietanus tertia parte, quæstione octuagesima quarta, articulo primo, dicere, quòd absolutio sacerdotis sit totum sacramentum pœnitentiæ, est contra Concilium Florentinum, & Tridentinum: Scotus hoc dicit; ergo. Maior patet, quia vtraque Synodus ait, omne sacramentum constare ex materia, & forma, iuxta verbum Diui Augustini accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum: at si absolutio est totum sacramentum, non dabitur materia, quæ sit pars huius sacramenti: quia actus pœnitentis, qui à Concilijs dicuntur quasi materia non sunt pars materialis absolutionis.

1. Ratio.

2. Ratio.

66 Secundo oratio hæc. Sacramentum penitentiæ, est intransitiua, & facit hunc sensum. Sacramentum quod est pęnitentia. Sicuti dicimus sacramentum baptismi: idest ipse baptismus. At absolutio non est pęni-

tentia; ergo absolutio non est sacramentum penitentiæ. Assumptum probatur, quia absolutio non est actus penitentis, sed sacerdotis: pœnitentia autem est actus penitentis, quia pœnitere est penam tenere, ex Diuo Augustino de vera, & falsa penitentia capite 19. Et confirmatur, quia opinio Scoti includit repugnantiam: quia dicit quòd pœnitentia est absolutio penitentis, & tamen falsum est, quòd absolutio ipsa sit pœnitentia: quoniam penitentia est actus penitentis: absolutio est actus sacerdotis, vt dictum est; ergo absolutio ipsa non est pœnitentia, quod est sacramentum.

Confirmatio.

3. Ratio. 67 Tertiò illud est de essentia sacramenti pœnitentiæ, quod est causa instrumentalis effectiua gratiæ, quæ per sacramentum pœnitentiæ acquiritur; sed sic est quòd non solùm forma, sed materia proxima, idest actus pœnitentis concurrunt partialiter, licèt minùs principaliter ad causandam istam gratiam; ergo non sola absolutio, quæ est forma, est sacramentum pœnitentiæ, sed etiam actus pœnitentis. Maior est euidens, quia sacramentum est instrumentum Dei efficiens gratiam ex opere operato; ergo quidquid concurrit ad causalitatem gratiæ non debet excludi à ratione, & essentia sacramenti. Minor quoque patet, quia ablata contritione, vel attritione absolutio sacerdotis nulla est, nisi etiam adsit confessio peccatorum, non potest haberi sacramentum pœnitentiæ; ergo non sola forma, sed etiam materia est de essentia sacramenti.

4. Ratio. 68 Quartò quàmuis forma sacramenti sit causa gratiæ, tamen non propter hoc est tota substantia sacramenti; ergo sola absolutio non est sacramentum pœnitentiæ. Antecedens probatur, quia sacramentum baptismi non est sola forma, *Ego te baptizo*, sed etiam ablutio ipsa; ergo etiam in sacramento pœnitentiæ non sola forma, sed materia quoque est de essentia ipsius.

5. Ratio. 69 Quintò. Negare quòd sint tres partes pœnitentiæ etiam quatenus pœnitentia est sacramentum, non est sincerè seruare orthodoxam doctrinam Patrum: at dicere quòd absolutio sola sit sacramentum est hoc negare: quia illa tria non sunt partes absolutionis, vt probauit Scotus, & deindè apertè Scotus negat, quòd illa tria contritio, confessio, & satisfactio sint partes pœnitentiæ, vt visum est ex dist. 16. q. 1. ergo opinio Scoti non rectè consonat cum doctrina Patrum.

Ad primã rationẽ istorum. 70 Ad has obiectiones facilis est responsio ex dictis suprà. Ad primam iam declaratum est suprà explicando duas conclusiones ex Scoto, quomodo actus pœnitentis sint quasi materia huius sacramenti; & quomodo ad essentiam eius pertineant. Respondetur ergo per distinctionem, quòd Sacramentum pœnitentiæ duobus modis potest considerari. Vno modo pro aggregato ex omnibus, quæ ad ipsius integritatem, & perfectionem necessariò requiruntur; & sic actus pœnitentis sunt de essentia sacramenti pœnitentiæ, sicut etiam intentio sacerdotis. Alio modo potest considerari secundùm suam rationem formalem, & purè quidditatiuam, vel vt clarius loquar, secundùm rationem fundamenti, & signi præcisè: & sic dicimus quòd actus pœnitentis non sunt de essentia sacramenti pœnitentiæ, sed absolutio sola: quia ponuntur in illa tanquàm additum, & vt circunstantiæ ipsius formæ, & absolutionis, quæ sola est signum sensibile, & fundamentum relationis significationis absolutionis animæ à peccato. Actus verò penitentis, & reliqua sunt circunstantiæ, necessariò requisitæ ad fundamentum, vt sit signum efficax, & fundet illam relationem, iuxta secundam opinionem allatam à Scoto distinctione secunda, quæstione secunda, de diffinitione baptismi.

Ad secũdã. 71 Ad secundam respondetur, quòd in hac propositione, Sacramentum penitentiæ, constructio est transitiua non in transitiua, vt in hac locutione, calor ignis. Ille enim genetiuus, ignis, significat causalitatem, & transitum in aliud, vt diximus suprà distinctione tertia, disput. septima capite primo, ità hic, Sacramentum penitentiæ, hic genetiuus significat causalitatem, & transitum in aliud, scilicet ad sacramentum: penitentia enim, idest actus penitentis, sunt causa, vt absolutio sit sacramentum, & habeat efficaciam. Nam vt ait Scotus in hac quæstione quarta in fine articuli tertij, penitentia ipsa, quæ est penæ tenentia, quæ dicitur quatuor modis, vt suprà diximus, non est sacramentum in se, sed via ad sacramentum, & tendit ad sacramentum, scilicet ad absolutionem. Actus enim penitentis sunt dispositiones, & conditiones necessariò prærequisitæ ad absolutionem, in qua formaliter, & completiuè consistit sacramentum penitentiæ. Et per hoc patet ad confirmationem: non enim Scoti assertio includit repugnantiam, quia, vt dictum est, negatur, quòd in hac locutione, *Sacramentum pœnitentiæ*, intelligitur constructio in transitiua: dicimus enim quòd est constructio transitiua, neque à Soto probatur. Ad exemplum illud de baptismo; quia cum dicimus, *Sacramentum Baptismi*, constructio est intransitiua. Respondetur non esse parem rationem, quia ablutio est fundamentum, & signum principale significans ablutionem animæ à peccato; verba verò sunt circunstantiæ illius ablutionis, sequendo secundam opinionem ibi explicatam à Scoto. Diximus autem Scotum in hac re sequi modum dicendi illius secundæ opinionis, scilicet, quòd non omnia apposita in signo sensibili sint partes signi ex æquo fundantes relationem signi, siue significationis gratiæ; sed quòd vna pars principalis sit signum, & fundamentum; reliquæ sint circunstantiæ requisitæ ad illud fundamentum, vt possit verè fundare relationem signationis efficacis gratiæ. Hoc fundamentum in sacramento pœnitentiæ dicit esse absolutionem; actus penitentis, & reliqua, quæ necessariò requiruntur, dicit esse circunstantias absolutionis complentes ipsam in esse perfecto fundamenti, & signi sensibilis.

Ad confirmationem.

72 Ad tertium respondetur argumentum concludere actus penitentis esse de essentia sacramenti, accipiendo sacramentum pro aggregato ex omnibus, quæ ad ipsum necessariò requiruntur, ex institutione diuina, quod concedimus, vt visum est in prima conclusione; sed accipiendo sacramentum penitentiæ secundùm suam rationem formalem purè quidditatiuam, maior est falsa: quia sic illud est sacramentum, quod est fundamentum, & signum principale ipsius gratiæ; & per hoc idem patet ad quartum. Ad tertiũ, & quartũ.

73 Ad quintum iam explicatum est contritionem, confessionem, & satisfactionem pro tanto dici partes penitentiæ sacramenti: quia ad illud necessariò requiruntur, & iuxta sensum primæ conclusionis. Accipiendo verò sacramentum pro fundamento, & signo sensibili principali, non est necesse, quòd illa tria sint partes eius intrinsecæ, sufficit quòd sint conditiones eius, sicut intentio ministri, vt explicatum est. Ad quintũ.

74 Ad rationes pro prima opinione, quæ est Soto vbi suprà ex dictis patet. Nam prima, quæ procedit contra secundam opinionem asserentem essentiam sacramenti constare ex actibus penitentis, & absolutione, est hæc. Absolutio non est pars penitentiæ; ergo sacramentum penitentiæ non est compositum ex absolutione, & actibus penitentis. Hæc autem est secunda ratio nunc supra adducta, & soluta: ideò nihil remanet vltrà dicendum. Supponit enim quòd actus penitentis sit sacramentum penitentiæ: dictum est autem, quòd illa est constructio transititiua: ideò falsum est, quòd actus penitentis sint sacramentum. Ad rationes pro prima opinione. Ad primã.

75 Ad secundam, quæ est auctoritas Diui Thomæ patet ipsum esse obscurum: & ideo à Caietano, & alijs trahitur in secundam sententiam, quæ in re est opinio ipsamet Scoti, sed à Scoto alio modo explicata. Ad secũdã.

76 Ad tertiam, falsum est compositum artificiale sup- Ad tertiã.

supponere pro sola materia: statua enim Iouis supponit pro ligno, & pro figura Iouis, quæ est forma statuæ, vt diximus suprà dist. 3. disp. 7. cap. 2. & in proposito multò magis hoc est falsum: quia sacramentum est compositum arteficiale intentionale significans gratiam; ergo hoc sacramentum debet supponere magis pro illa parte, quæ est magis, & principaliùs significatiua: hæc autem est forma in hoc sacramento; ergo hoc argumentũ est ad oppositũ.

Ad quartũ.

77 Ad quartum concedo hoc sacramentum denominari ab actibus pęnitentis, qui sunt materia huius sacramẽti, vel quasi materia. Sed nego denominationem semper fieri ab essentia rei, vel ab eo quod est principale in re: quandoque enim denominatur ab effectu, quãdoque denominatur à circunstantia aliqua, & occasione rei. Ideo licèt in proposito hoc sacramentum denominetur pęnitẽtia ab actibus pęnitentis, non est necessarium, quòd actus pęnitentis sint essentia sacramenti pœnitentiæ, sed sufficit, quòd sint circunstantiæ necessariò requisitæ ad ipsum sacramentum, vt dictum est.

Quæ sit diffinitio sacramenti pęnitentiæ. Caput Tertium.

Diffinitio Soto.

78 SEcundùm diuersos modos dicendi adductos præcedenti capite, diuersæ quoque diffinitiones de sacramento pœnitentiæ adducuntur. Soto eodem art. 1. distin. 14. q. 1. dicit hanc esse satis lucidam diffinitionem. *Pęnitentia est sacramentum remittendi peccata, quæ post baptismum committuntur.* Quod probat: quia diffinitio debet esse breuis communis animi conceptio ex Arist. 1 Post. tex. 5. hæc autem est breuissima. In ea enim ponitur genus proximum pœnitentiæ, & loco differentiæ ponitur effectus eius, quo, & à cęteris sacramentis, quæ non sunt in remissionem peccatorum instituta, distinguitur, & à baptismo, quo originale peccatum remittitur.

Fundamentum huius opinionis.

Reijcitur.

79 Hæc diffinitio est diminuta. Nam ex Arist. 4. Physicorum tex. 31. diffinitio vniuscuiusque, rei perfecta debet habere tres conditiones, quarum prima est, vt ipsa manifestet exactè naturam diffiniti. Secunda quod per eam pateat differentia ipsius ab alijs rebus. Tertia est quòd per ipsam solui possint omnes difficultates incidentes circa diffinibile. Modò clarum est, quòd allata diffinitio non declarat exactè essentiam sacramenti pęnitentiæ: multæ enim particulæ ei desunt, vt videbimus assignãdo veram diffinitionem. Pręterea ex hac diffinitione non possumus soluere omnes dubitationes incidentes circa sacramentũ pœnitentiæ: neque enim patet, quomodo hoc sacramentum remittat, quid requiratur in eo, cui remittit; & multa alia, quæ ex perfecta diffinitione pœnitentiæ manifesta fiunt, vt videbimus.

Fundamẽtum Soto reijcitur.

80 Fundamentum autem Soto nullum est. Nam falsum est Arist. loco citato asserere diffinitionem esse breuem animi conceptionem. Solùm tex. 14. diuidit principium syllogismi demostratiui immediatum in duas species principales, scilicet in dignitatem, & positionem: deindè diuidit positionem in duas alias species, scilicet in suppositionem, & diffinitionem; & dicit diffinitionem esse eam, quæ caret hoc, scilicet affirmatione, & negatione; & in scientiarũ initijs supponitur, vt vera; ideò hoc fundamentum Soto ex Aristot. nullum est.

Diffinitio allata à Suarez.

81 Franciscus Suarez disp. 18. sect. 3. n. 9. assignat duas diffinitiones, quarum prima est. *Sacramentum pœnitentiæ est compositum morale, seù artificiale, constans ex actibus pœnitentis, & verbis sacerdotis, institutum ad significandam, & conferendam gratiam remissiuam peccati post baptismum commissi.* Secunda diffinitio est hæc. *Sacramentum pœnitentiæ est confessio legitimè in foro pœnitentiæ facta, & absolutione Iudicis firmata,* &c.

82 Prima diffinitio istarum, vt completa, & adequata assignatur à Suarez: inquit tamen, illam non velle assignare per genus signi, sed per rem ipsam sensibilem, quæ substat formalitati signi: vbi videtur velle excludere ab hac diffinitione rationem signi; & solùm assignare hanc diffinitionem per ea, quæ pertinent ad id, quod substernitur illi relationi, quòd si sit verum, tunc hæc diffinitio non esset adæquata: quia cum sacramentum constet ex re sensibili, & ipsa significatione efficaci, quæ est propriè forma sacramenti, vt diximus suprà in hoc 4. dist. 3. disp. 9. cap. 1. si illa omittatur diffinitio non erit perfecta, & deindè ille apponit illam relationem, dum dicit esse compositum morale institutum ad significandam, & cõferendam gratiam, &c. vndè sibi contradiceret. Sed forsan vult dicere signum, & relationem ipsam hic non velle accipere pro genere, sed pro differentia; & tunc potest admitti, sed non est adæquata: quia deficiunt aliquæ conditiones, siue differentiæ necessariò requisitæ. Deficit particula denotans intentionem Ministri debitam, quæ est necessaria in quolibet sacramento. Sed hæc sunt parui momenti. Secunda diffinitio verò, quam inquit comprehendere partem sensibilem in suas partes sensibiles diuisam, videtur quoque diminuta: quia etsi contritio, & satisfactio possent non esse res sensibiles: quia contritio est motus animi internus insensibilis, & satisfactio potest fieri oratione, & dolore interno absque aliquo signo externo; nihilominus, vt sunt actus pęnitentis, & pertinent ad hoc sacramentum, debẽt aliquo modo esse sensibiles: quia verbis, vel signis debent explicari à pœnitente, vt possit dignè recipere absolutionem: neque est, quòd dicat includi in illa particula, *legitimè*, quia illa particula, nisi aliud addatur, videtur referri ad ea, quæ pertinent ad confessionis conditiones, vt sunt veritas, integritas, & huiusmodi, de quibus suis locis. Sed quidquid sit de his, dilucidior est diffinitio Scoti.

83 Diffinitio assignata à Scoto mihi perfecta, & adæquatissima videtur, quæ est hæc. *Sacramentum pœnitentię est absolutio hominis pœnitentis, facta certis verbis, cum debita intentione prolatis, à sacerdote iurisdictionem habente, ex institutione diuina, efficaciter significãtibus absolutionem animæ à peccato.* In hac diffinitione pro genere ponitur *absolutio*: nam absolutio est fundamentum, & res sensibilis, super quam fundatur relatio rationis constituens hoc sacramentum, quæ est significatio absolutionis animę à peccato; quod omnes concedunt. Nam licet dicant etiã actus pœnitentis significare; tamen dicunt absolutionem esse magis, & principaliter significatiuam. Et confirmatur quia Christus Dominus in institutione huius sacramenti dessignat absolutionem pro fundamento, & signo huius sacramenti: inquit enim. *Quorum remiseritis* &c. Vndè actus pœnitentis, &c. requiruntur ex consecutione necessaria, non ex principali dissignatione. Prætereà genus debet esse quid commune conueniens pluribus, quod per differentias posteà contrahatur ad diffinitum. Absolutio autem est quid commune: absolutio enim in communi pertinet ad quemcunque iudicem in suo foro: ideò est genus: absolutio verò, cõtracta per differentias reliquas additas, contrahitur ad forum Ecclesiæ interius, & ad pęnitentiam: ideò iurè ponitur, vt genus. Prima differentia est *hominis pęnitentis*; per quam statim distinguitur ab absolutionibus factis in alijs iudicijs, in quibus non attenditur pœnitentia rei; sed innocentia. Et designatur materia proxima, & remota huius sacramenti, quæ sunt actus pęnitentis, & peccata. Explicatur etiam subiectum circa quod versatur hoc sacramentum, & dispositiones necessariò requisitæ ex parte sua, vt sit capax huius sacramenti. Secunda differentia est, *facta certis verbis*, per quam designatur forma verborum, quibus vti debemus in absolutione ipsa, de quibus suo loco. Tertia particula est, *cum debita intentione prolatis*, quæ ponitur ad designandum, quòd non quæcunque prolatio verborum est absolutio, & sacramentum, sed illa solùm, quæ est cum debita intentione, scilicet faciendi quod intendit Ecclesia, & Christus Dominus præcepit. Quarta particula est, *à sacerdote iurisdictionem habente*, in qua designatur quis sit minister, & quas conditiones habere debeat, de quibus suo loco. Quinta particula est, *ex institutione diuina efficaciter significans absolutionem*

Definitio assignata à Scoto.

lutionem animæ à peccato; per hanc particulam distinguitur ab omnibus alijs sacramentis: nam licèt etiam distinguatur penes materiam, scilicet penes actus pœnitentis: tamen distinctio magis attenditur in forma, & relatione rationis constituente sacramentũ in esse sacramenti: ideò per hanc distinguitur à baptismo, quia in illo non fit absolutio animæ à peccato, sed ablutio: idest mundatio totalis à culpa, & pœna, & renouatio hominis interioris, & præsertim deletur peccatum originale: hic verò fit absolutio à peccatis quibus post baptismum, quo erat filius Ecclesiæ, & Christi factus erat reus pœnæ æternæ; & absoluitur à culpa, sed non à tota pœna: quia æterna commutatur ei in temporalem. Per hanc ergo particulam significatur effectus huius sacramenti, per quem præsertim distinguitur ab alijs sacramentis.

Obiectio Soto reijcitur.

84 Obiectio autem Soto in hoc 4. distin. 14. q. 1. art. 1. quòd hæc diffinitio Scoti est nimis longa, & quòd continet plura de quibus disputandum est, nempè an confessio facta sine legitima intentione sit sacramentum, & an requiratur iurisdictio, & institutio diuina, & quòd diffinitio debet esse breuissima communis animi conceptio, nulla est: tum quia superius in hoc capite contra eum ostendimus ex Arist. 4. Physicorum diffinitionem debere explicare naturam diffiniti, ita vt omnes difficultates incidentes per eam possint dissolui: ideò cum natura, & essentia sacramenti pœnitentiæ contineat in se omnes illas differentias, quas Scotus assignat, debebant omnes illæ in diffinitione eius poni: nec verum est Arist. dicere diffinitionem esse breuem animi conceptionem, vt ibidem contra eum ostendimus. Quod verò ait in hac diffinitione Scoti includi multa, de quibus disputandum est. Respondetur quòd à Scholasticis de illis disputatur: non quia sint dubia sed vt dilucidentur magis, vt diximus etiam dist. 1. disp. 1. huius 4. de diffinitione sacraméti: apud catholicos autem de nullo eorum, quæ ponuntur in diffinitione sacramenti pœnitentiæ est dubitatio.

Diffinitio allata de sacraméto pœnitétiæ, cur diffinitio, quid nominis ab eo appelletur.

Allata diffinitio probatur à Scoto.

85 Posita diffinitione sacramenti pœnitentiæ, quam Scotus appellat rationem, siue diffinitionem quid nominis: non quia explicet solùm quid nomen significat; explicat enim etiam essentiam sacramenti, sed appellat quid nominis: quia in hoc sacramento diffinitio quid rei, & quid nominis sunt idem, quod sæpe accidit etiam in philosophia, vt diximus in disp. de diffinitione sacramenti in genere, ex Arist. 4. Methaph. tex. 28. eam declarat. Vndè in quæst. 4. dist. 14. a. 2. tria de hac diffinitione explicat, & probat. Primò quòd hæc diffinitio non continet aliquid impossibile, sed quidquid in illa ponitur est possibile, & vnum non repugnat alteri: ex quo sequitur definitum, quòd per illam diffinitur non esse ens impossibile. Secundò probat esse congruum, & cõueniens dari in rerum natura, quidquid per illam significatur. Tertiò probat id quod illi diffinitioni subest, & per illam significatur re vera dari in rerum natura actu.

Quod diffinitio nõ cõtineat aliquid impossibile.

86 Quò ad primum, probat possibilitatem eius, quòd sub hac diffinitione continetur sic. Possibile est Deum absoluere animam à peccato. Hoc patet ex Symbolo Apostolorum *Credo remissionem peccatorum*. Secundò possibile est Deum instituere aliquod sensibile, quod sit signum talis absolutionis. Tertiò possibile est, quòd hoc signum sit efficax signum illius absolutionis eo modo, quo *efficax*, expositum est in materia de sacramentis in vniuersali, scilicet quòd non solùm significet, sed etiam ex institutione diuina sit signum certum, & verum, non dubium. Quartò possibile est instituere certa verba pro hoc signo, quæ cum à quocunque ministro proferuntur cum debita intentione sit signũ efficax talis absolutionis animæ à peccato. Hæc ergo diffinitio non continet aliquid impossibile.

Quòd sit cõgruũ id quod p diffinitionem significat.

87 Quò ad secundum probat congruitatem eorum, quæ in hac diffinitione continentur, & quò ad singulas particulas. Primò quidem congruum est esse aliquod signum sensibile signans hanc absolutionem animæ à peccato. Hoc probatur per illas rationes, quibus Scotus probauit 1. dist. q. 3. a. 1. congruum fuisse Deum instituere sacramenta in communi. Earum autem vna erat, quia homo viator inquirit cognitioné rerum ex sensibilibus: ideò congruum erat, vt Deus institueret aliquod signum sensibile, quod significaret gratiam hanc absolutionis animæ à peccato, vt homo ex illo signo sensibili posset venire in cognitionem huius effectus inuisibilis gratiæ; & congruũ fuit hoc signum esse signum practicum, & certum, non certitudine demõstratiua, sed vt in pluribus: & institutum à Deo, vt viator ardenter illud signum quæreret, & magis moueret, & duceret intellectum in certitudinem; & magis inclinaret voluntatem ad suscipiendum illud signum. Congruum etiam fuit, vt hoc signum sensibile externum significans absolutionem interiorem animæ à peccato, institueretur in verbis significantibus absolutionem: quia sic signum optimè repræsentat signatum. Congruum etiã fuit quòd ista absolutio exterior fiat à sacerdote, quoniam congruum est vt extrema per medium reducantur ad extremum. In Hyerarchia autem Ecclesiastica vnum extremum sunt peccatores: aliud extremum est Deus: sacerdos autem, & Hyerarcha est medium: ideo congruum est, vt peccatores reducantur ad Deum per sacerdotem: sicut in Ecclesia triumphante inferiora reducuntur ad superiora per media. Tandem congruum fuit, quòd hæc absolutio fieret à sacerdote iurisdictionem habente: quia sententia à non suo iudice lata, nulla est, vt habetur de regulis iuris in sexto.

Doctrina de pœnitentia subalternatur doctrinæ de iudicijs.

88 Ex hac conditione deducit Scotus vnum corrolarium, scilicet, quòd doctrina de sacramento pœnitentiæ subalternatur doctrinæ de iudicijs, & doctrinæ de sententijs. Nam in Ecclesia est duplex forum, scilicet publicum, & priuatum; & sic est duplex iudicium, & duplex sententia; & ista duo fora, & duo iudicia debent esse conuenientia, quò ad aliquas regulas iustitiæ; & sic forum interius subalternatur foro exteriori: plures enim regulas, & principia accipit ab illo, secundùm quæ iudicat, & profert suam sententiam, vt videbimus tractando materias ad hoc sacramentum, & ad forum interius pertinentes, vt sunt restitutio, & similes. Et propter hoc inquit Scotus sacramentum pœnitentiæ potest dici sacramentum iudiciale, vel iudicium sacramétale. Et subiungit Scotus, quòd ex hoc, quod est sacramentale iudicium, est firmius, quàm aliquod iudicium publicum: quia in iudicio publico quãdoque sententia non erit multum rationabilis: in hoc autem foro sacramentali semper sententia, & iudicium est rationabile si sit sacramentum.

Nõ sũt necessaria præcisa verba i absolutione sacrametali.

89 Aliud corrolarium ex eadem conditione deducit, scilicet quòd in sacramentali absolutione non est necesse esse præcisa verba, in isto sacramento, siue in absolutione sacramentali, sicut in formis baptismi, vel Eucharistiæ. Probatur, quia neque in iudicio publico, siue in sententia lata in foro exteriori sunt limitata, & determinata verba, sed sufficit quòd sint talia verba, quæ explicent actum sententiæ absoluentis, vel condemnantis. Vndè, ait, vnus de Theodoro martyre dixit, *iubeo ignibus tradi*: alter de Cypriano Sancto, *gladio animaduerti placet*. Ita in absolutione, siue in sententia lata in foro interiori in sacramento pœnitentiæ non sunt determinata verba, sed sufficit, quòd sint talia, quæ significent absolutioné animæ à peccato. Communiter tamé ista verba sunt apta. *Ego te absoluo*, quæcunque alia præmittantur, vel consequãtur, secundùm diuersam consuetudinem in diuersis Ecclesijs: de qua re disp. sequenti.

Cur requiritur intentio in ministro sacramentorũ.

90 Tandem probat congruentiam de alijs duabus vltimis conditionibus, scilicet, quòd requiratur debita intentio in ministro; saltem, scilicet, faciendi quod intendit Ecclesia: quia, vt ait Scotus suprà dist. 6. quæst. 5. absolutio est actus humanus, non casualis: ideo requiritur debita intentio.

91 Tandem congruum est ex parte susceptiui, vt sit pœnitens, idest habens aliquam displicentiam de peccato commisso: quia etiam hoc videmus in iudicibus tempora-

poralibus, quòd poterium condemnant, penitentem verò suo modo absoluunt: idest tanquam non reum, vel non puniendam sententiant: idest circa illum misericordiam exercent.

Quòd factum sit id quod in diffinitione continetur.

92 Quò ad tertium scilicet id, quod dictum est non esse impossibile, sed esse congruum, actu factum esse, probat tandem Scotus, & probat per auctoritates superius capite 1. adductas Ioan. 20. *Quorum remiseritis peccata*, &c. ibi enim longo sermone ostensum est cōtra hæreticos à Christo Domino institutum fuisse hoc sacramentum pœnitentiæ quò ad omnia, quæ in ipso continentur, quæ hic non sunt repetenda. Subiungit deindè Scotus, quòd hoc sacramentum à solo sacerdote posse dispensari, habetur extra de summa Trinitate, & fide catholica cap. *Firmiter*. vbi non vult inferre, quòd administratio huius sacramenti sit de iure positiuo, & ex institutione ecclesiæ; quoniam suprà dist. 2. q. 1. dicit à Christo Domino institutum esse ordinem sacrum sacerdotalem, quò ad potestatem respectu sui corporis mystici, quod est Ecclesia; & quò ad potestatem super corpus suum verum, scilicèt conficiendi eucharistiam, institutum fuisse Matth. 26. *Hoc facite in meam commemorationem*, diximus enim suprà hæc duo pertinere ad potestatem sacerdotalem. Sed vult dicere Scotus, quòd in capite illo *Firmiter* ostenditur quomodo de iure diuino minister huius sacramenti pœnitentiæ est solus sacerdos, non laicus. Vndè subinfert istud corrolariū, quòd nihil pertinens ad sacramentum penitentiæ potest dispensari à laico; & consequenter, ꝙ confessio facta laico nihil valet, virtute operis operati; & est dubium etiam, An confessio peccatorum occultorum facta laico sit vtilis: de qua re infrà agendo de confessione.

Confessio facta laico nulla est, & dubiū est, an sit in detrimentū.

DISPVTATIO XXI.

De materia, & forma sacramenti pœnitentiæ.

Quæ sit materia sacramenti pœnitentiæ, & quomodo actus pœnitentis se habeant ad pœnitentiam virtutem. Caput Primum.

1 IN sacramento pœnitentiæ duo sunt materia, & forma, quæ ambo à Scoto tanguntur in hac q. 4. huius 14. distinct. & de forma quidem explicitè agit Scotus, quia agit de absolutione, quæ à Scoto appellatur sacramentum pœnitentiæ. De materia verò, quæ sunt peccata, & actus pœnitentis, agit implicitè. Nam de peccatis agit cum proponit, An per pœnitentiæ sacramentū deleatur culpæ; signum est ergo, quòd materia huius sacramenti sunt culpæ, & peccata. De actibus pœnitentis etiam agit in 3. articulo cum disputat de dispositione, quæ requiritur ad hoc vt absolutio deleat peccata; sed fusiùs in distinct. 16. q. 1. vbi disputat, An actus pœnitentis sint partes sacramenti pœnitentiæ, de quibus superiori disp. cap. 2. satis diximus; tamen vt pertinet ad præsentem difficultatem de illis adhuc agemus, & hoc dimisso ordine Scoti sequentis Magistrum, qui re vera est satis confusus: nam priùs distinct. 15. agit de satisfactione: deindè in dist. 16. agit de partibus pœnitentiæ: in 17. agit de confessione. Nos ergo priùs agemus de materia tam remota, quàm proxima sacramenti pœnitentiæ: deindè de forma: deindè de singulis partibus pœnitentiæ, scilicèt de contritione, vel attritione, quæ prærequiritur ad confessionem: deindè de confessione, & satisfactione.

Ordo dicēdorū in sequentib. vsque ad distinct. 17.

2 Diximus suprà dist. 3. quæst. 3. disput. 9. agentes de materia, & forma in sacramentis in genere, quod in omnibus sacramentis est aliquid, quod habet rationem materiæ, & aliquid, quod habet rationem formæ: & propriè loquendo dicebamus materiam in quolibet sacramento esse signum sensibile ex re, & verbis cōpositum: formam verò esse relationem significationis gratiæ, &c. loquendo etiā ex parte signi sensibilis dicebamus esse aliquid, quod potest metaphoricè dici materia, & aliquid, quod metaphoricè potest dici forma; & sic dicebamus illud, quod est magis determinabile, & minùs significatiuum, esse materiam; illud verò, quod est magis significatiuum, & magis determinatiuum, esse formam: & sic communiter rem esse materiam; verba verò esse formam, quia sunt magis significatiua.

3 Ad propositum cum ad sacramentum pœnitentiæ concurrant res, & verba, sicut ad quolibet sacramentum, & res sint actus pœnitentis, sine quibus forma nihil efficit, nec habet efficacem significationem, licèt non sint partes intrinsecæ ipsius absolutionis, quæ est proprium signū, & fundamentum; sed sint circunstantiæ tantùm illius, vt diximus superiori disput. cap. 2. & eadem disp. 9. Actus ipsi pœnitentis in hoc sacramento meritò dicuntur materia, & verba absolutionis dicuntur forma; dicuntur autem materia proxima, quia proximè pertinent ad ea, quæ sunt necessaria ad hoc sacramentum, sine quibus essentia eius subsistere non potest, vt diximus superiori disp. cap. 2. Ab alijs verò dicuntur partes essentiales huius sacramenti. Nos autem possumus appellare eos quasi partes essentiales, propter rationes superiùs dictas, quia sine illis non potest consistere essentia sacramenti.

4 Ceterùm hic est dubitatio, quia Durandus in 4. dist. 16. q. 1. dicit solam confessionem esse materiam in hoc sacramento: ratio eius est, quia contritio non est sensibilis; sine satisfactione autem habetur substantia, & effectus sacramenti. Idem videtur sentire Gabriel Biel in 4. dist. 14. q. 2. Respondetur, quòd contritio, & si per se sit insensibilis, quia est actus interior; tamen est sensibilis per confessionem, & alia signa externa, per quæ explicatur, & hoc sufficit. Vel dicamus secundùm nos esse conditionem requisitam ad absolutionem, quæ est signum sensibile proprium huius sacramenti: non est autem pars huius signi, sed solùm conditio eius sicut intentio ministri: ideò non est necessarium vt contritio sit sensibilis ad hoc, vt sit pars necessariò requisita ad hoc sacramentum; & sic argumentum Durandi nullum est. Satisfactio autem requiritur in voto, & sic ipsa quoque est conditio absolutionis, & necessariò requisita ad fundamentum, & signum sensibile, etiā si in se esset insensibilis.

Quomodo actus pœnitentis se habeāt ad virtutem pœnitentiæ?

5 Verùm quia Scotus in hoc 4. distin. 16. q. 1. disputat etiam, Vtrùm actus pœnitentis, scilicet contritio, confessio, & satisfactio sint partes penitentiæ virtutis; postquàm explicauimus, quomodo illi actus pertineāt ad sacramentum pœnitentiæ, videndum est, quomodo se habeant ad pœnitentiam virtutem.

Quæst. 1. distin. 16. Scoti explicatur hic.

Supposito itaque quòd penitentia dicatur pluribus modis, vt suprà vidimus, & Scotus docet iterum quæst. illa 1. dist. 16. supposito etiam quòd præter penitentiam, quæ est sacramentum, penitentia adhuc dicatur quatuor modis, scilicèt vindicare, detestari peccatum, pœnam inflictam pro peccato gratanter acceptare, & tandem pœnam inflictam patienter ferre. Notandum est adhuc illud, quod Scotus in illa q. 1. dist. 16. dicit, & superiùs dist. 14. q. 1. 2. 3. explicauit, scilicèt quòd in pœnitentia primo modo dicta, scilicèt in iustitia vindicatiua quatuor sunt. Primò est ipsa virtus vindicatiua peccati. Secundò actus eius elicitus, qui est actus imperans causis producentibus tristitiā, vt illam producant ad hunc effectum, vt per illam culpa commissa puniatur. Tertiò causæ producentes tristitiam actu illam producunt. (causæ autem producentes tristitiam sunt intellectus actu apprehendens se peccasse, & voluntas detestans siue nolens se peccasse.) Quartò est ipsa tristitia, & displicentia peccati commissi producta in esse; quæ est punitiua culpæ. Vnumquodque autem istorum quatuor dicitur penitentia, siue penitere, & distinguuntur, quia abinuicem possunt separari. Nam virtus potest esse sine actu illo elicito imperante tristitiam, & hoc de se patet. Potest etiam actus ille elicitus imperandi tristitiam esse sine virtute, quia cum omnis habitus generetur ex frequentatis actibus, sequitur quòd actus præcedat habitū; ergo actus generatiuus habitus virtutis pœnitentiæ vindicatiuæ

catiuæ potest esse sinè virtute vindicatiua. Similiter actus elicitus imperans voluntari detestationem, & nolitionem peccati commissi potest esse sinè ipsa nolitione, & detestatione peccati, qui est actus imperatus: quia non statim ad actum imperij sequitur exequutio, & actus imperans, nisi voluntas imperans sit omnipotens, cuiusmodi est voluntas Dei. Et è conuerso detestatio, & nolitio peccati potest esse sinè actu illo imperante præcedentem. Nam quis ex se immediatè considerans peccatum esse offensiuum Dei potest detestari illud, & nolle se illud commisisse, vt suprà diximus. Tandem tertium scilicèt illa detestatio peccati potest esse sinè tristitia, & displicentia: quia, vt suprà diximus, non semper ad actus illos causatiuos tristitiæ sequitur effectus ille, vt tristitia causetur; potest enim effectus impediri propter aliquam indispositionem. Quartum scilicèt illa tristitia posset esse sinè detestatione illa, quia illa detestatio, vt est imperata à virtute vindicante, est actus ordinatus, & bonus: at illa tristitia potest causari etiam à detestatione illius culpæ, quæ non sit bona, & ordinata, sed mala; vt si quis tristetur de peccato commisso, quia factus est impotens ad committendum alia peccata, & grauiora.

1. Conclusio. 6 His præmissis, ad propositum ponuntur aliquæ conclusiones decisiuę quæsiti. Prima est loquendo de pœnitentia virtute, vt est habitus animæ, contritio, confessio, & 1. Ratio. satisfactio, non sunt partes eius. Probatur primò. Forma simplex non constat ex partibus realiter distinctis; sed pęnitentia virtus est forma simplex. Contritio, confessio, & satisfactio sunt partes realiter distinctæ; ergo pęnitentia virtus non constat ex illis tribus tanquàm ex partibus. Maior est euidens. Minor quò ad vtramque partem quoque est euidens: quia virtutes, vt charitas, & similia sunt formæ simplices.

2. Ratio. 7 Secundò. Nullum permanens constat ex partibus successiuis, & quæ habent esse tantùm in fieri: at pœnitentia est quid permanens; est enim habitus: at contritio, confessio, & satisfactio habent esse in fieri, & transeunt; ergo ista tria non sunt partes essentiales pœnitentiæ.

3. Ratio. 8 Tertiò. Pœnitentia est habitus spiritualis, cuius subiectum est voluntas siue appetitus rationalis: at duo vltima, scilicèt confessio, & satisfactio sunt res quædam exteriores, & extra volũtatem; ergo non possunt esse partes ipsius pęnitentiæ virtutis, & sic patet prima conclusio.

2. Conclusio. 9 Secunda conclusio. Actus elicitus imperans tristitiã in vindictam peccati, non constat ex contritione, confessione, & satisfactione tanquàm ex partibus. Sermo est de partibus integralibus, non essentialibus. Probatur hęc con- 1. Ratio. clusio primò, quia sicut virtus est forma simplex, ita ille actus primus elicitus imperans est forma simplex; ergo sicut illa tria non possunt esse partes essentiales virtutis pœnitentiæ, ita neque possunt esse partes essentiales illius a- 2. Ratio. ctus. Secundò, actus ille imperans tristitiam est actus immediatè elicitus à voluntate: at cõfessio, & satisfactio non sunt actus immediatè eliciti à volũtate, sed potentiarum, inferiorum, ex imperio voluntatis; ergo non possunt esse partes essentiales illius actus, &c.

3. Conclusio. 10 Tertia conclusio, loquendo verò de tertio, scilicèt de actu imperato voluntatis, qui est causa proxima tristitiæ, scilicèt de detestatione actuali peccati ad quem naturaliter sequitur tristitia, & pęna; contritio, confessio, & satisfactio pñt poni partes eius. Pro probatione huius assertionis notandum est, quod, vt dictum est suprà, pœnitentia virtus est species iustitiæ vindicatiuæ, quia est virtus vindicatiua peccati: iustitia autem vindicatiua cõtinetur sub punitiua, & punitiua continetur sub iustitia commutatiua: iustitia autem commutatiua vniuersaliter respicit æqualitatem in commutatione non rei ad rem, (quod erat repassio, quam opinionem reijcit Arist. 5. Ethicorum,) sed ęqualitatem secundum rectam rationem: hæc ęqualitas autem in iustitia vindicatiua attenditur pęnes pęnam, qua punitur, & ordinatur culpa. Necesse est ergo in iustitia vindicatiua seruari ęqualitatem pęnæ ad culpam. Lex autem Euangelica, secundùm quam regulatur iustitia vindicatiua peccati, dictat culpam peccati debere ordinari per triplicem pęnam. Prima est interna, & spiritualis, scilicèt contritio, & dolor de peccato commisso. Secunda est erubescentia exterior. Tertia est afflictio, siue labor corporalis. Hinc ad propositum actus ille tertius est causa productiua tristitiæ: verùm illa detestatio peccati commissi potest causare solùm tristitiam interiorem, quæ est displicentia peccati commissi: hæc autem pęna secundùm legem diuinam iustitiæ punitiuæ non est æqualis culpæ: ideò requiritur adhuc alia duplex pœna exterior, scilicèt erubescentia, quæ habetur per confessionem exteriorem, & corporalis afflictio, quæ est satisfactio. Hæc enim tria requiruntur primum in re, reliqua duo, saltem in voto. Et hac ratione possumus dicere, quòd contritio, confessio, & satisfactio sint partes pœnitentiæ, quæ est causa productiua tristitię: quia detestatio, confessio, & satisfactio sunt tres causę partiales causantes tres pęnas integrantes vnã perfectam pœnam ęqualem culpæ. Et sic contritio, confessio, & satisfactio possunt dici partes integrales pœnitentiæ virtutis, accipiendo virtutem pœnitentiæ non pro ipsa virtute, neque pro primo actu ipsius, sed pro actu illo secundo imperato à virtute, & actu eius elicito imperante.

11 Quarta conclusio est. Pœnitentia accepta pro pę- 4. Conclusio. na, siuè pro puniri, quod erat quartum contentum in vindicare, contritio, confessio, & satisfactio dici possunt partes eius integrales. Hæc conclusio patet ex dictis in probatione præcedentis conclusionis. Nam ex iustitia vindicatiua secundùm legem diuinam ad ordinandum peccatum commissum, & faciendum æqualitatem inter Deum offensum, & peccatorem offendentem requiritur triplex pęna, siuę triplex puniri, scilicèt intrinsecus per tristitiam, & displicentiam peccati, quæ est contritio; & extrinsecus dupliciter, scilicèt per erubescentiam, quæ fit per confessionem exteriorem, & per afflictionem corporalem, quæ fit per satisfactionem; ergo pœnitentia siue punitio pęnitentialis constat integraliter ex contritione, confessione, & satisfactione; siue ex pęna, quæ est contritio; & ex erubescentia, quæ est ex confessione; & pęna afflictiua corporis, quæ est ex satisfactione. Argumenta principalia vide apud Scotum. Ex his patet quomodo actus pęnitentis sint materia proxima seu partes sacramenti pœnitentiæ; & quomodo se habeant ad pœnitentiam virtutem. Nunc redeamus ad sacramentum pęnitentiæ.

12 Præter hanc materiam proximam datur materia remota in hoc sacramento, & ista sunt peccata actualia commissa post baptismum. Peccata autem dicuntur materia, non quia aliquo modo pertineant ad integritatem sacramenti: quia non sunt materia ex qua, sed dicuntur materia, quia circa illa versantur actus pęnitentis: de illis enim est contritio, confessio, & pro illis est satisfactio: vndè ablatis peccatis, nulla esse potest contritio, cõfessio, nec satisfactio, & denique nulla est absolutio: ideò sunt materia circa quam, siue subiectum actuum pęnitentiæ; sicut causa, de qua in aliquo iudicio agitur, dicitur materia illius iudicij: sic enim totum negotium huius sacramentalis iudicij circa peccata actualia commissa post baptismum versatur, & ad illa tollenda est institutum. Vndè per hoc excluditur peccatum originale: illud enim est materia baptismi. Excluduntur etiam peccata actualia ante baptismum commissa, quia illa per baptismum totaliter tolluntur: neque sacramentum pęnitentiæ institutum est ad illa tollenda, quia iam baptismus est institutus propter peccatum originale, & quæcunque alia actualia ante susceptionem eius commissa. Pęnitentia verò est instituta ad delendum peccata actualia commissa post baptismum, & hæc doctrina est communis omnium Theologorum, quam vbique supponit Scotus, & apertè docet hac distin. 14. q. 1. in principio ante argumenta principalia, vbi dicit sacramentum pęnitentiæ esse sacramẽtum commune post baptismum, & quòd est secunda tabula post naufragium, & distinct. 17. agens de confessione, & suprà distin. 4. q. 5. vbi

disputat

disputat de fictè baptizato, & in hac quæst. 4. in responsione ad primum principale, & in corpore quæstionis art. 3. vbi contra Magistrum docet quomodo per hoc Sacramentum verè dimittitur culpa peccati actualis. Eandem tradunt D. Th. 3. p. quæst. 84. art. 2. & sui sequaces. Idem supponunt D. Bonau. in 4. d. 16. p. 2. per totum. Alensis q. 15. per totum, & alij.

D. Thom. D. Bonau. Alensis.

Obiectio ex Soto, & Suarez.

13 Hic verò iterum clamant Soto in 4. dist. 14. q. 1. art. 2. & Suarez disp. 18. sect. 3. quòd etsi Scotus agnoscat peccata esse materiam, quæ per sacramentum expellitur, tamen negat dari propriam materiam, ex qua simùl cum forma sacramentum pœnitentiæ conficitur, quod est contra Concilia Florentinum, & Tridentinum, & Patres dicentes sacramentum constare ex materia, & forma, & cōtra rationem: quia forma dicitur relatiuè ad materiam; ergo vbi est forma ibi est materia, quæ ab illa informetur; ergo cum absolutio sit forma, necesse est dari materiam, quæ ab illa proximè informetur.

Reijcitur.

14 Sed iam satis satisfecimus dist. 3. quæst. 3. disp. 9. huius 4. & superiori disput. cap. 2. vbi explicauimus Concilia, & ratio eius petita ex relatione formæ ad materiam nulla est: quia hic nō est materia, & forma propriè modo physico, sed metaphoricè: & hoc modo concessum est actus pœnitētis esse materiam proximam huius sacramenti. Et cum Scoto sentiunt Maior eadē dist. quæst. 2. Gabriel Biel in principio, & Cartusianus dist. 23. quest. 2. art. 1. Fundamentum autem Scoti explicatum est, & declaratum quomodo actus pœnitentis cōcurrant ad significationem, & efficaciam cum ipsa absolutione, vt circūstantiæ necessariò requisitæ: ideò hæc disputatio tota est nulla contra Scotum, quia in re eadem est sententia Scoti, & communis; sed melius à Scoto declarata, vt visum est locis citatis.

Peccatum mortale est materia ꝓpria sacramenti pœnitentiæ.

15 Notandum est autem, cum dicitur peccatū actuale esse materiam pœnitentiæ sacramenti, esse distinguendum. Duplex enim est peccatum actuale, scilicet mortale, & veniale. Peccatum mortale est propria materia huius sacramenti, quia propter ipsum institutum est hoc sacramentum pœnitentiæ, vt patet ex dictis nunc suprà: vndè appellatur secunda tabula post naufragium; nemo autem naufragatur, nisi propter peccatū mortale: qui enim facit peccatum veniale non naufragatur, quia peccatū veniale stat cum gratia: licèt autem peccatum veniale non sit propria materia huius sacramenti, quia alijs medijs potest dimitti; tamen est sufficiens materia, ita quòd qui habet solum peccatum veniale potest illud confiteri, & de illo conteri, vel atteri, & obtinere absolutionem, vt docet Scotus disp. 17. in responsione ad vltimum argumentum principale, & omnes Theologi, vt agentes de confessione dicemus, & nouissimè diffinitum est in Concilio Tridentino sess. 14. cap. 5. can. 7. Peccatum autē mortale dicitur materia necessaria huius sacramenti, quia sinè isto in re, vel in voto nō potest dimitti: dum enim Dominus instituit hoc sacramentum pęnitentiæ simùl obligauit quēcumque habentem peccatum mortale post baptismum, ad suscipiendum hoc sacramentum in re, vel in voto, tanquàm medium ordinarium ad illud peccatum delendū; de qua re infrà agendo de confessione.

Pœna peccati sit sufficiens materia huius sacramenti.

16 Est dubitatio alia mota à Suarez vbi suprà, An pęna peccati sit sufficiens materia huius sacrametī, ita quòd si quis, qui iam per aliam confessionem obtinuit remissionem culpæ, & commutationem pœnæ æternæ in temporalem: in alia confessione confiteretur se habere reatum pœnæ temporalis ex confessione priori relictum, an esset sufficiens materia, vt super ipsam conferatur forma absolutionis. Hoc dubium apud nos est nullius momenti, vt patebit cap. sequenti. Tamen dicendum est sinè dubio, vt etiam ipse Suarez dicit, non esse materiam sufficientem, quia materia sufficiens est culpa: dixit enim Christus. *Quorū remiseritis peccata*, &c. Neque illa est accusatio proportionata huic iudicio, quia accusatio hìc debet esse de culpa, & non de pœna: ideò culpa accusari debet. Est aliud dubium, An culpa dubia sit materia sufficiens huius sacramenti; de qua infrà in materia de confessione.

An peccata ritè confessa subsequuta absolutione, & satisfactione possit quis iterùm fructuosè ea confiteri. Caput Secundum.

17 Est difficultas, An peccata mortalia semèl ritè confessa, & per absolutionem dimissa possint esse materia sufficiens sacramenti pœnitentiæ, ita quòd licitum sit illa confiteri. Et rursùs est dubium, dato quòd sit licitum, An talis cōfessio sit fructuosa, & quis sit hic fructus. Vbi est notandum esse sermonē de fructu virtute clauiū, & sacramenti, non de fructu ex parte pœnitentis: quia nullum dubium est, quòd ex hac parte potest esse fructuosa ratione maioris erubescentiæ, & satisfactionis, & huiusmodi.

18 Quò ad vtramque quæstionem Richardus in 4. distinct. 18. art. 2. quæst. 4. videtur esse problematicus, proponit enim quæstionem sub hoc titulo, Vtrùm claues respectu eiusdem peccati habeant efficaciam plusquàm semel: & proponit in corpore duas opiniones oppositas, quarum altera negat, altera affirmat, & soluit rationes pro vtraque opinione. Illa ergo opinio, quæ negat claues habere efficaciam plusquàm semel super idem peccatum, consequenter videtur negare peccatū cōfessum iteratum esse materiam confessionis. Nihilominùs meliùs est distinguere quæstionem, vt suprà, vt clariùs intelligatur.

Opinio Richardi.

Nam vel quærimus, An liceat peccata semel ritè confessa, & per pœnitentiæ sacramentum dimissa iterùm cōfiteri; vel quærimus, An reiteratio confessionis eorundē peccatorum sit fructuosa.

An sit licita reiteratio confessionis eiusdem peccati.

19 Quò ad primum Caiet. tom. 1. Opusculorum tractatu 5. quæst. 4. dicit se neminem legisse tenentem esse illicitum eorumdem peccatorum iterare confessionem: & re vera sic esse mihi quoque videtur: quia etsi Richardus teneat probabilem esse illam opinionem, quòd claues non possint, nisi semèl, super idem peccatum; non tamen dicit, quòd iteratio confessionis eiusdem peccati sit illicita, & peccatum. Vndè rationes, quę videntur procedere contra hunc sensum, facilè possunt reduci ad secundum sensum, scilicet non esse licitum, quia nō est fructuosum. Quòd autem non sit illicitum eorundem peccatorum iterari cōfessionem expressè docet Scotus in 4. d. 18. in respons. ad primum argumentum principale, cuius verba infrà adducemus, & alij communiter.

20 Quantùm ergo ad secundam quæstionem est non parua difficultas. Nam Scotus in 4. dist. 18. in responsione ad primum argumentum principale refert duas opiniones oppositas, quarum prima est affirmatiua, quòd virtute clauium est fructuosa, quò ad dimissionem pœnæ, (an verò sit fructuosa quò ad alia, vt putà quò ad augumētum gratiæ, & similia, nihil dicit Scotus) & ait hanc esse probabilem. Altera verò est negatiua, & dicit Scotus hāc esse probabiliorem, scilicet, quòd virtute clauium in iteratione confessionis, non remittatur aliqua pars pœnæ tēporalis peccati commissi, quæ soluenda remanebat.

An sit fructuosa iteratio cōfessionis. Opin. Scoti.

21 Primam opinionem sequuntur Caiet. in tractatu 5. tom. 1. Opuscul. q. 4. quē posteà sequuti sunt Soto in 4. dist. 18. quæst. 4. art. 3. in fine. Suarez disp. 18. sect. 2. & alij: eam verò desumpsisse videntur ex D. Th. in 4. d. 18. quæst. 1. art. 3. quæstiuncula 2. ad 4. & ex Durando eadem dist. quest. 2. num. 7. Pro hac opinione, quam Scotus dicit esse probabilem, ipsemet Scotus adducit hanc rationem. Eiusdem rationis est absolutio secunda cum prima; ergo potest habere eandem virtutem respectu alicuius partis pęnæ remittendę; & per cōsequens per aliquot absolutiones finitas posset tota pęna temporalis remitti: quia pęna illa debita pro peccatò habet partes, & partes, & est finita: finitum autem per ablationem partium tandem consumitur.

1. Opinio q̄ est Thomistarū, & aliorum.

1. Ratio ꝓ adducta opinione.

Con-

2. Ratio. 22 Confirmatur à Caiet. Soto, Suarez, & alijs. Quicunque recipit sacramentum Ecclesiæ dignè, & cum omnibus requisitis tam ex parte suscipientis, quàm ministri, & adest materia forma, & intentio debita, non solùm licitè suscipit sacramentum, sed etiam fructuosè. Sed in casu proposito penitens suscipit ritè sacramentum, &c. ergo in tali casu sacramentum non solùm est illi licitum, sed etiam fructuosum. Maior est euidens: positis enim omnibus requisitis, non est intelligibile quomodò sacramentum nō sit fructuosum suscipiēti regulariter. Minor quoque patet discurrenti per singula requisita ad sacramentum penitentiæ. Supponimus enim quòd omnia ista adsint in casu proposito, & quòd penitens non ponat obicem.

3. Ratio. 23 Tertiò. Certum est esse licitam iterationem confessionis, vt dictum est suprà, & habetur ex Extrauaganti 1. de priuilegijs Benedicti 11. in qua docet reiterationem eorumdem peccatorum esse salubrem. At si in tali confessione absoluens nihil conferret pœnitenti, & confitenti per formam absolutionis, in tali casu esset falsa talis forma: & consequenter, non solùm esset superfluum, sed esset illicitum suscipere tale sacramentum, quia non posset habere effectum.

4. Ratio. 24 Quartò. Si aliqua ratio adest, propter quam dicendum sit peccata semel confessa ritè; & dimissa non cadere sub potestate clauium, neque eorum confessionem esse fructuosam ratione clauium, hæc præsertim esset, quia iam peccatum est dimissum; quod autem est dimissum, non potest ampliùs dimitti, vt infrà dicemus. At hæc ratio non valet, quia potest etiam contingere quandoque quòd alicui accedenti ad confessionē peccati, quod nunquàm ampliùs confessus est, illud peccatum sit dimissum per contritionem; & tamen non dicimus formam absolutionis in hoc casu esse falsam, & absolutionem illi non esse fructuosam: quia & si non dimittat culpam, quæ iam per contritionem est dimissa, & gratia iam est comparata, tamē dicimus illi augere gratiam, & dimittere penam temporalem; ergo in proposito casu, & si aliàs peccatum confessum sit, & dimissum, & gratia sit recepta, nihil impedit, quin conferat aliquem fructum, scilicèt augumentum gratiæ, & diminutionem alicuius partis pœnæ. Propter has rationes auctores suprà citati, & præsertim Caiet. dicunt, non solùm hanc opinionem esse probabilem, sed esse verissimam; & oppositam, quam Scotus dicit esse probabiliorem, esse omninò falsam.

Allata opinio reijcitur. 25 Cæterùm ex diligenti inspectione opinionis Scoti, & eius rationum fortassè apparebit opinionem Scoti, si non est vera, saltem esse rationabiliorem, & probabiliorem, vt modestia Scoti vtar. Pro secunda opinione ergo, quæ huic directè opponitur, adducit Scotus duas rationes, quæ impugnant recitatam opinionem, & propriam Scoti confirmant.

1. Ratio Scoti. 26 Prima ratio est hæc. Si per secūdam absolutionem eiusdem peccati aliqua pars pœnæ debitæ remitteretur, posset aliquis toties confiteri idem peccatum quousque post centesimam vel millesimam confessionem tota pœna debita esset remissa; & sic sequeretur, quòd pro quibuscunque, & quantumcunque grauibus peccatis posset tota pœna deleri per reiteratione cōfessionis eorumdem peccatorum. Hoc videtur absurdum; ergo. Absurditas consequentis probatur, quia hic modus dimittendi pœnam debitam peccatis esset multùm facilis, & esset melius sæpiùs confiteri, quàm reddere pœnam impositam, vel imponendam à sacerdote pro peccatis. Consequentia verò est euidens, quia pena debita peccato est finita: omne autem finitum per ablationem finiti tandem consumitur; ergo posset toties iterari confessio, donec tota pena esset dimissa. Quòd si quis hic vellet respondere per illam distinctionem de partibus eiusdem proportionis, & eiusdem quantitatis; & dicere, quòd per secundam absolutionem dimittitur aliqua pars eiusdem proportionis, non eiusdem quantitatis, & sic nunquàm tota pena dimittitur. Còntrà, inquit Scotus: quia nulla est ratio, quare secunda absolutio non possit dimittere partem eiusdem quantitatis cum priori absolutione, si potest auferre aliquam partem penæ. Ita enim est sacramentum hęc secunda absolutio sicut prima; & sic virtute clauium, & operis operati habet eandem virtutem.

27 Huic rationi respondent Durandus, & Suarez, negando absurditatē consequentis. Concedunt enim, quòd aliquis posset toties reiterare confessionem de eodem peccato, quòd tota pena ei dimitteretur non solùm virtute operis operantis, sed virtute clauium. Cæterùm dimissa nunc consideratione operis operantis, de qua non loquimur, vt suprà diximus. Consequens est omninò absurdum; non solùm, quia sic posset eludi, & tolli ipsa satisfactio penalis; sed quia, vt ait Caietanus, formando hoc argumentum, sacramentum confessionis exponeretur risui, & contemptui. Nam quis semel habita diligenti confessione suorum peccatorum posset posteà alijs confessionibus immediatè sequentibus replicare peccata in communi, dicendo; dico meam culpam de peccatis quæ iam dixi, &c. & sacerdos qualibet vice posset dicere, & ego absoluo te; & sic centies vno die replicando, & reiterando confessionem fructum sacramenti, semper, & qualibet vice reciperet. Hoc autem est facere sacramentum penitentiæ ridiculum. Responsio Durādi, & Suarez. Reijcitur.

28 Respondet ergo Caiet. & videtur accepisse responsionē ex Richardo, quòd frequentia sacramenti illis conuenit, qui seipsos paratos reddunt ad gratiæ augumētum: communiter autem huiusmodi dispositio non inuenitur tam frequenter in hominibus. Addit Richardus hanc dispositionem debitam esse nouum motum deuotionis, vel nouam erubescentiam in penitente. Vndè hac nō existente virtute clauium, iteratio confessionis eiusdem peccati, non est fructuosa. Responsio Caiet. & Richardi.

29 Responsio ista minimè tollit argumentum. Nam sic arguo. Non est inconueniens, immò est valde probabile, quòd qui de summo mane cum magna contritione, & deuotione confessus est aliquod peccatum, quod solùm habebat, perseueret in illa deuotione toto illo die; ergo toto illo die poterit repetere confessionem illius peccati breuiter, & poterit obtinere absolutionem; & sic centies, immò millies poterit iterare confessionem de illo peccato; ergo falsum est non reperiri facilè aliquem paratum ad augumentum gratiæ. Et confirmatur: quia quicunque teneat hanc opinionem, quòd quoties iteratur confessio de eodem peccato, semper aliquem fructum recipit, poterit rationabiliter velle centies reiterare confessionē de illo peccato, vt illum multiplicem fructum recipiat; & cōfessarius deberet illum centies audire, & millies: quia non deberet illum priuare fructu ipsius sacramenti, quæ omnia certè absurda, ne dicam ridicula, videntur. Quod verò ait Richardus requiri semper nouam deuotionem, & nouum motum in penitente, non facit ad rem: quia cum quis semel est confessus peccatum, & manet in eadem dispositione, vt attritionis, vel contritionis est sufficienter dispositus ad secundam absolutionem absque noua deuotione, sicut fuit ad suscipiendum primam absolutionem; ergo hæc noua dispositio non est necessaria: & sic poterit quis centies, & millies de eodem peccato vno die reiterare confessionem, & semper nouum fructū accipere, quod est absurdum. Reijcitur.

30 Secunda ratio est. Iudicium sacerdotis absoluentis semel latum sinè errore de peccatis alicuius, Deus ratificat in cęlis, & est irreuocabile; ergo rationabile est, quòd iudicium hoc sit irreiterabile; non quòd sit impossibile, vel illicitum hoc iudicium iterari; sed quòd sit irreiterabile cum fructu isto, quem nunc habet. Confirmat à simili in sententijs diffinitiuis in foro litigioso, quibus absoluuntur accusati quando inueniuntur innocentes: neque enim posteà ampliùs replicatur processus, nec datur alia sententia, & si daretur, non absolueretur per illam: quia iam per primam erat absolutus. 2. Ratio Scoti.

Respon-

Responsio Caiet.

31 Respondet Caiet. consequentiam nihil valere, & ratio est: quia cum Deus instituerit hoc sacramentum reiterabile super eisdem peccatis: consequens est, quòd etiã instituerit reiterabile virtuosum, alioquin nõ erat cur institueret reiterabile super eisdem peccatis. Et stante reiterabilitate eiusdem sacramenti super eisdem peccatis, si esset infructuosum, hoc proueniret, vel ex infirmitate, vel ex minori largitate iudicis: vt putà, quia non potest, aut non vult dare virtutem iudicio illi iterato; aut ex parte iudicij, quia scilicet iudicium ex se non est virtuosum neque aptum natum tribuere aliquam virtutem confitenti. Hic autem nullum horum accidit, quia, & iudex, & iudicium est largitiuum fructus, quia fecit hoc sacramentum reiterabile: iudicium etiam sacramentale ex sui institutione habet vim largiendi fructum. Et per hoc ad confirmationem dicunt, quòd non est par ratio de iudicio humano litigioso, & isto iudicio sacramentali, quia iudicium humanum non est virtuosum: ideò secunda sententia nullam vtilitatem affert; sed in iudicio sacramentali secunda, & tertia, & aliæ conferunt fructum, quia sunt virtuosæ.

Reijcitur.

32 Vt impugnatio huius responsionis habeat euidentiam, supponendum est id, quod suprà cum ipso Caietano supponendum esse dicebamus, scilicet, quòd in præsenti non est sermo de fructu, qui prouenire possit ex virtute operis operantis, siue ex dispositione ipsius cõfitentis. Clarum est enim, quòd si in secunda confessione habeat maiorem dispositionem, vt putà maiorem erubescentiam, vel maiorem contritionem, quòd habebit quoque maiorem fructum: & forsan etiam ratione maioris dispositionis habebit quoque maiorem fructum ex parte absolutionis, vt infrà dicemus explicando opinionẽ Scoti. Supposito ergo, quòd pęnitens eodem modo omninò se habeat ex parte sui, sicut se habuit in prima confessione, & nihil aliud de nouo accedat, nisi iteratio confessionis, & absolutio noua, probo quòd hæc secunda absolutio nullũ afferat fructum. Nulla est ratio, propter quam aliquod iudicium rectum, & ratum in cælis alterari, & mutari debeat, nisi adueniat aliqua causa noua, propter quam ratio recta dictet, illud iudicium, & sententiam esse mutandã, & alterandam: at in proposito casu, in illo, qui absolutus fuit à suis peccatis in confessione recta, & ratificata in Cælis, fuit commutata pęna æterna in tantam pęnam temporalem, & hæc commutatio fuit iusta, & ratificata in Cęlis, & ille eodem modo omnino se habet nunc in secunda confessione, ac priùs; ergo hæc secunda confessio, & absolutio illi nullam fert vtilitatem ad commutandam pęnam illam temporalem, vel ad conferendum augumẽtũ aliquod gratiæ, &c. Maior est euidens: sententia enim, quæ est iusta, & ratificata, si nulla superueniente causa posset alterari, & mutari, iam non fuisset recta, & iusta. Iustitia enim consistit in æqualitate; si ergo in prima sententia fuit æqualitas, non potest mutari, quia fieret inæqualis, & iniusta. Minor verò quò ad vtramque partem patet ex supposito.

Ex hoc impugnatur consequentia illa Caiet. stante institutione reiterabilitatis confessionis super eisdem peccatis sequitur reiterabilitas cum fructu: distinguo enim: stãte reiterabilitate pura confessionis sinè nouo meritò: dico, quòd non stat cum fructu, & hoc per rationem nunc allatam est probatum: vel stante reiterabilitate confessionis cum aliquo nouo merito ex parte pœnitentis: & tunc concedo, quòd est reiterabilis cum fructu. Sed hic sensus non est, qui in quæstione est positus: quia quæritur, An virtute clauium præcisè reiterata sententia eiusdem peccati sit fructifera.

33 Ex hoc impugnatur etiam discrimen, quod ponit Caiet. inter iudicium humanum, & sacramentale: nimirum quod iudicium sacramentale est virtuosum, non autem humanum litigiosum. Nam vel intelligit, quòd iudicium sacramentale sit virtuosum limitatè, vel illimitatè. Si primum concedo, quia sententia habet vim transmutãdi pœnam æternam in temporalem, non quamcunque, sed in illam, quæ respondet dispositioni pœnitentis: quantò enim magis dolet de peccatis, &c. tantò in minorẽ pęnam temporalem cõmutatur æterna. Vndè quandoque tota pœna temporalis deletur. Si verò intelligit illimitatè, vt intelligere habet. Contrà sententia iusta quæcunque debet correspondere meritis, vel demeritis confitentis. Illa autem habent statum certum; ergo sententia ad hoc, vt sit iusta licèt sit virtuosa, non potest extendere suã virtutem, nisi secundùm merita confitentis, & hoc est, qđ vulgò dicitur in iudicijs humanis, quòd sententia iusta debet respondere meritis processus: quæ enim est extra merita processus, est iniusta, & nulla; & quòd iudex debet iudicare secundùm allegata, & probata. Cum ergo tam in prima confessione, quàm in secunda eadem sint merita confitentis, sententia prima per secundam non potest alterari, nec potest ex se sola tribuere confitenti fructũ maiorem, quàm prima; vt illi alleuiare pœnam, vel conferre augumentum gratiæ: quia tunc prima sententia non fuisset iusta, nec rectè ratificata.

3. Ratio.

34 Tertiò Scotus in fine huius secundæ rationis subdit quædam verba, ex quibus formatur hæc ratio. Nemo absoluitur, nisi qui est ligatus. Sed qui in prima confessione absolutus fuit à peccatis non est amplius ligatus illis; ergo in secunda, & tertia confessione non potest absolui ab illis: quia illis non est ampliùs ligatus, & cõsequenter essent falsa verba formæ, cùm sacerdos in secunda absolutione diceret, Ego te absoluo.

Responsio aduersariorum.

35 Respondent Caietanus, Suarez, & alij suprà citati, quòd etsi huiusmodi confitenti sint dimissa peccata, & allata gratia per primam absolutionem: tamen etiam per secundam, & tertiam gratia illi augetur, & pœna temporalis remittitur, & Caietanus subinfert etiã reliquias peccatorum dimitti: in quo ei Soto contradicit loco citato, volens cum D. Thoma reliquias peccatorum dimitti per sacramentum extremæ vnctionis, de qua re suo loco. Dicunt ergo, sicut ei, qui accedens ad primam confessionem ex vehementi contritione iam ante absolutionẽ obtinuit remissionem peccatorum, & collationem gratiæ, absolutio ipsa sacramentalis non est vana, nec falsa, nec inutilis: tum quia ex se conferret gratiam si illam, non haberet: & dimitteret peccata, si non essent dimissa, &c. tũ quia confert augumentum gratiæ prioris habitæ; ita secũda confessio, & tertia, &c. semper auget gratiam, & tollit reliquias peccatorum, & sic semper est fructuosa.

Reijcitur.

36 Contrà nõ est par ratio de absolutione data in prima confessione, in qua peccata dimissa sunt, & gratia est collata, & de absolutione data in secunda confessione; quia in prima confessione, etsi culpa est dimissa, & collata gratia; tamen nondum est lata sententia sacramẽtalis absolutoria, & collatiua totius fructus, qui ab ipsa prouenire potest secundum iustitiam: & ideò confitens peccata sua præter fructum, quem habet ex sua dispositione, est etiam capax fructuum, & bonorum, quæ illi prouenire possunt ex absolutione sacramentali: at qui semel est confessus, & iam obtinuit totum illum fructum, qui sibi obuenire poterat tam ex parte sui, quàm ex parte sacramenti, nihil amplius remanet illi conferendum neque ex parte sui, neque ex parte sacramenti: quia iam per primã sententiam, & absolutionem obtinuit omne beneficiũ, quod sibi iustè erat retribuendum. Vndè possumus sic argumẽtari: sicut nemo iudicatur bis in idipsum, ita nemo bis præmiatur in idipsum: atqui semel confessus est sua peccata, & obtinuit absolutionem, obtinuit omne beneficiũ, quod per tale iudicium, & sententiam sibi debebat; ergo manens penitùs in eodem statu sinè nouo merito nõ potest iterum pro illa dispositione, & confessione peccatorum præmiari, & acquirere fructum diminutionis pęnæ temporalis impositę, & augumenti gratiæ.

Opin. Scoti explicatur.

37 Puto itaque opinionem Scoti esse probabiliorem, vbi pro intelligentia est notandum illud, quod supra dicebamus confutando responsionem Caietani ad secundum argumentum Scoti, quod etiam Caietanus ipse in

prin-

principio illius quęstionis quartę fatetur. Quæstio hęc potest duobus modis tractari. Vno modo loquendo de fructu ex parte dispositionis pœnitentis. Alio modo ex parte sacramenti præcisè. In præsenti quæstio tractatur in secundo sensu præcisè non in primo, & in hoc nulli dubium est, quòd opinio Scoti est probabilior, vt argumenta Scoti facta probant. Verùm si loquamur in primo sensu reiteratio confessionis etiam virtute clauium affert aliquem fructum. Et hoc est benè aduertendum, & considerandum: nam ratio propter quam confessio, est instituta reiterabilis à Christo Domino super eisdem peccatis est vtilitas, & maior securitas ex parte pœnitentis: sic enim inducuntur homines ad habendum sępiùs actum detestationis eorundem peccatorum, & maiorem motum cõtra ipsos: stante autem maiori motu, & maiori dispositione in pęnitente, etiam secũda absolutio, & tertia confert maius beneficium, quod potest exemplo declarari. Qui absolutus est in foro litigioso ab aliquo crimine, tamen ad aliqualem pęnam est condemnatus: quia ex processu nõ reperiebatur omninò absoluendus à quacunque pęna, potest petere reuisionem causæ, & nouum formari processum, & meliùs se tueri: & sic ex secundo processu obtinere sententiam magis absolutoriam, quàm primam: ita qui semèl confessus est sua peccata, & obtinuit veniã culpæ: tamen pęna æterna debita pro peccato non est omninò ablata, sed est commutata in temporalem tantũ, potest denuò recurrere ad sacerdotem, & velle denuo iudicari de eisdem peccatis, & vt obtineat magis fructuosam absolutionem, eniti habere contritionem, & alia requisita, quæ suam liberationem magis iuuent: & ita per secundam absolutionem potest obtinere maiorem fructum, quàm ex prima; sed hoc non est præcisè virtute clauium, & sacramenti, sed simùl ex dispositione pęnitentis. Nam sacramentum est sententia, & absolutio iusta: ideò debet correspondere meritis processus, & actuum pęnitentis: & quia secundùm actus pęnitentis in confessione reiterata est magis dignus absolutione, & remissione pęnæ: ideò secunda confessio est illi fructuosa super primam. At stante eadem dispositione in confitente, licèt millies repeteretur confessio, & repeteretur absolutio, nullum fructum afferret. Hęc etiam aduersarij videntur fateri; sed tamẽ quia non distinguunt rectè, sed omnia hæc confundunt, opinio Scoti eis videtur dura. Scotus autem hac de causa proposuit quæstionem sub hoc titulo, *An iterata confessio eorundem peccatorum vi clauium plus, & plùs de pęna remittat*. Nota etiam verba suæ resolutionis, quæ sunt. *non dico, quòd illicitum, vel impossibile sit iterari: sed tamen cũ fructu isto, quem nunc habet non est iterabile*. Supponit autem Scotus, quòd eadem sit dispositio ex parte pęnitentis: & nulla alia sit ratio augendi fructum, nisi ius clauiũ: nam virtute istarum præcisè nulla est ratio, & causa augumentationis fructus.

Hæc etiam videtur esse intẽtio Benedicti XI. in Extrauaganti 1. de priuilegijs, vbi ait, *eorundem peccatorum reiterationem confessionis esse salubrem*: adducens enim rationem, non dicit, quòd hoc proueniat ex vi clauium; sed ait esse erubescentiam, quæ est magna pęnitentiæ pars. Vndè verba Extrauagantis sunt ista. *Cæterum licèt (sicut prædicitur) de necessitate non sit iterùm eadem confiteri peccata: tamen quia propter erubescentiam, quæ magna est pęnitẽtiæ pars, vt eorundẽ peccatorũ iteretur confessio, reputamus salubre: districtè iniungimus*, &c. Cum itaque in pęnitẽte est noua dispositio, dicendũ puto nõ solũ esse salubre ratione dimissionis partis pęnæ, sed ratione augumenti gratiæ, & collationis aliorum bonorum reiterare confessionem: & sacerdotem vi clauium, & suarum orationum, ac benedictionis hęc bona illi conferre. Nunc ad argumenta in oppositum facile est respondere.

Ad primũ argumentum aduersariorum. 38 Ad primam rationem Scoti, ex ipsius Scoti doctrina respondetur, quòd etsi secunda absolutio quantùm est ex se, & ex vi clauium sit eiusdem rationis cum prima: non tamen est eiusdem rationis respectu subiectæ materiæ, scilicet respectu peccatorum, & pęnitentis, seu confitentis: quoniam ante primam absolutionem nulla erat lata sententia super peccatis confessis à pœnitentæ: ideò illa potuit habere suam vim. Secunda verò absolutio est post latam sentẽtiam rectam, & in cęlo ratificatam: ideò non est mirum, quòd secunda nullam partem pœnæ possit remittere: prima verò maximè potuerit.

39 Ad secundam respondetur concedendo, quodlibet sacramentum dignè receptum, & cum omnibus conditionibus positis in maiori propositione, esse non solùm licitũ, sed fructuosum recipienti. Sed distinguo, vel enim intelligitur, quòd sit fructuosum, & virtuosum illimitatè, vel limitatè. Primo modo est falsum. Secundo modo est verum: hæc autem limitatio attenditur penes iustitiam: absolutio enim sacramentalis est sententia absoluens à culpa, & commutans pœnam æternam in temporalem; sed quanta esse debeat ista pœna temporalis habetur ex commensuratione ad dispositionem pœnitentis. Quandoque enim potest esse tanta contritio pœnitentis, vt absolutio dimittat culpam, & simùl totam pœnam: quandoque erit attritio solùm sufficiens ad dimittendum culpam, & commutandum pœnam æternam in temporalẽ; sed illa pœna temporalis erit magna, nec sacerdos ex vi clauium ad suum libitum poterit hanc pœnam minuere: quia tunc non esset iusta sententia, nec ratificaretur in Cęlis. Hinc ad argumentum dico, quòd in casu proposito secunda absolutio esset sacramentum, & fructuosum quãtum est ex se; sed quia eius fructus, & virtus est limitata: & tota virtus, & fructus, qui ab ipso prouenire posset confitenti iam est collatus: ideò non potest aliam vtilitatem illi conferre, nisi adsit aliqua noua causa, & dispositio in pœnitente ratione cuius habere possit locum secundùm iustitiam secunda absolutio, & sententia. Sicut in iudicijs humanis data vna sententia iusta ex vno processu, secunda sententia ab eodem iudice, licèt sit virtuosa quantùm est ex se, nullum aliud beneficium potest conferre illi absoluto, etiam si de nouo feratur: quia totum fructum, quẽ ex illo processu poterat obuenire accusato ex iustitia, ex prima sententia obtinuit. Vndè si per secundam sententiam aliquid aliud posset recipere secundùm iustitiam sequeretur primam sententiam non fuisse iustam: quia nõ fuisset data secundùm æqualitatem. — Ad secundum.

40 Ad tertium ex dictis suprà patet Pontificem dicere reiterationem confessionis eorundem peccatorum esse salubrem non pręcisè vi clauium, sed ratione dispositionis pęnitentis, scilicet ratione erubescentiæ: qui enim modo vni, deinde alteri confitetur eadem peccata, habet duplicem erubescentiam: & sic est magis dispositus in secunda confessione, quàm in prima: & ideò absolutio secunda illi confert maiorem vtilitatem, quã prior: licèt enim non dimittat peccata, quia iã dimissa erant: dimitteret tamen si adessent. Et rursus minuit pęnam temporalem debitam, quia est magis dispositus in secunda, quàm in priori: vndè si in priori habuisset tantam erubescentiam, vel æquiualentem etiam prima absolutio commutasset pęnã æternam in temporalem cum ista diminutione. At si idẽ pœnitẽs eidem confessori facta prima confessione, & habita absolutione, iterum eadem peccata statim replicaret solùm, vt per reiterationem confessionis eiusdem vi clauium obtineret dimissionem partis pęnæ impositæ, patet quòd non haberet nouam erubescentiam: iam enim patefecerat se confessori; ergo signum est, quòd Pontifex non intelligit talem confessionem iteratam esse fructuosam, vt suprà diximus. — Ad tertiũ.

41 Ad quartum iam suprà dictum est non esse parem rationem de eo, cui dimissum est peccatum per contritionem antequàm obtinuit absolutionem sacramentalem, & de eo cui est dimissum peccatum per absolutionem sacramentalem: quia in primo casu nondum obtinuit totũ beneficium, quod per sacramẽtum illi obuenire poterat: ideò per absolutionem sacramentalem obtinet totum illud, quod iustè sibi obuenit. In secundo casu pęnitens iam obti- — Ad quartũ.

obtinuit totum beneficium, quod sibi existenti in illa dispositione obueniebat ex iustitia: ideò stãte eadem dispositione per vim clauium nihil ampliùs sibi debetur: ideò per secundam sententiam, & absolutionem nihil beneficij noui accipere potest, &c.

Quęnam verba sint de essentia formæ huius sacramenti, & quæ non, & de ritu ipsius. Caput Tertium.

42 QVænam sit forma sacramenti pœnitentiæ explicauimus cum Scoto superiori disput. cap. 3. examinando diffinitionem sacramenti pœnitentiæ assignatam à Scoto. Verùm, quia circa illam insurgunt variæ difficultates: ideò illas breuiter explicare opus est.

Quatuor explicãda circa formam.

43 Quatuor autem sunt præcipuè explicanda. Primũ quænam sint verba pertinentia ad formam sacramenti pœnitentiæ. Secundum quæ, & cur alia verba apponantur in absolutione pœnitentis præter verba formæ. Tertium quis sit sensus, & effectus verborum formæ. Quartum explicabitur quarta quæstio huius distinct. 14. Scoti, quæ tribus sequentibus cap. efficiemus.

An illa verba absoluo te sint forma huius sacramenti.

44 Prima ergo difficultas est, An illa verba, *absoluo te*, sint apta & idonea forma huius sacramenti. Ad quam breuiter respondetur affirmatiuè. Hæc enim est communis sententia. Illa duo verba sola, *absoluo te*, esse idoneam, sufficientem, & conuenientem formam huius sacramenti. Scotus in hac distinct. 14. q. 4. ar. 2. D. Thom. 3. p. q. 84. art. 3. & alibi sæpè. Gabriel, Paludanus, Durandus, & alij in hoc 4. dist. 14. & ex Concilio Florentino in decreto Eugenij Papæ, vbi agit de pœnitentiæ sacramento, & Trid. sess. 14. cap. 3. & alijs, quæ omitto, cum hæc sufficiant.

Prima obiectio ex hæreticis reijcitur.

45 Verùm circa verba ista formæ occurrunt variæ dubitationes, quibus hæc materia magis declaratur. Primò est obiectio ex hæreticis, qui eo quia negant Ioan. 20. institutum esse hoc sacramentum pęnitentiæ, & ibi datam esse auctoritatẽ ministerialem sacerdotibus absoluendi à peccatis, & rursus volunt peccata dimitti non per absolutionem sacerdotis, & auctoritatem ei data à Christo, sed per solam fidem, siue potius, fiduciam, qua credat quisque sibi peccata esse dimissa, vt hæretici omnes volunt, sicut suprà ostendimus, & est videre apud Roffensem art. 12. de ipso Luthero, & apud alios Scribentes cõtra eos in materia de sacramento pęnitentiæ: vndè Lutherus art. 13. & alij hæretici dicunt, non minùs peccatorem absolui posse à laico, quàm à sacerdote, consequenter dicunt, sacerdotem in his verbis, absoluo te, vsurpare sibi auctoritatem solius Dei.

Reijcitur.

Sed cum è contra nos suprà contra eos abundè ostenderimus Io. 20. institutum fuisse sacramentum pęnitentiæ, atque ibi institutum esse ordinẽ sacerdotalẽ quò ad potestatem super misticũ corpus Christi, idest suæ Ecclesiæ; & sacerdotes factos esse iudices arbitros inter Deũ, & creaturam; & propterea ipsos solos, non laicos habere auctoritatem ministerialem absoluendi: rectè dicimus, sacerdotem hic non vsurpare sibi auctoritatem principalem, quæ est ipsius Dei, sed exercere auctoritatem ministerialem, quę sibi à Christo data est.

Magister sententiarum.

Mag. Sent. proximè accesisse videtur ad hunc errorem in hoc 4. d. 18. dũ tenet, ꝙ sacerdos per absolutionẽ nõ absoluit à peccato; sed ostẽdit esse absolutũ, sed de opinione Magistri posteà dicemus.

Obiectio ex catholicis.

46 Secundò ex catholicis duæ occurrunt dubitationes circa verba formæ assignatæ. Quidam enim dicunt impropriè vsurpari verbum illud, *absoluo*, sed loco illius debere dici, *remitto*, quæ opinio tribuitur Abulensi in suo Defensorio par. 1. cap. 6.

1. Ratio.

fundamenta eius sunt, quia peccata non sunt aliqua vincula, quæ soluantur; sed sunt iniuriæ, & offensæ, quæ propriè dimitti possunt, non solui.

2. Ratio.

Præterea peccatum est actus, qui transiuit, & manet solùm reatus, siue macula, quæ secundùm aliquos est priuatio gratiæ: at nemo soluitur ab eo, quòd non est. Vndè cũ absolutio sit illius, quod est, sequitur quòd solùm sacerdos à pœna solueret non à culpa: nec solueret à macula, quia negatio non est capax solutionis propriè loquendo; sed neque rectè dici potest, quòd absoluat à pœna: quia pœna tempore contritionis, & absolutionis nondum est, sed est futura: ideò ab illa absoluere non potest. Confirmatur, quia in Clementina 1. de priuilegijs, videtur significari hoc verbum absoluo esse improprium: quia Papa prohibens religiosos absoluere, vtitur his verbis, *ne à culpa, & pœna*, (vt eorum verbis vtamur) *absoluant*. vbi per illam parentesim significare videtur, quòd impropriè pœna, & culpa absolui dicatur.

3. Ratio.

47 Tandem Christus non dixit, *quorum solueritis peccata*, &c. sed *quorum remiseritis*; ergo ex Christi institutione debet dici, *remitto tibi peccata tua*, non *absoluo*, quia remittuntur, & delentur; non autem soluuntur peccata, & offensæ, nisi improprijssimè.

Secũda obiectio ex catholicis.

48 Alij ex catholicis objiciunt contra verba formæ: quia nõ videtur, quòd verbum illud, *absoluo*, debeat proferri per modum indicatiui, sed per modum deprecationis, vt dicendo, *Deus misereatur tui*, vel, *absolutionem, & remissionem tribuat tibi omnipotens Deus*; quo modo absoluendi vtitur Ecclesia in quibusdam absolutionibus publicis.

Opinio D. Bonauentura 4. d. 18. p. p. ar. 2. q. 1. & Alẽsis 4. quæst. 21. m. 1.

Hæc opinio adducitur, & impugnatur à D. Thoma Opusculo 22. & videntur fauere ei D. Bonauentura 4. dist. 18. p. p. art. 2. q. 1. & Alensis 4. p. q. 21. m. 1. vbi loquuntur de potestate clauium, & dicunt illam potestatem extẽdi ad culpam per modũ deprecationis; & quòd absolutio sacerdotis supponit gratiam, & deprecatio eam impetrat.

1. Ratio.

Fundamenta huius opinionis sunt. Primò, quia, vt dictum est, Ecclesia in absolutionibus quibusdam publicis vtitur verbis deprecatiuis; ergo & in absolutione sacramentali, & secreta debet sacerdos vti verbis deprecatiuis, non autem istis absoluo te, quæ sunt indicatiua.

2. Ratio.

Secundò affertur auctoritas Leonis Papæ Epistola 89. aliàs 91. quæ refertur in cap. *Multiplex*, de pœnitentia, distinct. 1. in qua dicit, quòd indulgentia Dei nisi supplicationibus sacerdotum obtineri nequit; ergo forma debet esse supplicatoria. Sic D. Ioan. Chrisost. lib. 3. de Sacerdotio, & D. Hieron. in verba illa Psalmi 28. *Vox Domini intercidentis flammam ignis*, absolutionem sacerdotis vocant nomine orationis.

3. Ratio.

Tertiò, sicut Deus dedit discipulis potestatem dimittendi peccata, sic etiam dedit eis potestatem faciendi miracula, eijciendi demonia, curandi infirmitates, &c. sed sic est, quòd Apostoli sanando infirmos, &c. non vtebantur his verbis, ego te sano, sed sanet te Dominus, vt elicitur ex Actibus Apostolorum 3. vbi Petrus sanans paraliticũ ait, *in nomine Iesu Christi surge, & ambula*; ergo neque in sacramento pœnitentiæ sacerdos debet vti verbo *absoluo*, sed verbo deprecatiuo, *Misereatur tui Deus*, vel, *Deus absoluat te*, vel, *tribuat tibi absolutionem*.

4. Ratio.

Quartò forma extremæ vnctionis est deprecatoria, nempè ista. *Per istam vnctionem, & suam pijssimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid per visum, &c. deliquisti*, vt habetur ex Conc. Flor. in instructione Armenorum, & ex Conc. Trid. sess. 14. cap. 1. ergo in sacramento pęnitẽtiæ quoque debet esse deprecatoria, quia non est maior ratio de vno sacramento, quàm de alio.

Prædictæ opin. reijciuntur.

49 Istæ duæ opiniones omninò sunt reijciendæ propter decreta Sacrorũ Conciliorum, & Sanctorũ Patrum, vt suprà vidimus. Ratio autem adducta est à Scoto illa q. 4. dist. 14. quia doctrina de pęnitentiæ sacramento subalternatur doctrinæ de iudicijs, & discipuli Christi Domini, & sacerdotes illorum successores instituti sunt iudices arbitri inter Deum, & pęnitentem: ideò cum sacerdos profert sentẽtiam suam, debet illam proferre sub illis verbis, quæ sunt magis in vsu in iudicijs, cum reus absoluitur à crimine, verba autem vsitatoria sunt ista, *absoluo te*. Pręterea hæc forma sumitur ex Euangelio Matthæi 16. vbi Christus promittens hanc auctoritatem, & maiorem Petro dixit, *tibi dabo claues regni cęlorum, quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum, & in cęlis, & quodcunque solueris*, &c. Ergo hæc forma sub his verbis elicitur ex institutione Christi. Ideò ad rationes istarum opinionum.

Ad primã pro prima opinione.

50 Ad primam pro prima opinione. Respondetur peccata esse vincula spiritualia, quibus peccator alligatur pęnæ ęternę, & in Sacra scriptura peccata appellantur vincula, & eorum dimissio dicitur solutio. Vndè Psalmo 118. *Funes peccatorum circũplexi sunt me.* & Isaię 58. *Dissoluite colligationes impietatis*, & similia: ideò falsum est peccata nõ posse solui; deinde ipse Abulensis cõcedit posse relaxari, & dimitti: at relaxatio, & dimissio nihil aliud est, nisi solutio à vinculis: ideò hæc opinio non habet fundamentum alicuius momenti.

Ad secũdũ.

51 Ad secundum sufficit, quòd remaneat reatus pœnæ: ille enim reatus est vinculum ad pœnam, à quo peccator dissoluitur. De reatu autem, & macula peccati diximus satis suprà dist. 14. quæst. 1. disp. 10.

Ad tertiũ.

52 Ad tertium, iam dictum est, quòd ętsi Ioannis 20. Christus non sit vsus verbo *soluentis*: tamen vsus est Matthei cap. 16. vt dictum est: cum enim Petro promisit claues cęlorum, etiam hanc auctoritatem absoluendi per sacramentum pęnitentiæ inclusit, quam postea ei cum alijs discipulis dedit Io. cap. 20. primatus autem, & auctoritas adequata illi promissioni 16. cap. Matth. adimpleta est, cum post resurrectionem dixit ei, *Pasce oues meas* Io. 21. vt suprà diximus loquendo de institutione huius sacramenti, & infrà dicemus agendo de clauibus.

Obiectio.

53 Sed aliquis dicet sicuti ex verbo *solueritis* sumitur hæc forma *ego absoluo te*; ergo ex alio verbo *retinueritis* debet accipi alia forma, qua sacerdos retineat peccata, quæ non vult absoluere. Respondetur, quòd ad retinendum peccata non requiritur aliqua sententia Iudicis, sufficit, quòd non absoluat ab eis: Ideò non erat opus instituere aliquam formam ad illa retinenda: deindè sacramentum est signum gratiæ, retinere peccata non est signum gratiæ: ideò vt sacramentum non potuit institui.

2. Sententia reijcitur

54 Secunda sententia est omninò falsa, vt patet ex dictis suprà in hoc capite, & dicam infrà cum Scoto contra Magistrum Sententiarum. Sequeretur enim ex illa, quòd sacerdos Euangelicus ostenderet absolutum, non autem absolueret, & sic nõ differret à sacerdote Mosayco, quod est erroneum. Nam videtur sequi, quòd sacerdos Euangelicus non habeat potestatem remittendi peccata, quod est contra superiùs dicta, & contra verba Christi Domini, qui non dixit. *Accipite Spiritum sanctum quorum deprecaueritis peccata remitti, remittuntur*, &c. *sed quorum remiseritis remittentur eis*, &c. neque ex hoc sequitur, ꝙ sacerdos sibi vsurpet auctoritatem principalem dimittendi peccata, quæ est propria Dei, sed solùm habetur eum exercere potestatem ministerialem. Nam & Princeps, & Iudex, siue minister constitutus à Principe in liberatione alicuius ab aliquo crimine vtuntur indifferẽter hoc verbo *absoluo te*, &c. Vndè clarũ est hoc verbũ, *absoluo te*, inseruire ꝓ auctoritate absoluta, & ꝓ auctoritate ministeriali.

Ad primã rationẽ pro secũda sententia.

55 Ad primam rationem pro hac secunda sententia. Respondetur, quòd illę absolutiones publicæ non sunt sacramentales neque per se dimittunt peccata mortalia, sed solùm venialia, vt habet D. Th. 3. p. quæst. 84. art. 3. ad primũ, & solùm sunt orationes, & deprecationes quibus ecclesia laudabiliter vtitur tanquàm dispositionibus ad impetrandam misericordiam populo, ne cum fideles posteà accedunt ad sacramentum pœnitentiæ, & ad recipiendam absolutionem sacramentalem, ex parte ipsorũ impediatur effectus sacramenti, secundum Scotum in 4. dist. 17. quæst. 1. art. 1. D. Vndè etiam in absolutionibus sacramentalibus solent præmitti illæ deprecationes. *Misereatur tui Deus*, &c. quæ sunt orationes præuiæ, vt pœnitẽs disponatur magis ad suscipiendum effectum sacramenti: ideò non est par ratio de illis absolutionibus, & de absolutione sacramentali. Alijs verò formis sacramentorum non præmittuntur similes deprecationes: quia materia in illis non sunt actus pœnitentis, quorũ præsertim contritio, vel attritio est necessaria, quam habere est difficile; ideò egent oratione, & deprecatione sacerdotis.

Absolutiones publicę vsitatę ĩ ecclesia, quid valeant.

Ad secũdũ.

56 Ad secundum respõdet D. Thomas 3. p. quęst. 84. art. 3. ad 2. quòd illę auctoritates D. Leonis Papæ, D. Io. Chrisost. &c. intelliguntur de orationibus, quæ præmittuntur ante absolutionem sacramẽtalem, quem sequitur Soto art. illo 3. dist. 14. quæst. 1. Sed arguit Suarez contra: quia D. Leo inquit. *Non remitti peccata sine supplicationibus sacerdotum*. At sine illis orationibus præuijs potest dimitti peccatum; ergo D. Leo non intelligit de illis, sed de verbis formæ. Respondet ergo ipse, quòd interdum Sacramenta sumunt nomen, & denominationem ab aliquo ritu accidentali, sicut Chrysmatis sacramentum appellatur à Sanctis Patribus manuum impositio. Itẽ quia sacramentum pœnitentiæ non ministratur à sacerdote nisi præuijs illis orationibus, hoc sacramentum appellatur, & significatur nomine orationis. Secundò respondet absolutionem etiam ipsa largo modo posse appellari orationem, & supplicationem quatenus sacerdos per absolutionem impetrat à Deo id, quod intendit. Hæc responsio mihi magis placet, & eò magis, quia licèt forma essentialiter consistat in illis verbis, *absoluo te*; tamen semper adiungit sacerdos inuocationem Trinitatis, dicendo *absoluo te in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, in quibus verbis est aperta inuocatio Trinitatis, quæ est supplicatio, & oratio simùl. Neque hac inuocatione aufertur, quin sacerdos absoluat propria auctoritate, sed significatur absoluere auctoritate non principali, sed ministeriali sibi à Christo Domino, & Sanctissima Trinitate collata.

Responsio D. Tho. & Soto reijcitur.

Responsio Suarez.

Responsio auctoris.

Ad tertium

57 Ad tertium respondet D. Thom. vbi suprà ad quartum diuerso modo datam fuisse potestatem Apostolis ministrandi sacramenta, & faciendi miracula. Nam non fuit data Apostolis potestas faciendi miracula, sed data fuit potestas Apostolis tãtùm, vt ad eorum orationes infirmi sanarentur, & alia miracula fierent: at respectu peccatorum data fuit potestas absoluendi à peccatis. Verùm hoc reijcitur à Suarez: quia Apostoli etiam verbo imperatiuo aliquando faciebant miracula, vt patet Actorum 3. vbi Petrus dixit paralitico. *In nomine Iesu Christi Nazareni surge, & ambula*, &c. potest ergo dici, quòd Apostolis quidem data fuit potestas faciendi miracula, sicut & absoluendi, sed in modo faciendi miracula nõ fuit pręscripta forma: quia non erat necessarium: ideò nunc vno modo, aliquando alio modo vtebantur. At in ministrãdo sacramentum, forma præscripta fuit: quia erat necessarium. Vel dicamus, quòd potestas faciendi miracula pertinet ad gratias gratis datas: ideò illa potestas non dabatur permanenter, & intrinsecè, neque semper habebat effectum, sed solum, quando expediebat. At potestas absoluendi datur permanenter, & effectum infallibilem semper habet ex parte sui: ideò non est par ratio de illa potestate faciendi miracula, & de potestate absoluendi.

Ad quartũ.

58 Ad quartum respondetur non valere similitudinem de extrema vnctione, & pęnitentia: quia institutio sacramentorum, eorumque forma pẽdet ex beneplacito Christi Domini: ideò placuit instituere sacramẽtum extremæ vnctionis sub illa forma deprecatoria, non autem sacramentum pœnitentiæ. Adest tamen specialis cõgruitas: quia in sacramẽto extremæ vnctionis sacerdos, & minister non se gerit vt iudex, vt fit in sacramento pœnitentiæ, sed per modum medici. Neque effectus illius sacramenti, scilicet curatio corporis semper sequitur: ideò non debuit eius forma institui per modum indicatiui, sed deprecatiui, & ideò non est par ratio de vtroque.

De alijs verbis pręcedẽtibus, & cõcomitantibus formã sacramenti pęnitentię.

59 Secundo loco differendum est de verbis alijs, quæ in absolutione pęnitentis cũ forma, vel præmittuntur, vel sequuntur. Nam iam statutum est verba illa, *absoluo te*, esse formam huius sacramẽti, & illa esse essentialia, & substantialia, sinè quibus non est sacramentum. Nunc est videndum cur alia verba apponantur. Vbi est notandum, quòd vt habet Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 3. ex Scoto vbi suprà, & alijs Doctoribus, ex more Sanctæ Ecclesiæ preces quædam laudabiliter adiunguntur formæ predictæ: quę tamen ad essentiam formæ nequaquã spectant, neque sunt necessariæ ad administrationem huius

ius

ius sacramenti. Preces autem istę sunt alię, & alię secundùm diuersam consuetudinem in diuersis ecclesijs: tamē ex communi vsu ecclesię Romanę istę sunt. *Misereatur tui Omnipotens Deus*, &c. *Indulgentiam absolutionem*, &c. Secundò *Dominus noster Iesus Christus te absoluat, & ego auctoritate eius*, &c. vel similibus verbis, & hæc quidem præmitti solent. Tertio loco post formam absolutionis solent apponi hæc verba, *à peccatis tuis*. Quarto loco: *In nomine Patris Filij, & Spiritus sancti*. Vltimo. *Passio Domini nostri Iesu Christi*, &c. Priora verba pręcedentia formam absolutionis ponuntur secundùm omnes ad impetrandum à Deo, ne ex parte pœnitentis impediatur sacramentum, sicuti etiam præmittitur absolutio à censuris, ne ex illo capite impediatur sacramentum: qui enim est alligatus censuris, est incapax sacramenti, vt infrà agendo de Censuris dicemus. Verba secundo loco adducta ponuntur ad significandum sacerdotem non vt principalē causam, sed vt ministrum absoluere. Quæ tamen verba, vt dictum est ex Concilio Tridentino, & alijs doctoribus; neque sunt essentialia, neque necessaria ad sacramenti administrationem: quia non est necessariò explicare ministrum hoc efficere auctoritate propria: hoc enim supponitur. Illud verbum etiam, *ego*, non est essentiale, neque necessarium, quia includitur in illo verbo, *absoluo*.

De verbis præcedentibus absolutionem.

De verbis illis *ab omnibus peccatis tuis*.

Opin. Gabrielis Paludanus.

60 De verbis tertio loco positis est aliqua difficultas: aliqui enim videntur velle, quòd illa verba, *ab omnibus peccatis tuis*, sint necessaria, vt Gabriel Biel dist. 14. quęst. 2. Paludanus dist. 22. quæst. 3. Maior dist. 14. quæst. 2. & alij. Et ratio omnium istorum est, quia sine illis sensus illorum verborum formæ, *absoluo te*, non videtur esse completus, nec determinatus: nam significatio illius verbi, *absoluo*, est indifferens ad significandum absolutionem à censura, à pęna, vel culpa: ideò debent apponi illa verba, vt habeatur significatum determinatum verborū formæ.

1. Ratio.

2. Ratio ex Concilijs.

Et confirmatur, quia in Concilijs dicitur, quòd verba formæ sunt illa, *absoluo te, &c.* Illa particula autem, *&c.* significat debere apponi aliqua alia verba, quæ significatum ipsius formæ determinent. Differunt verò isti auctores, quia Gabriel vult, quòd apponatur illud verbum, *omnibus*, vt dicatur, *ab omnibus peccatis tuis*. Alij verò volunt, quòd illud non sit necessarium: quia non oportet includere peccata venialia. Mortalia verò cōnexa sunt, quò ad remissionem: ideò cum de illis detur absolutio, intelligitur dari de omnibus. Item quia in his loquutionibus indefinita ęquiualet vniuersali: ideò illud verbum non est necessarium, quia subintelligitur.

Solutio primæ rōnis.

61 Nihilominus est dicendum, vt suprà ex Scoto, D. Thoma, & alijs, & præsertim ex Concilio Tridentino, & alijs, illa verba non esse de essentia formæ, neque esse necessaria, in quo cęteri omnes doctores conueniunt, & Sūmistæ, Syluester verbo, *absolutio* 6. quæst. 4. Caietanus in Summa verbo, *absolutio*. Nauarrus de pęnitentia dist. 6. cap. 1. in principio, & num. 9. & in Summa cap. 26. num. 2. Soto, Suarez, vbi suprà, qui alios citat. Ratio est, quæ ab omnibus adducitur, vel supponitur: quia illa verba cadūt super confessionem peccatorum factam: ideò ex actu illo confessionis præmisso, verba illa recipiunt satis apertè suam determinationem: ideò absque eo, quòd in absolutione dicatur, *a peccatis tuis*, satis intelligitur, absolutionem esse à peccatis illis, quæ iam confessus est peccator, & de quibus pęnitet. Ista ergo verba, *à peccatis tuis*, implicitè includūtur in illis verbis, *absoluo te*, ex quo sequitur multò minùs esse necessaria illa verba, quę ab aliquibus adducuntur, *ab omnibus peccatis tuis, de quibus es contritus, & quorum es oblitus*. & alia huiusmodi. In verbis enim, *absoluo te*, includuntur omnia peccata, de quibus potest, & debet dari absolutio: ideò illas particulas addere non est prudentis sacerdotis, vt dixit Soto art. illo 3. Similiter illa verba, *in quantū possum, & tu indiges*. Hęc. n. subintelligūtur. Et per hoc patet ad primā rōnē opinionis cōtrarię.

Ad secūdā.

Ad aliam verò ex Concilijs dicitur, quòd Concilia addiderunt illam particulam, *&c.* non quia verba illa, *a peccatis tuis*, sint necessaria, vel aliqua alia; sed quia certum est illa duo esse de essentia, *absoluo te*. reliqua verò, an sint de essentia, & necessaria est in controuersia, vt dictū est: hanc autem scholasticam disputationem tunc noluerunt diffinire, sed solùm explicare, quod certum est. Vel dicamus, quòd secundùm vsum ordinarium Ecclesiæ aliqua verba adduntur illis, *absoluo te*: ideò Concilia dixerunt, formam esse illa verba, *absoluo te*, cui alia posteà verba adiunguntur: illa tamen verba non debent omitti: quia adiungendo illa vitamus omne periculum, & facilè adiūgi possunt. Vndè nulla videtur accidere posse rationabilis causa, propter quam illa omitti possint.

De inuocatione sāctissimæ Trinitatis.

Opin. Durandi.

62 De verbis quarto loco positis, scilicet inuocatione Santissimę Trinitatis, Durādus in 4. d. 22. probabiliter ait posse dici addendum esse formę aliquid, quod pertineat ad inuocationem diuini nominis; & videntur in eādem sententiam Maior, & Petrus Soto inclinare. Fundamentum Durandi est, quia in omni sacramento, in cuius forma exprimitur actus ministri debet apponi aliqua expressio agētis principalis; sed in forma absolutionis exprimitur actus ministri; ergo. Maior probatur: tum exemplo, quia in baptismo, cōfirmatione, ordine, extrema vnctione additur inuocatio Trinitatis: quia in illorum formis exprimitur actus ministri: tum quia actus ille absoluendi & efficiendi, quod significat forma, non attribuitur ministro, sed agenti principali: ideò Deus, qui est principale agens debet exprimi in forma: alioquin videretur actus ille attribui ministro tanquàm principali agenti.

Reijcitur.

63 Sed hæc opinio reijcitur communiter, vt superiùs diximus: quia ex communiori parte Theologorum, & ex Concilijs habetur, hæc verba non esse necessaria. Ratio autem est, quia iam certum est, quòd minister in sacramento agit, vt minister: & cum dicit, *absoluo te*, non profert illud verbum, nec intendit producere effectum significatum per formam propria virtute, & vt causa principalis, sed vt minister. Ratio autem Durandi nulla est, quia licèt quandoque explicitè in formis exprimentibus actus ministri agentis principalis fiat mentio: tamen non semper hoc est necessarium, & maximè cum notum est, ministrum actum illum efficere vt minister est, non vt est principale agens, vt contingit in administratione sacramētorum: ideò illa inuocatio Sanctiss. Trinitatis implicitè ibi subintelligitur. Exēplū verò de alijs sacramētis nihil valet, quia ritus sacramentorū sunt diuersi ex eorū institutione: ideò argumētari ab vno ad aliud non valet.

De verbis illis Passio Dñi nostri Iesu Christi, &c.

64 De verbis vltimo loco adhibitis, scilicet, *Passio Domini nostri Iesu Christi*, &c. clarum est ea non esse necessaria: qm̄ omninò seiūcta sunt à verbis formę, & in hoc oēs consentiunt: laudabiliter tn̄ adhibentur sicut aliæ orationes, & deprecationes pręcedētes absolutionis formā essentialē, & substantialē: ideò licèt omittātur non erit peccatū graue, vel ēt nullū si ex aliqua rationabili causa omittātur sicut dictū est de orationib. deprecatorijs, q̄ p̄mitti solēt.

An aliquis ritus seruari debeat in hoc sacramēto, vt an pęnitens debeat genua flectere, & sacerdos manū imponere, &c.

65 Hic solet quæri, An aliquis ritus sit necessarius in hoc sacramento, vt, An peccator genuflexus manere, & sacerdos debeat imponere manū sup caput ipsius ac illū benedicere, vel aliquid aliud simile facere. Respōdetur breuiter, q̄ vel hic q̄ritur de necessitate sacramēti, vel de necessitate pręcepti. Quò ad primū dicēdū est nullā ceremoniam aliā esse necessariā, q̄a Conc. Flor. & Trid. tradiderunt nobis ea oīa, q̄ pertinent ad substantiā sacramenti pęnitentiæ, & nullam mentionē fecerunt de aliqua ceremonia; solū expresserunt materiā, & formā, & intentionē ministri. Quò ad necessitatē p̄cepti, nulla ēt ceremonia est necessaria, q̄ sub mortali obliget, neq; ex parte pęnitētis, neque ex parte absoluentis. Vndè vel pęnitens cōfiteatur peccata sua prostratus, vel erectus, vel flexis genibus nihil refert. Siue ēt Sacerdos imponat manus super pęnitentē, & eum benedicat, vel non, nihil refert: ex decentia tn̄ debet pęnitens obseruare eas conditiones, q̄ ad verā, & humilē accusationē pertinēt, ideò laudabilis est ritus, q̄ obseruat, vt peccator flexis genibus cōfiteatur peccata sua, & sacer-

dos imponat manus super ipsum absoluendo in signum potestatis clauium, quæ ceremonia est antiquissima in Ecclesia, licèt in significatione huius vocis magna sit varietas in scriptura, & in antiquis Patribus: quoniam manus impositio aliquando significat sacramentum confirmationis Actorum 8. *Cum audissent Apostoli qui erant Hierosolimis*, &c. *tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum*. Aliquando significat sacramentum ordinis, vt in Epistola 1. ad Thimot. cap. 4. *Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterij*. Tamen etiam interdum, apud Patres significat pœnitentiam publicam, quæ olim fiebat, & complebatur, per manuum impositionem, quam reconciliationem appellabant, vt patet dist. 50. can. *Pœnitentes*. & fiebat ab Episcopo, vel præsbitero, & publicè, de qua in Concilio Carthaginēsi 4. cap. 79. & Arausicano 1. cap. 3. & Cyprianus epistola 2. & alibi. Ex quibus elicitur, quòd hæc impositio manuum adhibebatur huic sacramento, & ab illo appellatū est quandoque manus impositio, vt ex D. Augustino habetur 1. quæst. 1. can. *manus*. Vndè aliqui dixerunt hanc ceremoniam esse necessariam ex Concilio Nicæno cap. 9. est tamen falsum. Vndè D. Thom. opusculo 22. vbi hunc canonem refert, & Soto dist. 14. quæst. 1. art. 4. dicunt esse in arbitrio sacerdotis illam manuum impositionem adhibere, neque ex illo canone habetur cadere sub præcepto manuum impositionem in pœnitentia, sed solùm esse in vsu, de qua re Nauarrus de pœnitentia dist. 6. cap. 1.

An variatio aliqua in verbis formæ fieri possit. Caput Quartum.

66 EXplicauimus, quæ sint verba pertinentia ad essentiam formæ sacramenti pœnitentiæ, & quæ sint necessaria, & quæ neque sint de essentia, neque necessaria. Nunc remanet videndum, quis sit sensus verborū, quæ sunt de essentia, scilicet illorum, *ego te absoluo*. Antequàm autem hoc explicetur, necesse est videre, an illa verba, *ego te absoluo*, sint ita necessaria, vt mutari nullo modo possint.

An verba formæ sacramēti pœnitētiæ mutari possint

Opinio Scoti.

67 Scotus in hac quæst. 4. art. 2. vt suprà vidimus, inquit, non esse necessarium esse ita præcisa verba in isto sacramento sicut in sacramēto baptismi, vel eucharistia. Ratio est, quia sufficit, quòd exprimatur actus sententiæ absoluentis, sicut in iudicio publico nō oportet esse limitata verba in sententia, quod constat: quia Tiranni damnantes Sanctos martires ad mortem, non semper vtebantur ijsdem verbis. Ait enim vnus de Theodoro martire, iubeo ignibus tradi. Alter de Cypriano Sancto, gladio animaduerti placet, & alij alijs verbis vtebantur. Subiungit tamen, quòd ista verba sunt apta, *absoluo te*, vt suprà diximus.

Obiectiones aduersariorū contra opinionem Scoti.

68 Aduersùs hanc opinionem Scoti insurgunt Caietanus 3. p. quæst. 84. art. 3. Soto in 4. dist. 14. quæst. 1. art. 3. Suarez disp. 19. sect. 1. num. 23. & alij, sed Caiet. in re approbat sententiam Scoti, si quidem illum adducit in confirmationem suæ opinionis, vt videbimus, dicit solùm quòd Scotus fortè nimis latè loquutus est dicens, quòd sufficit, vt exprimatur actus sententiæ absoluentis. Soto verò illo 3. artic. sinè *fortè*, ait sententiam Scoti esse nimis latam. Adducit verò rationem ex D. Thoma opusculo illo 22. cap. 2. vbi D. Thomas inquit differre absolutionem sacramentālem ab absolutione ab excommunicatione in hoc: quia huic in foro exteriori nulla est præscripta forma, sed quomodocunque sit absolutio. At in sacramentali absolutione habetur forma præscripta à iure diuino.

1. Obiectio

2. Obiectio

3. Obiectio

69 Suarez autem adiungit Scotum in eo esse reprehendendum, quòd constituit differentiam inter formam sacramenti pœnitentiæ, & formam baptismi, & euchatistiæ, ac si non sint necessaria determinata verba in hac forma sicut in formis baptismi, & eucharistiæ, vel magis in illis, quàm in sacramento pœnitentiæ. Hoc enim inquit est falsum, quia in omnibus sacramentis sunt æquè necessaria determinata verba: quia vnumquodque sacramentum habet determinatam formam. Consequi autem hoc ex doctrina Scoti probat Suarez: quia vel Scotus sentit illa verba formæ esse necessaria, quò ad sensum, & significationem; non tamen quò ad illa materialia verba: quia verba synonima, vel æquipollentia sufficere possunt, vel intelligit, non esse necessaria, quò ad sensum, & significationem. Hunc secundum sensum non intelligit Scotus, nec potest intelligere, quia est falsus: nam ista forma, & omnes aliæ in hoc sensu sunt necessariæ, & immutabiles, vt dictum est ex Concilijs, vt etiam infrà magis patebit; ergo relinquitur, vt intelligat primo modo. At primo modo etiam verba formæ baptismi non sunt necessaria, scilicet, quò ad materialia, sed sufficiunt æquiualentia, vt vidimus suprà in declaratione formæ baptismi; ergo malè Scotus ponit discrimen penes hoc inter formam pœnitentiæ, baptismi, & eucharistiæ.

Defēditur Scotus.

70 Cæterùm immeritò hæc obijciuntur Scoto: nam doctrina, quam hic tradit Scotus, est communis, & est magis explicata à Scoto, quàm ab alijs, & ipsi Thomistæ eam à Scoto accipisse videntur. Nam suprà in dist. 2. quæst. 2. in explicatione formæ baptismi, & in explicatione formæ eucharistiæ distinct. 8. quæst. 2. dixit mutationem in formis sacramentorum non tollere essentiam formæ, nisi tollant significatum substantialem formæ: de qua re egimus in dist. 3. disputatione 8. diffusè, & regulas ibi traditas à Scoto, quæ pulchræ sunt, diximus esse communes omnibus formis sacramentorum. Dicit ergo Scotus verba debere esse talia in hac forma, vt explicetur actus sententiæ absoluentis: quod etiam fatetur ipse Soto, & confirmat ex Concilio Florentino, vbi (inquit) dicitur, quòd sufficit verbum, per quod exprimatur Sacramentalis actio, vt à Sacerdote exercita, (quod licèt sit verum, tamen non habetur in Concilio Florentino.)

Ad 1. Obiectionem.

71 Ad obiectionem ergo illam, quòd Scotus nimis laxat licentiam, respondetur falsum esse Scotum nimis laxare licentiam: docet enim id, quod alij omnes communiter docent, scilicet verba materialia ipsa non esse necessaria ad necessitatem sacramenti, sed æquiualentia sufficere, scilicet, quæ non variant substantiam, & essentiam significationis illorum verborum *absoluo te*.

Ad secūdā.

72 Ad secundam possumus dicere eandem esse rationem de absolutione à peccatis, & à censuris quantùm ad substantiam formæ, quò ad necessitatem, vt effectus sequatur, & absolutio sit valida: in vtraque enim sufficiunt verba æquipollentia his verbis, *absoluo te*, sed ex decreto ecclesiæ est differentia: quia in forma absolutionis à peccatis, quæ est sacramentalis, est decretum, & præceptum, vt sacerdos vtatur hac forma præscrita *absoluo te*. Vndè sacerdos peccaret mortaliter non vtendo hac forma, licèt absolueret, vt infrà dicam nunc. At in forma absoluendi ab excommunicatione nulla verba pro forma ab ecclesia præscripta sunt: ideò est in potestate sacerdotis vti quibuscunque verbis, dummodo significent absolutionem ab excommunicatione, &c.

Ad tertiā.

73 Ad tertiam respondetur Scotum intelligere in primo sensu, scilicet verba materialia, non debere esse ita præcisa in hoc sacramento sicut in baptismo, & eucharistia. Et cum dicit Suarez, quòd hoc est commune omnibus sacramentis. Respondetur esse maximum discrimen: quia in illis duobus sacramentis Christus Dominus assignauit propria verba formæ. Dixit enim, *Ite*, &c. *baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*. Ecce quòd præcepsit verba formæ baptismi. Similiter in eucharistia dixit, *Hoc est corpus meum*. & de sanguine, *Hic est calix*, &c. At in institutione sacramenti pœnitentiæ non præscripsit verba formæ; solum constituit sacerdotes

dotes iudices: in eorum verò potestate relinquit formam, & verba, quibus vti deberent, dummodò vterentur verbis, quæ significarent absolutionem, & liberationem à peccatis. Vndè aduersarij etiam fatentur alia verba adhiberi posse loco illorum, *absoluo te*, vt infrà videbimus. Licèt ergo in verbis formæ baptismi possit fieri aliqua mutatio: ita quòd baptismus dari possit sub his verbis, *baptizo te*, & *baptizetur seruus Christi*, vt Græci baptizant: tamen verbum illud, *baptizo*, est necessarium, licèt non in illa forma, qua Latini vtuntur: quia Christus Dominus illo vsus est: ideò illud secundùm substantiam non potest mutari, neque alia verba, *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*. Vndè suprà distinct. 2. quæst. 2. diximus cum Scoto baptismum in nomine Christi, & in nomine Trinitatis, genitoris, & geniti, quæ sunt nomina æquipollentia Patris, Filij, & Spiritus sancti non esse verum baptismum. Idem dicendum de forma eucharistiæ. Vsus est enim Christus illis verbis, *hoc est corpus meum*: ideò in illis præcisè consistit forma consecrationis corporis: idem dicendum de verbis consecrationis sanguinis: & licèt in illis aliqua variatio non mutet substantiam, vt si quis loca verbi illius, *hoc est corpus meum*, diceret, *istud est corpus meum*: quia *istud*, & *hoc*, idem significatum habent. Tamen si quis mutaret verbum illud, *corpus*, in aliud, non esset consecratio. Benè ergo dicit Scotus non esse tantam necessitatem, vt in hoc sacramento pœnitentiæ sint ita præcisa verba, sicut in baptismo, & eucharistia: quia in his duobus sunt verba instituta à Christo, in sacramento pœnitētiæ nequaquam.

74 Ex quo colligitur, quòd si sacerdos dicat, *ego remitto tibi peccata tua*, validum est sacramentum: quia illud verbum, *remitto*, equiualet huic, *absoluo*, est enim verbum absolutorium, & etiam Christus Dominus aliquando illo vsus est. Item si quis diceret, *sacramentum absolutionis tibi impendo*, secundùm D. Thomam, Caietanum, Soto, & alios Thomistas valet: & tamen hic omnia verba formæ mutantur, quod fieri non posset in formis baptismi, & eucharistiæ. Si quis enim super aliquem baptizandum diceret, *impendo tibi sacramentum baptismi*, non puto aduersarios dicturos illum esse baptizatum. Similiter si quis dicat, *absoluaris à peccatis tuis*, vel *absoluatur seruus Christi*, vel *remittuntur tibi peccata tua*, est absolutus. Est tamen hìc notandum, quòd istæ formæ possunt habere sensum deprecatorium, & tūc non sunt validæ: quia debet forma proferri per modum iudicij, quod tunc non fit: potest etiam habere sensum imperatiui: & tunc est valida, vt optimè Nauarrus de pœnit. cap. 1. dist. 6. Suarez vbi suprà, & alij tradunt, & suprà tetigimus.

75 Si quis verò diceret, *libero te à peccatis tuis*, forsan esset sufficiens: quia in iudicijs aliquando tali verbo vtimur. Sed licèt hoc esset verum: tamen tales formæ non sunt in vsu habendæ: quia non est certum, an talia verba sint apta. Certum est autem ista verba esse apta, *absoluo te*. Vndè qui omitteret hanc formam, & alijs vteretur, peccaret peccato ex genere suo mortali: quia hæc forma est necessaria necessitate præcepti ex vsu Ecclesiæ, & ex doctrina sacramentorum, vt tenet Suarez sect. illa prima: licèt Soto vbi suprà art. 3. teneat non esse ex suo genere mortale; sed opinio Suarez mihi magis placet propter præceptum Ecclesiæ de vsu talis formæ; sicut & de vsu formarum aliorum sacramentorum, & tunc maximè hoc est verum, cum adest contemptus, vel scandalum. Vndè in his formis seruandæ sunt illę tres maximę, quas adducit Scotus in hoc 4. dist. 2. quæst. 2. in fine 3. art. De illa verò, *mundo te à peccatis tuis*, dubitant Suarez, & alij, quos ipse citat: quia non videtur significare effectum per modum iudicij: nihilominus si dicatur imperatiuè mihi videtur idem importare, quòd *absoluo te à peccatis tuis*. Sed quicquid sit de hoc, ab his est abstinendum, vt dictū est suprà. An verò absolutio debeat, vel possit dari absenti, & quid sit dicendum de absolutione, quæ datur infirmis pro collatione indulgentiarum, dicam infrà agendo de qualitatibus confessionis.

Tres maximæ seruandæ in rebus dubijs.

An absenti dari possit absolutio.

Quis sit effectus formæ, & sacramenti huius, vbi quæstio quarta huius distinctionis Scoti explicatur. Caput Quintum.

76 NVnc videndum est quis sit effectus formæ huius, siuè huius sacramenti, & quis sit sensus eiusdem formæ: effectus enim, & significatum formæ in idem coincidunt: quoniam sacramenta nouæ legis id conferunt, & efficiunt, quod significant: ideò effectus, & significatum formæ sacramenti pro eodem accipiuntur. In hac re verò sunt diuersæ opiniones. Prima est opinio Magistri Sent. in hoc 4. dist. 18. quam refert Scotus in hac dist. 14. quæst. 4. art. 3. & alij Scholastici, & impugnant.

Quis sit effectus formæ, & q. eius significatum.

77 Dicebat ergo Magister Sententiarum, quòd sacerdos per hanc formam non absoluit hominem à peccatis, sed absolutum ostendit, & declarat. Verba enim Magistri relata à Scoto sunt. *In soluendis culpis, & retinendis, ita operatur sacerdos Euangelicus, & iudicat sicut olim legalis in illis, qui erant contaminati lepra, quæ peccatum significat*. Hanc sententiam sequuti sunt D. Bonauentura eadem dist. 18. art. 2. quæst. 1. & Alensis 4. p. quæst. 21. m. 1. quatenus dicunt potestatem clauium non extendi supra culpam, nisi deprecatiuè; & hoc sequuntur Gabriel Biel dist. 18. quæst. 1. art. 2. Maior quæst. 1. & alij. Fundamenta huius opinionis sunt. Primò, quia sacerdos non videtur habere potestatem dimittendi peccata; ergo. Antecedens probatur per illud D. Hieronymi super Matthei 16. *Tibi dabo claues*, &c. vbi inquit *hunc locum non intelligentes quidam, aliquid sumunt de supercilio, & superbia Pharisæorum, vt damnare innoxios, vel soluere putent noxios, cum apud Dominum non sententia sacerdotum, sed reorum vita quæratur*. & huius probationem innuit dicens. *In Leuitico se ostendere sacerdotibus iubentur leprosi, quos illi non faciunt leprosos, vel mundos, sed discernunt, qui mundi, vel immundi sunt, ita hic*; ergo ex D. Hieronymo sacerdos per absolutionem non absoluit à culpa, sed ostendit pœnitentem habere peccatum dimissum; ergo effectus, & significatum formæ, absoluo te, non est dimittere peccatum, sed ostendere peccatum esse dimissum.

Opin. Magistri Sent.

1. Ratio pro hac opinione.

78 Confirmatur auctoritate Isaiæ 43. *Ego solus deleo iniquitates, & peccata populi*; & Ambrosius lib. de Spiritu sancto, & refertur de pœnitentia dist. 1. cap. *Verbum*, dicit. *Verbum Dei peccata remittit, sacerdos & iudex; sacerdos quidem officium suum exhibet, & nullius potestatis iura exercet*. & D. Augustinus super illud Ioan. *Ecce agnus Dei qui tollit*, &c. inquit. *Nemo soluit peccatum nisi solus Deus, qui est agnus tollens peccata mundi*. Confirmatur adhuc, quia Christus Matthæi 8. priùs sanauit leprosum; deindè iussit, vt se sacerdotibus ostenderet. & Io. 11. suscitauit Lazarum; deindè iussit sacerdotibus, vt illum soluerent. Ex quibus colligit Magister, quòd Deus dimittit culpam; sacerdos verò ostendit esse dimissam, nō autem dimittit.

79 Secundò, Christus Dominus Lucæ 7. *Remittuntur tibi peccata tua*, quæ tamen erant remissa; ergo solùm Christus illis verbis ostendit peccata esse dimissa; ergo ita hic.

2. Ratio.

80 Tertiò, ratione, quia sacerdos per hanc formam nunquàm videtur producere hunc effectum absolutionis à peccatis: nam vel homo accedens ad sacramentum pœnitentiæ est in peccato, vel non: si est in peccato, non potest absolui, quia non est dispositus, & ponit obicem: vel est sine peccato, & in gratia, & tunc absolui non potest: quia iam est absolutus; ergo effectus huius formæ non est absolutio à peccatis. His rationibus etiam probatur sensum huius formæ esse falsum, scilicet esse absolutionem à

3. Ratio.

peccato : vel est dicendum hanc formam habere alium sensum, quàm sit hic absoluere à peccatis. Hic possent adduci alia argumenta principalia Scoti, sed infrà post solutionem istorum explicabuntur.

Reijcitur. 81 Hęc opinio communiter reijcitur, neque in hoc tenetur Magister. Est enim hæc opinio erronea, quam quõdam Richardus de Sancto Victore lib. de potestate ligãdi, & soluendi cap. 21. confutauit, & Hugo Victorinus lib. 2. de Sacramentis par. 14. cap. 8. D. Thomas dist. 18. quæst. 1. art. 3. quæstiuncula 1. Richardus, Durandus, & alij. Scotus autem præcipuè adducit has duas rationes contra eam.

1. Ratio. 82 Primò si hæc opinio esset vera, sequeretur, quòd per sacramentum, pęnitentiæ nunquàm deleretur peccatum; hoc autem est erroneum : ostensum est enim suprà, sacramentum pęnitentiæ esse institutum à Christo Domino ad dimittendum peccatum commissum post baptismum. Consequentia autem est euidens: nam necesse esset priùs peccatum deleri per contritionem, vt quis susciperet dignè sacramentum pęnitentiæ : quia nullus dignè ostenditur mundus à peccato, nisi priùs sit immunis à peccato.

2. Ratio. 83 Secundò sequeretur sacramentum pęnitentiæ nũquam posse esse secundam tabulam post naufragium. Cõsequens est contra D. Hieronimum, & contra consensum Ecclesiæ vniuersalem; ergo. Consequentia probatur: quia nunquam liberaret naufragum à periculo submersionis æternæ, sed naufragus, scilicet peccator solùm per contritionem liberaretur à peccato, & consequenter à periculo damnationis æternæ.

3. Ratio. 84 Tertiò quando Christus Dominus instituit hoc sacramentum Matth. 22. non dixit, *Quorum ostenderitis remissa esse peccata, illi remissa erunt*, &c. sed dixit, *quorum remiseritis*; ergo erroneum est dicere sacerdotem Euangelicum non habere auctoritatem soluendi à culpa.

4. Ratio. 85 Quartò illa forma esset falsa, nisi sacerdos verè absolueret à peccato; neque etiam posset verè ostendere absolutum à peccato, nisi efficaciter absolueret: nam tunc illa forma nihil circa dimissionem peccati causaret; ergo esset ac perindè si Christus Dominus nullam auctoritatem tradidisset illis verbis; quod apertè repugnat textui Euangelico.

Aliæ duæ opiniones reijciũtur. 86 Eisdem rationibus impugnantur duæ opiniones antiquorum quorundam, quarum altera asserit effectum huius formæ esse absoluere ab obligatione subijciẽdi culpas suas Ecclesiæ clauibus. Dicunt enim peccatorem postquam peccauit esse obligatum confiteri peccata sua sacerdoti, vt de illis iudicet; non autem vt culpas illas dimittat, vel retineat : ideò facta confessione esse liberum ab hac obligatione; satisfecit enim debito suo. Hæc opinio est omninò insulsa; pręterquàm enim est contra expressa verba Saluatoris, *quorum remiseritis*, &c. si peccator per confessionem culparum nullum beneficium obtinere potest à sacerdote per absolutionem sacramentalem, obligatio illa ad confitendum culpas, & ad illas subijciendum iudicio sacerdotis esset vana.

Altera opinio quæ est Richardi d̃ S. Victore, & Hugonis 87 Altera etiam opinio, quæ dicit quòd effectus huius formæ est remissio pęnæ æternæ, vel temporalis iuxta indigentiã pęnitentis ex eodem fundamento reijcitur: quia Christus Dominus dixit quorum peccata remiseritis, non quorum pęnas remiseritis. Deindè potest quandoque esse tanta contritio in peccatore, vt in ipso deleatur omnis pęna temporalis peccati; ergo tunc absolutio sacramentalis non haberet aliquem effectum.

Opinio D. Thomæ. 88 D. Thomas habet opinionem obscuram, nam 3. p. q. 84. a. 3. ad 5. inquit, quòd hæc est perfecta expositio illorum verborum, *absoluo te*, idest *sacramentum absolutionis impendo tibi*, quàm expositionem laborant Thomistę, Caietanus in illo art. Soto, & Suarez disp. illa 19. sect. 2. vt ad bonum sensum reducant: fatẽtur autem Caietanus, & alij cum eo æquipollere quidem huic, *sacramentaliter absoluo te*, tamen ex forma verborum non significare *absoluo te à peccatis tuis*, sed significare actum, siue collationem ipsius sacramenti: sicut si quis diceret *impendo tibi sacramentum baptismi*, non significaret, *baptizo te*, sed significaret actum impendendi sacramentum baptismi.

89 Ceterùm, vt dixi, hęc interpretatio est valdè obscura, neque explicat quis sit effectus formæ huius, neque quis sit germanus, & directus sensus formæ. Stante enim expositione ista D. Thomæ, forma ista, *absoluo te*, significaret directè collationem sacramenti, scilicet confero tibi sacramentum pœnitentiæ : at hoc est falsum, quia verba ista ex vi verborum non significant directè actum, & collationem sacramenti, sed significant effectum suum, scilicet abolitionem, & dissolutionem à vinculis peccati; licèt secundariò, & concomitanter significent etiam collationem sacramenti, siue actum sacerdotis, quo confert pęnitenti sacramentum. Et confirmatur : quia nulla forma sacramenti significat collationem, siue applicationem sui ipsius, vt cum dicimus, *baptizo te*, non significatur directè applicatio ipsius formæ ad subiectum, cui confertur baptismus; sed significatur effectus, scilicet ablutio animæ à peccato, & sic de alijs. Sacramenta enim nouæ legis significant id, quòd efficiunt, & efficiunt id quod significant. Reijcitur. 1. Ratio.

90 Pręterea hæc verba, *impendo tibi sacramentum absolutionis*, significant, *applico tibi sacramentum absolutionis*; applicatio autem sacramenti non potest fieri, nisi applicando materiam, & formam, ex quibus cõficitur sacramentum. At in proposito sacerdos nõ applicat materiam, quæ sunt peccata, & actus pęnitentis ipsi pęnitenti, sed supponit hos actus iam esse applicatos, & illis tanquàm materiæ adiungit formam; ergo non rectè dicitur formam hanc, *absoluo te*, significare applicationem sacramenti absolutionis. 2. Ratio.

91 Tertiò si hic est sensus illorum verborum, *absoluo te*, idest *impendo tibi sacramentum absolutionis*, ad veritatem huius formæ, non est necessarium, vt aliquis effectus per ipsam formam conferatur ipsi pęnitenti pręter sacramentum; saltem non habetur quisnam alius effectus illi conferatur pręter ipsum sacramentum : at hoc est directè contra significatum formæ : non enim verba illa significant actum ipsum sacramenti, sed effectionem remissionis peccatorum. Ideo hic modus dicendi est valdè obscurus, & valdè improprius. Soto verò, & alij Thomistæ explicant opinionem D. Thomæ, vt sit sensus, *impendo tibi sacramentum pœnitentiæ*, idest *quantum est in me, & per se attinet ad sacramentum pœnitentię, illud tibi impendo, quo si esses in peccatis absolueveris ab illis*; & subiungunt esse veram hanc formam: quia, & si peccata per contritionem dimissa sint: quia tamen contritio in voto includit sacramentum; tunc sacerdos, cum absoluit, complet, quod pęnitens in voto gerebat. Et sic tunc est vera illa forma, *absoluo te*, quia complet votum pęnitentis. Sed neque hæc expositio tollit difficultates superiùs contra eam tactas: semper enim stat, quòd illud non sit significatum directũ verborum formæ. Deindè in hoc sensu non habemus, quòd forma hæc, cum peccatum per contritionem est dimissum habeat aliquem effectum. Nam patet, quòd peccatum tunc per formam non dimittitur: quia iam per cõtritionem est dimissum. Quod verò ait per absolutionem compleri illud, quod erat in voto pęnitentis, hoc non facit vt forma dimittat peccata, sed solùm facit vt pęnitens obediat pręcepto de confitendo peccato sacerdoti, non quòd peccatum illud tunc verè dimittatur. 3. Ratio.

92 Remanet ergo opinio Scoti, quæ est verissima, & clarissima, quam omnes Thomistæ, & Recẽtiores in substantia recipiunt, & ad eam accommodant opinionem D. Thomæ : neque tamen Scotum nominant, sed ei opinionem longè diuersam à sua tribuunt. Nam Soto in 4. dist. 14. q. 1. a. 3. & Suarez disp. 19. sect. 2. inquiunt Scotum in hac quæst. 4. in responsione ad secundum principale dicere quòd cum peccatum est dimissum in pęnitẽte per contritionem; tunc sacerdos per formam hanc significat absolutionem à reatu pęnæ temporalis. At hæc non est germana opinio Scoti, hoc quidem dicit, sed aliud, Opin. Scoti verior, & cõmunior.

quod

quod adiunxit, tacent, scilicet quòd significat, & efficit augumentum gratiæ, si pęnitens iam est in gratia, & per cōtritionem peccata iam sunt deleta; & hic est verus, & proprius effectus absolutionis, vt nunc dicam.

93 Hęc ergo est germana sententia Scoti, vt est videre apud ipsum hac dist. 14. q. 4. ar. 3. duplex est via dimittendi peccata commissa post baptismum, sicut duplex est via dimittendi peccatum originale in adultis, & istæ duæ viæ sunt de lege Dei ordinaria. (Nam de potentia Dei absoluta alijs modis posset dimittere peccata; quia Deus non est alligatus sacramentis). Quòd autem Deus instituerit duas vias ad dimittenda peccata est maioris misericordiæ, quàm si vnam tantùm statuisset, & ad illam peccatorem arctasset. Istæ autem duæ viæ sunt hæ. Prima est vt peccator obtineat gratiā primam delentem peccata per bonum motum liberi arbitrij ex auxilio Dei disponētem ad illam de congruo. Secunda ex susceptione sacramenti. Sicut ergo adultus potest obtinere primam gratiam delētem peccatum originale his duabus vijs, scilicèt per bonū motum liberi arbitrij, idest per contritionem, & per sacramentum baptismi. Ità homo qui peccauit post susceptionem baptismi culpa mortali, & amisit gratiam, potest recuperare primam gratiam, & delere peccatum per bonū motum liberi arbitrij, qui est meritum de congruo, scilicet contritio. Et per susceptionem ipsius sacramenti pœnitentiæ, ad quam non requiritur necessariò contritio, sed sufficit attritio. Hoc declarat sic Scotus. In prima susceptione gratiæ, quæ est sine sacramēto, requiritur aliquod opus bonum, quod sit meritorium de congruo collationis gratiæ habitualis delentis peccatum mortale, quæ dicitur gratia pęnitentialis. Hoc opus bonum, & meritorium de congruo est detestatio peccati sub illis rationibus omnibus de quibus dixit Scotus suprà dist. ista 14. q. 2. a. 2. & de qua suprà egimus, & diximus, cum est motus, & detestatio perfectè circunstantionata, esse contritionem (licèt à Scoto appelletur attritio quatenus præcedit gratiæ habitualis collationem, quatenus verò ipsam subsequitur appelletur contritio.) Quam detestationem, & motum bonum diximus esse factum ex influentia cōmuni Dei, idest auxilio gratiæ Dei, vt suo loco ostendimus. In secunda susceptione gratiæ verò, scilicet per sacramentum non requiritur tale opus bonum sic meritorium de congruo, sed sufficit voluntas suscipiendi sacramentum, & sine fictione; hoc est cum intentione suscipiendi, quod confert Ecclesia, & sine actu, vel volūtare peccati mortalis: ita quòd tunc non se complaceat in peccato mortali, sed de illo habeat aliqualem displicētiam, vt dicit Scotus in responsione ad secundum principale. Vndè in prima susceptione requiritur aliquod opus intrinsecum aliquo modo acceptū tanquàm meritum de congruo, & cōmuniter dicitur contritio. In secunda solùm requiritur opus exterius cum ammotione interioris impedimēti, & aliqualis displicentia, & hæc dispositio dicitur attritio. Non solùm ergo contritus (qui à Scoto appellatur attritus propter rationem superiùs adductam) in vltimo instanti motus contritionis suscipit gratiam iustificantem per virtutem contritionis, sed etiam non habens talem motum perfectum, qui sit contritio, sed habens tantùm voluntatem suscipiendi sacramentum Ecclesiæ, & sine obice peccati mortalis actualiter sibi facto, vel inhærentis voluntati, & cum aliquali displicentia de peccato commisso in susceptione sacramenti recipit gratiam iustificantem, non ex merito de congruo; quia hęc dispositio interior nō erat sufficiens per modum meriti, sed ex pacto Dei assistentis sacramēto suo ad effectum illum, ad quem instituit sacramentum, scilicèt ad causandum gratiam in pęnitente eo modo disposito, quo dictum est.

Peccatū originale potest deleri, & per contritionē, & per baptismum.

94 Ex hoc apparet quis sit effectus proprius sacramenti pœnitentiæ: (& hoc idem est dicendum de sacramento baptismi respectu gratiæ baptismalis) est enim collatio gratiæ iustificantis, non quidem regenerantis, quæ datur in baptismo, sed reparantis spiritualiter, & delentis peccatum mortale, & veniale commissum post baptismum; & hic effectus est id, quod per formam huius sacramenti significatur. Et quòd hic sit effectus huius sacramenti probatur à Scoto: quia alioquin non appareret quomodo hoc sacramentum sit secunda tabula post naufragium. Si nunquàm per ipsum vt sacramentum est, posset recuperari secunda gratia amissa, sed tantùm per contritionem, vt est meritum præuium (quo in sensu Scotus appellat eam attritionem) & per contritionem ipsam informatam gratia, sinè sacramento (quo in sensu appellat eam Scotus contritionem, & dispositionem completiuam.) Hęc autē assertio patet, quia hoc sacramentum institutum est ad dimittendum peccata actualia post baptismum: peccatum autem mortale non dimittitur de facto sinè gratia; ergo productio gratiæ iustificantis est effectus proprius huius sacramenti.

Quis sit effectus proprius Sacramenti Pœnitentiæ.

95 Hinc etiam patet, quis sit effectus huius sacramenti, etiam quando peccatū est dimissum pęnitenti per contritionem, vel pęnitens habet tantùm peccata venialia: nam (vt ait Scotus in eadem quæstione in responsione ad secundum principale), tunc per sacramentum pęnitentiæ nō deletur peccatum, sed gratia, quæ infuit, augetur, quæ sunt verba formalia Scoti. Vlterius pręter augumentum gratiæ efficit omnia alia bona in anima pęnitentis, quæ ad gratiam cōsequuntur per se, vel ex institutione diuina, vt viuificatio meritorum, & alia, de quibus cum Scoto infrà distin. 22. etiam dimittit partem pęnarum temporalium, in quas pęna æterna commutata est, cum per contritionem culpa deleta est, vt ibidem ad secundum dicit Scotus: quas pęnas temporales potest sacerdos relaxare, vel intendere claue nō errante; si per contritionē non sint totaliter ablatæ, & tunc maius augumentum gratiæ confert. Tota autem pęna temporalis non semper remittitur virtute huius sacramenti: quia non fuit expediens, vt peccata post baptismum commissa tanta facilitate, & sinè iuxta vindicta remitterentur, vt docet Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 8.

Quis sit effectus eius quādo peccatū p cōtritionē est dimissum.

96 Tādem colligitur, quòd & si sensus verborum formæ sit absolutio à peccatis commissis: tamen quia absolutio à peccatis potest fieri sinè collatione gratiæ, & sacramentum pęnitētiæ est institutum ad causandum gratiam reparationis in anima, qua peccatum expellitur, & homo sanctificatur, potest dici quòd significat propriè sanctificationem animæ instrumentariam. Et hæc forma semper est vera, etiam si aliquando nō sequatur effectus propter indispositionem suscipientis, qui ponit obicem: quia hoc est proprium omnium sacramentorum vt efficiant, & cōferant gratiam quantùm est ex se, nisi suscipiens ponat obicem: ideo semper vera est. Et hoc sacramentum semper delet peccatum quantùm est ex se, si peccatum adsit; si verò non adsit non delet, sed confert augumentum gratiæ: ideò quòad hāc partem dimissionis peccati intelligitur sensus huius formæ aptitudinaliter, & idem dicēdum de pęna æterna. Respectu verò pęnę temporalis, quæ nō semper tota dimittitur habet veritatem: quia intelligitur forma de remissione pęnæ, iuxta dispositionem pęnitentis seruata lege diuinæ iustitiæ. Vndè quandoque tota pęna temporalis dimittitur propter maximam dispositionē pęnitentis, quandoque pars propter minorem dispositionem, quandoque vni multa pœna, & alteri parùm de pęna propter diuersas dispositiones.

Forma absolutionis semper est vera.

97 Duo hic dicta à Scoto impugnantur. Primū quòd dicat dari meritum de congruo respectu gratiæ habitualis, quam per cōtritionem obtinemus. Soto enim, & Vasquez, & alij contra hoc meritum valde insurgunt; sed de hac re fecimus disputationē particularē, An detur meritum de congruo, vbi opinionem Scoti satis suprà disp. 15. defendimus. Alterum est de dispositione præuia, quæ requiritur ad confessionem, & pęnitentiæ sacramentum, de qua re cap. sequenti.

Duo dicta hic à Scoto impugnantur ab aduersarijs.

An detur meritū de congruo.

98 Rursus hic est difficultas ex Soto in hoc 4. dist. 15. q. 1. art. 4. quia, vt patet ex dictis, & clarè docet Scotus in

hac

hac quæstione quarta in responsione ad secundum principale, explicando auctoritatem illam de Lazaro resuscitato priùs, deinde soluto à vinculis in iustificatione peccatoris seruatur. Hic ordo, prius dimittitur culpa, secundò pęna æterna commutatur in tēporalem, deindè ei dimittitur pęna temporalis tota, vel pars. At ex hoc elicitur falsum esse id, quod Scotus dixit suprà dist. 14. q. 1. de reatu. Dixit enim in peccatore post actum peccati manere non peccatum, sed reatum, & obligationem ad pęnam æternam. Hoc autem videtur esse falsum. Nam si priùs dimittitur culpa per absolutionem sacramētalem, deinde reatus pęnæ æternæ commutatur in temporalem, sequitur quòd in peccatore remanet culpa formalis post actū peccati, non autem tantùm reatus pœnæ æternæ; neque consequenter in absolutione sacramentali dimittitur tantùm pœna, siuè reatus pœnæ æternæ sed ipsa culpa: dimissio enim culpæ spectat ad amicitiam reconciliandam, sed satisfactio pœnæ pertinet ad iustitiam. Vndè etiam in seculari politia, ille, cui dimittitur iniuria, non propter hoc absoluitur à restitutione damni illati, sed tenetur ad illud secundùm rationem institiæ; ex quo sequitur, aliud esse dimissio iniuriæ, & aliud absolutio culpæ.

Opin. Scoti de reatu peccati impugnatur à Soto.

Defenditur Scotus.

99 Respondetur hanc obiectionem nullius esse momenti: quoniam Scotus, etsi vbi suprà dixerit in homine post actum peccati non remanere culpā: quia illa transit; neque hominem per carentiam gratię formaliter, & pręcisè dici peccatorem, sed propter peccatum actuale induci reatum ad pęnam æternam, per quem homo formaliter est peccator: tamen non exclusit omninò culpam pręteritam; sed dixit ipsam manere in virtute, quia obligatio ad pœnam æternam est propter relationem ad culpam præteritam: ideò cū peccator liberatur à peccato, liberatur à culpa, non quæ actu insit, sed ab obligatione ad pœnam æternam, cui propter culpam erat obligatus, & sic simùl per infusionem gratiæ fit amicus Dei, & soluitur à pęna æterna: quia non erat damnatus ad pœnam æternam, nisi propter culpam commissam: cum ergo peccator pœnitet de peccato acquirit simùl gratiam, & dimissionem pœnæ æternæ. Immò ex hoc habemus argumentum pro Scoto: quia non potest dimitti culpa (stante lege Dei ordinaria,) quin pęna æterna commutetur in temporalem. At si aliud esset dimittere culpam, & aliud cōmutare pęnam æternam in temporalem, posset alicui peccatori dimitti culpa, & tamē remanere obligatum ad pęnam æternam, quod est falsum. Sunt ergo eadem, & vnica mutatio realis solùm ratione diuersa dimissio culpæ, & commutatio pœnæ æternæ in temporalem. Ad argumentum autem Soto ductum ex exemplo politiæ secularis respondetur quòd non est simile: quia aliud est loqui de offensa facta personæ priuatæ, & aliud est loqui de offensa facta superiori, vt Principi, & Deo ratione transgressionis legum suarum. Nam in primo potest distingui reconciliatio ab actu satisfactionis damni illati: at in Principe respectu subditi non distinguuntur. Nam cum transgressor legis soluit pœnam impositam à lege, vel facit, quod lex iubet faciendum ad obtinendam veniam delicti, eo ipso actu odium Principis deficit, & gratiam, & amicitiam, prout esse potest inter Principem, & subditum, consequitur; neque requiritur alius actus diuersus in Principe, quo dimittat offensam, & quo recipiat transgressorem in gratiam, licèt secundùm nostrum modum considerandi hos actus distinguamus.

Ad primā rationē pro Magistro Sētētiarū.

100 Ad argumenta superiùs facta pro opinione Magistri, & aliarum opinionum contrariarum respondetur ad primam rationem ex auctoritate D. Hieronymi, quòd D. Hieronymus non vult intelligere ibi quòd sacerdos euangelicus non habeat verè auctoritatem ministerialem dimittendi culpam; sed solùm ibi damnat abusum auctoritatis sacerdotalis. Nam si quis sit ita prosumptuosus, vt putaret innocentem &, nullum habentem peccatū, posse ligare, idest damnare pœna æterna; vel hominem existentem actu in peccato, & nullam habentem dispositionem, sed ponentem obicem posse liberare, & soluere à peccato, hæc esset superbia, & ignorantia; & nihil faceret si attentaret: quia sacerdos non potest facere, quòd innocens sit peccator, & quòd peccator sit innocens: potest autem facere ex peccatore innocentem ab ipso culpam auferendo. Vndè ad probationem ex Leuitico patet, ex ea deduci tantùm, quòd sicut sacerdotes Mosayci non faciebant hominem habere lepram, & non habere; ita sacerdos Euangelicus non facit hominem habere peccatum, vel hominem non habere peccatum. Sed non deducitur ex eo loco, quòd sicut sacerdos Leuiticus ostendebat tantùm leprosos mundatos esse, ita Euangelicus ostendit tantùm peccatorem esse mundatum à peccatis. Vndè respondet Scotus, quòd affirmatiua hæc est vera. *Sicut sacerdos legalis ostendebat leprosos mundatos esse sic sacerdos Euangelicus ostendit peccatores iustificatos esse*; sed negatiua est falsa, scilicet *quod non aliter sacerdos Euangelicus se habeat ad leprosos spiritualiter, quàm sacerdos legalis ad leprosos corporaliter*, scilicet pręcisè ostendendo munditiam hinc indè; & ratio est, quia Deus in veteri lege non dedit aliquam cęremoniam, vel purificationem, cui ministratæ à ministro idoneo assistat regulariter ad mundandam lepram corporalem: dedit autem in lege noua aliquod sacramentum, cui ex pacto regulariter assistit ad mundandum spiritualiter, nisi impediat obex cōtrariæ voluntatis.

101 Ad auctoritatem verò Isaiæ respondetur non legi ibi, *solus Deus*, sed *ipse Deus*, & licèt diceret, *solus Deus*, non tamen excluderet ministrum; sicut solus Rex dicitur gubernare, licèt id faciat p ministros. Dicitur ergo quòd solus Deus remittit peccatum principaliter per propriam auctoritatem, sacerdos verò per ministerialiter.

Per idem respondetur ad auctoritates D. Ambrosij, & D. August. Nam D. Ambrosius eodem loco citato apertè se declarat, docens vtriusque ius soluendi, & ligandi concessum esse Ecclesiæ, & idem docet D. August. de vera, & falsa pœnitentia cap. 9. Ad illud de leproso, & Lazaro respondebitur, dum satisfaciemus nunc infrà secundo argumento principali huius quartæ quæstionis Scoti.

102 Ad secundum ex verbis Christi Domini ad Magdalenam, dantur multæ expositiones. Possumus dicere, quòd verba illa Christi Domini intelliguntur in eo sensu, in quo forma prolata à sacerdote super eum, cui per contritionem deleta sunt peccata, intelligitur vt sit sensus. *Confertur tibi gratia, per quam remittuntur tibi peccata tua, si non essent remissa*. Vel possumus dicere, quòd contritio Magdalenæ tunc temporis erat in termino, itaquòd prolatio illa verborum Christi, & dolor Madgalenæ de peccatis moraliter erāt simùl, & proindè potuit dicere verè remittūtur tibi peccata tua: quia simùl illa ei remittebātur.

103 Tandem ego dicerem, quòd non est par ratio de illis verbis Domini, & de verbis sacerdotis. Nam Christus Dominus non dimisit peccata Magdalenæ illis verbis. *Remittuntur tibi peccata tua*, sed pronuntiauit publicè dimissa: quia iam dixerat Phariseo, remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multùm; & deindè conuersus ad illam dixit. *Remittuntur tibi peccata tua*; idest *quia dilexisti multum tua peccata tibi dimissa sunt*. Et hoc fecit, vt ostenderet se cor Magdalenę intueri, & esse ex hoc filium Dei, & vt ostenderet se habere potestatem dimittēdi peccata hominibus. Sacerdos verò cum habet pœnitentem, in quo per contritionem non sunt deleta peccata, illa necessariò dimittit; neque potest pronuntiare dimissa. Vndè nō est par ratio de actu illo publico Saluatoris, & de actu isto sacramentali sacerdoti secreto.

104 Ad tertium respōdetur, quòd aliquem esse in peccatis, & accedere ad pœnitentiæ sacramentum contingit duobus modis. Vno modo quòd accedat ad sacramentum pœnitentiæ, & ponat obicem, idest se complaceat actu, vel voto in peccatis; & hic est incapax absolutionis à peccatis. Alio modo non ponens obicem, sed cum aliqua displicentia peccati, & denique cum attritione, vt suprà diximus, & huic peccata dimittuntur per sacramentum pœnitentiæ. *Ad tertiū.*

nitentiæ. Si etiam non habet actu peccatum, sed iam habuit, & per contritionem est illi dimissum, obtinet augumentum gratiæ, vt dictum est.

Primū argumentū principale Scoti soluitur.

105 Contra determinationem superiùs factam de effectu huius sacramenti sunt argumenta principalia huius quartæ quæstionis Scoti, quæ breuiter opus est adducere, & soluere. Primùm est auctoritas Cassiodori super illud Psalmi 31. *Dixi confitebor iniustitiam meam Domino.* vbi ait *magna pietas Dei, quòd ad solam promissionem peccatū dimittit: votum enim pro operatione iudicatur.* Et D. Aug. ibidem *nondum pronuntiat, se promittit pronuntiaturum, & Deus dimittit.* Ex his duabus auctoritatibus habetur, quòd Deus dimittit peccatū antequàm sacerdos pronuntiet absolutionem; ergo sacerdos dum absoluit non dimittit peccatum, sed ostendit dimissum.

Solutio.

106 Respondet Scotus, quòd frequenter peccatum dimittitur per contritionem: (quam Scotus appellat ibi attritionem propter rationem superiùs adductam,) non tamen sequitur, quod etiam per absolutionem sacramentalem non dimittatur; quia si dimissio per contritionem desit, dimissio peccati per absolutionem sacramentalem nō deest; & minùs requirit, scilicet solam attritionem.

Secunda ratio principali Scoti.

107 Secunda ratio Scoti est auctoritas D. Aug. super illud Ioan. 11. de suscitatione Lazari, vbi ait, quòd nemo potest confiteri, nisi prius suscitatus à peccato, quod probat tripliciter. Primò per suscitationem Lazari, qui priùs suscitatus est, quàm de monumento sit eductus. Secundò per illud Ecclesiastici 17. *A mortuo velut, qui non est, perijt confessio.* Tertiò per illud Psalmi. *Nunquid mortui suscitabunt, & confitebuntur tibi?* Ex omnibus his colligitur, quòd qui existit in peccato, & est mortuus, non potest cōfiteri, & pœnitere; ergo necesse est, quòd ille, qui agit pœnitentiam, sit suscitatus à peccato, & consequenter peccatū eius per absolutionem sacramentalem illi non dimititur, sed est iam illi dimissum.

Solutio Scoti.

108 Respondet Scotus, quòd duplex est confessio, scilicet laudis, & fraudis: cōfessio laudis est gratiarum actio: confessio fraudis est accusatio suorum peccatorum. Prima secūdùm D. Hieronymum in illa epistola, *Cogitis me.* Non dignè fit ab existentibus in peccato, sed à iustificatis: quia *non est speciosa laus in ore peccatoris*: ideò gratiarum actio in peccatore volente manere in peccato non est grata Deo. Confessio verò fraudis in ore peccatoris, eo modo, quo dictum est manere peccatum post actum peccati, scilicèt dummodo non sit peccator in voto seù actu interiori, vel exteriori, est digna, & accepta Deo. Ad propositum concedit Scotus quòd peccator quilibet ante susceptionem sacramenti debet suscitari à peccato; sed hæc suscitatio potest esse duplex: vel enim est suscitatio simpliciter, ita quòd peccatum deletur per contritionem: & tunc per sacramentum non deletur peccatum, sed gratia, quæ infuit, augetur. Vel est suscitatio secundùm quid scilicet: quia non habet contritionem perfectam, sed attritionem cum voluntate suscipiendi sacramentum, & proposito de cætero non peccandi, vt dictum est suprà: & tunc peccatū per sacramentum dimititur. Vbi notat Scotus, quòd etsi peccatum per contritionem sit dimissum; tamen est necessarium sacramentum pœnitentiæ, sicut habenti baptismum flaminis est necessarius baptismus fluminis. Quia contritio includit in voto sacramentum pœnitentiæ, sicut baptismus flaminis includit in voto baptismum fluminis, & per hoc patet ad duas posteriores probationes: concludunt enim peccatorem debere priùs suscitari, quod conceditur, sed cum prędicta distinctione.

Habēti cōtritionē necessariū est sacramētū pœnitētię.

109 Ad primam verò probationem de Lazaro, quæ indigere videtur particulari consideratione, respondet Scotus, quòd Lazarus suscitatus à Christo, & à vinculis solutus ab Apostolis, significat peccatorem, qui propter peccatum mortale est reus pœnæ æternæ, quæ soluitur, & cōmutatur in pœnam temporalem. Peccator ergo solutus à prima per contritionem à Deo, remanet ligatus pœna tēporali, à qua solui debet à sacerdote dimittendo illi pœnam temporalem totam, vel partem iuxta dispositionem ipsius, ex claue non errante, vt suprà dictum est: at si pęna æterna priùs nō est missa à Deo per contritionem, dimittitur à sacerdote per sacramentum, &c.

Argumentum vltimum principale Scoti iam solutum est: est enim primum argumentum adductum pro opinione Magistri.

Quæ dispositio requiratur in suscipiente sacramentum pœnitentiæ. Caput Sextum.

110 Diximus superiori cap. ex Scoto, quæ dispositio requiratur ad suscipientem sacramentum pęnitentiæ; nihilominus, quia hic sunt diuersæ sententiæ, & Scoto falsa opinio ab aliquibus tribuitur, videndæ sunt aliorum opiniones, & reijciendæ, ac opinio Scoti est magis confirmanda.

111 Prima ergo opinio est eorū, qui tenēt ad sacramētum pœnitentiæ in suscipiente esse necessariam contritionem veram, & perfectam, nec sufficere putatam cōtritionem, quam sequuntur Magister Sent. dist. 18. D. Bonau. ibidem a. 2. q. 1. Alensis 4. p. q. 21. memb. 1. & 2. & in eandem citantur pręsertim Gabriel Biel 4. dist. 14. q. 2. nu. 2. Maior eisdem locis. Medina tractatu 2. de confessione. Petrus Soto lect. 7. de pœnitentia, & alij. Prima ratio pro hac opinione est. Lex gratiæ nō destruit naturam, sed perficit: at contritio, quæ est actus perfectus virtutis pœnitentiæ ex lege naturæ est necessaria; ergo per legem Euangelicam statuentem per sacramentum pœnitentiæ dimitti peccatum non est ablatum: hoc medium necessarium cōtritionis, sed illud necessariò requiritur. Minor patet: quia Sacra scriptura hanc pœnitentiam postulat, vt necessariam, & ex sacro Concilio Tridentino fuit omni tempore necessaria.

Prima opinio quod requiratur cōtritio.

1. Ratio.

112 Secūdò, qui semèl peccauit mortaliter, dilexit creaturam plusquā Deum; ergo donec mutetur, ita quòd auertatur à creatura, & diligat Deum super omnia, non potest esse capax gratiæ: hæc autem mutatio, & conuersio est contritio; ergo.

2. Ratio.

113 Hæc opinio est omninò falsa, & maximè post Cōcilium Tridentinum, quod sess. 14. cap. 4. determinat attritionem se sola quidem non sufficere ad delendum peccatum, sed simùl cum sacramento disponere ad recipiendam gratiam iustificationis. Ratio verò est ea, quam Scotus adduxit superiori cap. quia sacramentum pœnitentiæ est sacramentum nouæ legis, quod confert gratiam ex opere operato; ac si semper requireretur contritio, numquā sacramentum ex opere operato dimitteret peccatum, nec conferret gratiam; ergo dicendum est, non esse necessariam contritionem ad suscipiendum sacramentum pęnitentiæ, sed sufficere attritionem veram, vt diximus suprà agendo de attritione.

Reijcitur.

114 Secunda opinio est quorundam aliorum, qui dicunt contritionem esse quidem necessariam, vt licitè suscipiatur hoc sacramentum, & effectus eius: tamen subiungunt non esse semper necessarium, vt contritio ipsa pręcedat in suscipiente sacramentum, sed si suscipiens non habeat contritionem, sed attritionem, ipsum sacramentum perficit attritionem; vel illam mutando in contritionem: vel faciendo, vt homo ille ex attritione transeat ad contritionem, quæ opinio est Henrici quol. 1. q. 32. Caietani 3. p. q. 84. art. 1. Ferrariensis 4. contra Gentiles cap. 72. & aliorum quorundam.

2. Opinio.

115 Hæc opinio innititur eisdem fundamētis quibus sententia nunc super adducta. Cęterum eisdem quoque rationibus, quibus pręcedens reijcitur. Falsum est enim, quòd sola attritione nulla existēte contritione, per sacramentum homo non possit iustificari; sed falsa est quoque hæc opinio in eo, quod ait attritionem fieri contritionem virtute sacramenti: attritio enim, quæ est dolor de peccato propter gæhenam, vel propter turpitudinem peccati, non potest fieri contritio: quia est actus omninò diuersus

Fundamēta huius opinionis.

Reijcitur 1. ratio.

specie

specie à contritione, vt ostendimus suprà agendo de attritione. Etiam falsum est primum membrum, quòd sacramentum faciat motum, qui est attritio, contritionem. Falsum est etiam secundum membrum, scilicet quòd sacramentum faciat pęnitentem transire ex attritione ad motum contritionis ipsum disponendo, & excitando. Quoniam ex Sacra scriptura, & ex Concilijs pręsertim Tridentino, vbi suprà, non habemus hoc sacramentum causare bonum motum in nobis, qui sit contritio, sed causare gratiam, & pręrequirere dispositionem, quæ est attritio, vel contritio. Ideo sinè fundamento dicitur, quòd sacramentum faciat hominem transire à motu attritionis, ad contritionis motum.

2. Ratio. 116 Pręterea Concilium non dicit attritionem disponere ad contritionem; sed ad gratiam iustificantem. Tandem dist. 26. q. 6. referuntur multa Decreta in quibus decernitur salutem peccatoris interdum pendere ex absolutione sacerdotis re ipsa exhibita: ideoque sacerdotem, qui eam indiscretè negat homini existenti in estrema necessitate, vel negligentem in subueniendo illi per absolutionem sæpe posse esse causam damnationis eius; ergo signum est, quòd simplex attritio valet cum sacramento, quæ sinè sacramento non valeret: at contritio sinè sacramento delet peccatum; ergo non est necessaria semper contritio.

3. Opinio. 117 Tertia opinio asserit attritionem esse quidem sufficientem sinè contritione, tamen ait esse necessarium, vt homo accedens ad sacramentum pœnitentiæ putet se habere contritionem: alioquin si habeat solam attritionem, & cognoscat se habere attritionem solam, quam cognoscit non esse contritionem, peccat mortaliter: existente autem bona fide, quòd habeat contritionem, sufficit ad suscipiendum dignè sacramentum pœnitentiæ. Hæc est opinio Soto lib. 2. de natura, & gratia cap. 15. & in 4. dist. 18. q. 3. a. 2. in responsione ad secundum argumentum, quam nonnulli ex Recentioribus sequuti sunt, vt Nauarrus in Manuali cap. 1. n. 30. Corduba lib. 1. Quæst. Theol. q. 2. opin. tertia, & quarta.

1. Ratio. Fundamentum huius opinionis est: quia videtur esse pręceptum, quòd homo accedat ad hoc sacramētum cōtritus. Si ergo aliquis sciens se non esse contritum accedat ad hoc sacramentum, peccat mortaliter contra hoc pręceptum. Antecedens probatur. Nam possumus dicere hic esse pręceptum naturale de agendo pœnitentia, quod pertinet ad pœnitentiam virtutem, quod quidem pręceptum per institutionem huius sacramenti, non est abrogatum: vel possumus dicere hic esse pręceptum naturale, quo tenemur sancta sanctè tractare: vel denique, quod adsit pręceptum speciale pertinens ad hoc sacramentum, quod probatur, quia hic adest pręceptum, vt peccator peccata sua confiteatur exteriùs Confessori quatenus est offēsa Dei: confessio autem exterior debet esse proportionata confessioni interiori; ergo confessio interior, quæ est dispositio ad confessionem exteriorem, & sacramentum, debet quoque esse de peccatis, quatenus sunt offensa Dei. Cum ergo adsit pręceptum de contritione habenda, non potest quis sciēs se habere attritionem solam dignè accedere ad hoc sacramētum. Si autem ignoret se habere attritionem, sed putet se habere contritionem, excusatur à peccato propter ignorantiam inuincibilem. Quòd autem attritio ista putata contritio sufficiat, probatur; eo, quia virtute sacramenti peccator ex attrito fit contritus, vt dicebat secunda opinio pręmissa: non quia motus attritionis fiat contritio, sed quia homo, ex attritione transit ad contritionem, ex mutatione facta à sacramento.

2. Ratio. 118 Secundò, quia attritio non est vera detestatio offensæ diuinæ; ergo ipsa non potest esse sufficiens dispositio

3. Ratio. tio ad iustitiam, & gratiam si sit cognita. Tertiò, peccatum mortale, ad quod delendum est institutum hoc sacramentum, est auersio volūtaria à Deo; ergo per se requirit perfectā conuersionem in Deum; ergo qui voluntariè omit-

4. Ratio. tit illam conuersionem non potest dignè accedere. Quartò, sequeretur posse hominem esse certum de remissione suorum peccatorum. Consequens est falsum, quia nemo scit an odio, vel amore dignus sit. Consequentia probatur, quia experientia manifesta quis potest cognoscere se esse attritum ex se; ex parte autem sacramenti effectus est certus; ergo sequitur cum certo scire se esse in gratia, & obtinere veniam.

119 Hæc opinio reijcitur à Suarez disp. 20. sect. 11. assertione 3. & mihi quoque videtur iurè reijcienda esse. Reijcitur.

Nam ex Concilio Tridentino habemus, quòd accedens ad sacramentum cum attritione, quæ est pœnitentia imperfecta, & est detestatio peccati propter timorem gæhennæ, vel turpitudinem peccati, est sufficienter dispositus ad dignè suscipiendum sacramentum pœnitentiæ: at hanc attritionem esse distinctam à contritione vnusquisque cognoscit; ergo habens talem attritionem, & noscens se habere talem attritionem, non autem habere contritionem, erit sufficienter dispositus ad suscipiendam gratiam per sacramentum, vel est dicendum quòd doctrina Concilij est insufficiens, vel falsa, vel inducens in errorem. Nam aliquis intelligens è Concilio quòd sufficit illa attritio, posset non curare laborare, vt eam induceret ad statum contritionis quantùm est ex se; & sic peccaret accedendo ad sacramentum, & fructum illius non consequeretur. 1. Ratio.

120 Prætereà iam notum est ex praxi Ecclesiæ, vt dicebat Scotus, duplicem esse viam dimittendi peccatum mortale commissum post Baptismum, scilicet per pęnitentiam virtutem, quæ est contritio, & per sacramentum pœnitentiæ; ergo vna sufficit sinè altera; ergo ad sacramentum pœnitentiæ dignè suscipiendum non est necessarium vt suscipiens putet se habere contritionem: quia tunc cogeretur ignorare quòd sacramentum pęnitentiæ esset medium diuersum dimittendi peccatum à contritione, quod est absurdum. 2. Ratio.

121 Pręterea pęnitens esset in continua perturbatione, semper enim dubitare cogeretur, an haberet veram contritionem, & consequenter, an esset benè dispositus ad sacramentum suscipiendum, & si cum hoc dubio accederet ad sacramentum, se exponeret periculo peccati mortalis: quia contra conscientiam ageret, quòd autem cogeretur habere hāc dubitationē, probatur, quia nemo potest certò scire, nisi habeat ex reuelatione an sit verè contritus. 3. Ratio.

122 Tandem opinio illa innititur falso fundamento, scilicet quòd adsit aliquod præceptum, quo quis teneatur accedere ad sacramentum pęnitentiæ cum contritione. Nam, vt inquit Suarez, si hoc præceptum adest, vel illud consequitur ex natura rei ad institutionem sacramenti pęnitentiæ, vel specialiter est additum à Christo Domino, vel ab Ecclesia. Non ab Ecclesia, quia Ecclesia non potest facere præceptum de his, quæ pertinent ad mētem, & interna sunt. Non à Christo Domino, quia neque ex scriptura, neque ex traditione, neque ex aliquo Ecclesiastico decreto tale præceptum ostendi potest. Nam ex his omnibus habemus solam pęnitentiam interiorem esse necessariam. At secundùm Concilium Tridentinum pęnitentiæ actus est duplex, contritio, & attritio; ergo vnus sinè altero sufficit. Neque consequitur ex natura rei ad institutionem huius sacramenti, quoniam hoc sacramentū est institutum ad suscitandum eos, qui sunt in peccato mortali; ergo ex natura sua non requirit talem dispositionem, quæ peccatum mortale destruxerit, sed talem, quæ sufficiat, vt sacramentum ipsum mortem peccati repellat. Sufficit ergo ad hoc vt quis dignè, & sanctè hoc sacramentum tractet, accedat animo suscipiendi sacramentum pęnitentiæ cum aliqua displicētia peccatorum pręteritorum, & cum proposito abstinendi in posterum. 4. Ratio.

123 Vltimò eadem est ratio de sacramento baptismi, & pœnitentiæ; at certissimum est, quòd ad suscipiendum baptismum non requiritur contritio; ergo. Minor est certa. Maior probatur, quia etiam pęnitentia requiritur ad suscipiendum baptismum, iuxta illud Actorum 2. *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum*; ergo 5. Ratio.

per

per pœnitentiam, quæ est necessaria ad sacramentum, intelligitur attritio.

Quarta opinio, q falsò tribuit Scoto.

124 Quarta opinio est in alio extremo. Asserit enim nullam formalem penitentiam, seu detestationem peccati esse necessariam ad sacramentum penitentiæ dignè suscipiendum, sed sufficere, vt nullo actu formaliter, vel virtualiter adhæreat peccato, & habeat voluntatem confitendi, & accipiendi sacramentum, & hæc opinio tribuitur Scoto, quia in hoc 4. dist. 14. q. 4. a. 3. circa medium videtur hanc doctrinam tradere de dispositione tàm ad sacramentum penitentiæ quàm baptismi, vt suprà vidimus: & propter hoc Syluester in summa verbo, *Confessio* 1. q. 21. hanc opinionem tribuit Scoto, & eam sequitur. Tamen re uera Scotus ampliùs quid requirit præter illa tria, scilicet aliqualem displicentiam de peccato commisso: vndè in eadem q. 4. in responsione ad secundum principale, dicit ante receptionem dignam sacramenti penitētiæ oportere, vt peccator suscitetur, vel simpliciter, quod fit per contritionem, vel secundùm quid, quod fit per *aliqualem displicentiam de peccato*, quæ est attritio, & idem docuerat in eadem dist. 14. q. 2. art. 2. dum dixit detestationem peccati esse duplicem; aliam quæ est perfecta, & cum omnibus circunstantijs, & hæc est contritio; aliam quæ est imperfecta, & caret aliqua, vel aliquibus circunstantijs debitis, & hæc est attritio, vt diximus suprà tractando de attritione.

125 Cum autem dixit a. illo 3. ad dignè suscipiendum sacramentum pœnitentiæ sufficere, vt non actu, nec virtualiter adhæreat peccato, & quòd habeat voluntatem suscipiendi sacramentum, & abstinendi à peccato, nec requiri aliquod opus internum, non voluit negare absolutè aliquod opus internum requiri, scilicet dolorē aliquem internum; sed hoc dixit in comparatione ad contritionem, quæ est meritum de congruo gratiæ habitualis iustificantis. Vndè hoc idem est ac si dixisset ad susceptionem sacramenti penitentiæ nō requiritur aliquod opus meritorium de congruo, vt est contritio: non tamen propter hoc sequitur, quòd non requiratur aliquod opus internum, quod non sit sufficiens meritum de congruo, sed insufficiens ex se, sufficiens tamen cum sacramento, cuiusmodi est attritio.

Reijcitur.

126 Illa ergo opinio est falsa, & secundùm aliquos temeraria: quia est contra communem sententiam Theologorum, & contra Concilium Tridentinum ses. 14. cap. 4. vbi in fine dicitur, quòd *quidam falsò calumniantur catholicos scriptores, quasi tradiderint sacramentum pœnitentiæ absque bono motu suscipientium gratiam conferre, quòd nunquam Ecclesia Dei docuit, nec sensit.*

117 Fundamentalis autem ratio est, quia, vt diximus supra cum Scoto dist. 14. q. 1. art. 3. peccatum non dimittitur nisi per penitentiam, siuè per penam voluntariam: penitentia autem vt dixit in eadem dist. 14. q. 2. art. 2. est duplex perfecta, & imperfecta: perfecta est contritio, quę ex se est sufficiens dispositio meritoria de congruo ad consequendam gratiam: imperfecta verò, quæ est attritio, non est ex se sufficiens, sed cum sacramento pœnitentiæ: ideò hæc est necessaria.

Quinta opinio, quæ est vera.

128 Ex confutatione istarum opinionum sequitur esse veram quintam opinionem, scilicet ad dignè suscipiendum sacramentum sufficere attritionem veram, quæ attritio christiana dicitur, siue illa sit cognita, siue nō: quæ sententia est Scoti in hac q. 4. vt visum est suprà. D. Tho. 3. p. q. 80. a. 4. ad secundum, vbi ponit discrimen inter Baptismum, & Pœnitentiam ex vna parte, & Eucharistiam ex alia parte, penes hoc: quia Baptismus, & Penitētia sunt quasi medicinæ purgatiuę quædam, scilicet ad tollendum febrem peccati, Eucharistia verò est medicina confortatiua, quæ non datur nisi liberatis à peccato. Idem habet posteà ex professo in 4. dist. 17. q. 3. art. 5. q. 1. & alibi. Capreolus dist. 17. q. 8. art. 3. ad 4. Durandi, D. Anton. 3. p. titulo 14. cap. 19. §. 5. Ruardus Taper art. 3. non longè à principio. Melchior Cano relectione de pœnitentia p. 5. ad secundum. Suarez disp. 20. sect. 1. qui alios citat. Cum dicimus autem esse necessariam attritionem veram, quæ est attritio christiana, consequenter etiam dicimus ad dignè suscipiendum necessarias esse conditiones, quæ ad attritionem veram constituendam requiruntur, de quibus egimus suprà agentes de attritione. Scotus autem in hác quæst. 4. art. 3. & in responsione ad secundum posuit quatuor conditiones, quæ omnès alias includunt. Prima est, quòd nec actu, nec voto, siue virtute adhereat peccato mortale. Secunda, quòd habeat intentionem suscipiendi hoc sacramentum. Tertia, quòd habeat propositum efficax abstinendi de cætero à peccato. Quarta, quòd de peccato commisso habeat aliqualem displicentiam, quæ displicentia est attritio, quæ cum omnibus circunstantijs est vera attritio, & attritio christiana: vndè suprà agentes de attritione diximus, omnes has conditiones illi competere. Ex his aliorum opiniones, quæ à nostra differunt facilè confutantur. Vndè sequuntur ex hac sententia, quæ est vera, quædam corrolaria.

129 Primum corrolarium est. Cum sufficiat, & necessaria sit attritio vera ad dignè suscipiendum hoc sacramētum, consequenter sequitur attritiones illas, quæ non sunt vera attritio non sufficere. Et sic primò sequitur falsam esse opinionem illorum, qui asserunt non esse necessariam veram attritionem, sed sufficere attritionem non veram, putatam tamen inculpabiliter, & probabiliter esse veram attritionem. Quam opinionem Suarez disp. 20. sect. 2. nu. 2. tribuit Cano delectione de penitentia par. 5. & Veghæ lib. 13. in Concilium Tridentinum cap. 34. quorum fundamentum esse ait, quia in tali casu pœnitens non ponit obicem peccati mortalis, sequitur inquam falsam esse hác opinionem, ratio est, quia attritio, quæ non est vera attritio, non est medium, & dispositio ordinata à Deo ad dignè suscipiendum hoc sacramentum: ideò cum non sit medium sufficiens ad hoc sacramentum suscipiēdum dignè nihil iuuat, nec valet existimare quòd sit attritio vera; quia existimatio illa facere potest, vt suscipiens non committat nouum peccatum, non tamen potest facere, quòd illa attritio sit vera attritio, & sufficiat ad dignè suscipiendum hoc sacramentum, sicut Gentilis putans se rectè credere excusatur à peccato infidelitatis, non tamē existimatio illa facit vt habeat veram fidem, quæ est medium ordinarium ad salutem, nec ideò saluatur.Ptereà attritio non vera, putata tamen vera attritio, non est donum Spiritus sancti, quia nō est vera attritio; ergo, & propter multas alias rationes, quas adducit Suarez disp. illa 20. sect. 2. Vndè si quis accederet ad hoc sacramentum cum displicentia de peccato propter aliquod incommodum humanum, neque cum proposito abstinendi à peccatis in posterum, & ille existimaret, se dolere propter Deum, & habere propositum abstinendi in posterum, hæc attritio non sufficeret ad consequendam gratiam per hoc sacramentum propter rationes adductas.

Primū corrolarium.

150 Cęterùm ego puto impossibile esse moraliter dari talem casum, quòd quis inculpabiliter, & probabiliter existimet se habere propositum abstinendi à peccato, & tamen illum non habeat, & consequenter puto esse impossibile, quòd aliquis cognoscens, quæ sit vera attritio, & habens attritionem non veram, possit existimare se habere attritionem veram: ratio est, quia nihil est magis nobis notum, quàm voluntas nostra, & nostra conscientia. Cum ergo voluntas circa quodcunque volibile se possit tripliciter habere, vel .n. vult illud efficaciter, vel inefficaciter, vel neutro modo se habet, optimè vnusquisque scit discernere, quando aliquem istorum actuū habeat; si ergo aliquis vult efficaciter derelinquere peccatum, cognoscit se habere voluntatem absolutam, & determinatam circa hoc volitum: si autem vult inefficaciter, & habet velleitatem, vt si quis vellet quidem dimittere meretricem, quia dubitat damnari propter tale peccatum, tamen allectus ex voluptate non determinat dimittere, sed actu perseuerat, optimè cognoscit se non ha-

bere

bere propositum, & voluntatem efficacē dimittendi peccatum fornicationis: sicut qui est in naufragio, vellet seruare merces, tamen, quia timet periculum vitæ, non seruat merces, sed proijcit, hic optimè cognoscit, quòd habet actum inefficacem seruandi merces, voluntatem efficacem verò proijciendi: optimè etiam cognoscit vnusquisque quando se habet, neutro modo circa aliquod peccatum: vt putà, vellet, & nollet respectu diuersorum relinquere, & non relinquere peccatum: propter timorem inferni, vellet dimittere, propter delectationem præsentē, nollet dimittere, & sic manet perplexus. Ad hoc autem, vt dignè percipiat sacramentum debet efficaciter nolle peccare, si autem vult inefficaciter, vel est perplexus, non est dignè dispositus quia non habet veram attritionem: ideò puto, non posse dari casum, in quo aliquis accedens ad sacramentum pœnitentiæ inculpabiliter, & probabiliter putet se nolle in posterū peccare, & re vera non velit efficaciter non peccare, sed manere in peccato. Cū enim aliquis facit, quod in se est, vt habeat veram attritionem, & iudicat ipse probabiliter se habere propositum efficax abstinendi à peccato, necessariò sequitur, vt habeat propositum efficax, & illa sit vera attritio: & confirmatur, quia si in tali casu hic non habet attritionem veram, nemo unquam probabiliter poterit iudicare se habere attritionem veram. Ideò ex hac parte iudico non posse dari statum medium, in quo quis accedens ad sacramentū nec iustificetur, nec peccat. Quoniam, vel accedit cū vera attritione, & iustificatur, vel cum attritione non vera, & peccat: nec aliqua ignorantia eum excusare potest, quia tenetur scire ea, quæ sunt necessaria ad salutem, & præsertim ad hoc sacramentum dignè suscipiendum, quod est secunda tabula post naufragium. Neque de hac re dari potest ignorantia inuincibilis, quia vt dictum est, qui cognoscit hoc sacramentum esse necessarium ad salutem, & ad illud requiri attritionem veram, & scit, quæ sit attritio vera, & quæ non, non potest ignorare de dolore, quem habet, an sit vera attritio, vel non.

Non datur status medius in susceptione sacramēti pœnitentiæ.

Secundum corrolariū.

131 Secundò, sequitur attritionem naturalem, quam Soto in 4. dist. 18. quæst. 3. art. 3. tradit non esse sufficientem dispositionem ad suscipiendum hoc sacramentum: quia illa non est vera attritio, vt diximus suprà agendo de attritione.

Tertiū corrolarium.

132 Tertiò, sequitur attritionem debere esse de omnibus peccatis: quia non debemus petere dimidiam veniam à Deo, sed debet esse integra omnium, sicut contritio, vt diximus suprà agendo de contritione: non tamen requiritur cogitatio, & attritio ita in particulari, vt de vnoquoque peccato distinctè debeat haberi; sed debeat dolere de his, quæ occurrunt actu, & de alijs virtualiter, idest si occurrerent. Vndè si quis ex naturali obliuione, vel ex inconsiderantia naturali de aliquo peccato non habeat attritionem, adhuc de illo obtinet veniam per absolutionem sacramentalem, sicuti dicebamus suprà per contritionem dimitti etiam illa peccata, de quibus actu nulla habebatur cogitatio, nec contritio particularis, quæ est opinio verior, vt suprà in materia de contritione dictum est.

Suarez reijcitur.

133 Ex quo sequitur falsum esse, quod ait Suarez disputat. 20. de pœnitent. sect. 5. num. 15. nimirum dari statum medium, in quo accedens ad sacramentum pœnitentiæ, nec iustificetur, nec peccet: nimirum si quis careat attritione alicuius peccati ex naturali obliuione: tūc enim ait nec iustificari, nec tamen peccare. At falsum est, non iustificari tunc: quia non est necessaria detestatio peccati cuiusque in particulari, vt suprà in materia de contritione dictum, & probatum est: & ipsemet Suarez illa disp. 14. sect. 6. assertione 3. & disput. 20. sect. 4. num. 23. & sequentibus fassus est. Vndè apertè sibi contradicit, nec potest dici in attritione esse necessariam recogitationem omnium peccatorum: quia illa ordinatur ad confessionem, in qua omnia, & singula peccata recogitari, & confiteri necesse est, quia peccata naturaliter oblita nō impediunt integritatem confessionis, nec faciunt illam inualidam, cum facta est debita diligentia, vt suo loco dicam: ideò si obliuio naturalis excusat, nec impedit effectum sacramenti, neque etiam carentia attritionis illius peccati in particulari impediat efficaciter sacramentum.

Quartū corrolarium.

134 Quartò, sequitur ad hoc sacramentum suscipiendum requiri voluntatem suscipiendi sacramentum, quæ voluntas est adeò necessaria, vt sinè illa confessio, & absolutio sit nulla. Per hanc enim pœnitens se subijcit ipsi sacerdoti tanquam iudici, & applicatur materia formæ, qua applicatione iurisdictio sacerdotis super pœnitentem quodam modo completur, & hāc voluntatem aliqui Doctores iudicant esse ita necessariam, vt dicant necessariò debere esse determinatam ad personam particularem, ita vt, si contingat confessorem decipere pœnitentem fingēdo se se alium, cui pœnitens se subijcere existimat, confessio sit nulla: quod sentiunt Richardus in 4. dist. 21. art. 4. quæst. 3. Durandus eadem dist. quæst. 3. Adrianus in materia de confessione dubio penultimo. Quæ sententia est vera, si pœnitens ita determinaret se subijcere vni determinato confessori, quòd nollet absolutè alteri confiteri. Ratio est, quia hoc iudicium non est coactum, sed voluntarium: at tunc pœnitens tali confessori non se subijceret voluntariè, sed coactè; ergo non absolueret, vt iudex: & sic confessio est nulla: quando tamen pœnitens, qui confitetur huic sacerdoti, cui est præsens, vult confiteri absolutè, licèt putet esse, e.g. Petrum, & non sit, est valida confessio.

Solet autem dubitari, an hæc voluntas debeat esse propter finem bonum, & honestum, itaquòd si sit propter aliquem finem non honestum, vt propter vanam gloriā, hæc voluntas non sit sufficiens ad sacramentum dignè suscipiendum. Aliqui dicunt, quòd non, vt Syluester verbo, *Confessio* 1. quæst. 7. & quidam alij. Soto dist. 18. quæst. 3. art. 3. circa finem. Nauarrus in Man. cap. 21. num. 40. tenent oppositum. Dicendum est, quòd si finis, propter quem voluntas vult suscipere sacramentū pœnitentiæ, sit peccatum mortale, proculdubio non est sufficiens: quia actu peccat, & ponit obicem peccati mortalis: si verò finis non sit peccatum mortale, non peccat, & est valida. Vana gloria autem, commodum temporalem, & similia non semper sunt peccatum mortale, vt si sit leuis affectus, nec vltimò sistat in illo tanquam in fine præcisè vltimo.

Quintum corrolariū.

135 Quintò requiritur tandem voluntas efficax de cætero abstinēdi à peccato, neque enim sufficit volitio inefficax, vt suprà diximus: quia cum illa stat voluntas efficax peccandi de cætero. Qui enim vellet non proijcere merces si posset saluare vitam, & actu proijcit merces, habet voluntatem inefficacem non proijciendi merces, & habet simul voluntatem efficacem contrariam, scilicet proijciendi merces: ita si quis habeat velleitatem, siuè voluntatem inefficacem dimittendi peccatum, habet simul voluntatem efficacem peccandi de cætero, & sic ponit obicem peccati mortalis, propter quod non est rectè dispositus ad suscipiendum sacramentū, & propter alias rationes, quas suprà adduximus agendo de attritione: certum est enim secundùm omnes attritionem veram esse sufficientem dispositionem ad sacramentum hoc suscipiendum: ad attritionem autem veram illa quatuor requiruntur, quæ Scotus adduxit in hac quæst. 4. art. 3. & in responsione ad secundum principale, vt suprà diximus: quorum primum est, quòd nec actu, nec voto voluntate adhæreat peccato mortali: secundò, quòd habeat voluntatem suscipiendi sacramentum: tertiò, quòd habeat aliqualem displicentiam de peccato commisso, quæ displicentia est attritio: quartò, quod habeat propositum efficax dimittendi peccatum, & abstinendi de cætero, quæ omnia ex supra dictis patent.

Epilogus ex Scoto eorū, quæ ad dignè suscipiendū sacramētū pœnitentiæ requiruntur.

DE

DE CONFESSIONE.

DISTINCTIO XVII.

Quæstio Vnica.

DISPVTATIO XXII.

Vtrùm confessio sacramentalis sit necessaria.

An confessio sit necessaria ex præcepto legis naturæ. Caput Primum.

1 OGIMVR omittere ordinem Scoti, qui sequutus Magistrum Sent. dist. 15. agit de satisfactione, & occasione illius de restitutione, & diffusè quidem. Deinde dist. 17. agit de confessione. Verùm, quia post contritionem ordine naturæ sequitur confessio, deindè satisfactio, agemus priùs de confessione, deindè redibimus ad agendum de satisfactione, & restitutione simùl. Oporteret autē priùs explicare, quid sit confessio, & quæ sint eius conditiones, vt innotesceret quænam sit confessio, de qua quærimus, an sit necessaria, sed quia iam constat, quòd loquimur de confessione, quæ est pars sacramenti pœnitentiæ, quæ est satis nota quò ad quid nominis: ideò sequendo ordinem Scoti, & Methodum, priùs explicabimus de ea, an sit, idest, an sit necessaria; deindè quidditatem, & alia necessaria ad eius cognitionem explicabimus, sequendo ordinem insinuatum in hac quæst. à Scoto.

An confessio sacr̄alis sit necessaria.

2 Primo loco ergo occurrit difficultas, an necessarium sit ad salutem homini peccatori confiteri omnia peccata sua sacerdoti, idest, an confessio sacramentalis sit necessaria: in hac re veritas est certa, scilicet esse necessariam: & hoc contra hæreticos probatum est suprà loquendo de institutione sacramenti pœnitentiæ. Institutio enim sacramenti pœnitentiæ, & institutio confessionis sacramentalis, idem sunt: tamen nunc in particulari est disputandum, An hæc confessio vocalis secreta facta sacerdoti sit necessaria, & si est necessaria, qua necessitate sit necessaria, & quomodo ad sacramentum pœnitentiæ pertineat.

De qua necessitate sit sermo.

3 Scotus ergo in 4. dist. 17. quæst. 1. diffusè hanc difficultatem tractat. Vbi est notandum hic esse sermonem de necessitate medij, & præcepti simùl: itaquòd sensus est. Vtrùm confessio sacramentalis peccatorum suorum sacerdoti sit necessaria ex præcepto Dei, & sit necessaria tanquàm medium, non solum vtile, sed necessarium ad salutem consequendam: quod postea explicabimus exponendo opinionem Scoti. Notandum est etiam, quòd Scotus non tractat quæstionem sub hoc titulo. Vtrùm confessio sacramentalis sit de iure naturæ. Nam certum est, quòd sacramentum pęnitentiæ, cum sit institutum à Christo Domino, non erat pro temporibus illis, vt diximus suprà loquendo de institutione huius sacramenti, sed tractat quæstionem generaliùs sub hoc titulo. Vtrùm esset necessarium pro tempore legis naturæ, vel scriptæ facere confessionem de peccatis alicui, vt modò fit in sacramento pœnitentiæ, & vt est modò confessio sacramentalis. Hoc enim modo procedendo, tandē ostēdet à solo Christo institutam sic fuisse. Inquit itaque Scotus, quòd si confessio peccatorum facienda sacerdoti cadit sub præcepto diuino tanquam medium necessarium ad salutem, necesse est, quòd contineatur, vel sub præcepto legis naturæ, vel legis positiuæ. Si autem continetur sub præceptis legis naturæ positiuæ, cum lex positiua sit duplex, scilicet diuina, & ecclesiastica, necesse est, quòd hoc præceptum cōfessionis contineatur sub præceptis legis positiuæ diuinæ, vel ecclesiasticæ.

4 Verùm hic statim occurrit dubiū, quia datur quarta lex, vt habet D. Th. p. 2. q. 91. a. 1. Præterea dantur aliæ leges, quæ non enumerantur hic à Scoto, vt lex spiritus ad Rom. 8. lex permissiua, de qua iurisprudentes multa dicunt. Respondetur, ꝙ datur proculdubio 4. lex 5. diuina; quæ est diuina prouidentia, secundùm quam Deus regulat vniuersa. Hæc autem lex diuina, quæ est prouidentia Dei, est actus diuini intellectus, & voluntatis. Non tamen actus diuini intellectus, scilicet cognitio Dei, regulat actus diuinæ voluntatis ad extrà, vt contingit in nobis, quia voluntas diuina ad extra est primum principiū, & cognitio Dei rerum contingentium respectu diuinæ voluntatis nō est practica, vt diximus in 1. disp. de praxi, sed habita cognitione rerum in esse possibili diuina voluntas decernit, quod sibi placet, & illud, quod decernit, est rectū. De hac lege, non est loquutus Scotus, quia non est in homine nisi per participationem: loqnitur aūt de legibus, quæ sunt in homine formaliter. Ad aliud dicitur, ꝙ cæteræ leges ad illas tres reducuntur. Lex naturæ est lumen, & cognitio boni, & mali, æqui, & iusti, quam vnusquisque naturaliter habet innatam, & insertam à Deo conditore ipsius naturæ. Hoc colligitur ex Scoto in principio, solutionis quæstionis: neque de hac est cōtrouersia vlla inter Theologos, vt est videre apud Diuum Thomam, & eius Sectatores, p. 2. quæst. 90. & 91. nam lex in communi definitur, quòd sit regula quædam, & mensura actuum, secundùm quam quis inducitur ad operandum, vel non operandum: hæc autem regula, non potest esse nisi ratio: nam ratio, & intellectus est, qui dirigit volūtatem in suis actionibus lumē ergo, & cognitio, quod à Deo in natura nostra est infusū, est lex naturæ, quia est regula inserta naturæ rationali, secundùm quam operationes nostræ voluntatis regere debemus: & quia hoc lumen est nobis insertū à Deo ex sua diuina prouidentia, qua cuncta gubernat, & est prima lex, à qua cętera pendēt, hæc lex naturæ dicitur participare legem æternā. Ex hoc deducit Scotus, ꝙ illud est verum de iure naturæ, cuius veritas nota est ex terminis: & talis propositio est principiū in lege naturæ, ex qua in operabilibus conclusiones deducuntur, sicut in speculabilibus propositiones illæ, quę habent euidentiā ex terminis, sunt prima principia speculatiua, ex quibus cōclusiones speculatiuæ deducuntur: & rursus illud est verum de lege naturæ, quod euidenter deducitur, & sequitur ex tali principio noto ex terminis, cuiusmodi est conclusio practica ex illis principijs primis practicis. Itaque propriè loquendo duo genera propositionum, & veritatum tantummodo sunt de lege naturæ, nimirum principia prima practica nota ex terminis, & conclusiones practicæ deductę ex illis principijs euidenter. Extendendo verò hoc vocabulum, *ius naturæ*, vel, *lex naturæ*, etiam illæ propositiones practicæ, quæ sunt consonæ, & conformes primis illis principijs, & cōditionibus legis naturæ, & hęc conformitas statim est nota omnibus, dicuntur esse veritates de lege naturæ, & esse de iure naturæ.

Quid sit lex naturę, & quæ sint de iure naturæ.

5 Ex hoc confutat Scotus opinionem Gratiani, quam habet in decretis dist. 1. ca. *Humanum*, vbi Gratianus ait, quòd ius naturale est id, quòd in lege veteris, vel noui testamenti est, quod probat, quia ius naturale est quo quisque iubetur alij facere, quod sibi vult fieri, & prohibetur alij inferre quod sibi nolet fieri: at hoc totum est, quod continetur in lege veteri, & noua. Vndè Christus in Euangelio Matth. 7. dixit. *Omnia quæcunque vultis vt faciant vobis homines, & vos eadem facite illis, hæc est enim lex, & Prophetæ*; ergo, &c.

Opin. Gratiani reijcitur à Scoto, vel deducitur ad bonū sensum

6 Scotus autem hanc Gratiani sentētiam confutat hac ratione: quia non omnia, quæ continentur in Scriptura veteris testamenti, & noui, sunt principia prima, practica nota ex terminis, neque conclusiones practicæ demonstratæ ex illis principijs, neque omnia euidenter sunt consona principijs, & conclusionibus deductis ex principijs notis ex terminis lumine naturali. Hoc assumptum non probat ibi Scotus, sed ex dictis ab eo paulo infrà patet, &

1. Ratio Scoti.

est ex se euidens. Nam in lege Mosaica erant ceremoniæ Iudæorum obseruandæ pro tempore legis illius, & in nouo testamento sunt ceremoniæ christianorum pro tempore huius legis obseruandæ: patet autem quòd præcepta illa ceremonialia non sunt veritates notæ ex terminis; neque euidenter deductę ex principijs notis ex terminis; neque cõsona euidenter principijs, & conclusionibus ex illis deductis, vt quòd Deus sit colendus in imolationibus bestiarum, vt fiebat in veteri lege, vel quòd sit colendus in ceremonijs nostris purà in oblatione Eucharistiæ, vel cantu Psalmorum; licèt ista sic sint consona legi naturæ, vt illi non repugnent.

2. Ratio. 7 Secundò illa, quæ sunt legis naturæ, siuè propriè, siuè extensiuè, semper sunt vniformia, & inuariabilia; sicut natura semper remanet eadem pro hoc statu: at illa præcepta ceremonialia variata, & mutata sunt: quia aliæ ceremoniæ erant in veteri lege, & aliæ in lege Euangelica.

Quõo Gratianus sit intelligẽdus. 8 Ad Gratianum ergo respondet Scotus, quòd ipse non accepit ius naturale in propria significatione, sed extensiuè, & largè, scilicet pro illa lege, quæ lata est ab Auctore naturæ, quæ potest dici naturalis, quatenus contradistinguitur ab illa lege, quæ lata est ab aliquo, qui non est auctor naturæ; & hoc pacto ea, quæ sunt in Sacra scriptura veteri, & noua possunt dici de lege naturæ, & contradistinguuntur à legibus positiuis humanis.

Ad rationẽ Gratiani. 9 Sed quid ad probationem. Nam certum est, quòd illud principium, *quod tibi vis, alteri feceris, & quod tibi non vis, alteri ne feceris*, est veritas, & principium notum ex terminis: at Christus Dominus ait in illo contineri legem, & Prophetas; ergo lex, & Prophetæ cõtinentur in illo principio; ergo omnia scripta in eis sũt de lege naturæ.

10 Possumus respondere, quòd ex eo loco non habetur omnia, quæ scripta sunt in Euangelio, & veteri testamẽto, esse de lege naturæ, vt videbatur dicere Gratianus, sed quod aliqua tantùm, sicut est illud principium, *quod tibi vis, alteri feceris*, &c. Ad illud autem Euangelij respõdetur, quòd pro tanto lex, & Prophetæ dicuntur consistere in illo precepto, quia tota lex vetus, & noua, & etiam leges Ecclesiasticæ habent pro scopo vltimo ordinare hominem ad dilectionem Dei, & proximi, iuxta illud Ioan. *Diliges Dominum Deum tuum, & proximum tuum sicut teipsum: in his duobus mãdatis vniuersa lex pendet, & Prophetæ*, non sequitur tamen ex hoc, quòd quicquid est in veteri lege, & noua scriptum, sit de lege naturæ, sicut neque leges Ecclesiasticæ sunt de lege naturæ, & tamen ordinantur ad dilectionem Dei, & proximi, quæ sunt principia nota ex terminis, & sunt de lege naturæ: & hæc de lege naturæ.

Lex positiua quid sit. 11 Lex positiua est quæcunque regula, siue cognitio, vel lumen directiuum operationum nostrarum practicarum, non quidem notum ex terminis, neque euidenter deductum ex terminis, neque euidenter illis conforme; non tamen repugnans legi naturæ, ab aliquo institutum, & notificatum ad dirigendum operationes nostras practicas. Hæc definitio patet ex dictis de lege naturæ. Nam genus legis est lumen, siue cognitio regulans ipsam voluntatẽ nostram circa operationes suas, quod appellatur dictamen rationis. Reliqua, quæ in hac definitione sunt, ponuntur ad differentiam legis naturæ, vt patet. Lex autem positiua est duplex, scilicet diuina, & humana; & humana

Lex positiua duplex. est duplex, scilicet Ecclesiastica, & politica. Lex positiua diuina sunt illę regulæ, & dictamina data à Deo ipso nobis in lege veteri, & noua. Lex positiua Ecclesiastica est, quæ à Prælatis Ecclesiasticis statuitur propter obseruantiam honestiorem in moribus, & propter maiorem reuerentiam in suscipiendis, & disponendis sacramentis. Lex positiua politica, est quæ statuitur à Principibus temporalibus ad rectam gubernationem temporalem hominum; quã esse à Deo non est dubium, & obligare in conscientia subditos, vt alibi dicimus; sed de hac nunc nõn est sermo.

Prima conclusio. 12 Ad propositam quæstionem itaque respondendo, loquendo de iure naturæ Scotus ponit hanc conclusionẽ.

Præceptum cõfessionis nõ est de iure naturæ. Ex præcepto legis naturæ nemo tenetur ad confitendum peccata sua omnia sacerdoti. Hanc conclusionem probat Scotus, quicquid est de iure naturæ, pro quocunque statu fuit; sed sic est, quòd preceptum de confessione, vt dictum

1. Ratio. est, non fuit in statu innocentiæ, nec in statu naturæ corruptæ ante legem Moysis, nec in tempore legis Mosaicæ; ergo confessio non est de iure naturæ. Maior est euidens ex dictis nunc suprà de lege naturę. Minor habet aliquam

Ratio prima contra minorem. difficultatem: vndè aliqui contra eam sic arguunt, Primò per glossam super illud Genesis. 3. *Adam vbi es*. vbi inquit *Vox est increpantis, & confessionem inquirentis*. Ergo con-

2. Ratio. fessio fuit tempore legis naturæ post lapsum. Secundò in Leuit. cap. 16. & indè legitur de Aaron, & filijs eius, quòd debuerunt confiteri peccata filiorum Israel, & frequenter dicitur in lege, quòd qui peccasset, deberet confiteri peccatum suum, & offerre tale, vel tale sacrificium; ergo confessio erat tempore legis scriptæ.

3. Ratio. 13 Tertiò in veteri testamento sunt multæ auctoritates de confessione facienda, sicut illud Prouerb. 18. *iustus prior est accusator sui*, & alia huiusmodi; ergo tunc erat cõfessio in vsu; non poterat autem esse nisi ex lege Dei.

4. Ratio. 14 Quartò, arguitur ratione, ex principijs legis naturę sequitur, quòd quilibet habens peccatũ mortale teneatur illud confiteri alteri; ergo confessio peccatorum proprio sacerdoti esse faciendam, est de lege naturæ. Antecedens probatur. Hæc propositio est nota ex lege naturę. *Quilibet reus debet iudicari*. Similiter hęc alia propositio est de lege naturæ, *nullus debet esse iudex in causa propria*. Ex his duabus propositionibus deducitur propositum sic. Si quilibet reus debet iudicari, & non à se, sequitur necessariò vt debeat iudicari ab alio: at nõ potest iudicari ab alio nisi accusetur illi; & si peccatum est occultum, non potest accusari nisi à seipso. Ex hoc ergo habemus, quòd quilibet peccator debet se accusare alteri à quo iudicetur. Et sic habemus necessitatem confessionis. Tunc vlteriùs arguitur. Magis est consonum rationi, quòd in secreto, quàm in publico se accuset, si peccatum est occultum: immò hoc est de lege naturæ, quòd si peccatum est occultum, accusatio debeat esse occulta. Magis etiam congruum est, quòd hæc accusatio fiat sacerdoti, quàm alteri; ergo à primo ad vltimum habemus ex principijs notis legis naturæ, vel saltem valdè illis consonis confessionem secretam de peccatis proprijs faciendam esse sacerdoti, & patet probatio antecedentis. Cõsequentia prima verò etiam patet, quia dictum est, illud esse de lege naturæ, quòd vel ex terminis est notum, vel euidenter deducitur ex principijs ex terminis notis, vel saltem notum est esse consonum principijs, & conclusionibus legis naturæ.

Ad primã obiectionẽ. 15 Istæ obiectiones ab eodem Scoto facilè dissoluuntur. Ideo ad primum respondet duplicem esse confessionem peccatorum; alteram factam soli Deo, alteram factam homini sacerdoti. Glossa ibi loquitur de confessione facienda Deo, non de confessione peccati facienda homini; & quòd hoc sit verum, probat Scotus, quoniam Adam peccatum suum non solùm non accusauit Deo, sed excusauit illud retorquendo in mulierem; non debuit autem Adam suum peccatum occultare Deo, quia Deus est Iudex, cui manifestum est omne peccatum, & coram quo quilibet reus debet recognoscere peccatum suum: & hãc confessionem requisiuit Deus ab Adam. Illud ergo concludit, quòd in illa lege erat facienda confessio de peccato Deo increpanti, non autem concludit debuisse fieri homini.

Ad secũdã. 16 Ad secundam respondet Scotus in tota lege Mosaica nunquàm factam esse istam confessionem secretam, & vt ita dicam, auricularem, de qua loquimur, sed cõfessio, quæ fiebat in illa lege erat triplex. Altera erat de pec-

Quæ cõfessio esset in lege naturę & scripta. catis occultis, & illa fiebat Deo soli, non hominibus. Altera erat confessio publica, & hæc fiebat de peccatis publicis factis in inobseruantia legalium, quæ erãt quædam irregularitates contractæ ex inobseruantia legalium, vt patet capite 5. in Leuitico, quæ maximè fiebant, cum quæ-

dam

dam ſacrificia fiebant, ante quorum immolationem præmittebatur confeſſio peccatorum particularium de tranſgreſſione legalium; & hæc erat confeſſio particularis, & de peccatis particularibus, ſed publicis; & hæc fuit figura confeſſionis noſtræ ſacramentalis, vt optimè probat Bellarm. lib. 3. de pęnitentia cap. 3. quia confeſſio illa, de qua pręceptum habetur in Leuitico cap. 5. & Num. cap. 5. non erat confeſſio generalis, ſed de certis peccatis particularibus, vt erat tactus morticeni, & de eo, qui audiuit iurantem, & non indicauit, & huiuſmodi: ideò figurabat hanc confeſſionem ſacramentalem ſecretam, & particularem. Tertia confeſſio erat confeſſio generalis, quam faciebant ſacerdotes de peccatis in communi pro ſe, & pro populo, quæ fiebat ſub his verbis (inquit Scotus). *Iniuſtè egimus, peccauimus*, & huiuſmodi, vt elicitur ex Pſalm. 105. quæ cõfeſſio generalis etiam modò eſt in vſu in Eccleſia, cum ſacerdotes pro ſe, & pro populis ſe peccaſſe confitentur, & petunt veniam; quæ confeſſio generalis habet hanc vtilitatẽ quòd eſt quædam diſpoſitio ad petendam miſericordiã à Deo pro populo, vt ſuprà diximus agendo de forma.

Vtilitas cõfeſſionis generalis.

Ad tertiũ.

17 Ad tertiam patet per idem, nam omnes auctoritates loquentes de confeſſione in veteri lege ſunt tantùm vocales, non ſententiales, ideſt non loquuntur de confeſſione in ſenſu, quo nunc nos loquimur, ſcilicet de confeſſione peccatorum occultorum facienda homini, ſed vel de confeſſione generali, quam fecerunt Daniel ca. 2. quæ erat confeſſio laudis, vt ibi videre eſt in illis verbis. *Tibi Deus Patrum noſtrorum confiteor, teque laudo*; vel de confeſſione fraudis, & peccatorum, vt dicebamus ex Pſalm. 105. & alijs locis ſepiſſimè in Sacra ſcriptura; vel loquebantur de confeſſione proprij peccati particularis, ſed publici, vt dictum eſt.

Ad quartũ.

18 Ad quartam concedit Scotus, quòd illæ duæ propoſitiones primæ ſunt notæ lumine naturali, vel ſaltem illi valdè conſonæ, ſcilicet quòd reus eſt iudicandus, & nõ à ſeipſo. Ratio eſt, quia nullum peccatum impunitum eſt relinquendum in Vniuerſo, ſi eſt vnus rector Vniuerſi, qui ſit iuſtus, vt re vera eſt, ſcilicet Deus, quòd eſt notum naturaliter, vel ſaltem eſt valdè conſonum naturaliter notis: ſed difficultas eſt, quis ſit iſte alius, à quo eſt iudicandus: nam non eſt notum naturaliter, hunc alium eſſe niſi Deum, qui eſt retributor meritorum, & punitor peccatorum; huic autem non eſt neceſſe accuſare peccata, iã enim illa omnia optimè nouit; vel ſi concedatur eſſe faciendam accuſationem illi, nihil aliud ex omnibus iſtis ſequitur, niſi quòd confeſſio facienda eſt ſoli Deo, & ſic conceditur hanc confeſſionem factam fuiſſe ſemper ipſi Deo ab omnibus iuſtis habentibus cognitionem per fidem, quòd Deus erat rector iuſtus vniuerſi, poſtquàm peccauerunt petentes ab ipſo remiſſionem peccatorum: non poteſt autem probari, quòd alicui alteri ſint confitẽda peccata ſua, quia non eſt notũ naturaliter, quòd alius homo poſſit eſſe iudex alterius. Nam quòd aliquis ſit iudex peccatorum alterius nõ poteſt eſſe niſi ex inſtitutione diuina; hæc autem inſtitutio non eſt nota ex lege naturæ, neque ex lege ſcripta, ſed potiùs ex illa habetur, quòd vnuſquiſque ſit Iudex, & miniſter Dei vindicando in ſe ſua peccata.

19 Quòd ſi quis arguat. In Republica humana vnus eſt Iudex alterius. Reſpondetur verum eſſe de illis, quæ poſſunt ſibi innoteſcere in illo iudicio, cuiſmodi ſunt publica. Probata minori, patet veram eſſe cõcluſionem Scoti, quòd confeſſio de peccatis occultis, vt modò loquimur, non eſt de iure naturæ, in qua re nulla eſt controuerſia, & omnes conueniunt, etiam Suarez diſput. 35. cap. 1. per omnia ſequens hanc doctrinam Scoti, licèt eum non nominet, & alij, &c.

Concluſio Scoti pbata manet.

An confeſſio ſit neceſſaria vt medium ex pręcepto Eccleſiaſtico. Caput Secundum.

20 DIcebamus in principio capitis pręcedentis, quòd ſi confeſſio cadit ſub pręcepto, neceſſe eſt, quòd cadat ſub pręcepto iuris naturalis, vel poſitiui. Vidimus autem quòd nõ cadit ſub præcepto iuris naturalis; relinquitur ergo vt cadat ſub pręcepto iuris poſitiui. Ius poſitiuum autem erat duplex, ſcilicet diuinum, & humanum; diuinum non eſt, quod habetur in Sacra ſcriptura; humanum ſunt ordinationes, & leges factæ ab Eccleſia.

21 Nunc reſtat videndũ, an cõfeſſio ſit de iure diuino inſtituto à Chriſto Domino, an de iure humano inſtituto ab Eccleſia. In qua re nõnulli dixerũt eam eſſe neceſſariã, non ex pręcepto Chriſti Domini, ſed ex pręcepto Eccleſię. Hanc opinionem ſequutus eſt Alexander Alenſis 4. p. q. 18. m. 3. art. 2. & eam confirmat auctoritate Hugonis de Sancto Victore lib. 2. de Sacramentis p. 14. cap. 1. qui tamen, ſi rectè conſpiciatur, non videtur recedere à noſtra ſententia, vt ſuprà agendo de inſtitutione pœnitentiæ diximus: eandem tenuit D. Bonau. in 4. diſt. 17. p. 2. a. 1. q. 3. & quidam alij, qui dicunt abſolutionem quidem inſtitutam fuiſſe à Chriſto Domino formaliter; confeſſionem verò ſolùm ſignificatam, & inſinuatiuè inſtitutam, ab Apoſtolis verò fuiſſe formaliter inſtitutam ſub pręcepto, & ab Apoſtolo Iacobo cap. 5. fuiſſe promulgatam. Dicunt enim duo eſſe in confeſſione, ſcilicet formale, & materiale. Formale eſt poteſtas abſoluendi à peccatis confeſſis. Materiale eſt deteſtatio peccatorum. Primum à Chriſto fuit formaliter inſtitutum. *Quorum remiſeritis* &c. Secũdum autem fuit ſolùm inſinuatum à Chriſto, relictum verò Apoſtolis, vt inſtituendum, & promulgandum. Hæc opinio tribuitur Scoto à Soto in hoc 4. diſt. 18. q. 1. a. 1. & à Suarez diſp. 17. ſect. 2. ſed de opinione Scoti, poſteà dicemus; in hac enim iſti Soto, & Suarez toto Cœlo aberrarunt, non intelligentes, vel non volentes intelligere Scotum, vt ſuprà tetigimus, agentes de inſtitutione huius ſacramenti. Soto loco citato eandem videtur tribuere Durando in 4. diſt. 17. q. 14. ſed Durandus ibi non diſputat, an confeſſio ſit inſtituta à Chriſto Domino, vel ab Eccleſia; tenet enim ibi apertè Eccleſiam non poſſe inſtituere ſacramentum, & conſequenter ſecundùm eum confeſſio eſt inſtituta à Chriſto Domino, ſed loquitur de obligatione canonis, *omnis vtriuſque ſexus*, qui loquitur non de pręcepto confeſſionis abſolutè, ſed de pręcepto confeſſionis quò ad tempus in quo eſt facienda; quòd eſt multùm diuerſum, de qua re infrà explicando quid Eccleſia circa hoc ſacramentum ordinauit.

Opin. aſſerẽtium eſſe de iure Eccleſiaſtico.

Opinio falſò aſcripta Scoto.

22 Hæc autẽ ſentẽtia pręcipuè tribuitur à Scoto Gloſſæ de pœnitentia diſtin. 5. in principio, & re vera illius eſt: nam Gloſſa ibi recitatis varijs opinionibus de pęnitentia, tandem ponit propriam opinionem dicens. Medius dicitur eam inſtitutam eſſe à quadam vniuerſali Eccleſiæ traditione, potiùs quàm ex noui, vel veteris teſtamenti auctoritate. Pro hac opinione adducit (inquit Scotus, & verè) Gloſſa ibi vnum argumentum, quòd eſt. Confeſſio apud Græcos nõ eſt neceſſaria; ergo ſequitur, quod præceptum confeſſionis non eſt de iure diuino, ſed de Eccleſiaſtico: quia ſi eſſet de iure diuino, etiam obligaret Græcos.

Hæc opin. eſt Gloſſæ de pœnit. diſt. 5.

1. Ratio.

Secũdò pro hac opinione videtur adduci ab omnibus hoc fundamentum, quod ſæpè tangitur à Scoto dũ hanc opinionem reijcit: licèt Chriſtus Dominus Eccleſiæ dederit poteſtatem dimittendi peccata, mediãte hoc ſacramento, Ioan. 20. non tamen indè colligitur eſſe neceſſarium hoc ſacramentum ad conſequendum hunc effectũ; ſed eſſe ſolùm medium vtile; ſicut extremæ vnctionis ſacramentum, & confirmatio ſunt inſtituta à Chriſto Domino ad efficiendum gratiam in nobis, non tamen voluit illa ſacramenta eſſe neceſſaria, ſed ſolùm inſtituit, & reliquit, vt vtilia; ita in propoſito, & ſi ſacerdotibus data ſit poteſtas dimittendi peccata per ſacramentum pęnitẽtiæ; tamen nõ videtur neceſſariò colligi eſſe neceſſarium medium, ſed ſolùm vtile. Si autem neceſſitas confeſſionis ſacramentalis non colligitur ex illo loco, nec ex alijs locis Scripturæ, quæ Alenſis adducit, & reijcit vbi ſuprà, vt eſt videre apud ipſum.

23 Scotus hanc opinionem reijcit, ſed in principio cõfuta-

Allata opi. reijcitur à Scoto.

Obiectio ex Soto cōtra Scotum refellitur.

futationis inquit, illam opinionem non posse faciliter impugnari. Qua in re Soto in 4.dist.18.q.1.a.1.acriter insurgit contra Scotum, in hoc ipsum damnās, siquidem facillimum est eam opinionem refellere; quia ex Cōcil. Trid. (addit Suarez disp.17.sect.2.) sess.14.c.1. verba Christi Domini, Ioan.20. *Quorum remiseritis*, &c. perspicuè continēt hanc veritatem, scilicet in illis institutam esse confessionē tanquàm medium necessarium. Sibiungit verò Soto, Scotum asserere, quod etsi sacramentum pęnitentiæ fuerit institutum, Ioan.20. non tamen fuisse institutum, vt necessarium, sed solùm, vt vtile, & arbitrarium.

Reijcitur.

24 Sed quam erret Soto in hoc secundo, & quàm falsò intellexerit Scotum diximus suprà agēdo de institutione sacramenti pœnitentiæ; infrà tamen explicando opinionem Scoti, hoc magis patebit. Quantùm verò ad primum

1. Responsio.

possumus primò dicere, quòd aliud est dicere in illis verbis Euang. *Quorum remiseritis*, &c. perspicuè haberi institutionem confessionis, vt medij necessarij ad salutem; & aliud est dicere difficile esse impugnare, qui tenent oppositum; Scotus non dicit primum, sed secundum: illud autē est verū. Quoniam contra proteruum etiam in rebus euidentissimis quandoque difficile est eum cōuincere; sic qui proteruè negaret illud haberi ex illis verbis, quamuis sit perspicuum, difficile est impugnare.

2. Responsio.

25 Secundò possumus dicere, quòd intentio Concilij ibi non est asserere, & definire perspicuum esse deduci ex illis verbis. *Quorum remiseritis*, &c. necessariā esse peccatorum confessionem: quia de hac Scholastica difficultate ibi nō curat; satis est enim sibi, quòd ex illo loco deducatur talis necessitas. Sed intentio Cōcilij ibi est asserere, clarum, & perspicuum esse in illis verbis. *Quorum*, &c. institutum fuisse sacramentum pęnitentiæ, & datam fuisse Apostolis, & eorum legitimis successoribus potestatem dimittendi peccata, & ad reconciliandos peccatores, contra hereticos nostrorū temporum, qui verba illa ad potestatem prædicandi verbum Dei, & Christi Euangelium anuntiandi commentitijs interpretationibus trahunt.

3. Responsio.

26 Sed quidquid sit de hoc satis est; quòd antè Concil. Trid. declarationem non erat facile illam opinionem impugnare, quam viri grauissimi Alensis, & D. Bonau. Hugo, & alij Docti, & pij viri, vt veram sequuti sunt. Et ipsemet Suarez fatetur habere difficultatem, vt infrà videbimus; & nullus est, qui euidētiùs hanc necessitatē cōfessionis colligat ex illis verbis Ioan.20. quam Scotus, à quo alij posteà rationes collegerunt, & vt proprias proposuerunt.

Prima rō Scoti, quod cōfessio nō sit de pręcepto Ecclesiæ.

27 Contra illam opinionem itaque arguit Scotus primò sic. Ecclesia non attentasset tam arduum præceptum imponere omnibus christianis, nisi esset præceptum diuinum, quæ ratio est maxima persuasio.

2. Ratio.

28 Secūdò, quia si esset pręceptum Ecclesiasticum, inueniretur locus, vbi ab Ecclesia imponatur tale pręceptū: at non inuenitur aliquis locus in Decretis, nec in Cōcilijs,

Obiectio hereticorū cōfutatur.

vbi tale pręceptum impositum sit; ergo. Quòd si quis adducat, vt heretici dicunt, capitulum illud extrà de pœnitentia, & remiss. *omnis vtriusque sexus*, &c. quod factum est ab Innocētio III. in Conc. Lateran. hoc nihil est: quia anteà multos annos in Ecclesia Dei erat in vsu sacramentum pœnitentiæ, & confessionis, vt patet per D. Aug. qui ante illud Concilium vixit octingentos annos, nam ipse prædicauit cōfessionem esse multum necessariam, & multa de ipsa ritè facienda scripsit in lib. de vera, & falsa pęnitentia, cuius multæ auctoritates ponuntur in littera d.17. apud Magistrum Sent. & multæ referuntur de pœnitentia d.6. & nos infrà probabimus cap.4. Nec canonista facilè inueniet aliquid Concilium, vel pręceptum propriè, vbi exprimatur pręceptum de confessione facienda, sicut modò hic loquimur.

3. Ratio.

29 Tertiò. Si illa opinio esset vera, quòd pręceptum confessionis esset de lege Ecclesiastica, sequeretur, quòd Papa non teneretur confiteri. Cōsequens est falsum; ergo. Consequentia probatur: quia sicut habetur extra de verborum significatione. *Exijt, qui seminat*, &c. par in parem non habet imperium; Papa ergo nulli legi Ecclesiasticæ est subditus; ergo non subderetur præcepto confessionis. Falsitas consequentis est euidens.

4. Ratio.

30 Quartò. Videretur sequi stante illa opinione, quòd infideles non tenerentur ad pręceptū confessionis faciendæ. Consequens est falsum; ergo falsitas consequentis probatur, quia infideles tenentur ad omnia pręcepta Christi:

Infideles tenētur ad pręceptū confessionis.

quia Christus Dominus dedit legē omnibus hominibus: ideò ad illam obseruandam tenentur, cum illis est rationabiliter promulgata, vt suprà in disp. de cessatione legalium dictum est. Consequentia verò probatur: quia Ecclesia non curat de his, qui extra ipsam sunt, iuxta illud Apostoli 1. Corint. 5. *quid mihi est de his qui foris sunt iudicare?*

Ad primā rōnē opin. pręcedētis.

31 Ad primam rationem pro opinione pręcedenti respondet Scotus, & primò ad Glosā, quod salua gratia sua, illa Glosa irrationabiliter loquitur. Sicut enim turpe esset Theologo dicere, aliquid esse in Biblia, & nesciret vbi illud inueniretur, ita turpè est Canonistam dicere aliquid esse decretum ex definitione vniuersalis Ecclesiæ, & nescire assignare aliquid capitulum canonis istius traditionis, & obligationis: ipsa autē nullum canonē assignat. Ad rationem autem primam eius negat antecedens: falsum est

Falsum est Græcos nō teneri ad confessionem.

enim Græcos non teneri ad cōfessionem, & Scotus adducit rationem. Nam sicut ipsis habentibus baptismū flaminis, adhuc est necessarius baptismus fluminis, quæ est prima tabula post naufragiū peccati originalis, sicuti est necessarius nobis Latinis in re, vel in voto, si non adsit possibilitas habendi illud in re, vt visum est suprà agēdo de baptismo, ita ipsis Græcis habentibus contritionem, siue virtutem pœnitentiæ, necessaria est pœnitentia sacramentū, & consequenter, confessio sacramentalis, vt infrà videbimus: quia est secunda tabula post naufragiū. Quòd si quis probet antecedens illud, quia apud Græcos non est consuetudo cōfitendi peccata sua sacerdoti, vt nūc loquimur. Respōdet Scotus dupliciter. Primo, quòd ex quo Græci facti sunt scismatici, & recesserunt ab obedientia Ecclesiæ Romanæ, omiserunt multas non solùm laudabiles cōsuetudines, sed necessarias: ideò non est mirum quòd potuerint omittere hanc consuetudinem non solùm laudabilē, sed necessariam. Neque omissio confessionis inducit consuetudinem, cum contra ius diuinū nulla possit induci cōsuetudo legitima. Secunda responsio est, non esse certum Græcos nō confiteri, neque ipsos habere pro certo, & pro noto non teneri ad confessionem: quia nullus auctor scribens aduersus Græcorum errores facit mentionē de hoc errore, de quo tamen esset facienda mentio: quia esset notabilis, & maior discordia si in hoc discordarent, quàm sit nō cōficere in azimo, & in forma baptismi, quod pōt cōfirmari, quia nouissime in Cōc. Florentino inter Latinos, & Gręcos facta fuit vnio, nullū verbū de hac re habitum est.

Ad secūdā.

Ad secundā rationē respondebitur cap. sequenti postquā veritatem ipsam, & opinionem Scoti explicauerimus.

Confessionem esse necessariam de iure positiuo diuino. Caput Tertium.

Cōfessio è de iure diuino positiuo.

32 POstquam Scotus probauit confessionem nō esse necessariam de iure naturæ, nec de iure positiuo Ecclesiastico, ponit conclusionem certam. Confessio est necessaria de iure positiuo diuino. Hæc conclusio est de fide certa nunc definita in Concilio Tridentino, sessione 14. can. 7. & priùs à Sixto Quarto in quadam Extrauaganti contra Petrum de Osma: de qua re Castro verbo *Confessio*, & in Concilio Constantiensi sessione octaua, & decimaquinta, vbi damnantur errores Ioan. Vuicleph.

An semper fuerit de fide.

An verò fuerit semper de fide est difficultas. Soto in quarta distinctione decimaoctaua, quæst. 1. art. 1. ante quintam conclusionem inquit Diuus Bonauentura in quarto

D. Bonau. defenditur ab obiectione Scoti.

distin. 17. in expositione litteræ distinctionis parte prima asserere, quòd si quis post diffinitionem Innocentij Tertij in Concilio Lateranensi negaret confessionem esse necessariam de iure diuino, esset hæreticus; sed ante decretum illud

illud non fuisset hæreticus. At D. Bonauentura hoc ibi non dicit: nam non quærit ibi, an asserere confessionem esse necessariam ex iure diuino semper fuerit de fide, vt Soto ibi quærit, & nos inquirimus; sed D. Bonauent. ibi quærit, an opinio recitata à Magistro illorum, qui negabant esse necessariam confessionem sacramentalem, esset hæretica, & determinat, quòd si quis post decretum Innocentij in Concilio Lateranensi teneret illam opinionem, esset hæreticus: quia teneret propositionem damnatam ab Ecclesia, sed ante illud Cōcilium tenens talem opinionem non fuisset hæreticus. An verò fuerit necessaria de iure diuino, vel humano, ibi nō est vllum verbum. Immò D. Bonau. hoc non potuit dicere, quia D. Bonauent. cum Alensi, vt fatetur ipsemet Soto, & vidimus superiori cap. tenet Christum Dominum instituisse absolutionem quidem in illis verbis Ioan. 20. *Quorum remiseritis*, &c. at confessionem insinuasse solùm, & reliquisse Ecclesiæ auctoritatem ipsam præcipiendi: vndè ipse D. Bonau. fuisset hereticus cum Alensi, quòd est absurdum; tenent enim fuisse necessariā, sed non de iure diuino, sed Ecclesiastico.

33 Aliqui alij dixerunt fuisse hereticum semper, & hęc tribuitur Adriano qu. 2. de confessione, quia semper fuit contraria Euangelio. Alij dixerunt, & tribuitur Medinæ Codice de pœnitentia, quòd sapiebat hæresim. Soto verò ibidem conclusione 5, ait, Confessionem ab orbe condito de iure diuino semper fuisse necessariam, extitisse semper catholicam veritatem; & eius oppositam fuisse hereticam; licèt ante expositionem Ecclesiæ eius assertores possent excusari ab heresi. Fundamentum eius est, quia Ecclesia non potest facere propositionem de non heretica, hereticā; sed solùm explicare propositionem esse de fide, & articulum fidei, quod verissimum est: ideò possumus dicere, quod fuit semper de fide; sed esse de fide contingit dupliciter, implicitè vel explicitè. Ante determinationem Ecclesiæ erat de fide, sed implicitè: ideò excusabantur tenentes oppositum, quia non agnoscebant illam esse de fide: post determinationem verò Ecclesiæ est de fide explicitè; sicuti nūc sunt multæ propositiones dubiæ inter Scholasticos, & sunt de fide implicitè, quæ tamen, quia non sūt determinatæ ab Ecclesia, tenentes oppositum excusantur ab heresi, & à peccato.

34 Hæc tamen propositio, *Confessio sacramentalis est necessaria de iure diuino*; etiam ante determinationē Ecclesię habuit semper maximam euidentiam: & ideò semper Patres, & Ecclesia tota Catholica illam sustinuit, vt patet per ea, quæ ex D. August. dicta sunt contra opinionem allatam cap. antecedēti, & ex Sacro Concil. Tridentino sess. 14. cap. 5. pro qua faciunt auctoritates Patrum adducendæ cap. 4. infrà, ad probandum confessionem secretā, & auricularem, de qua agendo de conditionibus confessionis dicemus. Proindè Scotus in hac q. 1. dist. 17. art. 1. inquit rationabilius esse tenere, quòd confessio cadat sub præcepto diuino positiuo. Dicit autem *rationabilius*, non quia dubitet; sed quia videbat adesse contentionem aliquam inter Doctores, & nulla adhuc erat determinatio Ecclesię; ideò sua modestia ordinaria est vsus, tamen optimè, & meliùs, quàm qui vis alius hanc assertionem probat. Adducit enim rationem fundamentalē, propter quā hanc assertionem semper tota Ecclesia tenuit, licèt explicitè, non definiuerit, nisi quando occasionem hæreses ei prębuerunt. Inquit ergo Scotus supponendum esse pro ueritate firma, quòd confessio sacramentalis est necessaria de iure diuino; sed tota difficultas est quomodo ex iure diuino hæc veritas deducatur.

Opin. Scoti.

In quo consistat difficultas.

35 Ad hoc ergo inuestigandum oportet videre. Primò, an explicitè hæc assertio habeatur in Euangelio à Christo Domino immediatè. Secundò, an ab eodem in aliqua alia doctrina Apostolica, vt in Epistolis, & alijs libris Apostolicis. Tertiò, an nec sic, nec sic, sed habeatur solùm, quòd à Christo Domino hoc præceptum datum est Apostolis, & ab Apostolis voce tenus sit Ecclesiæ promulgatum, sicut habemus multas alias traditiones. Istorū trium inquit Scotus, primum est magis conueniens si potest euidenter haberi ex Euangelio, quòd autem possit haberi ex Euangelio euidenter probat Scotus ratione efficacissima, qua vsum est Cōcilium Tridentinum: antequam autem hāc rationem adducat, notat locum illum Matth. 16. *Tibi dabo claues regni Cælorum*, &c. non esse locum efficacem, quia ibi non est nisi promissio de datione futura. Possumus addere nos, quod ibi fit promissio primatus Ecclesiæ Petro, quæ postea adimpleta fuit, cum Christus Dominus post resurrectionem dixit eidem Petro. *Pasce oues meas*, Ioan. vltimo, vt suprà diximus loquendo de institutione huius sacramēti. Quomodo tamē hic locus Matt. 16. faciat pro hoc sacramēto patebit infrà agēdo de clauibus. D. Thomas 3. p. q. 84. a. 7. vbi loquitur de institutione huius sacramenti, nihil dicit quòd pertineat ad confessionē, & eius opinio communiter reijcitur, vt diximus suprà loquendo de institutione huius sacramenti. In 4. verò Sent. dist. 22. q. 2. art. 3. q. 3. dicit hanc institutionem factam esse per partes, (quod etiam insinuat 3. par. q. illa 84. art. 7.) nam inquit Matthei 4. *Pœnitentiam agite*, &c. esse institutam quò ad vtilitatē, quò ad necessitatem Lucæ 13. *Nisi pœnitentiam egeritis*, &c. quò ad potestatem Io. 20. *Quorum remiseritis*, &c. Cęterùm, vt diximus suprà in duobus prioribus locis, non loquitur de pœnitentia sacramento, sed de pœnitentia virtute, vt patet. Quomodo autem ex hoc vltimo loco eliciatur, nec vllum verbum dicit, adeo quòd ex eo nullam lucē ad hoc habemus. Alij, vt Armacanus lib. 11. de quæstionibus Armenorū dicit confessionem institutā fuisse Math. 10. & Lucæ 6. quando Dominus misit Apostolos ad prædicandum: inquit enim tunc eos fecisse Apostolos, & auctoritatem dimittendi peccata eis dedisse, sed hæc opinio est falsa: quia in illis locis nullū est verbum de auctoritate dimittendi peccata. Et falsum est tunc discipulos creatos esse Apostolos, quia non sunt missi in vniuersum mundum, sed potiùs illis est dictum. ne abieritis in viam Gentium.

Tribus vijs pōt ostēdi hoc præceptū esse de iure diuino

36 Proprius locus ergo est illud Ioan. 20. *Accipite Spiritum sanctum, quorū remiseritis peccata remissa sunt eis*, &c. Ex hoc enim loco semper Ecclesia Dei, & Patres deduxerunt hanc veritatem.

37 Ex eo loco igitur Scotus format rationē, qua sacrū Cōcil. Trid. sess. 14. c. 5. vtitur, & hæc est. Ex illo loco habetur à Christo Dño immediatè datā esse potestatē Apostolis, & in eis omnibus sacerdotibus remittendi peccata: nō principaliter, quia hoc est propriū Dei; ergo ministerialiter, & arbitratiuè. Subinfert, at non possunt Apostoli, & sacerdotes eis succedentes arbitrari, & iudicare in causa ignota, neque condignā pœnā illis iniungere; ergo ex institutione huius auctoritatis sequitur necessariū esse, vt peccata de quibus debent iudicare, & arbitrari eis manifestētur; hoc non potest fieri, nisi mediante cōfessione; ergo ex illa collatione potestatis arbitrariæ sacerdotibus in causa peccati, obligatur peccator ad accusandū se sacerdotibus, tanquàm arbitris, quod est confiteri. Hæc est ratio efficacissima quidem, & inuincibilis.

Ratio fundamētalis huius assertionis catholicæ.

38 Verùm, vt magis huius rationis efficacia manifestetur, adducit Scotus obiectiones contra illam, & soluit. Sed antequàm adducamus obiectiones ipsius Scoti contra se. Notanda est inscitia Soto in 4. d. 18. q. 1. a. 1. Nā ibi vehementer inuehitur aduersus Scotū in hoc, quòd Scotus hic ait, Apostolos, & sacerdotes institutos esse iudices arbitros à Christo, nesciens distinguere inter iudicē arbitrariū, & iudicē arbitrū, vt optimè nouit Suarez disp. illa 17. sect. 2. n. 9. putauit enim Scotū intellexisse Apostolos, & sacerdotes institutos esse iudices arbitrarios, qui sunt illi, qui ex se nullā habent iurisdictionē, sed solūmodo illā accipiunt ex conuentione partium. In quo sensu minimè loquutus est Scotus, sed dixit Apostolos, & sacerdotes institutos esse iudices arbitros, vt Sancti loquuntur, scilicet quia instituti sunt iudices à Deo, ad iudicandum inter Deum, & peccatorem secundùm arbitrium suum. Iudex enim arbiter est qui habet facultatem arbitrandi, & iudicandi de causa.

Obiectio ex Soto cōtra Scotum diluitur.

Prima obiectio ex Scoto cōtra rationē factā.

39 Dimissa ergo hac obiectione Soto, Scotus aduersus rationem factam adducit instātias, quia tota vis illius rationis consistit in hac consequentia, Sacerdotes instituti sunt iudices arbitri de peccatis; ergo necessaria est confessio peccatorum; & in probatione illius consequentiæ, quæ est, quia iudex non potest cognoscere in causa ignota; peccata autem sunt ignota, nisi per confessionem manifesta fiant. Posset quis respondere, ex hac ratione haberi quod sacramentum pęnitentiæ est institutum à Christo Domino, & quod sacerdotes facti sunt iudices peccatorum, & quòd peccata non possunt iudicari nisi aperiantur per cōfessionem: at hoc probat sacramentum hoc esse vtile, & efficax medium ad consequendum veniam peccatorum: non autem concludit hoc medium esse institutum, vt medium necessarium, & cadens sub pręcepto; itaquòd vnusquisque peccator teneatur ad confessionem, & ad susceptionem huius sacramenti. Ratio autem, propter quam

1. Ratio. hæc consequentia non videtur valere, est multiplex. Prima, quia etiam sacramenta confirmationis, & extremæ vnctionis sunt instituta vt media ad conferendam gratiā à Christo Domino; & tamen neutrum simpliciter est necessarium, nec est pręceptum de isto, vel illo recipiendo. Vndè ad formam argumenti, cum dicitur, sacerdotes sunt iudices arbitri in causa peccati; ergo peccatores se debent illis accusare, respondetur verum esse de illis, qui volunt se eorum arbitrio subijcere; si enim se illis submittant, habent potestatem arbitrandi, & iudicandi de illis; si verò illis non se submittant, non habent potestatem illos iudicandi.

Confirmatio prima. Confirmatur exemplo. Sint quatuor sacerdotes, quorum quilibet habeat auctoritatem absoluendi hunc peccatum, quilibet est completè arbiter eius quantùm ad potestatem, non tamen tenetur se submittere cuilibet, sed vni tantùm, cui voluerit.

Confirmatio secūda.

40 Confirmatur adhuc per verba, quæ Christus Dominus subiunxit. *Et quorum retinueritis retenta sunt* &c. Nam sic arguitur. Auctoritas, quæ per hæc verba cōfertur Apostolis dimittendi peccata, non est pręcisa, itaquòd nulla alia via, & medium sit, quo Deus dimittat, & retineat peccata, nisi per remissionem, & retētionem Apostolorū, sed datur alia via, & medium. Probatur, quia non sola illa peccata retenta sunt peccatori, quæ sacerdos illi retinet, idest non dimittit; sed alia, quæ sacerdoti non sunt manifesta, retinentur à Deo ipsi peccatori, idest illi à Deo non dimittuntur. Nam sacerdos nō potest retinere nisi peccata sibi confessa, sed indebito modo, scilicet sine signis pœnitentiæ. Si autem alia aliqua taceat peccator, Deus illa peccata retinet, & punit gehæna, & tamē nō sunt cōfessa; ergo potestas dimittendi peccata data sacerdotibus ibi non est præcisa; ergo neque auctoritas dimittendi peccata debet esse præcisa: quia sunt æquales istæ auctorites tam dimittendi, quàm retinendi; ergo datur aliqua alia via, & medium dimittendi peccata, & eadem retinendi quàm per confessionem; ergo non est medium necessarium ex præcepto diuino.

2. Ratio.

41 Secūda ratio ex alijs. Christus Dominus in eisdem verbis fecit sacerdotes iudices arbitros, etiam de peccatis venialibus, & tamen non adest ex hoc pręceptum necessarium, vt quis illa confiteatur. Possunt enim alia via, & medio dimitti; ergo neque ex vi institutionis illius auctoritatis videtur sequi necessariū esse cōfiteri peccata mortalia.

3. Ratio.

42 Tertiò. Ratio, qua consequentia illa probatur, non videtur concludere propositum: quia benè ex illa sequitur, quòd sacerdos nō potest iudicare de peccatis, nisi peccator peccata cōfiteatur, quia sunt occulta: at hæc ratio nō probat iudicium illud sacerdotis, & sentētiam esse necessariam ad dimittendum peccatum, quod tamen est illud quod pobandum esset.

4. Ratio.

43 Quartò. Hæc consequentia non est expressa in Euangelio, & Euangelij locus videtur alijs modis posse exponi; ergo ratio illa non videtur efficax, licèt illam afferat Concilium.

44 Istæ sunt obiectiones, quæ aduersus hāc rationem ad eius maiorem declarationem adducūtur, quarum prima, & principalis est Scoti, quam videns Soto dist. 18. q. 1. a. 1. putauit, vel putare voluit Scotum fecisse pro se ipso, & ipsum sustinere illam esse veram, & Scotum sustinere non deduci ex illa auctoritate Ioan. 20. confessionem esse medium necessarium ex institutione Christi ad delenda peccata; quod tamē est omninò falsum, & alienissimum à mente Scoti: nam has obiectiones excludēdo confirmat rationem illam: & licèt dicat, quòd responsio illa videatur multùm probabilis, non propter hoc sequitur, quòd illam approbet. Dicit quidem videri probabilem, quia difficilè confutatur, vt patebit infrà; & patet per rationes adductas contra eam; non tamen dicit satisfacere, & esse veram. Obiectio ex Soto refellitur.

45 Antequàm autem adducam rationem Scoti probātem efficaciam illius rationis, aliorum rationes ad idem adducere placet, vt appareat, quàm rectè Scotus hoc misterium declarauerit. Primo loco est ratio Richardi in hoc 4. dist. 17. art. 2. q. 1. quam Scotus adducit. Nulli committitur potestas iudiciaria siue arbitraria, nisi alicui imponatur necessitas submittendi se sibi; sed sacerdotibus ex illa auctoritate, & ex concessis in illa responsione datur potestas iudicandi, & arbitrandi de peccatis; ergo alicui committitur necessitas subijciendi se ipsis sacerdotibus. Maior patet, qa nullus est iudex alicuius, nisi habeat vim compellendi illum ad agendum causam suam coram ipso, & ad cogendum parere iuri. Si enim sit in libera potestate rei iudicari ab isto iudice, vel non iudicari, tunc illæ nullam auctoritatem haberet indicandi illum reum. Ratio Richardi.

46 Hæc ratio reijcitur à Scoto, quia non cogit. Nam aduersarius concederet sacerdotem ex hac institutione in iudicem peccatoris in causa peccati habere auctoritatem compellendi reum ad parendum iuri, si ipse reus vellit illi submittere se; facta enim submissione non posset reus nō stare sententiæ; & sic concedit quòd haberet potestatem compellendi: negaret tamen habere auctoritatem ad cōpellendum eum se sibi submittere: quia diceret illum habere alia media ad dimittenda sibi peccata. Pręterea alij dicunt rationem istam non valere: quia sunt multi sacerdotes, qui habent auctoritatem absoluendi peccata, vt delegati ab Episcopis, & tamen non habent vim compellēdi peccatores ad sibi ipsis subijciendos. Reijcitur à Scoto.

47 Ideò eandem rationem Richardi Soto alio modo conficit vbi suprà. Inquit ergo, vis argumenti consistit in hoc. Christus tradidit potestatem ordinariam Apostolis, & sacerdotibus dimittendi, & retinendi peccata; ergo necessarium illorum iudicium illis commisit. Probationem autem innuit dicens, quod si non subdidisset peccatores sacerdotibus, itaquòd sacerdotes non haberent vim correctiuam, non essent iudices ordinarij; quæ ratio est satis inepta. Explicatur tamen à Suarez, vbi suprà, meliùs sic. Christus Dominus illis verbis, *Accipite Spiritū sanctum*, erexit in Ecclesia publicum tribunal, in quo causæ peccatorum post baptismum commissorum tractarētur, & terminarentur, & in eo cōstituit sacerdotes iudices ordinarios; quando autem Rex in aliqua Republica benè instituta instituit aliquod tribunal ordinarium simile, illud est quasi vnicum refugium, & medium necessarium ad lites terminandas; ergo ex prędicta institutione Christi rectè colligitur confessionem esse medium necessarium ad remissionem peccatorum. Ratio Soto.

48 Sed neque hæc ratio Soto hoc modo explicata satis probat propositum, vt etiam notauit Suarez. Primò, quia non omnes sacerdotes sunt iudices ordinarij in causa peccatorum, sed aliqui sunt delegati. Sacerdotes etiam ordinarij ex hoc, quod sunt ordinarij, non videntur habere auctoritatem compellendi peccatores ad suum forū: quia omnes respectu Christi sunt delegati, & vicarij: ideò videtur semper esse in optione ipsorum peccatorum adire forum sacerdotum, vel illud declinare, & velle adire forum ipsius Christi, qui est supremus, & verè ordinarius iudex, & ita erectio illius tribunalis potest esse tantùm in Reijcitur.

fauo-

fauorem, & vtilitatem ipsorum reorum, si vellint adire, vt dicebat Scotus, non autem cum necessitate. Nec probatio eius, quod nisi hæc necessitas includeretur in hac institutione, sacerdotes non haberent vim coercitiuam, neque proinde essent iudices ordinarij, aliquid valet: quia de ratione potestatis ordinariæ, non est quæcunque vis coercitiua, vt tangebat Scotus in obiectione: quia si, verbi gratia, in eadem ciuitate sint duo prætores instituti ad easdem causas, nemo potest cogere aliquem subditũ ad accedẽdum ad suum forum, sed potest solùm eos, qui voluntariè ad suum forum accedunt, iudicare: & facta submissione habet in eo vim coercitiuam, vt pareat iuri: & hoc sufficit ad auctoritatem ordinariam. Non ergo ex hoc habetur, quod omnes peccatores habentes peccata post baptismum teneantur adire sacerdotes ad confitendum sua peccata, & neminem posse declinare forum sacerdotis, & stare soli foro Christi, per pœnitentiam virtutem, vel quid simile.

Responsio Suarez.

49 Ideò Suarez ibidem dicit, quod etsi ex præcisa institutione potestatis dimittendi peccata, non eliciatur necessitas confessionis euidẽter, & efficaciter, tamen illa est coniectura valdè probabilis, & moraliter satis efficax: quia cum in ciuilibus à Principe erigitur aliquod simile tribunal, secundùm viam ordinariam etiam decernit vt omnes lites ad illud tribunal necessariò deducantur, nec reseruat subditis potestatem (ordinariè loquendo) declinandi illud tribunal, & ad ipsum Principem recurrendi immediatè; sed cum hoc fit, ex speciali gratia fit.

1. Confirmatio.

50 Confirmat hoc addendo, quod ratio Conc. Trid. quæ est eadem cum ratione principali, quam suprà fecimus, non colligit confessionem esse necessariam, ex eo solũ, quòd sacerdotes sunt instituti iudices, sed ex eo, quòd instituti sunt tales iudices, vt ad eos pertineat pronuntiare sententiam remissionis, vel retentionis peccatorum: & in hoc est posita tota vis rationis. Nam etsi Christus Dominus sit iudex, tamen se excludit quò ad viam ordinariam per institutionem istius potestatis. Sicut Deus Pater, cum misit Filium suum in mundum, & dedit ei potestatem iudicandi mundum, iuxtà illud Matth. vltimo. *Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra*, se exclusit ab hac auctoritate, iuxtà illud Io. 5. *Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio*.

2. Confirmatio.

51 Et confirmatur, quia Christus Dominus dedit auctoritatem non solùm dimittendi peccata, sed etiam retinendi: at sacerdos non potest retinere, nisi per confessionem illi patefiant; ergo ad hoc, vt hunc actũ possint exercere, necessarium fuit, vt includeret in institutione huius potestatis necessitatem confessionis.

Reijcitur.

52 Cæterũ neque ipse Suarez plenè satisfacit. In primis fatetur ipse hanc esse coniecturam probabilem, non efficacem, neque euidentem, sed solùm moraliter efficacem: at hic eniti debemus, vt ostendamus necessariò, & euidenter deduci ex illa auctoritate necessitatem confessionis. Rationes etiam istæ ab eo adductæ sunt tantum probabiles, & facilè possunt solui.

Ad primã rationem.

Vndè ad rationem, qua illam coniecturam probat, respondetur, quòd cum Princeps in politia erigit tribunal ad dirimendum lites, nunquam erigit illud in tanto rigore, & præcepto ita stricto, vt si quis velit declinare illud tribunal, & immediatè Principem velit adire, ille incurrat odium Principis, & amittat eius gratiam: at qui vult declinare iudicium sacerdotis, non confitendo illi sua peccata, peccat mortaliter, & amittit gratiam Principis Dei; ergo non est par ratio de illo tribunali, & iudicio sacerdotum.

Ad primã cõfirmationem.

53 Ad confirmationem primam negaretur ab aduersarijs Christum Dominum se excludere ab hoc iudicio. Ad probationẽ multa possent dici, sed hoc sufficiat, quod non est simile: quia Christus Dominus non dedit omne iudicium sacerdotibus, sicut Pater dedit Filio, sed reliquit sibi multam potestatem. Vndè multa peccata ipse dimittit, & multa retinet, quæ nec sacerdos dimittit, nec retinet: quia non est auctoritas præcisa, vt dictum est suprà in obiectione: & cũ dixit Christus discipulis, *Ego mitto vos, sicut misit me Pater*, non tenet in omnibus, sed solũ, quòd sicut Pater misit Filium, vt saluum faceret, quod perierat, ita misit Apostolos, & sacerdotes ad saluandũ, & liberãdum peccatores à suis peccatis, dando eis potestatem, qua hoc facere possent.

Ad secundam cõfirmationem

54 Ad secundam confirmationem respondetur eandem esse rationem de peccatis dimittendis, & retinẽdis, nulla enim sacerdos potest remittere nisi confessa, neque potest retinere nisi confessa: non tamen ex hoc sequitur, quod confessio peccatorum, quæ retinentur, sit necessaria, quia ea peccata, quæ retinentur à sacerdote sunt voluntaria indirectè, quia scilicet volunt illa confiteri sacerdoti, & subijcere iudicio eius, licèt non cum debitis circũstantijs, & vt conuenit, & ideò illi retinentur, non autem dimittuntur.

Vera ratio per quã cõcludit ratio principalis

55 Cum ergo etiam ex aduersarijs nulla prędictarum rationum efficaciter demonstret necessitatem confessionis deduci ex illa auctoritate Io. 20. Nunc ponderandæ sunt rationes, quibus Scotus eius efficaciam probat. Inquit ergo Scotus, ex illa potestate data Apostolis deducitur confessionem esse simpliciter necessariam ad dimittendum peccatum, facta vna suppositione, quę est nota in euangelio, nimirum, quòd quicunque primam gratiam amisit, tenetur facere quantum in se est, vt illam reciperet, & hoc virtute illius præcepti. *Diliges Dominum Deũ tuum*. & etiam virtute illius. *Diliges te ipsum*, &c. Hæc suppositio est euidens, vt diximus suprà agendo de præcepto contritionis. Vnusquisque enim tenetur dolere de peccato commisso pro aliquo tempore, saltem in articulo mortis; itaquòd si non dolet, nouo peccato peccat. Ad propositum, qui peccauit amisit primam gratiam: potest illam recuperare per sacramentum pœnitentiæ, scilicet confitendo sacerdoti peccata, quia hoc sacramentum ad hunc effectum est institutum Io. 20. ergo ex illa potestate data sacerdotibus per institutionem sacramenti pœnitentiæ, facta suppositione illius præcepti. *Diliges Dominum Deum tuum*, &c. elicitur necessitas confessionis, quòd autem illa suppositio supponatur à Concilio, & à sanctis Patribus patet.

Obiectio.

56 Quòd si quis dicat, ex illa suppositione teneri quidem qui peccauit ad recuperandam gratiã amissam, sed non probari confessionem esse precisam viam, & mediũ, vndè posset dici esse etiam aliam vtilem, vt est contritio.

Reijcitur.

Contrà. Nulla alia est ita facilis, & ita certa sicut cõfessio sacramentalis, quia hic sufficit non ponere obicem peccati mortalis, & habere attritionem de peccatis commissis: potest autem aliquis faciliùs habere attritionem, & non ponere obicem, quàm habere contritionem. Hoc posito sic arguitur. Vbi est via facilior, idest magis posita in potestate hominis, & certior ad gratiam recuperandam, tenetur quilibet ad illam viam: nam si illa omissa quęrat, & attẽtet aliã difficiliorem, & incertiorẽ, exponeret se periculo peccati mortalis, & videretur esse contẽptor propriæ salutis; sed illa via suscipiendi sacramentum pęnitentiæ est magis possibilis homini, & certior ad recuperandam primam gratiam per peccatum amissam; ergo tenetur de necessitate ad suscipiendum sacramentum pęnitẽtiæ. Illa ergo institutio sacramenti pęnitentiæ obligat sub necessitate, stante suppositione illa, quod qui amisit gratiam, ex vi præcepti dilectionis Dei, & sui ipsius teneatur ad recuperandam gratiam, vt deductum est.

Obiectio ex Suarez.

57 Sed obijcit Suarez disp. 35. assert. 1. sect. 1. quod certitudo dimissionis peccati per confessionem non videtur esse tanta, vt propter eam solam homo obligetur ad actũ difficilem confessionis, si aliàs non est datum præceptũ de confessione, & maximè, quia etiam in confessione potest esse aliqua incertitudo de intentione sacerdotis, vel de iurisdictione; vel an sit verus sacerdos, & similia: & confirmatur, quia potest facere omnem diligentiam, vt habeat contritionem, qua habita est medium certissimum dimittendi peccata. Vndè ipse Suarez reddit ad rationem

tionem

Reijcitur.

tionem, quam ex eo suprà assignauimus. Hæc obiectio est sine fundamento. Certum est enim ad confessionem sufficere attritionem, quam faciliùs est habere sine comparatione, quàm contritionem: ideò cum quis est in peccato, & vult dimittere confessionem, & fidere suæ contritioni, est apertè exponere se periculo suæ salutis: ideò supposito peccato, rectè colligitur necessitas præcepti confessionis ex illis verbis, *Quorum remiseritis*, &c. Quòd verò ait in confessione etiam esse incertitudinem, quia dubitari pôt de intentione Sacerdotis &c. Respondetur hanc esse incertitudinem valdè remotam, quam possumus habere in baptismo quoque: ideò hæc non obest, quia tenemur credere, quòd vnusquisque minister Sacramentorum munere suo rectè fungatur, nisi constet oppositum.

58 Licèt ergo rō optimè, & efficaciter concludat facta illa suppositione, quæ omninò est necessaria, vt visum est: quia tamen tempore Scoti hoc non erat explicitè definitum ab Ecclesia, subiungit, quòd si aliquis proteruus adhuc nolit concedere hanc necessitatem confessionis deduci ex illo loco Euangelij: saltem non potest negari ex eo loco haberi præceptum de confessione facienda fuisse valdè rationabile pro multitudine: quia etsi aliqua persona possit habere aliquod remedium speciale; tamen de illo remedio, quod communitati est possibilius, & certius, rationabiliter datur præceptum etiam omnibus in communitate existentibus, vt dictum est suprà de baptismo fluminis. dist. 4. q. 6. Quòd licèt aliquis habeat baptismum flaminis: tamen quia baptismus fluminis est remedium valdè certum, & facile, rationabile est præceptum de baptismo fluminis datum est toti communitati: & sic ad minus habetur rationabiliter à Christo datum fuisse pręceptum de pęnitentia; sed prima ratio est sustinenda, quia est efficacissima, stante illa suppositione.

Secũda via ostendendi hoc præceptũ esse de iure diuino positiuo, q̃ Scotus non tenet.

59 Secunda via, qua Scotus dicebat posse ostendi hoc præceptum esse de iure diuino, est videre, An in aliqua doctrina Apostolica habeatur hoc pręceptum de confessione. Aliqui dixerunt, quòd habetur per illud verbum Apostoli Iacobi 5. *Confitemini alterutrũ*. Hanc viam reijcit Scotus breuiter, quia nec D. Iacob. pręceptum confessionis dedit, nec promulgauit. Non dedit, quia, cum ipse esset Episcopus Hierosolymitanus, non habebat auctoritatem obligandi totam Ecclesiam. Et prætereà suprà ostendimus nos, hoc non potuisse esse præceptum ecclesiasticum. Nec promulgauit, quia quando Apostoli promulgabant aliquod præceptum Christi, vtebãtur verbis, quibus insinuabant se esse præcones Christi, vt patet per illud Pauli 1. ad Corinth. 7. vbi quandò vult Apostolus publicare præceptum Domini de non dimittenda vxore, inquit, *Præcipio non ego, sed Dominus*. Quando verò ipse facit pręceptum proprium, vt de cohabitatione viri fidelis cum vxore infideli, inquit, *Dico ego non Dominus*. Quod etiam D. Iacob. in eo loco nec instituerit pręceptum de confessione, nec illud promulgauerit, probat Scotus, ex eo, quod dicit. *Confitemini alterutrum peccata vestra, & orate pro inuicem vt saluemini*. Patet enim, quòd non dicit confitemini peccata *sacerdotibus*, sed *ad inuicem*, & obiectus, tam sacerdotibus, quàm laicis, vt declarant illa verba, *& orate pro inuicem, ut saluemini*: debemus enim orare pro omnibus. Illud ergò verbum *confitemini*, ibi non significat confessionem sacramentalem, sed significat confessionem generalem apud omnes nosmetipsos esse peccatores, iuxtà illud 1. Canonica Ioan. 1. *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est*.

Tertia via probãdi cõfessionis p̃ceptum esse d̃ iure diuino p̃ omnibus efficax.

60 Tertia via, qua Scotus dicebat, posset probari, hoc præceptum de confessione esse de iure diuino, erat dicendum esse, hoc pręceptum de confessione esse de iure diuino positiuo promulgato Apostolis à Christo, & ab Apostolis Ecclesiæ absque omni scriptura; sicuti multa alia tenet Ecclesia oretenus per Apostolos sibi promulgata sine scriptura. Hic modus dicendi est certissimus, & omnium accommodatissimus, & hoc videtur maximè visum fuisse sacrum Conc. Trid. sess. 14. cap. 5. Sed est notandum, hunc modum ostendendi necessitatem confessionis ex iure diuino, posse duobus modis intelligi. Vno modo, quod ex Euangelio, & pręsertim ex illis verbis Ioan. 20. *Quorum remiseritis*, &c. non habeatur sufficienter deduci, confessionem esse necessarium medium, & viam; & ideò vltra hoc, per traditionem esse additum aliquid, ex quo & ex illis verbis deducatur talis necessitas: & hic sensus videtur prima facie intentus à Scoto; sed hic sensus est falsus, nec est intentus à Scoto. Alio modo (& hic sensus intenditur à Scoto) potest intelligi, quòd hoc pręceptum est de iure diuino promulgato à Christo Apostolis in illis verbis, *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis*, &c. Ab Apostolis verò promulgatum est Ecclesiæ in illis verbis, & tale pręceptum confessionis à Christo institutum esse, nõ aliqua scriptura, sed verbotenus: cuiusmodi multas alias traditiones in Ecclesia habemus, cuius fundamentum est illud Ioan. 20. *Multa quidem, & alia signa fecit Iesus*, &c. & habetur expreßè, extrà de celebratione missarum, cap. *Cum Martæ*, lib. 3. Vndè sensus est, quòd & si in illis verbis Ioan. 20. *Quorum*, &c. sufficienter contineatur hæc veritas, quòd confessio peccatorum est necessaria, & cadit sub præcepto; tamen, quia ille sensus non tam est euidens, quã requireretur, ex auctoritate Ecclesiæ, & eius capitis, cuius est sensum verborum Christi, declarare sua traditione, & definitione semper declarauit sensum verborum illius loci esse, vt sacerdotes sint instituti iudices in causa peccati: ita vt omnes, qui habent peccata, ad illos cõfugere teneantur, vt ab illis iudicentur. Et hæc ratio disertè habetur in Conc. Trid. loco citato, vbi inquit, quòd *vniuersa Ecclesia semper intellexit institutam esse à Domino integram peccatorum confessionem, & omnibus post baptismum lapsis iure diuino necessariam existere: quia Dominus à terris ascensurus ad Cælos, eos iudices, & vicarios reliquit, ad quos omnia crimina deferantur, in quæ Christi fideles ceciderint*, &c. Instituit autem iudices, &c. in illis verbis, *Quorum remiseritis*, &c. ergo in illis verbis Ecclesia semper intellexit, hãc confessionem esse sub pręcepto institutam, & ordinatam.

Fundamentum traditionum Ecclesiæ.

61 Concludit ergo Scotus, confessionem esse de iure positiuo diuino promulgato per Euangelistam Ioan. 20. vt suprà dictum est, sufficienter absque vlla alia declaratione Ecclesiæ, vel Apostolorum. Vel saltem esse tenendum, institutam esse à Christo, Ioan. 20. & promulgatum fuisse à Christo Apostolis in eo loco se instituisse necessitatẽ confessionis. Ab Apostolis verò promulgatum fuisse Ecclesiæ absque vlla scriptura eodem loco Ioan. 20. institutam fuisse à Christo Domino necessitatem confessionis. Itaquòd certum est, ex illis verbis maximè accedente traditione Ecclesiæ haberi necessitatem confessionis sacramentalis.

Epilogus opi. Scoti.

62 Sed hic est difficultas, quomodo dicatur, confessionem sacramentalem esse medium necessarium, & cadere sub præcepto, & tamen superiùs agendo de pęnitentia virtute, ostensum est, quòd per pęnitentiam virtutem, s. per contritionem dimittitur peccatum absque confessione. Diximus etiam peccata dimitti per pęnitentiam virtualẽ, vt sunt martyrium, actus charitatis, & huiusmodi, de quib. ibi. Respondetur esse communem sententiam Theologorum, non esse necessarium, vt semper actu hoc sacramentum pęnitentiæ suscipiatur; sed sufficit vt in re, vel in voto suscipiatur. Dicitur autem suscipi in voto, quando quis habet contritionem de peccatis cum proposito confitendi peccata sua sacerdoti tempore debito. Vndè etsi posteà propter aliquod impedimentum non fiat confessio in re, valet: quia hæc contritio ordinatur ad confessionem, & illam includit, vt remedium ordinarium, nõ actu, sed virtute. Et hoc votum confessionis implicitum sufficit. Quòd autem sufficiat cõfessio in voto, est, vt dixi, communis sentẽtia Theologorum, Scoti in hoc 4. dist. 14. q. 4. in resp. ad secundum, & in hac dist. 17. q. 1. vbi dicit, quòd sicuti iustificato per baptismum flaminis est necessarius baptismus fluminis, qui est sacramentum, ita iustificato per cõtritionem, necessarium est sacramentum pęnitentiæ, Magistri Sent. in 4. dist. 17. & cęterorum Doctorum ibi, quos citat

Confessio sacramẽtalis ẽ necessaria in re, vel in voto.

Suarez

Suarez disp. 17. sect. 3. Sufficit etiam hoc propositum implicitè, quod etiam est certum, & est communis sententia Theologorum, licèt Cano relectione de pęnitentia dicat requiri propositum, & votum explicitum, quem iurè ibi Suarez reijcit. Nam præter auctoritates Scholasticorũ habetur in Concilio Tridentino sess. 14. cap. 4. quòd contritio non remittit peccata sinè voto sacramenti, quod in illa includitur.

Ad primã rationẽ cõtra rationẽ principalẽ.

63 Ad primam obiectionem contra rationem principalem de sacramento confirmationis, & extremę vnctionis respondetur, non esse parem rationẽ de illis, & sacramento pœnitentiæ: nam in illis sacramentis non dimittitur peccatum mortale, vt in sacramento pęnitentiæ: ideò ex præcepto dilectionis Dei, & sui ipsius nemo tenetur ad suscipiendum sacramenta illa; sed benè ad suscipiendum sacramentum pęnitentiæ.

Ad primã confirmationem.

64 Ad primam confirmationem respondetur, exemplum illud de quatuor sacerdotibus habentibus eandem potestatem probare quidem peccatum nõ teneri se subijcere cuilibet, sed vni tantùm, & illum vnũ, cui se subijcit, habere potestatem super eum; sed ex hoc non valet inferre, quòd habens peccatum mortale non teneatur se subijcere alicui sacerdoti, quod est id, quod quærimus: dicimus enim, quòd ex præcepto dilectionis Dei, & sui ipsius, & ex institutione huius sacramenti, tenetur se alicui sacerdoti subijcere, vt à peccatis soluatur.

Ad secundam confirmationem

65 Ad secundam confirmationem respõdetur, quòd etsi detur alia via, & medium remittendi peccata, scilicet contritio: tamen illa non est ita certa, & facilis sicut hæc: est enim ignotum, quando quis habeat debitam cõtritionem: ideò exponeret se periculo moriendi in peccato, qui negligeret confessionem, & sacramentum: quia est medium facilius, & securius: ideò cõtritio debet semper includere in voto confessionem, & susceptionem sacramenti pœnitentiæ.

Ad secundam obiectionẽ principalem de peccatis venialibus.

66 Ad secundam obiectionem principalem de peccatis venialibus respondetur, non esse parem rationem de illis, & peccatis mortalibus, quoniam peccata venialia, non excludunt gratiam, & charitatem: ideò ex præcepto dilectionis Dei, & suipsius non tenetur expellere illa.

Ad tertiam obiectionẽ

67 Ad tertiam obiectionem respondetur, ex illa ratione probari confessionem esse necessariam, ad hoc vt sacerdos possit iudicare in causa peccati, & hoc sufficit: nam quòd posteà iudicium illud sacerdotis in causa peccati sit necessarium, probatum est ex institutione potestatis sacerdotis, & ex suppositione præcepta dilectionis Dei, & suipsius, vt dictum est.

Ad quartã.

68 Ad quartam respondetúr cõsequentiam illam includi in verbis Euangelij satis euidenter, & maximè accedente interpretatione, & intellectione Ecclesiæ Catholicæ, & stante illa suppositione, quod quicunque existẽs in peccato mortali ex vi præcepti dilectionis Dei, & sui ipsius teneatur ad quærendum liberationem à peccato, vt suprà ostendimus: licèt clarior esse posset: neque aliam interpretationem locus ille habere potest, vt vidimus.

Argumenta principalia Scoti, & alia obiectiones contra confessionem sacramentalem adducuntur, & soluuntur, & confessionem de iure diuino esse necessariam magis confirmatur.
Caput Quartum.

69 VAriæ afferuntur ab hæreticis obiectiones contra confessionem sacramẽtalem, quas oportet adducere, simùl cum argumẽtis principalibus adductis à Scholasticis, & eas confutare, ac auctoritatibus Patrum magis confirmare necessitatem, & institutionem eius à Christo Domino. Et quia obiectiones istæ omnes militant contra cõfessionem secretam, & auricularem, ex harum solutione magis confirmabitur, confessionem illam, quæ est de essentia sacramenti pœnitentiæ, esse confessionem secretam. Primo loco ergo adducam argumenta principalia Scoti. Deindè obiectiones particulares hæreticorum, qui vt plurimum argumenta Scholasticorum pro parte falsa pro se ipsis assumunt, non aspicientes ad solutiones ab eisdem allatas.

Confessionem secretam esse sacramentalẽ cõfirmatur

70 Primum argumentum ergo Scoti in hac dist. 17. quæst. 1. est desumptum ex D. Ambrosio, super illud Lucæ 22. *Petrus exiuit foras, & fleuit amarè*. Inquit enim Ambrosius. *Lacrimæ lauant delictum, quod voce pudor est confiteri. Lacrimas Petri lego, satisfactionem non lego*. Ergo sufficit cordis contritio absque confessione peccati. 1. Ratio ex Scoto.

71 Secũdò. Cassiodorus super illud Psalmi. *Dixit confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti mihi impietatem peccati mei*. Inquit. *Dixit, idest apud me deliberaui quod confitebor, & tu remisisti*. Sequitur. *Magna misericordia Dei, quòd ad solam promissionem dimittit peccatum*. 2. Ratio.

72 Tertiò. Super eundem locum D. August. inquit. *Nondum pronuntiat, sed promittit pronuntiaturũ, & Deus remittit*. 3. Ratio.

73 Quartò. Ezechielis cap. 18. *Quacunque hora peccator ingemuerit, vita viuet*. & Magister in littera huius distinct. adducit multas similes auctoritates pręsertim illud Ioann. 12. vbi dicitur, quod Lazarus priùs resuscitatus est, quàm solutus ab institutis. Et illud Lucæ 17. de leprosis, qui priùs mundati sunt, quàm ad sacerdotes peruenirent; ergo sola contritio sinè confessione sufficit ad delendum peccata. 4. Ratio.

74 Quintò arguitur per rationem. Sola præcepta decalogi sunt necessaria ad salutem iuxta assertum Christi Domini Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi serua mandata*. & Lucæ 10. *Mandata nosti, hoc fac, & viues*. Tunc sic. Si confessio peccatorum esset simpliciter necessaria, contineretur sub aliquo decem mandatorum Decalogi; sed non continetur, ergo. Minor probatur, quia præcepta Decalogi sunt de lege naturæ, & ad minùs ligabant tempore legis Mosaicæ; sed nec tempore legis naturæ, nec tẽpore legis Mosaicæ erat obligatio confitendi peccata sua homini; ergo confessio peccatorum non est necessaria de iure diuino. 5. Ratio.

75 Sextò. Nemo obligatur ad impossibile; sed mutus non potest loqui; ergo non obligatur ad confessionem. 6. Ratio.

76 Septimò. Barbarus inter extraneos est mutus, quia ignorat idioma exterorum; ergo non tenetur ad confessionem, quia obligaretur ad impossibile. 7. Ratio.

77 Octauò. Potest contingere, quòd aliquis non habeat copiam præsentiæ sacerdotis, vt quia est captiuus inter infideles, nec licet confiteri per litteras, nec per nuntium; ergo talis non obligatur ad confessionem, quia super hoc non inuenitur aliquid præceptum. 8. Ratio.

78 Nonò. Nullus tenetur mentiri; sed sic est, quod potest contingere, quòd aliquis fuerit innocẽs toto tempore vitæ à peccato mortali, etsi confiteretur, aliquod peccatũ mortale se commisisse mentiretur; ergo confessio non est simpliciter necessaria. Hæc eadem argumenta ferè adducuntur ab alijs Scholasticis. 9. Ratio.

79 Decimò adsunt obiectiones hæreticorum, quas ex Bellarmino, & alijs scribentibus contra hæreticos collegi. Fatentur ergo hæretici, & maximè Caluinus lib. 3. inst. cap. 4. §. 7. confessionis secretæ, & sacramentalis vsũ esse vetustissimum: negant tamen esse institutam à Christo Domino, & esse necessariam de iure diuino; sed dicũt liberum fuisse, vt qui vellet, posset confiteri, qui verò nollet, non esset obligatus; sed obligationem hanc introductam fuisse ab Innocentio III. in capite. *Omnis vtriusque sexus*. Quòd autem non sit de iure diuino necessaria probat Caluinus primò, quia si auricularis confessio esset de iure diuino, non potuisset lex illa abrogari ab Episcopo aliquo præsertim pio, & sancto, neque ab aliqua ecclesia catholica; sed sic est, quod in ecclesia Constantinopolitana Nectarius Episcopus alioqui uir pius, & doctissimus, vt habetur ex historia Sozomeni, vsum confessionis auricularis ex ecclesia abstulit, & prohibuit: & eam sequutæ sunt 10. Ratio.

Obiectiones hæreticorum.

Argumentum Calui ni ex historia Nectarij.

sunt omnes Ecclesiæ Orientales, vsque ad tempus Sozomeni; ergo confessio secreta, & auricularis non est de iure diuino.

11. Ratio. 80 Vndecimò adducit auctoritates multas ex D. Io. Chrysost. qui eandem abrogationem confessionis approbat, & commendat, quod facere non posset, si esset de iure diuino: præsertim autem adducit locum ex hom. 2. in Psalm. 50. vbi ait. *Peccata tua dicito, vt deleas illa: si cōfunderis alicui dicere quæ peccasti, dicito quotidie ea in anima tua. non dico, vt confitearis conseruo tuo, qui exprobret; dicito Deo, qui curat ea*. Alia similia habet alijs locis præsertim hom. 31. in cap. 12. Epistolę ad Hebræos. Brentius & Kemnitius addunt auctoritatem similem ex Cassiano Collatione 20. cap. 8. & alias auctoritates Patrum adducunt, quas Bellarminus, & Suarez locis citatis afferunt; & similia habentur de pœnitentia dist. 1. à principio vsque ad cap. 36. præsertim illud ex homilia 8. D. Ioan. Chrysostomi de pœnitentia circa finem. *Non in commune theatrum accusationem producit non delictorum testes statuit, intus in conscientia stante nemine præter eum, qui cuncta uidet, Deum iudicem peccatorum statuens reforma, quod deliquisti, atque sic pura conscientia sacrā attingere mensam*, quę auctoritas videtur expressa; negat enim ministerium linguæ.

Aliud argumētū ex auctoritate D. Ioanni Chrysost.

12. Ratio. 81 Duodecimò inquit. Confessio integra omnium peccatorum, vt requiritur in confessione sacramentali, secundùm nos catholicos est impossibilis; ergo non cadit sub præcepto, quia Deus non præcipit impossibilia. Antecedens probatur, quia in Psal. 18. dicit Dauid, *Delicta, quis intelligit?* & Psal. 37. *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum*. Si ergo Dauid non potuit supputare iniquitates suas, quis suorum peccatorum supputationē cogitet?

13. Ratio. 82 Tertiodecimò. Adducit tandem Caluinus argumenta, quæ suprà ex Scoto, & alijs Scholasticis adducuntur, quòd via, & medium ordinarium, quo peccata delentur, & remittuntur, & semper deleta fuerunt, est dolor, & contritio de peccatis, iuxtà illud Ezechielis ca. 18. *Quotiescunque ingemuerit peccator, omnium iniquitatum eius non recordabor*; ergo non est necessaria confessio.

14. Ratio. 83 Quartodecimò. Barbaries, qua vsus est Innocent. III. in lege illa lata de confessione facienda singulo quoque anno, ostendit, legem illam esse nullam. Dicit enim: *Omnis vtriusque sexus*, &c. At solùm hermophroditi sunt vtriusque sexus; ergo lex illa secundùm sensum verborū obligat solùm hermophroditos, non autem aliquem hominem, qui sit vel mas, vel fœmina, quod est ridiculum; & sic ridet hoc decretum.

15. Ratio. 84 Quintodecimò. Kemnitius. Non aliter Christus misit Apostolos, quàm ipse missus fuerat à Patre Io. 20. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos*. At ipse Christus Dominus cum remittebat peccata, non exigebat ab hominibus enumerationem singulorum peccatorum; sed generalem confessionem ore, vel alijs signis expressam, vt patet Lucę 7. de Magdalena, & Matth. 9. de paralitico; non ergo debet sacerdos à pęnitentibus exigere enumerationem peccatorum singulorum.

16. Ratio. 85 Sextodecimò. Confessio publica abrogata fuit, & mutata in priuatam ab Episcopis tempore Decij Imperatoris, & postea. Confessio autem priuata abrogata fuit tempore Nectarij; ergo nec publica, nec priuata confessio est necessaria de iure diuino; neque enim illi Sācti Patres eam tollere ausi fuissent. Confirmatur primò, quia ex historia Socratis lib. 5. cap. 19. habetur quandam mulierem confessam esse præsbytero pœnitentiario ex parte sua peccata; ergo non est necessaria integra confessio. Secundò ex historia eadem habetur, vnum fuisse præsbiterum pœnitentiarium in tota ecclesia Constantinopolitana, at ille non potuisset audire omnium confessiones integras; ergo illæ non fiebant integræ; ergo cōfessio integra non est necessaria.

1. Confirmatio.

2. Confirmatio.

17. Ratio. 86 Decimoseptimò. Confessio hæc integra peccatorum primò non habet exemplum, nec præceptum Christi, nec Apostolorum. Secundò. Non habet vllā promissionem in verbo Dei. Tertiò. Transformat euangelium in legem; facit enim remissionem peccatorum pendere ex enumeratione. Quartò. Gratuitæ condonationi substituit meritū enumerationis, & satisfactionis. Quintò. Adducit conscientiam in dubitationem, & desperationem scrupulosa illa enumeratione: dubitatio autem extinguit fidem. Sextò. Exigit rem impossibilem, iuxta illud Psal. *Delicta quis intelligit?*

87 Cœterùm obiectiones istæ nullæ sunt, & catholica veritas, quòd confessio integra peccatorum sit de iure diuino, euidentissimè probata est ex dictis suprà, dum ostēdimus sacramentum pœnitentiæ esse institutum à Christo Domino Io. 20. *Accipite Spiritum sanctum, Quorum*, &c. cum enim ibi Dominus constituat eos iudices, & det auctoritatem ligandi, & soluendi à peccatis, & peccata sint occulta, necesse est, vt consequenter obligauerit homines ad confessionem suorum peccatorum coram eisdem sacerdotibus, vt ab eis peccatores absoluere possent. Et quia impium est à Deo dimidiam petere veniam, neque vnum peccatum dimittitur sinè altero, necesse est, confessionem esse integram omnium peccatorum, quæ memoria habemus facto diligenti examine pro captu humano vt suo loco diximus. Solùm nunc superest ostendere hanc consuetudinem confitendi peccata sua secretè ipsi sacerdoti, fuisse in vsu semper in ecclesia Dei. Id autē auctoritatibus Patrum probatur diffuse à Bellarmino lib. 3. de pœnitentia. Suarez disp. 16. à Soto in 4. dist. 18. quæst. 2. art. 3. à Magistro Sent. dist. 17. & referuntur multæ de pœnitentia dist. 1. Hæc pauca sufficiant.

Veritas catholica probatur.

88 Prima est D. Aug. hom. 49. adducta à Scoto in hac quæst. ad oppositum, & ab omnibus ferè, quæ est euidentissima. *Qui post vxores vestras vos illicito concubitu maculastis, si præter vxores vestras cum aliqua concubuistis, agite pœnitentiam qualis agitur in ecclesia, vt oret pro vobis ecclesia. Nemo sibi dicat occultè ago. apud Deum ago: nouit Deus, qui mihi ignoscit, quia in corde ago: ergo sinè causa dictum est. Quæ solueritis in terra erunt soluta in Cælo? ergo sine causa datæ sunt claues ecclesiæ Dei? frustramus euangelium Dei? frustramus verba Christi? promittimus, quod ille negat, nonne vos decipimus?* Hæc auctoritas est efficacissima. Primò, quia D. Aug. ostendit, confessionē sacramentalem hic esse necessariam de iure diuino, & institutam à Christo Domino Io. 20. dum dixit discipulis, *Accipite Spiritum sanctum*, &c. *Quæcunque solueritis super terram*, &c. Nam primò ostendit, quòd Christus Dominus dedit Apostolis, & in eis suis successoribus auctoritatem verè soluendi, ac dimittendi peccata, non pronuntiandi peccata esse dimissa, vt dicunt hæretici. Nam inquit, quòd Apostolis datæ sunt claues, quæ significant potestatem: & dicit datas esse illis ad pęnitentiam ministrādam; nec sufficere contritionem, & dolorem internum; sed esse necessariam pœnitentiam, quæ fit in ecclesia, & propter quam datæ sunt claues ecclesiæ; ergo intelligit de pęnitentia, quæ est sacramentum, & includit confessionem peccatorum factam sacerdoti: & sic habemus confessionem sacramentalem esse de iure diuino.

1. Auctoritas.

89 Secundò. Eadem ratione habemus esse necessariā de eodem iure diuino, vt medium ad salutem: alioquin si non esset necessaria, & homines non obligarentur ex præcepto ad illam, sed esset in libertate vniuscuiusque cōfiteri, vel non confiteri, frustrà datæ essent claues ecclesiæ. Vndè illa vltima verba sunt ponderanda, *Promittimus vobis, quod ille negat nonne vos decipimus?* dicit enim, quod qui promittit remissionem peccati aliter, quàm per claues, decipit eos, quibus illam promittit, & promittit id, quod negat Christus. Ex quo elicitur, quod etsi contritio, & dolor de peccatis est medium ad salutem, non tamen sinè voto confessionis.

90 Habemus tertiò falsum esse confessionem esse introductam ab Episcopis, & tempore D. Hieronymi nō fuisse vsum confessionis secretæ, & auricularis: quia Diuus

Augušt.

August. floruit eodem tempore, quo D. Hierony. vt patet ex epistolis ad se inuicem missis, & tamen D. August. loquitur de confessione, seù de pœnitentię sacramento, non veluti de re recenter nata; sed veluti de re, quæ in Ecclesia semper fuit in vsu ex institutione Christi: dicit enim eos, quos ibi reprehendit, debere agere pœnitentiam, qualis agitur in Ecclesia, vt Ecclesia oret pro eis. Hæc autem pœnitentia est sacramẽtalis, in qua sacerdotes antequàm absoluant pœnitentem orant pro ipsis; præmittunt enim illa verba: *Dominus noster Iesus Christus te absoluat*, &c. Et antiquitus alię similes orationes pręmittebátur: quia oratio ista, & qualitas orationis nõ est simpliciter necessaria, sed ab bene esse, vt suprà loquẽdo de absolutione dictum est per Ecclesiam enim hic D. Aug. intelligit sacedotes, sicut intelligit in illis verbis. *Ergo sine causa data sunt claues Ecclesia?* Claues enim Ecclesiæ non sunt datæ parietibus templorum, sed ipsis sacerdotibus.

91 Quartò habemus quòd loquitur de confessione secreta, & auriculari non publica: quia peccata, de quibus suos auditores ibi reprehendit, erant peccata secreta, vt illiciti concubitus, & adulteria, quæ nemo publicè confiteri

Alia confirmatio.

tenetur. Et omnia ista cõfirmantur: quia in verbis sequentibus reprehendens eos, qui propter erubescentiam nolũt confiteri peccata sua, adducit exemplum de Iob, qui erat vir Sanctissimus probatus à Deo; & tamen non erubuit peccata sua confiteri coram populo; & Theodosius Imperator, quia peccatum eius publicum erat, voluit Deus, vt illud publicè, & in conspectu populi confiteretur, & non erubuit. Ex quo deducit, quòd multò minùs miser peccator, & vilis persona non debet erubescere figere genua coram sacerdote, idest secretè, vt ab illo habeat benedictionem, & absolutionem. Verba eius sunt hæc. Iob dicit: *Si erubui in conspectu populi confiteri peccata mea, talis iustus thesauri diuini obrizo tali camino probatus, ista dicit, & resistit mihi filius pestilentiæ, & erubescit genua figere sub benedictione Dei? quòd non erubuit imperator, erubescit, nec senator, sed tantùm curialis? superbu ceruix, mens tortuosa. fortassis, immò quòd non dubitatur, propterea voluit Deus, vt Theodosius Imperator ageret pænitentiam publicam, in conspectu populi maximè: quia peccatum eius non poterat calari, & erubescit Senator, quòd non erubuit Imperator? erubescit nec Senator sed tantùm curialis, quòd nec erubuit Imperator? quæ ista superbia est? Nonne sufficeret gehena etiamsi adulterium nullum esset?* Ponderanda sunt illa verba. *Erubescit figere genua sub benedictione Dei*: nam non dicit *erubescit figere genua in conspectu populi, nec sub pænitentijs publicis & infamia*, vt fit in confessione publica, & vt fecerunt Iob, & Theodosius Imperator; sed inquit *sub benedictione Dei*. Vbi insinuat morem confessionis sacramentalis, quæ quotidiè in Ecclesia est in vsu: nam peccator figit genua secretè coram confessore, & ab ipso accipit benedictionem, & reconciliationem cum Deo: quia sacerdos ibi est vicarius Dei. Arguit ergo ibi D. August. à maiori ad minùs negatiuè. Non erubuit Iob, nec Theodosius confiteri peccata sua publicè, & miser peccator erubescet confiteri secretè peccata sua? quasi dicat: nequaquàm debet.

92 Et quòd intelligat D. August. de omnibus peccatis, & integra cõfessione colligitur: quia ita est inimicus Deo homo propter vnum adulterium, & propter vnum peccatum, sicut propter quatuor, licèt maiori pœna puniri debeat; ergo confitendo vnum peccatum, & non aliud, non potest obtinere à sacerdote benedictionem Dei: at in cõfessione peccator obtinet benedictionem Dei; ergo debet omnia peccata sua, quorum habet memoriam, confiteri ipsi sacerdoti, ad hoc vt obtinere possit benedictionem à Deo.

Secũda auctoritas ex D. August.

93 Secundò. Est alia auctoritas eiusdem D. August. in homilia 50. quæ omninò confirmat, & magis declarat omnia, quæ suprà diximus. Nã ortatur, vt postquàm quis de peccatis suis commissis cogitauerit, & se peccatorem cognouerit, accedat ad Antistites Ecclesiæ per confessionem, à quibus obtineat absolutionem, & satisfactionem debitam. Verba autem eius sunt hæc. *Iudicet ergo se ipsum homo in istis voluntate, dum potest, & mores conuertat in melius; ne cum iam non poterit, etiam pręter voluntatem à Domino iudicetur, & cum in se protulerit seuerissimæ medicinæ sententiam, veniat ad Antistites, per quos illi in Ecclesia claues ministrantur, & tanquam bonus incipiens iam esse filius, maternorum membrorum, ordine custodito à prępositis sacrorum accipiat satisfactionis suæ modum, vt in offerendo sacrificio cordis contribulati deuotus, & supplex; id tamen agat quod non solum illi prosit ad recipiendam salutem, sed etiam cæteris ad exemplum, vt si peccatum eius non solùm in graui eius malo, sed etiam in scandalo est aliorum, atque hoc expedire vtilitati Ecclesiæ videtur Antistiti, in notitia multorum, vel etiam totius plebis agere pænitentiã nõ recuset, non resistat, non læthali, & mortiferæ plagæ per pudorẽ addat tumorẽ. Quid enim est infelicius? quid peruersius? quam de ipso vulnere, quòd latere non potest, non erubescere, & de ligatura illius erubescere?* In hac auctoritate habemus, quòd peccator priùs debet accusare se ipsũ coram Deo, quod fit per contritionem, qua quisque se cognoscit peccatorem, & offendisse Deum, & confitetur se dignum æterno supplicio. Deindè debet accedere ad Antistites Ecclesiæ per quos ministrantur Ecclesiæ claues, idest apud quos est auctoritas ligandi, atque soluendi, vt superiori auctoritate dixit, & secundùm ordinem custoditum à Præpositis Sacrorum, idest à sacerdotibus deputatis ad confessionem audiendas, accipiat satisfactionis suæ modum. Hoc fieri non potest, nisi priùs ipsi sacerdotes audiant confessionem peccatorum. Tunc enim poterunt seruare debitum modum in imponenda satisfactione. Quòd autem loquatur de confessione secreta, patet: quia inquit, quod ista satisfactio debet esse non solùm ipsi vtilis, sed etiam in exemplum aliorum. *Si Antistiti videbitur necessarium*, & dat exemplum. *Vt si peccatum eius non solùm in graui eius malo sed etiam in scandalo est aliorum: atque hoc expedire vtilitati Ecclesiæ videtur Antistitis*, debet ei imponere pœnitentiam publicam, & ille debet illam acceptare: alioquin peccatum eius non deleretur. Pondera illa verba *si videbitur Antistiti*. Ex hoc ergo habemus, quod debebat peccator primò accedere secretè ad cõfitendũ sua peccata Antistiti, idest confessario, & si illi videbatur, quòd haberet aliquid peccatum, quòd esset in scandalum aliorum, vt putà si erat concubinarius publicus, & huiusmodi, debebat ordinare ei, vt faceret publicam pœnitentiam, si iudicasset hanc publicam pœnitentiam esse sublaturam scandalum, & daturam bonum exemplum, & ædificationem alijs. Ex hoc autem sequitur, quòd si ille peccator non habebat peccata publica, & quæ alijs afferrent scandalum: vel etiam si erant publica, non tamen expediebat Ecclesiæ secundùm iudicium Antistitis imponere pœnitentiam publicam, debebat secretò illum absoluere, & imponere pœnitentiam secretam; ergo confessio, ad quam ex D. August. tenetur peccator, est confessio sacramentalis, & secreta apud sacerdotem seù Antistitem habentem claues Ecclesiæ concessas: hæc autem est confessio auricularis, & sacramentalis, quam nos hic dicimus esse de iure diuino necessariam.

94 Ex hoc patet quænam esset confessio publica apud veteres in primitiua Ecclesia. (Diuus enim August. post Christum natum, anno 380. natus est.) Neque enim erat confessio alta voce coram populo facta prima vice; sed priùs erat facta secretè coram sacerdote; deinde si aderat aliquod peccatum publicum, quod egeret publica pęnitẽtia pro ædificatione Ecclesiæ, de licentia ipsius pęnitentis publicabatur, vel ab ipso pęnitente, vel à Confessario, vel ab aliquo ad hoc munus publicũ deputato. Et quòd hoc fieret de licentia pęnitẽtis probatur ex illis verbis D. Aug. *In notitia multorum, vel etiam totius plebis agere pęnitentiam non recuset, non resistat*, &c. Et magis confirmatur ex verbis sequentibus, quibus inquit neminem mirari debere, si quem videant accedere ad sacra altaris cuius crimina no-

Pœnitẽtia publica, q̃ i primitiua Ecclesia.

na no-

na noscant; quia inquit non posse ipsos Antistites quemquam à sacra communione arcere; nisi sit confessus sua crimina, vel fuerit conuictus testibus, & inditijs. Et quia sæpè hæc non habentur, multi peccatores à sacra communione non arcentur. Ecce ergo, quòd hi, qui faciebant publicam pęnitentiam, eam faciebant, quia conuicti erant de publico peccato, vel ipsi publicum peccatū confitebantur. Et quia qui confitebantur publicum peccatum, & scandalosum, tenebantur publicam pęnitentiam quandoque facere, hortatur D. Aug. eos ad huiusmodi pœnitentiam faciendam; qui enim confessus fuisset peccatum aliquod scandalosum, cui pęnitentia publica fuisset imponēda propter bonum publicum, & illam pęnitentiam noluisset acceptare, hic non habuisset veram contritionē, neque fuisset debitè dispositus, quia non fuisset parere paratus.

95 Eandem sententiam habet D. Aug. multis alijs locis, quos referre longum esset. Vide tract. 49. in Ioan. in fine super illa verba de Lazaro dicta, *Soluite illum, & sinite abire*, & ser. 8. de verbis Domini, & lib. de vera, & falsā pęnitentia, & alibi, præsertim lib. de salutarib. documentis, tom. 4. cap. 52. vbi habet hæc verba. *Et si trasgredimur in aliquo peccato post baptismum, nos abluere curemus pænitentiæ lacrymis, quia pius Deus dedit secundū baptismū, i. fontem lacrymarum, & ordinauit nobis pęnitētiam propter fragilitatem nostram: ideò debemus nostras confessiones veraciter confiteri, & fructus dignos pęnitentiæ facere, idest præterita ne reiteremus, secundum iussionem Domini, & consilium sacerdotis Deum timentis; qui sacerdos vt sapiēs, & perfectus medicus primùm sciat curare peccata sua, & postea aliena vulnera detergere, & sanare, & non publicare. Hos perquiramus, & sequamur*, &c. Ecce hic confessionem secretam apertè; inquit enim Sacerdotem debere esse talem, vt sciat sanare peccata, non publicare; ergo confessio erat secreta.

3. Auct. ex D. Aug. 96 Tertiò tandē loco D. Aug. hom. 41. hēt hæc verba, *Si ad vltimum vitæ steterit, nescit si ipsam pęnitentiam accipere, ac Deo, & sacerdoti peccata sua confiteri potuerit.* Et in principio eiusdem hom. habet similia. Manifestum est autem, quòd hic non loquitur de pęnitentia, vel de cōfessione publica: quia infirmus in extremo vitæ hanc præstare non potest; loquitur ergo de confessione auriculari, & secreta.

4. Ex Diuo Cypriano. 97 Quarto loco sit auctoritas D. Cypriani, qui antiquior fuit D. August. quia post annos 200. Christi Domini floruit, quippe qui passus fuit martyrium sub Valeriano, & Gallieno Imperatoribus, qui regnare cępisse videntur anno Christi 253. Hic enim pluribus in locis de confessione sacramentali mentionem facit tanquàm de vnico remedio ad tollēdum peccatum post baptismum commissum. Et quidem de confessione secreta, & auriculari facienda sacerdotibus agit apertè lib. de lapsis, versus finem, dum conquiritur, quòd Christiani, qui lapsi erant in idolatriā ex timore persequutionum volebant accedere ad sacramentum Eucharistiæ absque confessione sui delicti, absq. absolutione, & satisfactione debita data Ecclesiæ: & commendat illos Christianos, qui non sacrificauerant opere, nec religionem Christianam abnegauerant, sed solùm aliquando aliquam cogitationem de destituēda vera religione habuerant, & tamen hoc eorum peccatum sacerdotibus confitebantur, & ab eis absoluebantur, & recipiebant debitam pęnitentiam. Vndè habet hæc verba. *Denique quantò & fide maiores, & timore meliores sunt, qui quamuis nullo sacrificij, aut libelli facinore constricti, quoniam tamen de hoc vel cogitauerunt, hoc ipsum apud sacerdotes Dei dolenter, & simpliciter cōfitētes exomologesim conscientiæ faciunt, animi sui pondus exponunt, salutarem medelam paruis licèt, & modicis vulneribus exquirunt. Scientes scriptum esse Deus non deridetur.* Ecce quòd faciebant confessionem de cogitationibus cordium, quibus nihil est secretius, apud sacerdotes; ergo confessio sacramentalis de occultis est, & erat in vsu apud Ecclesiam tempore D. Cypriani. Et paulò infrà subiungit. *Confiteantur singuli quæso fratres dilectissimi delictum suum dum adhuc qui deliquit in sæculo est, dum admitti confessio eius potest, dum satisfactio, & remissio facta per sacerdotes apud Dominum grata est.* Quòd etiam confessio, & pœnitentia peccatorum sit sacramentum à Domino institutum, iterandum sæpiùs ad abluendum animi sordes post baptismum contractas ostendit in Sermone *de ablutione pedum*. Docet enim ibi per *ablutionem pedum* intelligi *lauacrum pęnitentiæ*, quo quotidie lauantur sordes animæ & inquit, cum baptismi, & sacrorum ordinum, & manus impositionis, seù confirmationis sacramēta minimè possint ex Ecclesiastica regula reiterari, à Christo Domino procuratum nobis esse hoc lauacrum pœnitentiæ, quòd nunquam debeat intermitti: hoc in tota epistola explicatur tamen illis verbis, maximè signatur. *Et ne quid consummationi doctrinæ deesset, inter fixa, & immobilia præcepta, & ea, quę moueri possunt, & repeti, distinctionem posuit, vt cæteris immutabiliter semel statutis, vltima lauacri species, quotidianis expiationibus commodata commendaretur fidelibus.* & paulò infrà. *Nam baptismum repeti ecclesiastica prohibent regulæ, & semel sanctificatis, nulla deinceps manus iterum consecrans præsumit accedere, nemo sacros ordines semel datos iterum reuocat. Nemo sacro oleo lita iterum linit, aut consecrat. Nemo impositioni manuum, vel ministerijs derogat sacerdotum, quia contumelia esset Spiritus sancti, si euacuari posset, quod ille sanctificat.* Et post aliqua, quib. ostendit pęnitentiam esse institutam propter peccata actualia, q̄ quotidie committuntur, hēt hęc verba. *Obuiat fugientibus, cogit regredi desperatos ostendens eis pœnitentiæ viam qua nulla latior inuenitur, & reuersis dat, vt iterum eis possint sacramenta iniuria prodesse, quorum si pœnitentia non subesset, nullo modo deinceps experiri possent effectum.* Habes hic pęnitentiæ lauacrum esse institutum à Christo Domino, & numerari hoc sacramentum inter immutabilia præcepta Christi Domini: ergò cadit sub iure diuino eius obligatio.

98 Quinto loco sit Origenes, qui eodem sæculo cū D. Cypriano floruit, sed tamen antiquior fuit D. Cypriano. 5. Ex Ori.
Hic hom. 2. in Psal. 17. expressè asserit scripturam nos edocere peccata interna confitenda esse, vt ab illis mūdemur, & quærendum esse diligenter cui sit confitēdum, qui sciat curare infirmitatem peccati, & si ille iudicauerit peccatū esse publicè confitendum propter ędificationem Ecclesię, illi esse parendum, verba eius sunt. *Vide q̄d edocet nos scriptura diuina, quia oportet peccatum non celare intrinsecus.* & paulò infrà adducto exemplo de eo, qui habens in stomaco escā indigestam, & phlegmam si illam euomit, releuatur, subiungit. *Ita ij, qui peccauerunt siquidem occultant, & retinent intra se peccatum intrinsecùs vrgentur, & propemodum suffocantur à phlegmate, vel ab humore peccati: si autem ipse sui accusator fiat, dum accusat semetipsum, & confitetur, simul euomit, & delictum, atque omnem morbi digerit causam. Tantùmmodo circumspice diligentiùs cui debeas confiteri peccatum tuum: proba priùs medicum cui debeas causam languoris exponere*, &c. & infrà. *Si quid consilij dederit facias, & sequaris: si intellexerit, & præuiderit talem esse languorem tuum, qui in conuentu totius Ecclesiæ exponi debeat, & curari, ex quo fortasse cæteri ædificari poterunt, & tu ipse facilè sanari, multa hoc deliberatione, & satis posito medici consilio procurandum est.* Ex hac auctoritate primò habemus, confessionem peccatorum secretam esse de iure diuino: inquit enim, *Vide quod edocet nos scriptura diuina.* Habemus secundò per confessionem hanc secretam dimitti peccata: & quidem à sacerdote cui fit confessio. Quia inquit, quòd *dum peccator accusat semetipsum, & confitetur simùl euomit delictum.* Et confessorem appellat *medicum*, & eius qualitates describit, dum dicit. *Tantùmmodo circumspice diligentiùs cui debeas confiteri peccatum tuum.* Quibus verbis etiam docet se loqui de confessione secreta non publica. Habemus ergo confessionem publicam habere originem à priuata eo modo, quo suprà etiam docuimus ex Diuo Augustino

homil.

homil. 50. & 49. Inquit enim primò debere confiteri peccatum ſuum medico, & ſi ille indicauerit expedire, vt in conſpectu totius populi illud confiteatur, quòd ei pateat, ſi verò non indicauerit expedire confiteri illud publicè, illud non confiteatur publicè. Non ergo confeſſio ſecreta originem habet à publica, ſed publica à priuata, vt viſum eſt. Quartò elicitur debere peccatorem omnia peccata confiteri, quia ſi non euomit omnia peccata, ſed aliquid intrinſecùs latere ſinit, nõ curabitur, ſicut, qui habet intus incluſam eſcam indigeſtam, ſi partem, & non totam, ac totum humorem euomat, nõ ſanatur; ergo qui confitetur vnum peccatum, & non aliud remanet, inimicus Deo, nec ſanatur, præterquam quòd in hom. 1. in eundem Pſal. inquit. *Omnia, ex quo deliqui, ſiue, concupiui concupiſcentiam ſecularem, ſiue quid aliud commiſi, omnia ante te profero, & in orationibus meis in cõſpectu tuo pono.*

6. Auctoritas ex Lactantio. 99 Sextò eſt auctoritas Lactantij Firmiani, qui ad initium tertiæ ætatis floruit: quia dedicauit librum ſuum diuinarum inſtitutionũ Imperatori Cõſtantino. Hic enim lib. 4. Diuinarum inſt. cap. vltimo versùs finem damnãs Nouatianos, Marcionitas, Arianos, & alios hęreticos, qui Chriſti nomine amiſſo humana, & externa vocabula induerunt, vt noſtris temporibus Lutherani, Caluiniſtæ, & huiuſmodi deſſignans, quæ ſit vera eccleſia, inquit eſſe illam, in qua eſt confeſſio, & pœnitentia, & habet hęc verba. *Sed tamen quia ſinguli quique cætus hæreticorum ſe potiſſimum Chriſtianos, & ſuam eſſe catholicam eccleſiã putant, ſciendum eſt illam eſſe veram, in qua eſt confeſſio, & pœnitentia, quæ peccata, & vulnera, quibus ſubiecta eſt imbecillitas carnis, ſalubriter curat.* Lactantius hic per confeſſionem, & pœnitentiam non poteſt intelligere cõfeſſionem, & pœnitentiam, quæ ſit Deo per contritionẽ, quia per hãc, cum ſit interna, & occulta, eccleſia catholica non poteſt ſecerni à cętibus hæreticorum: neceſſe eſt ergo, quòd intelligat de confeſſione, & pœnitentia, quæ eſt ſacramentum quo peccatores à ſacerdotibus reconciliantur Deo. De eadem confeſſione loquitur lib. 4. eodem c. 17. quam dicit figuratam fuiſſe in circuncisione.

7. Editio Baſilio. 100 Septimò ex D. Baſilio lib. quæſt. compendio explicatarum quæſt. 288. vbi ait. *Neceſſarium eſt confiteri peccata his, quibus adminiſtratio miſteriorum Dei concredita eſt. Sic enim, & qui olim pœnitentiam egerunt coram ſanctis feciſſe comperiuntur*, &c.

8. Ex Tertulliano. 101 Octauò Tertullianus lib. de pęnitentia. *Is actus, qui magis græco vocabulo exprimitur & frequentatur, exomologeſis eſt, qua delictum Domino noſtrum confitemur.* & paulò infrà ait. *Pleroſque hoc opus, vt publicatione ſui aut ſuffugere, aut de die in diem differre præſumo pudoris magis memores, quàm ſalutis, vel vt illi, qui in partibus verecundioribus corporis confracta vexatione conſcientiam medentium vitat, et ita cum erubeſcentia ſua pereũt.* Ex quibus manifeſtum eſt loqui de confeſſione ſecreta peccatorum: hæc enim confiteri erubeſcimus non publica; ergo confeſſio eſt de peccatis ſecretis.

9. Ex D. Hieron. 102 Nonò D. Hieronymus multis in locis id docet, ſed præſertim tom. 2. epiſtola 64. ad Pamacchium, & Oceanum apertè inquit. *Secunda poſt naufragium tabula eſt, culpa confiteri.* Ex quo deſumptum eſt pœnitentiam ſacramentum eſſe ſecundam tabulam poſt naufragium, & in com. ad Matth. 6. cap. idem docet, & alibi ſæpè.

10. Ex D. Io. Chryſ. 103 Tandem ex D. Ioan. Chryſoſt. qui ab aduerſarijs pro ſeipſis adducitur, id mirificè colligitur: nam vt multa alia loca omittã, in lib. 3. de ſacerdotio c. 4. & 5. habet hęc verba, loquens de excellentia ſacerdotũ data illis à Deo, quam præcipuè oſtendit eſſe maximam propter auctoritatem conficiendi ſacramentum euchariſtiæ, & ſacramẽtum pœnitentiæ, quo à culpis abſoluunt fideles. *Ab illis ergo ſacris ad noſtratia ſacra te transfer, nec ea mira modo eſſe videbis, ſed etiam omnem ſtuporem excedentia. Adeſt enim ſacerdos, non ignem deijciẽs, ſed Spiritum ſanctum: is præces diuturnas fundit, non quia flamma cælitus delapſa ſacra appoſita abſumat, ſed vt gratia in ſacrificiũ influens per illud ipſum omnium animos inflamet, & puriores reddat argento igni excocto, purgatoque. Hoc ergo miſterium omnium maximè horrendum, verendumque, quis tandem, qui non admodum ſit inſanus, quique è poteſtate, non exierit, faſtidire, ac deſpicere poterit? Ignoras futurum nunquam fuiſſe, vt humanus animi captus ſacrificij ignem illum ſuſtineret; ſed funditus omnes tum fuiſſe interituros, niſi magnum diuinę gratiæ auxilium affuiſſet? Nam ſi quis conſideret quantùm id ſit miſterium, vt is ſcilicet, qui homo ipſe ſit carne, ac ſanguine etiamnũ conſtãs, ijsque inuolutus beatę atq. immortali naturæ illi fieri propior queat, tũ probè intelliget quanto ſacerdotes honore, quanta dignitate Spiritus ſancti gratia dignata fuerit: operibus enim illis tum Sacra hæc quæ dico initiantur, perficiuntur que: tũ etiam alia his nihilo inferiora, quæ ipſa ad dignitatis, ſalutiſque noſtrę rationem ſpectant. Etenim qui terram incolunt, atque in ea verſantur, ijs commiſſum eſt, vt ea, quæ in cœlis ſunt, diſpenſent, ijs datum eſt, vt poteſtatem habeant, quam Deus Opt. Max. nec Angelis, nec Archangelis datam eſſe voluit. Neque enim ad illos dictum eſt. Quæcũque alligaueritis ſuper terram, erunt alligata, & in cœlo, & quæcunque ſolueritis erunt ſoluta in cœlo.* Ecce quomodo agnoſcit D. Ioan. Chryſ. de iure diuino collatam eſſe poteſtatem ſacerdotibus ligandi, & ſoluendi à peccatis, & agnoſcit eſſe veram poteſtatem abſoluendi à peccatis, non anuntiandi euangelium Dei. Anuntiare enim Euãgelium non eſt quid mirabile, nec excelſum, quod nec Angelis, nec Archangelis competat (quippe, quod cuicunque laico etiam fœminæ competere poteſt) vt prædicat D. Ioann. Chryſoſt. Non poſſunt autem ſacerdotes hanc poteſtatem exercere, niſi eis peccata confiteantur peccatores; ergo Chryſ. agnoſcit confeſſionem ſacramentalem, eo modo quo catholici aſſerunt, eſſe de iure diuino neceſſariam. Quod patet ex verbis ſequentibus magis. Subiungit enim. *Habent quidem & terreſtres Principes vinculi poteſtatem, verùm corporum ſolùm. Id autem, quod dico ſacerdotum vinculum, ipſam etiam animam contingit, atque ad cœlos vſque peruadit: vſque adeò, vt quæcunque infernè ſacerdotes confecerint, illa eadem Deus supernè rata habeat, ac ſeruorum ſententiam Dominus cõfirmet. Etenim quidnam hoc aliud eſſe dicas, niſi omnem rerum cæleſtium poteſtatem illis à Deo conceſſam. Quorumcũque enim ait peccata retinueritis, retenta ſunt. Quænam obſecro, poteſtas hac vna maior eſſe queat?* His quidem adeò perſpicuè docet Chryſ. Sacerdotem habere auctoritatem ſentẽtiandi in cauſa peccatorum, & ſententiam eius in cœlo ratam eſſe, vt nihil clarius. Hæc autem ſententia non poteſt eſſe aliud, quàm abſolutio pœnitentis à peccatis, vel non abſoluere, & dimittere. Hęc autem abſolutio, vel dimiſſio non poteſt fieri, niſi ipſe peccator ſe ſubijciat ſacerdoti per confeſſionem peccatorum ſuorum, ac ab eo expectet ſententiam ac pœnitentiam, ſeu ſatisfactionem faciendam iniungi: vndè ſuperiori lib. de ſacerdot. dixerat Chriſtianos hortandos eſſe ad ſubijciendum ſe ſacerdotibus, & in hac hortatione adhibendam eſſe maximã diligẽtiã, quia res eſt difficilis: vndè habet hæc verba: *Quamobrẽ multa quidem ante opus eſt, vt qui laborant Chriſtiani, vltrò ſibi ipſi perſuadeant ſacerdotũ curationibus ſe ſe ſubmittere, neque id ſolùm, ſed vt etiã vocationis, & medicina nomine gratiã illis habeant.* & poſt aliqua ſubiungit. *Neque enim temerè ad delictorũ modum oportet & multam ipſam adhibere, ſed tãquam coniecturis quibuſdã exprobandus eſt delinquentium animus: ne qua fiat, vt dũ cõſueueris, quod interruptum eſt, ſciſſurã deteriorem facias, ac dum enim, qui lapſus eſt erigere, atque emendare ſtudes caſus ipſe per te maior reddatur.* Ecce quod ſatiſfactio, ſeu mulcta imponẽda debet reſpõdere delictis; ergo omnia delicta ſunt confitenda, alioquin nunquam ſacerdos põterit eam imponere iuxta exigẽtiam delictorũ. Prætereà in eodem 3. lib. de ſacerdotio poſtquam multa de excellẽtia ſacerdotum poteſtatis dixit, habet hæc verba. *Corporis lepram purgare, ſeu verius dicam, haud purgare quidẽ*

sed purgatos probare iudeorum sacerdotibus solis licebat, neque nescis quanta cum ambitione, quanto cũ studio ac concertatione sacerdotalis dignitas id tẽporis acquireretur. At verò nostris sacerdotibus, non corporis lepram, verùm animæ sordes, non dico purgatas probare, sed purgare prorsus concessum est. Ecce quod ait apertè concessum esse iure diuino sacerdotibus prorsus mundare à cordibus peccati, non anuntiare mundatos esse per fidem. Hæc eadem habet D. Ioan. Chrys. in Ioan. cap. 20. super illa verba euangelij. *Quorum remiseritis*, &c. hom. 85. & hom. 30. in Genesim meminit confessionis, quæ in hebdomada sancta ante Pascha fieri consueuit. *In magnam hanc hebdomadã prouenimus Dei gratia. Nũc maximè, & ieiunij cursus intendẽdus, & magis continuãdæ sunt praces, faciendaque diligens, & pura confessio peccatorum.* Supponit autem cõfessionem peccatorum faciendam esse sacerdotibus, quibus auctoritatem à Christo Domino suprà dixit esse concessam ad ligandum, & soluendum à peccatis. Alia omitto, quia hæc sufficiunt ad ostendendum Chrys. non negasse se docuisse confessionem sacramentalem secretam esse de iure diuino. Certò enim hucusque puto constare apud ipsum cõfessionem peccatorum necessariò esse faciendã, & sacerdotibus; non intelligit aũt de confessione publica, quia illam, etsi non reprobet, vt videbimus soluendo obiectiones aduersariorum, tñ dicit non esse necessariã nec homines ad illam compellit; ergo sequitur necessariò, vt intelligat de confessione secreta facta coram sacerdote.

Ad primã rõnẽ in oppositum. 104 Ad rationes in oppositum. Ad primam rationẽ principalẽ ex Scoto respondit ipse Scotus, ꝙ tempore passionis Christi, quo Petrus negauit Christũ, & oẽs alij discipuli per infidelitatem peccauerunt, nõ erat institutũ sacrũm pęnitentiæ, & ideò agentes pęnitentiam de illis peccatis, non tenebantur ad confessionem illorum peccatorũ, vt de illis veniã haberent, ideò ꝑ contritionem eorũ veniã impetrarunt. Quòd si quis dicat saltẽ post institutionẽ sacramenti pęnitentię tenebantur posteà ad cõfessionẽ, si cõfessio obligat oẽs habẽtes peccatũ post baptismũ: rñdet Scotus, quòd neq; tũc tenebant, quia iã pc̃m̃ negationis in Petro erat deletum ꝑ aliud remediũ. s. ꝑ contritionẽ, q̃ pro illo statu erat remedium ordinarium, & similiter peccata aliorum discipulorũ: ideò quia illa peccata iã dimissa erant, cũ Christus instituit pęnitentię sacramentũ, qđ fuit post resurectionem Io. 20. ideò non amplius obligabantur ad confitendum illa peccata; & sic ad argumentũ conceditur, ꝙ Petro fuit dimissum peccatũ absq; cõfessione.

105 Sed illa verba D. Amb. *Lacrymæ lauant delictũ, qđ voce pudor est confiteri*, non sunt sic intelligenda, ꝙ lacrymæ solę sinè confessione in actu, vel in voto dimittant peccatum, quia, vt suprà visum est, lacrymæ, quæ significãt contritionẽ, includunt in voto confessionẽ suo tpe faciendam; sed sic sunt intelligenda, ꝙ põt esse contritio tãta, vt deleat peccatũ, ꝙ est ita turpe, vt eius cõfessio sit pudorosa, quæ tñ est facienda: innuit ergo ꝙ contritio põt esse tãta, vt deleat illud peccatũ, ꝙ per confessionem pudorosã solùm posset dimitti. Diximus enim sæpè ꝑ cõtritione dimitti peccata ante confessionẽ, & tunc in confessione augeri gratiam, & minui pęnam pro peccato subeundam.

Ad secũdũ, & tertium. 106 Ad secundũ, & tertium rñdet Scotus, ꝙ cõtritio, q̃ significatur per illam promissionem apud Cassiodorũ, & argumentum includit propositum, & votum confessionis faciendæ, qđ patet ꝑ verba, q̃ in illa auctoritate subiungit Cassiodorus, q̃ sunt. *Votũ pro opere iudicatur*, quasi dicat votũ, vel voluntas confitendi iudicatur pro cõfessione futura. Vndè non sequitur ꝙ posteà non debeat fieri cõfessio tpe debito: quia si mutaret volũtatẽ, & nollit ampliùs confiteri, recidiuaret à vera pęnitentia, & peccaret mortaliter, vt dictum est suprà de baptizato baptismo flaminis, & posteà contemnente baptismũ acquæ. Et si permaneat in voluntate confitendi, nec tñ confiteatur actu, remanet peccatum illud, quò ad pęnam debitam, q̃ pęna ꝑ confessionem deletur in parte. Confessio enim est vna pęna, etsi illa pęna non soluatur, hæc soluitur alibi. s. in purgatorio, nisi esset tanta contritio, quę deleret ẽt pęnam in hac vita.

107 Ad quartum desumptum ex Ezechiele, & alijs auctoritatibus respondetur, vt suprà, ꝙ contritio, per quam infertur peccatum dimitti in illis auctoritatibus includit in voto confessionem pro illo statu, quo cõfessionis sacramentum est institutum, quod est tempus legis nouæ. Ideò in lege veteri sufficiebat confiteri soli Deo, iuxta illud Dauid. *Tibi soli peccaui*: at in lege noua, vbi Christus Dominus ordinauit sacramentũ pęnitentiæ, qui dolet de peccatis debet includere votũ, & propositum cõfitendi: si enim non haberet votum, & propositum confitendi, non doleret de peccatis, vt oportet, & vt ordinauit Christus Dñs: haberet enim intentionem nõ obseruandi hoc præceptũ Christi de confessione; sicut ergo, qui dolet debito modo de peccato cõmisso, debet includere propositum melioris vitæ, detestationem peccati cõmissi, fidem, spem, & charitatẽ: quia oĩa hæc cadunt sub præcepto, ita debet includere propositum confitendi sua peccata suo tpe. Opinio autem Magistri, ꝙ sacerdos Euangelicus, nõ absoluat, sed absolutum declaret, reiecimus suprà hac dist. 14. quæst. 4. agendo de absolutione sacramentali. Ad quartũ.

108 Ad quintum respondet Scotus, ꝙ pręceptum cõfessionis continetur sub præceptis decalogi, idest sub primo, quod explicatur per illud Deut. 6. *Audi Israel, Deus tuus vnus est*, vel sub secũdo, ꝙ explicatur per illud Exodi 20. *Memento, vt diẽ Sabathi sanctifices.* Per illa enim pręcepta Deus ordinauit se esse honorandũ, vt Deũ: adeoꝙ de lege naturæ est Deũ esse honorandum: modus aũt, & cæremoniæ, per quas Deus voluit honorari, fuerunt explicatę per legem positiuam Dei: lex aũt positiua Dei est duplex: altera data per Moysẽ: altera data per Xp̃m Dñm: ideò alijs cęremonijs voluit honorari in lege veteri Moysis, & alijs in noua lege: ideò hic tradidit noua p̃cepta, & nouas cęremonias diuersas à cæremonialibus legis Moysis: inter has sunt pręcepta sacramentorũ, vt est illud. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto*, &c. & *Pęnitentiam agite*, & *Nisi pęnitentiam egeritis oẽs simùl peribitis.* Vndè ad argumentum dicitur, ꝙ sub illis verbis, *Si vis ad vitam ingredi serua mandata*, comprehenditur mãdata cæremonialia nouæ legis, quia illa continentur sub primo, vel secundo præcepto decalogi. Vndè licèt tẽpore legis naturæ, & legis scriptæ nõ esset posteà statutũ hoc pręceptum de confessione nihil reffert, sed sufficit, ꝙ in lege Christi sit ordinatum ab ipsomet Christo Domino, vt suprà cap. 3. hujus disp. ostensum est. Ad quintũ.

109 Ad sextum respondetur multum teneri confiteri per nutus si qui sint communes sibi, & confessario. Ad septimum, & octauum, & nonum respondetur, ꝙ hoc præceptum tunc solùm obligat, cum confessio secreta potest fieri, & hoc præceptum põt adimpleri. Cum verò nõ põt adimpleri sufficit contritio cum voto confitendi, si quandoque datetur commoditas, & opportunitas, vt dicemus infrà agendo de cõditionibus confessionis pręsertim, An fieri debeat voce humana, & possit fieri per litteras. Ad 6. 7. 8. & 9.

110 Ad decimum, ꝙ est hęreticorũ principale. (Apud eos enim habet maiorem vim incerta historia facti Nectarij ꝑꝑ odium eorum in ecclesiam catholicam, q̃ Sacra scriptura, & perpetua ecclesiæ traditio) patet ex dictis suprà confessionem esse de iure diuino præceptã, & institutam à Christo Dño, pręsertim verò ex disp. de instõne huius sacramenti, & ex auctoritatibus Patrum in hoc c. Ad argumentum ergo illud de facto Nectarij Patriarchę cõstantinopolitani à Recentioribus scribentibus contra hęreticos variæ responsiones afferuntur, quia pendet ex facto, qđ nobis nõ põt innotescere, nisi ex historijs, & historiarum scriptores nõ oẽs sunt conformes, & pręsertim q̃a Sozomenus, qui citatur à Caluino multa mentit, vt ait D. Greg. lib. 6. epist. 195. pp, ꝙ eius Historia non accepta t̃ ab ecclesia Rom. nã Theod. Monsuessiæ nimiũ laudat, atque vsq; ad diẽ obitus sui magnũ Doctorẽ ecclesiæ fuisse phibet, q tñ fuit hæreticus, & ꝑꝑ alias causas adductus ibi à B. Greg. Socrates etiam fuit hæreticus Nouatianus, qui Ad decimũ qđ est hęreticorum.

sacra-

sacramentum penitentię damnauerunt, vt docet Niceph. lib. 6. cap. 37. & lib. 9. cap. 13. & elicitur ex eodem Socrate lib. 6. suæ hist. c. 19. tñ quia certum est Nectarium aliquid immutasse circa confessionem: quia hoc colligitur ex D. Chrys. varijs locis, vt videbimus infrà, & aliqui Scriptores idem affirmant, videndum est, quid ipse abstulerit, atque immutauerit circa confessionem.

Resp. Soto & Cano.

111 Soto in 4. dist. 18. q. 1. ar. j. dicit, Nectarium fecisse cessare confessionis religionē, & idē asserit Cano relec. 5. de pęnit. in resp. ad 6. & hoc aiunt fecisse Nectarium ad tollendum scandalū subortum ex confessione illius fęminæ, de qua nunc infrà. Adduntq. illam suspensionē durasse quoque tempore D. Chrys. atque D. Chrys. illam suspensionē tollerasse, nec ausum fuisse restituere confessionem.

Reiectio.

112 Ceterùm hæc rñsio est nulla: quia auferre confessionē ēt ad parum tempus non potuit, cum sit de iure diuino: hic n. fuisset intollerabilis error: sicuti, si modo pp aliquod scādalum, φ ex ea malè administrata nasceretur in aliquo casu particulari, & prohiberetur. Nam alio modo prudenti esset obuiandum. Præterea non benè considerauerūt historias de hoc facto Nectarij, vt infrà videbimus.

Alius modus rñdēdi

113 Alij dicunt Nectarium non abstulisse vsum confessionis, sed statuisse, ne cogerentur fideles à ministris Ecclesiæ ad confessionem faciendā, & præsertim qñ accedebant ad Eucharistiā, sed reliquisse vnumquemque liberū, vt fm suam conscientiam se disponeret. Et hoc videntur īnuare historici dum dicunt à Nectario permissum fuisse, vt vnusquisq. ad cōicandum accederet fm consiliū cōscientiæ suæ.

Reijcitur.

Sed neq. hæc rñsio est bona: licēt n. Ecclesia possit abrogare pceptum de tpe, quo facienda est cōfessio, quia illud pendet ex iure positiuo Ecclesiastico, & varijs tpibus varia pcepta de confessione facienda instituta sunt ab Ecclesia, (vt infrà dicemus) tñ non potuit dispensare, vt quis accederet ad Eucharistiam sumēdā sine cōfessione si erat in peccato mortali: quia infrà ostendimus esse de iure diuino pmittere confessionem de peccato mortali, antequā quis accipiat sacram Eucharistiam: neque ex historicis colligitur Nectarium dispēsasse circa cōfessionē in tali casu.

Aliorū responsio.

114 Alij dixerunt Nectariū reuera abstulisse cōfessionis sacramentalis vsum, & malè fecisse; vel quia à Nouationis fuit deceptus: vel quia fuit vir ignorans, & potuit errare in hoc, & de facto errasse. Et licēt ego nō putem Nectariū fuisse Nouatianum, tñ certum est non fuisse virum admodū doctum in reb. Theologicis, & Ecclesiasticis, nec multæ sanctitatis, vt eum facit Caluinus: quia vt colligitur ex Nicephoro lib. 12. c. 12. & ex Sozomeno lib. 2. cap. 8. electus fuit Eps Constantinopol. iam senex, & laicus, immò nondum baptizatus, nec priùs litteris Theologicis incubuerat, sed erat vir prætorius, & electus fuit ab Imperatore ad hoc munus contra oīum Eporum synodi; quæ tunc Constantinopoli congregata erat, opinionem, potiùs pp generis nobilitatem, & morum suauitatem, q̄ pp sanctitatem, & eruditionē, & cap. 14. ait dissoluta synodo Nectarium secū retinuisse Cyriacum Adaneorum Epm, vt ab eo Episcopalem disciplinā addisceret. Et ex suasione Eudemonis sui presbyteri, patria Alexandrini, & aliorū suasu, vt testatur Nicephorus lib. 12. c. 28. hanc mutationem circa confessionem fecit: & proinde non est multum absimile, quod in hac re fuerit deceptus. Ceterùm quidquid sit de persona Nectarij, ex eius factis, non habemus eum abrogasse confessionis vsum.

Vera soluta.

115 Est ergo dicēdum cum Bellarmino lib. 3. de pęnit. c. 14. Suarez disp. 17. sec. 2. n. 55. Nectarium non abstulisse aliquid, φ pertineret ad confessionis substantiam, & sacri penitētiæ, sed solū abstulisse, & exauctorasse Pęnitentiariū publicū, ac moderatū fuisse ritū pertinentē ad pęnitentiā publicā. Pro cuius intelligentia notandum est ex Sozomeno, & Nicephoro locis citatis, & alijs, φ erat cōsuetudo in Ecclesia Constantipol. & alijs multis, φ habentes peccata accederent ad Pęnitentiarium quēdā presbyterum ab Epo constitutū, cui priùs secretò peccata sua confiterētur, ille deinde inspecta qualitate criminū indicebat illis multā publicā. Vndè certo tpe ad Ecclesiā conueniebāt penitentes, in qua erat locus determinatus pro pęnitentib. in quo stabant flentes peccata sua, & finita missa non percipiebāt cōionem, sed gementes seipsos sternebant in terrā, tunc accurebat Eps cū lacrymis quoq. ac simul cū illo prosternebat quoq. se, et oīs plebs idē efficiebat. Deinde priùs surgebat Eps, & iponebat pęnitētiā ieiuniorū, & afflictionum, prout sibi videbatur, qua peracta pęnitentes erāt absoluti, & cum alijs ad communionem recipiebantur.

116 Accidit verò, φ cū quædā mulier nobilissima peccata sua fuisset confessa, & ei à presbytero imposita fuisset pro pęnitentia vt ieiunaret, & Deo orationib. supplicaret, atq. hac de causa sæpè in Ecclesia cōmoraret, cū Diacono quodā inhonestā contraxerit amicitiā, atq. cū eo cōcubuerit, ac deinde hoc peccatū indicauerit, φ cum plebs cognouit maximo odio eferbuit contra sacerdotes. Propter hoc scandalum Nectarius Diaconū illum dignitate priuauit, & vsum pęnitentiarij abstulit, & permisit in posterum, vt pęnitentes accederent ad Eucharistiam, absque eo, φ hāc pęnitentiam publicā facerent, vel cogerentur facere: sed reliquit vnumquēque liberum, vt fm consilium cōsciētiæ suæ ad cōionem accederet. Quòd aūt res sese sic habuerit, & pręsertim, φ Nectarius, non confessionem, sed pęnitentiarium solùm, & pęnitentiam publicam abstulerit, patet ex verbis Nicephori, vbi suprà, quæ sunt. *Nectarius porrò q̄d nam faceret dubius, Diacono quidem, vt scortatori dignitatem abrogauit.* & paulò infrà. *Itaq. de quorundam, maximè verò Eudemonis Ecclesiæ eius presbyteri, patria Alexādrini consilio, ne posteà in Ecclesia presbyter pęnitentiarius esset Nectarius statuit, suadētib. illis, vt cuiq. permitteretur pro conscientia, & fiducia sua cōicare, & de immaculatis mysterijs participare, sic. n. fore, vt Ecclesia à contumelijs libera esset, & immunis, & ab eo tpe Ecclesia in tali statu permansit.* Et Sozomenus citatus à Caluino habet hæc verba lib. 9. hist. tripartitæ, c. 35. *Tum Nectarius Episcopus remouit Diaconum sceleratum, & quibusdā suadentib. vt singulos ad cōicandum iudicio conscientiæ suæ relinqueret, etiam presbyterum nequaq̄ super pęnitentes esse pcepit.* Idem hēt lib. 7. c. 17. suæ histor. Eccles. sub his verbis. *Nectarius itaq. perplexus quodnā remedium huic infortunio adhiberet, stupratorem istum Diaconatu priuauit: & consulentib. quibusdā, vt vnicuiq. liberum permitteret, prout sibi ipse conscius esset, & confideret ad mysteriorum cōionem accedere, pœnitentiarium illum presbyterum exautorauit. Quod quidem ex eo tpe porro in ritum vindicatum fuit.* Ecce isti non dīt Nectarium abstulisse vsum confessionis secretæ, sed abstulisse pęnitentiarium presbyterum, & vsum pęnitentiæ publicæ, & reliquisse hoīes in suo arbitrio, vt facerent pœnitentiā publicam si vellent, non tñ eos cogendos esse ad illam, sed relinquendos suo consilio, & conscientiæ. Conqueruntur tamen Sozomenus, & Nicephorus locis citatis vsum illum pęnitentiæ publicæ ablatum esse, quia erat in causa, vt multis abstineret à peccatis propter illam, qui modo illo ablata non abstinent.

117 Patet ēt ex dictis auctorib. φ erat in vsu confessio secreta, & quod publica habuit ortum à secreta, nō è conuersò. Nam dicit Sozomenus eodem loco. *Et ad hanc rem presbyterum bonæ conuersationis, seruantemq. secretum, ac sapientem uirum statuerunt.* & paulò infrà. *At ille secūdū vniuscuiusq. culpam indicebat, & mulctam.* At non fuisset opus, vt ille presbyter pœnitentiarius seruaret secretum, si peccata publicæ pęnitentes confessi fuissent: vel ille presbyter omnia illorum peccata publicasset; signum est ergo, quòd solum imponebat pœnitentiam publicam de aliquibus non de omnibus. & Nicephorus eodem loco hēt. *Quapp ex presbyteris vnū delegere, qui probata vita esset, & simùl taciturnus, & prudens apud quem per pęnitētiam resipiscētes cōmissa sua proferrent: proinde factū, vt huic seorsim, quæ mala egissent, propalarent, atque ille, confessione peccatorū audita cū quid facto opus esset, & quomodo crimē luere conuenisset mulcta imposita ostendisset, permittebat, vt qui peccatum admisisset ipse à se peccati sumeret pœnas.*

Ecce quod seorsim priùs peccata sua omnia confitebãtur, qua confessione audita pro suo iudicio imponebat pœnitentiam: ex quo etiam colligitur, quòd non de omnibus, sed solùm de grauibus, & publicis imponeret pœnitentiã publicã: nã si pro cõsilio imponebat pœnitentiam, nõ de oĩbus peccatis imponebat publicã: si.n. pro oĩbus erat imponenda pęnit. publica, non opus erat taciturnitate, & secreto. Cõueniens ergo erat, vt pęnit. publica imponeretur pro peccatis grauibus publicis, vel quæ ipse confitebatur, & pro illis pęnitentiã publicam facere contentus erat, iuxta ea, quæ D. Aug. hom. 50. docuit, vt suprà hoc cap. explicaui. Confirmatur quia ijdem Auctores citati dicunt hũc morẽ abrogatũ à Nectario esse in vsu in ecclesijs Occidẽtalibus, & maximè Romæ. At in Romana ecclesia nunq̃ fuit in vsu de peccatis secretis imponere pœnitentiam publicam, nisi de consensu pœnitentiũ: & pęnitentiarij quidem constituti sunt ad absoluendum quidem à peccatis grauibus, sed non ad imponendam pœnitentiam publicam, nisi vt dixi, de peccatis publicis, vel de licentia pœnitentis. Immo Leo I. vt dicimus agendo, An secreta sit cõditio essentialis confessionis, epistola 80. hanc consuetudinem, quæ iam in quibusdam ecclesijs irrepserat valdè dãnat. Resolutio ergo est, quòd Nectarius, nõ abstulit vsũ confessionis sacramentalis, & secretæ, sed vsum pęnitẽtiæ publicæ, & pœnitentiarium ad hoc munus electum.

Aplicatio responsionis ad argumentum.

Ad vndecimum.

118 Ad vndecimum. Ex D. Chrys. respondet Gratianus, & optimè, quòd D. Chrysost. ibi loquitur de illa cõfessione publica, quam faciebant fideles post confessionẽ sacramentalem ex impositione facta à pœnitentiario: illã aũt dicit D. Chrys. non esse ampliùs necessariã, sed sufficere loco illius publicæ confessionis peccata, iam semel cõfessa in corde lacrymis, & cõpunctione corã Deo cõfiteri. Quòd aũt non intelligat de cõfessione sacrali, patet, quia ex ipso suprà ostẽdimus eũ asserere sacerdotes de iure diuino habere auctoritatẽ ligãdi, & soluẽndi, & sępè hortatur ad cõfessionẽ. Quòd verò intellexerit de illa confessione publica, quæ fiebat post confessionem secretã, & sacramẽtalem de omnibus habetur præsertim ex hom. de pœnitẽtia, & confessione quam Caluinus, & alij hæretici adducunt. Nam in principio habet hæc verba. *Quantò nunc meliùs temporalem compunctionem, & breuem luctum mutare bonis, & voluptatibus finem nõ habentibus, quàm post breuem, & momentaneam vitam hic ridentes abire illuc perpetuò punientes? Sed confunderis, & erubescis peccata tua effari atque oportebat maximè apud homines ea dicere, & euulgare. Confusio enim est peccare non est confusio peccata confiteri. Nunc autem neque necessarium præsentibus testibus confiteri, cogitatione fiat delictorum exquisitio*, &c. Ecce quòd alludit ad factum Nectarij, dum dicit, quòd, *oportebat peccata maximè apud homines euulgare. nunc autem neque necessarium præsentibus testibus confiteri*. Possumus etiam dicere Chrysost. multis locis ibi loqui de contritione, ad quam ipse homines hortabatur sicut, & nunc in ecclesia catholica concionatores hortantur fideles ad contritionem, quia ipsa sola sine actuali confessione in re ipsa sufficit ad delendum peccatum, nõ autem negare esse necessariã in voto, & tpe debito in re.

Ad duodecimum.

119 Ad duodecimũ. Procedit ex mera calumnia, non .n. docent catholici, vt confessio debeat omninò esse oĩũ peccatorum, quæ quis commisit, sed eorũ, quæ memoria tenet præmissa diligentia humanę infirmitati possibili, vt dicemus loquendo de integritate confessionis.

Ad decimũ tertium.

Ad decimumtertiũ. Respõsum est, vt suprà ad quartũ.

Ad decimũ quartum.

120 Ad decimũquartũ. Optimè rñdet Bellarm. lib. illo 3. de pęn. c. 13. & impudẽtiã Calu. & temeritatẽ simul retundit ostendens D. Hier. qui meliùs q̃ Caluinus latinas voces nouerat sæpè vsũ fuisse illa voce, vtriusque sexus, præsertim Deut. c. 7. vbi in Hebræo est. *Nõ erit apud te vir sterilis, neque mulier sterilis*. Ipse vertit. *Nõ erit apud te sterilis vtriusq; sexus*. & deinde verba nõ sũt aspiciẽda, sed sẽtentia, iuxta illud Apostoli. *Etsi imperitus sed non scientia*.

Ad decimũ quintum.

121 Ad decimũquintũ. Non est par ratio de Christo, & Apostolis, & successoribus. Christus .n. Dñs non erat alligatus sacramẽtis, sed habebat potestatẽ excellentię, ideò sinè sacramentis peccata remittere poterat: nõ sic Apostoli, & successores, qui habẽt hanc potestatẽ solũ mediãtibus sacramentis tanq̃ ministri Dei: verba aũt illa Christi Dñi *Mitto vos sicut misit me Pater*, habẽt multas expositiones apud Sãctos: certum est autem non debere ita intelligi, vt Apostoli debuerit oĩa eo modo facere sicut faciebat Christus Dñs, alioqn nõ debuissẽt baptizare, qa Christus Dñs sinè baptismo dimisit peccata Magdalenę, & Paralitico. Misit ergo Xp̃s Dñs Apostolos sicut misit eum Pr̃ suus, qa dedit eis potestatẽ ligandi, & soluendi, ac ipse à Patre acceperat, quæ est expositio D. Io. Chrys. non dedit tñ tantã potestatem discipulis quantam ipse habebat, sed solùm, vt per sacramenta remitterent, & vt seruis dicebat.

Ad decimũ sextum.

122 Ad decimumsextum. Ignorantiã Kemnitij optimè detegit Bellar. eodem lib. c. 19. Falsum est .n. confessionem publicam abrogatam fuisse tpe Decij, & mutatã in priuatam: nã si hoc esset verũ, non potuisset oriri scandalum, q̃ ortum fuit de muliere illa, quæ cũ Diacono concubuit, qa illud scandalũ ortum habuit ex confessione publica facta, pp quod Nectarius abrogauit pęnitẽtiariũ, & cõfessionẽ publicam, vt dictum est suprà ad 10. Ad primam confirmationem respondetur nõ esse ad rem, qa ostensũ est suprà, q̃ cõfessio secretè priùs fiebat de oĩbus, sed publica posteà de aliquibus, s. de illis de qbus erat pęnitẽtia publica imponenda. Ad obiectionem verò falsum est ibi, *ex parte*, significare partẽ peccatorũ: significat .n. particulatim, vt Bellarm. ex Christophorsono ostendit. Ad 2. confirmationẽ respondetur pęnitentiariũ illum institutũ fuisse ad audiendũ solũ confessiones illorũ, q publicã pęnitẽtiã agere debebant. Ad alias autem confessiones alios sacerdotes institutos fuisse.

Ad decimũ septimum.

123 Ad decimũseptimũ. Illa oĩa sunt mendacia; de 1. & 2. patet; qa hẽmus instõnẽ, et p̃ceptũ à Xp̃o Dño Io. 20 vbi & promissio hẽtur. Tertiũ est mendaciũ, qa dicimus hr̃e vigorẽ, ex vi sacr̃i integritatẽ ũc esse necessariã, qa venia dimidia à Deo non debet peti, nec impetratur, qa nõ dimittitur vnum pc̃m̃ sine altero. Quartũ est falsum, qa etsi Deus gratis dimittat, vult tñ nos quoq; p̃ter naturã facere. Vndè Aug. *Qui fecit te sinè te, nõ iustificabit te sinè te*. & illud Deut. 26. *Iuxta mensuram delicti erit & plagarũ modus*, vt dicã agendo de satisfactione. Quòd verò cõfessio sit meritoria testãtur passim SS. Pr̃es. Sufficiat illud D. Amb. l. 2. de pęnit. c. 6. *soluit criminũ nexus verecũda cõfessio peccatorũ*. V. & VI. illatũ iã reiecta sunt: qa requirimus confessionem oĩum eorũ, quæ memorię occurrunt, facta diligentia possibili pro captu humano, vt diximus.

DISPVTATIO XXIIII.

Quid sit confessio, & quis teneatur ad confessionem. *Caput Vnicum.*

1 EX dictis disp. pręcedẽti colligi põt definitio cõfessionis sacr̃alis: nam dimissis alijs varijs acceptionibus huius nominis, *confessio*, q̃ nõ faciũt ad rem nostram, ex titulo q. proposito, q erat, Vtrũ sit necessariũ ad salutẽ peccatori cõfiteri oĩa sua peccata sacerdoti suo, & ex eius solutione hẽtur, q̃ cõfessio sacr̃alis est, *Accusatio sacramẽtalis legitima de peccatis proprijs facta corã sacerdote suo ad eorũ veniã impetrandã virtute clauiũ*. In qua diffõne cõueniũt oẽs in hoc 4. Sent. d. 17. in ea, genus est, *accusatio*. Confessio .n. sacr̃alis non est quæcũq. propalatio peccati, vt ad iactantiã, vel aliquid simile; sed accusatio ad pęnã subeũdã. Reliquę particulę sũt drĩę: nã *sacramentalis* ponitur ad drĩã contritionis, q̃ est confessio corã Deo, & aliarũ confessionum, non sacr̃aliũ. *Legitima*, ponitur ad drĩam illarum confessionũ, quæ nõ habent requisitas conditiones, quas explicabimus, declarando qualis cõfessio esse debeat. *De proprijs peccatis*, &c. ponitur ad drĩã confessionis laudis, in qua nõ accusamus

Diffinitio confessionis.

nos,

nos, sed Deum laudamus. *Facta coram sacerdote*, ad dñã confessionum factarum coram alijs iudicib. criminalib. *Ad veniã impetrandã*, ponitur ad differentiã confessionũ pęnalium, quæ ordinantur præcisè ad punitionem nõ ad veniã. Supponitur aũt, ꝙ actus confitendi modo prædicto sit actus virtutis: quia est conformis rectæ rationi, & est elicitus à pęnitentia, quæ est virtus particularis vindicatiua, vel à pęnitentia generaliter sumpta, vt suo loco suprà dist. 14. q. 2. art. 2. diximus. Quas verò conditiones, & qualitates hēc dēat, & præsertim, An illas 16. quæ cõiter illi à sanctis Patribus assignant, dicemus infrà explicãdo qualis dēat esse cõfessio. Supposita hac diffinitione Scot. in hac dist. 17. q. j. ar. 2. vlteriùs progredit, & declarat, ꝙ includat hoc præceptum diuinum confessionis, in quo art. declarat omnia ea, quæ de iure diuino competunt confessioni.

Quis dēat confiteri.

2 Priori ergo loco inquit Scotus hoc præceptum confessionis includere quis teneatur ad præceptum istud confessionis. Respondetq. esse adultum, i. eum, qui hēt vsum rõnis, & cognoscit peccatum, ꝙ commisit. Declarat deindè, q̃d per *adultum* intelligat: iquit. n. se intelligere hoīem non tantæ, vel tantæ ætatis, sed qui habeat ætatem ad cognoscendum iustum, vel iniustum, & quod est contra legē Dei, & quod est conforme legi Dei. Ratio est: quia in multis ante ætatem consuetam, quæ est septenniũ, malitia supplet ætatem: Vndè dñr doli capaces; quo citiùs habēt prudentiam ad malum agendum, quàm peruenerint ad ætatem consuetam; & similiter in bonis prudentia ad bonum præcurrit ætatem. Iuxta illud in legenda Sanctæ Agnetis, *Fides non in annis computatur*. Tradit deindè Scotus regulam ad cognoscendum, quãdo aliquis habet vsum rationis, & est doli, & bonitatis capax, quæ est, Quando aliquis est instructus de his, quæ sunt agenda secundùm legem diuinam, vt de præceptis, & ipse hanc instructionem percipit, & ad interrogationes factas de actionibus circa præcepta ordinatè respondet, vt faciunt perfectè adulti, quando de similibus interrogantur: si enim aptè respondet, signum est, quòd cognoscit actionem illam, de qua interrogatur, esse bonam, vel malam, rectam, vel iniustam; & de hoc nulla est dubitatio. Et licèt Soto in 4. dist. 12. q. 1. ar. 11. in fine, dicat pueros ante duodecimum annum nõ obligari hoc præcepto; tamen illud ex irreptione dixisse videtur: quia in eodem 4. distin. 18. q. 1. art. 3. in fine hanc communem sententiam sequitur, expresse explicat.

Qui nõ hēt peccatũ nõ tenetur ad cõfessionē.

3 Ex hoc etiam, & ex dictis superiùs elicitur, quòd nõ quicunque adultus tenetur ad confessionem; sed illi tantùm, qui habēt peccatum post baptismum. Ratio est: quia hoc sacramentum est secunda tabula post naufragium: ideò qui post baptismum nõ facit naufragiũ per peccatũ, non est subiectus huic præcepto: ideò si aliquis innocens à peccato actuali mortali, & veniali reperiatur, vt beata Virgo, non tenet confiteri, immò tenetur non cõfiteri: Vndè inquit Scotus in hac q. in solutione vltimi argumẽti principalis, ꝙ si B. Virgo fuisset confessa post ascẽsionē, peccasset. Et de hoc etiam nulla est dubitatio, vt patet ex dictis.

An infideles teneantur ad pręceptum cõfessionis.

4 Difficultas verò est non parui momenti, Vtrum hoc præceptum extendatur ad infideles, ita ꝙ infideles adulti habentes peccata actualia mortalia teneantur ad confessionem. Qua in re sunt oppositæ sententiæ. Prima est negatiua, quã tradit Maior in 4. dist. 17. q. 1. Almainus ibidē q. 1. ar. 2. Medina tract. 2. q. 7. Soto in 4. dist. 18. q. 1. art. 3. concl. 1. & Suarez, qui alios citat disp. 35. sect. 2. Et hæc opinio prima facie videtur maximè vera, & opposita penitus irrationabilis. Probatur ergo primò sic.

1. Ratio.

5 Peccata commissa ante baptismum non sunt materia sacramenti confessionis, & pęnitentiæ: at peccata infidelis sunt huiusmodi; ergo infidelis virtute illorum peccatorum non subijcitur præcepto confessionis sacramẽtalis. Maior patet ex dictis suprà de baptismo: quia in baptismo delentur omnia peccata actualia simùl cum originali: itaquòd baptizatus non tenetur ampliùs ad confessionē suorum peccatorum, quæ perpetrauit ante baptismum.

2. Ratio.

6 Secundò. Nemo tenetur ad id, ꝙ facere nequit; sed infidelis ante susceptionem baptismi non pōt confiteri, neque absolui à peccatis commissis; ergo ad confessionē non tenetur. Maior est nota. Minor quoque patet: quia baptismus est ianua sacramentorum; ideò qui non est baptizatus, non est capax aliorum sacramentorum, & consequenter neque pœnitentiæ sacramentalis.

3. Ratio.

7 Tertiò. Confessio eatenus iure diuino percipit, quatenus est necessaria ad salutem: at confessio non est necessaria ad salutem infidelibus; ergo. Maior ex dictis suprà est euidens. Minor probatur: quia infidelis potest baptizari, & si post baptismum nõ ampliùs peccat, saluatur, neque tenetur ad confessionem; ergo confessio illi non est necessaria ad salutem.

8 Confirmatur: quia si infidelis ante susceptionē baptismi iustificetur per contritionem, non obligatur in illa contritione includere votum confessionis; sufficit, quòd includat votum baptismi, & illud sufficit; ergo confessio non est illi necessaria sub præcepto, nec ratione medij.

4. Ratio.

9 Quartò. Soto vbi suprà. Nemo obligatur ad præcepta alicuius religionis, antequã ingressus, & professus sit illam Religionem, etiam si priùs habeat votum ingrediendi illam religionem; ergo licèt infidelis sit obligatus ad suscipiendum fidem Catholicam, & religionem Christianã: tamen non tenetur, nec obligatur ad præcepta illius, donec ingressus est per baptismũ in religionē Christianam.

Scoti opin. asserēs præceptũ confessiõis obligare infideles.

10 Oppositam sententiam nimirùm præceptũ pœnitentiæ, siue confessionis sacramentalis obligare oēs adultos doli capaces, tam fideles, q̃ infideles tenent multo plures, & grauiores Theologi. Scotus in hac dist. 17. q. 1. art. j. circa medium, eam tamen non probat, ꝙ signum est eam tunc fuisse cõem, & ab omnibus concessam. Adrianus eadem dist. q. vlt. de confessione. Richardus d. 17. art. 2. q. 4. Angelus, verbo Confessio 2. §. 2. Syluest. verb. Confessio 2. §. 5. qui citat Richardum, & eam veram supponit.

Fundamẽtum principale huius opinionis.

11 Fundamentum principale adductum à Richardo est: quia hoc pręceptum de confessione facienda sacerdoti est præceptum Dei, non Ecclesiæ, vt suprà disp. præcedẽti probatum est: at præceptum Dei obligat oēs. Rñdent Suarez vbi suprà, & alij hoc præceptum etsi sit diuinũ: nõ tamen obligare omnes, sed eos tantùm, qui talis obligationis sunt capaces: isti aũt sunt illi, in quib. est peccatum, ꝙ est materia huius sacri, vt dictũ est suprà; in infideli autem adulto, etsi sit peccatũ mortale actuale: tñ illud non cadit sub iurisdõne sacri pęnitentiæ, sed baptismi: rõ ex vi illius, infidelis non obligatur ad confessionem sacramentalem.

Rñsio Aduersariorũ.

Resellitur 1. Ratio.

12 Verùm etsi nullam aliam rõnem ego reperiã apud Doctores huius secundæ opin. tñ quia hæc sententia est antiquior, & Doctorum grauissimorũ, & eius fundamentum mihi efficax vř, ea mihi sustinẽda videtur: Vndè pro ea sic argumentor. Qui obligatur ad aliquam totam legē seruãdã, obligatur ad singulas partes, & pręcepta illius legis: sed sic est, ꝙ infidelis obligatur ad obseruandũ totam legem Christi post eius promulgationē; ergo obligatur ad oīa præcepta eius. Inter alia aũt præcepta legis Chři est, ꝙ adultus existens in peccatis actualibus peniteat, & illa cõfiteatur; ergo infidelis tenetur ad illa confitenda.

2. Ratio.

Secundò si aliqua rõ adesset pp quã infidelis nõ sit obligatus ad hoc præceptum, illa præsertim esset, ꝙ infidelis non pōt obseruare hoc præceptum, quia non est baptizatus, & ideò eius peccata actualia non subsunt sacramento pęnitentiæ, sed baptismi, quæ est ratio aduersariorum: at hoc fundamentũ est falsum, quia dolus, & culpa nulli patrocinari dēt: at ꝙ infidelis non possit obseruare præceptũ confessionis est culpa sua. s. infidelitas: quia non vult conuerti ad Christum; ergo hęc infidelitas non debet eum eximere ab obligatione huius præcepti.

3. Ratio.

13 Tertiò sequitur ex illa opinione, ꝙ fideles essent peioris conditionis ex eo, ꝙ sunt fideles, & baptizati, quã infideles. Cõsequens est apertè falsum; ergo cõsequẽtia probatur: quia fideles obligantur ad confessionem suorũ peccatorũ aliqñ faciendã de iure diuino saltē in articulo mortis: adeoq. si tũc eã nõ faciũt peccẽt nouo peccato mortali.

Infideles autem ad hoc nō tenerentur, & in articulo mortis non facientes hanc confessionem non peccarent; ergo fideles essent deterioris conditionis, quàm infideles.

4. Ratio. 14 Quartò Suarez fatetur, infideles teneri ad præceptum sumēdi Eucharistiam, etsi Soto hoc neget, tunc sic. infidelis obligatur ad susceptionē Eucharistiæ, quod tamē pręceptum non potest obseruare, quia non est baptizatus; baptismus enim est ianua sacramentorum; ergo pari ratione, licèt non possit obseruare sacramentum pœnitentiæ; quia non est baptizatus, hoc non excusat eum ab obligatione præcepta confessionis.

Responsio Suarez. 15 At respondet Suarez, non esse parem rationem de Eucharistia, & de confessione: quia infidelis recepto baptismo, potest Eucharistiā suscipere; at recepto baptismo non potest peccata actualia confiteri; ideò potuit obligari pręcepto baptismi, & Eucharistiæ, quia vtrumque est obseruabile: at non potuit obligari pręcepto baptismi, & pęnitentiæ: quia vtrumque simùl non potest obseruari.

Refellitur. 16 At hęc solutio confirmat nostram sententiam: quia pręceptum confessionis potest quoque obseruari ab infidelibus, si non in se formaliter; tamen potest obseruari in baptismo virtualiter. Sacramentum enim baptismi cum sit sacramentum eminentissimum, & plenissimum gratia, virtualiter continet sacramentum pœnitentiæ: ideò posset infidelis adimplere hoc pręceptum virtualiter suscipiendo baptismum: ideò cum non suscipiat baptismum, & permaneat in peccatis, non excusatur ab obligatione pręcepti confessionis.

Ad primā rationē in oppositū. 17 Ad primam rationem pro aduersarijs respondetur, quòd sacramentum baptismi, primò, & principaliter institutum est pro peccato originali, sacramentum verò pęnitentiæ pro peccato actuali: tamen quia sacramentum baptismi est ianua sacramentorum, & regeneratio spiritualis, habet, vt remittat omne peccatū originale, & actuale. Quòd autem peccatum actuale in infideli non subijciatur sacramento pœnitentiæ est propter incapacitatem subiecti, quæ incapacitas, & impotentia ipso infideli non patrocinatur, nec facit illum melioris conditionis, quàm sit fidelis: ideò hæc incapacitas cum sit culpabilis, non aufert ab eo obligationem subijciendi peccata actualia sacramēto pœnitentiæ: quia tamen iam est incapax, maiori obligatione, obligatur ad sacramentum baptismi: quia si haberet solū originale vno titulo ad illud obligaretur: quia verò vltra originale habet etiam actuale mortale, alio titulo ad illud obligatur: vndè ad formam argumenti nego consequentiam illam; *peccata infidelis non sunt materia sacramenti pœnitentiæ; ergo infidelis non subijcitur præcepto confessionis*. Ratio est: quia peccata actualia de sui natura sunt materia sacramenti cōfessionis, sed accidit in infideli, quòd ei non subijciantur, sed sacramento baptismi propter impotentiam culpabilem infidelis, quæ ei non potest patrocinari: vndè infidelis maiori obligatione obligatur ad baptismum propter ipsa, quàm si solo originali adstrictus esset.

Ad secundam. 18 Ad secundam respondetur neminem obligari ad id, quod non potest, quando impotentia non est culpabilis; sed quando impotentia est culpabilis non soluitur ab obligationē. Exemplum. Concubinarius nolens dimittere concubinam non potest confiteri, nec communicari in Paschate; ergo non obligatur ad illa duo pręcepta Ecclesiæ, quòd *quilibet in Paschate confiteatur sua peccata suo sacerdoti, & sumat Eucharistiam*? Non valet: quia illa impotentia est culpabilis, immò magis obligatur ad dimittendā concubinam, vt fiat potens obseruare præcepta illa.

Ad tertiam 19 Ad tertiam negatur minor, quòd confessio non sit necessaria infideli ad salutem. Ad probationem respondetur, quòd infidelis adimplet pręceptum cōfessionis virtualiter in baptismo: confessio enim est necessaria infideli non formaliter, sed virtualiter, & sic adimpletur hoc pręceptum in baptismo virtualiter.

Ad confirmationem. 20 Ad confirmationem respondetur in voto baptismi contineri virtualiter votum confessionis.

Ad quartā. Ad quartam respondetur non esse parem rationem de eo, qui vouit ingredi religionem, & de infideli, respectu obseruationis legis Euangelicæ non solùm, quia pręcepta religionis sunt præcepta humana, præcepta verò legis Euangelicæ sunt præcepta diuina, quæ omnes obligant; sed quia aliud est votum ingrediendi religionē, & aliud obligatio legis Euangelicæ. Nam votum religionis est promissio, & obligatio, vt ita dicam, promittendi, & obligandi se ad obseruandum pręcepa religionis illius, quam vouet ingredi, non est autem actualis obligatio ad obseruandum præcepta illius regulæ: at lex Euangelica promulgata est obligatio actualis omnium hominum, ad ipsam, & ad præcepta eius. Exemplum esse potest de sponsalibus, quæ fiunt per verba de futuro, & matrimonio, quod fit per verba de pręsenti: vndè, qui contrahit sponsalia non ducit vxorem; sed promittit se ducturum vxorem: qui verò facit matrimonium actualiter, ducit vxorem; ità qui vouet ingredi religionem, vouet se obligare ad obseruandum religionem, sed nondum actu se obligat ad obseruandum illa præcepta religionis, & propterea actu, non obligatur ad obseruandum pręcepta illius religionis, sed opus est, vt faciat professionem, & promissionem actualem de illis obseruandis: at cum Christus Dominus promulgauit legem, actu obligauit non ad promissionem, & votum obligandi se ad obseruationem, sed actu obligauit ad obseruationem omnes homines: ideò infideles post legitimam promulgationem ad illam tenentur.

Carens peccato mortali non obligat ad hoc sacramētū. 21 Nemo tenetur etiam ad hoc sacramentum, qui careat peccato mortali; venialia enim de iure diuino non sunt materia huius præcepti, & sacramenti, vt patebit loquendo de integritate huius sacramenti. An verò venialia sint confitenda in Paschate ex præcepto Ecclesiæ, infrà suo loco agendo de pręcepto Ecclesiæ patebit.

DISPVTATIO XXIV.

Quid sit confitendum, quod est de integritate confessionis.

An omnia peccata mortalia, & venialia distinctè cadant sub pręcepto confessionis. Caput Primum.

1 PRosequitur vlteriùs Scotus in eadem q. explicare ea, quæ pertinent ad confessionem; & secundo loco explicat, quæ sit materia confessionis, & ea, quæ pertinent ad integritatem confessionis. Primò autem ponit hanc conclusionem. *Hoc pręceptum confessionis continet obligationem confitendi peccatum mortale, & non aliud*, nempe obligationem confitendi peccatum veniale. Conclusio habet duas partes. Prima est, quòd peccatum mortale cadit sub hoc pręcepto confessionis, & pœnitentiæ. Secunda, quòd solùm mortale non veniale. Vtraque pars per eādem rationem probatur sic. Illud peccatum cadit sub obligatione huius pręcepti confessionis, & pœnitentiæ, per quod homo periclitatur extra Nauem Ecclesiæ, siue per quod post baptismū naufragatur; sed sic est, quòd homo per solum peccatum mortale, non per veniale periclitatur, & naufragatur extra Ecclesiam, idest extra salutem, quæ est tantùm in Ecclesia, in qua per baptismum regeneramur; ergo solum peccatum mortale, non veniale, cadit sub hoc pręcepto confessionis. Omnia assumpta in hoc argumento sunt euidentia. Hæc conclusio est communis omnium Theologorum, neque vlla est difficultas.

Conclusio Scoti habet duas partes

Peccatum mortale non veniale cadit sub pręcepto confessionis.

Peccatū originale, & peccata actualia mortalia cōmissa ante baptismū nō sunt materia cōfessionis. 2 Ex hoc sequitur apertè, quòd peccatum originale nō cadit sub hoc pręcepto: quoniam hoc sacramentum pœnitētiæ institutum est propter peccatum actuale, sicut baptismus propter originale; vt patet ex eorum institutione de qua suprà disseruimus. Neque omnia peccata actualia mortalia cadunt sub hoc pręcepto, vt ea, quæ commissa sunt ante baptismum, quia illa in baptismo remittuntur: vndè fieret iniuria baptismo, si illa quis confiteretur, vbi

est

est notandum illud, quòd Recentiores obseruant, scilicet quòd peccata prædicta non solùm non cadunt sub præcepto, nec sunt materia necessaria confessionis, sed neque sunt materia sufficiens, itaquòd possit super illa dari absolutiò à sacerdote: quia vt dictum est, non subsunt huic sacerdotio, sed sacramento baptismi. Idem dicendū de peccatis mortalibus semel confessis, de quibus suprà agendo de materia sacramenti pœnitentiæ fusè agendo de reiteratione confessionis diximus. Peccatum verò veniale etsi non sit materia necessaria cōfessionis, vt ibi diximus, idest non cadat sub precepto istò. (Vndè quis habens mortalia, & venialia potest confiteri mortalia non confitendo venialia) tamen est sufficiens materia confessionis, itaquòd habens peccatum veniale potest illud confiteri, & de eo dari potest absolutio à sacerdote, vt docet Scotus hac dist. 17. quæst. 1. ad vltimum principale, & nouissimè definitū est in Concilio Trid. sess. 14. cap. 5. & can. 7. & à Leone X. in Bulla contra Lutherum art. 8. Neque de his est vlla difficultas. An verò ex præcepto ecclesiæ venialia confiteri teneamur, dicam infrà in 3. art. Tenetur etiam vnusquisque ex communi sententia Theologorum in hoc 4. d. 16. & 17. confiteri peccata, de quibus est dubius, an sint mortalia, quia tutior pars est semper eligenda: vndè non cōfitendo illa, se exponeret periculo non faciendi confessionem integram. Quid verò dicendum sit cum de aliqua re sunt opiniones diuersæ, & nihil est vt certum, ac determinatum, suprà dixi in materia de peccato.

Peccata mortalia semel confessa, non sūt materia cōfessionis.

Peccatū veniale non ōmnino necessaria, sed sufficiens confessionis.

An quis teneatur confiteri peccata dubia.

3 Difficultas verò est, An necessarium sit confiteri omnia peccata mortalia distinctè in specie, & numero, & cū omnibus circumstantijs. Et difficultas est ex duplici capite. Primò an necessaria sit enumeratio omnium peccatorum, & omnia illa confiteri. Secundò an eidem confessori sit necessarium omnia confiteri, vel aliqua vni, & alia alteri confiteri liceat. Cæterùm hoc secūdum pertinet ad quæstionem illam, An liceat aliquando dimidiare cōfessionem, de qua infrà.

An oīū peccatorū distincta enumeratio sit necessaria.

4 Quò ad primum ergo heretici nostrorum temporū Vuicleph teste Valdense tom. 2. de sacramentis c. 185. Lutherus art. 8. damnato à Leone X. & alij negauerunt necessariam esse integritatem confessionis. Fundamentum hæreticorum est, quia dicunt peccata occulta nō esse aperienda confessori, quia hoc est se infamare, quod est contra legem naturæ. Et Lutherus addidit in illo articulo, quòd velle confiteri omnia, est nolle relinquere aliquid remittendum misericordiæ Dei. Adiungit etiam, esse impossibile confiteri omnia peccata tam mortalia, quàm venialia: quia occulta omnia non possumus cognoscere, nec memoria tenere.

Opinio hæreticorum.

5 Sed fundamentum ex infamia adductum est erroneum: est enim secreta ista confessio; & confessarius tenetur ad sigillum, vt suo loco dicemus: ideò non affert infamiam. Manifestatio autem illa facta sacerdoti propter erubescentiam est maximè vtilis, & minimè nocet. De qua re in materia de sigillo confessionis. Fundamentum Lutheri autem procedit ex ignorātia, & malitia. Ex ignorantia, quia nedum peccata, quæ propter ignorantiam, non confitemur; sed ea, quæ confitemur omnia diuinę misericordiæ remittenda relinquuntur: quia ea eius Vicario manifestamus, vt auctoritate à Domino obtenta, non nostris meritis illa nobis dimittat. Procedit verò ex malitia: quia Catholici non dicunt homines obligari ad confitendum peccata venialia; sed solùm eorum confessionem esse vtilem, vt suprà diximus, neque dicunt obligari ad confitendum omnia mortalia, sed solùm ea, quæ facta diligenti indagine memoriæ occurrunt, vt infrà patebit.

Refellitur fundamentum hæreticorum.

6 Suarez disp. 22. sect. 1. tribuit hanc eandem opinionem Durando in hoc 4. dist. 17. quæst. 15. alio tamen fundamento nimirum hoc, quòd necessitas integritatis confessionis non possit colligi ex iure diuino, & ex institutione sacramenti pęnitentiæ; sed ex sola ecclesiæ traditione, & auctoritate haberi: aitque ipsum Durandum ibi inniti soluere rationes Theologorum, quibus probant necessitatem huius integritatis.

Opin. falsa ascripta Durādo à Suarez.

7 Ego autem hoc non inuenio apud Durandum loco citato; sed potiùs oppositum: nam ibi distinguit quæstionem hanc in duas partes. Prima est de cōfessione, An scilicet confessio fieri debeat integraliter vni, & eidem confessori. Secunda, An absolutio de omnibus peccatis fieri debeat ab vno, & eodem ministro. Et deinde num. 5. respondens ad primam partem inquit, esse concordem sententiam omnium, quòd necessarium sit confiteri omnia peccata vni, & eidem confessori. Modum autem probandi non esse eundem apud omnes. Deinde adducit rationem D. Thomæ in hac dist. 17. quæst. 3. sumptam ex proportione ad medicinā carnalem, & eam reijcit; sed num. 7. adducit aliam rationem, quam approbat, & est: quòd confessio debet correspondere contritioni tāquam signū signato: confessio enim est signum contritionis, quæ est in corde; sed contritio esse debet de omnibus peccatis; ergo. Ideò Durandus sentit cum alijs Theologis, neque dicit hanc integritatem esse necessariam ex traditione ecclesiæ, & non iure diuino, vt illi imponitur. Verum est quidem, quò ad secundam quæstionis partem, scilicet, An absolutio debeat fieri ab vno, & eodem sacerdote ipsum varios modos dicendi adducere, & reijcere; sed illud pertinet ad absolutionē, quæ fit in casuum reseruatione. De qua infrà suo loco, cum loquemur de ministro quò ad casuum reseruationem, & de dimidiatione confessionis.

8 His ergo dimissis, certum est necessariam esse cōfessionem omnium peccatorum mortalium, quæ memoriæ occurrunt, siue sint operis, vel oris, vel cordis: nam etiam occultissima (dummodo sint peccata) necesse est confiteri, & est necessaria confessio omnium eorum nedum in genere; sed etiam in specie, & num. Quæ conclusio est cōmunis omnium Theologorum in hoc 4. & est de fide diffinita in pluribus Concilijs præsertim Lateranense cap. *Omnis vtriusque sexus*. & Florentino sub Eugenio 4. in decreto suo. Clarius in Concilio Tridentino sess. 14. cap. 5. can. 7.

Resolutio difficultatis.

9 Hæc assertio probatur 1. ex traditione, & praxi perpetua ecclesiæ: nam modò hunc vsum videmus in ecclesia, atque vndè ortum habeat ignoramus. Dicere enim, quòd ortū habuerit ex Conc. Later. sub Innocentio III. est omninò vanum, cum D. Aug. qui 800. annos uixit ante illud Concilium tradat multa, & varia documenta de hac confessione in lib. de vera, & falsa pœnitentia. Nec dicit Aug. confessionem illam peccatorum suo tempore esse introductā; sed de ea veluti de re antiqua loquitur, & cap. 15. & 9. inquit. *Quædam vni celant, quæ alij manifestāda conseruant, quod est se laudare, & ad hypocrisim tendere, & semper venia carere*. Et patet D. Aug. loqui de peccatis occultis: hæc enim tamen aperire, vel cessare quis potest. De eadem habetur mentio, vt de re ordinaria à D. Cypriano in serm. de lapsis num. 98. vbi docet, quod tūc temporis erat in vsu, vt confiterentur apud sacerdotes, etiam de hoc, quòd cogitauerunt. Verba eius sunt. *Qui quamuis nullo sacrificij, aut libelli facinore obstricti, quoniam tamen de hoc, vel cogitauerunt hoc ipsum apud sacerdotes Dei dolenter, & simpliciter confitentes exomologesim conscientiæ facientes*. Item epistola 10. de eadem confessione habet sermonem, & de ablutione pedum, in principio multa dicit appellans illam sacramentum, & reiterabile. Tertulianus lib. de pœnitentia cap. 10. circa finē. Clemens epistola 1. circa finem, & alij.

1. Ratio ex auctoritate.

10 Secundò probatur ratione. Scotus hac dist. 17. q. 1. art. 2. §. *Item continet dictum præceptum*, pro hac conclusione nullam adducit rationem: quia eam supponit veram; sed declarat quomodo debeat esse integra, & de omnibus. Tamen potest adduci ratio, quam ipse superius dist. 15. quæst. 1. art. 5. adduxit ad probandum, quòd satisfactio secundùm affectum, idest contritio debet esse de omnibus, quæ est hæc. Secundùm D. Aug. lib. de vera, & falsa pœnitentia. *Impium est à Deo dimidiam sperare*

2. Ratio.

rare

rare veniam. At qui cõfiteretur vnum peccatum, & aliud taceret, speraret, & quæreret veniam de vno, & non de omnibus, vel de aliquibus, & non de omnibus; ergo. Ratio ergo integritatis desumitur ex natura peccatorum, quæ est, quòd vnum non dimittatur sinè alio. Ideò cum confessio sit ordinata ad dimissionem peccatorum, non licet confiteri vnum, & aliud tacere.

3. Ratio.

11 Tertiò probatur ex natura sacramẽti pœnitentiæ: ideò enim peccata sunt pãdenda sacerdoti: quia sacerdos est iudex arbiter à Deo constitutus, qui iudicet de peccatis pœnitentis eum ab eis absoluendo, vel non absoluendo: at hoc iudicium rectum fieri non potest à sacerdote, nisi sacerdos cognoscat distinctè omnia peccata nedum in genere, sed in specie, & numero, & sigilatim circunstantias eorum habentes specialem malitiam, vt ait Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 5. neque debitam pœnam, & satisfactionem iniungere potest. Cognoscere autem ea sacerdos non potest nisi mediante confessione: vt suprà dictum est; ergo.

Circũstantiæ peccatorũ sunt cõfitendæ.

12 Ad hanc integritatem omnium peccatorum pertinent etiam (vt dixi) circunstantię omnium peccatorum, & eorumdem malitię. Adducit autem Scotus auctoritatem D. August. lib. de vera, & falsa pœnitentia cap. 4. & refertur de pœnitentia dist. 5. cap. 4. vbi dicitur. *Consideret priùs qualitatem criminis in loco, in tempore, in perseuerantia, in varietate personæ* &c. Circunstantiæ enim aliquando mutant speciem peccati, & specialem malitiam adiungunt: ideò sunt confitendæ. Hæc assertio pendet ex præcedenti, & eadem ratione, qua illa probatur, scilicet quia non licet petere dimidiam veniam peccatorum à Deo; nec sacerdos potest rectum iudicium ferre de peccatis, nisi integra malitia ei innotescat.

Obiectio.

Sed hic est dubitatio, quia præcepta moralia debent esse de rebus possibilibus: at videtur impossibile moraliter, quòd omnes cognoscant species distinctas peccatorũ, & circunstantias mutãtes speciem: nam vix viri docti aliquando id assequuntur; ergo simplices, & idiotæ non videntur ad hanc integritatem obligari. Eadem est dubitatio de numero peccatorum in particulari, quia videtur impossibile aliquando omnia, & singula peccata cõmissa memorię reuocare, vt patet de magno peccatore, qui multo tempore non est confessus.

Solutio.

An sit necessariò recensere numerum peccatorum.

13 Ad hoc secũdum dubium de numero peccatorum dicendum est, quòd si pœnitenti est certus numerus peccatorum, illum numerum debet confiteri, neque necesse est vnumquodque peccatum recensere; sed sufficit dicere decies fornicatus sum, & sic de alijs: & hoc verum est, quando non adest aliqua circunstantia specialis, quæ augeat, vel minuat peccatum, vt dictum est, & dicam infrà. Si verò facta debita diligentia, de qua infrà, non occurit pœnitenti certus numerus peccatorum, sed offertur aliquis numerus, qui plùs minùsvè parum distare creditur à vero numero peccatorum, illum debet confiteri. Si verò facta diligentia hic aliqualis numeros non occurit, sufficit dicere consuetudinem peccãdi, discurrendo per hebdomadas, & menses, quò ad fieri possit, vt confessarius meliori modo, quo fieri potest, possit facere iudicium de numero peccatorum commissorum, & hoc sufficit. Vndè licèt deinde aliqua peccata distinctè occurrant, non debet pęnitens esse solicitus, quia in priori explicatione intelliguntur esse confessa nisi speciali grauitate essent grauia.

An species peccatorũ sint confitendæ.

Caietani solutio.

Quò ad primum verò Caietanus in tractatu de confessione q. 3. respondet, quòd species peccatorum sunt in duplici discrimine. Quædam variare possunt iudicium confessoris, vt sunt species peccatorum communiter notæ, vt blasphemia, furtum, adulterium, & huiusmodi. Quædam verò sunt, quæ iudicium confessoris non variant, vt sunt species diuinationis: nam alius abutitur aqua, alius terra, alius aliqua alia re, quæ distinctio specifica ab aliquibus appellatur diuersitas in specie Physica. Primæ species pertinent ad integritatem confessionis, & sunt necessariò cõfitendæ. Secundæ nequaquam. Soto in 4. dist. 18. q. 2. a. 4.

Solutio Soto.

dicit, omnes species diuersas in genere moris, non in genere Physico esse confitendas, quod conceditur communiter. Solùm enim species moraliter distinctæ sunt confitendæ: quia illæ solùm sunt peccata specialia: hoc autem præcepto confessionis obligamur ad confitendum peccata diuersa in specie, quæ sunt peccata diuersa specie, huiusmodi autẽ sunt solùm, quæ moraliter diuersa sunt specie. Quod clariùs Scotus explicauit vbi suprà, dum dixit eas circunstantias esse confitendas quæ speciali prohibitione, & lege prohibentur: hæ enim solæ sunt morales malitiæ specie diuersæ: quia diuersis præceptis prohibentur, vt infrà magis patebit.

Probatio Scoti.

14 Ad argumentum ergo respondetur, quòd etsi difficile sit cognoscere species peccatorũ diuersorum; tamen hoc non obstat: quia non requiritur exacta, & perfectissima cognitio specierum istarum distinctarum, sed quædã vulgaris cognitio sufficit, quæ ex diuersitate pręceptorũ, & ex diuersitate materiarum satis haberi potest: & vbi adest ignorantia pœnitẽtis, supplere debet scientia confessoris. Et tãdem, vt ait Caietanus vbi suprà, hoc iudicium sacerdotis in absoluendo à peccatis, non est iudicium tendens ad punitionẽ iudicati, vt erit iudicium extremum, in quo punctatim omnia iudicabuntur; sed est iudicium salutare, siue ordinatum ad salutem pœnitentis: ideò non requiritur exacta, & perfectissima discussio, sed tanta quanta exigitur ad salutem pœnitentis, quæ est illa, quæ regulariter haberi potest facta debita diligẽtia. De qua infrà: ideò dictum est, ea peccata esse confitenda, quæ memoriæ occurunt facto debito examine.

Quæ circũstantiæ sint confitẽdæ.

15 Verùm, etsi circunstantiæ peccatorum sint confitendę, non tamen omnes: Vndè est notandum secundùm omnes, præsertim Scotum vbi suprà, circunstantias esse in duplici discrimine: quædam sunt impertinentes, quæ scilicet nec augent, nec minuunt, nec vllo modo pertinent ad grauitatem, vel leuitatem peccati, vt putà siquis peccat cũ aliqua quæ vocatur Berta, vel Lucia, & huiusmodi: & illas confiteri fatuum est, inquit Scotus. Pertinentes verò ad confessionem sunt in triplici discrimine; quædam mutans speciem; quædam verò non, sed notabiliter aggrauant; quædam non mutant speciem, sed minuunt peccatum. Primi generis sunt, quæ speciali prohibitione prohibentur, vt cognoscere mulierem solutá est fornicatio; cognoscere nuptam est adulterium; cognoscere propinquam est incestus: & istæ proculdubio sunt confitendæ, cõsentiunt omnes Theologi in hoc 4. d. 17. & 18. & Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 5. optimè decernit. Sinè istis enim, vt patet, non habetur integritas confessionis peccatorum: quia istæ circunstantiæ sunt peccata particularia plura, licèt de hoc sit contentio inter Theologos. De qua re suprà disp. 6. & 7. diximus; sed siue sint vnum, siue plura peccata, certum est, quod habent plures malitias, & propter illas secundùm omnes sunt confitendæ, neque enim sacerdos sine illarum cognitione rectum iudicium de peccatis talis pœnitentis facere potest. Ex quo sequitur circunstantias, illas, quæ ex peccato veniali faciunt mortale esse necessariò confitendas, vt si quis furetur acum hac intentione, vt illo occidat aliquem; furtum enim acus cum sit res paruæ quantitatis ex natura sua, non est peccatum mortale, tamen ex circunstantia est actus mortalis. Idem dicendũ de actu contra conscientiam erroneam. Si quis enim existimaret quòd loqui in Ecclesia de negotijs aliquibus esset peccatum mortale, & tamen loqueretur, circunstantia illa facit actum illum esse peccatum mortale. Tandem si omitteret aliquid, quod est præceptum propter faciẽdum aliquod veniale peccatũ, vt si quis vt luderet pila palmaria omitteret Missam audire die festo, actus ille fit peccatum mortale, de quibus vbi suprà. Quare certum est (quatenus spectat ad hunc locum) quòd circunstantiæ mutantes speciem, & facientes actum ex veniale mortale, pertinent ad confessionis integritatem.

Actũ exteriorem esse cõfitendũ.

16 Vbi est notandum nedum actum interiorem peccati esse confitendum, quando peccatum exterius est consuma-

sumatum, sed etiam actum exteriorem: quia falsum est, quòd actus exterior non addat malitiam super actum interiorem, vt in propria disputatione suprà diximus: quod esse verum confirmatur ex hoc: quia etiam sustinentes actum exteriorem non addere malitiam actui interiori, vt Suarez de pœnitentia disp. 22. sect. 2. asserunt esse confitendum: quia pertinet ad vnitatem actus peccati interioris: at certè si consumatio illa exterior non haberet particularem malitiam, non esset necesse illam confiteri: quia idem esset faciẽdum iudicium à sacerdote de actu illo interiori, verbi gratia, homicidij, siue actu esset consumatum opere exteriori, siue esset tantùm interiori intentione perpetratum.

De circunstantijs aggrauãtibus duplex opinio.

17 De circunstantijs verò aggrauantibus, sed non mutantibus speciem, est contentio inter doctores, & est duplex opinio. Aliqui sustinent, illas non esse confitendas; sed solùm, quæ mutant speciem, quas vocant aggrauantes in infinitum, idest mortaliter: quia faciunt speciale peccatum. Et hæc opinio, est communior, & est D. Thomæ in 4. d. 16. q. 3. art. 2. quæstiuncula 5. D. Bonau. dist. 17. q. vlt. Durandi dist. 16. q. 4. A. Soto loco vbi infrà; citatur Caiet. pro hac opinione tract. de confessione q. illa 3. sed re uera est oppositæ sententiæ, vt est videre apud eum 1. 2. q. 7. a. 1. Multi alij referuntur à Suarez, vbi infrà. In hanc sententiam citatur etiam Scotus pro hac sententia à Soto, vbi infrà, sed de eius sententia posteà dicam. Eam autem præsertim tenet Nauarrus in summa cap. 6. n. 8. fundamenta huius opinionis sunt. Primò, quia Conc. Trid. dicit, solùm circunstantias mutantes speciem concludi sub præcepto confessionis; ergo. Secundò, quia vix potest cum aliqua certitudine, & regula explicari, quid sit notabiliter aggrauare, & quando ad illum terminum perueniatur: ideo hoc esset redigere pœnitentes in maximas angustias, & eorum conscientiam inquietam reddere, quia nunquã posset sufficienter sciri, quando huiusmodi circunstantiæ essent sufficienter confessæ.

Fundamẽtum huius opin.

2. Opinio.

18 Ex altera parte multi sustinent, quòd etsi allata opinio sit probabilis, & tutò quis possit eam sequi, tamen veriorem, & probabiliorem esse propositam sententiam, scilicet esse necessarium circunstantias aggrauantes explicare, licèt non mutent speciem; & hoc intelligunt de notabiliter aggrauantibus. Quam sententiam sustinet Soto in 4. d. 18. q. 2. art. 4. conclus. 7. Suarez disp. 22. sect. 3. qui pro hac opinione adducit multos Doctores. Eam verò sustinuerunt ex antiquioribus Alexan. Alensis 4. p. q. 18. m. 4. a. 3. §. 2. & Scotus in hac dist. 17. q. 1. §. *Nec solum peccata, sed circunstantias*, &c. qui distinguunt, quòd circunstantiæ quædam sunt aggrauantes, vt mutantes speciem, scilicet quæ speciali lege prohibentur, vt suprà dictum est, & istæ sunt necessariò confitendę: quædam verò sunt aggrauantes, sed non mutant speciem; & sunt illæ, quæ aliquo modo augent contemptum peccati, vt ait Alex. & ait has esse necessariò confitendas absque vlla distinctione.

Scotus.

Scotus verò distinguit (quẽ posteà alij posteriores sequuti sunt,) quòd circunstantiæ aggrauantes, quæ non mutantur speciem, sunt in duplici discrimine. Quędam enim notabiliter aggrauant. Quædam verò aliquo modo aggrauant. De primis ait Scotus esse confitendas, licèt hoc omninò, & absolutè non determinet; sed sub dubitatione sicut nec Alexan. sed inquit, *sine prędiudicio*. Huiusmodi sunt frangere ieiunium non solùm pluries in die comedendo; sed etiam comedendo carnes. Comestio carnis non videtur esse circunstantia mutãns peccatum fractionis ieiunij, & tamen est necessariò confitenda. Item si quis furatur centum, non sufficit dicere feci furtum, quod est peccatũ mortale; sed opus esset explicare circunstantiam quantitatis: quia multùm aggrauat, & variat iudicium confessoris. Smiliter si quis habuit propositum occidẽdi aliquem, & permansit in illo mensem, vel plures dies, peccauit grauiùs, quàm si permansisset diem vnum, vel horam; ergo illa diuturnitas est confitenda, & sic de alijs. Hæc sententia probatur à Soto, & Suarez varijs rationibus; sed hæc sufficiat, quia peccator tenetur prębere sacerdoti apertam cognitionem grauitatis sui peccati, & nihil celare: ideò, cum conscientia dictat, aliquam circunstantiam augere contemptum, & grauitatem peccati, tenetur illam dicere. Tandem aliæ sunt circunstantiæ aggrauantes aliquo modo, vt putà, qui peccat ex minori tentatione, & hoc vel ex parte obiecti, quod minùs, vel magis mouet, vel ex parte subiecti peccantis, & similes; & de his ait Scotus, non esse ità certum, quòd oporteat illas confiteri; tamen ait, esse vtile, & tutum illas confiteri: & ex hoc possumus satisfacere fundamẽtis prioris opinionis. Ad primum ex Conc. respondetur, quòd voluit docere illud, quod est certum, de eo verò, quòd est in controuersia inter Doctores, nihil voluit tunc determinare. Ad secundum patet per distinctionem allatam de notabiliter aggrauantibus, & parum aggrauantibus, quæ notabiliter aggrauant facilè dignoscuntur ex conscientia pęnitentis cum scientia confessoris. Quæ verò parum aggrauant, cum periculum est, vt generent scrupulos, sunt dimittendæ.

An fundamentũ primæ opin.

19 Notandum autem est, hoc intelligendũ esse de circunstantijs, quæ regulariter, & ordinariè non includuntur in actu peccati. Quæ verò ordinariè includuntur, & consequuntur actum peccati, nõ est necesse eas confiteri: quia in confessione peccati illæ includuntur, exempli gratia. Quis occidit hominem; ad occidẽdum autem hominem non est necesse, vt confiteatur se arma quæsiuisse animo occidendi, neque se explorasse locum, in quo esset, vt eum occideret; sed satis est, si dicat occidi hominem. Et cum quis cognoscit mulierem, non est necesse confiteri eam osculatam fuisse, & alia similia, quæ ordinarię in illo actu includuntur, & cõsequuntur. Si autem adhibeat aliquam turpitudinem non ordinariam; & in homicidio similiter adhibuit aliquam circunstantiam non ordinariam, vt si adhibuit socium, si misit exploratorem, qui occidendum obseruaret, quo tempore homicidium fieri cõmodè posset, & huiusmodi; hæ sunt confitendæ vltra factum, & peccatum principale.

Circũstantiæ, q̃ ordinariè includuntur in peccato nõ cadunt sub pcepto cõfessionis.

20 Quæstio autẽ illa, An sufficiat circunstantiã cõfiteri per modum peccati, vel per modum circunstantiæ mihi videtur superuacanea: sufficit enim eã confiteri modo tali, vt confessarius eam intelligat. Vndè cum in re sit circunstantia alicuius peccati, vt talis debet confiteri, si tamen alio modo quis possit eam confiteri, ita vt confessarius illam distinctè intelligat, non est dubiũ, valere confessionẽ.

An circunstantia per modũ circunstantiæ necesse sit confiteri.

21 De circunstantijs diminuẽtibus Scotus nihil dicit, sed videtur esse idem iudicium quod de aggrauantibus: nam si sint ita diminuentes, vt mutent speciem, secundùm omnes sunt necessariò cõfitendæ. Quod Recentiores probant ex Cõcilio Tridentino, quod ait, simpliciter omnes circunstantias mutantes speciem esse confitendas; ergo cõprehendit non solùm aggrauantes, sed etiam diminuentes, & declaratur magis: quia circunstantiæ diminuentes possunt mutare speciem quatuor modis. Primo modo faciendo peccatum ex suo genere mortale esse nullum peccatum, vt si quis occidit hominẽ, sed in sui defensionem, vel casu, dãdo operam rei licitæ: nam si quis dicat, Ego feci homicidium, & non adiungat circunstantiam mentitur, & fallit iudicium confessoris, qui iudicat actum illum homicidij peccatum, qui tamen non est peccatum. Secundò faciendo actum, qui licèt ex suo genere esset mortale, tamen ex circunstantia fit veniale, vt aliquid factum ex surreptione, & ex primo motu. Tertiò si circunstantia tollat aliquam mortalẽ malitiam, vt si quis occidit scienter clericum, quem tamen ignorabat esse clericum, sciebat tamen esse hominem: hæc enim ignorantia excusat à sacrilegio. Quartò si actus absque circunstantia videatur esse vnius speciei, cum illa alterius speciei fiat, quamuis leuioris, vt si quis intendebat occidere equum alicuius, & occidit hominem, actus hic non est homicidium, sed furtum; tamen si intentio taceretur, hic actus à confessario iudicaretur homicidium, quod est grauius peccatum; non furtum, quod est minus peccatum.

De circunstantijs minuentibus.

Si verò

De alleuiātibus, non mutātibus speciem.

22 Si verò non mutent speciem peccati mortalis, sed peccatum maneat mortale, duæ sunt opiniones Doctorum. Aliqui dicunt non esse necessarium, illas confiteri, immò nec expediens, quātumcunque notabiliter minuāt.

1. Opinio.

Hæc est opinio D. Bonau. in 4. dist. 17. q. vltima, quem sequuntur Nauarrus in Summa cap. 6. n. 6. Suarez disp. 22. sect. 3. Paludanus citatus à Soto, & alij.

Primū fundamētū primæ opinionis.

Fundamentum eorum est, quia homo in confessione debet se accusare nō excusare dicit D. Bonau.

Secundum

Secundò, quia cum diminutio non diminuat speciem peccati mortalis, non videtur esse tanta, vt possit iudicium confessoris multum variari: quia in actu peccati est quædam latitudo: ideò licitum est sacerdoti apprehendere totum illum modum, & secundùm illum iudicare.

2. Opinio.

23 Alij verò, vt Soto in hoc 4. dist. 18. q. 2. a. 4. concl. 5. Cano, & alij tenent, quando circunstantia notabiliter diminuit necessariò esse confitendam.

1. Ratio.

Ratio est: quia dicunt confessarium tunc decipi in re graui. Soto adducit exemplum. Puella graui inopia oppressa, vel mortis metu admittens iuuenem ad se cognoscendum, peccat mortaliter; nihilominuùs illa circunstantia, multum alleuiat peccatum, & consulit suæ famæ, de qua curam habere tenemur, Eccles. 41. Item si quis occidit alium, quia patrem suum iam priùs occiderat, tenetur dicere hanc circunstantiam si confitens sit persona, quæ multum prodesset Reipublicæ tenetur enim famam suam seruare apud Episcoscopum, si confiteretur Episcopo, si verò circunstantia sit parùm minuens non est confitenda.

Opinio auctoris.

24 Hæc secunda opinio mihi magis placet propter rationem adductam de circunstantijs aggrauantibus, eadem enim ratio mihi videtur. At respondet Suarez, magnam esse differentiam inter circunstantias aggrauantes, & minuentes; tum quia aggrauantes actum ab ordinario modo peccandi extrahunt, non autem minuentes: tū quia si à pœnitente non explicentur, non possunt excogitari licitè à confessore; quia faceret ei iniuriam. Minuentes verò sinè periculo à iudice possunt excogitari prudenter ex alijs coniecturis. Cæterùm hæ rationes nullæ sunt; nam certè, quòd aliqua puella admittat iuuenem ad secū peccandum cum mortis periculo, vel inopia oppressa est, non est modus ordinarius; & si quis vellet facere hoc iudicium sine confessione pœnitentis, facilè posset decipi, vt patet: quia hæc raròaccidunt. Nec debet confessor iudicare peccatum, ita esse factum, nisi ex confessione pœnitentis sibi constet; neque ex alijs coniecturis potest hāc circunstantiam alienantem iudicare facilè: quia puella non tenetur ei aperire statum, & circunstantias, quæ non pertinent ad confessionem, ex quibus tamē habuit ortum illa oppressio, & metus: ideo rationabilior videtur mihi hæc secunda opinio.

Ad fundamētū prioris opinionis.

25 Ad fundamentum primę opin. ex D. Bonauent. respondetur, verum esse pęnitentem debere se accusare non excusare; tamen debet etiam verum confiteri, & non dicere mendacium, & manifestare se ipsum qualis est, & non qualis non est, quod fieret, si reticeret huiusmodi circunstantias.

26 Ad secundum respondetur, quòd etsi in peccando sit quædam latitudo, tamen certum est vnum peccatum eiusdem speciei esse grauius alio eiusdem speciei, & maiori pœnitentia indigere; multùm enim refert, quòd quis graui quadam tentatione, & paruo conatu peccet, & vltrò seipsum inducat ad peccandum, & magna libidine peccet; & proinde non est verum iudicium confessoris non posse variari.

Quot, & quæ sint circunstantiæ, & quomodo ad confessionem pertineant. Caput Secundum.

27 ARistoteles 3. Ethic. cap. 1. assignat octo circunstantias, quas omnes Theologi, & Philosophi acceptant, vt est videre apud D. Thom. p. 2. q. 7. per totum, & Scotus eas supponit vbique in hoc 4. dist. 17. q. 1. a. 2. & 2. dist. 41. & quolib. 18. a. 1. & alij passim, & sunt istæ. *Quis, Quid, circa quid, Cur, Quomodo, Quibus auxilijs, Vbi, & Quando.* ab alijs ex Tulio in Rethorica enumerantur septem, quia *circa quid* continetur sub *Quid*. Aliqui etiam enumerant, *quoties*; sed ista potiùs pertinet ad substātiam peccati: quia vt ait Scotus hic, qualibet vice committitur nouum peccatum, & ideo est simpliciter necessarium eam confiteri. Ex qualibet ergo istarum circunstantiarum cōtingit peccatum accipere malitiam, & quandoque mutare speciem peccati: ideò diligenter sunt considerandæ. Circunstātię sunt octo.

Quis.

Prima circunstantia, quæ est *Quis*, denotat qualitatem personæ peccantis. Ex circunstantia autem qualitatis personę potest aggrauari peccatum, ita quod mutet speciem, & aliquando non mutent speciem. Primo modo contingere potest multis modis; vt si persona sit sacrata, vt sacerdos; vel habeat votum castitatis, cognoscens carnaliter mulierem, mutat speciem, & facit sacrilegium. Si persona sit superior ad quem pertineat gubernatio; peccatū, quod in alio esset contra charitatem tantùm, in ipso potest esse contra iustitiam, & obligarè ad restitutionem; vt sunt in materia de Restitutione, *mutus non obstans, non manifestans.* Si enim non ex officio teneantur, non peccant contra iustitiam, sed solùm cōtra charitatem. Similiter si persona peccans, sit persona publica, quādoque habebit eius peccatum annexum scandalum, quod actus alterius peccati nequaquam habebit. Quandoque verò non mutat speciem, tamen intra ipsam auget, vel minuit; vt si persona sit sacrata per votum solemne, vel priuatum, & peccet carnaliter, est peccatum eiusdem speciei, sed maius in voto solemni, quàm priuato. Et si sit sacrata per sacerdotiū, vel per ordinem maiorem; vel sit sacrata, & per ordinem, & per votum solemne, est maius peccatum quàm si ordine minori; vel vno modo tantùm sacrata. Et istæ circunstantiæ sunt confitendæ eo modo, quo pręcedente capite dictum est de circunstantijs aggrauantibus, & minuentibus.

Quid.

28 Secunda circunstantia est *Quid*. Hæc principaliter denotat peccatum, siue materiam peccati, & circunstantias eius, vt diximus superiori capite: tamen considerata, vt est circunstantia peccati, quæ est appendix quædam ipsius actus peccati, communiter dicitur significare conditionem illam peccati, quæ est quantitas damni illati, vt quantùm quis furatus est, & quantum damnum illo peccato intulit. Et hæc circunstantia est confitenda, vt suprà diximus, quando est notabilis; & maximè quando habēt annexam restitutionem, & satisfactionē: & quando peccatum est reseruatum in tanta quantitate: tunc enim est manifestanda secundùm omnes confessori, vt sciat se regere in imponēda pœnitētia, & in iudicio de tali peccato.

Circa quid.

29 Tertia est *Circa quid*. Hæc denotat personam circa quam fit peccatum, & etiam ipsam materiā peccati: ideò multa eam referunt sub circunstantia *Quid*. Seruanda ergo sunt ea, quæ dicta sunt in explicatione duarum pręcedentium circunstantiarum, scilicet quæ sint circunstantiæ personæ, circa quam fit peccatum: vt an sit sacra, an non sacra: soluta, vel non: & alia, quæ pertinent ad personam, & ratione *Quid* etiam est consideranda quantitas damni illati ratione personæ: quia si quis aliquid furatur pauper, est maius damnum, quàm si furetur diuiti, & pro vt circunstantiæ istæ mutant speciem, vel non; vel aggrauant notabiliter, vel non, seruāda sunt ea, quæ dicta sunt suprà in confessione.

An stuprū sit circunstantia necessariò cōfitenda.

30 Solet hic esse speciale dubium de peccato stupri, An sit circunstantia necessariò confitenda: ratio autem dubitationis est, quia dubium est an stuprum, siuè defloratio virginis sit circunstantia mutans speciē: nam si mutat speciem, proculdubio est necessariò confitenda, propter rationes superiùs adductas: si verò non mutat speciē, non videtur esse confitenda necessariò, licèt sit notabiliter aggrauans, secundùm eos auctores, qui illas esse confitendas negant: an verò mutet speciem, est difficultas, quia omnes Doctores antiqui, D. Thom. 2. 2. quæst. 15. 4. a. 6. 1. Opinio.

Alensis

Alensis 2.p.q.143.m.9. vbi disputat de speciebus luxuriæ, & alij passim supponunt, assignant sex species luxuriæ, scilicet *fornicationem, adulterium, stuprum, sacrilegium, incestum, & peccatum contra naturam*. & istæ ponuntur in decreto dist.36.q.1.cap. *lex preteritorum*, & ratio in speciali, propter quam *stuprum* videtur mutare speciem, assignatur à D. Thoma vbi suprà, quia defloratio virginis extra matrimonium facit ipsam inhabilem ad matrimonium, & fit iniuria patri, sub cuius custodia sigillum virginitatis conseruatur.

1. Opinio. 31 Alij, vt Soto in hoc 4.dist.18.q.2.art. 5. Nauarrus lib.2.de Restitutione cap.3.n.433. Suarez disp.22. sect.3. tenent esse circunstantiam non mutantem speciem, & cõsequenter non esse necessariò confitendam. Soto tamen distinguit: nam stupratio, vel est mente solùm perpetrata, vel actu exteriori etiam consumata. Si primo modo non est necessaria confitenda. Si secundo modo est necessariò confitenda propter nocumentum, graue in quod incurrit virgo, si posteà à viro, cui coniungitur in matrimonium, non reperiatur virgo. Quam distinctionem confutat Suarez, quia tenet peccatum exterius nullam deformitatem addere actui peccati interiori; sed in hoc errat Suarez, vt suprà in propria disputatione dixi. Suarez ergo, & reliqui tenent hanc circunstantiam non mutare speciem, & ideo siue mente solùm, siue opere perpetretur, non esse confitendam. 1. Ratio. Quòd autem speciem non mutet probant: quia defloratio virginitatis in masculo, non mutat speciem, vt 2. Ratio. omnes concedunt; ergo nec in fęmina. Pręterea fundamentum contrariæ partis est valdè incertum: quia cum ipsa virgo, etiam manens sub custodia patris, liberè consentit in deflorationem, non facit iniuriam patri: quia ipsa virgo est domina ita illius partis ad vsum venereum, sicut oculorum ad vidēdum, & sic de alijs; ait Soto. Quòd autem se faciat inhabilem ad matrimonium est accidentarium illi, vndè in masculo non ponit nullam inhabili- 3. Ratio. tatem. Tertiò est valdè durum obligare fęminas, & maximè moniales quotiescunque confitentur aliquod peccatum luxuriæ mentale ad dicendum an sint virgines, nec ne. Si enim hæc circunstantia mutat speciem, esset necessaria, quia esset peccatum alterius speciei ab alio, quo se polluisset mente, vel opere, si iam priùs erat deflorata, & polluta.

Opin. auctoris. 32 Ego in hac re non puto recedendum esse à priori opinione, quæ est communior, & antiquorum Theologorum, & firmata auctoritate Gelasij Papæ, vt habetur in Decretis loco citato. Et ratio est, quia defloratio virginis indebita pręter iniuriam patris, quam continet, & inhabilitatem ad matrimonium, est via ad multa mala; nimirùm ad viam meretricandi, vt ait D. Tho. vbi suprà, à qua via meretricandi, & à malis illam consequentibus retrahebatur ipso signaculo virginitatis. Valdè enim se continet mulier virgo ab actibus venereis, ne amittat sigillum suæ virginitatis, quod habet veluti gemmā sibi pręciosissimam; illa verò amissa redditur vilis, & sinè freno ad luxuriam: ideo stupratio virginis semper longè maius peccatum habitum est, quàm simplex fornicatio. Hoc autem non facit defloratio virginitatis in masculo; neque enim ex hoc magis procliuis redditur ad luxuriam, quia virginale signaculum non est sibi comendatum, sicut mulieri. Vndè Ecclesiastici cap.7. dicitur, *Filiæ tibi sunt? custodi corpus earum*. Ad primā rationē in oppositum. Et hoc patet ad primam rationem opinionis aduersæ. Ad secundam. Ad secundam negatur, quòd virgo sit domina ita illius partis ad vsum venereum, sicut oculorum ad videndum, &c. Non enim de vsu aliorum membrorum sunt regulæ, & pręcepta constituta, sicut de vsu illius partis, quæ est vt non nisi in matrimonio, habeat vsum. Ad tertiam. Ad tertiam non video, quod obligatio ad confitendum hanç circunstantiam sit magnum grauamen. Sufficit vt confessarius interroget, an ampliùs commiserit illud peccatum. Ex illa enim interrogatione veniet in cognitionem, an peccatum, quod tunc confiteatur, sit stuprum an non; si enim ampliùs illum non commisit, erit stuprum; si autem sic, non erit stuprum: quia ad virginitatem requiritur integritas nedum corporis, sed mentis: maximè autem est necessarium, si opere sit cõsumatum. De stupro. Falsum est enim peccatum exterius nõ addere malitiam super actum interiorem, vt suo loco diximus, quicquid dicant Suarez, & alij illius opinionis.

Circunstātia īcestus. 33 Idem dicendum de *incestu*, de quo licèt sit magna contentio, an varietas graduum faciat varietatem specificam. Ego citra pręiudicium iudico, illos gradus esse explicandos in confessione, saltem infrà numerum ab Ecclesia specialiter prohibitum: dictum est enim suprà, quòd illa est specialis circunstantia mutans speciem, quæ speciali lege prohibita est.

Finis siue pp quid. 34 Quarta circunstantia est, *finis*, siue *propter quid*. Hæc circunstantia intelligitur de fine extrinseco peccati; vt verbi gratia, si quis furatur propter adulterari, adulterari est finis extra actum ipsius furti: quia in illo non includitur: hac circunstantia peccatur cum peccatum ordinatur ad finem specialiter prohibitum; vt in exemplo allato: est enim tunc circunstantia mutans speciem, & addēs nouum peccatum. Et primum peccatum est medium ad secundum perpetrandum. De medio ad peccandum. Vbi est notandum, quòd istud medium quo quis vtitur ad peccatum faciendum, aliquādo est per se prohibitum, & sic est peccatum ex se; si tamē includitur regulariter in secundo peccato, sufficit explicare vltimum actum; vt si quis vtatur osculis, & tactibus impudicis ad excitandum se ad actum venereum: isti enim actus sunt specialiter prohibiti, tamen in actu illo vltimo includuntur: & ideo subintelliguntur. Si quis autem actum vltimum non perficeret, debet adhuc illos confiteri: quia sunt actus specialiter prohibiti. Aliquando non sunt ordinata talia media ex se ad actum illum, & tamen sunt specialiter prohibita, & aggrauāt multum; vt furari propter adulterari; vel vti medijs extraordinarijs, & nimium impudicis in actu venereo, & tunc specialiter sunt confitenda: quia ex confessione vltimi non intelliguntur confessa, nisi explicentur: quia in eo regulariter non includuntur. Aliquando medium est prohibitum, & finis non est prohibitus ex se; vt si quis omittat die festo sacrum, vt ludat pilla palmaria, vtrumque est peccatum: quia licèt ludere pilla palmaria non sit ex se actus prohibitus, & peccatum; tamen quia omittit actum pręcepti propter consequendum eum finem, fit actus mortalis: quia constituitur talis actus, vt vltimus finis, & plùs diligitur quàm Deus ipse, cuius pręceptum transgreditur propter illum actum. Hic est enim vnus modus, quo suprà diximus, actū ex suo genere veniale fieri mortale, de qua re suprà suis locis.

Quomodo. 35 Quinta circunstantia est, *Quomodo*, siue modus. Hæc similiter intelligitur de modo accidentali, & extra substantiam actus peccati. In ea sunt quinque consideranda. Primò intensio, actus extraordinaria, quæ vt plurimùm actibus aliquibus exterioribus dignoscitur, vt diuturnitate, frequentia, nimia sollicitudine, & cogitatione de tali re; vt si quis odio habens inimicum, illum occidit, deinde corpus in frusta concidit, & tunc est declaranda talis intentio in confessione. Secundò ignorātia: plurimùm enim refert, an quis peccet ex ignorātia inuincibili, vel crassa, vel ex cõscientia erronea, vt suis locis patet. Tertiò passio, siue tentatio, quia refert multùm, an quis peccet ex vehementi tentatione, vel ipse sponte currat ad peccatum; hoc enim est grauius peccatum. Quartò, est contemptus. Refert enim multùm, an aliquis peccet ex contemptu, vel tantummodo propter delectationem peccati. Contemptus enim mutat speciem, & quandoque ex veniale facit mortale. Quintò est consuetudo, quam aliqui dicunt esse necessarium confiteri. Aliqui negant; puto esse necessariū eam confiteri tantùm, vt confessor intelligat statum pęnitentis, & iudicium facere possit de eius dispositione, & an habeat aliquam occasionem proximam, licèt hoc patere possit ex numero peccatorum, qui necessariò est confitendus. Si autem status pęnitentis aliàs pateat confessori, non puto esse necessarium illam confiteri.

Quibus auxilijs.

36 Sexta est, *Quibus auxilijs.* Auxilia autem sunt duplicis generis, vel enim sunt instrumenta quibus quis vtitur ad peccandum, vel sunt homines adiuuantes, & concausantes ad peccatum, auxilia primi generis non sunt confitenda, nisi sint specialiter prohibita. Exemplum esse potest. Si quis armis prohibitis occidat aliquem, vsus enim illius instrumenti constituit circunstantiam specialem peccati, vel si illud instrumentum afferat notabile nocumentum, & grauitatem, vt si quis occideret hominem cum feris obijciendo ad dilaniandum, vt magis sæuiret in eum, & similia. Auxilia verò secundi generis, scilicet hominis adiuuantis ad peccatum tunc solùm sunt explicanda in confessione, cum peccās inducit aliquem ad peccandum. Hęc enim inductio ad peccandū est scandalum actiuum, quæ est circunstantia, vel specie distincta, vel saltem notabiliter aggrauās. Si autem consocius est exspositus, & paratus ad peccatum illud cōmittendum, non est necessarium hanc circunstantiam confiteri. Notandū est tamen, quòd si actus qui petitur est intrinsecè malus, nunquam est licitum illum petere etiam à parato. Neque enim quia meretrix est parata ad actum fornicationis, ideò licet alicui petere fornicationem ab illa: tamen si petat, non facit speciale peccatum à fornicatione: quia iam erat parata. Si verò actus non sit intrinsecè malus, sed est malus, quia ab eo, qui facit illum actum, malè fit, quia fit cum peccato; vt petere mutuum ab vsurario, nam petere mutuum ex se non est peccatum, sed est malus ratione vsurarij, qui non vult mutuare nisi vsuram petendo, & tunc licet petere actum, dummodo adsit necessitas ex parte petentis, vt suo loco copiosius dicam: vel saltē ait Suarez, adsit alius hic, & nunc, paratus committere talem actum, scilicet petere mutuò ab vsurario: tunc enim nullo modo dat occasionem vsurario peccandi, & ideò non peccat.

De eo q. petit actū peccati à parato ad peccādum.

De eo qui petit mutuū ab vsurario.

Vbi.

37 Septima est *Locus.* Locus enim aliquādo aggrauat peccatum, quod contingit tribus modis. Primò ratione sacrilegij: vndè occidere aliquem in Ecclesia, vel cognoscere aliquam in Ecclesia, etiam propriam vxorem, vel furari in Ecclesia est sacrilegium: quia hæc peccata specialiter sunt prohibita fieri in loco sacro. Ad quod etiam reducitur celebrare in loco indebito: hoc enim est etiam sacrilegium: vel ratione scandali, vt peccare in loco publico, vel ratione iniustitiæ: quia aliquando actio facta in vno loco erit contra honorem alicuius, quæ facta in alio loco non erit contra honorem illius: & non solùm peccata ista opere consumata in Ecclesia sunt sacrilegia, sed etiam mente perpetrata. Si quis enim decreuit committere homicidiū in Ecclesia, non est satis cōfiteri decreuisse occidere hominem, sed necesse est addere in Ecclesia. Alia verò peccata commissa in Ecclesia secūdùm cōmuniorem opinionem non sunt sacrilegia, nec aggrauant notabiliter, vt si quis in Ecclesia decernat extra Ecclesiā committere adulterium, vel murmuret, vel aliquid simile faciat; est tamen vtile hanc circunstantiam quoque confiteri, iuxta dicta superiori capite.

Quando.

38 Octaua est *Tempus.* Circa hanc circunstantiam est notandum, quòd cum in aliquo præcepto includitur determinatio temporis, si illa circunstātia temporis omittatur, est peccatum, & ita ille, qui tempore Paschatis non susciperet sacramentum pœnitentiæ, dato, quòd tēpus præscriptum ab Ecclesia, de semèl confitendo in anno, sit tempus Paschatis, peccaret mortaliter.

Secundò est consideranda diuturnitas actionis, quæ si sit extraordinaria, & non consequatur naturaliter actionem peccati, sed ex electione sit, & sit notabilis, & præsertim ex ea oriatur notabile nocumentum, vel grauitas delicti, est explicanda, non tam propter delicti grauitatem, quàm propter multitudinem actuum, qui regulariter eo tempore multiplicantur, vt si quis diù habuit determinatam voluntatem occidendi inimicum, vel committendi fornicationem cum aliqua muliere, vt dictum est suprà disputatione propria de connexione actus externi, & interni peccati: & an actus externus addat malitiam interiori.

39 Tertiò quando eodem tempore occurrunt duo, vel tria præcepta facienda, vt si eodem die duplici titulo ieiunandū sit; sicut si feria sexta, qua Fratres Minores tenentur ex voto ieiunare, occurrat vigilia alicuius Sancti, vel quatuor tempora; tunc hæc circunstantia temporis est explicanda: quia secundum aliquos, vt Nauarrum in Sūma cap. 11. num. 4. sunt duo peccata, quia est actus contra duo præcepta, & hæc opinio mihi placet: vel saltem si est vnum peccatum est grauius, quàm si vno pręcepto solo obligaretur; & si Suarez vbi suprà sect. 4. num. 22. dicat non multùm aggrauare, quando præcepta sunt eiusdem rationis, quia non multùm immutat iudicium confessoris. At mihi multùm immutare videtur: interest enim multùm, an quis transgrediatur vnum, vel duo pręcepta: at qui non ieiunat die, qua duplici pręcepto obligatur ad ieiunandum, transgreditur duo præcepta, licèt sit vnus actus, ideo cum formalitas peccati consistat in trangressione præcepti, actus ille est vnum peccatum materiale, sed duplex formaliter, vide sup. disp. 3.

40 Quarto loco est maxima dubitatio, an circunstantia diei festi in quolibet peccato sit confitenda, vt verbi gratia si quis blasphemet, vel furetur in die festo, illa blasphemia, & furtum ratione circunstantiæ temporis, quod est dies festus, sit aliud peccatum mortale, vel saltem ratione illius circunstantiæ, sit adhuc peccatum mortale contra præceptum sanctificationis festi, & ideo sit necessariò confitenda. De hac re sunt duæ opiniones, aliqui dicunt esse circunstantiam aggrauantem solùm venialiter: & hanc opinionem sequuntur Recētiores cū Caiet. 2. 2. q. 122. a. 4. & in Opusculis tom. 1. tract. 18. q. 3. Syluester verbo *Confessio*, q. 10. Soto in 4. dist. 18. q. 2. art. 4. Nauarrus in Summa cap. 6. n. 9. Suarez de pęnitentia disp. 22. sect. 4. n. 21. & alij quos citat Corduba lib. 1. q. 5. qui de hac re longam quæstionem facit.

De circunstantia diei festi.

1. Opinio.

Fundamentum huius opinionis principale est ex Caietano; ille actus est speciale peccatum contra pręceptum de obseruatione diei festi, qui est contra finem internum, siue materiam, & obiectum illius præcepti; sed sic est, quòd materia præcepti diei festi continet duo tantùm, scilicet abstinere ab opere seruili, & audire sacrum: at committere peccatum in die festo, vt patet, non contrariatur alicui horum actuum; ergo circunstantia peccati in die festo, nō aggrauat mortaliter. Maior probatur, quia finis præcepti vniuscunque est duplex, alter remotus, & extrinsecus, alter internus, & proximus: remotus est cultus Dei, & honor Dei in genere, salus spiritualis hominis in genere: omnia enim præcepta tendunt ad cultum, & honorem Dei, & salutem spiritualem hominis: finis proximus est materia, & obiectum proprium illius præcepti, vt in proposito finis proximus præcepti diei festi est audire missam, & abstinere ab opere seruili. Ad propositum facere contra finem remotum, & extrinsecum, non est speciale peccatum, neque est violare aliquid præceptum speciale; sed est peccare in genere, quoniam peccatum contra quodcunque præceptum speciale est contra hunc finem communem, & remotum. Minor est euidens, quia & si aliquis blasphemet die festo, adhuc potest abstinere ab opere seruili, & audire Missam, & sic satisfacere huic præcepto particulari. Licèt ergo blasphemia, & alia huiusmodi sint peccata, non tamen ex circunstantia diei festi accipiunt aliquam deformitatem maiorem, quàm ex se habeant loquendo de mortali deformitate.

Fundamētū huius opinionis.

41 Ex altera parte omnes ferè antiqui Theol. tenent hanc circumstantiam aggrauare mortaliter, & violare præceptum de festorum obseruatione, & esse necessariò confitendam. Hanc apertè tenet D. Thom. 2. 2. q. 122. ar. 4. ad tertium, & quia Caietanus tenet oppositum, & nititur D. Thomam trahere in suam sententiam, adduco verba D. Thomæ ibidem. *Et quia magis homo impeditur à rebus diuinis per opus peccati quàm per opus licitum, quàmuis sit corporale adeò magis contra hoc præceptum agit, qui peccat in die festo, quàm qui aliud opus corporale licitum facit.*

Alia opinio verior.

Ecce

Ecce quòd D. Thomas apertè ait, quòd qui peccat in die festo, magis agit contra hoc præceptum, quàm qui facit aliquod opus seruile aliàs licitum; at qui facit opus seruile in die festo, secundùm Caietanum, & omnes peccat mortaliter; ergo qui facit peccatum in die festo ratione huius circunstantiæ diei festi, peccat mortaliter.

1. Responsio Caietani reijcitur. 42 Ideò non valent responsiones Caietani. Non prima, quæ est, quòd D. Thom. loquitur de hoc præcepto spiritualiter intellecto; nam hæc est mera fuga; dicit.n. apertè, quòd magis peccat contra hoc præceptum, qui peccat in die festo, quàm qui facit opus seruile: at facere opus seruile pertinet ad hoc præceptum litteraliter intellectũ, non spiritualiter; ergo quò ad circunstantiam peccati litteraliter quoque intelligitur. Deinde argumẽtum, quod soluit, est de opere seruili, quod pertinet ad violationem præcepti secundùm litteram, non secundùm sensum spũalem.

2. Responsio reijcitur. 43 Neque secunda responsio valet, quæ est, quòd D. Thomas loquitur de fine extrinseco præcepti non intrinseco, qui finis extrinsecus secundùm D. Thomam in eodẽ artic. in corpore non includitur in præcepto intrinsecè. & honor Dei: non valet inquam: quia si D. Thom. non intelligeret de fine intrinseco præcepti non diceret eum, qui peccat die festo magis agere contra hoc præceptum, quã qui facit opus seruile, nam secundùm eorum fundamentum, qui facit contra finem extrinsecum præcepti non facit contra præceptum speciale; malè ergo D. Thom. diceret, quòd peccans magis facit contra hoc præceptum, quã faciens opus seruile. Et licèt D. Thom. ibi in corpore dicat hoc præceptum dari de exteriori cultu Dei, non tamẽ excludit interiorem cultum ab hoc præcepto secundùm se, vt vult Caietanus, quem dicit esse finem præcepti, nõ obiectum: quia tunc præceptum talis cultus exterioris esset irrisio, vt diximus in 3. dis. 9. disp. de adoratione Christi, c. 1. Cum enim aliquem colimus cultu exteriori sine interiori, est irrisio, vt faciebant Iudæi cum Christum adorabant, & percutiebant. Vndè ipsemet Caietano ait reperiri quidem cultum interiorem in seruando hoc præcepto, sed tamen non cadere sub præcepto; quòd tamen est ridiculum: quia non potest præcipi rectè actus exterior, nisi simul cum interiori, vt diximus in tertio dist. 9. disp. 22. c. 1. Cum autem D. Thom. ibi ait *de interiori cultu non datur.* Loquitur de interiori cultu, qui habetur per orationem, & deuotionem: de hoc enim non datur præceptum: non loquitur autem de omni interiori cultu, & maximè de eo, qui consequitur ad cultum exteriorem latriæ, quę exhibetur die festo, vt est videre apud eum disertis verbis.

Alensis. D. Bon. Eandem sententiam expressè docet Alensis 3. p. q. 32. m. 5. art. 2. D. Bonauentura in 3. distin. 37. §. *Memento, vt diem sabbathi,* &c. Nam in frà quærens quid in illo præcepto prohibeatur, inquit prohiberi non solùm opera seruilia mechanica, *Immò magis, & diligentiùs opera carnalia, sicut ebrietas, lites, & iurgia, quæ maximè libertati spiritus repugnant.* Ista autem sunt peccata mortalia; ergo, & alij multi citati à Corduba, vbi suprà.

Opin. Scoti cum suo fundamento. 44 Hæc autem opinio est quoque Scoti, licèt explicitè eam non tradiderit; ex eo enim deducitur, & simul probatur: nam suprà loquẽdo de præcepto contritionis ostendimus eum in 3. Sent. dis. 27. asserere homines obligari ad actum dilectionis Dei, super omnia diebus festis, & consequẽter obligari ad contritionẽ peccatorum: quia implicat repugnantiam, quòd quis diligat Deum super omnia, vt habet in præcepto illo, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo,* &c. Et habens memoriæ peccatum, illud

45 non detestetur. Ex hoc autem deducitur, quòd actus peccati directè contrariatur præcepto de obseruatione diei festi, nam materia, & obiectum præcepti diei festi nõ est solùm abstinere ab operibus seruilibus, & audire Missam, sed principaliter habere actum dilectionis Dei, & detestationis peccati: actu autem illo die peccare est omninò oppositum, & contrarium tali præcepto; ergo hæc circũstantia diei festi specialiter aggrauat peccatum, & mortaliter: & consequenter est necessariò confitenda.

Fab. de Confessione.

Ad fundamentũ aduersariorũ. 46 Ad fundamentum aduersariorum respondetur, q; finis internus, & obiectum proprium præcepti diei festi est non solùm abstinere ab opere seruili, & audire Missã, sed diligere Deum, & ponere in actu actum præcepti dilectionis Dei super omnia; immò hoc est principale obiectum, ad quod alia duo ordinãtur: & cum dicitur, dilectio Dei est finis, Respondetur, quòd est finis aliorum præceptorum: quia cum dilectio Dei sit primum, & perfectius præceptum, in quo tota lex pendet, & Prophetæ, omnia alia præcepta ad illud ordinantur: tamen si consideretur in seipso, dilectio est medium; quia ipsa immediatè cadit sub præcepto illo, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo,* &c. Quod est medium ad finem vltimum. qui est dilectio consumata, & perfecta. Et denique ipsa gloria: & ideò non est mirum, quòd determinetur præcepto de obseruatione festorum.

De mendacio dicto in confessione, & de examine prævio necessario. Caput Tertium.

47 Ntequam agam de dimidiatione, seu de integritate formali confessionis, hæc duo explicanda remanent, quæ ad integritatem confessionis pertinent, scilicet primò, an dicere mendacium in confessione sit peccatum, & quale. Secundò, quodnam examen requiratur.

An, & quale mendacium in confessione sit peccatum. Quò ad primum, certum est omne mẽdacium dictum in confessione esse peccatum saltem veniale; ratio est, quia vt habet Scotus in 3. dist. 38. tenetur communiter ab omnibus, quòd mendacium est peccatum ex se, & ideò vbicunque dicatur, semper est peccatum saltem veniale, & aliquando est mortale: ad cognoscendum autem, quando in confessione est peccatum veniale, & quando mortale, notandum est, quòd mendacium in confessione potest committi duobus modis, scilicet negando quod factum est: vel confitendo, seu affirmando, quod factum non est: omne enim mendacium cõtrahitur, vel tacendo verum, vel affirmãdo falsum. Et quidem quod pertinet ad omissionem, satis suprà explicatum est; quoniam omissio faciat mutilam, & non integram confessionem: nihilominus vniuersaliter loquendo tam de negatione, quàm de affirmatione, notandum est, quòd in confessione potest quis mentiri circa tria genera rerum. Primò circa ea, quæ non pertinent ad materiam confessionis: vt si quis in confessione narret aliqua, quæ non pertinent ad confessionẽm, & in illis mentiatur. Secundò, potest mentiri circa materiam confessionis, sed non necessariam: vt sunt peccata venialia. Tertiò, circa materiam necessariam cõfessionis, vt sunt peccata mortalia. Mendacium circa primum genus non est peccatum mortale, per se loquendo, nisi ex aliqua circunstantia fiat mortale, vt putà si induceret confessarium in periculum peccandi: vel tenderet ad aliquem finem malum, & huiusmodi: de quibus agendo de circũstantijs, actum est. Sed si sit quid indifferens, nunquã est peccatum mortale, & ratio est, quia ex Scoto in 3. dist. 38. & ex communi consensu triplex est mendacium. s. perniciosum, officiosum, & iocosum: solum autem perniciosum est peccatum mortale: iocosum. n. & officiosum saltem in viris imperfectis non est peccatum mortale: mendacium autem de re impertinenti ad materiam confessionis non potest esse multum perniciosum ipsi sacramento, neq; personis quatenus exercent illud sacramentum, & vt illud est tale: est tamen peccatum veniale, quia mendacium, vt dictum est ex suo genere, est peccatum saltem veniale: & est grauius, quàm si esset commissum extra confessionẽ propter aliqualem indecentiam, & irreuerentiam contra sacramentum. Notandum est etiam non licere confiteri ea, quæ non pertinent ad confessionem, neque illa sunt vtilia, etiam si sint vera, & non ex se mala, neque ad finem malum ordinentur: quandoque enim potest esse peccatũ veniale. Sunt enim contra decentiam tanti sacramenti, in quo ea, quæ pertinent ad salutem, accusari debent, nõ autem superflua narrari.

De mendacio circa ea quæ nõ pertinet ad materiam confessionis.

Nõ licet cõfiteri ea, quæ nõ pertinet ad cõfessionem.

De mendacio circa venialia.

48 Mendaciũ circa peccata venialia habet paulò maiorem difficultatem. Caietanus enim 2.2. quæst. 69. art. 1. ad tertium mouet dubium, An mentiens in iudicio de re leui, mortaliter peccet: & exemplificat, vt putà si in sacramento pœnitentiæ, reus interrogatus à confessore, qui est iudex in eo loco, an audiuerit, vel fecerit aliquid, quod sit peccatum veniale, & reus negando mẽtiatur, An illud mendacium sit peccatum mortale. Et respondet, quòd licèt ratione leuitatis materiæ non videatur peccatũ mortale: tamen ex eo, quia hoc mendacium spectat ad iudicium, quod redditur falsum propter illud mendacium: ideò hac ratione est peccatum mortale. Et hoc idem tenet de iudicio in foro exteriori propter eandem rationẽ, ac illud asserit de quocunque mendacio, dicto in confessione. Vndè videtur velle extendere illud etiam ad mendacium dictum in confessione de rebus ijs, quæ non pertinent ad materiam confessionis, in Summa verò, verbo *Confessio*, se declarat asserens mendacium in confessione tunc esse peccatum mortale, cum quis venialia facit materiã confessionis, scilicet negando fecisse aliquod peccatum veniale, quod fecit, vel confitendo aliquod peccatum veniale, quod non fecit. Secùs si non proposuit confiteri illa peccata, nec habuit intentionem faciendi illa materiam confessionis. In hanc sententiã citantur quoque Paludanus in 4. dist. 21. quæst. 2. num. 12. Armilla verbo *Confessio*, num. 5. & alij. Fundamentum huius opinionis adductum communiter est, quia apponere formæ sacramenti materiam falsã est sacrilegiũ: forma enim redditur falsa quantum ad illam partem materiæ, quæ non est vera materia. Caietani verò ratio est: quia illud mendacium pertinet ad iudicium, quod propter illud redditur falsum.

Fundamentũ huius opinionis.

Verior opinio.

49 Communior, & verior opinio est, tale mendaciũ non esse peccatum mortale: eam tenẽt Nauarrus in Manuali cap. 21. num. 37. Angelus verbo, *Confessio* 1. nu. 16. & 17. Syluester ibidem quæst. 8. Soto in 4. dist. 18. q. 2. a. 4. Suarez, qui alios citat de pœnitentia disp. 22. sect. 10. huius sententiæ videtur quoque esse Scotus. Ex quo possumus hanc rationem adducere in hoc 4. dist. 17. quæst. 1. art. 2. Explicans enim Scotus, quid continet præceptũ confitendi, dixit, quòd solum peccatum mortale, & non aliud: & adduxit rationem: quia pro veniale nullus periclitatur extra Nauim Ecclesiæ. Tunc sic: si veniale potest licitè omitti in confessione; ergo si à sacerdote etiam quis de tali peccato interrogetur, potest illud tacere, & negare: quia non tenetur confiteri illud ipsi sacerdoti: negare autem actum sacerdoti, & iudici interroganti nõ iuridicè, non est mentiri: quia non censetur simpliciter illud negare; sed negare ita fecisse, vt teneatur in illo foro illud dicere, vt habet Scotus in 4. dist. 15. quæst. 4. art. 3. quem sequutus est Suarez loco citato. Tacere ergo peccatum veniale, quod quis fecit, in confessione non est peccatum: quia non est mendacium illud non confiteri: non enim hoc pertinet ad confessionem. Eadem ratio videtur esse, si interrogatus de aliquo veniali non facto affirmet: videtur enim posse affirmare secundùm intentionẽ propriam, non iudicis sacerdotis, sicut contingit in iuramento, cum datur à iudice non competente, vel non seruato iuris ordine. Cæterùm admisso, quod sit mendaciũ, adhuc videtur tenere Scotus, quòd non sit peccatum mortale, sed veniale solùm, quia d. illa 17. q. 1. in responsione ad vltimum inquit, quod innocens à peccato mortali, & veniali tenetur simpliciter non confiteri: vnde si B. V. cõfessa fuisset Petro post ascensionem, non dicit, quòd peccasset mortaliter, sed quòd peccasset; ergo videtur velle, quòd peccasset venialiter: quia si intellexisset de mortali, apposuisset eam peccaturam fuisse mortaliter: si autem est tantùm peccatum veniale, cum veniale est tota materia confessionis, tanto magis quando non est materia totalis, sed partialis.

Scotus.

50 Cæterùm est aliud dubium: distinguunt enim aliqui præsertim Nauarrus, & Suarez locis citatis sic. Aliquando peccatum est tota materia confessionis, vt cum quis est omninò innocens à peccato mortali, & veniali, & tamen confitetur se commisisse vnum peccatum veniale, quod tamen non commisit: tunc enim fit, quòd illud peccatum veniale sit materia totalis formæ absolutionis, quæ à sacerdote super illud datur. Aliquando verò est materia partialis, vt cum quis inter peccata mortalia, & venialia, quæ fecit, confitetur aliquod peccatum veniale, quod non fecit. Omnes Theol. pro secũda opinione tenent, quòd mentiri in confessione hoc secundo modo est peccatum veniale, quod esse verum iam ostendimus; sed de primo nimirum cum mendacium de veniali est totalis materia Nauarrus loco citato, & fusius cap. *Fratres*, de pœnitentia d. 5. num. 18. & Suarez dicunt, esse peccatum mortale, & Nauarrus interpretatur sententiam Caiet. & aliorum in hunc sensum: & Suarez asserit hoc esse omninò certum. Fundamentum est, quia tale mendacium est sacrilegium: nullum enim fit sacramentum, quia nulla materia apponitur formæ, & proinde nulla fit absolutio, cum nihil apponatur à quo absolui possit pœnitens.

An mendacium de veniali, q̃ est totalis materia confessionis sit mortalẽ.

51 Ego autem salua veritate puto, dicendum esse etiã mendacium de veniali, quod sit tota materia, esse peccatum veniale tantùm: si nulla alia circunstantia adsit, quæ faciat illud mortale. Nam in primis Theologi antiqui tractantes hoc quæsitum, An confitens peccatum, quod non fecit, peccet, non adhibent hanc distinctionẽ de totali, vel partiali materia; sed respondent præcisè mentientem peccare: an verò venialiter, vel mortaliter, non explicant. Sic Scotus in 4. dist. 17. ad vltimum vbi habet hæc verba. *Dico, quòd simpliciter innocens à peccato mortali, & veniali tenetur non confiteri: vndè si Beata Virgo confessa fuisset Petro post ascensionem, peccasset confitendo; sed si est tantùm innocens à mortali, potest confiteri venialia, & non potest confiteri.* Alensis 4. p. quæst. 19. memb. 4. artic. 4. §. 5. inquit. *Dicendum, quod non potest aliquis confiteri peccatum, quod non fecit: eo quòd falsum testimonium contra se adduceret.* Richardus in 4. distinct. 21. art. 3. quæst. 4. *Confitens se fecisse peccatum, quod non fecit, dupliciter peccat, tum quia conscientiam suam non manifestat sacerdoti, tum quia mentitur.* D. Bonau. eodem 4. dist. 21. p. 2. art. 1. quæst. 2. quærit, An liceat quidpiam in confessione addere, & in corpore quæst. distinguit de mendacio, & falso, & inquit, quòd mendacium est peccatum, & qui dicit mendaciũ peccat, & perdit confessionis meritum, non autem qui dicit falsum; ergo apud D. Bonau. videtur esse idem addere mendatium alijs peccatis verè commissis, & quòd mendaciũ sit totalis materia: si enim existimasset, quòd mendacium de veniali, cum est tota materia, esset mortale, hoc debuisset annotare cum iam de mendacio addito agat. Soto etiam dist. 18. art. 4. hanc materiam contra Caietanũ tractat, neque facit hanc distinctionem: ideò hæc distinctio, & assertio non mihi videtur communis; sed istorũ duorum virorum alioquin doctissimorum.

Opinio auctoris.

Scotus.

Alensis.

Richardus

D. Bonau.

52 Ratio etiam suadet, quòd sit solùm peccatum veniale, ita non est totalis materia, sicut cum est partialis materia: nam etsi sit sacrilegium, est tamen de re leui: propter enim peccatum veniale nemo periclitatur; ergo mentiri de veniali, est mendacium de re leuissima: in omni autem materia leuitas materiæ excusat à peccato; ergo in sacrilegio quoque: parùm etiam, vel nihil lædit iudicium confessionis, quia peccatum veniale est culpa leuissima, neque est materia necessaria confessionis, & sacramenti. Et tandem mihi durum videtur asserere, quod aliquis simplex accusans se de aliquibus leuibus culpis ad sui humilitatem de quibus non habet conscientiam etiã ex fatua deuotione peccet mortaliter, & damnetur.

1. Ratio.

53 Cum ergo Doctores dicunt mentientem in confessione peccare, puto esse interpretandos, respectiuè: ita vt qui mentitur de mortali, mortaliter peccet, qui de veniali, venialiter, siuè sit totalis materia confessionis, siue non.

Funda-

Fundamentũ aduersariorũ euertitur.

54 Fundamentum autem aduersariorũ, quòd erat: quia forma redditur falsa, & nullum Sacramentum est. Dico etiam euenire idem cum est materia partialis: nam etiam quis partialiter mentiens facit, vt ex illa parte forma sit falsa, & sit sacrilegium, sicut qui proferet formã consecrationis simul super panem triticeũ, & hordeaceũ, nõ minus peccaret, quàm si suprà hordaceum tantùm. Nec valet responsio Suarez, quod non est par ratio de eucharistia, & de forma confessionis: quia illa est vniuersalis, & respicit totam materiam. Hæc nõ ita, sicut, qui baptizaret aqua, in qua mixta esset gutta aquę rosaceę, nõ pp hoc non baptizaret. Hęc inquam responsio non valet: differẽtia enim illa inter formã Eucharistiæ, & istam confessionis est voluntaria: quia vtraque cum sit forma sacramenti, & habeat suam materiam, illam totam respicit: absolutio .n. respicit oĩa, & singula peccata: vndè si in parte fraudetur in parte ledįtur, & fit sacrilegiũ. Exemplũ aũt illud de baptismo non est ad propositũ: ratio enim, pp quã aliquis aqua admixta guttæ aquæ rosaceæ baptizaret, nõ est: quia illa gutta sit partialis materia baptismi, vt est veniale; sed quia ista gutta non mutat essentiã, & substantiã aquæ naturalis, sed in illã conuertitur; ideò non lædit materiã illam, ne possit esse materia sacramenti: ideò non est simile hic, & ibi. Ad illud ex Caietano patet per idem: quia etsi pertineat hoc mendacium ad iudicium, est tamẽ res leuis, & parùm lædit iudicium confessarij, & proindè non est censendum peccatum mortale.

De mendatio circa pctũ mortale.

55 Quantùm ad tertium genus mendacij, scilicet circa peccata mortalia, Suarez eadem disput. 22. sect. 10. num. 10. dicit, mendacium de peccato mortali, scilicet confiteri peccatum mortale se fecisse, quod non fecit, esse peccatum mortale: & huius sententiæ ait esse Diuum Bonauenturam in 4. distinct. 17. quæst. vltimo Syluestrum, Soto, Nauarrum, & alios, quos ego non reperio in ijs locis illud asserere: ego tamen puto esse veram assertionem eius, scilicet tale mendacium esse peccatũ mortale: & ratio est, quia hoc mendacium est de re graui: est enim deceptio sacerdotis in materia necessaria sacramenti: vnde iudicium eius de pœnitente potest valdè variari. Confirmatur, quia si hoc non esset peccatum mortale, non tenerentur pœnitentes examinare conscientiam suã, vt numerum peccatum certum dicerent: quia pro suo arbitrio possent illum numerum augere. Ideò puto esse dicendum esse peccatum mortale, loquendo per se, & non interueniente ignorantia, & bonã fide: nam ex ignorantia, & bona fide possunt excusari multi simplices, qui putant non malè facere plura dicendo, quàm fecerint. Et hoc modo puto maximè esse intelligendum illud Augustini in libro de pœnitentia aductum à Magistro dist. 21. *Cum humilitatis causa mentiris, si non erras peccator antequam mentireris mentiendo efficieris, quod vitaras.* Mentiendo ergo de mortali, fit peccator mortaliter, mentiendo de veniali fit peccator venialiter, vt debita proportio seruetur.

De examine consciẽtiæ ante cõfessionem.

56 De examine conscientiæ ante cõfessionem Theologi disputant, an sit necessarium ad hoc, quòd confessio sit integra in 4. distinct. 17. & 18. licèt ex antiquis præter Scotum pauci hunc punctum tractent. Scotus autem distinct. 17. quæst. 1. artic. 2. exactè, & breuiter hoc tractat. Quem posteà Recentiores sequuti sunt absque controuersia, vt Soto in 4. distinct. 18. quæst. 2. artic. 4. ad vltimũ Nauarrus in Summa cap. 9. num. 16. & in cap. *Fratres*, de pœnitentia distinct. 5. num. 66. & sequentibus Suarez disput. 22. sect. 11. Inquit ergo Scotus esse necessarium præmittere diligentem inquisitionem secundùm possibilitatem fragilitatis humanæ. Et subiungit se per hoc intelligere, quòd homo debet adhibere tantam diligentiam in perscrutatione suæ conscientiæ, quantam adhiberet circa aliquod arduum, quod sibi esset multum cordi. Ex quo cum alijs communiter duo colliguntur. Primò, esse necessarium necessitate præcepti diuini, quo instituta est confessio, facere hoc examen:

Scotus quãtã diligentiam requirat in examine conscientiæ.

quod colligitur, quia de præcepto est confiteri omnia peccata integrè, vt suprà diximus. Hæc autem confessio integra fieri non potest sinè hoc diligenti examine, quod confirmatum est nouissimè in Concilio Tridentino sess. 14. cap. 5. Secundò, quòd hæc diligentia debet esse tanta, quanta vnusquisque adhiberet in re ardua. Ex quo sequitur non requiri eandem diligentiam apud omnes, sed iuxta qualitatem personarum debere esse maiorem, vel minorem considerata intelligentia pœnitentis, diuturnitate temporis, consuetudine peccandi, & alijs circunstantijs: neque enim tantam diligentiam adhibere debet rusticus simplex quantam exercens mercaturam aut alia negotia in quibus mendacia, vel periuria, vel vsuræ accidere solent, vel vacans otio, ludis, consortijs mulierum: & qui sæpius in anno confitentur, & qui semèl, & huiusmodi. Monent autem rectè Doctores cauenda esse extrema, ne nimirum onerentur conscientiæ propter anxietatem nimiam: neque enim adhibenda est summa diligentia, quæ adhiberi posset: quia, vt inquit Nauarrus vbi suprà, tanta anxietas quandoque posset reddere conscientiam nimis scrupulosam, & inquietam, neque sufficit leuissima diligentia, sed, vt dixi cum Scoto, debet esse talis, qualem quis adhiberet in re graui, & quæ illi maximè esset cordi, vt si vellet ducere vxorem, vel alloqui Principem in causa amissionis magnæ partis bonorum, & huiusmodi.

57 Propter hanc diligentiam adhibendam aliqui solent scribere sua peccata, vt ea integra confessario narrare possint, quam consuetudinem Soto, nec laudat, nec vituperat: tamen ait non esse consulendam alicui: quia scriptura est de se publica: & periculis subiacet, & maximè si peccata sint infamia, quod experientia verum esse aliquoties ipse comperi. Alij eam laudant, si prudenter fiat, vt etiam si publicetur pœnitentia nocere non possit. Potest etiam iuuari, & suppleri defectus istius examinis, per interrogationes confessoris, & maximè quando pœnitens est ineptus ad huiusmodi examen diligenter faciendum, vt dicemus loquendo de obligatione ministri confessionis: tamen semper est necessarium aliquid examen præuium pro capacitate personæ, vt saltem ad interrogationes sibi factas sciat respondere, & maximè si confessio post aliquod longum tempus fiat: per hoc examen enim tollitur ignorantia crassa, & supina, quæ non excusat obliuionem peccatorum, sed sola ignorantia inuincibilis; facta enim prædicta diligentia, si quis obliuiscitur aliquid peccatum reputatur obliuio, & ignorantia illa inuincibilis, quæ excusat secundùm omnes, & habet fundamentum in Conc. Trid. & in alijs suprà citatis.

An peccata scribi debeant.

An integritas confessionis p interrogationẽ confessarij suppleri possit.

Vtrùm aliquando confessio non integra sit valida, seu an liceat dimidiare confessionem.

Caput Quartum.

58 OStensum est hucusque necessariam esse integram confessionem peccatorum, & explicatum est, quorum peccatorum, & quomodo per examen diligens ea haberi possit. Nunc remanet explicanda alia dubitatio, An aliquando integritas ista non sit necessaria, & confessio dimidiata sit valida, quod est maximè necessarium. Hæc quæstio solet tractari sub hoc titulo. Vtrùm necessarium sit confiteri omnia peccata eidem confessori: nam hæc multum differunt: confiteri omnia peccata sua, & confiteri ea omnia eidem confessori: nam posset contingere, quòd aliquis confiteatur omnia sua peccata, sed aliqua vni sacerdoti, alia alteri: & sic dimidiare confessionem. Dubium est ergo, An confessio omnium peccatorum integrè debeat fieri eidem sacerdoti, an liceat illam dimidiare confitendo aliqua vni, & alia alteri, vt dictum est.

59 In hac re certissima est assertio omniũ Theologorum, non posse dimidiari cõfessionem; sed integrã oĩum

Confessio non põt dimidiari.

peccatorũ modo prædicto faciendam esse eidem sacerdoti si non adsit rationabilis causa, quam nunc infrà explicabimus. Alensis 4. p. quæst. 18. m. 4. art. 5. §. 2. D. Bonauentura distinct. 21. p. 2. artic. 1. quæst. 1. Richardus distinct. 17. articul. 2. quæst. 8. Scotus dist. 17. quæst. 1. D. Thom. 4. dist. 17. quæst. 3. articul. 4. & alij Recentiores. Pro hac assertione variæ rationes adducuntur, sed illa est potissimum fundamentum, quam cap. 1. suprà adduximus ex Scoto ad probandum esse necessariam integram confessionem omnium peccatorum, scilicet, quia vnum peccatum non dimittitur sine altero: ideò si quis confiteatur aliqua peccata vni confessori, & alia omittat, absolutio sacerdotis non valet: quia non potest absoluere nisi à peccatis, quæ audiuit in confessione: non audiuit autem omnia; ergo absolueret ab aliquibus, & non ab omnibus, & sic dimitteret aliqua sinè alijs, quod est absurdum: quia impium est dimidiam peccatorum veniam à Deo petere, vel putare posse impetrare.

1. Ratio.

60 Secundò Scotus, & communiter omnes adducunt auctoritatem D. Aug. in lib. de vera, & falsa pœnitentia quæ ponitur de pęnitentia dist. 5. cap. *Consideret*. Vbi D. August. inquit. *Quidam enim vni cęlant, quod alij manifestandum curant, quod est se laudare, & ad Hypocrisim tendere, & semper venia carere, ad quam credunt per frustra totam peruenire.*

2. Ratio.

61 Quòd si quis contra hoc objiciat, inquit Scotus: quia tunc sequeretur, quòd quilibet peccator teneretur cuilibet requirenti dicere omnia sua peccata, alioquin tacendo ea, vel aliquod illorum, videretur hypocrita: quia se ostendit innocentiorem, quàm sit. Respondet Scotus, quod tacendo, cui non debet dicere, non me ostendo innocentem in his, quæ taceo; sed illi cui dicere debeo, & quando dicere debeo, & quomodo dicere debeo, sicut in confessione tacendo aliquid, & confitendo aliud ostendo me innocentem in hoc, quod taceo: & hoc est hypocrisis, non in alio casu.

62 Hoc ergo supposito tanquam certò, est dubium, An in aliquo casu pœnitens possit omittere aliquod peccatum cælando illud vni sacerdoti, & confitendo illud alteri; vel in vna confessione aliqua peccata confiteri vni sacerdoti, non omnia, & tamen illa confessio valeat: ideò ad hoc manifestandum solet distingui confessionis integritas in duas partes, in materialem, & formalem. Confessio integra materialiter est, in qua omninò omnia peccata commissa quis confitetur eidem sacerdoti, vt suprà dictum est. Integra formaliter est, in qua quis non confitetur omnia peccata, quæ actu commisit, sed aliqua omittit rationabili causa, vt e. g. propter mortem de repente subuenientem ipsius pęnitentis, vel confessoris, propter quam non potuit recensere omnia peccata sua, quæ tamen proposuerat confiteri. Est ergo dubium, An hæc confessio non integra materialiter, sed formaliter tantũ sit valida, & sufficiens ad dimittendum omnia peccata: & quando est valida.

63 Quantùm ad primum certum est integritatem materialem non esse necessariam, sed sufficere formalẽ: hoc enim est communiter concessum ab omnibus Theologis, dum dicunt, quod ex vi præcepti confessionis faciendæ, vnusquisque tenetur cõfiteri omnia peccata, quorum memoriam habet. Signum est ergo, quòd si peccata aliqua quis obliuiscitur inculpabiliter, non propter hoc eius confessio vitiatur: & tamen non est integra materialiter: illa autem propositio, quod quis tenetur confiteri omnia peccata, quæ memoria tenet; præterquamquod est Scoti loco citato dist. 17. quæst. 1. art. 2. est etiam omnium Theologorum, & Conciliorum præsertim Lateranensis, cap. *Omnis vtriusque sexus*, Florentini in decreto Eug. & Tridentini sess. 14. cap. 5. quòd si impossibilitas moralis excusat, multò magis impossibilitas realis, vt si quis moriatur antequam omnia peccata confiteri possit. Fundamẽtum autem principale huius assertionis est: quia nemo ad impossibile tenetur, iuxta illud D. Hieron. *Si quis dixerit Deum præcepisse impossibilia, anathema sit.* Hoc aũt præceptum de confessione, est morale positiuum diuinũ; ergo.

64 Quantum ad secundum, scilicet quãdo, & qui sint casus in quibus sufficit confessio integra formalis tãtùm, Respondetur esse 6. Primus est qñ quis morte preuentus non põt absoluere confessionem inceptam, quod põt tribus modis accidere. Primus est ex defectu propriæ vitę: si enim aliquis cæpit confiteri sua peccata, & in medio confessionis moriatur, tunc enim non potest perficere cõfessionem. Secundus est ex parte sacerdotis: nimirum, si sacerdos cępit audire cõfessionem, & incępta illa, imminet ei mors, & non est alius minister, vndè non potes omnia peccata audire: idem enim ipse sacerdos timet sibi graue contagiũ, & mortis periculum si velit omnia audire propter temporis moram. Tertiò cum plures sunt in eodẽ periculo mortis, nec adest tempus, vt vnusquisque oĩa peccata sua dicat sacerdoti, vt qui sunt in eodem naufragio. In his tribus casibus sufficit dicere ea peccata, quæ pro tẽporis opportunitate, & instante periculo dici poterunt, & de eis poterit dari absolutio, licèt non sit consumata, & integra confessio materialiter. In hac conclusione conueniũt oẽs Doctores citati à Suarez de pęnitentia disp. 23. sect. 1. ratio communis est, quia in talibus casibus integra confessio omnium peccatorum est impossibilis, ideò sufficit integritas formalis: alioquin hoc præceptũ esset impossibile constitutis in huiusmodi casibus, quod est absurdũ. In huiusmodi autem casibus illud est obseruandũ, vt peccata grauiora, & certa, præsertim dicantur, vt habeatur certa materia, & ea, in quibus præcipuè deliquit, manifesta sint sacerdoti: etsi data absolutione de aliquibus peccatis propter imminens periculum mortis non statim mors sequitur, continuanda est confessio, vt integra materialiter fiat, si potest: quia ablata impossibilitate, integritas materialis est necessaria semper.

Quibus casibus qs potest non cõfiteri omnia sua peccata.

65 Hic disputatur casus satis difficilis, An si quis in articulo mortis cõstitutus nõ possit loqui, neque vix aliquid sentire, & proinde non possit in illo confiteri aliquod speciale peccatum, neque confessor per interrogationes, vel signa possit intelligere aliquod speciale peccatum cũ cõmisisse, ipse pęnitens tamen signis, & nutibus ostendat se habere displicentiam de peccatis, & desiderare absolui, An hęc signa contritionis sufficiant ad posse suscipere absolutionem. In hac quæst. sunt duæ opiniones contrariæ. Prima est negatiua, quã Soto in hoc 4. d. 18. q. 2. a. 5. strenuè defendit: eandem Nauarrus in Sum. cap. 27. n. 269. & cap. 26. n. 28. & Abulensis citatus à Soto, & Nauarro super Matth. c. 16. q. 47. & alij. Pro hac opinione in primis Soto nititur destruere fundamendum aduersæ sententię, quæ innititur quibusdam canonibus, de quibus posteà referendo secundam opinionem. Secundò confirmat hãc sententiam ratione. Sacerdos nõ potest vti claue potestatis, nisi præuia sit clauis scientia: at vbi nulla est confessio particularis alicuius peccati, nulla est notitia, nec scientia, & consequenter nullum esse potest iudicium confessoris; ergo ibi nulla potest esse absolutio, quæ est actus potestatis. Maior videtur esse euidens, & confirmatur: quia Cõcil. Trid. sess. 14. cap. 5. colligit confessionem peccatorum esse necessariam in specie, & num. quia confessor non potest ex generali accusatione ferre rectum iudiciũ in absolutione; ergo distincta accusatio in particulari videtur esse necessaria. Minor est concessa ab aduersarijs. Nec valet, si quis dicat illa signa esse confessionem quandam generalem, quæ sufficit ad sacramentum pęnitentię, quia cõfessio generalis non sufficit ad hoc, vt prudens iudiciũ haberi possit: iudicium aũt sacrale debet esse prudẽs; ergo.

An quis omittens aliqua peccata pp mortem superuenientem possit absolui.

Opinio Soto, Nauar. & aliorum

1. Ratio.

2. Ratio.

66 Tertiò verbum illud generale, *ego sum peccator*, est commune sanctis hominibus, & habentibus peccatum: immò quantò quis est magis iustus, tantò magis se accusat peccatorem, & maximè in articulo mortis: ergo ex illa confessione non habetur aliqua materia confessionis super q̃ fieri possit absolutio. Et confirmatur, quia illa signa sunt signa contritionis: at contritio est quid distinctum

3. Ratio.

à con-

à confessione: non enim sufficit contritio ad habendum absolutionem, sed requiritur confessio peccatorum. Nec valet, si quis dicat illa signa esse petitionem absolutionis: nam petitio absolutionis non est confessio; ad absolutionem autem requiritur confessio.

2. Sentētia. 67 Secunda sententia est affirmatiua, quam tenet Medina, Cod. de confessione, quæst. de peccatis oblitis, contra quem disputat Soto, & ante eum in hanc sententiam refertur Sanctus Antoninus, 3. par. titulo 10. cap. 2. Paludanus, in 4. distinct. 21. quæst. 2. artic. 2. dum dicit, materiam sacramenti pœnitentiæ esse confessionem peccatorum in particulari, vel in generali. Syluester, verbo *Confessio*, 3. q. 3. & alij, quos Suarez disp. 23. sect. 1. citat, & sequitur: & dicit hanc opinionem esse securam, & in praxi seruandam. 1. Ratio. Pro hac opinione in primis adducuntur Canones nonnulli. 1. Can. 15. *Qui in infirmitate*, 26. quæst. 6. cuius verba fideliter à Soto relata sunt. *Is, qui in infirmitate pœnitentiam petit, si casu dum ad eum sacerdos inuitatus venit oppressus infirmitate obtinuerit, vel in phrenesim mutatus fuerit, dent testimonium, qui eum audierunt, & accipiat pœnitentiam, & si continuò creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem, & infundatur ori eius Eucharistia: si autem superuixerit subdatur pœnitentiæ legibus quandiù sacerdos, qui dedit pœnitentiam, probauerit.*

68 Secundò ibidem capite *Aurelius* sancitur, *quòd si Episcopus adfuerit per ipsum fiat in articulo mortis reconciliatio, sin minus de eius licentia.* Tertiò ibidem Can. subsequenti. *His, qui in tempore.* Vbi Leo Papa admonet vniuersos pœnitentes, vt ante mortis articulum reconcilientur, nam vt legitur Ezech. 18. *Cum conuersus peccator ingemuerit saluus erit.* & posteà subiungit. *Quòd si aliqua ægritudine grauati, quòd paulò antè poscebant sub præsenti significare non valeant, testimonium eis fidelium, & circunstantium prodesse debebit.* Ex his Canonibus videtur colligi sufficere pœnitenti in articulo mortis non potenti loqui prius petijsse confessarium, & dedisse signa voluntatis confitendi sua peccata: nam Pontifices dicunt, quòd habita fide ex testimonijs talis petitionis, ipsi pœnitentes reconcilientur, & Eucharistia illorum ori infundatur: reconciliatio autem facta per sacerdotem est absolutio sacramentalis; ergo hæc signa videntur sufficere.

Responsio Soto. 69 Respondet Soto huiusmodi Canones non intelligi posse de pœnitentia sacramentali; sed loquuntur, inquit, de his, qui erant in pœnitentia publica propter aliqua peccata, qui si ostendebant signa illa, volebant Pontifices, vt absoluerentur ab censuris, & reconciliarentur populo, vt cum eis in exequijs communicare possent: quòd si superuiuebant, volebant legibus pœnitentiæ eos subijci. Quòd autem de sacerdotali absolutione non loquantur, probat: quia ibi nulla fit mentio signorum aliquorum contritionis, quæ facta sint coram sacerdote; ergo ibi nulla erat confessio coram sacerdote, nec generalis, nec specialis, nec per nutus; ergo nullo modo insinuatur ibi, quòd tales pœnitentes fuerint confessi, quia confessio est personalis actio; ergo nulla potuit esse absolutio, nec reconciliatio sacramentalis; alioquin existens in carcere posset dicere sua peccata seruo, qui ea narraret confessori, & de illis obtinere absolutionem, quòd nemo sanæ fidei auderet dicere.

70 Per idem respondet ad alios Canones, & maximè ad illud, ex capite *His qui in tempore*, nemo enim dicit testimonium testium valere pro confessione infirmi nihil potentis significare, vt sacramentaliter absoluatur.

Reijcitur. 71 At Doctores sententiæ oppositæ hanc responsionem reijciunt ex textu ipso istorum Canonum. Nam ibi loquuntur Pontifices de eo pœnitente, qui demonstrauit signa pœnitentiæ, & voluntatem confitendi sacramentaliter, non autem de eo, qui pœnitentia publica teneatur propter aliquam censuram; ergo cum subiungunt, eum debere reconciliari, si loqui non potest, cum aduenit sacerdos, intelligunt de reconciliatione, & absolutione sacramentali: quia pœnitens hanc petebat, & de hac est sermo, non de absolutione à censura.

72 Secundò arguit Suarez vbi suprà, illa signa generalia sunt vera accusatio in foro sacramentali; ergo potest esse sufficiens materia huius sacramenti, quando accusatio magis integra haberi non potest. (2. Ratio.) Antecedens probatur, quia generalis recognitio peccatorum interna, addita perfecta detestatione peccati, sufficit ad remissionem peccati; ergo similis confessio exterior facta homini, vt locum Dei tenenti, habebit veram rationem accusationis quando maior haberi non possit, & sic super eam poterit cadere absolutio sacramentalis.

73 Hæc ratio non valet, dicerent aduersarij: quia non est par ratio de recogitatione interna, quæ spectat ad contritionem, & ordinatur ad Deum ipsum solum, cui omnia manifesta sunt, & de confessione, quæ ordinatur ad sacerdotem, vt ad iudicem: hæc enim debet esse distincta ad hoc, vt iudicare possit, non confusa, & vniuersalis. (Reijcitur.)

74 Tertiò aliquando confessio generalis sufficit, vt materia partialis in casu, quo quis scit se peccasse mortaliter, oblitus est autem cuius speciei fuerit peccatum illud; nam debet saltem confiteri se peccasse mortaliter, vt habet D. Thom. in 4. Sententiarum, distinct. 21. quæst. secunda, artic. primo, ad primum; ergo quando non adest alia materia, materia partialis potest esse totalis, & sufficiens ad confessionem. In proposito casu adest confessio generalis omnium peccatorum, particularis haberi non potest; ergo illa generalis sufficere debet. (3. Ratio.)

75 Confirmatur, quia Richardus 4. Sententiarum distinct. 21. articul. 2. quæst. 2. Alensis 4. p. quæst. 18. memb. 4. articul. 2. nec dissentiunt alij loquentes de peccatis mortalibus oblitis, dicunt sufficere confessionem generalem de illis, quia ad impossibile nemo tenetur; ergo. At cum quis loquella priuatus est, habet maiorem impossibilitatem, quàm qui oblitus est, quia hæc est impossibilitas naturalis, illa moralis; ergo si illa sufficit, multò magis ista. (Confirmatio.)

76 Quartò tandem hic adest materia proxima confessionis ex parte pœnitentis, scilicet actualis, & personalis confessio, licèt generalis; ergo licèt non adsit distinctè materia remota, scilicet peccata euidenter adesse ea, quæ sunt necessaria ad sacramentum pœnitentiæ ex parte pœnitentis, scilicet actus pœnitentis, qui sunt contritio, & confessio; ergo videtur posse fieri sacramentum. (Quartò.)

77 De his duabus opinionibus difficilè est mihi iudicium ferre propter difficultatem rei, & auctores graues pro vtraque parte; nihilominus hæc secunda mihi magis probabilis videtur esse: quia est magis pia, videtur enim mihi valdè durum, quòd qui in extremo vitæ suæ cupit, & vult suscipere sacramentum pœnitentiæ, tamen propter infirmitatem aliquam impedientem loquellam, & alios motus, quibus sua peccata particularia intelligibiliter non possit manifestare sacerdoti, priuetur beneficio tanti sacramenti, quod tamen est secunda tabula post naufragium: & ita ei præclusa sit via salutis. (Opinio Auctoris.) Dices, sufficit ei in tali casu contritio. Contrà. Actus contritionis est actus valdè perfectus, quem non ita facilè quis elicere potest, & maximè constitutus in articulo mortis, vbi grauitas infirmitatis, & alia negotia, & tentationes eum valdè perturbant: ideò si habeat attritionem, non saluabitur sinè sacramento: cum sacramento autem saluatur. Maximè autem in hanc sententiam deuenio propter auctoritatem sacrorum Canonum suprà adductorum pro hac opinione: manifestum est enim eos loqui de pœnitentia sacramentali.

78 Idem puto dicendum de eo, qui confessionem petit, & contritionis signa ostendit, ac non solùm dolorem de peccatis ostendit, sed ostendit illum in ordine ad claues, & ad confessionem, (aliter enim ea signa non sufficiunt, vt si ostendat se dolere de peccatis, sed de confessione nullam mentionem faciat ille enim dolor est contritionis precisè non in ordine ad confessionem) & posteà sensum amittit, vel incidit in phrenesim, si adsint testimonia sufficientia petitionis confessionis, & signorum contritionis: nam supradicti canones omninò in hoc casu loquuntur, licèt enim ibi sit sermo de absolutione à peccatis publicis, vel ab excommunicatione, certum tamen est eos etiam intelligi de absolutione, & reconciliatione, quę sit vtilis ad salutem: illa autem est tantùm sacramentalis; ergo canones debent intelligi nedum de absolutione ab excommunicatione, & reconciliatione cum ecclesia, sed etiam de peccatis, propter quæ excommunicatio, & pœnitentia publica indicta est: quod glossa in caput illud *Is qui pœnitentiam*, iudicat, dum inquit, *etsi continuo creditur moriturus reconcilietur priuata reconciliatione*. Illa .n. non potest esse nisi sacramentalis: quod confirmatur cap. *Presbiter*, eiusdem quæst. 6. vbi dicitur, quod in casu necessitatis extremæ absente episcopo presbiter absoluat publicum, & vulgatissimum crimen; ergo intelligit de sacramentali absolutione: hæc enim in extremo periculo mortis est necessaria; ergo in omnibus illis cap. præsertim *Is, qui pœnitentiam*, intelligitur de pœnitentia, & absolutione sacramentali: & hoc maximè videtur fieri posse in practica tutò: quia in absolutione, vt notauit Suarez apponitur illa particula conditionalis, *inquantùm possum*, quàm sacerdos, tunc maximè concipere debet; vel hanc, *si materia sufficiens adest: nam* sacerdos in hoc casu nulli periculo committit conscientiam suam cum operetur ex sententia probabili: neque est periculum iniuriæ sacramenti: tum quia hæc opinio, quæ est probabilis tenet nullam fieri iniuriam sacramento, quàm sacerdos potest sequi tutò: tamen quia per adiunctam illam conditionem, *inquantùm possum*, omninò tollitur, sicut etiam fit in alijs casibus dubijs: & tandem non absoluendo exponit proximum periculo æternæ damnationis, qui fortasse si consequeretur absolutionem, saluaretur. Vndè saltem sacerdos videtur peccare contra charitatē, si non absoluat: immò tenet Suarez sacerdotem obligari ex suo munere ad dandam absolutionem: quia quando pœnitens est debitè dispositus saltem iuxta probabilem opinionem tenetur sacerdos pro suo munere illū absoluere. In proposito hic pœnitens iuxta probabilissimam sententiam est sufficienter dispositus; ergo. Hoc autem vltimum mihi non placet, quia quilibet potest sequi probabilem sententiam: & ideò si sacerdos sequatur opinionem oppositam poterit tutò illam sequi, & sic non absoluere, nec peccabit.

Ad primā rationē Soto.

79 Ad primam rationem Soto, quæ innititur expositione canonum illorum, patet ex dictis ipsius Glossę, quod non loquantur de pœnitentia sacramenti, esse omninò falsum.

Ad secundam rationem Soto.

80 Ad secundam respondetur in proposito casu sufficere cōfessionem generalem factam per nutus, & signa, & per petitionem sacramenti confessionis: hæc enim confessio generalis satis informat confessarium, vt possit cognoscere illum pœnitentem habere materiam remotam sacramenti, quæ sunt peccata, & velle ab illis absolui, quæ ad summum sunt, quæ requiruntur ex per se pœnitentis: ideò licèt non possit peccata aliqua recensere, impossibilitate excusatur.

Ad tertiam rationē Soto.

81 Ad tertiam cum dicitur, quòd omnes Sancti se accusant peccatores, &c. Respondetur, quòd aliud est se accusare peccatorem absolutè, & aliud se accusare peccatorem in ordine ad confessionem sacramentalem, quomodo est in casu nostro: qui enim dolet de peccatis, & vocare facit confessarium, vel habens sacerdotem præsentem, & non potest aliquod peccatum particulare pronuntiare, tamen ostendit se velle, & desiderare absolutionem, non habet simpliciter dolorem, qui est contritio, sed in ordine ad confessionem: ideò argumentum currit de primo dolore, non de secundo, & per hoc patet ad primam confirmationem. Ad secundam cum dicitur, quòd petitio confessionis non est confessio. Respondetur, quòd illa petitio confessionis est confessio generalis, quæ in tali casu valet: quia specialis est impossibilis.

Secundus casus ī quo quis aliqd mortale omittere potest.

1. Opinio.

82 Secundus casus, in quo aliquod peccatum in cōfessione potest omitti, est, cum confessio illius peccati vergit probabiliter in damnum graue ipsius pęnitentis, vel alterius personæ. In hoc tamen casu sunt duo modi dicendi. Aliqui dicunt in tali casu confessionem esse differendam, & esse iudicandam, ac si tunc non habetur copia sacerdotis idonei. Putant enim dimidiare cōfessionem, esse adeò contrariam ipsi confessionis præcepto, vt potiùs sit differenda, quàm dimidianda: & hanc sequutus est D. Thom. in 4. dist. 12. q. 3. ar. 3. q. 4. & addit tunc meliùs fore confiteri laico (in quo minimè tenendus est, vt explicando cui fieri debeat confessio dicemus.) Eum sequuti sunt Viguerius in Summa, cap. 26. §. 4. versiculo 17. in eandem sentētiam citat Soto Caietanū in verbo *Confessio* 1. cond. 10. & Syluestrum, verbo *Confessio* 1. §. 18. & Soto d. 18. q. 2. ar. 5. ad 3. laudat differre confessionem si commodè fieri potest, donec habeatur copia idonei confessoris, cui integra confessio fieri possit. Scotus etiam videtur esse huius opinionis: quia in hoc 4. dist. 17. in responsione ad secundum, ait, quòd qui non potest confiteri nisi per interpretem, si dubitat de illo, quòd non sit fidelis, debet confiteri Deo cum proposito confitendi homini oblata opportunitate. Idem habet in 4. dist. 9. loquens de suscipiēte Eucharistiam, & non habente idoneum confessorem: & certè cum commodè potest differri est differenda. Sed difficultas est, cum non potest differri: quia vrget necessitas cōfitendi, vt in sequentibus casibus patebit.

Scotus.

2. Opinio.

83 Ideò est secunda opinio, quæ asserit posse, & alioquin debere taceri aliquod peccatum in confessione, quā sequuntur præsertim Soto in 4. dist. 18. q. 2. ar. 5. ad 3. Nauarrus in Summa, cap. 7. num. 3. & 6. vbi hanc enixè defendit, & citat alios in hanc sententiam, præsertim Innocentium, & Hostiensem. Suarez disput. illa 23. sect. 2. qui alios citat, & hanc ego quoque puto veriorem: neque credo Scotum esse contrariæ opinionis. Pro cuius intelligentia notandum est primò, quòd cum duo præcepta, vel leges sunt contrariæ in aliquo casu, & ideò alterius obseruatio est omittenda, debet omitti obseruatio minoris, & seruari maior. Omnes id fatētur præsertim Scotus in 4. d. 9. q. 1. & habetur in Decretis cap. *Iulianus*, & cap. *Si Dominus*, 11. q. 3.

Præcepta maius præferendū est minori.

84 Secundò notandum est, quòd præceptum de integritate confessionis est diuinum positiuum, vt suprà ostēsum est, ex his sequitur, quòd pręceptum diuinum naturale magis obligat, quàm hoc præceptum de integritate confessionis, quia lex diuina naturalis est maior, & excellentior positiua. Ex eodem fundamento sequitur, quòd præceptum charitatis de dilectione sui ipsius, & proximi est maius, quàm pręceptum confessionis: quia illud est diuinum, & naturale, & est radix, & fundamentum totius perfectionis legis Euangelicæ, iuxta illud Apostoli. *Sine charitate nihil sum*, & in his duobus pręceptis, scilicet dilectionis Dei, sui ipsius, & proximi. *Vniuersa lex pendet, & Prophetæ*. Præceptum verò confessionis est positiuum, & ordinatur à charitate. Hinc habet vim commune illud assertum Theologicum, quòd præcepta positiua etiam diuina cuiusmodi est hoc de integritate confessionis non obligant cum periculo alicuius grauis nocumēti proprij, & proximi, vt putà cum periculo animæ, vel vitæ corporalis, vel famæ propriæ, vel etiam proximi, quod habent Soto, Nauarrus, & Suarez locis citatis, & auctores citati ab ipsis, licèt aliqui sint malè citati, omnes tamen cōueniunt illud vel apertè asserendo, vt Scotus in 4. dist. 9. q. 1. vel supponendo vt verum, pro quo adducitur etiam illud D. Bernardi lib. de præcepto, & obedientia. *Quod propter charitatem*

Præcepta positiua nō obligāt cū periculo grauis nocumenti.

tatem introductum est, contra eandem charitatem exerceri non debet.

Primus casus in quo licet dimediare confessionem.

85 Ad propositum ergo primus casus, in quo licet dimediare confessionem, est, quando probabiliter timetur aliquod periculum animæ sibi, vel proximo, e.g. si aliqua puella impudicè amaret sacerdotem parochum, cui soli concederetur confiteri, & timeret eum scandalizare, & inducere ad peccatū, potest non confiteri illud peccatum; immò non debet, vt optimè inquiunt Suarez, & Nauarrus, quia exponeret periculo graui, & euidenti propriam salutem, & proximi, quòd est contra præceptum charitatis. Idem dicendū de eo, & qui probabiliter timet periculum mortis, e.g. si quis occidit patrem sacerdotis, & sacerdos, & si certò non sciat eum fecisse tale homicidium, tñ dubitat, nō debet confiteri tale peccatum, quia exponit se periculo mortis, forsan enim sacerdos confirmabit se in opinione sua, & quæret vindictam eum occidendo. Similiter si quis cognouit carnaliter sororem, vel matrem sacerdotis, & ipse de hoc habeat aliquam suspicionem, debet tacere, ne sacerdos existimans hoc intelligi de propria sorore, vel matre, ipsam, & pœnitentem occidat, vel occidere faciat, vel aliquod aliud malum praue intēet. Idem dicendum de eo, qui timet confessorem non seruaturum sigillum confessionis, & ex eius confessione sumpturum occasionem ad eum infamandum, vel proximum; non enim tenetur confiteri illud peccatum: quia incureret periculum amittendi famam propriam, & proximi, quod est contra charitatem, & iustitiam: quod dictum est de peccato, idem dicendum est de circunstantia, quæ ingereret idem periculum, vt siquis cognouit propriam matrem & vterque est notus cōfessori debet circunstantiam illam tacere. Sed aduertendum est semper hunc timorem esse debere probabilem, & cadentem in virum prudentem, & omnes suprà citati docent, aliter nō licet tacere aut peccatum, aut circunstantia peccati.

Cum timetur periculū spirituale pōt confessio dimidiari.

Responsio tacita reijcitur.

86 Cęterùm auctores contrariæ sententiæ dicerent in his casibus absolutè esse dimittendam confessionem, & esse expectandum tempus opportunum, in quo habeat idoneum confessorem, vel esse petendam licentiam ab illo sacerdote, & quærendum esse idoneum.

87 Sed contrà hęc secunda responsio pręcluditur: quia ponitur casus, quòd non possit habere licentiam adeundi alium; & tandem quòd nullus alius confessarius haberi possit. Certum est enim, secundùm omnes, quòd debet petere licentiam adeundi alium confessorem, & vti omni diligentia, vt inueniat confessorem, cui absque periculo confessio integra fieri possit; sed difficultas est, quando nō potest habere licentiam, nec alium cōfessorem idoneum. Contra primam verò sunt duo, necessitas & vtilitas pęnitentis. Necessitas, quia poterit contingere casus in quo pœnitens teneatur confiteri, & ponuntur communiter quatuor.

Primus casus in quo licet dimidiare confessionem.

Primus est articulus mortis, in quo maximè obligat pręceptum confessionis; si ergo aliquis prędictorum casuum accidat alicui in articulo mortis, vt si existens in articulo mortis, non habeat, nec habere possit alium cōfessarium, quàm Parochum, cuius patrem occidit, vel eius matrem cognouit carnaliter. Si dicas, debet tunc omittere confessionem. Hoc videtur falsum: quia vergeret in maximam infamiam ipsius pœnitentis, & in damnum spirituale. Pręterea dato quòd excusaretur tunc ab obligatione pręcepti confessionis, saltem priuaretur vtilitate sacramenti confessionis, quæ est, quòd si sit attritus virtute sacramenti fit contritus. Si ergo ille esset tantùm attritus de peccatis suis si non posset confiteri, careret hoc beneficio sacramenti, quod est contra charitatem propriam, qua debemus diligere animam nostram: ideò cum in hoc casu sit contra charitatem confiteri peccatum illud, quod vergeret in detrimentum animæ, vel corporis proximi, vel pœnitentis (per quod reijcitur opinio illorum, qui dicunt eo casu posse, & debere confiteri illud peccatum, etsi adsit illud periculum; confitendo enim illud peccatum, vel circunstantiam, transgrederetur pręceptum naturale diuinum charitatis, & sic mortaliter peccaret) & nullam facere confessionem in illo casu similiter sit contra charitatem, & in detrimentum pœnitentis, dicendum est in illo casu posse, & debere dimidiare confessionem, reliqua peccata confitēdo, & illud tacendo: nec obest, quod non habeat spem confitendi in alia confessione, quia non habet spem vitæ. Nam sufficit votū, & desideriū confitendi si superuiueret.

Secundus casus, quo licet dimidiare confessionem.

88 Secundus casus est necessitas suscipiendi sacramentum Eucharistiæ quando sinè graui scandalo, aut alio incommodo id prætermitti non potest, vt putà. Si sacerdos est indutus, & postquàm indutus est occurrit sibi conscientia de peccato mortali: vel si nō est sacerdos, cum est communicaturus cum alijs, qui habent consuetudinem communicandi tali die; nunc enim vnusquisque, qui peccati mortalis conscientiam habet, tenetur confiteri ante confectionem, vel susceptionem Euchacistiæ. Sed dices: tunc potest differre confessionem, vt dicit Scotus in 4.d.9.q.1. quia tunc iudicandum est, ac si non habęat copiam confessoris: vndè sufficit contritio, & votum confitendi, cum primum habuerit idoneum confessorem.

89 Contrà. Hic sunt duo pręcepta diuina positiua cōtraria. Alterū de confessione præmittenda ante susceptionem Eucharistiæ. Alterum de integritate confessionis: nō potest vtrumque seruari, videndum est, quodnam sit præceptum maius, & illud est seruandum, aliud omittēdum. Mihi videtur, quòd maius sit pręceptum de pręmittenda confessione ante Eucharistiam, quia Eucharistia est dignius, & nobilius sacramentum quàm pęnitentia, vt diximus cum Scoto, & alijs in 4.d.8.q.1. ideò maxima iniuria fit huic sacramento, cum sumitur in peccato mortali, iuxta illud D. Pauli. *Probet autem seipsum homo*: ideo meliùs est facere confessionem non integram, & confiteri peccata alia, quæ nullum periculum secum adferunt, quàm differre confessionem, & nullam facere, cum tamen habeat copiam sacerdotis. Pręterea obligatio confitendi peccata integraliter debet intelligi cum conditione suprà dicta, dummodo non sit impossibilitas, & non repugnat alijs pręceptis maioribus, & pręsertim charitatis. Sic enim omnia pręcepta inferiora obligant, scilicet in eo, in quo non repugnant superiori. Cum ergo in tali casu repugnet charitati facere confessionem integram, debet integritatem omittere, quò ad illa peccata, quæ vergunt contra charitatem; non tamen debet omittere illud pręceptum, quò ad alia peccata, quia quò ad illam partem potest obseruari. Neque Scotus docet oppositum loco citato, nā ibi Scotus loquitur in casu, quo sacerdos nullam copiam sacerdotis habeat, non autem in casu, quo habeat copiam sacerdotis, sed periculum sit detrimenti spiritualis, vel corporalis si confessio integra fiat.

De necessitate pręcepti annuæ cōfessionis

90 Tertius casus est necessitas præcepti annui de confitendo semel in anno, scilicet Paschate. Tenetur enim tūc confiteri, & cum non possit facere integram cōfessionem, debet facere non integrā, omittēdo peccata, quæ vergunt in periculum. Respondetur præceptum de annua confessione esse Ecclesiasticum: ideò præceptum de integritate confessionis illi præponderare, & propterea hoc secundū deberet seruari, & primum omitti, & hoc est verum, & puto esse faciendum si nullum aliud impedimentum accideret, & post breue tempus speratur oportunitas idonei cōfessoris. At si aliud impedimentum accidat, vtputà, est consuetudo in aliqua domo, quòd omnes in die Paschatis sumant Eucharistiam, adest puella quæ, vt dixi, timet confiteri peccatum suum parocho, ne ipsum inducat ad peccatum, nec licitè potest petere veniam adeundi alium; si autem non sumeret Eucharistiam, esset magnum scandalum toti domui patri, matri, fratribus, & alijs. Accedit damnum spirituale, quod quis recipit non suscipiendo sacramentum confessionis, & Eucharistiæ, quod non vitare est contra charitatem erga se ipsum. Tenetur ergo ad vitandum scandalum, & damnum confiteri, & communicari; ergo propter hanc causam potest, & debet dimidia-

re con-

re confessionem, & posteà quamprimum quærere opportunitatem alterius confessarij, cui sinè periculo confiteri possit illud peccatum omissum. Confirmatur. quia si liceret omittere annuam confessionem ob huiusmodi impedimentum posset permitti aliquem omittere ea occasione confessionem, quod est graue incommodum. Et tandem eadem est ratio de oblitione, & impotentia morali, at qui oblitus est aliqua peccata, tenetur alia dicere; ergo qui habet impossibilitatem moralem, tenetur dicere ea, quæ potest, & alia omittere. Maior est euidens, quia vtraque est impossibilitas moralis.

Quãdo pœnitẽs, & cõfessor sunt diuersarũ opinionũ, quid agendum.

91 Est alius casus qui videtur quoquo modo pertinere ad integritatem cõfessionis; sed potiùs pertinet ad obligationem ministri. An, scilicet cum pęnitens de aliquo casu dubio habet opinionem diuersam à confessore, vt putà pœnitens tenet, quòd talis casus non sit peccatum mortale; confessarius autẽ tenet, quòd sit mortale, pœnitens teneatur illud peccatum confiteri vel possit omittere. Respondẽt communiter Soto d. 18. q. 2. a. 5. ad vltimum, Nauarrus in Summa cap. 17. n. 280. Suarez disp. 32. sect. 5. & alij citati ab illis, pœnitentem posse tacere, & omittere illud peccatum, & sacerdotem teneri ad absoluendum illum, licèt ipse sit contrariæ opinionis: ratio est, quia cum opinio est auctorum probatorum excusat eum: & ideò si sacerdos nollet eum absoluere, faceret ei iniuriam. Nec valet distinctio Coradi q. 100. de cõtractibus, & aliorum quòd vel cõfessor est ordinarius, cui officium incũbit absoluendi, & tunc tenetur absoluere; vel nõ est ordinarius, sed delegatus, & spontè audiuit confessionem, & tunc nõ debet illum absoluere: non valet, inquam, hæc distinctio: quia si opinio est probabilis, vt dixi, quia est auctorũ probatæ auctoritatis, siue sit ordinarius, siue delegatus tenetur: quia cum possit sequi opinionem illam probabilem, & sit in reliquis benè dispositus sit illi iniuria nisi audita confessione sacerdos eum absoluat. Vndè licèt posset non audire, tamen audita confessione nõ potest non dare absolutionem: quia hæc est finis confessionis, & ad hoc est instituta; ideò non est in arbitrio confessoris nolle ipsum absoluere, si, vt dixi, est rectè dispositus, & aliundè non est vllum aliud impedimentum.

An liceat detegere personam complicis propter integritatem confessionis. Caput Quintum.

De fama socij criminis seruanda in cõfessione.

1. Opinio.

92 Est alius casus, in quo videtur licere dimediare confessionem, scilicet pro seruanda fama socij criminis. De hac re est grauissima quæstio inter Doctores. Aliqui enim tenent quòd quando peccatum vel circunstantia necessariò confitenda non potest reuelari absque reuelatione tertię personę, scilicet complicis, tunc potiùs illa circunstantia debet taceri, quàm proximũ diffamare, quando de duobus necessariò fieri oportet vnum. Exemplum. Quis cognouit carnaliter propriã matrem, vel sororem, & vterque est notus confessori, & non potest alteri confessori, qui eos non cognoscat confiteri, neque potest explicari circunstantia cognationis, nisi nominet matrem, & ipsam infamet: ideò inquiunt in hoc casu teneri circunstãtiam tacere, & matrem complicem non infamare. Hanc opinionem totis viribus defendit Nauarrus in Man. cap. 7. n. 3. & locis ab eo ibi citatis, & eam sumit ex Innocentio cap. *Omnis*. De Pœnitentia, & Remissione Cle. 1. & Hostiẽse ibidem colum. 4. Alij citant eos in cap. *Consideret*, de pœnitentia dist. 5. in eadem sententia citantur Marsilius in 4. q. 12. art. 4. ad 7. Viguerius in summa cap. 16. §. 4. versiculo 17. Summa Armilla verbo *Confessio*, numero ij. Fundamenta huius opinionis sunt. Primò, quia lex de non infamando proximo est diuina naturalis; lex de integritate confessionis est diuina positiua, vt diximus suprà: ideò illa est præferenda huic, cùm vtraque seruari non potest. Secundò, quia communis opinio tenet quòd cum reuelatio alicuius peccati in confessione est allatura probabiliter damnum spirituale vel corporale, vel famæ ipsi pœnitenti, vt in præcedentibus dictum est, non debet confiteri illud peccatum, sed reliqua. Et hoc tenet propter hanc rationem: quia scandalum, & periculum propriæ salutis vitæ, corporis, & famæ prohibitum est lege naturali, diuina. Cõfessionis verò integritas est cauta iure diuino, & positiuo, quod ideò debet illi cedere; cum ergo eadem sit ratio de vtraquẽ assertione, videtur esse irrationabile vnam amplecti, non aliam.

Nauarrus. Innocent. Hostiẽsis. Marsilius. Viguerius.

1. Ratio.

2. Ratio.

2. Opinio, quæ est cõmunior.

93 Ex altera parte est cõmunis opinio Theologorum in 4. Sent. & alibi asserentium, non solùm licere, sed etiam obligari pœnitentem in casu proposito facere confessionem integram, & reuelare illã circunstatiam, licèt confessor sit cogniturus personam complicis in particulari. Hãc tenent D. Bonau. in 4. d. 21. in secunda parte dist. ar. 1. q. 3. Alensis 4. parte q. 18. m. 4. ar. 2. §. 4. qui tamẽ est obscurus, ait enim quò non debemus confiteri peccata aliena nisi in casu, scilicet nisi sint circunstantia proprij peccati, & tunc ita quòd nullo modo fiat proditio alterius criminis. Ego autem non video quomodo possit manifestari personam complicis peccati, & non fiat proditio criminis eius. Scotus autem hanc opinionem, vt veram supponit in 4. d. 21. q. 2. versiculo *de quid*, vbi ait confessarium teneri ad sigillum non solùm peccati confitentis, sed circunstantiarum, & personæ secundæ, cum qua peccatur: supponit ergo in confessione posse reuelari persona complicis, & veram esse opinionem communem, quæ etiam asserit nõ solùm licere, sed teneri. Richardus d. 21. art. 5. q. 2. Eam posteà apertè tenet D. Thom. in 4. d. 16. q. 3. art. 2. q. 5. quem omnes Thomistę sequuntur. Soto in 4. d. 18. q. 2. a. 5. ad 4. Durandus ibidem q. 4. & cæteri omnes quos refert, & sequitur Suarez disp. 34. sect. 2. & reiectis rationibus communibus ab alijs adductis pro hac sentẽtia eam proprijs munit.

Scotus.

Rõnes cõmunes pro hac sẽtẽtia.

94 Rationes cõmunes, vt colligitur præsertim ex Soto loco citato, sunt. Primò vnumquemque debere præponere salutem animæ propriæ famæ proximi. Secundò vnũquemque posse, vti iure suo, licèt aliquid incommodi accidat alteri. Tertiò incomodum, quod patitur proximus, est leue, quia confessarius tenetur sub sigillo celare non solùm personam pœnitentis, sed etiam complicis. Quartò ipsummet complicem seipsum exposuisse huic periculo, quando voluit esse socius criminis, & ideò illi esse imputandum. Quintò, quia hæc sententia est communis, à qua recedere, videtur esse temerariũ. At reuera, vt inquit Nauarrus loco citato in Manuali, & Suarez fatetur, istę rationes non cogunt. Ad omnes enim conceditur maior, & negatur minor, quæ non probatur, sed supponitur, & sic supponunt quod probare deberent. Ad primam conceditur maior, sed negatur minor, quæ subintelligitur, scilicet quòd tacendo peccatum proximi amittat propriam salutem: quia dicerent quòd in tali casu tenetur tacere complicem, non reuelare: quia hoc est contra legem diuinam naturalem, cui cedere debet lex confessionis integræ. Per idẽ ad secundum; negaretur enim pœnitentem habere in hoc casu ius reuelandi complicem. Ad tertium dicerent immo esse magni momenti detegere complicem, quia manifestare crimen alterius sinè iuxta causa est peccatum mortale; hic autem nulla est iusta causa. Ad quartum per idem, quia ex eo, quòd quis fit socius crimini, alter nõ acquirit ius ipsum reuelandi: quia est contra legem diuinam naturalem, vt dictum est. Ad quintum respondent à communi esse recedendum, quando textus vel ratio, cui non potest benè responderi habetur pro contraria parte, cuiusmodi est in proposito, vt visum est.

Solutio.

Rões propie Suarez pro secũda opinione.

95 Suarez ergo distinctiùs hanc secũdam opinionem probare nititur, ex quo rationes adductę accipiunt robur. Primò probat licere in confessione reuelari complicem, deinde probat pœnitentem teneri. Quò ad primum. Primò supponit, vt certum ex D. Thoma 2. 2. q. 73. art. 2. non semper esse intrinsecè malum, & cõtra legem naturalem reuelare peccatum occultum proximi, sed tunc solùm, quando non adest rationabilis causa, aut fit animo infamandi

mandi

mandi proximum. Vndè tunc dicitur detractio formalis; quando verò adeſt rationabilis cauſa, neque fit intentione mala, eſt detractio materialis, quæ nulla lege eſt prohibita. Ad propoſitum in reuelatione peccati proximi in confeſſione, non adeſt finis infamandi proximum; hoc enim ſupponitur, & adeſt rationabilis cauſa; nimirum præceptum de confeſſione integra facienda: nam licèt præceptum poſitiuum non poſſit derogare præcepto naturali, manentibus eadem materia, & circunſtantijs; tamen mutata materia, & circunſtantijs poteſt, vt patet in illo exemplo communi de homine damnato, ad mortem per priuationem alimenti neceſſarij, qui poteſt licitè (iuxta probabilem opinionem licèt dubiam) non comedere etiam ſi ab amico afferatur cibus, vt iuſta ſententia in eo impleatur. Ita in propoſito lex naturalis de non reuelando peccatum occultum proximi mutat materiam, & circunſtantias, ratione inſtitutionis confeſſionis; & ſic fit licitum lege poſitiua de confeſſione integra, derogare legi naturali de tuenda fama proximi; & ſic ſequitur licere in confeſſione detegere peccatum complicis proximi. Hoc autem ſuppoſito, quòd lex confeſſionis poſſit derogare legi naturæ, probat facilè, quòd ex lege confeſſionis poteſt quis reuelare peccatũ proximi; tũ quia iuſtũ iudiciũ expoſcit, vt non ſolum iudex poſſit inquirere, & interrogare reum principalẽ, ſed ſocium criminis, vt veritatem ipſam clariùs habere poſſit; ſocius enim criminis fit ſubditus illi iudici ratione complicitatis criminis. Hoc autem ſacramẽtũ inſtitutum eſt per modum iudicij; ergo tum quia reuerentia ſacramenti, ex quo inſtitutum eſt, requirit, vt debito modo tractetur; modus autem debitus, eſt integritas confeſſionis, quia ſinè illa rectum iudicium fieri non poteſt; & comparatione facta inter dignitatem ſacramenti, & reuelationem peccati proximi, parui momenti eſt reuelatio peccati: tum quia ſi nõ liceret confiteri perſonam complicis, non poſſunt vir & vxor confiteri peccata, quæ inter ſe committunt moraliter, & regulariter loquendo; vt ſi vir abutatur muliere, quia cognoſcuntur à confeſſore, quod certè maximum incommodum eſt: tum etiam propter vtilitatem ſpiritualẽ pœnitentis; cum enim quis confitetur integrum peccatum, cum circunſtantia creſcit pudor, & conſequenter maior fructus ex opere operato, qui fructus eſt maioris momenti, quàm fama complicis de vno peccato ſub tãto ſecreto. Adeſt etiam executio realis ſacramenti, eo modo quo inſtitutum eſt. Releuatur etiam pœnitens ab obligatione iterum confitendi illud peccatum cum illa circunſtantia; & alia huiuſmodi.

Et per hoc ſoluitur fundamentum Nauarri, & oppoſitæ ſententiæ. Reſpondetur enim quòd in tali caſu lex poſitiua derogat naturali.

Reſponſio ad fundamentũ alterius opin.

96 Ex hoc vlteriùs deducit Suarez non ſolùm licere, ſed etiam teneri pœnitentem manifeſtari complicem ſic. Præceptum de integritate confeſſionis per ſe obligat quoties nulla legitima excuſatio interuenit: at hic nulla eſt excuſatio: quia licet, vt probatum eſt. Et ex hoc infert, & benè in hoc, cum Soto contra Cano, quòd habet locum hæc ratio nedum in confeſſione neceſſaria, ſed etiam inuoluntaria; & non ſolùm extra articulum mortis, ſed etiam in articulo mortis: quia ſi peccatum, vel circunſtantia eſt de integritate confeſſionis, ſemper eſt neceſſarium illam confiteri; ſi verò non licet, quia adeſt infamia proximi, ita erit infamia in confeſſione in articulo mortis, ſicut extrà. Et ſubiungit nunquam eſſe differendum confeſſionem, vt inueniat confeſſorem, qui non agnoſcat complicem; ſiuè confeſſio ſit in præcepto, ſiuè non: quia illa materialis detractio non eſt mala, ideò non impedit confeſſionem.

Opinio auctoris.

97 Res hæc eſt adeò difficilis, & obſcura, & vtraque opinio habet adeò graues auctores, & rationes efficaces, vt valdè difficile ſit iudicium ferre, quæ ſit vera; & proinde, vtraque à viris grauiſſimis iudicatur probabilis. Vt autem ingenuè dicam, quod ſentio, prima opinio mihi probabilior videtur: nam rationes pro hac ſecunda opinione ſuperiùs ſolutæ ſunt; & Suarez fatetur ipſas, non concludere. Ratio autem Suarez nullius momenti mihi videtur. Aſſumptum enim illud, quòd lex poſitiua quandoque derogare poſſit legi naturali, cum materia, & circunſtantiæ mutatur, & quòd in propoſito lex de ſecunda fama proximi mutet materiam, & circunſtantias ex inſtitutione legis, & præcepti de integritate confeſſionis, mihi omninò falſum eſſe videtur. Nam tunc ſequeretur quòd lata quacunque lege poſitiua incompoſſibili, pro aliquo caſu legi naturali, inſtitutio legis poſitiuæ mutaret materiam, & circunſtantias legis naturalis; & ſic lex poſitiua ſemper derogaret legi naturali; quod eſt omninò abſurdum, & contra regulam communiter receptam: quòd concurrentibus duobus præceptis, quorum ſeruato vno, alterum omittere neceſſe eſt, ſemper maius eſt præferendum. Conſequentia autem eſt euidens ex terminis: quia ſemper lex poſitiua modificaret legẽ naturalẽ in caſibus huiuſmodi.

Rõ Suarez ineficax.

98 Ad exemplum Suarez dico. Quòd damnatus ad mortem per priuationem cibi, etiam oblato cibo ab amico, poſſet licitè non comedere; non quia lex poſitiua de damnatione ad mortem deroget, & mutet legem charitatis de dilectione ſui corporis; ſed propter legem naturalem, quæ eſt, vt reus puniatur: quia bonum publicum præferendum eſt bono priuato. Si tamen vellet comedere, & ſeruare ſe in vita oblatione cibi porrecti ab amico, excuſaretur ab obſeruatione illius legis naturalis; ex eo, quia parum bonum publicum læderetur in eo caſu, & paruam vtilitatem afferret Reipubl. ex hoc caſu priuato: neque enim eſt par ratio de Duce, & milite exercitus, qui non poteſt ſeruare Rempub. niſi pereat; debet enim præponere bonum Reipub. ſuo priuato bono.

Ad exẽplũ Suarez.

99 Ex hoc autem ruunt omnia alia argumenta Suarez; nam falſum eſt, quòd ſocius criminis ſecreti fiat ſubditus confeſſario ex lege integritatis confeſſionis, quia lex confeſſionis eſt poſitiua; illa naturalis, cui poſitiua derogare non poteſt. Similiter ad illud de iuſto iudice; verum eſt quòd ad iuſtum iudicium faciendum debet inquirere, & interrogare ſocium criminis, quando eſt ei ſubditus; ſed quando eſt exemptus à ſuo iudicio, patet, quòd non poteſt iudex ſe intromittere; ſic eſt in propoſito. Ad aliud Reuerentia ſacramenti non patitur, vt lex naturalis diuina violetur: ideò in hoc caſu non fit irreuerentia ſacramẽto huic: ſufficit enim contritio, & dolor coram Deo de illo, ſicut de oblitis, cum confeſſione aliorum, quæ confiteri poteſt. Neque detegere crimen proximi apud vnam perſonam eſt quid leue; ſed eſt peccatum mortale, ſi non adſit rationabilis cauſa, vt ip[illegible] tenet Suarez eadem diſput. ſect. 1. ex communi; & ex Soto lib. 5. de iuſt. & iure, q. 5. art. 2. tenet. In propoſito autem non adeſt rationabilis cauſa: quia ſtante lege naturæ, non tenetur detegere hoc crimen proximi. Ad illud de viro, & vxore, reſpondetur, quòd loquendo regulariter, vxor, & vir poſſunt adhibere remedium, de quo infrà, ſcilicet adire confeſſarium, qui illos non cognoſcat, vel mutare habitum, ita vt confeſſarius eos non cognoſcat. Regulariter enim adſunt tot ſacerdotes in ciuitatibus, & vicis, vt qui talibus peccatis præmitur, poſſit inuenire modum confitendi peccatum complicis abſque eo, quod confeſſarius cognoſcat perſonam complicis. Ad aliud de vtilitate reſpondeo, quòd pudor non creſcit ex cogitatione perſonæ complicis, ſed ex confeſſione ipſius peccati, vel circunſtãtiæ. Tantùm enim pudet vxorem, quæ paſſa eſt maritum ipſa abuti, ſi confeſſor cognoſcat maritum, quantùm ſi non. Quòd autem pœnitens teneatur quærere confeſſarium, qui complicem non cognoſcat, vel ſi non reperit, quòd iterum teneatur illud peccatum cum illa circunſtantia cõfiteri, eſt multum vtile ipſi pœnitenti: quia hæc difficultas poteſt eſſe illi occaſio non recidiuandi, ſicut euenit de eo, qui cauet incidere in caſus reſeruatos, ne cogatur adire pœnitentiarium, vel alios confeſſores circa eos auctoritate pollentes.

Ad alia argumẽta Suarez.

100 Ex his patet reſponſio ad rationem qua vlteriùs inferebat, non ſolùm licere, ſed etiam teneri manifeſtari complicem in confeſſione. Cum enim fundamentum ſit

falſum,

falsum, conclusio inde deducta est falsa. In hoc enim casu est legitima causa tacendi.

Opin. Scoti.

101 Cum ergo rationes pro hac secunda sentẽtia possint facilè solui, & rationes pro prima sententia efficaciores sint, mihi prima videtur probabilior. Ad quam, prȩter rationes superiùs adductas, inducor: quia rarò accidit casus, in quo quis non habeat alium confessariũ, quàm eum qui cognoscit personam cõplicis: ideò pauci sunt qui hac difficultate præmantur. In locis autem vbi non est facile inuenire confessarium, qui non cognoscat complicem, vt in vicis vbi est vnus sacerdos parochus tantùm, vel in conuentibus Regularium, vbi omnes se se agnoscunt reuelare personã complicis, puto afferre posse magnum detrimentum, & parere varia scandala; si non pro illo tunc, saltem temporis successione: & est magna occasio (cum incidunt dissidia, & contentiones, quæ in huiusmodi locis sæpe esse solent) reuelandi confessionem, & pariendi magnam cõfusionem ipsi complici, & proinde prima sententia mihi verior videtur.

102 Neque puto Scotum oppositum sentire, immò esse primæ sententiæ. Nam loco citato reddens rationem, propter quam confessarius tenetur ad sigillum peccati nõ solùm pœnitentis, sed complicis, est hȩc. *Quia* inquit *etiam confitens vult famam personæ, cum qua peccauerit, saluare, idest deberet velle sicut sui, immò eo magis quia illa persona fuit sibi coniuncta in crimine*. Cum ergo inquit *deberet* videtur Scotus loqui de eo, qui reuelauit cõplicem in confessione etiam si non debebat. De eo enim tenetur confessarius ad sigillum sicut de principali etiam si non debebat reuelari, sicut de pœnitente principali.

Quæ documenta seruãda ĩ hoc casu.

103 In hoc casu autẽ puto seruanda esse ea documenta quæ tradit Nauarrus in Man. cap. illo 7. n. 5. & sequentibus quorum primum est, quod pœnitens debet procurare licentiam confitendi alteri, qui complicem non noscat, & si talem non inueniat debet mutato habito confiteri illi, qui aliàs ipsum agnosceret, & ita neque ex voce, neque ex alio signo eum deprehendat, & nomen propriũ patriã, & professionẽ taceat: quia hæc licitè facere potest, neque enim tenetur hæc manifestari, nisi quando ex eis oritur aliqua circumstantia necessariò confitenda, qualis est esse coniugatum quò ad illam culpam, quæ offendit matrimonium, vel esse religiosum quò ad culpam quæ votum religionis lædit. Confessario autem satis est, vt pœnitens cum certum faciat se posse ab illo audiri, & absolui. Secundò quòd non debet differre confessionem, vt suprà diximus in casu quòd non habeat aliquid ex prædictis remedijs, vt aliqui volunt, sed quòd debet reliqua omnia peccata confiteri tacendo illud, quod non potest absque prædicto periculo confiteri, cum proposito tamen illa confitendi cum primùm occurerit confessarius, cui absque tali periculo possit illa manifestare.

In quo casu socius criminis possit manifestari.

104 Tertiò. Quod quando proprius confessor, qui vtrumque cognoscit, est talis persona, vt sit probabile confessionem talis peccati, & circumstantiæ illi factam esse profuturam complici, & nullatenus obfuturam, tũc non solùm posse licitè, sed teneri pœnitentem illam confiteri; quod probat Nauarrus ex cap. *hoc videtur* 22. q. 5. quia hoc non est infamare, quia iure reuelatio criminis alterius fieri potest ei, quem sit profuturum, & non obfuturum, secundùm D. August. in d. cap. quod limitat Nauar. Dũmodo eum priùs per se corripiat, vel si nulla sit ei spes correctionis per suam correptionem, per ea quæ ipse Nauarrus tradit in rep. cap. *inter verba* 11. q. 3. conclusione 6. corrolario 46. n. 5. 573.

An propter vtilitatẽ pȩnitentis liceat reuelare cõplicẽ.

105 An verò liceat reuelare complicem propter vtilitatem pœnitentis, vel alicuius tertij est dubium. Auctores sequẽtes communem opinionem affirmant propter easdem rationes: quia dicunt adesse legitimam causam reuelandi, & vlteriùs cum adest vtilitas, & bonum spirituale pœnitentis. Vndè potiùs pœnitens videtur debere consulere propriæ saluti quàm famȩ proximi. Et eò magis, quia extra confessionem licet propter vtilitatem propriam alterius crimen manifestare alteri; ergo multò magis in confessione in qua propter secretum magis consulitur famȩ complicis. Ego, salua veritate, loquendo consequenter ad dicta, iuxta primam sententiam, nõ puto propter simplicem vtilitatem pœnitentis, nisi etiam adsit vtilitas cõplicis, posse detegi occultum crimen complicis in confessione: nam secundùm Apostolum non sunt facienda mala, vt inde veniat bona: malum est autem, & cõtra legem naturæ prodere famam proximi; ergo hoc non est faciendum propter vtilitatẽ propriam etiam spiritualem: sicut non licet mutilare proprium membrũm, vel occidere inducentem, & stimulantem ad peccatum, putà luxuriæ ne ampliùs ipse inductus peccet. Et caput illud, *Hoc est*. 22. q. 5. loquitur solùm de vtilitate illius qui peierauit, ex quo colligitur solùm licere detegere peccatum occultum, propter vtilitatem illius, qui peccauit, scilicet complicis: tunc enim non est proditio cum fit in vtilitatem eius. Cum ergo dicitur quis debet consulere magis saluti suæ spirituali, quàm famæ proximi; & quòd licet ad vtilitatem propriã extra confessionem detegere crimen alterius; ergo multò magis in confessione dico, quòd hæc facienda sunt ordine debito, & in casibus à iure permissis in quibus hic non reperitur. Prȩtereà multi ex auctoribus contrariæ senten. tenent reuelationem talis secreti, quæ est ad vtilitatem pȩnitẽtis, vt si puella ab aliquo molestè in turpitudinem sollicitetur, non debere fieri in confessione, sed extra. Vndè D. Bonau. loco citato ad vltimum dicit hoc tutiùs fieri extra confessionẽ. Et Soto ipse loco citato, qui extendit hoc non solùm ad vtilitatem simplicem pœnitentis, sed etiam ad nocumentum proximi complicis, quando vergit in remedium, & vtilitatem pœnitentis; dicit tamen in confessione, propter eius dignitatem, nõ licere, ne confessio fiat odiosa. Vndè monet confessarium facta hac reuelatione extra cõfessionem omninò cauere debere etiam de licentia pœnitentis, ne tractet hoc negocium, aut reuelet; faceret enim confessionem odiosam, sed tantùm debere consulere pœnitentem quid agere debeat. Ex quo ego deduco, quòd cum confessarius non debeat tractare hoc negocium pertinens ad vtilitatem pœnitentis, omninò impertinens est hoc fieri in cõfessione, cum hoc nihil prosit pœnitenti. Consilium autem, & ea, quæ pertinent ad liberandum se à molestijs, & occasione peccati, si possunt haberi extra confessionem, & tutiùs, & absque reuelatione peccati proximi, non video cur in confessione, liceat hoc, vel fieri debeat. Debent enim illa in ea tractari, quæ ad confessionem, & accusationem propriam pertinent, & extra illam adhibere remedia necessaria ad propriam vtilitatem, tam spiritualem, quàm corporalem, neque ista misceri simùl.

An liceat reuelari personã, quæ fuit obiectum peccati.

106 Ex his sequitur, falsam esse quoque opinionem Soto asserentis licere, & debere non solùm reuelare in confessione personam complicis, cum est necessarium, propter integritatem confessionis, sed etiam quando persona est obiectum peccati pœnitentis, licèt non sit socius, e. g. filius dedit venenum matri grauidæ ex prauo concubito, inquit, filium teneri ad cõfitendum totum integrum peccatum, scilicet quòd dedit venenũ matri, propter prauum concubitum, ex qua secunda circumstantia patet matris peccatum reuelari confessori, & ipsam à filio infamari. Similiter aliquis sciuit, quòd eius prælatus, vel pater cõmisit actum simoniacum secretò, hunc actum propalat, & infamat prȩlatum, vel patrem. Inquiunt hic debet aperire confessori totum peccatum integrè, & dicere. Infamaui prȩlatum, vel patrem meum de actu simoniaco, qui tamen actus erat verus: in qua confessione patet pȩnitentem ex illa vltima circumstantia infamare prȩlatum, hanc opinionem inquam esse falsam ex dictis patet: nam si nõ licet reuelare personam complicis, neque alias personas. Quod idem asserit Suarez vbi suprà, in fine sect. 3. licèt id probet ex alijs fundamentis, quæ non admittimus. Illud tamen est efficax, quòd nulla ratio patitur, vt qui inuitus vnam iniuriam passus est, in confessione aliam patiatur,

vt e. g.

ut e. g. mulier mortem ex veneno passa est à filio: & Prælatus, vel Pater ex infamatione criminis detecti, nulla ratio vult, vt nouam iniuriam, & detrimentum accipiat in confessione illius, qui primam iniuriam eis intulit, solùm propter integritatem confessionis illius.

107 Superest casus, in quo quis dimidiare cogitur confessionem propter reseruationem peccati alicuius, qui est quartus, de quo infrà agendo de modo confitendi reseruata.

DISPVTATIO XXV.

Confessio cui sit facienda.

Vtrùm Minister huius Sacramenti sit solus Sacerdos. Caput Primum.

1 SCotus habita declaratione eorum, quæ sunt confitenda in confessione, & qualiter integrè eidem omnia confiteri debent transit ad aliam conditionem, quæ includitur in præcepto confessionis faciendæ, quæ est de ministro huius sacramẽti; inquit ergo præceptum confessionis etiam includere, cui sit facienda confessio: & ait, eum, cui est facienda, esse sacerdotem, & non quemcunque, sed iurisdictionem habentem. Vnde hæc assertio Scoti habet duas partes. Prima est, ꝙ minister huius sacramenti est sacerdos solus. Secunda, ꝙ non quicunque sacerdos, sed ille tantùm, qui habet iurisdictionem. Prima pars probatur ab ipso Scoto breuiter, quia in Ecclesia solus sacerdos habet auctoritatem ligandi, & soluendi. Secunda pars quoque probatur breuiter ab eodem: quia sententia, à non suo iudice lata, nulla est. De regulis iuris in 6. hæc Scotus. Quæ doctrina, & assertio est communis omnium Theol. in 4. dist. 17. & 19. quos referre superuacaneum est, & Summistarum, verbo *Confessor*, & *Confessio*, & alibi, vbi hanc materiam tractant: & sumitur ex sacris Concilijs, præsertim Constantiensi, Florentino in Decreto Eugenij Papæ, & Tridentino, sess. 14. cap. 7. vbi dicitur nullius momenti esse absolutionem datam à sacerdote, qui neque ordinariam, neque delegatã iurisdictionem habet. In quibus verbis apertè Concilium supponit ministrum huius sacramenti debere esse sacerdotem, sed hoc non sufficere: quia contingere potest, quòd aliquando nõ habeat iurisdictionem necessariam in hoc foro, & tunc non valet absolutio data ab eo; ergo simplex auctoritas ordinis non sufficit. Cum verò sacerdos habet adiunctam auctoritatem iurisdictionis, supponit esse perfectum, & validum ministrum huius sacramenti. Ad ministrum ergo huius sacramenti requiritur duplex auctoritas, scilicet ordinis, & iurisdictionis; & secunda deficiente prima non sufficit.

Assertio Scoti, quæ habet duas partes.

2 Verùm circa vtramque partem huius assertionis est difficultas: nam quò ad auctoritatem ordinis est cõtẽtio non solùm inter catholicos, & hæreticos, sed etiam inter catholicos ipsos. Et quidem hæretici negant ministrũ huius sacramenti debere esse sacerdotem, sed dicunt laicum, (præsertim si sit iustus, & bonus) posse esse ministrum huius sacramenti, quæ hęresis tribuitur Valdensibus, & pauperibus de Lugduno, Hussitis, & Vviclephitis, & alijs, licèt inter se sunt varij, & discordes, vt est videre apud Scribentes contra hæreticos, præsertim in Concilio Constantiensi in bulla Martini V. vbi damnat hæreses. Ioan. Vviclephi, Ioan. Hus, & Hieronymi de Praga. Lutherus autẽ a. 13. vt est videre apud Bellarminum, lib. 1. de Sacramentis in genere, cap. 24. & Rofensem a. 13. hanc hæresim suscitauit. Nam eius verba in prædicto loco sunt hæc. *Quòd autem absente sacerdote etiam puer, aut mulier, & quilibet Christianus absoluere potest. Matth. 18. clarè patet, vbi Christus omnibus Christianis dicit. Quodcunque solueritis super terram erit solutum, & in Cœlis.* Fundamenta autem hæreticorum sunt duo pręsertim. Primum est, quia negant pœnitentiam esse sacramentum propriè, & verè, in quo peccata dimittãtur, vt vidimus suprà disputatione, An pœnitentia sit sacramentum. Dicunt enim peccata dimitti per fidem tantùm, & per prædicationem: pœnitentiam autem dicunt esse signum nudum externum ad excitandam fidem, qua quis credens sibi peccata esse remissa, ei remittuntur, & propter hoc dicunt quemcunque hominem etiam mulierem posse esse ministrum pœnitentiæ.

An laicus possit esse minister sacramẽti cõfessionis.

1. Fũdamẽtũ hęreticorum.

3 Secundum fundamentum est, quia negant institutã esse à Christo Domino dignitatem sacerdotalem, quę habeat potestatem specialem ligandi, & soluendi, & conficiendi corpus Christi. Sed dicunt omnes Christianos esse æquales in dignitate, & potestate; & solùm requiri vt à communitate deputentur certi ad aliquid ministerium peragendum ad vitandum iurgia, & contentiones, & vt rectè, & ritè illud exequi possint, quod ipsos sentire pręsertim Lutheranos patet ex illo art. 13. & fundamentum huius æqualitatis omnium Christianorum est, quia dicunt Christum Dominum Matth. 18. dixisse illa verba, *Quorũ remiseritis*, &c. omnibus Christianis.

2. Fũdamẽtum hæreticorum.

4 Cæterùm hæc hæresis iamdudum est damnata in multis Conc. præsertim Trid. sess. 14. cap. 6. & can. 9. & 10. de qua re agemus fusius tractãdo de clauib. pro nunc sufficiat fundamenta hæreticorum esse nullius momenti. Primum satis reiecimus suprà ostendendo pœnitentiam esse sacramentum propriè dictum, in quo data est potestas solis sacerdotibus absoluendi à peccatis; & illos solos factos esse iudices arbitros peccatorum. Secundum fundamentum falsum esse ibi quoque est ostensum. Est enim mendacium euidẽs dicere, quòd cum Christus Dominus protulit illa verba Matth. 18. *Quęcunque alligaueritis*, &c. illa dixerit omnibus Christianis, nam in principio capitis illius 18. sacer textus habet hæc verba. *In illa bona accesserunt Discipuli ad Iesum dicentes, quis putas maior est in Regno Cęlorum*, &c. Christus deinde explicat illã quæstionem, & prosequitur instruere discipulos in ea quęstione, & alijs, vsq. ad illa verba, *Quæcunque alligaueritis*, &c. cum ergo sacer tex. dicat accessisse discipulos ad Iesum, & illum interrogasse, & Christum Dominum respõdisse ad eorum quæsita, & tandem dixisse illa verba, *Quæcunque alligaueritis*, &c. plùsquàm ingens temeritas est dicere, ꝙ Christus Dominus illa verba dixerit omnibus Christianis: per discipulos enim Christi tunc non intelligebantur omnes, qui credebant in Christum. Multi enim ex turbis credebant tunc in Christum, vt patet ex cap. 15. Matth. & alibi, qui tamen non habebantur vt discipuli Christi: quia non conuersabantur cum Christo familiariter, neq. instruebantur ab illo particulariter, vt Apostoli, & alij discipuli Christi; & ideò erant Christiani, sed non discipuli Christi. Apostoli ergo, qui eum continuò comittabantur in sacro Euangelio appellantur discipuli Christi, non omnes Christiani, hoc clariùs habetur Ioan. 20. vbi eandem auctoritatem contulit discipulis per eadem verba, *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis*, &c. Neq. enim Lutherus potest dicere, quod Christus tunc locutus sit omnibus Christianis: disertè enim tex. Euangelij dicit, quòd locutus est discipulis, qui erant congregati *foribus clausis propter metum Iudæorum*: ergo non concessit hanc auctoritatem cuicũque credenti, sed discipulis, qui erant Apostoli. Quod ẽt euidenter colligitur ex D. Paulo 1. ad Cor. 10. vbi loquens de Eucharistia inquit, *Panis quem frangimus nos, nonne communicatio corporis Christi est*. Ponderanda enim sunt illa verba, vt ait Scotus in 4. dist. 13. q. 2. §. ad quæst. *quem frangimus nos*, per nos enim intelligit Apostolos, & discipulos; si enim quilibet Christianus posset conficere corpus Christi, & consequenter esset tantę dignitatis, quantæ est sacerdos, non oporteret aliquẽ alium alijs frangere, sed quilibet posset de suo sacrificio communicare. Præterea hæc veritas traditione Ecclesiastica, & auctoritatem sanctorum Patrum semper firma, & rata habita fuit ab immemorabili consuetudine, cuius nullum initium cognoscitur, neque in aliquo Concilio, neque in aliquo Decreto Pontificis habetur eius institutio, quarum

Reijcitur

Fundamẽta hæreticorum dissoluuntur.

ad

ad eius essentiam licèt quædam circa illam ordinata sint; vt quod omnes fideles semel in anno confiteantur peccata sua, & suo sacerdoti, &c. Sed confessio ipsa peccatorum solis sacerdotibus, à quibus absolutio datur, semper fuit in vsu, quod est signum eum institutum esse sic à Christo; & Apostolos ea verba intellexisse in hoc sensu, & eum Ecclesiæ tradidisse, atque eos seruasse. Adsunt preterea auctoritates Patrum antiquissimorũ, quos adducunt agentes de confessione particulari scribentes contra hereticos, presertim Bellarminus lib. 3. de penitentia. Suarez tom. 4. disp. 24. sect. 1. & alij: & nos plures alias suprà adduximus.

5 Dimissis ergo hereticis, nonnulli catholici videntur asserere, quòd etsi proprius minister huius sacramenti sit sacerdos; tamen quandoque licere, immò ex precepto cõfessionis teneri confiteri laico; quando scilicet non adest copia sacerdotis, & vrget periculum; vt in articulo mortis. Et hæc sententia apertè est Magistri Sentent. in 4. dist. 17. p. 2. Et D. Thomæ in 4. eadem dist. q. 3. a. 3. q. 2. ad primũ. Ex hoc autem videtur sequi, quòd confessio facta laico sit vera confessio: quia secundùm hos auctores in casu necessitatis cadit sub hoc precepto de confessione facienda. Et consequenter videtur, quòd laicus in tali casu sit proprius minister, & habeat auctoritatem eãdem, quam sacerdos.

Opinio D. Th. & Magistri confessionẽ faciendam esse laico.

1. Ratio. 6 Pro hac eadem sententia adducuntur hæ rationes. Primò est auctoritas D. Iacobi cap. 5. *Confitemini alterutrum peccata vestra*, qui locus videtur asserere quemcunque siue sacerdotem, siue laicum esse sufficientem ministrum confessionis. Vndè Beda super illum locum adductus à Magistro in predicta dist. 17. distinguit inter confessionem venialium, & mortalium; & inquit. *Coequalibus quotidiana, & leuia; grauiora verò sacerdoti pãdamus.*

2. Ratio. 7 Secundò. Licet, & tenetur in casu, quo quis careat copia sacerdotis, confiteri Diacono, si illius copiam habeat; ergo licet confiteri non sacerdoti. Antecedens probatur ex cap. *fures*, extra de furtis. Vbi precipitur, quòd fur, qui interficitur in actuali furto, sepultura careat, & subduntur deindè hæc verba. *Si autem presbitero, vel diacono confessus fuerit communione non priuetur.* Et confirmatur ex D. Cypriano lib. 3. epistola 13. quæ incipit *Miror*, vbi committit diacono quòd in absentia sacerdotis reconciliet penitentem iam animam agentem. Et confirmatur adhuc ex D. August. de vera, & falsa pœnitentia relato cap. *Quẽ pœnitet*, d. 1. de pœnitentia, vbi sic legitur. *Tanta est vis confessionis, vt si deest sacerdos, confiteatur proximo.*

3. Ratio. 8 Tertiò. In baptismo omnes christiani instituti sunt sacerdotes, iuxta illud Ioan. in Apocalipsi cap. 5. *Fecisti nos Deo nostro regnum, & sacerdotes.*

4. Ratio. 9 Quartò. Tantæ necessitatis est sacramentum pœnitentiæ relapsis post baptismum, quantæ est baptismus propter remissionem peccati originalis; sed in casu necessitatis quilibet laicus, & mulier potest baptizare; ergo in casu necessitatis põt quilibet audire confessiones, & absoluere.

5. Ratio. 10 Quintò. Saltem quòd ex dispensatione Summi Põtificis laicus possit absoluere videtur euidens: nam quandoque minister, qui ex se non est sufficiens, & idoneus ad aliquod sacramentum ministrandum, ex dispensatione Pontificis fieri potest idoneus, vt patet in sacramento cõfirmationis, in quo licèt Episcopus sit ordinarius, & idoneus minister, tamen ex dispensatione Pontificis simplex sacerdos potest illud sacramẽtum conferre; ergo idem videtur posse fieri de sacramento pœnitentiæ, quòd est maioris necessitatis.

An ex dispẽsatione Papæ, laicus possit esse minister sacramenti pœnitentiæ.

6. Ratio. 11 Sextò. Videtur quòd saltem de venialibus debeat fieri confessio laicis, ex auctoritate Bedæ superiùs adductæ, & etiam quia venialia, non sunt materia necessaria confessionis.

Reijcitur. 12 Hæc sententia potest habere duplicem sensum. Primò est, quod in casu necessitatis, vel ex dispensatione aliqua laicus possit esse verus, & proprius minister huius sacramenti; & hic sensus communiter ab omnibus Theol. reijcitur, etiã à Magistro loco citato, vbi apertè asserit cõfessionem esse faciendam laico, etsi ille potestatem non habeat soluendi. Sententia autem D. Thomæ est paulò obscurior: nam licèt loco citato dicat laicum non habere facultatem absoluendi, tamen dixit confessionem factam laico esse quodammodo sacramentalem, & supremum sacerdotem Deum supplere defectum sacerdotis: vbi videtur velle, quòd in tali confessione conferatur tanta gratia, quanta in confessione facta sacerdoti; & quòd ex attrito fiat contritus, quæ omnia sunt falsa: ideo cautè legendus est ibi D. Thomas, vt notauit Soto in 4. d. 18. q. 4. a. 1. conclusione 3. Hęc assertio reprobatur ijsdem rationibus, & auctoritatibus, quibus contra hereticos probatum est pœnitentiam esse sacramentũ, in quo data est potestas solis sacerdotibus iudicandi de peccatis omnibus post baptismum commissis: ideo illi soli, & nullus alius in quocunque casu possunt esse ministri huius sacramenti: quia illis solis dictum est, Ioan. 20. *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis*, &c.

13 Secundus sensus allatæ opin. esse potest, quòd etsi laicus nullam habeat facultatem absoluendi à peccatis post baptismum commissis, tamen ex vi præcepti confessionis in casu necessitatis habẽs huiusmodi peccata teneatur laico confiteri; & hic sensus est intentus à Magistro, & alijs huius opinionis, vt à glossa in cap. *Fures*, de furto, & à Panormitano ibidem, dum dicunt in tali casu posse, & debere fieri confessionem laico. 2. Sensus.

14 Hic quoque sensus est omninò falsus, & Scotus cõtra eũ insurgit dist. hac 17. q. 1. a. 3. quẽ posteà posteriores cõmuniter sequuti sunt, vt Soto d. illa 18. q. 4. a. 1. concl. 3. Suarez disp. 24. sect. 1. & alij citati ab illis: ratio principalis ex Scoto loco citato est, quia cõfessio ex sua institutione, & precepto est accusatio peccatorũ in ordine ad sententiã, & nõ in ordine ad aliud: at laicus nullam habet auctoritatẽ sententiãdi in isto foro; ergo nullus ex præcepto obligatur ad confitendum peccata sua laico. Maior patet ex dictis suprà de institutione sacramenti pœnitentiæ. Ex eo enim quòd Christus Dominus fecit Apostolos, & Discipulos suos iudices peccatorum post baptismum commissorum, vt illa per modum iudicij iudicare, & absoluere possent, homines tenentur ad confessionem sacramentalem, quia non potest homo peccata occulta iudicare nisi manifestentur per confessionem voluntariam; & hac ratione cõfessio cadit sub præcepto: ideò præceptum confessionis obligat solùm confiteri sacerdoti. Minor ex nunc suprà dictis contra hereticos est euidens. Confirmatur, quia nullum præceptum neque diuinum, neque Ecclesiasticum reperitur, in quo præcipiatur confitendum esse laico: fieret enim aliqua mentio de hac confessione facienda laico, saltem in cap. *Omnis vtriusque sexus*, &c. tñ ibi nihil aliud dicitur, nisi vt vnusquisque proprio sacerdoti confiteatur. Reijcitur.

Confirmatur.

15 Tandem posset esse sensus illius opinionis, quòd in casu necessitatis quis teneatur ad faciendam cõfessionem laico, non ratione præcepti, sed ratione consilij, ad humilitatem exercendam, & ad consilium petendum, & ad subeundum pœnam verecundiæ. In hunc sensum auctores superiùs citati absque dubio loquuti sunt. Et hanc sententiam inter supra citatos sequuti sunt Alensis 4. p. q. 19. m. 1. a. 1. vbi apertè ait, quòd licet, immò expedit quãdoque confiteri sua peccata alij, quàm sacerdoti vt, scilicet iuuetur ab eo vel oratione, vel instructione, & vt erubescat peccata sua, & humiliatur in tali confessione, & sic mereatur erubescentia, & humiliatione, inquit tamen illam non esse confessionem sacramentalem. Eandem sententiam sequitur D. Bonau. in 4. d. 17. p. 2. a. 1. q. 1. Paludanus eadem dist. 17. Nauarrus in capitolo primo de pœnitentia d. 6. n. 72. sed addit hoc licere, quando laicus, cui fit confessio, est persona prudens, à qua vtilitas, & secretum sperare possit, & ipse confitens indigeat consilio, & auxilio; si verò secùs nequaquam licere, quam opinionem amplectitur quoque Suarez vbi suprà. 3. Sensus.

16 Scotus autem omninò reprobat hanc opinionem, & d. 17. q. 1. a. 3. & d. 14. q. 4. a. 2. in fine, dicit esse dubium adhuc, an confiteri laico sit in detrimentum animæ: quia Reijcitur à Scoto.

illa

illa reuelatio non potest esse confessionalis. Soto etiam d. 18. q. 4. a. 1. eum sequitur. Ratio Scoti est, quia nulli licet prodere peccatum suum occultum, & se infamare: in tali autem confessione homo se ipsum infamaret, & maximè

1. Ratio. reuelando peccata turpia, & enormia. Quod confirmare possumus, quia in tali confessione scandalizamus eum, cui fit confessio; scandalum autem actiuum est peccatum, vt notum est. Antecedés probatur, peccatum publicum ideò dicitur scandalum, quia est exemplum inducens alios ad malum, vt ex Alensis p. 2. q. 11. & D. Tho. 2. 2. q. 43. colligitur: at cum quis reuelat proprium peccatum occultum, facit illud publicum, idest notum ei cui confitetur, & sic potest esse illi exemplum inducens ad peccatum; ergo talis confessio minimè videtur esse facienda: & certè non valet respondere, confitens hoc facere non debere, cum timet scandalizare laicū, cui confitetur: quia cū aliquod est de se peccatum mortale, non fit veniale, nisi ex paruitate materiæ, vel ex surreptione: hîc autem nō potest esse surreptio, quia non potest fieri hæc confessio laico nisi ex certa deliberatione; solùm ergo liceret propter exiguitatem materiæ, scilicet propter peccata venialia: at hæc est penitus inutilis, neque enim quis valdè erubescere potest, nec multum humiliari propter reuelationem peccatorum venialium: immò illa velle confiteri solùm, esset se laudare, & ad hypocrisim tendere, neque facilè quis confidere potest laicum non fore passurum scandalum ex reuelatione peccatorum mortalium, quia reuelatio illa ex sui natura apta nata est scādalizare scientem. Vndè peccata publica propter hoc sunt scandalum: quia sunt publica, & nota, & hac ratione sunt occasio pusillis, & alijs, vt ea imitētur. Et multi scandalizantur de peccatis publicis Religiosorum, non quia illa videant, sed quia illa ab alijs intelligunt, & eo exemplo inducuntur ad peccatum: quantò ergo magis si quis certò sciat esse verum talem personam talia peccata facere; videtur ergo esse cōtra charitatem erga se, & erga proximum. Contra se, quia fama est necessaria homini, iuxta illud, *Melius est bonū nomē*, &c. Cōtra charitatē erga proximū: quia manifestādo peccata occulta, ei præbemus occasionē, vt ipse talia peccata ad nostrū exēplū cōmittat.

2. Ratio. 17 Tandem fundamentum aduersariorum, quòd talis confessio liceat propter consilium habendum, si laicus sit aptus consulere, & penitens egeat, est nullum, quia, vt inquit optimè Scotus, hoc potest fieri proponendo casum in vniuersali, & in tertia persona absque reuelatione propriæ personæ. Et cum dicitur vnusquisque potest renuntiare iuri suo. Contrà, hoc verum est, vt ait Scotus in hoc 4. d. 21. q. 2. ad primum principale, quòd vnusquisque potest renuntiare iuri suo particulari, non autem iuri cōmunitatis: at reuelatio proprij criminis non solùm est ius particulare, sed communitatis, quia ex opposito sequeretur quemlibet reputare alium abominabilem: ideò propria fama est seruanda propter bonū publicum quoque.

3. Ratio. 18 Tertiò. Nō legimus aliquos Sanctos sua peccata secreta sic publicasse, & reuelasse in publicum, sed solùm generaliter se se accusasse, quòd essent peccatores grauissimi peiores omnibus &c. ergo videtur quòd accusatio illa ad humilitatem facta diuersis, de qua D. Bernardus super Canticā adductus à D. Bonau. vbi suprà, & ab alijs fit de peccatis in generali, vel de peccatis publicis nō de occultis.

Quid de dānatis ad mortem cō fitentibus laicis. 19 Quid igitur de damnatis ad mortem confitentibus laicis? Soto loco suprà citato inquit si talis consuetudo aliquando viguit, vt malefactores damnati ad mortem cōfiterentur laico, vel non permitterētur confiteri nisi laico, erat pessima consuetudo. Sed ex Scoto nō colligitur, quòd fuerit prohibitio ne confiterentur sacerdoti, sed solùm quòd ipsi malefactores habebant consuetudinem confitendi laicis. Vnde respondet quòd huiusmodi excusabantur à peccato propter simplicitatem, & talis humilitas illis erat meritoria ad salutem, pro quanto volebant supplere sicut poterant, illud, quod pertinet ad sacramentum pœnitentiæ. At subiungit Scotus, Sed viro discreto, qui benè sciret ad quid instituta est confessio, nec fortè vtile foret, nec sine fortè necessarium facere talem confessionem.

20 At hic est dubium, an saltem confessio venialium facta laico sit vtilis ad impetrādam veniam peccatorum per absolutionem factam à laico per modum non absolutionis, sed deprecationis. Respondet Soto vbi suprà & rectè propter rationes suprà adductas nequaquam esse vtilem: quia nullibi legitur ab Ecclesia esse institutam absolutionem generalem, qua laici absoluant, sicut est instituta absolutio generalis facienda à sacerdotibus, vt in Missa: & proindè sine fundamento illi tribueretur talis facultas. Oratio quidem proximi, vt alibi in hoc 4. diximus, potest alium iuuare ad impetrandum veniam peccatorum, sed non facta per modum absolutionis. An valeat ad dimissionē venialiū per modū deprecationis.

21 Sed quæ est pœna laici nitentis absoluere sacramētaliter? Respondet Soto vbi suprà quòd grauiter peccaret, & esset magno supplicio dignus, tanquam sacrilegus. An verò fieret irregularis est dubium: quia ex vna parte est cap. *Si quis*, & cap. *Ex litteris*, de clerico non ordinato, in quibus imponitur pœna irregularitatis ijs, qui non ordinati sacramenta solemniter administrant. Ex altera parte est caput *Is qui*, de sententia excommunicationis lib. 6. vbi cauetur, quòd nemo incurrat pœnam irregularitatis, nisi in casibus expressis in iure. Ideo sunt duæ opiniones; aliqui propter caput *Is qui*, lib. 6. tenent laicum in tali casu non fieri irregularem, quia hic casus non exprimitur in iure, nullibi enim dicitur, quòd quis laicus absoluens sacramentaliter sit irregularis; & hanc sententiam sequuntur Syluester verbo *Confessor*. §. 1. n. 1. & nonnulli alij. Quæ pœna exposita sit laico audēti absoluere sacramētaliter. Duæ opiniones diuersæ.

22 Alij verò tenent fieri irregularem, vt Paludanus d. 17. q. 3. Soto illa dist. 18. q. 4. art. 1. Nauarrus in Manuali cap. 27. n. 241. & reuera hæc secunda opinio est verior. Nā ratio aduersariorum est contra eos: quia in cap. citatis de clerico non ordinato, *si quis*, & *ex litteris*, expresè habetur, quòd, qui sacramenta solemniter administrat, & non est ordinatus, est irregularis. Laicus autem absoluens sacramentaliter administrat hoc sacramētum solemniter, neque est ordinatus; ergo si enim infligit hanc pœnā clerico non sacerdoti baptizanti solemniter extra casum necessitatis, eadem, & multò maior est ratio de absoluente sacramentaliter: quia in quocunque casu absolutio requirit proprium ministrum, qui est sacerdos. Et confirmatur quia cap. *Si quis*, dicitur, *aut aliquod diuinum officium exercuerit non ordinatus*, vbi per officium intelligitur quodcunque aliud sacramentum. Vera sentētia.

23 Tandem est dubium, an, dato casu, quòd aliquis laicus audiuerit aliquem in confessione licèt non absoluerit, vtrùm teneatur sigillo secreti, vt sacerdos. Respōdit Soto, quòd tenetur maiori vinculo, quàm quocunque alio vinculo secreti habiti extra confessionem, & reuelans esset supplicio afficiendus nō tamen tantum quantū sacerdos. Hanc eandem sent. tenet Scotus in 4. d. 21. q. 2. concl. 4. de quocunque laico quomodocunque audiente confessionē, siue casualiter, siue dolosè; & est communis opinio, de qua iterum in materia de sigillo confessionis. An si laicus audiat confessionē teneatur ad sigillum.

24 Ad rationes pro opposita sententia ex dictis patere potest: ideò ad primam, quæ est auctoritas ex D. Iacobo c. 5. respondet Scotus in hoc 4. d. 2. q. 1. quòd D. Iacobus ibi nec instituit, nec promulgauit hoc sacramentum pœnit. ex quo sequitur, quòd neque eo loco loquatur de confessione sacramentali, sed tantummodo de accusatione quadam generali propriorū peccatorum ad humilitatis excitationem, & charitatem fraternam fouendam. quod patet ex verbis statim subsequentibus. *Et orate pro inuicem vt saluemini. Multum enim valet deprecatio iusti assidua.* & paulò infrà. *Fratres mei si quis ex vobis errauerit a veritate, & conuerterit quis eum? saluabit animam eius a morte.* & in verbis antecedentibus, etiam hortabatur eos ad opera charitatis. In illis ergo verbis loquitur de confessione in generali peccatorum, quæ fit ad vitandam superbiam, quæ est causa dissensionis, & charitati contrariatur, cum enim quis se reputat, & accusat peccatorem, humiliat se, & illa humilitas inducit ad charitatem, & illam fouet. Ad primā rationē pro opposita sententia. Responsio Scoti.

Responsio D. Tho. & sectatorũ. Alij, vt D. Thom. loco cit. quem Soto, Suarez, & alij sequuntur, respondent D. Iacobum ibi loqui Christianis, quibus præsupponebat notam esse legem confessionis, quæ est, quòd solis presbyteris fiat. Ideò cum dicitur confitemini alterutrum peccata vestra, loquitur de sacerdotibus, omnes enim debent confiteri peccata sua non omnibus, sed illis, qui ad hoc deputati sunt: ita vt alterutrũ ibi sit idem quòd homo homini; neque enim soli Deo peccata cõfiteri debemus, sed & sacerdoti; & sic etiam sacerdos sacerdoti. Prima respõsio videtur accommodatior textui. Vndè Beda ibi distinguit, vt suprà vidimus, inter peccata mortalia, & venialia; & priora dicit esse confitenda sacerdotibus, venialia æqualibus, & coram alijs; ergo intelligit confessionem ibi Apostolus omnibus esse faciẽdam, quę regulariter est de peccatis in generali, & defectibus communibus, quæ sunt peccata venialia, apud tamen viros Dei timoratos multi fiunt, & per hoc patet ad confirmationem ex Beda.

Ad secũdũ 25 Ad secundum, quod videtur difficilius, respondetur omnes illos textus loqui de confessione de peccatis publicis: quòd patet euidenter tum ex Epistola D. Cypriani citata, tum ex cap. *Quem pœnitet*. ex D. Cypriano patet, quia scribit, quòd si aliquis constitutus in extremo periculo nõ poterit expectare præsentiam ipsius D. Cypriani, qui erat Episcopus, apud presbyterum, & si copiam presbyteri habere non poterit apud Diaconum exomolegim facere delicti sui possit; at certum est, quòd qui grauabatur peccatis occultis, & non reseruatis, poterat absolui à simplici sacerdote; non erat ergo cur D. Cyprianus daret licentiã existenti in extremo vitæ vt posset confiteri presbytero nõ expectata præsentia. D. Cypr. loquitur ergo de peccatis publicis, & præsertim de excommunicatione, & dat licentiam, vt presbyter, vel Diaconus presbytero absente absoluat ab excommunicatione, & à pœnis satisfactorijs pro illis peccatis solutis, quæ quidem absolutio de peccatis publicis tenet, sicut & pœnitentię publicæ tunc temporis erãt in vsu. Quod etiam ex alijs uerbis eiusdem Epistolæ patet. Sed illa absolutio, & confessio non erat sacramentalis, sed reconciliatio Ecclesiæ. Ex cap. verò *Quem pœnitet*, hoc magis perspicuum est: quia distinguit ibi in fine ferè de peccatis occultis, & publicis, & inquit. *Quòd etsi peccatum occultum est, sufficiat referre in notitiam sacerdotis, vt grata sit oblatio muneris*. Deinde loquitur de peccatis publicis, & in fine cap. habet hęc verba. *In quo docemur publicè peccantibus non proprium, sed Ecclesiæ sufficere meritum*. Vbi per meritum glossa intelligit auctoritatem. Confessio ergo de occultis facienda est sacerdoti sacramentaliter, de publicis facienda est socio, vel Diacono, vel Ecclesiæ pro reconciliatione Ecclesiastica.

Ad tertiũ. 26 Ad tertium respondetur, quòd omnes Christiani sunt sacerdotes, eo quòd se, & sua Deo sacrificant, & sic cõmuniter dicuntur sacerdotes. At alio peculiari nomine sacerdotes dicuntur, qui sacrificant, & conficiũt verum corpus Christi, & sunt constituti iudices à Christo in Ecclesia, vt dictum est suprà. Apoc. loquitur dę sacerdotibus primo modo, non secundo.

Ad quartũ. 27 Ad quartum non est par ratio de sacro baptismi, & pœnitentiæ, illud enim est simpliciter necessarium, potissimum infantibus, quibus nulla alia via patet ad salutẽ: at pœnitentia non est simpliciter necessaria, quia contritio sufficit in casu, quo sacerdotis copia non haberi possit.

Ad quintũ. 28 Ad quintũ non est par ratio de sacramẽto Confirmationis, & hoc sacramentum pœnitentię: nam sacramẽtum pœnitentiæ institutum hoc modo, vt fiat à solis sacerdotib. vt habet traditio Ecclesiæ ex fundamento verborũ Euangelij Ioan. 20. & Matth. 18. traditio etiam Ecclesiæ habet, vt confirmationis sacramentum etiam à non Episcopo ex dispensatione. s. à simplici sacerdote possit cõferri, vt suo loco diximus agendo de sacramento confirmationis; ideò non est par ratio. Multæ congruentiæ huius differentiæ assignari possunt quas omitto.

Ad sextum 29 Ad sextum respondetur nequaquam laicum absoluere posse à peccatis venialibus: quia etsi non sint materia necessaria sacramenti pœnitentiæ, sint tamen materia illius, & pertinent ad potestatem clauium, quam laici non habent. Ad Bedam dictum est, eum non loqui de confessione sacramentali, sed de accusatione generali defectuũ humanorum propter humilitatem, & vitationẽ superbię.

Quò ad secundum. s. iurisdictionẽ dicemus cap. sequẽti.

An quilibet sacerdos sit minister huius sacramenti, an solus ille, qui habet iurisdictionem. Opiniones aliorum. Caput Secundum.

30 STatutum est in cap. præcedenti cum communi sententia Theol. solum sacerdotem esse ministrum huius sacramenti pœnitentiæ. Verùm adhuc est grauis difficultas, an sacerdos ex vi ordinis sacerdotij solùm sit minister sufficiens, & omninò idoneus huius sacramenti, vel aliquid aliud requiratur. Et Scotus eadem dist. 17. §. Cui, dicebat requiri, vt sacerdos habeat iurisdictionem, quæ est communis sententia Theologorum, & est de fide, vt infrà videbimus. Modo est magna difficultas, quid sit ista iurisdictio: an sit auctoritas, & potestas ipsius ordinis, & in ordine collata, an aliqua alia potestas omninò, vel aliquo modo distincta ab ordine, & extra ordinem collata. Et ratio dubitationis est, quia sacerdos in susceptione ordinis suscipit claues regni Cœlorum iuxta promissionẽ Christi Ioan. 20. *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata*, &c. & Matth. 18. claues autem regni Cœlorum datæ Ecclesiæ, vt d. 19. cum Scoto, & alijs dicam, vbi hanc materiam de clauib. tractabo. Sunt duæ potestates, (potestas enim per clauem metaphoricè designatur) scilicet potestas sententiandi in foro conscientię de peccatis, & potestas cognoscendi de eisdem peccatis in foro conscientiæ: neque enim iudex potest iudicare rectè nisi cognita causa: sacerdotes autem in ordinatione sacerdotali constituuntur iudices peccatorum in hoc foro; ideò istæ duæ claues illis conferuntur; an verò alia sit clauis in foro exteriori, ibi videbimus. Hoc tamen fundamento vero existente est communis sententia Theol. & de fide, quòd sacerdos habita hac ordinatione, & potestate sacramentali non potest aliquem absoluere, vel sententiare, sed requiritur alia potestas. s. iurisdictionis, quam accipit, dum promouetur ad aliquod beneficium curatum, in quo ei subduntur oues, & fit pastor illarum; & hæc dicitur potestas iurisdictionis ordinaria; vel ab Episcopo datur ei potestas audiendi confessiones fidelium absque collatione beneficij parochialis: vt contingit regularib. & hæc potestas iurisdictionis ita requiritur, quòd si sacerdos non habens hanc auctoritatem attentet aliquem absoluere, non solùm malè facit, & peccat, sed nihil facit: quia sententia à non suo iudice lata nulla est: quod est certissimum, & infrà ex Conc. probatur: hæc autem duo videntur pugnare adinuicem. Nam si ad potestatem ordinis requiritur alia potestas, quæ est iurisdictionis; ergo potestas sententiandi in causa peccatorum recepta in ordine sacro nõ est vera potestas; si autem in ordine confertur perfecta potestas sententiandi, videtur, quòd potestas iurisdictionis nulla sit, & non sit necessaria. Quid sit iurisdictio.

31 Propter hanc dubitationem soluendam, sunt tres opiniones. Prima asserit primò potestatem iurisdictionis esse eandem, quæ est potestas ordinis, atq. in ipsa ordinis sacri collatione conferri sacerdoti, nec ab ipso separabilẽ esse. Secundò, quòd per ordinationem Ecclesiæ auctoritas ista est suspensa, & impedita, ne quilibet sacerdos possit quemlibet absoluere, nec de quolibet peccato, & hoc rationabiliter Ecclesiam fecisse, & potuisse facere: & ità secundùm hanc opinionem ad propositam dubitationem respondetur, quòd si quis sacerdos absoluat aliquem contra ordinationem, & suspensionem hanc factam ab Ecclesia, illa absolutio valet si pœnitens ignorauit ordinationem, & suspensionem istam factam ab Ecclesia; si tamen deinde innotescat illi, talis ordinatio Prima opinio, quę est Armachani.

tene-

tenetur illa peccata alteri iterum confiteri, & reiterare confeſſionem: quia ipſe pœnitens non debuit confiteri alicui contra ordinationem, & prohibitionem Eccleſiæ: & ſtante confeſſionem ſciat hanc ſuſpenſionem, & prohibitionem Eccleſiæ, & tamen confiteatur, & abſoluatur à ſacerdote huiuſmodi confeſſionem tenet, non quia ſacerdos non potuerit abſoluere verè eum, ſed quia confitens contra ordinationem Eccleſiæ ſacerdoti iſto, peccat mortaliter. Nullus autem poteſt abſolui ab vno peccato mortali, dum actualiter aliud mortale committit. Hæc ſententia eſt Armachani, quam Durandus refert in hunc modum in 4. diſtinct. decimanona, quæſt. ſecunda, quam dicit eſſe probabilem: ipſe tamen eam non ſequitur, ſed communem, quam infrà videbimus.

1. Ratio ꝑ 1. parte. 32 Hæc opinio quò ad primam partem probatur. Primò, quia ſi ſacerdos ex vi ordinis non poteſt abſoluere, hoc præſertim eſt propter fundamentum communis opinionis, ſcilicet quia eſt conſtitutus iudex per ſacramentum ordinis: at iudex non poteſt iudicare niſi ſubditum, at non quilibet ſacerdos ex hoc, quòd eſt ſacerdos, habet ſubditos; ergo non poteſt quilibet ſacerdos abſoluere.

33 At hoc fundamentum nihil eſt: quia ſacerdos à Chriſto Domino eſt inſtitutus quidem iudex, ſed eſt iudex arbiter de voluntate partium aſſumptus; ergo eſt in facultate pœnitentis eligere ſibi ſacerdotem, cui confiteatur, & tunc ei voluntariè fit ſubditus: & ſic ſacerdos poteſt in eum ſententiam dicere.

2. Ratio. 34 Secundò. Si non eſſet in poteſtate pœnitentis ſe ſubijcere ſacerdoti, vt ab eo abſolueretur, & hæc voluntaria ſubiectio non eſt ſufficiens ratio, ſacerdos poſſit habere ſubditum, & illum poſſit in hoc foro ſententiare, ſequeretur Papam non poſſe confiteri, neque poſſe habere confeſſorem, qui verè ipſum abſoluere poſſit. Conſequens eſt abſurdum; ergo conſequentia probatur, quia Papa nulli eſt ſubiectus, niſi quatenus voluntariè ei ſe ſubmittit: & confirmatur, quia Papa non poteſt ſe ſubijcere alicui inferiori in foro exteriori: quia non poteſt committere alicui, vt ipſum excommunicet; ergo neque in foro interiori: quia tàm ex iure diuino, quàm humano omnibus præeſt.

3. Ratio. 35 Tertiò. Si præter poteſtatem ordinis, ac in ordine ſuſcepto requireretur alia poteſtas in ſacerdote extrinſecus addita, ſcilicet iuriſdictionis, ſequeretur, quòd in articulo neceſſitatis, vt mortis, quilibet ſacerdos non poſſet abſoluere pœnitentem. Conſequens eſt falſum, vt conceditur communiter; ergo conſequentia probatur, quia nulla neceſſitas mutat miniſtrum à Deo inſtitutum; ergo ſi miniſter pœnitentiæ inſtitutus à Deo requireret vltra poteſtatem ordinis aliam poteſtatem, ſcilicet iuriſdictionis ſacerdos carens ea in articulo mortis, non eſſet verus, & proprius miniſter.

4. Ratio. 36 Quartò. Chriſtus Dñs per illa verba, *Accipite Spiritum ſanctum*, &c. contulit Apoſtolis poteſtatem ordinis, & iuriſdictionis in foro ſecreto conſcientiæ, ita quòd nulla alia externa poteſtate eguerunt. At hæc eadem verba dicuntur in perſona Chriſti in ordinatione cuiuſcunque ſacerdotis; ergo habent eandem efficaciam; ergo non requiritur alia exterior auctoritas, ſed in ordine tota auctoritas, & iuriſdictio neceſſaria confertur.

2. Pars eiuſ dē opinionis ꝓbatur 37 Quò ad ſecundam partem eadem opinio probatur, & quidem, quòd hæc auctoritas ſit ſuſpenſa, & impedita ab Eccleſia, videtur eſſe certum de facto: quia non vult aliquem ſacerdotem audire confeſſionem, niſi ſit admiſſus à Prælatis habentibus iuriſdictionem. Quòd verò Eccleſia rationabiliter hoc fecerit, ac potuerit facere, probatur: quia Eccleſia poteſt præcipere, quòd non quilibet ſuſcipiat quodlibet ſacramentum à quolibet, ſed à determinato miniſtro, vt patet de ſacramento Ordinis: quia non eſt licitum quemlibet ordinari à quolibet Epiſcopo. Similiter eſt dicendum de ſacramento pœnitentiæ: quia non quilibet ſacerdos eſt idoneus ad conſulendum in foro animæ; qui ergo tranſgreditur ſcienter hoc præceptum Eccleſiæ, peccat mortaliter: qui autem peccat mortaliter, dum peccat, non poteſt abſolui ab alijs peccatis: ideò eius, qui ſcienter confitetur alicui ſacerdoti contra hanc prohibitionem Eccleſiæ, non eſt valida confeſſio: quia actualiter tunc peccat: & propterea debet confeſſionem reiterare alij, cui non ſit contra prohibitionem Eccleſiæ, confiteri, vt non peccet, & ſit valida confeſſio.

38 Hæc opinio quò ad vtramque partem eſt omninò falſa, & contra definitiones ſacrorum Concil. præſertim Florentini in Decret. Eugenij Papæ, quod loquens de ſacramento pœnitentiæ ait, *Miniſter huius ſacramenti eſt ſacerdos, habens auctoritatem abſoluendi, vel ordinariam, vel ex commiſſione ſuperioris*. Vbi non dicit ſimplicem ſacerdotem eſſe miniſtrum huius ſacraméti, quod tamen dicere deberet, ſi ſacerdos ex vi ordinis haberet totam, & completam auctoritatem, quæ requiritur, vt dicebat allata opinio; ſed inquit, *Sacerdos habens auctoritatem abſoluendi, vel ordinariam, vel ex commiſſione ſuperioris*; Ergo ſacerdos ex ſola vi ordinis non habet integram poteſtatem abſoluendi, & ſic poteſtas iuriſdictionis eſt quid diuerſum à poteſtate ordinis. Clariùs autem hoc habetur ex Conc. Trident. ſeſſ. 14. cap. 7. vbi habentur hæc verba, *Perſuaſum ſemper in Eccleſia Dei fuit, & veriſſimum eſſe, ſynodus hæc confirmat nullius momenti abſolutionem eam eſſe debere, quam ſacerdos in eum profert; in quem ordinariam, aut ſubdelegatam non habet iuriſdictionem*. Quæ definitio apertè contraria eſt opinioni allatæ. Illa enim dicit abſolutionem datam à ſacerdote ſine iſta auctoritate accepta à ſuperiore eſſe validam, quantùm eſt ex parte abſoluentis, (& ſolùm eſſe inualidam ratione integritatis, quia pœnitens actualiter peccat,) & Concilium ait ex parte abſoluentis eſſe inualidam ſi careat auctoritate iuriſdictionis; ergo auctoritas iuriſdictionis eſt diuerſa ab auctoritate ordinis, & extra ordinationem confertur. Allata opinio reijcitur, primò auctoritate Conc. Florentini. Secũdò ex Conc. Tri.

3. Ratio. 39 Tertiò ratione: quia ſi de iure diuino eſſet, quòd ſacerdos ex vi ordinis haberet omnem poteſtatem neceſſariam ad abſoluendum aliquem à peccato, Eccleſia non poſſet hanc auctoritatem impedire, & ſacerdos abſolutè abſolueret ſi ſtante aliqua prohibitione Eccleſiæ attentaret, licèt peccaret abſoluendo propter tranſgreſſionem præcepti Eccleſiæ: at Eccleſia docet abſolutionem illam eſſe nullam: quia ſine iuriſdictione fit; ergo ex iure diuino poteſtas ordinis non eſt omnis poteſtas neceſſaria, ſed requiritur alia poteſtas ab illa diſtincta, quæ eſt poteſtas iuriſdictionis. Maior probatur in alijs ſacramentis: quia excommunicatus, & degradatus ſi attentet conficere Euchariſtiam, conficiat: quia character, & auctoritas ſacramenti eſt indelebilis, & illa poteſtas eſt à Deo. Minor eſt euidens ex Conc. Trid.

4. Ratio. 40 Quartò. Si vera eſſet illa opinio, non poſſent caſus, & peccata aliqua reſeruari ſuperiori. Conſequens eſt falſum, vt patet ex vſu Eccleſiæ; ergo conſequentia eſt euidens, quia ſi auctoritas ſacerdotis non penderet ab extrinſeco, ſcilicet à ſuperiori, ſuperior non poteſt illam quò ad aliqua peccata ſuſpendere, vel auferre, & ſic non poſſet obligari pœnitens ad recurrendum ad ſuperiorem pro abſolutione à reſeruatis.

Secũda ſententia vario modo expoſita. 41 Secunda ſententia aſſerit poteſtatem iuriſdictionis poſſe duobus modis conſiderari: vno modo inchoatiuè: alio modo completiuè; vel, vt alij dicunt: vno modo poteſt conſiderari in habitu: ſecundo modo in actu, ſeu in vſu: primo modo poteſtas iuriſdictionis confertur in ordinatione, nec diſtinguitur à poteſtate ordinis, neque ab illa eſt ſeparabilis, nec mutabilis per Eccleſiam: ſecundo modo eſt ſeparabilis, & diuerſa ab ordine ſacro, quia ab extrinſeca poteſtate completur, & perficitur: ideò poteſt variari, & transferri. Hanc ſniam ſequuntur Caiet. in opuſculis tomo 1. tract. 7. Nauar. in Summa c. 4. num. 4. Fab. de Confeſſione.

Caietanus. Nauarrus.

num. 4. & sequentibus, & in cap. *Placuit*, dist. sexta ferè per totam, & maximè in principio: hanc enim quæstionem ibi tractat, sed præsertim numer. 17. eam innuunt Paludanus in 4. dist. 17. quæst. 3. art. 3. casu 4. & Syluester, verbo *Confessor* 1. quæst. 2. quatenus dicunt, quòd in primitiua ecclesia quilibet sacerdos poterat quemlibet se sibi volentem subijcere absoluere. In eandem sententiam citantur, Maior in 4. dist. 19. quæst. 1. & multi alij. Quæ opinio sic in communi accepta videtur desumpta ex antiquis Scolasticis, qui dicunt communiter quòd potestas clauium potest considerari dupliciter, vel quantùm ad habitum, vel quantùm ad vsum. Quantùm ad habitum, est ipsa potestas ordinis, & in ordinatione confertur: & est inseparabilis ab ipso: quantùm verò ad vsum est separabilis, & diuersa. Hanc autem sententiam tradunt Alensis 4. p. quæst. 20. memb. 8. art. 2. in responsione ad argumenta ad oppositum, vbi ait requiri in sacerdote iurisdictionem tanquam vim motiuam ipsius clauis siuè manus, finè qua non est, qui clauem moueat, & D. Bonauentura dist. 19. art. 2. quæst. 2. idem habet, & quæst. 1. eiusdem art. dicit, quòd claues dantur sacerdotibus in ordine sacerdotali, & quoniam episcopatus non dicit nouum ordinem, ideò in eo non datur noua potestas, sed potestas habita ampliatur; ampliatur autem (inquit) potestas iurisdictionis ad corripiendum in cuius signum bacculus ei traditur pastoralis. Eũdem modum loquendi supponit Richardus dist. 19. art. 1. quæst. 1. & 2. & proinde malè citantur à Recentioribus isti auctores pro tertia sententia, de qua nunc infrà.

Maior. Alensis. D. Bonau. Richardus

Reijcitur.

42 Verùm quia hic modus dicendi sic in communi est obscurus, nec satis patet, an potestas iurisdictionis sit potestas diuersa à potestate ordinis, & adhuc non soluitur dilucidè difficultas in principio huius capitis proposita: diuersi diuerso modo hunc communem modum dicendi explicant. Caietanus ergo loco citato ait, quòd potestas iurisdictionis duobus modis accipi potest. Vno modo pro principio iudicij; sicut in naturalibus calor est principium calefaciendi. Alio modo potestas iurisdictionis potest accipi pro potestate subijciendi se sacerdoti, vt ab illo iudicetur, sicut contingit in iudicio arbitrorum iudicum, qui accipiunt iurisdictionis potestatem à partibus tantùm se illis subijcientibus. Ad propositum dicit, quòd sacerdos in ordinatione recipit omnem potestatẽ iurisdictionis primo modo, scilicet per modum principij; deficit verò ei iurisdictio secundo modo. Ideò cum quis vult illi se submittere, hæc potestas sufficit ad ministrandum validè hoc sacramentum, & licèt regulariter sacerdotes admissi à superioribus habeant ab illis iurisdictionem quoque, vt principium iudicij: tamen illa non est necessaria simpliciter, sed sufficit hæc potestas iurisdictionis secundo modo dicta. Adducit Caiet. pro se exemplum Pontificis summi, qui non sit superiorẽ nisi ex propria subiectione: & casum articuli mortis, in quo quilibet sacerdos non admissus potest absoluere: & quia quilibet sacerdos absque iurisdictione à superiori habita potest absoluere à peccatis venialibus: & hoc modo potest dici, quod potestas iurisdictionis inchoatiuè confertur in ordine sacro: cõpletiuè verò ab extrinseco, scilicet per concessionem hominum.

Opin. particularis Caietani.

Reijcitur à Nauarr. & ab alijs rationaliter.

43 Hæc opinio reijcitur à Nauarro in cap. *Placuit*, d. 6. suprà citato, & passim à Recentioribus, & reuera coincidit cum opinione præcedenti. Vndè rationes factæ cõtra illam, contra istam quoque valent, & presertim prima: nam auctoritas iurisdictionis, quæ requiritur ex decretis Conciliorum Florent. & Trid. præcipuè, est auctoritas à superioribus communicata: inquiunt enim requiri auctoritatem ordinariam, aut delegatam, & Conc. Florentinum inquit ex *commissione superioris*; ergo licèt subditus se posset subijcere sacerdoti: hæc tamen subiectio non est sufficiens ad hoc, vt sacerdos possit in illum ferre sententiam, sed prætereà requiritur, vt sacerdos habeat auctoritatem à superiore. Quod etiam habetur clarè ex Concilio Lateranens. Sub Innocentio III. cap. *Omnis vtriusque sexus*, de pœnitentia, & remissione, vbi dicitur alienũ sacerdotem non posse absoluere finè licentia proprij. Auctoritas ergo iurisdictionis, quæ requiritur, non est a pœnitente, sed à superiore pœnitentis.

44 Prætereà eius fundamentum est falsum, scilicet ex eo, quòd sacerdotes sunt iudices arbitri inter Deum, & hominem, eorum auctoritatem pendere ex arbitrio, & voluntate pœnitentis, & Dei, sicut contingit in iudice arbitro apud homines, qui recipit auctoritatem ex voluntate partium: nam non ea ratione sacerdos est iudex arbiter, quòd accipiat suam auctoritatem à pœnitente: quia est eius iudex necessarius, non arbitrarius, vt diximus loquendo de præcepto confessionis. Deus enim solus est, qui fecit sacerdotem iudicem arbitrum in hoc foro, sed dicitur iudex arbiter, quia in potestate, & arbitrio sacerdotis, lege diuina regulato, est iudicare in causa, & causis peccatorum inter Deum, & hominem, vt loco citato de præcepto confessionis diximus.

Opin. Nauarri.

45 Ideò alij, vt Nauarrus cap. *Placuit* dist. 6. per totam præsertim num. 40. hanc communem sententiam sic explicant. Duplex est potestas iurisdictionis, alia habitualis, alia actualis. Prima est potestas ordinis siuè recipitur in ordinatione sacramentali, & est inseparabilis ab ordine. Secunda est distincta ab ordine, & confertur sacerdoti cum eligitur, vel deputatur ad munus absoluendi. Subiungit tamen eodem cap. num. 27. quòd ante ecclesiæ ordinationem quilibet sacerdos habebat iurisdictionem in actu: non quia illam haberet à pœnitente, sed quia accipiebat iurisdictionem in susceptione ordinis sacri in habitu, & actu simul: hoc est nulla lege, & nullo superioris Imperio ab exercitio impeditam: nunc verò accipiunt eam impeditam, per cap. *Placuit*, & similia: & eodem cap. num. 48. ait Romanum Pontificem non posse iurisdictionem, vel potestatem absoluente à sacerdotibus tollere, sed posse subtrahere illis materiam, & quando eis dat iurisdictionem, non dare aliquam auctoritatem, sed solùm subdere eis materiam, in qua possit exercere suam potestatem. Hæc opinio quò ad secundam partem, quæ est opinio propria Nauarri, quòd ante ecclesiæ ordinationem quilibet sacerdos haberet iurisdictionis potestatem habitu, & actu ab eo, probatur in commentario eiusdem cap. *Placuit*, in principio, num. 1. & 2. hac ratione: quia in primitiua ecclesia, vsque ad Vrbanum Secundum erat in vsu omnes sacerdotes audire confessiones Christianorum, qui vellent sibi confiteri; & hoc fuit licitum, de iure diuino. Et potest confirmari illis duobus casibus adductis à Caietano, scilicet de Papa, de articulo mortis, & de venialibus, in quibus sacerdos omnis absque auctoritate aliqua ab alio accepta absoluit: & argumenta pro Armachano ad idẽ videntur valere.

Fundamentũ Nauarri quò ad secundã partem.

46 Hæc opinio Nauarri quò ad primam partem coincidit cum sequenti modo explicandi hanc opinionem, quem statim adducam, ideò quod dicemus de illo, de hoc quoque dicendum erit. Quantum verò ad hanc secundam partem reijcitur à Recentioribus longo sermone, & re vera mihi quoque non probatur: quia coincidere videtur cum opinione Armachani, ideò rationes contra illam opinionem valent quoque contra istam; sed breuiter hac ratione conuincitur falsitatis. Si de iure diuino in primitiua ecclesia iurisdictio nedum habitualis, sed etiam actualis, & vsus collata fuisset siuè intrinsecè siuè per concomitantiam necessariam sacerdoti in sua ordinatione, non potuisset ecclesia à sacerdotibus auferre actualem hanc iurisdictionem, seu vsum, quod tñ fecit. Consequẽtia est clara: quia ecclesia non põt super ius diuinũ, neque potest impedire effectus prouenientes à sacramentis, vt patet in degradato conficiẽte Eucharistiam: potest quidem prohibere, & suspendere ab actu, itaquod, si sacerdos contra illam ordinationem attentet, peccet; non tamen potest facere, vt nihil faciat. At in proposito ex Cõcilijs,

Reijcitur quò ad secundã partem.

cilijs adductis sine auctoritate prædicta, & contra prohibitionem ecclesiæ nihil facit; ergo.

47 Nec valet, si quis dicat hanc iurisdictionem actualem de iure diuino conferri in sacramento ordinis, sed hac lege, vt ab ecclesia possit pro opportunitate auferri, & conferri: nam ista responsio est voluntaria, & nullum habet fundamentum in scriptura: immò repugnat illis verbis, *Accipite Spiritum sanctum*, &c. datur enim illis auctoritas ista absque vlla limitatione, & conditione. Præterea si hæc esset admittenda in hoc loco, pariter aliquis posset dicere etiam potestatem consecrandi esse datam sacerdotibus in ordinatione dependenter à Papa: & sic posset Papa facere, vt sacerdos attentans consecrare nihil faceret, quod est omninò falsum. Et tandem hæc est regula certa, quòd ea, quæ sunt de iure diuino non possunt mutari ab ecclesia: immò neque etiam dispensari, nisi in aliquo casu, in quo etiam ex iure diuino notum est, posse dispensari.

48 Et quod dicebat Nauarrus ecclesiam non posse tollere iurisdictionem, sed posse subtrahere materiam, videtur implicare repugnantiam. Nam si ecclesia potest subtrahere materiam, hoc non videtur posse facere, nisi condendo legem, & præceptum, ne fideles confiteantur sacerdotibus quibusque, sed solùm à prælatis admissis: (neque enim subtractio per vim, vt e. g. si confessarius includatur in carcere, vel pœnitens, ne vnus possit alloqui alterũ, & ei confiteri, est ad propositum, quia si adhuc de facto confiteretur ei sua peccata, confessio valeret, neque vis impediret) at ecclesia non potest condere legem contra ius diuinum, & illud abrogare; ergo. Præterea subtrahere, & subrogare materiam sacerdoti est auferre, vel dare illi iurisdictionem. Nam *iurisdictio est iurisdictio in aliquẽ*. Cum ergo ecclesia aufert subditum à sacerdote aufert potentiam dicendi ius in illum; ergo aufert illi iurisdictionem, dum aufert subditum.

Ad fundamentũ Nauar. 49 Ad fundamentum de antiqua consuetudine primitiuæ ecclesiæ, respondet Suarez disp. illa 16. sect. 3. n.

Responsio Suarez. 22. falsum esse in primitiua ecclesia consuetudinem fuisse quòd sacerdotes absque vlla iurisdictione à superiore accepta quemlibet fidelem audirent, & absoluerent, quod probat: quia Calixtus Papa II. & Dionisius I. antiquiores fuerunt Vrbano. Si quidẽ Calixtus II. floruit anno circiter 220. & Dionisius I. circiter annum 250. Vrbanus verò II. rexit ecclesiam anno circiter 1100. at Calixtus, & Dionisius diuiserunt Parochias, ac vnicuique Parocho suam Plebem commiserunt, vt patet 9. q. 2. cap. 1. & 13. q. 1. c. 1. vt habet ipse Nauarrus eodẽ cap. *Placuit*, in principio.

Diuisio iurisdictionis Parochianũ neque isti Põtifices fuerũt primi, qui diuiserint Parochias & Episcopatus, sed supponunt, semper fuisse diuisas. At respondet Nauarrus, illa Decreta non fuisse recepta: ideò nullius fuisse valoris. Deinde subdit, quòd si illa diuisio valuit, valuit tantum, quantum ad illos Episcopatus, & Parochias, quas ipsi diuiserunt, non quò ad alias, quarum bona pars nondum à Christianis pro eo tempore colebatur.

50 Sed re vera hæc ratio Suarez non valet, quia si prędicti textus inspiciãtur cap. 1. 13. q. 1. apertè Dionisius Papa dicit se distinxisse, & diuisisse Parochias præsbiteris, ac singulis, & vnicuique ius suum statuisse. Vndè non colligitur ex eo loco de iure diuino in primitiua ecclesia Parochias, &c. fuisse distinctas. Neque hoc colligitur ex epistola decretali Fœlicis Papæ III. cap. 6. vt vult Suarez, quia in illa epistola solùm habetur distinctas esse Parochias, & Episcopatus: & neminem debere recipere pœnitentem alterius Diocesis, vel Parochiæ sine licentia proprij Episcopi, vel Parochi; sed quòd hæc institutio sit de iure diuino, vel humano nihil dicit. Floruit autem Felix III. anno Domini 484. vndè fuit post Dionisium I. Quod verò ait Suarez hoc colligi posse ex facto Apostolorum, qui Iacobum Episcopũ Ierosolimitanũ statuerũt, diceret Nauarrus illud ostendere distinctionem locorũ non subditorum: neque aliud colligi posse ex eo facto, quoniam non est necesse, quòd cum distinctione loci distinguantur subditi: quia in eadem Parochia possunt esse etiam nunc plures parochi, quorum quemlibet pœnitens eligere possit.

51 Melius est ergo dicere cum Scoto in hac dist. 17. Vera respõsio ex Scoto.
quæst. 1. art. 3. versiculo *Quantum autem ad cui*, &c. quòd in primitiua quidem ecclesia non erant distincti proprij sacerdotes. Quando enim Apostoli hinc, & inde ibant prędicando verbum Dei, non fuit iste sacerdos illius gentis, & ille illius; sed post sunt dioceses distinctæ, & Parochię, & sacerdotes in parochijs. Non tamen ex hoc sequitur, ꝙ auctoritas iurisdictionis tunc daretur in collatione ordinis sacri; vel quòd vnusquisque haberet ex se auctoritatem eligendi, quem vellet; sed sacerdos tunc dicebantur proprij, qui habebant iurisdictionem ordinariã, vel delegatam, Apostoli enim, quos ordinabant sacerdotes in primitiua ecclesia, etiam mittebant ad prædicandũ & dabant illis auctoritatem ministrandi sacramenta omnibus, qui ad fidem venirent, absque vlla distinctione subditorum, vel Episcopatuum, vel parochiarum; sed hęc distinctio postea facta est crescentibus fidelibus ad vitandam confusionem.

52 Tandem est tertius modus explicandi hanc opinionem, qui tribuitur Maiori in 4. dist. 17. quæst. 1. ad Tertius modus explicãdi prædictã opinionem
finem. D. Antonino 3. p. Titulo 17. cap. 4. Angelo verbo, *Confessor* 3. n. 4. & alijs, qui asserit potestatem iurisdictionis verè tradi in susceptione ordinis, inchoatã tamen, & incompletam, compleri verò per applicationem materiæ, & subditorum: quam tamen applicationẽ hæc opinio non dicit esse in potestate ipsius pœnitentis, neque in potestate ipsorum sacerdotum, itaut in potestate pœnitentis sit facere se subditum huic sacerdoti, & ab illo absolui, vel sacerdos possit ad libitum applicare sibi hunc, vel illũ subditum; sed inquit hanc applicationem fieri à summo Pontifice, & ab episcopis, vel alijs prælatis, quibus hęc potestas iurisdictionis commissa est à Christo Domino. Hic modus dicendi, & præcedentes optimè declarantur, per exemplum de iudicibus chartularijs apud Iuristas. Iudices enim chartularij, vt colligitur ex Durando, Nauarro, & alijs supracitatis locis, non erant iudices merè arbitri, sed ab Imperatoribus dessignabantur, & accipiebant potestatem, vt iudicare possent eos, qui vellent se illis subijcere: quamuis non possent eos ad iudicium cogere. Sicut ergo iudices chartularij habebant potestatẽ ab Imperatoribus, nec tamen ex illa sola habebãt subditos, ità dicunt sacerdotes in ordine sacro accipiunt potestatem absoluendi, tamen ex illa sola non recipiunt subditos. Differunt verò sacerdotes ab illis iudicibus in hoc, quod in iudicibus chartularijs applicatio materię, & subiectio subditorum erat commissa ab Imperatoribus voluntati iudicandorum: in sacerdotibus verò nostris non est commissa ista applicatio voluntati iudicandorũ, vt volebant Armachanus, Nauarrus, & alij; sed est commissa à Christo Domino Pontifici, & prælatis ecclesiæ. Et in hoc hic tertius modus dicendi differt ab Armachano, Nauarro, & alijs.

53 Hic modus dicendi quantùm ad rem coincidit cũ Hic modus quo ad modum loquẽdi reijcitur.
opinione communiori, quã cap. sequenti explicabimus. Solùm differt in modo loqnendi. Distinctio enim ista de iurisdictione inchoata, & completa non est in vsu communiter: neque distinctio iurisdictionis habitualis, & actualis: nec distinctio inter iurisdictionem, & applicationem materiæ; sed distinguitur duplex potestas in sacerdote, & ĩ ecclesia, potestas ordinis, & potestas iurisdictionis, quæ sunt duæ potestates omninò realiter distinctę, & diuersæ, vt nunc cap. sequenti dicam. Et potestas, quam isti appellant inchoatam, est potestas ordinis, quod verò vocant applicationem materiæ, est potestas iurisdictionis.

Opinio communior, quam Scotus sequitur, & solutio rationum pro alijs opinionibus. Caput Tertium.

Opinio D. Thomæ, & Scoti.

54 Est ergo tertia sententia, quæ est communior, quã D. Thomas tradit 2.2. quæst. 39. art. 3. & Scotus, (licet sit paulò obscurior) Explicat rectiùs, quàm alij in 4. dist. 19. quæst. 2. art. 3. & 4. & in responsione ad quartum principales, quos postea alij Recentiores sequuti sunt, vt Soto dist. 18. quæst. 4. art. 2. Turrecremata in Summa de ecclesia lib. 1. cap. 98. Suarez dist. 16. sect. 3. n. 7. qui citat alios, licèt aliquos malè. Qui dicunt duas esse potestates omninò distinctas, & realiter separabiles ab inuicẽ, quarum prima communiter dicitur potestas ordinis seu sacramentalis. Secunda dicitur potestas iurisdictionis. Prima sola datur in ordinatione sacramentali sacerdoti, non autem secunda: nec tota, nec in parte. Sed secunda extrinsecus datur à superiore, cum quis admittitur ad audiẽdum confessiones sacramentales, quod fit, vel cõferendo ei dignitatem aliquam in qua fiat Pastor aliquarum animarum, vt cum quis fit Episcopus, vel Parochus; & dicitur potestas iurisdictionis ordinaria; vel fit per simplicem collationem potestatis audiendi confessionem sacramentales, & absoluendi absque collatione dignitatis, quæ habeat subditos, & dicitur auctoritas iurisdictionis delegata.

Potestas ordinis, & iurisdictionis

1. Ratio pro hac opinione.

55 Hæc sententia comprobatur principaliter ex sacris Concilijs præsertim Florẽtino in decreto Eugenij, & Tridentino sess. 14. cap. 7. in quibus, vt suprà vidimus, expressè dicitur, quòd Minister huius sacramenti est sacerdos, non quilibet, sed habens potestatem ordinariam, vel à superiore commissam: & sacerdotem, qui non habet iurisdictionem ordinariam, vel delegatam in eum quem absoluit, nihil facere: ex hoc autem apertè sequitur Concilia supponere sacerdotem posse verè, & ritè esse ordinatum, & habere potestatem omnem, quæ ad ordinem sacrum requiritur: & tamen non habere potestatem absoluendi, quæ est potestas iurisdictionis; ergo sunt distinctè auctoritates.

2. Ratio.

56 Quod tandem ratione euidentissima patet: nam illa, quorum vnum potest esse sine altero absque illius corruptione, sunt diuersa omninò realiter; sed sic est, quod potestas ordinis potest esse sine potestate iurisdictionis: & potestas iurisdictionis potest esse sine potestate ordinis; ergo sunt potestates omninò distinctæ. Maior est euidens. Minor probatur ex dictis: quia potest aliquis nõ sacerdos eligi in Papam, tunc ille habet potestatem supremam iurisdictionis, & non habet potestatem ordinis: vndè non posset absoluere aliquem à peccatis sacramentaliter. Deinde sacerdos non admissus à superiore ad ministrandum sacramentum pœnitentiæ est verus sacerdos, tamen non potest absoluere aliquem à peccatis: quia caret hac potestate iurisdictionis; ergo sunt duæ potestates omninò distinctæ.

57 Sed agentes de clauibus d. 19. hanc veritatem magis explicabimus, & comprobabimus ex natiua earũ institutione.

58 Solùm nunc restat explicandum dubium principale propositum in principio cap. præcedentis quomodo hæc maneant simul, quòd sacerdos in susceptione ordinis sacri a Christo Domino cõstituatur iudex super corpus suum misticum, dando ei auctoritatem ligandi, & soluendi: & tamen si deinde attentet absque potestate recepta aliunde, scilicet à Prelato suo nihil faciat. Vidimus, q̃ alij respondẽt, quia nimirum sacerdos habet potestatem ordinis, non iurisdictionis: siuè quia non habet subditos, ideò opus est, vt à superiore aut potestatem iurisdictionis aut subditos recipiat. Hoc est benè dictum, sed tamen nõ benè rem declarat: quia, vt arguit Scotus dist. illa 19. q. 2. art. 4. in naturalibus potestas actiua, cui non possit correspondere passum nisi per aliquam aliam potentiam actiuam, non est verè potentia; ergo hic à simili, cum per clauem ordinis, nõ possit isti correspondere passum siuè materia in quam agat, nisi per aliam potentiam actiuam, scilicet per iurisdictionem, indicatur sequi, quòd clauis ordinis non sit vera potestas actiua absoluendi à peccatis.

Quomodo stẽt simul, quòd sacerdos in ordine accipiat potestatem absoluẽdi, & tamẽ sinè iurisdictione non possit absoluere.

Modus explicandi rẽ ex Scoto.

59 Scotus ergo illa q. 2. dist. 19. art. 4 rem hanc explicat pulchrè, & distinctè: nam, inquit, aliud est considerare claues in se, & aliud in ordine ad actum, in quem possunt exire: potest enim contingere, quòd aliquis habeat clauem, & tamen non possit exire in actum, & claudere, vel reserare: & potest contingere, quòd habeat clauem, & simul possit exire in actum, id est actu claudere, vel reserare. Quod à simili in potentijs actiuis naturalibus ostendit Scotus. Clauis enim in proposito nihil aliud significat, nisi potestatem aliquam actiuam, vt suprà diximus: ideò natura, & conditio istarum clauiũ optimè declaratur per comparationem ad potentias naturales actiuas. Inquit ergo Scotus ex Aristotile 9. Meth. cap. 4. tex. 10. duplex est potentia actiua: altera est potentia actiua propinqua: & altera remota. Potentia actiua propinqua est illa potentia, cui statim respondet potentia passiua, seu passiuum, in quod agere debet, & non est impedibilis: potentia, verò remota est illa, cui statim non respondet passiuum in, quòd agere debet; vel si respondet ab aliqua alia potentia impeditur ab actu ne possit agere in illud passum. Ad propositum in sacerdote duplex est potestas. Altera est super corpus Christi reale: & hæc est potestas conficiendi Eucharistiam. Altera est clauis, scilicet potestas sententiandi in causa peccatorum. Prima potestas est talis, quòd statim in natura ipsa habet materiam, & passiuum sibi correspõdens, in quod potest exire in actũ, nempe omnem panem triticeum, & est potestas non impedibilis: quia quandocunque aliquis attentat, per eam facere in materia determinata, & debita, facit. Potestas verò clauis non se habet sic: si enim hoc modo se haberet, scilicet quòd statim corresponderet sibi pro materia peccator pœnitens, & non posset per actum alicuius alterius impediri, nec fieri, quòd intendens, vti ea, nihil faceret: tunc clauis ista sacramentalis, siue potestas hæc iudicandi in causa peccatorum collata in ordine sacro esset potestas actiua propinqua: & tunc sequeretur, quòd sacerdos ex hoc, quòd esset ordinatus, posset quemcunque peccatorem sibi confitentem absoluere: non quidem, quòd posset licitè, sed quòd peccaret quidem mortaliter, si hoc attentaret contra prohibitionẽ superioris, faceret tamen, sicut quicunque sacerdos prohibitus, si attentat consecrare, consecrat.

60 Verũ, quia hæc duo supposita communiter nõ tenentur, scilicet quòd ex ordine statim habeat materiam, & passum sibi respondens, nimirum, subdictum; & quòd à superiori non possit impediri ne faciat si attentet absoluere, vt vidimus suprà: ideò hæc clauis, & potestas absoluendi non potest dici potestas propinqua. Erit ergo potestas remota propter has duas rationes, scilicet q̃a ex hoc, quòd est clauis, in aliquo non correspondet sibi passiuum aliquod, nisi aliunde fiat, sibi passiuum, scilicet ab alia potestate, quæ est iurisdictionis: & quia si in aliquo habet passiuum, in quod agere possit, per aliam potentiam actiuam potest impediri ab actu, ne agat omninò.

61 Ex his elicitur, q̃ sit natura, & quidditas potestatis sacramentalis absoluendi, quæ datur in illis verbis Christi, *Accipite Spiritum sanctum, &c. Quodcunque ligaueritis super terram,* &c. est enim vera potestas, & realis: & si statim, & ex se sola non possit exire in actum, quoniam potentia actiua remota, ex hoc, quòd est remota, non desinit esse potẽtia. Habet enim totum illud, quod pertinet ad se ipsam in suo genere, & nihil ei in suo genere deficit. Non potest autem exire in actum, quia prærequirit materiam dispositam suæ actioni, quæ dispositio fit per aliã potentiam actiuam, quæ est potestas iurisdictionis. Potest esse exemplum potentia auctiua in animali, quæ non potest conuertere alimentum in carnem, & corpus, nisi alimentum debitè disponatur, & præparetur per concoctionem;

ctionem;

ctionem; quæ diſpoſitio, & preparatio per concoctionem fit ab alia potentia actiua, ſcilicet à calore animalis. Sicut ergo potentia actiua augendi animal, etſi non ſtatim habeat paſſum ſibi reſpondens, ſed egeat alia virtute, & potentia actiua, qua paſſum ſuum ſibi preparetur, & proportionatur, non amittit rationem actiuæ virtutis, neque eſt diminuta, vel inchoata, ſed eſt completa, & perfecta in ſuo genere: ita clauis abſoluendi peccatorem, etſi egeat altera poteſtate preparãte ſibi ſuam materiam, & paſſum, non propter hoc non eſt poteſtas actiua verè, & propriè, & completè: & ſi nolumus dicere, quòd poteſtas iuriſdictionis ſit veluti poteſtas actiua inſeruiens, vt inſtrumentum poteſtati ordinis, vt potentia actiua caloris, potentiæ actiuæ Altiuæ, poſſumus dicere, quod eſt altera poteſtas actiua alterius generis partialiter concurrens cum poteſtate ſacramentali ad actum abſolutionis. Vndè vna ſinè altera nõ poteſt exire in actum abſolutionis; neque enim ſacerdos ex ſola poteſtate ordinis validè abſoluere poteſt; neque habens ſolam auctoritatem iuriſdictionis, poteſt validè abſoluere in foro pœnitentiali ſacramentali. Ex quo ſequitur iuriſdictionem requiri in omni confeſſione tam de præcepto facta, quàm voluntaria: quia ſine iuriſdictione nihil fit.

Duæ obiectiões, quas Scotus iſolutas reliqt ſoluũtur.

62 Et per hoc ſoluuntur duæ obiectiones allatę à Scoto, & relictæ inſolutæ, ſcilicet quomodo hæc via communis ſaluet iſtã propoſitionem, Omni potentiæ actiuæ correſpondet paſſiua. Videtur enim ſtante doctrina allata hanc non poſſe ſaluari, quoniam ſi in natura eſſet aliqua potentia actiua cui non poſſet correſpondere paſſiuum, niſi per aliquam aliam potentiam actiuam, illa prima potentia actiua non eſſet potentia actiua. Hoc modo euenit in propoſito, quia potentiæ actiuæ ſacramentali non correſpondet, nec correſpondere poteſt paſſiuũ niſi mediante potentia actiua iuriſdictionis; ergo videtur quòd clauis non ſit potentia actiua; & confirmatur, quia ſi poteſtas conſecrandi panem in Euchariſtia requireret, quòd conſecrans eſſet Dominus panis illius, iam poteſtas ſacerdotalis non eſſet poteſtas conficiendi; ergo in propoſito cum requiratur ad clauem, quòd ſit ſuperior, & Dominus pœnitentis, non videtur clauis eſſe potentia actiua. Reſpondetur enim, quòd poteſtas clauis eſt poteſtas vera, ſed poteſtas remota, non quidem, quia quatenus, *remota*, dicat aliquã imperfectionem, & defectum in poteſtate clauis: quia, vt dixi, illa eſt perfectiſſima, & cõplectiſſima in ſuo genere; ſed eſt potentia remota in ordine ad actum, quatenus requirit ſecum aliam poteſtatem actiuam ad ponẽdum illum in eſſe.

63 Quòd autem Scotus fuerit huius opinionis, ſcilicet quòd poteſtas ordinis, & iuriſdictionis ſint duę poteſtates diſtinctæ, & ſi ipſe ſit ſubſcurus, patet ex hoc, quòd, vt ſuprà vidimus, dixit poteſtatem ordinis eſſe poteſtatem remotam, & requiri aliam poteſtatem, à qua ſibi ſubdatur materia, vt ſiat potentia proxima. Et in reſponſione ad quartum principale dicit eſſe duas opiniones in hac materia, quarum altera aſſerit quòd poteſtas ordinis ſiue clauis, eſt de ſe tantùm potentia remota, & ad hoc, vt ſibi reſpondeat materia, requiritur in ea alia poteſtas actiua, ſcilicet iuriſdictio. Ecce quòd ponit eas eſſe duas diſtinctas poteſtates. Subiungit deinde, eſſe aliam opinionem aſſerentem, quòd clauis eſt poteſtas propinqua, & includit iuriſdictionem priuatam, & adducit rationem pro ea, qua videtur ipſam approbare, quæ eſt hæc: quia *iuriſdictio* nihil aliud eſt, quàm *auctoritas dictandi ius. Auctoritas autem dictandi ius* nihil aliud eſt, *quàm auctoritas iudicandi, & ſententiandi*. Clauis autem nihil aliud eſt, quàm auctoritas iudicandi, & ſententiandi in foro cõſcientiæ. Hac ſecunda opinione videtur alludere ad opinionem Alẽſis, D. Bonau. & aliorum, qui dicebant iuriſdictionis poteſtatem eſſe in claue ordinis quò ad habitum, non autem quò ad vſum, & hac ratione dicit ſecundùm hanc opinionem clauem includere iuriſdictionem *priuatam*, quia includit illam *ſine vſu*. Quæ opinio declarata eo modo, quo tertiũ modum dicendi ſecundæ opinionis expoſuimus cap. precedenti, quò ad rem eſt vera, & coincidit cum communi, tamen Scotus eam ſuprà abſolutè reiecit, dum dixit, & oſtendit clauem, non eſſe potentiam propinquam, ſed remotam, & fieri in potentia proxima per aliam potentiam actiuam, quæ eſt poteſtas iuriſdictionis.

Cur poteſtas cõficiẽdi eſt proxima, clauis verò ſit remota.

64 Sd hic ſcitu dignum eſt, cur poteſtas conſecrandi in ſacerdote eſt poteſtas proxima, nec dependet ab aliqua alia potentia, clauis autem ſiue poteſtas ſententiandi peccatorẽ eſt poteſtas remota, & pendet ab alia poteſtate. Reſpondit Scotus vbi ſuprà a. 4. fortè hanc eſſe rationẽ: quia à principio nulli neque ordinationi Eccleſiæ nocuit, quòd quicunque ſacerdos quamcunque materiam conſecraret; nocuiſſet autem ſi per collationem clauium in ordine ſacro quilibet ſacerdos fuiſſet iudex cuiuſcunque pœnitentis, & potuiſſet, quantumcunque prohibitus, exequi actum clauis: quia in hoc iſte facere poſſet preiudicium alteri, cuius iſte eſt ſubditus. Hęc Scotus. Vbi tangit veram, & fundamentalem rationem huius diſt. nam iudicare, & ſententiare requirit in iudicante dominium, & poteſtatem ſuper iudicatum, & ſententiatum. Prima autem, & ſuprema poteſtas, & dominium in Eccleſia data eſt Petro, cum illi dixit Chriſtus Dominus. *Paſce oues meas*, Ioan. 21. vbi Petro commiſſum eſt regimen totius Eccleſiæ, & à Petro in omnes alios prælatos, & iudices Eccleſiaſticos deſcendit: ideo ad Petrum, & eius ſucceſſores pertinet diſtribuere munera, & curas animarum Chriſti, & prouidere illis de paſtoribus particularibus, cuius auctoritati, & poteſtati ſint ſubiectæ, & ab illo habeant dirigi in vtroque foro. Ideo hæc poteſtas ab vno principio, & fonte dimanare debebat, non à pluribus ne fieret confuſſio; ſi autem in ordine ſacro iure diuino vnuſquiſque fieret paſtor, & ſuperior abſoluendi proculdubio eſſet magna confuſio: quia entia (vt dicebat Ariſtoteles) nolunt malè diſponi: vnus ergo Princeps ita in poteſtatibus iudicatiuis ſpiritualibus debet eſſe vnum primum principium, & vnus primus fons, à quo omnes proueniant, & in quem omnes reſoluantur. Si autem vnuſquiſque ſacerdos in ordine reciperet potentiam proximam, & independentem ab alia poteſtate abſoluendi, tot eſſent prima principia independentia iudicandi, quot ſacerdotes. De qua re fuſius agemus, cum tractabimus de clauibus Eccleſiæ diſt. 19.

Ad primã rõnem pro Armachano.

65 Nunc remanet, vt ſoluemus rationes pro alijs opinionibus, quatenus contra noſtram ſententiã procedunt. Ad primam ergo rationem pro Armachano reſpondetur, quòd ſacerdos dicitur quidem iudex arbiter, vt diximus in materia de præcepto confeſſionis: at non dicitur iudex arbiter, quia ſit in poteſtate pœnitentis pro libito eligere ſibi ſacerdotem, qui abſoluat eum, & ab eo recipiat auctoritatem iuriſdictionis, vt ſit in iudice arbitro electo ab hominibus, quia nullus ſacerdos poteſt eum abſoluere niſi ille, cui commiſſum eſt à Sũmo Põtifice Vicario Chriſti immediatè, vel mediatè; ſed dicitur iudex arbiter, quia à Deo conſtitutus eſt iudex, vt pro arbitrio ſuo regulato recta ratione iudicet cauſas inter Deum, & homines, & quòd ipſe iudicabit, & ſententiabit claue non errante erit ratificatum apud Deum ipſum.

Ad ſecũdã rationem.

66 Ad ſecundam negatur conſequentia, ad prohibitionem reſpondetur quod non eſt neceſſe, vt Papa confitendo alicui ſacerdoti ſe ſubijciat illius iuriſdictioni, quia cum iure diuino ſit conſtitutus Paſtor ſupremus Eccleſiæ, per illud Ioan. 21. *Paſce oues meas*, ipſe ſolus eximitur ab hac lege, vt ſit ouis alicuius alterius: neque ipſe poteſt renuntiare huic iuri manendo in ſummo Pontificatu. Quãtum ergo ad ſummum Pontificem non requiritur iuriſdictio in ſacerdote: quia hoc eſt paſſum, in quod immediatè poteſt agere abſque auctoritate, ſeu iuriſdictione aliũde accepta, qua poſſit proximè, & actu agere in hoc paſſum. Poteſt autem ſimplex ſacerdos abſoluere ſummum Pontificem à peccatis per poteſtatem ordinis, quia clauis ordinis, & poteſtas ſacramentalis ſe exſtendit ad omnia peccata, & ad omnem perſonam nulla excepta, quia verba

ba illa, *Accipite Spiritum sanctum*, &c. dicta sunt omnib. Apostolis, in quibus nulla fit exceptio de peccatis, vel de personis. Verba verò illa, in quibus datur auctoritas iurisdictionis Ecclesiæ, dictæ sunt soli Petro, *Pasce oues meas*. Ideò omnes Christiani continentur sub hac lege, vt omnes sint oues, & ille solus eximitur, quia est pastor omniũ. Hæc autem lex impediebat clauem ordinis ne posset exequi actum suum in aliquem sine commissione pastoris, q̃ in ipso supremo Pastore cessat. Ideò non est par ratio de summo Pontifice, & alijs. Et hæc videtur esse respõsio Durandi in 4.d.19.q.2.ad 2. pro opinione Armachani, quæ mihi maximè probabilis videtur.

Responsio communis

67 Vel possumus dicere cum communi opin. Theol. in hoc 4.d.19.D.Bonau.a.3.q.2.§.2. D.Thom. d.19.q.1. ar.3.q.2.Alensi 4.p.q.21.m.3.a.2.§.2.Soto, & alijs multis, quòd superior potest se subijcere inferiori, & transferre potestatem illi in seipsum: & sic Papa potest se subijcere cuilibet sacerdoti, & ab illo petere absolutionem, quia est liber, & de facto se subijcit sacerdoti cui confitetur, nõ sic de alijs, quia sunt subiecti alijs; possunt etiam idem facere alij Prælati superiores; sed de licentia Papæ, cui sunt subiecti, vt ibidem tradit D.Bon. & est communis opinio fundata in cap. vltimo, de pœnit. & remiss. de qua infrà agendo de eo, qui habet auctoritatem eligendi confessorem. Ad confirmationem dicitur, quòd non est par ratio de foro exteriori, quia conditio clauis fori exterioris est, vt effectum suum inducat in inuitum: at Papa non potest inuitus aliquid pati: quia est supremus Dominus: at clauis ordinis ponit effectum suum inuoluntarium tantùm, nihil autem impedit quin Papa voluntariè aliquid pati possit: ideò voluntariè se potest subijcere sacerdoti, & ab illo iudicari, & puniri.

Ad tertium respõdetur

68 Ad tertium respondetur, quòd non mutatur minister in illo casu, quia in illo quoque est iurisdictionis potestas; à quo aut in illo casu habeat eam sacerdos, est duplex modus dicendi. Primus, quòd in illo casu quilibet sacerdos habet iurisdictionem ab Ecclesia; si tamen summus Pontifex hanc iurisdictionem nollet dare, in illo casu, adhuc quilibet sacerdos posset absoluere, quia potestas illa suprema data est Petro, & successoribus in ædificationem, non in destructionem: tunc autem si prohiberet, in tali casu esset in destructionem, quia in tali casu multi damnarẽtur, qui possent saluari. Hæc est responsio Durandi vbi suprà ad quartum, in quam sententiam descenderunt multi alij, vt Capreolus, Paludanus, & alij nonnulli, qui dicunt iurisdictionem in tali casu esse à Christo immediatè, non ab Ecclesia. Alia responsio est, hanc facultatem habere ex iure positiuo, & concessione summorum Pontificum, quia Christus hanc auctoritatem tradidit quidem Ecclesię, sed ita, vt per Vicarium suum ad alios perueniret, & sic Ecclesia semper hanc iurisdictionem in talibus casibus quibuscunque sacerdotibus, non solũ catholicis, vt multi volunt, sed etiam hæreticis, & omninò præcisis commisit, vt patet ex Concil. Triden. sess. 14. cap. septimo, vbi hẽt hæc verba. *Omnes sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibusuis peccatis, & censuris absoluere possunt* sine exceptione, vbi cum dicit *omnes sacerdotes* neminem excludit quacunque censura, siue illa exceptione ligatus: sicut cum dicit *quoslibet pœnitentes à quibũsuis peccatis*, intelligit de quocunque pœnitente quauis censura ligato, & de quocũque peccato quacunque censura affecto, vt ponderauit optimè Suarez disput. 16. sect. 4. num. 7. quę opinio est communior D.Bon. d.19.a.3.q.1.Alensis 4.p.q.21.m.3.ar.2. D. Thomæ in 4. d.19.q.1.a.3.& aliquorũ aliorũ ex recentiorib. neq. Papa vnquam eam auferret; quia esset error intollerabilis, quẽ Deus non permitteret, de qua re suo loco infrà. Hic autẽ notandum est idem esse articulum mortis, & periculum mortis, licèt Soto in 4.d.18.q.4.ar.4.& quidam alij distinguant articulum mortis, à periculo mortis, dicentes articulum mortis esse, cum mors proximè instat, & est ferè ineuitabilis; periculum verò quando est probabile in tali casu mortem accidere. Vndè deducunt auctoritatem absoluẽ-

Quid sit articul⁹ mortis.

di ab omnibus concedi solùm in articulo mortis, non in periculo. Nam hæc sententia iurè reijcitur à Nauarro in Sum. cap. 26. num. 31. & cap. 2. num. 9. Suarez disput. 26. sect. 4. qui alios citat: & probatur euidenter ex hoc, quòd sacri Canones pro eodem accipiunt articulum mortis, & periculum mortis: nam cap. *Siquis suadente*, &c. 17.q.4. reseruans Papa sibi absolutionem ab excommunicatione contracta per percussionem clerici, dicit, quòd nemo absoluere præsumat, nisi *mortis vrgente periculo*, & cap. *Non dubium*, de sent. excommunic. loquens de reseruatione eiusdem excommunicationis inquit, Papa, neminem absoluere posse *nisi in articulo mortis*; ergo pro eodem accipiunt illi Canones *periculum* mortis, & *articulum* mortis.

69 Ad quartum non conuenit inter Doctores à quo Apostoli habuerint potestatem iurisdictionis, an à Christo Domino, an ab Ecclesia; de qua re agendo de clauib. tractabo. Pro nunc sufficiat, quòd si à Christo Domino acceperunt, vt probabilior opinio sustinet, hoc fuit priuilegium particulare illis concessum duraturum tantùm in vita eorum, ratione dignitatis Apostolatus, non autem peruenturum in successorib. immediatè, sed solùm per ministerium Ecclesiæ, ne Ecclesiæ ordo confunderetur: quæ confusio in ipsis Apostolis confirmatis in gratia à Christo Domino non poterat accidere. Quòd verò dicitur Apostolos recepisse hanc auctoritatem iurisdictionis in illis verbis, *Accipite Spiritum sanctum*, &c. ergo & sacerdotes nunc, quia constituuntur iudices in hoc foro, respondetur in illis verbis, *Accipite Spiritum sanctum, &c.* Christum Dominum dedisse eis solùm auctoritatem ordinis, quæ est remota, est tantùm iudiciaria, non autem iurisdictionis, sed illam dedisse, vel illis verbis eodem cap. 20. *Sicut misit me Pater, ego mitto vos*; vel si dedit hanc potestatem quoque Apostolis in illis verbis, fuit ex speciali intentione: & quia ipsi erant Apostoli, & nondum instituerat Petrum caput Apostolorum, neque ei dederat auctoritatem supremam iurisdictionis, quę post Apostolos in omnes alios postea ab ipso Petro emanare debebat: de qua re in materia de clauibus.

Ad quartũ. A quo Apostoli habuerint auctoritatem iurisdictionis.

70 Quæ adducuntur pro secunda parte illius opinionis reiecta sunt confutando illam opinionem: ideò non sunt repetenda.

Ad ea, q̃ a 2. parte illius opi. erãt adducta

Ex his patet solutio ad fundamenta Caietani. Et quidem ad duo exempla de summo Pontifice, & articulo mortis iam dictum est.

Ad fundañ Caiet.

71 Ad illud verò de peccatis venialibus respondetur cum Nauarro in cap. *Placuit*, de pœnit. d. 6. num. 22. nullum textum me vidisse, quo probetur eum, qui sola peccata venialia habet, posse, cui voluerit, confiteri. Multi tamẽ affirmant hoc esse verissimum ex consuetudine Ecclesiæ. & Suarez disp. 26. sect. 5. dicit antiquos Doctores supponere hanc consuetudinem Ecclesiæ, quòd quilibet sacerdos ab eis absoluere possit. Quod probat Suarez, quia cap. *Omnis vtriusque sexus*, &c. in quo est præceptum de annua confessione, ab omnibus intelligitur de peccatis mortalibus, & communiter Doctores cum dicunt, *Confessionẽ cadere sub pręcepto*, intelligũt *confessionem de peccatis mortalibus, non de venialibus*, quia hæc non sunt materia necessaria confessionis, & huius sententiæ est Scotus præsertim dist. 17. q. 1. ar. 3.

An habens peccata venialia tm̃. possit cuilibet sacerdoti confiteri

72 Verùm ego non video, quomodo ex hac cõmuni sententia, *Quòd pręceptum confessionis obliget solùm ad confitendum peccata mortalia*, deducatur, quòd sacerdos quilibet possit absoluere à peccatis venialibus, quia præceptũ confessionis est de illis peccatis, quæ separant à claritate, & inducunt ad damnationem æternam, cuiusmodi sunt mortalia: de venialibus verò cum maneant cum charitate, neque vllus propter illa damnetur, ideò de illis nullum datur præceptum.

73 Tamen cum sacerdotes per ordinem sacramentalem instituti sint iudices, vt suprà diximus, præsertim ex Conc. Trid. & ad exercendum iudicium validè, necessaria sit iurisdictionis potestas, proculdubio sequitur sacer-

dotem

dotem ſimplicem non poſſe abſoluere niſi eos, in quos habet iuriſdictionem, tam de peccatis grauibus, quàm de leuibus. Vndè videmus nullum iudicem poſſe condemnare ſubditum alterius iudicis, neque ad minimam pœnam, nec de minima re. Licèt ergo peccata venialia ſint leuia, tamen, quia cum dimittuntur à ſacerdote per abſolutionē, dimittuntur per modum iudicij, non videtur ſacerdos ſine iuriſdictione poſſe ab illis abſoluere. Nec valet ratio Soto in 4. d. 18. q. 4. art. 2. ad 3. quòd vbi nulla eſt poteſtas cogendi, ibi nulla eſt iuriſdictio: nemo autem poteſt cogere aliquem ad confitendum peccata venialia; ergo ad illa non requiritur iuriſdictio. Contrà enim arguitur ſic. Iuriſdictio nō ſolum requiritur propter coactionem, ſed propter validitatem actionis: iuriſdictio in ſacerdote non requiritur ad cogendum pœnitentem confiteri, ſed illa coactio eſt à legiſlatore Chriſto Domino inſtituente præceptum confeſſionis, ſed requiritur ad hoc, vt confeſſio, & abſolutio validè fiat: ideo licèt non teneatur ad confitendum venialia peccata, tamen ſi velit illa confiteri, abſolutio illorum à ſacerdote, non poteſt eſſe valida, ſi deſit iuriſdictio. Præterea poteſt eodem modo cogere quò ad venialia, quomodo poteſt quò ad mortalia, ſcilicet obligando ad ſatisfactionem ſaltem ſub pœna peccati venialis, & poteſt ligare, non abſoluendo ſi non videat ipſum diſpoſitum.

Ad fundamentū aduerſariorū.

74 Vndè, quod dicunt Suarez diſp. illa 26. ſect. 5. per conſuetudinem Eccleſiæ, poſſe quemcunque ſacerdotem à peccatis venialibus abſoluere, cum ſtatim eſt ſacerdos, & quòd hæc ſententia communiter ſupponitur vera à Doctoribus antiquis, eſt mihi valdè dubiū. In primis his temporibus neminem ſacerdotem videmus audire ſacramentaliter confeſſiones, niſi habeat auctoritatem iuriſdictionis ordinariam, vel delegatam ſpecialiter; & hanc fuiſſe antiquam conſuetudinem colligitur ex Concil. Trident. ſeſſ. 14. cap. 7. vbi inquit. *In eadem Eccleſia Dei cuſtoditum ſemper fuit, vt nulla ſit reſeruatio in articulo mortis*. Et in principio illius cap. *Perſuaſum ſemper in Eccleſia Dei fuit, & veriſſimum eſſe Synodus hæc confirmat nullius momenti abſolutionem eſſe debere, quam ſacerdos in eam profert, in quem ordinariam, aut ſubdelegatam non habet iuriſdictionem*. Ex quibus colligitur morem Eccleſiæ ſemper fuiſſe miniſtris huius ſacramenti explicitè, dare auctoritatem ordinariam, vel delegatam; ſi quidem fuit ſemper conſuetudo delegandi auctoritatem aliquorum caſuum, & aliquorum non.

75 Præterea, qui dicunt fuiſſe ſemper conſuetudinem in Eccleſia, quòd quilibet ſacerdos poſſit abſoluere peccata venialia, ſunt illi Doctores præſertim, qui dicunt hoc licere ſacerdotibus: quia ad dimittenda hæc peccata non requiritur iuriſdictio, vt Soto loco ſuprà nunc citato; vel qui dicunt iuriſdictionem, quò ad hæc, ſacerdotem accipere à pœnitente, vt Caietanus loco ſuperiori cap. notato; vel à Deo immediatè per deſignationem perſonæ ſacerdotis, vt ait Nauarrus vbi ſuprà. Vel dicunt hanc iuriſdictionem immediatè, de venialibus datam eſſe ſacerdotibus in ordine ſacro, vt Capreolus, & alij ſuprà citati. Omnes autem iſtæ opiniones ſuperiùs reiectæ ſunt oſtendendo, quòd auctoritas ordinis, & iuriſdictionis ſunt diſtinctæ; & quòd ambæ de iure diuino requiruntur ad integrandam perfectam poteſtatem, proximam ſacerdotis abſoluendi à peccatis. Dicere autem, vt dicit vltima opinio, & Soto quod Chriſtus Dominus in illis verbis, *Accipite Spiritum Sanctum*, &c. dederit abſolutam facultatem ſacerdotibus abſoluendi à venialibus, non à mortalibus, eſt omninò vanum: quia ibi inſtituit ſacramentum in remedium contra peccata indiſtinctè; & propterea ratio nō expoſtulat, vt ibi conſtituat ſacerdotes paſtores, & iudices animarum cum plena poteſtate in cauſis leuioribus, quæ ſunt peccata venialia, in cauſis grauioribus verò, vt ſunt mortalia cum auctoritate diminuta.

76 Quod etiam dicit Suarez hanc iuriſdictionem abſoluendi à peccatis venialibus, eſſe omnibus ſacerdotibus datam ab Eccleſia, non autem eſſe ordinariam, vt patet, ſed eſſe delegatam, mihi videtur eſſe ſinè fundamento, & voluntaria. Nam oporteret adducere aliquem textum, vel auctoritatem alicuius viri grauis antiqui, qui atteſtaretur hanc auctoritatem, & iuriſdictionem eſſe collatam ſacerdotibus ſimplicibus ab Eccleſia. Ego, vt inquit Nauarrus, nullibi lego, nec ipſi legerunt, nec video nunc in vſu eſſe hanc conſuetudinem, vt ſacerdos non admiſſus ab ordinariò abſoluat etiam à venialibus. Immò puto, ſaluo ſemper meliori iudicio, quòd ſi quis hoc attentaret, nihil faceret, & peccaret ſaltem venialiter: quia committeret ſacrilegium in re tamen leui: quia mitteret manum in meſſem alienam, cum non appareat, an habeat hanc iuriſdictionem.

Ad rationem pro Nauarro reſponſum eſt ſuperiori capite reijciendo eius opinionem.

Quis ſit proprius ſacerdos ſecundum ordinariam poteſtatem. Caput Quartum.

77 Concluſum eſt in tribus præcedentibus capitibus, miniſtrum huius ſacramenti debere habere duplicem auctoritatem, ſcilicet *ordinis*, propter carentiam, cuius laicus non poteſt hoc ſacramentum miniſtrare, & auctoritatem *iuriſdictionis*, propter carentiam cuius ſimplex ſacerdos non poteſt hoc ſacramentum miniſtrare, & hoc de iure diuino. Oportet vlteriùs videre, An quilibet ſacerdos habens auctoritatem iuriſdictionis poſſit quemlibet pœnitentem abſoluere, & ſententiare, An diſtincti ſint ſacerdotes, &, An vnuſquiſque pœnitens habeat proprium confeſſorem, cui & non alij teneatur confiteri; & ſic eſt videndum, quis ſit proprius ſacerdos vniuſcuiuſque.

78 Pro cuius intelligentia notandum eſt, quod vt diximus cap. 2. huius diſp. conſiderando opinionem Nauarri, proprius ſacerdos ex iure diuino, & in primitiua Eccleſia, antequam numerus fidelium creſceret, erat ille, qui habebat iuriſdictionem miniſtrandi hoc ſacramētum, quæ tunc non dabatur limitata ad hāc, vel ad illam perſonam, ſed ſuper omnes Chriſti fideles: deindè verò per Eccleſiā Epiſcopatus, & parochiæ diſtinctæ ſunt, præſertim à Dioniſio Primo Papa, Calixto Secundo, & ſimilibus. Et ſic iuriſdictionis poteſtas cæpit limitatè concedi, ſcilicet ſuper has perſonas talis loci, & non ſuper illas, vt tolleretur confuſio; quo fit, quòd etſi dignitas Epiſcopalis ſit inſtituta à Chriſto Domino immediatè, vt ſuo loco agendo de ordine ſacro dicemus, ſicut inſtitutum eſt quo que ſacerdotiū, & ordo ſacer; non tamen ei immediatè eſt coniuncta auctoritas iuriſdictionis; ſicut etiam Chriſtus inſtituit ſacerdotium, & dedit illi auctoritatem ordinis; non autem iuriſdictionis: quod patet, quia quandoque aliquis Epiſcopus conſecratus eſt; & tamen nullam habet iuriſdictionē ſuper aliquem, vt contingit in illo, qui renuntiauit auctoritate Papæ, vel eſt depoſitus ab Epiſcopatu, & ſimilibus. Epiſcopus omnis ergo habet iuriſdictionem à Summo Pōtifice. Verum eſt quidem Dominum ordinaſſe Petro, & ſucceſſoribus, vt Epiſcopos aſſumerent ſecum ad gubernationem Eccleſiæ, & in partem ſollicitudinis, & conſequenter ordinauit, vt Epiſcopatui ordinariè iuncta eſſet auctoritas iuriſdictionis, ab Epiſcopis poſteà deſcendit iuriſdictio in Parochos ordinariè, quia, & illi aſſumuntur ab Epiſcopis in adiutorium ad gubernandum Eccleſiam, de qua re agemus cum tractabimus de clauibus: ab Epiſcopo, & his poſtea communicatur auctoritas alijs ſacerdotibus, qui ipſos in cura propria animarum adiuuent.

Duplex eſt iuriſdictio ordinaria, & delegata

79 Vndè in vniuerſum ſecundùm omnes Theol. duplex eſt auctoritas, & iuriſdictio in Eccleſia, altera eſt ordinaria, & altera eſt delegata. Ordinaria eſt poteſtas, quā aliquis habet ex vi proprij officij, & muneris, & eā poteſt alijs communicare. Delegata eſt illa, quam habet aliquis non ex proprio officio, ſed ex commiſſione illius, qui eam habet ex proprio munere, & officio. Vndè in Eccleſia ſunt tres ordines miniſtrorum habentium hanc poteſtatem.

iuriſdi-

Tres ordines habentiũ ordinariam iurisdictionẽ.

iurisdictionis ordinariam. In primo est Summus Pontifex, qui eminentissimo modo, & super omnes habet hãc iurisdictionem, ipse enim habet illam à Christo Domino immediatè in persona Petri Ioan. 21. *Pasce oues meas.* In illis enim verbis cõcessit hanc supremam iurisdictionem Petro, & successoribus eius, qui canonicè eligerentur. Vndè licèt ab hominibus eligatur, non tamen ab illis habet hanc potestatem, sed à Deo; homines solùm dessignant personã, sed postea immediatè à Christo Domino habet hanc supremam auctoritatem, à quo communicatur postea alijs prælatis, & pastoribus. In secũdo ordine sunt Episcopi, qui, vt dixi, à Summo Põtifice hanc iurisdictionem accipiunt in suo Episcopatu, in quo instituuntur pastores, & gubernatores animarum; licèt aliqui sustineant hanc auctoritatem eos habere à Christo Domino immediatè: hæc tamen est verior, & communior opinio, vt suo loco dicam. In tertio ordine sunt parochi, quoniam secundùm omnes Theol. in 4. dist. 17. & 18. & 19. & ex vsu Ecclesiæ sunt iudices ordinarij. Munus enim illud parochiale habet annexam hanc potestatem iurisdictionis ordinariè. Istæ autem potestates habent inter se quandam subordinationem: nam in Pontifice est cum omni excellentia, & vniuersalitate; in Episcopo autem, etsi non sit cum tanta vniuersalitate, est tamen cũ tanta vniuersalite in foro pœnitentiali sacramẽtali, quòd Episcopus potest in sua Ecclesia quicquid potest Papa in vniuersali Ecclesia, exceptis ijs, quæ specialiter prohibita, vel reseruata sunt ab ipso Papa. Quod colligitur ex cap. *Nuper*, de sent. excom. vbi Papa habet hanc maximam, loquens de absolutione ab excommunicatione. *Quia tamen conditor Canonis eius absolutionem sibi specialiter non retinuit eo ipso concessisse videtur facultatem alijs relaxandi.* Ex quo sumitur argumentum, quòd Papa dessignans aliquem Episcopum, & dans illi iurisdictionem, dat totã illam, & in omnibus casibus, in quibus eam sibi non reseruat: quæ regula valet in quocunque alio inferiore, cui à superiori iurisdictio conceditur. Et ita Parochus accipiens auctoritatem ab Episcopo in sua Parochia accipit totam quã habet Episcopus in tota sua Diœcesi, exceptis ijs, quæ sibi reseruat Episcopus.

Papa habet auctoritatẽ suã à Deo immediatè

Quanta sit potestas Episcopi in suo Episcopatu.

Quanta sit auctoritas ĩ prælatis ĩferioribus suscipiẽtibus eam à superiori.

80 Sed hic sunt duo dubia. Primum est, an hæc iurisdictio data Episcopis, & parochis terminetur locis, vel personis, idest an hæc iurisdictio possit exerceri intra terminos parochiæ, & Diœcesis circa quascunque personas intra illas existẽtes, vel è contrariò circa solùm personas proprias talis Diœcesis in quocunque etiam loco extra terminos propriæ parochiæ vel Episcopatus existentes? respondetur aliud esse tenẽdum, loquendo de absolutione in foro exteriori, de qua tractabimus, cum agemus de eo, qui absoluere potest ab excommunicatione; & aliud loquendo de foro interiori. Loquendo ergo de foro interiori dicendum est iurisdictionem terminari personis, non locis. Vnde Syluester verbo *Confessor* 1. q. 14. respõdet ex Hostiensi, quòd proprius sacerdos potest absoluere suum subditum siue intra territorium suæ parochiæ, siue extra: quia in his quæ fiunt sine strepitu iudicij nullius territorium læditur. In foro autem pœnitentiali, & secreto nullum fit strepitum iudicij. Vnde in cap. *Omnis*, de pœnitentia, & remiss. nulla fit mẽtio de loco. Limitat tamen hoc ex Cardinali in Clementina, *Dudum*, de sepulturis, ad confessorem habentem auctoritatem ordinariam tantùm. Vnde secundùm eum habens auctoritatem delegatam non posset. Syluestrum quò ad primam partem sequuntur Soto in 4. d. 18. q. 4. ar. 3. §. *aliud dubium*, Victoria in Summa n. 151. Suarez disp. 25. sect. 1. n. 17. qui citat alios. Sed isti met Doctores derelinquunt Syluestrum quò ad secundã partẽ, quia dicunt etiam habentes iurisdictionem delegatam, vt Regulares posse absoluere subditos illius Episcopi, à quo admissi sunt ad confessiones, etiam extra territorium Diœcesis illius Episcopi, si ambo sacerdos, & pęnitens sint extra illam Diœcesim. Et ratio est, quia Clementina prędicta, *Dudum*, super quam fundari videtur Syluester, dum ait, Regulares admissos ab ordinarijs non debere audire confessiones extra eorum Diœceses, & Ciuitates ipsorum, debet intelligi de subditis illorum Episcoporum à quibus non sunt admissi ad confessiones, non de subditis illorum à quibus sunt admissi, licèt sint extra territorium illius Episcopi; & ratio est quia in eadem Clementina, *Dudum*, Papa cum Cõcilio Viennensi facit pares Regulares admissos ab Episcopis, ipsis plebanis: vndè cum plebani siue parochi possint suum subditum extra Diœcesim absoluere; etiam regularis admissus poterit absoluere subditum Episcopi à quo est admissus in aliena Diœcesi. Idem dicendũ de Regularibus habentibus licentiam à suo prælato audiendi confessiones religiosorum alicuius conuentus, vel prouinciæ, poterit enim eos in quacunque alia prouincia, & conuentu, & vbicunque terrarum absoluere, (si ratione alicuius priuilegij, aliter non sit determinatum specialiter alicubi, vt infrà de mendicantibus tangam) vt tradunt Soto, & Suarez eodem loco ex eodem fundamento: quia iurisdictio terminatur ad personas nõ ad locum.

An iurisdictio terminetur personis, an locis.

Solutio.

Soto.
Victoria.
Suarez.

Regulares quos fratres, & vbi absoluere possit.

81 Aliud dubium est, An ratione delicti commissi in aliquo loco acquiratur iurisdictio in hoc foro penitentiæ. Ad hoc dubium aliqui respondent affirmatiuè, sicut accidit de peccato publico in foro exteriori, & contentioso, & in hanc sent. citantur Adrianus in 4. d. 17. q. 3. D. Antoninus 3. p. tit. 17. cap. 4. Alij verò (& est verior opinio) respõdent negatiuè, vt Syluester verbo *Confessor* 1. q. 13. citatur etiam Nauarrus cap. *Placuit*, de pœnitentia d. 6. n. 33. qui tamẽ ibi nihil de hac re dicit. Suarez vbi suprà qui alios citat, sed ratio efficax est, quia si ex loco, in quo quis peccat, acquireretur iurisdictio, sequeretur confessionem, & absolutionem integram omnium peccatorum non posse fieri eidem confessori, quod est falsum. Cõsequentia probatur, quia posset contingere, quòd aliquis fecisset aliqua peccata in aliena Diœcesi, & aliqua in propria; ergo teneretur aliqua confiteri proprio sacerdoti parocho; & alia alieno parocho, in cuius parochia, vel Diœcesi peccauit: & sic dimidiare teneretur confessionem, & absolutionem. Et cõfirmatur, quia non est par ratio de foro exteriori, & interiori, vt dictum est suprà: quia expedit, vt in foro exteriori acquiratur ius iudici illius loci, vt peccatũ publicum eo loco puniatur vbi fuit commissum, ad exemplum aliorum: hoc autem non est necessariũ in foro conscientiæ, quò ad salutem internam, & reconciliationem cum Deo.

An rõne cõmissi delicti acquiratur iurisdictio.

Verior opinio.

Confirmatur.

Nonẽ par ro de foro interiori & exteriori.

82 Vidimus hucusque qui sint sacerdotes habentes iurisdictionem ordinariam; superest videndum, qui sint proprij sacerdotes singulorum fidelium, auctoritate ordinaria; deinde videbimus qui sint proprij auctoritate delegata. In primis autem declarãdum est quid nomine proprij sacerdotis veniat. Scotus in hoc 4. d. 17. quæst. 1. a. 3. §. *quoniam autem ad quis*, inquit quod specificatio ista quod quilibet confiteatur proprio sacerdoti, facta est ab Ecclesia, & est de iure Ecclesiastico positiuo, scilicet per illud caput *Omnis vtriusque sexus*, & alias determinationes antiquiores, vt Dionisij Primi, & Calixti Secundi, vt diximus cap. 2. huius disputationis. Nam in primitiua Ecclesia non fuerunt distincti sacerdotes, vt ibi diximus. Quid autem intelligatur per propriũ sacerdotẽ est contentio inter Doctores. Nã tribus modis videtur posse accipi sacerdos proprius. Primo pro omni eo, qui habet iurisdictionem, vel ordinariam, vel delegatam in communi quocunque modo, vel titulo illam habeat, & sic proprius contradistinguitur cõtra eum, qui nullam habet omninò iurisdictionem; & sic omnes, Summus Pontifex, Episcopus, parochus, & Regulares admissi ab ordinarijs dicũtur proprij sacerdotes; & hoc modo accipiebantur parochus in primitiua Ecclesia. Secundo modo sacerdos proprius accipitur pro illo, qui habet iurisdictionem ordinariam, vt contradistinguitur ab habentibus auctoritatem, & iurisdictionem delegatam: & hoc modo Summus Pontifex, Episcopus, & parochus dicũtur proprij sacerdotes. Tamen Summus Pontifex est ita proprius quòd etiam est vniuersalissimus, ita quòd nullus potest eximi ab eius iurisdictione. Episcopus est ẽt proprius, sed tamen vniuersalis omniũ fidelium

Quid nomine proprij sacerdotis veniat.

Opin. Scoti.

Diuisio iurisdictionis prima à quo facta sit.

Tribus modis dicitur quis sacerdos proprius.

suæ

Prælati Regulariũ sũt exẽpti, ab Episcopis, & habẽt ordinariã iurisdictionẽ in suis religionibus.

stræ Diœcesis: ita tamen, vt aliqui possint eximi ab eius iurisdictione per Romanum Pontificem cuiusmodi sunt Abbates, Generales, & Prouinciales Religionum Regularium, qui sunt sacerdotes proprij, sed vniuersales in suis religionibus, & prouincijs, vt Episcopus in sua Diœcesi: & de proprio sacerdote in hoc sensu nõ est sermo in proposito, neque de hoc est sermo in cap. illo *Omnis vtriusque sexus*. Tertio modo proprius sacerdos potest accipi pro habente ordinariam iurisdictionem proximã, & immediatam super subditum, cuiusmodi est parochus, vel pro habente iurisdictionem delegatã ad immediatè, & proximè ministrandum hoc sacramentum populo. Soto in 4. d. 18. q. 4. a. 2. dicit quòd sacerdos proprius in cap. *Omnis vtriusque sexus*, intelligitur solùm sacerdos habens auctoritatem, ad proximè, & immediatè ministrandum sacramentum populo cuiusmodi est parochus. Quod probat, quia in illo eodem cap. paulò infrà dicitur. *Si quis autem alieno sacerdoti voluerit iusta de causa sua confiteri peccata, licentiam prius postulet, & obtineat à proprio sacerdote.* Manifestum est autem quòd nullus pœnitens tenetur petere licentiam hanc à delegato, ergo per proprium, Papa ibi intelligit parochum. Concedit tamen sacerdotem delegatum posse dici sacerdotem legitimum, quia potest legitimè hoc sacramentum administrare.

Reijcitur.

83 Cæterùm, etsi verum sit hoc totum, quod ait Soto, non tamen sequitur, quòd habens etiam delegatam auctoritatem, non possit dici *proprius* sacerdos. Nam ille terminus, *proprius*, potest habere multiplicem sensum. Primus est, *proprius*, idest *qui solus, & non alius*, & hic sensus est falsus: quia si duo, vel tres parochi, ex æquo præsint alicui parochiæ, vnusquisque illorum potest absoluere, & nõ vnus tantùm. Secundus sensus est, *proprius isti, quia isti & non alij*. & hic sensus quoque est falsus: quia parochus non est ita proprius vni parochiano si habet multos, quin etiã sit parochus aliorum, & illos plures absoluere non possit. Relinquitur ergo, quòd *proprius* ibi habeat duplicem sensum. Primus est, quòd significet sacerdotem habentem iurisdictionem ad immediatè, & proximè absoluendum, & tunc cum ille, qui habet auctoritatem ordinariam, possit illam committere non habenti, vt certum est, posse facere Papam, & Episcopum, sequitur, quòd ille, cui committitur, & delegatur talis auctoritas, fiat sacerdos proprius: & accipiendo *proprium* in hoc sensu, præceptum Ecclesiæ non specificat præceptum de iure diuino: quia vt diximus suprà de iure diuino ad ministrum cõfessionis requiritur auctoritas ordinis, & iurisdictionis: in hoc autem præcepto Ecclesiæ, *Omnis vtriusque sexus*, ex dictis non præcipitur aliud, quàm quòd confiteatur proprio sacerdoti, idest habenti iurisdictionem. Quarto modo *proprius*, potest significare determinationem, & quãdam distinctionem, vt hic sit subditus huic, & huic parochiæ, & non alteri sacerdoti, nec alteri parochiæ: quo modo nunc per Ecclesiæ determinationem sunt distinctæ parochiæ, & parochiæ, itaquòd singulis parochis, & parochijs sunt determinati singuli pœnitentes, vt subditi, ad differentiam primitiuæ Ecclesiæ, in qua quilibet sacerdos habuit iurisdictionem super quemlibet pœnitentem: & in hoc sensu, sensus illius cap. est, quòd vnusquisque tenetur confiteri proprio sacerdoti, idest proprio parocho cui est subditus, & in hoc sensu habet locum, quòd dicit Soto, & est verus sensus illius capituli. Sed tunc est aduertendum, ait Scotus, quòd accipiendo *proprium*, in hoc sensu, ista proprietas nullam potestatem specialem tribuit, *proprio*, quam nõ habuisset, etiam si casus ille non emanasset; sed tantùm limitat aliquos aliquibus, idest determinat aliquos esse subditos aliquibus, & ab illis debere accipere sacramenta. Quod pro tanto dicit Scotus, quia tunc temporis, scilicet in exordio religionum Mendicantium, vt elicitur ex eo eodem loco, citati, & parochi locorum prætendebant, quòd Regulares admissi ad confessiones auctoritate delegata à Pontifice non haberent iurisdictionem ad administrandũ hoc sacramentum, sed solùm parochi: quia dicebant, Papam non potuisse, nec posse concedere hoc priuilegium Regularibus, vt seculares possint confiteri Regularibus dimissis proprijs parochis. Et hanc sententiam tenuit Henricus de Gandauo primo suo quolib. virtute illius canonis, *Omnis vtriusque sexus*, vt refert Soto hac d. 18. q. 4. art. 3. & quidam Ioan. de Poliaco; quæ tamen sententia, vt falsa, fuit reiecta, vt patet ex Concilijs distinguentibus de auctoritate ordinaria, vel delegata; ergo datur auctoritas delegata, & dari potest: & ratio est euidens, quia iurisdictionis potestas potest delegari, quia hæc non confertur per aliquam cõsecrationem, quæ requirat aliquem ordinem sacrum, sed per simplicem concessionem, & deputationem potest alteri cõcedi. Quod etiam habetur cap. *Aqua*, de consecratione Ecclesiæ, vel Altaris, de qua re etiam ca. sequenti aliqua dicam.

Auctoritatẽ delegatã dari probatur.

Parochus ẽ sacerdos pprius ordinarius.

Parochus ergo in sua parochia est sacerdos proprius ordinarius, quia est pastor omnium, qui in sua parochia degunt, & viuunt. Vnusquisque enim fidelium sortitur parochiam, vbi habet Domicilium firmum, vt habetur de parochijs cap. vltimo *significauit*. Ex quo aliqua sunt notanda ad soluendum quædam dubia valdè necessaria scitu, de quibus Hostiensis agit in Summa de pœnitentia §. *Cui sit confitendum*, quæ adducit Nauarrus, & addit aliqua cap. *Placuit*, n. 75. quæ clariùs ab alijs posteà explicantur.

Dubiũ de eo qui habet diuersa domicilia ĩ diuersis Ecclesijs.

84 Primum dubium ergo est, cum quis habet plura domicilia in diuersis parochijs, vel Episcopatibus, in quibus diuersis habitat, vt e.g. duo menses Patauij, sex Venetijs quatuor Bononiæ. Respondit Nauarrus cap. *Placuit*, n. 77. hunc posse confiteri cuilibet illorum parochorũ, quia iurisdictio ista non sequitur actualem habitationem, sed domicilium firmum. Hic aut in his tribus Ecclesijs domicilium firmum habet pro certo temporis anno; ergo omnibus illis est subditus. Quod ibi Nauarrus latè probat cõtra Paludanum, & D. Antoninum, qui tenent eum teneri confiteri illi parocho in cuius parochia actualiter habitat tempore quo confitetur; quam sententiam sequitur Suarez, & comprobat ex cap. 2. de sepult. in 6. & mihi quoque placet: nam ridiculum videtur, quòd si e.g. hiemat in vna parochia, & fortè fortuna propter aliquod negocium cõtingat illi vna die, vel duobus, donec expediat aliquod negocium, morari in altera parochia, vbi solet æstiuare, & velit confiteri sua peccata, non possit illi parocho, sed debeat redire ad pristinum domicilium, vbi actualiter hiemat, & intendit hiemare.

De eo qui ĩ vna Ecclesia hẽt firmũ domicilium in altera quasi domicilium.

85 Secundum dubium est de eo, qui in vna Ecclesia, vel parochia habet fixum, & firmum domicilium, in altera verò habet quasi domicilium, scilicet habitationẽ diuturnam, pro aliquo tempore licèt non fixam, cuiusmodi sunt scholares, mercatores, milites, qui certis temporibus, extra sua domicilia firma, alibi magna parte tẽporis morantur. Respondit Nauarrus eodem cap. *Placuit*, n. 84. hanc dubitationem de Scholaribus esse difficilem explicatu, & de alijs in hoc casu nominatis multa disputat, & tandem concludit eodem cap. nu. 96. quòd si commodè possunt isti parochum domicilij adire, illum adire tenentur, quo ab eo sacramenta necessaria suscipiant, quia ratione habitationis annualis, siuè maiori, vel minori annuali non acquiritur forum conscientiæ: si verò difficile est adire parochũ domicilij, parochus habitationis actualis fit proprius, & talis habitatio sortitur forum. Suarez verò vbi suprà tenet, parochum quasi domicilij esse propriũ parochum: quia recursus ad proprium, vt plurimum in istis, non est facilis, & sic consuetudo obtinuit, vt quasi domicilium acquirat forum in consciẽtia, & sic vsus obtinet, etiam si in aliquo indiuiduo esset facilis recursus.

De his qui nullum habent firmũ domiciliũ, seu de vagabundis.

86 Tertium dubium est de his, qui nõ habent firmum domicilium. Aliqui tenent eos nullum habere proprium parochum, sed posse confiteri cui voluerint: quia (inquiũt) iura, quæ determinant omnem hominem debere confiteri proprio sacerdoti, loquuntur de eo, qui iã habet proprium sacerdotem, non de eo, qui nulli vnquã se subiecit: ideo dicunt iura antiqua in his seruanda esse, secundùm

quæ

quæ cuilibet erat licitum eligere sibi confessarium: hanc sentētiam tenet Nauarrus in cap. *Placuit* num. 79. & 80. & citat pro se Diuum Antoninum, & Paludanum, qui tamen differunt: quia Nauarrus dicit hoc licere istis vagabundis de iure diuino, vt suprà vidimus: Paludanus verò, & D. Antoninus dicunt eos ab ecclesia habere hanc facultatem, vt cuicunque sacerdoti voluerint confiteantur. Sed verior mihi videtur sententia Syluestri, verbo *Confessor*, 1. num. 10. quem sequuti sunt, Soto in 4. dist. 18. q. 4. art. 2. Suarez disp. illa 25. num. 7. & est communis, quòd isti quoque habeant proprium sacerdotem, & sit ille, in cuius parochia actualiter degunt. Ratio est, quia præceptum illud ecclesiæ, *Omnis vtriusque sexus*, factum est ad vtilitatem Christianorum, & ordinatur ad salutem illorum; ergo vagabundi quoque includuntur sub illo cum sint membra ecclesiæ: non debent autem esse melioris conditionis, quàm habentes Domicilium firmum; ergo si illi habent parochum suum pro proprio sacerdote, etiā vagabundi illum habere debent: & rationabilius est, vt eum habeant, in cuius parochia actualiter degunt, quasi in illa parochia infirmentur sacerdos illius loci tenetur illis ministrare sacramenta, & sumitur ex 16. q. 1. c. quæst.

De peregrinis, & iter agentibus.

87 Quartum dubium est de peregrinis, & iter agentibus, qui tamen aliquo loco habent firmum domicilium, an sit idem dicendum, quod de vagabundis, & nullum firmum domicilium habentibus: ad quod sunt duæ sententiæ. Aliqui dicunt parochum, in cuius Diœcesi habent domicilium firmum, esse eorum proprium sacerdotem: quia sicuti retinent domicilium, ita semper habent eundem firmum parochum. Vndè sinè eius licentia, vel aliquo priuilegio dicunt non posse alijs confiteri. Ita Nauarrus eodem cap. *Placuit*, num. 62. & in eandem sententiam citantur à Suarez Paludanus, & D. Antoninus. Eādem tenet Syluester, verbo *Confessor* 1. num. 11. qui tamen pro opposita sententia citatur. Alij verò, vt Soto in 4. dist. 18. quæst. 4. art. 2. & Suarez disp. illa 25. sect. 2. tenent Peregrinos posse confiteri cuicunque sacerdoti habenti iurisdictionem ordinariam, vel delegatam in eo loco, in quo actù repetiuntur extra sua Diœcesim, & hæc opinio est verior: quia consuetudine continua in vsu recepta est: & ratio est, quia dum Episcopi, & parochi hoc tempore non reclamant contra peregrinos iter facientes sine eorum licentia videntur tantam licentiam eis concedere, vt cuilibet sacerdoti habenti auctoritatem ordinariam, vel delegatam confiteantur: & sic ambæ opiniones conciliari posse videntur. Si enim peregrini non haberēt expressam, vel tacitam licentiam non possent: quia re vera habent domicilium firmum, & consequenter parochū domicilij sui pro sacerdote proprio: ideò sine licētia eius, & episcopi expressa, vel tacita non possent: at nunc regulariter habent licentiam tacitam; ergo.

Suarez notat, vbi suprà, hoc debere fieri bona fide: quia si ad hoc tantùm iter ageret, vt haberet occasionem confitendi alteri, & non proprio sacerdoti, non valeret: quia non esset iuxta intentionem textus: & hic non esset necessitas, sed voluntas. Hoc tamen mihi non probatur, quia si pœnitens aliqua legitima causa potest petere licentiam à parocho alteri confitendi, & parochus tenetur eam illi dare expresse, iuxta illud idem cap. *Omnis vtriusque sexus*, videtur posse cum eiusdem licentia tacita extra Diœcesim confiteri: & ideò multi sunt, qui cum soliti sint certo confessori confiteri sua peccata, & ille in alieno Episcopatu moratur, illum adeunt ad hunc effectū tantùm, vt illi confiteantur: neque petunt licentiam ab Episcopo, & quandoque aliqui has peregrinationes suscipiunt, vt sacerdotibus incognitis sibi, quędam peccata turpia confiteantur, & exonerent conscientiam suam: neque puto hos malefacere: neque eorum confessiones esse inualidas: Secùs si parochus, vel Episcopus prohiberet, ne sine expressa licentia sua confiteantur alieno: tunc enim licentia tacita tolleretur. Sed in illo casu pœnitens debet petere licentiam, & parochus, & Episcopus tenentur da-

Possunt ab solui à reseruatis.

re. Possunt etiam absolui à reseruatis suo Episcopo, vt infrà loquendo de ministro, qui potest absoluere à reseruatis, licèt Nauarrus, & Soto oppositum dicant.

De parochis Episcopis, & Cardinalibus.

Secundum dubium est, quinam sit proprius sacerdos parochi, Episcopi, & Cardinalis: breuiter omnes dicunt sacerdotem proprium parochi esse solùm Episcopum, vel habentem iurisdictionem episcopalem, vt sunt multi Abbates, & alij Prælati habentes sub se parochias, Episcopi verò habent pro proprio sacerdote solùm Papam, nō autem Archiepiscopum, neque Archiepiscopi Patriarchā, neque Metropolitanum, nisi in foro exteriori, vt contra Paludanum, Syluestrum, & alios tenent Soto, & Suarez locis citatis, quia hoc nullo iure cautum est.

88 Episcopi tamen, & Prælati inferiores, vt parochi habent auctoritatem eligendi sibi proprios confessores, & inter regulares, Generalis, Prouincialis, & Guardianus, quæ est communis opinio, vt rectè Soto ait dist. 18. quæst. 4. art. 2. in responsione ad tertium, & fundatur in cap. vltimo de pœnitentia, & remissione, de qua infrà agendo de his, qui habent auctoritatem sibi eligendi confessarium. Cardinales etiam, vt sunt dignitate propinquissimi Papæ, ita illum habent solùm proprium pastorem, & sacerdotem, vt ait Syluester verbo *Confessor* 1. num. 2. An verò in aliquo casu pœnitens possit eligere sibi confessorem alium ab ordinario, infrà in proposito loco tractabimus.

De regularium Prælatis.

89 Proprius autem sacerdos regularium, sunt Generalis Prouincialis, & Guardianus, seù Abbas, vel Prior, & ij quibus à superioribus deputata est facultas audiendi confessiones, & absoluendi, ideò non possunt validè confiteri extra religionem, nisi in casu necessitatis, aut cum in itinere de superiorum licentia, & obedientia extra illum conuentum constituti, copiam sacerdotis suorum ordinū non habent. Tunc enim poterunt confiteri sacerdotibus tam regularibus, quàm secularibus præsbiteris, siuè sint admissi ab Episcopo, vel à superioribus suę religionis, siuè non, quia approbatio ab Episcopo, vel à superioribus illis nec prodest, nec obest huiusmodi regularibus, quia nō subsunt eorum iurisdictioni, sed sufficit licentia tacita proprij superioris, per quam censetur approbare sacerdotes illos, & ei auctoritatem conferre, vt in tali casu hos suos subditos absoluere possent: & hoc verum est etiam post Concilium Tridentinum, vt infrà dist. 30. cap. 2. dicemus. Quod etiam est dicendum de occasione prædicādi, vel aliqua alia occasione, dummodo sit de licentia superioris. Hæc enim licentia tacita dat eis facultatem eligendi sibi confessarium, quæ colligitur ex priuilegijs Pōtificum concessis regularibus, de quibus Confetius titulo 17 de confessariorum regulariū potestate quò ad fratres.

De proprio sacerdote regularium.

90 Ab hac potestate ordinaria communiter excipiuntur. Primò tota familia Pontificis dum Romæ sunt, & actù sunt de familia: non quando sunt extrà: quia eorum proprius sacerdos est Papa, vel pœnitentiarius Summus, vel quem ipsi deputant: hoc omnes dicunt, & vsus comprobat.

Exceptio 1. ab ordinario ministro.

Secundò, excipiuntur familię Cardinalium, quia ipse Cardinalis est quasi sacerdos proprius, & potest per se, vel per alium hanc potestatem exercere, quod etiam patet, esse verum, quia sic ęst de facto. Hoc tamen non est verum de familia Episcopi, licèt posset Episcopus si vellet eos eximere, quod non est dubium, cum ipse possit reseruare sibi casus, & sit superior: licèt regulariter hoc non faciant. Tertiò excipiuntur religiosi, qui habent proprios Prælatos quibus subsunt, de quibus est eadem ratio proportionaliter. Nā proprius sacerdos proximus est Guardianus, proprius sacerdos Guardiani est Prouincialis, & proprius Prouincialium est Generalis, proprius Generalis est Papa. Sic de monialibus, quæ enim sunt subditæ Episcopis, habent Episcopum, (qui tamen potest dessignare alium vice sua) regulariter proprium superiorem, & Vicarium eius: & idem est dicendum de similibus.

2. Exceptio

3. Exceptio

Quarta exceptio est quorundam prælatorum in specia 4. Exceptio

li di-

li dignitate constitutorum, vt Decani ecclesiarum, & aliæ similes personę, de quibus Syluester, & alij suprà citati Doctores, in quo priuilegia, & consuetudines spectandæ sunt. Quintò solent excipi reges, & Principes magni, q. quamuis ex eorum ordinaria potestate non sint exempti, habent tamen sua priuilegia specialia, vel consuetudines, quas legitimas esse ex auctoritate superiorum inductas credendum est.

5. Exceptio

De auctoritate delegata, & facultate eligendi confessorem. Caput Quintum.

De sacerdote pprio ex iurisdictione delegata.

Iurisdictio delegat directè, vel indirectè.

91 LOquendo verò de proprio sacerdote ex auctoritate iurisdictionis delegata, supponendum est inprimis auctoritatem iurisdictionis posse delegari, vt cap. præcedenti diximus. Duobus autem modis potest hæc auctoritas iurisdictionis, delegari. Vno modo directè, vt cũ Papa, vel Prælatus concedit facultatem alicui sacerdoti, non habenti iurisdictionem aliquam, vt possit in aliquos hoc munus exercere sicut cum Episcopus admittit regulares ad confessiones, vel parochus assumit aliquem ad adiuuandum sibi in cura parochiæ. Alio modo indirectè, scilicet cum conceditur à Papa alicui pœnitenti, vt possit eligere sibi confessarium. De primo modo quatuor sunt dicenda, primò quis possit delegare hanc auctoritatem, secundò cui possit delegari, tertiò modus, & forma quo delegari potest, quartò quid de facto.

Quis possit delegare iurisdictionem.

92 Quò ad primum certa regula est oẽs posse delegare iurisdictionem, qui eam habẽt ordinariè, & colligitur ex cap. *Inter cætera*, de off. ordin. & cap. *Omnis vtriusque sexus*. Verũ sicut hæc potestas residet in habentibus illã, sic proportionaliter pōt delegari ab illis: ideò qa in Papa residet vniuersaliter, & indepẽdenter: ita pōt illã cuilibet personæ pro quolibet loco, & pro quibuscũq. peccatis, & contra voluntatem Ep̃orum, & aliorum prelatorũ concedere, quia hẽt supremã ptãtẽ independentem, ꝙ hẽtur in Clementina *Dudum*, de sepulturis, & in Extrauagãtibus, *Super Cathedram*, de sepul. & *Inter cunctas*, de priu. similiter Ep̃s in his, quæ non sunt à Papa sibi prohibita: & parochus in his, quę nec à Papa, nec ab Ep̃o. Habẽs verò auctoritatem delegatam nõ pōt eã subdelegare, c. vltimo §. vltimo *extra*, de off. deleg. nisi eam recipiat ab ordinario, vt possit illam delegare, vt cõtingit in Vicarijs perpetuis, & in Vicarijs Ep̃orũ, & aliorũ habẽtiũ auctoritatẽ, qbus non delegatur ad vsũ pręcisè, sed potiùs, vt eã alijs cõmunicẽt. Vnde sub parocho cõprehendũtur, vt hẽt Syluester.

An habens iurisdictionẽ à Papa, vt regularis sinè licẽtia speciali Episcopi & parochi possit exequi hanc auctoritatẽ

93 Hic verò magna fuit antiquitus disputatio, an delegatus à Sũmo Pontifice ad audiẽdas confessiones sacrales possit sine alia licentia Ep̃i, & parochi eos audire: nam, vt dixi c. præcedenti antiquitus in exordio religionũ fuit maxima contentio inter parochos, & ordinarios, ex vna parte, & regulares ex alia parte, & multi Doctores tenuerũt requiri adhuc licentiam parochi: & eos pęnitẽtes, qui cõfitebantur regularibus admissis à Papa, tamen non habẽtibus licentiam à parochis, teneri ad iterum confitendũ eadem peccata parochis, quam disputationem tractant, & referunt fusè Nauarrus in cap. *Placuit*, d. 6. nu. 57. Soto in 4. d. 18. q. 4. a. 3. & Suarez disp. 26. sect. 1. Sed iam nulla est ampliùs dubitatio, & iam diffinitũ est à Summis Pontificibus illam sententiam quantum ad posse, esse falsam, & erroneam, & sacerdotem habentem iurisdictionem à Summo Pontifice posse actualiter ministrare hoc sacramentum sinè licentia Episcopi, vel parochi, & habentem iurisdictionem ab Ep̃o, itidem posse sine licẽtia parochi, & est communis opinio Theol. & Scoti in hac dist. 17. quæst. 1. art. 1. §. *Quantum ad cui*, & omnium Summistarum, & sumitur ex declaratione Ioa. 22. in Extrauaganti *Vas electionis*, de Hæreticis, & Extrauaganti Benedicti II. *Inter cunctas*, de priuil. quas, & alias referunt Nauarrus, Soto, Suarez vbi suprà, & alij: ideò hanc dimitto, & ratio est dicta: quia Summus Pontifex, & Episcopus possunt dare hanc auctoritatem; ergo quando illam dant alicui absque alia restrictione, intelligunt, quòd sinè licentia inferiorum possit exercere illam: alioquin frustrà talis auctoritas daretur, quia licẽtia sola parochi sufficit. Et dicto cap. *Omnis*, &c. quod pro aduersarijs adducitur, habetur, quòd possit quicunque voluerit alieno sacerdoti confiteri de licentia proprij sacerdotis: at non solùm parochus, sed Episcopus, & Papa multò magis, est proprius parochus; ergo cum de eorum licentia quis audit confessiones, non est cur dicatur has confessiones esse inualidas, & reiterari debere coram parochis, nec hoc priuilegium est in præiudicium parochorum, sed in vtilitatem, & adiutorium. Solùm derogat iuri communi, ꝙ est proprium priuilegij: ideò illa opinio in prædictis Extrauagantibus damnatur, quò ad vtrunque, scilicet quòd absolutio data à regularibus admissis à Papa, vel Episcopo, non autem à parocho, non sit valida, & quòd eidem parocho sit reiteranda. Præceptum autem de confessione in paschate iuxta illas Extrauagantes Benedicti intelligitur de peccatis, quæ pœnitens haberet tempore paschatis, quo sumere eucharistiam debet: debet enim tunc parochus cognoscere vultum pecoris sui: ideò si habet peccata debet illi confiteri, sin minùs debet certificare confessarium, quòd confessus est; vel si non habet peccatũ debet dicere, quòd non habet conscientiam peccati mortalis, qua obligetur ad confessionem, & hoc sufficit. Ex quibus sequitur parochum non posse prohibere suo parochiano, quòd non confiteatur regulari admisso ab ordinario: qa ex quo regularis est admissus, etiam vt parochianus habet hanc licentiam à suo superiori, scilicet Papa, vel episcopo, à quo est admissus.

Parochus non potest phibere parochiano ne cõfiteat regulari admisso à Papa, vel ab Episcopo.

Cui possit delegari iurisdictio.

94 Quantùm verò ad eum, cui potest delegari iurisdictio, breuiter dicitur, quòd iurisdictio pōt cõmitti alicui duobus modis: vno modo vt illi ea vtatur: alio modo, vt alteri eam committat. Primo modo potest cõmitti soli sacerdoti, quia laicus non potest absoluere, & ad hoc, vt rectè fiat, debet delegari sacerdoti prudenti, vt agendo de qualitatibus confessoris videbimus. Secundo modo pōt committi ẽt laico. Vnde Vicarij Episcoporũ quandoque sunt laici; hæc tñ delegatio est potiùs participatio iuris ordinarij, q̃ delegatio: quia delegatio est propriè ad exercẽdam iurisdictionem. Vndè est illud, Delegatus nõ potest delegare, quod est verum de delegatione proprio modo sumpta, scilicet ad vtendum, non ad communicandum.

An præsũptio ratihabitiõis sufficiat.

95 Quantùm ad modũ nulla est forma pręscripta, qua superior debeat vti in delegatione, sufficit, vt explicet se aliquo modo illi sacerdoti cõcedere talẽ auctoritatẽ: hic aũt disputari solet, an præsũptio seu spes probabilis ratihabitionis, sit sufficiens ad hoc, vt aliquis sacerdos non admissus possit ministrare hoc sacramentum, e.g. aliquis scit aliquem regularem nõ esse admissum ab ordinario, nihilominus, vult illi confiteri, quia sperat, ꝙ Ep̃us seu sacerdos proprius, cum sciuerit hũc fuisse confessum illi sacerdoti, ratam habebit hanc confessionẽ. Quæritur ergo, an hæc confessio sit valida. Hanc quæstionẽ tractat Nauarrus c. *Placuit* de pœnit. d. 6. n. 103. & in Manuali cap. 9. n. 6. Soto in 4. d. 18. q. 4. a. 3. Suarez eadem disp. 26. & multi alij. Quidam absolutè dicunt spem futuræ ratihabitionis valere. Quidam alij distinguunt de ratihabitione. Alia enim est de futuro, alia de præsenti. De futuro prout exponit Nauarrus eo cap. *Placuit*, est, vt in casu posito cũ quis confitetur, quia probabiliter sperat proprium parochum ratam habiturum illam confessionem, & sic videtur dare auctoritatem. De præsenti est, quando, dum confitetur alieno, putat proprium parochum tunc ratum habere, q̃ est tacita licentia. Ratihabitionem primo modo negãt: secundo modo concedunt valere, & hanc opinionẽ tenet Nauarrus, & sic exponit Hostiensem, q̃ opinionẽ sumpsit ex Syluestro verbo *Confessor* 1. q. 6. & Soto vbi suprà.

Vera opinio.

96 Cæterùm verior opinio est, neutram ratihabitionẽ valere, quia de essentia sacramenti de iure diuino, vt visũ est suprà, est auctoritas iurisdictionis in ministro; in hoc casu aũt non habetur iurisdictio in confessario. Vndè ibi

nullum est sacramentum: ideo cum de se propter carentiã essentialium sit nullum, nullus sacerdos per ratihabitionẽ potest illud facere sacramentum, neque Papa, quia Papa non potest super ius diuinum. Quod autem dicunt ratihabitionem esse idem, quod concessio tacita auctoritatis, vt exponit Nauarrus, in primis est abuti terminis: quia ratihabitio respicit futurum, & spem, iuxta regulam 10. iuris in 6. dicentis. *Ratihabitionem retrotrahi, & mandato non est dubium comparari.* Non ergo respicit pręsens. Prętereà admisso, quòd ratihabitio hic intelligatur consensus pręsens tacitus, vel iste consensus tacitus est ita expressus, vt significet voluntatem delegãtis esse delegare, & tunc nõ est ratihabitio, sed licentia certa. Si verò eam nõ explicat certis signis, vt certò cõstet de voluntate delegationis, sine dubio non sufficit: quia requiritur certa voluntas delegandi quocunque modo fiat.

An habens iurisdictionẽ cũ dubitatione possit hoc sacramẽtum ministrare.

97 Huic proximũ est dubium illud, An aliquis habẽs iurisdictionem cum dubitatione possit hoc sacramentum administrare. Hoc dubiũ mouet Suarez loco citato disp. 26. sect. 6. qui casus potest in praxi facilè occurrere: nam quãdoque potest aliquis dubitare de iurisdictione sibi delegata, vel quia nescit, an priuilegium sibi datum sit validum; vel quia dubitat, an per mortem concedentis cessauerit, vel ex alia aliqua simili causa. Ad hoc dubium respõdit ipsemet Suarez vbi suprà distinguendo de dubio propriè dicto; quod est, cum quis pro neutra parte habet aliquam probabilitatem, sed manet omninò suspensus, & de dubio impropriè dicto; quod est, cum pro aliqua parte habet probabilitatem magis, quàm pro alia; sed tamen habet cum formidine, vel cum de vna parte nullam habet probabilitatem; de altera autem habet aliquam probabilitatem. Vbi adest dubium, propriè dictum est regula generalis, inquit, nunquam licere ministrare hoc sacramentum nisi sub conditione, *si possum*, vel *tu indiges*, & in casu necessitatis; laborat tamen explicando quis in proposito sit casus necessitatis: nõ enim est articulus mortis, quia tũc non potest esse dubium de iurisdictione, cum in illo casu omnis sacerdos illam habeat, neque necessitas implendi pręceptum de confessione, quia in tali casu non impletur, neque pro occasione sumendi Eucharistiam: quia per illam confessionem dubiam, non liberatur ab illa obligatione confitendi, & se constituendi in statu gratię, quia sẽper est periculum, quòd illa non fuerit valida; inquit tamẽ resoluendo esse licitum in tali dubio absoluere cum conditione, quando adest necessitas sumendi Eucharistiam, vel quando per longum tempus confiteri non potuit. Ratio est, quia cum hac conditione potest esse vtilis, & nulla fit iniuria sacramento; neque est abusus clauium: quia etiã alia sacramenta possunt dari sub conditione in casibus dubijs; & si adest aliquod grauamẽ, ratione dubij, totum est pęnitentis, scilicet, quòd debeat, cum occasionem habebit, alteri, de quo non sit dubium, confiteri; & illud pœnitens potest in se voluntariè assumere. Loquẽdo verò de dubio impropriè dicto, in quo sunt diuersitates opinionũ, dicit, posse sustineri, licere: tũ quia Ecclesia in hoc casu videtur, tacitè cõcedere licentiam sacerdoti sequenti probabilem opinionem, ne ignorantia communis noceat populo: tum quia in omni tali confessione semper confitetur aliquod veniale, ratione cuius sacramentum est validum, quia super illud sacerdos habet auctoritatem non sub dubio: & tunc peccatũ mortale remittitur per accidens, sicut in confitente peccatum reseruatum ignorante, tamen esse reseruatũ, remittitur illi per accidens secundùm omnes. In fine tamen admonet tam ministrum, quàm pœnitentem, vt certiori via vtantur.

Opinio auctoris.

Ego autem in hac re dicendum puto iuxta dicta suprà disp. 6. c. 2. obseruandas esse illas tres maximas adductas à Scoto in 4. d. 3. a. 3. in fine in dubijs circa materiam, & formam sacramenti: quarum prima est, si possibilitas adest, via tutissima est eligenda. Secunda, si nõ adest, possibilitas proxima tutissimæ est eligenda. Tertia est, cessante impossibilitate cautè supplendũ est, quòd impossibilitas prohibebat: ideo in proposito dico primò esse abstinẽdũ ab absolutione: qa hæc est via tutissima. Nulla enim videtur adesse necessitas, non articulus mortis, quia in illo omnes sacerdotes habent auctoritatem: in alijs autẽ casibus, vt cũ est sumenda Eucharistia, & similibus, potest differri cõfessio, vt suprà diximus, donec habeatur copia cõfessoris idonei. *Si* tamen occurrat aliqua necessitas alia, saltem secunda maxima Scoti est adhibenda, scilicet seruandam esse viam proximiorem tutissimæ, quæ est absoluere sub conditione, & deinde data opportunitate supplere confitendo habenti potestatem sine dubio.

Qui de facto habent iurisdictionem delegatam.

98 Quò ad eos, qui habent hanc auctoritatẽ de facto, dicendum est, eos illã habere quibus ab ordinarijs Pastoribus per sufficientẽ declarationẽ suæ voluntatis data est. Vbi est obseruandum, hanc auctoritatẽ tribus modis delegari posse. Vno modo à iure, & sic cõmunicata est regularibus per priuilegia, & bullas Apostolicas. Secundo modo ex consuetudine, vt in articulo mortis, in quo quilibet sacerdos etiam nõ admissus potest absoluere, vt dictũ est suprà hac disp. c. 3. ad 3. arg. pro Armachano, neque vllus alius casus videtur posse assignari, in quo ex cõsuetudine cõmunicetur: quia cum aquiritur, eò quia est annexam alicui muneri, vt beneficio, iam non est delegata, sed ordinaria. Tertio modo potest delegari per ipsam personã pręlati, quæ immediatè verbis, vel factis aliquibus significantibus se habentem auctoritatem ordinariam, velle illam cõicare alteri non habenti: & hic est proprius modus delegãdi, & cõmunicãdi auctoritatem, quæ dicitur delegata.

De duratione auctoritatis delegatę.

99 Difficultas verò est de duratione huiusmodi auctoritatis delegatæ. Resolutio huius dubij habetur ex toto titulo de officio delegati. Primò ergo dicendum est, auctoritatem hanc posse reuocari ab ipso delegante, & tunc facta reuocatione auctoritas cessat, quæ est cõmunis opinio ex titulo de officio delegati. Hæc enim delegatio auctoritatis est quædã participatio iurisdictionis ordinariæ, quæ semper ab ipso pẽdet. Vndè cum eã reuocat, statim cessat. Ex quo sequitur, quòd si est cõmunicata ad certũ tempus, illo tempore expleto cessat auctoritas hæc. Si verò concedit auctoritatem hanc indefinitè, nec limitatam ad certũ tempus, semper durat vsque quò non reuocetur durante persona delegantis, quia videtur semper eam concedere, donec non reuocet.

An auctoritas delegata maneat post mortẽ delegantis.

100 Sed dubiũ est, an post mortẽ delegantis duret: nã in c. *Licet*, de officio delegati, dicitur, quòd, si causa à delegato est incæpta ante mortem delegantis, auctoritas delegata durat post mortem delegantis: si verò non est incæpta causa, expirat auctoritas delegata: tamen in foro pœnitentiæ etiam post mortem delegantis manere videtur delegata auctoritas, vt ex cõsuetudine habetur: nam mortuo Episcopo durare censetur donec à cap. vel à successore reuocetur.

Duplex opinio.

Hic est duplex opinio, aliqui dicunt tantùm durare in causis inchoatis ante mortẽ Epi, & delegantis, non in causis nõ incæptis: ideo si quis cæpit audire confessionẽ alicuius viuente Epo, & habita dimidia confessione Episcopus moritur, delegatus potest prosequi cõfessionem, & illum absoluere: at mortuo Episcopo non potest incipere audire alium, & illum absoluere. Hanc opinionem tenent Syluester verbo *Confessor* 1. q. 9. D. Anton. 3. p. tit. 17. ca. 9. Nauar. autem in ca. *Placuit*, n. 161. tenet contra pręedictos auctores, scilicet auctoritatem delegatam in foro pœnitentiæ nõ cessare, & eum sequitur Suarez eadem disp. 26. sect. 3. & licèt Nauar. ibi loquatur de eo, cui cõcessa est facultas eligendi sibi cõfessorẽ: tñ videtur ẽt valere in nostro casu: quia videtur esse idẽ, & maiori rõne videtur hoc esse verum de auctoritate concessa sacerdoti quàm pęnitenti: qm̃ habita concessione ab ordinario, statim sacerdos recipit ptãtẽ: at pœnitens per concessionem illius licentiæ nõ recipit ptãtẽ, vt suo loco nunc infrà dicã; sed tm̃ deligit psonã, cui postea statim à Deo cõfertur auctoritas. Et rõ est, quia hęc cõcessio auctoritatis iurisdõnis est gratia quædã; gratiæ aũt nõ expirant per mortẽ concedentis, inquit Nauar. vbi suprà ex c. *Sicui*, de pręebendis, li. 6. vbi dicitur, qđ potestas collata alicui de benefficio cõferẽdo nulla psona

expressa

expressa non expirat morte concedentis. Ad rationes verò pro alia parte ex auctoritate illius capitis, *Licet*, & similium, respondit Nauarrus, quòd loquitur de mandato de aliquid faciendo, & in foro exteriori quòd pertinet ad iustitiã faciẽdã, illud enim re vera expirat mortuo mandante, non autem loquuntur de gratia cuiusmodi est ista concessio auctoritatis in foro pœnitentiæ. Et hæc opinio mihi quoque placet, ea præsertim ratione, quia si mortuo Episcopo statim cessaret auctoritas delegata, multæ fieri possent confessiones inualidæ. Nam multi sacerdotes possent absoluere multos antequàm scirent Episcopum esse mortuum, & tunc illæ confessiones essent inualidæ ex defectu auctoritatis in sacerdote, & multæ confusiones orirentur. Et confirmatur, quia hoc nihil derogat auctoritati successorum, quippè qui omnes illas abrogare possent: atque hoc consuetudine receptum esse videtur, ait Suarez.

Si Ep̃s ammittat iurisdictionem vsus.

101 Hoc idem dicendum est multò magis, si Episcopus excommunicetur vel suspendatur, & iurisdictionis vsu priuetur, quia in hoc casu non amittit iurisdictionem, sed vsu solo priuatur, ibi autem omninò eius iurisdictio amittebatur.

Mortuo Põtifice, non cessat auctoritas ab eo delegata.

102 Quòd si hoc verum est de Episcopo, multò magis erit verum de auctoritate delegata à Summo Pontifice. Vndè omnes concedunt, eum posse concedere auctoritatem hanc delegatam perpetuo duraturam, donec à successore reuocetur, quod patet ratione, quia in ipso est suprema potestas communicandi hanc iurisdictionem: ideò ipse potest, vt libet, hanc auctoritatem definire, & tradere. Vndè, priuilegia concessa Regularibus perpetuò durant, & in foro exteriori concessum est inquisitoribus eorum auctoritatem durare. Auctoritas ergo delegata à Summo Pontifice, vt perpetuò duret, vel ad certum tempus tantùm duret, etiam si infrà illud tempus Papa moriatur, pendet ex eius concessione.

De parocho.

103 De parocho videtur idem dicendum esse, nisi aliter inhibitum, & ordinatũ sit ab Episcopo cui subest. Hic enim casus his temporibus non habet ferè, locum: quia parochi non possunt admittere aliquem ad audiendum confessiones, nisi de licentia Episcopi, vt habetur ex Concilio Tridentino sess. 23. cap. 15. vbi statuitur nullum sacerdotem etiam Regularem posse audire confessiones nisi ab Episcopo approbetur.

Quid de auctoritate delegata in artic. mortis, & de venialibus.

104 De auctoritate verò delegata in articulo mortis, & quò ad venialia, quid sit dicendum, exposuimus suprà hac disp. cap. 3. in responsione ad argumenta pro Armachano.

De facultate eligendi cõfessorẽ.

105 Tandem est alius modus delegandi facultatem, seu iurisdictionem alieno sacerdoti, & est, cum sacerdos proprius concedit facultatem suo subdito, vt possit sibi eligere confessarium, à quo sacramentum pœnitentiæ recipiat. In hoc casu enim sacerdos proprius non communicat auctoritatem pœnitenti, qui postea eam communicet sacerdoti alieno se illi subijciendo, quia laicus non est capax huius iurisdictionis, sed solùm conceditur facultas pœnitenti dessignandi personam sacerdotis alieni, cui postea facta dessignatione à sacerdote habente ordinariam iurisdictionem, communicatur auctoritas absoluendi, quod est dicere, sacerdos proprius concedit sacerdoti alieno, qui designabitur à pœnitente, auctoritatem iurisdictionis super illo pœnitente: ideò talis concessio est quædam delegatio; & ideò omnia, quæ dicta sunt suprà concurrere in facultate delegata, etiam debent concurrere in hoc casu: vndè omnes illi, qui sunt ordinarij sacerdotes, & qui habent auctoritatem ordinariam, vel delegatam, vt eam communicent alijs, possunt hanc facultatem concedere, quia est eadem ratio; & superior potest eam conferre independenter ab inferiore: immò eo repugnante, vt suprà dictum est. Vnde habens licentiam à Papa eligendi confessorẽ non tenetur eligere aliquem ex approbatis ab ordinarijs, nisi specificetur in concessione, alioquin nullum esset priuilegium. Vnde post Conc.

De habẽte licẽtiã à Papa de eligẽdi confessorem.

Fab. de Confessione.

Tridentinum in omnibus bullis, in quibus conceditur facultas eligendi confessorem, semper apponitur hæc clausula, ex approbatis ab ordinario; sed de nouo iure condito à Concilio Tridentino posteà dicemus, cum explicabimus, quid ab Ecclesia sit ordinatum circa confessionem, qui est tertius articulus quæstionis Scoti. Satis est, quòd de iure antiquo poterat quemcunque non approbatum eligere, quæ est communis sententia Paludani in 4. distin. 17. q. 4. n. 17. & 18. Adriani post quæstionem, scilicet de confessione dub. 1. Caietani in Summa verbo *Absolutio*. Nauarri in cap. *Placuit*. de pœnitentia distinct. 6. nu. 49. & sequentibus. Suarez disp. 28. sect. 3. qui multos alios citat, & debet intelligi quò ad non reseruata, nisi specialiter horum facultatem concedat, vt etiam ibi explicauimus. Nec requiritur aliqua causa, sed sola petitio pœnitentis, quia est collatio gratiæ, quæ ex liberalitate, & sinè causa solet dari.

106 In hac tamen concessione occurrunt multa dubia, ideò Nauarrus hanc materiam tractat longo sermone in cap. *Placuit*, à num. 49. Paludanus in 4. distinct. 17. quæst. 4. Soto distinct. 18. quæst. 4. art. 3. Syluester verbo *Confessor* 1. num. 18. Suarez disp. 27. sect. 1. qui alios citat. Primum dubium est, An facultas eligendi confessorem concessa ab Episcopo, vel Pastore excommunicato, vel suspenso valida sit ad veram, & validam confessionem faciendam. Hic sunt duæ opiniones. Prima affirmatiua, & est Paludani, vbi suprà, quem sequitur D. Ant. 3. p. tit. 17. cap. 9. quorum fundamentum est, quia dicunt iurisdictionem esse collatam sacerdoti de iure diuino, & ab Ecclesia esse postea suspensam: ideò cum Episcopus, vel Prælatus concedit licentiam alicui eligendi sacerdotem, illa non est commissio iurisdictionis sacerdoti electo, quia excommunicatus non potest iurisdictionem committere, sed est permissio, & cõcessio, vt propria iurisdictione vtatur, qua priùs propter Ecclesiæ prohibitionẽ vti nõ poterat. Hanc opinionem quoque sequitur Nauarrus prędicto cap. *Placuit*, n. 55. licèt reprehendat Paludanum de contradictione, non de opinione.

An licẽtia data ab excõmunicato Ep̃o eligẽdi cõfessorẽ sit valida.

Duæ opiniones.

107 Communior tamen, & verior sententia est, non esse validam. Hanc opinionem tenent Victoria in Summa n. 152. Soto, & Suarez vbi suprà, & fundamentalis ratio est: quia vt suprà ostendimus iurisdictionis auctoritas est quidem à Deo, sed per Summum Pontificem, & alios prælatos, atque adeò per Ecclesiam: vndè cum prælatos superior suspendit inferiorem ab hac iurisdictione, ille nullum actum iurisdictionis potest exercere, nec illam, multò minùs alijs concedere, cum ipse illa careat. Ideò fundamentum contrariæ opinionis est omninò ruinosum, scilicet quòd iurisdictio de iure diuino sit collata omni sacerdoti immediatè: dicimus enim quòd illam habet à Christo Domino, sed mediante Papa, & Ecclesia, quæ ipsam potest dare, & auferre.

Cõmunis opinio.

108 Secundum dubium est, cum hæc concessio eligendi confessorem fieri possit immediatè à Christo Domino, scilicet de iure diuino, & à prędatis Ecclesię, & tandem ex cõsuetudine, quinam illam habent. Et quidem loquendo de iure diuino solus Summus Pontifex potest eligere sibi confessarium. Hoc patet ex dictis suprà: nam cũ Summus Pontifex nõ habeat superiorem nec iure diuino, nec humano, & tamen necessarium sit, vt confiteatur peccata mortalia, quæ vt homo cõmittere potest, & ideò ipse quoque præcepto confessionis adstringitur, nec diuino iure, nec humano aliquis sit ei dessignatus sacerdos, sequitur, vt ipse possit sibi illũ eligere, qui, dum ei se subijcit, dat auctoritatem iurisdictionis suprà se, vt diximus suprà. Loquẽdo vero de iure Ecclesiastico omnes Episcopi, & eorum superiores, scilicet Archiepiscopi, & Patriarchę, & Cardinales, & etiam Prælati inferiores habent facultatem hanc eligendi sibi confessarium. De Episcopis, & alijs superioribus, nec non inferioribus prælatis patet ex cap. *Ne pro dilatione*, de pœnitentia, & remiss. lib. 5. Decretaliũ Greg. ꝙ intelligitur de Episcopo vero, idest qui est consecratus,

Qui iure diuino, vel humano eligere possunt confessorem.

De iure positiuo Epi, & pręlati inferiores, & superiores sunt exempti.

& habet Episcopatum. Dessignatus enim tantùm non est verus Episcopus. Dubium est de eo, qui renuntiauit Episcopatum. Paludanus adductus à Suarez disp. 27. sect. 2. negare videtur, Suarez affirmat gaudere eodem priuilegio, quia capitulũ nihil aliud requirere videtur nisi, quod sit Episcopus: qui autem renuntiauit, est verus Episcopus, degradatus verò nequaquam fruitur hoc priuilegio, cum enim sit priuatus priuilegio clericali, multò magis priuilegio Episcopali priuatur. De deposito, vel suspenso idem videtur dicendum: quia cum sit priuatus iurisdictione saltem quò ad vsum amisit iurisdictionem, qua possit se alij subijcere. Suarez tamen vbi suprà tenet oppositum, quia inquit depositus, & suspensus sunt priuati administratione, & ministerio offitij proprij sui, non autem omnibus priuilegijs Episcopis concessis. Sed mihi videtur, quòd Episcopus suspensus, & depositus non possit hoc priuilegio vti, quia priuilegium videtur concedi Episcopis, & prælatis in dignitatibus existentibus, non ijs, qui vel sunt depositi, vel suspensi; suspensus autem, & depositus est ac si non sit Episcopus.

De Cardinalibus.

109 De Cardinalibus siue sint Episcopi, siue non, certum est ex vsu eos esse prælatos, & superiores Episcopis: ideò caput illud potest extendi ad illos, & de facto videmus illos vti hoc priuilegio: immò, & familiæ ipsorum, & commensales subsunt eis, & possunt cõfiteri cum his, quos ipsi dessignauerunt. Commensales etiam Papæ habent pro proprio sacerdote ipsum Papam, vel eum, cui ipse hoc munus delegat, quod patet ex vsu. Eandem licentiam habent omnes prælati inferiores exempti à iurisdictione Episcopali, & immediatè subiecti Sedi Apostolicæ: quia de his apertè fit mentio in prædicto cap. Per prælatos autem intelliguntur omnes habentes iurisdictionem in foro contentioso: sed per *prælatos inferiores exemptos*. Angelus verbo, *Confessio* 3. sequutus Panormitanum, & Hostiensem, tenet intelligi debere illos prælatos qui non habent alium superiorem nisi Summum Pontificem, cui immediatè subsunt. Paludanus verò, quem sequitur Syluester, ibi, & Suarez tenent intelligi debere non solùm prælatos immediatè subditos Papæ, sed etiam omnes prælatos, qui in foro pœnitentiæ sunt exempti à iurisdictione Episcopali, etiam si habeant alios prælatos superiores infra Papam, cuiusmodi esse possunt Prior, seù Guardianus, Abbas, rursus Prouinciales, & Generales ordinum; & hæc opinio mihi placet, quia in illo cap. dicitur, quòd prælati inferiores exempti, *Possint eligere sibi confessorem sinè sui superioris licentia*, & hoc facit propter absentiam superioris *ne propter dilationem pœnitentiæ periculum immineat animarum*, modò istæ rationes concurrunt in omnibus istis prælatis inferioribus: habent enim superiorem, & sæpe superior hic potest abesse ab illis. Vndè si Prior, vel Guardianus, vel Abbas cogeretur expectare ad confitendum sua peccata Prouinciali, vel Generali, nulli dubium est periculum animæ imminere posse. Quod totum est verum de iure communi: nam si per speciales cõstitutiones religionum confirmatas à Pontificibus, aliter sit determinatum, illæ sunt inspiciendæ, & seruandæ. Electio autem ista debet fieri, seruando alia iura religionis, scilicet, vt eligat sacerdotem eiusdem religionis, & non extrà, & si quæ aliæ ordinationes adsint.

De prælatis exemptis.

De parochis.

De parochis verò est dubium; aliqui tenent eos gaudere eodem priuilegio, quia priuilegia sunt amplianda, vt Angelus, & Syluester vbi suprà n. 8. cum Panormitano. Alij negant, vt Suarez vbi suprà, quia reuera parochi, regulariter loquendo; non sunt exempti à iurisdictione Episcopali, neque sunt immediatè subiecti Sedi Apostolicæ: ideo hic textus in illis non habet locum, neque ipsi nomine prelati veniunt in iuribus: nam in Clemẽtina *Dudum*, de sepult. distinguitur inter prelatum, & parochum, Verbo *Prelati*.

An vnico actu expiret hæc facultas.

Quantum verò ad extensionem huius facultatis, aliqui dicunt, quòd ad vnicum actum, meliùs autem cum Nauarro cap. *Placuit*, n. 166. qui alios citat in hanc sententiam, & cum Recentioribus; dicendum est non determinari vnico actu, vel certo numero, sed per hanc facultatem illum, qui eam habet, posse arbitrio suo eligere plures confessores, & mutare, vel sæpius vni confiteri prout libuerit. Ratio est: quia nisi hoc priuilegium ita intelligeretur frustrà videretur concessum. Et cum Papa concedat illud ne periculum animæ quis patiatur habita vna confessione adhuc per recidiuum potest egere confessario, & sic nisi posset eligere, iterum esset in periculo, vt priùs; ergo de hoc nulla debet esse dubitatio.

An pp ignorantiã proprij sacerdotis liceat sibi eligere alium.

Tertium dubium est, an in aliquo casu fideles à iure habeant facultatem eligendi sibi confessarium, & præsertim est dubitatio, an propter ignorantiam confessoris proprij, quilibet subditus possit sibi eligere confessorem. Magna pars Theologorum putat in hoc casu licere cuilibet eligere confessorem, quòd eliciunt ex cap. *Placuit*, 9. quæst. 2. de pœnitentia distinctione sexta, cuius summa est, vt tradit Nauarrus in principio expositionis illius cap. Quod nullus sacerdos alienum parochianum ad pœnitentiæ sacramentum suscipere potest, nisi de ipsius consensu, vel nisi quando proprius est ignorans, & contrarium faciens est castigandus. Ex hoc cap. videtur elici apertè, quòd in casu, quo proprius sacerdos sit ignorans, fidelis ei subditus habeat licentiam confiteri alieno sacerdoti. Et hoc modo hunc textum intellexerunt Magister Sententiarum in 4. distinctione 21. in fine, & ibi Diuus Bonauentura in expositione litteræ. Nauarrus cap. *Placuit*, 144. citantur autem multi alij in hac sententia à Suarez in disputatione 27. sectione secunda, & multi ex Canonistis etiam à Nauarro. Aliqui autem absolutè dicunt non esse petendam licentiam, vt Paludanus citatus ibi à Nauarro. Alij verò dicunt necessarium esse petere licentiam, & si non obtineatur, recurrendum esse ad superiores; quòd si non possit haberi aditus, nec obtineri, tunc recurrendum esse ad alios delegatos à parocho, si tales habeat: vel ad delegatos ab Episcopo: vel ad delegatos à Pontifice, vt sunt regulares. Si verò nullus horum haberi possit, & adsit aliquis alius idoneus, qui habeat iurisdictionem in hoc foro, licèt non in hunc parochianum, esse recurrendum ad illum; quod videntur velle Adrianus, & Nauarrus.

Vera sententia.

110 Alia sententia tenet oppositum, scilicet ignorantiam nõ sufficere ad hoc, vt quisque parochianus, vel subditus possit eligere sibi confessorem, sine licentia proprij sacerdotis; sed dicunt in casu isto debere peti, & obtineri; quòd si non obtineatur, non potest validè alieno cõfiteri. Hanc sententiam tenent Alensis 4. p. q. 19. m. 1. art. 2. D. Thomas 4. dist. 17. q. 3. art. 3. quæst. 4. ad 5. & 6. Soto dist. 18. quæst. 4. art. 2. & multi alij, quos citat, & sequitur Suarez disp. 27. quæst. 4. assertione secunda, & sectione secunda, num. 21. & probatur: quia caput illud *Placuit*, debet intelligi secundùm declarationem capitis *Omnis vtriusque sexus*, idest cum licentia petita, & obtenta à proprio sacerdote. Alioquin caput illud *Omnis*, &c. esset totum irritum, & inane, quam licentiam tenetur dare sub pœna peccati, ait D. Thom. vbi suprà: quia sunt multi infirmi, qui potiùs morerentur sine confessione, quàm tali sacerdoti confiteri. Præterea cap. illud *Placuit*, Vrbani Secundi videtur intelligi de pœnitentia publica, & habere hunc sensum, vt voluerit prohibere quandam consuetudinem, quæ tunc temporis erat, vt cum quis confessus erat sua peccata vni sacerdoti, à quo etiam obtinuerat pœnitentiam faciendam ad præscriptum illius confessarij, alium adhibebat, vt illam mutaret, & leniret: ideò dicit, quòd non liceat alteri sacerdoti absoluere illum, qui alteri sacerdoti priùs se commisit, vbi nõ videtur loqui solũ de parochiano subdito, sed de quocunque, qui alteri priùs confessus fuerit. Sed quomodocunque exponatur ille textus, satis est ignorantiam sacerdotis non esse causam rationabilem, vt parochianus possit proprium relinquere sacerdotem, & alterum sinè eius licentia adire propter rationem adductam.

Quar-

An in aliquo alio casu possit quis eligere sibi confessorē sine licētia proprij sacerdotis.

111 Quartum dubium est, an detur aliquis alius casus in iure, in quo subditus, sine licentia proprij sacerdotis, possit sibi eligere confessarium. Nam Hostiensis in Summa de pœnit. §. *Cui confitendum*, adducit septem casus, & D. Bonau. in 4. d. 21. in explicatione litteræ in fine, & D. Thom. in eadem dist. quibus dicunt, petita, sed non obtēta licentia, posse parochiano alieno confiteri, quorũ principales suprà cap. 4. huius disp. explicauimus, scilicet de eo, qui habet diuersa domicilia, vel domiciliũ in vna, & quasi domicilium in altera, vt sunt scholares, de his, qui nullibi habent domicilium, de peregrinis, de eo qui peccauit in parochia aliena. De mortis articulo verò, & de peccatis venialibus suprà dictum est, cap. 3. in responsione ad argumēta Armachani. Sed præter ista, adhuc præter ignorantiam, de qua nunc dictum est, adducuntur quidam casus præsertim isti. Primò absentia notabilis parochi nullo vicario relicto: nam in hoc casu videtur tacitam licētiam dare omnibus, cui voluerint, confiteri. Secundus casus est mors repentina parochi, in quo non possit delegare vices suas vicario alicui. Tunc enim videtur, quòd antequam Episcopus conueniri possit, & Vicarius substituatur quòd quilibet habeat facultatē cuilibet confitendi. Tertiò quando parochianus vult confiteri parocho, & parochus non possit, vel nõ vult audire, tunc enim videtur dare tacitam licentiam, quia non est verisimile velle priuare subditum hoc sacramento, tam necessario: quia in hoc peccaret, & iniustitiam committeret. Quartus casus est malitia confessarij, vt quando, vel reuelat confessionem, vel sollicitat in confessione. Isti casus fundantur super illud cap. *Placuit*, in quo Magister, & alijs eiusdē sententiæ citatis, per ignorantiam, non solũ intelligunt casum ignorantiæ, sed quoscunque casus, in quibus infertur præiudicium pœnitenti, & adsit in potentia, vel malitia contraria huic sacramento, vt præsertim sunt duo casus prædicti; reuelatio confessionis, vel inductio ad malum. Quintus casus est de verecundia ingenti pœnitentis, propter quam non vult confiteri proprio sacerdoti. Ad omnes hos casus aliqui respondent quemlibet subditum posse alieno confiteri sine aliqua licentia, & quò ad tres priores casus, videtur adesse licentia tacita. Quò ad quartam dicunt sufficere petere licentiam, licèt non obtineatur: quia licentia petita habetur pro obtenta, & hoc dessumunt ex Magistro, D. Bonau. & alijs locis suprà citatis, vbi hoc traddunt.

De absētia notabili parochi. Quid si parochus repētinè moriatur. Quid cũ parochus non vult, vel nõ põt audire cõfessioné. Quid cũ cõfessor ē malus, & sollicitat, vel reuelat cõfessionem, vel peccauit cũ pœnitente. An ab verecũdia ingētem. Prima opinio quò ad oēs hos casus.

Cõmunior opinio.

112 Cõmunior tamen sententia Theologorũ, & Canonistarum est in his quinque casibus non posse confiteri alieno sacerdoti. Ratio est, quia ad validitatem sacramenti requiritur iurisdictio in ministro; hæc autem necessariò est in sacerdote proprio, vel proximo, vel remoto, vel delegato ab illo: ideò qui non habet iurisdictionem à proprio sacerdote proximo, vel à superiore, qui est remotus caret hac potestate, & ideò sacramentum ab eo ministratum est nullum. In prædictis casibus autem hæc auctoritas non habetur; ergo nec valet dicere, quòd adest tacita, & præsumpta licentia: quia contra hoc faciunt, quæ dicta sunt nunc suprà ad probādum, quòd ratihabitio non sufficit in hoc sacramēto, sed necesse esse commissionem, & delegationem significari certis, & claris verbis, vel signis; quam sententiam amplexi sunt Alēsis, D. Thom. Soto, Suarez, & alij multi, vbi suprà. Ideo cum primus, secundus, & tertius casus occurrunt, parochiani, vel subiti debēt recurrere ad Episcopum, siue ad superiorem, vel ad aliòs sacerdotes ab illis habentes iurisdictionem, vt nunc sunt regulares: vel ad priuilegiatos à Papa. Et idem dicendum si parochus excommunicetur, vel deponatur, tenentur tamen Episcopi statim prouidere de Vicario. Quòd si nullũ horum dari possit, est existimandum, ac si desit illis copia sacerdotis; vt dicemus nunc ad quartum casum, de quo maior videtur esse difficultas: quia iurisdictio est de substantia huius sacramēti; hæc aũt in tali casu non habetur.

Ad quartũ casum.

113 Ad quartum respondetur similiter, malitiam sacerdotis non dare hanc facultatem, & auctoritatem pœnitenti, sed requiri concessionem iurisdictionis, quam tenetur petere, & obtinere, quòd si non possit, debet recurrere ad superiorem, vel ad alios delegatos habentes auctoritatem ab ipso sacerdote ordinario, vel ab Episcopo, & superiore sacerdotis proprij, vel ad habētes auctoritatem delegatam à Papa. Quòd si nullum horum locum habeat, differenda est confessio, donec melior opportunitas occurrat, & interim sibi per contritionem prouideat. Neque mirum est, quòd ex iniuria prælati, vt contingit, cum reuelat confessionem, vel non vult dare licētiam, vt alterum adeat, nec ipse vult audire. (In his enim casibus est manifestum nocumentum subditi, vel ex negligentia eius, vt cum est ignorantissimus, & negligit ministrare sacramenta, vel ex malitia ipsius, vt cum sollicitat in confessione, & inducit ad malum, & scandalizat) subditus inducatur in angustias, vt non habeat, nec habere possit confessarium qui succurrat suæ necessitati: nam hoc contingit quoque in alijs sacramentis. Potest enim contingere quòd aliquis velit, & cupiat baptizari, & tamen non habeat aquam; nec tamen Deus dispēsat, vt possit vti vino: nec absolutè ei prouidet. In talibus ergo casibus recurrendum est ad contritionem. Et hoc totũ verũ est quando confessio nullo modo fieri potest, vt cum non vult audire, nec dare licentiam confitendi alteri, vel non potest fieri rectè, vt cum est periculum de reuelatione, vel de scandalo: at si hoc periculum solùm sit cõfitendo aliquod peccatum, vel aliquam circunstantiam, tunc potest pœnitens confiteri alia peccata, & illud, propter quod periculum imminet, omittere, vt dictum est, cum loquuti sumus, de integritate confessionis, & alij sacerdoti, cum occasio se se præbuerit, confiteri. Et idem dicendum est si adsit præceptum confitendi, nec confessio possit differri sine graui scandalo; tunc enim debent omitti illa peccata, & circunstantiæ, quæ possunt parere hoc scandalum.

114 Cum autem adest solum periculum, vt sacerdos pœnitentem, e. g. mulierem sollicitet, & inducat simpliciter ad peccandum, & hoc periculum non oritur ex confessione alicuius peccati, vel circunstantiæ particularis, sed quia e. g. sacerdos inhonestè diligit illam mulierem, nec habet commoditatem ipsam alloquendi, nisi in confessione, & hoc ipsa scit, & ideò ipsa dubitat, ne occasione confessionis inducatur ad assentiendum peccato, & viget præceptum, & scandalum, nisi confiteatur, & nulli alij potest confiteri; in hoc casu puto eam teneri ad confessionem faciendam, pro tunc tacendo ea, quæ confessarium magis ad malùm inducere possent, & debere se commendare Deo, vt talem tentationem superet; sicut facere debet in alijs tentationibus, quas ne occurrant, vitare non potest; sed potest tamen illis resistere cum gratia Dei. Ad fundamentum contrariæ sententiæ ex illo cap. *Placuit*, respondetur iam esse explicatam intentionem illius cap. nunc suprà loquendo de ignoratia: ideò ex illo cap. in proposito nihil probatur.

An cõplici in peccato cõfiteri possit.

115 Hic autem communiter tangitur dubium, an mulier, quæ peccauit cum parocho, possit illi cõfiteri, vel hoc ipso sine eius licentia alieno confiteri possit, & vniuersaliter, an quis suo complici in peccato confiteri possit. Respondetur, quòd si timet periculum recidiuandi ex occasione nefariæ recordationis peccati, debet petere licentiã & obtinere, vt suprà dictum est. Si aut ob malitiam illius, vel ob aliquã aliam causam obtinere non potest, inquit Richardus in hoc 4. dist. 17. art. 3. quæst. 7. eam nihilominus alieno confiteri posse; sed hæc opinio est reiecta, quia non adest licentia, & ideò non validè posset absolui; ideò in tali casu debet confiteri eidem: si adsit præceptum confessionis, & periculum scandali, debet se Deo commendare, vt fructuosam faciat confessionem: si autem mulier probabiliter credat, quòd nec ex parte sacerdotis, nec ex parte mulieris immineat periculum, non solùm tenetur, sed etiam potest vtiliter complici sacerdoti confiteri: quia, vt inquiunt Soto in 4. dist. 18. quæst. 4. art. 2. in fine. Suarez disp. 27. sect. 4. num. 19. & Medina ibi citatus à Suarez. Talis confessio non tantùm potest esse

valida, sed fructuosè, & sanctè fieri: quòd sit valida probatur, quia adsunt omnia necessaria ad validitatem sacraméti, scilicet materia firma, intentio, & iurisdictio, neque vllo iure positiuo talis confessio prohibita est. Inquit tamen Soto Adrianum asserere talem confessionem in sua Dięcesi esse prohibitam sub pœna excommunicationis. Quòd autem fieri possit fructuosè, patet: quia potest contingere, quòd sacerdos sit emendatus, similiter, & pęnitens, & habeat dolorem de peccato illo, & mutuò hortentur ad desistendum à peccato, & sic sanctè, & fructuosè fieri potest; licèt non adsit tanta erubescentia, quanta si alteri confiteretur: si verò fieret cum notitia aliorum, vt si peccatum esset notum, vix fieri posset sinè scandalo, & peccato mortali, inquit Soto vbi suprà. Si autem fieret cũ impudicitia, & illecebra peccati, & excitatione ad peccatum, esset nedum inualida, quia in ea fieret actu peccatũ nouum, sed esset sacrilegium immane. Ad illud de verecundia respondendum est, vt suprà, quòd hęc minimè excusat, nec ex eo habetur licentia alieno confitendi, sed debet peti, & obtineri licentia: ideò in casu præcepti debet confiteri, & integrè: quia verecundia non excusat. In hoc tamen casu, vt significauit Nauarrus in cap. *Placuit* num. 150. & sequentibus cum D. Thom. vbi suprà tenetur sacerdos concedere licentiam petenti, neque illam negare, dummodo dicat se habere rationabilem causam alieno confitendi: nec debet sacerdos quærere, vel velle inuestigare causam, ne illum exponat maiori periculo. Non tamen tenetur Pastor illam licentiam absolutè dare, sed potest aliquam, vel aliquas personas dessignare prout prudenter iudicauerit: & hoc valdè necessariũ est in monialibus, quæ vnicum confessorem toto anni tempore habent, qui etiam est familiaris illis; ideòque timendum est, ne propter verecundiam, vel ob aliquam aliam causam aliquæ timeant liberè aperire illi conscientiam suã.

Ad illud de verecundia.

Confessor tenetur cõcedere licẽtiam petenti illam.

116 De consuetudine est difficultas, an tribuere possit facultatem alicui eligendi sibi confessorem, quam tractant Gabriel Biel sect. 3. in Canonem. Nauarrus in ca. *Placuit* num. 30. & sequentibus Soto in 4. dist. 18. quæst. 4. art. 2. Suarez disp. 27. sect. 3. Resolutio est, quia de facto videmus in aliquibus casibus aliquos ex consuetudine introducta eligere sibi confessarios absque licentia speciali suorum superiorum, vt parochi sibi inuicem confitentur. Vndè cum hoc non habeant à iure, quia hoc nullibi in iure habetur, videtur, quòd habeant ex consuetudine: idem patet de quibusdam alijs prælatis, & in alijs casibus, qui cum de facto procedant, non possunt ad sciẽtiam redigi.

An ex sola consuetudine, quis eligere possit confessorẽ.

117 Sed contra hoc est caput *Si Episcopus*. De pœnitent. & remiss. in 6. vbi dicitur. *Nulla quoque potest consuetudine introduci, quòd aliquis præter sui superioris licentiam confessorem sibi eligere valeat, qui eum possit soluere, vel ligare*. Multi in responsione ad hoc argumentum dicunt multa: tamen resolutio esse videtur, quòd consuetudo sola non potest prębere hanc facultatem: quia quòd requiratur iurisdictio, quæ à solo superiore, & proprio sacerdote emanat, est de iure diuino, cui ius humanum, à quo est consuetudo, non potest derogare, neque pręscribere: & hoc modo procedit hoc cap. *Si Episcopus*. At consuetudo auctoritate tacita superioris firmata potest. Vndè credendum est, cum primò parochi cæperunt inuicem confiteri, hoc de licentia suorum superiorum fecisse, quæ consuetudo, & mos postea sic continuatè introducta videtur auctoritate tacita Episcoporum, qui hanc consuetudinẽ non reuocauerunt: possent autem reuocare, quia consuetudo, vt dictum est, cum sit ab hominibus, nõ potest pręscribere iuri diuino: & hoc cum Doctoribus suprà citatis puto dicendum, vbi ex consuetudine habetur hæc facultas. Illud verò, quod parochi confiteantur sibi inuicem, non puto haberi ex consuetudine prædicta, sed quia, cum sint prælati, habent facultatem se subijciendi alteri, qui in ipsos non habet ius in his, in quibus Episcopus non impedit, nec sibi reseruat. Episcopi autem non reseruant sibi, quòd parochi non possint sibi eligere confessorem; ergo hoc proprio iure possunt.

Obiectio.

Solutio.

118 De facultate concessa, & delegata ab homine personaliter alicui eligendi confessorem, nihil aliud occurrit dicendum præter ea, quæ suprà hoc cap. diximus de delegatione auctoritatis facta sacerdoti: ea enim hîc seruanda sunt cum proportione.

De confessione facta ab hoĩe personaliter.

DISPVTATIO XXVI.

De conditionibus ministri confessionis.

De potestate bonitate, scientia, & prudentia confessoris. Caput Vnicum.

1 LOquentes de conditionibus ministri idonei ad ad hoc sacramentum varij varias afferunt. Alij qui dicunt sex conditiones requiri, scilicet potestatem ordinis, iurisdictionis, proprietatem, scientiam, sigillum, examen. Alij tres tantùm enumerãt, scilicet auctoritatem, bonitatem, & scientiam. Alij quinque scilicet auctoritatem, bonitatem, scientiam, prudentiam, & sigillum. Quarum multæ non pertinent ad pręsentẽ locum, sed suis locis explicantur, vt sigillum, potestas ordinis, & iurisdictionis, proprietas, examen. Vt autem ordinatè rem hanc explicemus. Notandum est primò, quòd absolutè, & simpliciter loquendo ad vtilitatem sacramenti duæ tantùm requiruntur conditiones in Ministro, scilicet potestas ordinis, & iurisdictionis, vt docuit Scotus in hoc 4. dist. 17. quæst. 1. art. 2. §. *Cui sit facienda confessio*. Patet, & est communis sententia: quia reliquæ conditiones, scilicet bonitas, scientia, & reliquæ non sunt de essentia in ministro, itaquòd si desint ex parte Ministri, sacramentum sit nullum, vt videbimus: tamen, vt clariùs omnia explicentur, secundò notandum est aliud esse quęrere, quæ sint conditiones necessariæ confessori iã constituto in munere confessoris: & aliud loqui de conditionibus requisitis in persona eligenda ad hoc munus, vt idoneus censeatur ad hoc ministerium: & aliud est loqui de conditionibus simpliciter necessarijs, vt validè fiat: & aliud est loqui, vt rectè fiat. Conditiones ministri secũdũ duo priora membra vtriusque distinctionis sunt illæ duę nunc assignatæ ex Scoto, & alijs. Conditiones verò secundùm duo posteriora membra vtriusque distinctionis nũc sunt explicandæ.

Variæ conditiones cõfessoris assignantã varijs.

2 Obseruandum est autem easdem requiri conditiones in persona admittenda ex auctoritate delegata ad cõfessionem, & in persona deputanda ad aliquod beneficium, & ad auctoritatem ordinariam, quantum ad hoc munus, licèt propter alia munera obeunda, multò magis in ordinaria, ista requirantur.

Eædem cõditiones requirũtur in ordinario, & delegato confessore.

3 Tres ergo conditiones communiter dicuntur esse necessariæ ad personam promouendam ad hoc ministerium, scilicet potestas, scientia, & bonitas. Quantùm ad potestatem necessariam, est, vt habeat potentiam naturalem, quæ requiritur in ministrandis sacramentis. s. quòd possit audire, & intelligere confessionem: possit loqui, vt possit proferre absolutionem: habeat discursum, vt possit ferre iuditium. Debet etiam habere potestatem supernaturalem. s. ordinis sacerdotalis: tunc enim est capax auctoritatis iurisdictionis, quæ est potestas, qua formaliter constituitur in hoc munere, quam suprà diximus esse necessariam simpliciter ad hoc sacramentum. Omnia hæc patẽt; & de ptãte naturali quidem: q̃a hæc præsupponitur supernaturali; & de ptãte supernaturali ordinis, & iurisdictionis iam in superioribus disputatũ est. Et hæc de potestate.

Tres conditiones necessariæ.

De potestate.

4 Quantùm ad bonitatem possumus distinguere de triplici bonitate, scilicet de bonitate propriè dicta, quæ est esse in gratia, & de bonitate per extẽsionem nominis, quæ est non esse inodatum aliqua censura ecclesiastica: & de bonitate morali, quæ pertinet ad morum compositionem. Loquendo de bonitate primo modo, certum est bo-

De bonitate.

nitatem

nitatem hanc ſupernaturalem, ideſt eſſe in gratia, non eſſe ſimpliciter neceſſariam, neque ad ſuſcipiendam iuriſdictionis auctoritatem, neque ad ipſam habitã validè exercẽdam. Fuit.n. hæreſ.s Vviclephi, vt habetur in Conc. Conſtant. ſeſſ. 14. non ſolùm peccatores, ſiuè occultos, ſiuè manifeſtos, ſed etiam bonos in præſenti, ſed malos in futuro, ideſt præſcitos non poſſe ſacramenta conficere: quę hæreſis in prædicto Conc. Conſtant. ſeſſ. 8. & tandem in Trid. ſeſſ. 7. can. 12. damnata eſt. De hac re fuſè Bellarminus lib. 1. de Sacramentis in genere, cap. 14. & Scholaſtici omnes, Alenſis 4. p. quæſt. 20. m. 7. ar. 1. D. Bonau. diſt. 19. a. 1. q. 2. Scotus in hoc 4. d. 5. q. 1. D. Thomas 3. p. q. 4. ar. 5. & alij. Ratio autem clara eſt, quia miniſter in adminiſtratione ſacramentorum operatur virtute, & auctoritate diuina: ſed propter peccatum Deus non aufert eis hanc poteſtatẽ miniſterialem; ergo miniſter in peccato mortali, & extra gratiam exiſtens validè poteſt miniſtrare ſacramentum. Maior probatur, quoniam ſcripturę paſſim hoc ſignificant. Ioan. 1. *Hic eſt qui baptizat in Spiritu ſancto*. Ergo præcipuus auctor in baptiſmo eſt Chriſtus. & 1. Corint. 3. *Neque qui plantat eſt aliquid, neq. qui irrigat, ſed qui incrementum dat Deus*. Minor quoque probatur, quia auctoritas conficiendi ſacramentum, non eſt gratia gratum faciens, ſed gratia gratis data; gratia autem gratis data non pugnat cum peccato, ſed cum illo munere poteſt; ergo per peccatum non aufertur, quòd poteſtas conficiendi ſacramenta ſit gratia gratis data: patet: quia gratia gratis data non confertur propter vtilitatem habentis, ſed aliorum. Huiuſmodi autem eſt poteſtas adminiſtrandi ſacramẽta.

De bonitate.

5 Vnde cum Chriſtus inſtituens hoc ſacramẽtum, dixit, *Accipite Spiritum ſanctum*, &c. non intellexit de gratia inhærente, & iuſtificante formaliter, ſed intellexit virtutem, & poteſtatem, ſiue aſſiſtentiam Spiritus ſancti, vt intellexerunt Chryſoſt. & Cyrillus in eo loco, vt ſit ſenſus, *Accipite*, virtutem, & poteſtatẽ Spiritus ſancti, *Quorum remiſeritis*, &c. & certè hic eſt ſenſus obuius: & experiẽtia hoc patet, quia Iudas erat malus, & tamen baptizabat, vt
6 docet D. Aug. tract. 5. in Ioan. ex illo Ioan. 4. *Ipſe non baptizabat, ſed diſcipuli eius*. Quod dictum eſt de charitate, idem dicendum de fide: nam vt dictum eſt etiam hæreticus, qui non habet fidem, ſi cętera adſint, poteſt abſoluere validè, propter eandem rationem: requiritur tamen fidelitas, i. intentio faciendi, quod facit Eccleſia. Loquendo de bonitate ſecunda, ſcilicet extendendo nomen, quæ eſt liberatio ab omnibus cenſuris, hæc eſt ſimpliciter neceſſaria: qui enim eſt ligatus cenſuris, vt excommunicatus, ſuſpenſus, & huiuſmodi non poteſt recipere auctoritatem iuriſdictionis; quia hæc poteſtas ſupponit poteſtatem ordinis in habitu, & actu. Cum autem quis eſt ligatus cenſuris non poteſt habere actum poteſtatis ordinis, quæ eſt neceſſaria cum poteſtate iuriſdictionis, quæ omnia patent ſuprà: & requiritur denuntiatio publica, & nominatim excepta percuſſione notoria clerici, vt patebit ex materia de cenſuris: & hoc eſt proprium huius ſacramenti, quia in hoc requiritur poteſtas in corpus miſticum Chriſti, cuius vſus per cenſuram tollitur. Vndè excommunicatus poteſt baptizare, & conficere: non poteſt autem abſoluere, quia ibi non requiritur poteſtas hæc; hic autem requiritur. Vndè cum dictum eſt ſuprà, quòd peccator, & homo malus, etiam hæreticus poteſt miniſtrare hoc ſacramentum validè, intelligitur de illo quatenus eſt in peccato præciſè, ſecluſa cenſura; at ratione cenſuræ nullo modo validè cõficere poteſt, vt patebit agendo de excommunicatione, ſecus in articulo mortis, de quo ſuperiori diſput. *de cui* ſit facienda cap. 3. ad 3. pro Armachano.

De bonitate ſecunda.

Hæreticus quõ validè & inualidè poſſit conficere ſacramentum.

De bonitate morali.

7 Loquendo de tertia bonitate, quæ eſt circa mores, dicendum eſt vt ſuprà, quòd non impedit, quin validè ſacerdos conficiat ſacramentum propter eandem rationẽ, quia hæc non aufert poteſtatem miniſterialẽ à ſacerdote.

8 Si verò loquamur de adminiſtratione, vt rectè, & ſinè peccato fiat, dicendum eſt, omnes tres bonitates requiri: & de ſecunda quidem patet: ſi enim requiritur ſimpliciter, multò magis ad bene eſſe. Requiritur etiam prima bonitas, vt ſcilicet ſit in gratia, quia non licet miniſtrare ſacramentum in peccato mortali, vt habetur in cap. *Sacroſancta Religio*. 1. q. 1. vbi dicitur, *Quomodo ad diuini myſterij conſecrationem cęleſtis ſpiritus inuocatus adueniet, ſi ſacerdos, & qui eum adeſſe deprecatur crimínoſis plenus actionibus reprobetur?* Vbi Gloſſa inquit, ſacroſancta, i. religioſa ſacramentorum reuerentia, i. Euchariſtia, vel quodlibet aliud ſacramentum, & cap. *Omnia ſacramenta*, eadẽ 1. q. 1. dicitur, *Omnia ſacramenta cum obſint indignè tractantibus, proſunt tamen per eos dignè ſumentibus*, & eſt communis Theolog. aſſertio. Suarez de pœnit. diſput. 28. ſect. 1. num. 2. & diſp. 16. ſect. 3. tomo de Sacramentis in genere. Nauar. in Summa cap. 22. num. 3. Soto in 4. diſtinct. 17. q. 2. ar. 6. concl. 4. hoc habetur expreſsè in capit. vltimo, de temporib. ordinationum à Greg. IX. vbi dicitur monendos eſſe ſacerdotes iniquos, & ſub interminatione diuini iudicij obteſtandos, ſi non pęnituerint, vt in ſuſceptis ordinibus non miniſtrent: & hoc intelligitur de quocunque ſacramento.

Bonitas requiſita ad rectũ vſum.

An verò teneatur miniſter præmittere confeſſionem, vel ſufficiat contritio, eſt diſertio. Aliqui, vt Marſilius in 4. q. 12. ar. 1. p. 5. Paludanus diſt. 5. q. 2. circa finem affirmãt: Soto verò, Nauarrus, & Suarez, & citati ab eis nunc ſuprà, dicunt obligari ad confeſſionem ſolùm in celebratione miſſæ, non in diſpenſatione Euchariſtiæ, nec in miniſtratione aliorum ſacramentorum, ſed ſolùm ſufficere contritionem. Cęterùm ego puto dicendum in miniſtratione cuiuslibet Sacramenti non teneri ſacerdotem ad præmittendam confeſſionem ex præcepto, quod ſe teneat ex parte, & vi ſacramenti, itaquòd ſi non confiteatur, committat duplex peccatum. ſ. contra præceptum confeſſionis, & præcepti de reuerentia ſacramenti, ſed teneri ex præcepto ſanctè tractandi ſacramentum: & ideò eſſe vnum peccatum ſolum. Ratio eſt, quia cum contritio includat in voto confeſſionem, nec aliquis poſſit eſſe certus, an ſit contritus, ſi habeat copiam confeſſoris, ſe exponit periculo miniſtrandi ſacramentum in peccato mortali, contra præceptum tractandi reuerenter ſacramentum, quòd maximè exageratur in præcitatis Canonibus. Si verò conficit Euchariſtiam in peccato mortali, duplici peccato peccat, quia præceptum de confeſſione ſpecialiter obligat reſpectu Euchariſtiæ: quia eſt pręceptum latum iure diuino à Chriſto Domino, vt ijdem Doctores ſecundę opinionis docent. Soto in 4. d. 15. q. 1. ar. 4. Suarez tomo de Sacramentis in genere, diſp. 63. ſect. 3. qui aliõs citat, & ex D. Paulo, & Concilio Trident. probat; & idem videtur ſupponere Scotus in 4. diſt. 9. q. 1. vt loquendo de præcepto confeſſionis dicam. Ad hoc reducitur quęcunque legitima prohibitio facta à ſuo ſuperiori ne confeſſiones audiat, licèt non ſit ſuſpẽſio, ſed ſimplex pręceptum: nam tunc peccaret non obediendo, & ſic amitteret gratiam.

An miniſter teneatur pmittere cõfeſſionem.

9 De tertia bonitate idem dicendum eſt, & ſumitur ex prædictis cap. Cùm enim ſacerdos ſit ſolitus peccare, & maximè cum ſcandalo, nec eſt bonæ famę, vt cum publicè ſolet committere grauia peccata, ſicut nõ poteſt dignè, niſi emendetur, & ſatisfaciat etiam publico ſcandalo: ita nec poteſt eſſe ſubiectum diſpoſitum ad recipiendum iuriſdictionem adminiſtrandi hoc ſacramentum: & qui eũ promouet, ſciens, peccat mortaliter, quia inducit indignũ ad miniſterium ſacrum, in quo exercendo peccat; inducit ergo ad peccatum, & ſic inducens, & promouens peccat: & maximè, quando hęc auctoritas delegatur per multũ tempus, & per manentes ad illam exercendam: ſecus ſi pro vna vice committatur in caſu, quo probabiliter exiſtimet, pro tunc eſſe ſine peccato.

De bonitate morali.

10 Tertia conditio eſt ſcientia, de qua ſimpliciter eſt diſtinguendum de ſcientia neceſſaria ad valorem ſacramenti, & de ſcientia neceſſaria ad hoc, vt ritè, & rectè, & ſine peccato hoc ſacramentum adminiſtretur.

De ſcientia reqſita ad confeſſorẽ.

11 Quantùm ad primum fuit ſententia Mag. Sent. in 4. d. 19. cap. 1. quòd ſcientia habitualis, ſeu actualis, ſeu di-

Opin. Magiſtri.

ſcretio

ſcretio in decernendis peccatis,& pœnitentijs imponendis ſit clauis ſcientiæ,quæ ad ſacerdotium pertinet ſimul cum poteſtate. Vndè dicebat hanc clauem multos ſacerdotes non recipere in ſuſceptione ordinis: nimirum illos, qui priùs eam non habebant: eos verò, qui illam ante ſuſceptionem ordinis habebant in ſuſceptione ordinis,& in ordine ſuſcipere pro tanto, quia illis adaugetur, & in illis fit actu clauis,ideſt datur facultas,vt ea ſacerdos vti poſſit ad claudendum,vel aperiendum. Secundùm ergo hanc opinionem ſcientia eſſet ſimpliciter neceſſaria ad hoc ſacramentum miniſtrandum: quia ſinè clauibus nō poteſt miniſtrare.

Reijcitur.

12 Verùm hæc ſententia communiter reijcitur: neque in hoc Magiſter tenetur, vt tradunt Scotus diſt. 19.a. 2. & cæteri Theologi ibi explicantes,quod ſit clauis ſcientiæ: & Alenſis 4.p. quæſt.20.m.3.art.1. Scientia enim q̄ eſt altera clauis eccleſiæ, & dicitur ſcientia, eſt poteſtas cognoſcendi in cauſa peccati,vt ſuprà tetigimus, & dicemus loquendo de clauibus.

13 Suſtinendo ergo cum opinione communi, quod ſcientia habitualis, vel actualis decernendi de peccatis non ſit clauis,eſt dubium,an hæc ſit neceſſaria,& quomodo. Omnes dicunt non eſſe neceſſariā ſimpliciter ad hoc, vt ſacramentum ſit validum: quia illa deficiente adhuc abſolutio valet. Sic Scotus loco citato diſt.19.art. 3. vbi inquit, quòd ſicut poteſtas iudicandi poteſt eſſe ſine iuſtitia,ita ptās cognoſcendi in aliqua cauſa pōteſſe ſine diſcretione, & ſcientia cognoſcendi. Alenſis idem habet 4.p. quæſt. 20.m.3.q 1. D. Bonauent. diſt. 19.p.p.art.3. quæſt. 1. loquendo de claui ſcientiæ.D. Thom. in 4.diſt. 17.& D. Bonauentura eadem diſt. in expoſitione litteræ Magiſtri. Excipiunt tamen aliqui illam ignorantiam, quæ eſt tanta,vt non ſciat formam abſolutionis proferre; vel ignoret quænam ſit: nec ſciat communiter diſcernere, inter peccata mortalia,& venialia: hæc enim reddit nullam confeſſionem, quia ſi neſcit formam abſolutionis proferre,nullum eſt ſacramentum: & hæc deſumitur ex Nauarro in Sum. cap.9.num.12.hæc tamen ignorantia non datur ſaltem in eo,qui vult admitti ad hoc miniſterium,immò neque in ſimplici ruſtico.Quis enim chriſtianus ignorat, quòd occidere hominē, vel blaſphemare, vel alienam cognoſcere,eſt peccatum inducens hominem ad infernum. Et è cōtrà dicere verba otioſa,& ſimilia eſſe peccata leuia,per quæ quis non damnatur,& conſequenter eſſe venialia?

Sciētia nō eſt neceſſaria ſimpliciter.

Quæ ignorantia impediat.

14 Difficultas tamen eſt,quia communiter dicitur eſſe neceſſarium,vt confeſſor ſciat diſcernere inter lepram, & lepram, ideſt inter veniale, & mortale, & inter alias circunſtantias: ideo dubium eſt,quanta eſſe debet iſta cognitio,vt confeſſio ſit valida;& quanta, vt ſacerdos eam habens nō peccet,ſed rectè,& ſine peccato hoc munus exerceat. Ideò dicunt aliqui ad hoc, vt miniſter poſſit validè hoc ſacramentum conficere, requiri, vt ſciat diſtinctè in particulari cognoſcere quodcunque peccatum, an ſit veniale,vel mortale,& alia neceſſaria ad diſtinctè conſulendum conſcientiæ pœnitentis. Et hæc eſt opinio Syluestri, verbo *Confeſſio* 1.q.3.quam deſumit ex S.Thoma,& Hoſtienſi,& Petro de Palude,vt ibi ipſe citat, & in hanc ſententiam citatur etiam à Suarez Richardus in 4.d. 17.a.2. q.8.ad primum,ſed hęc opinio eſt quidem Syluestri,quia loco citato inquit, quod confeſſio eſt nulla ex parte confeſſoris, quando eſt notabiliter ignorans neſciens diſcernere inter veniale,& mortale de omnibus peccatis,& pręcipuè ſi pęnitens habet caſus intricatos, ex quo patet eum velle, quòd confeſſarius teneatur ſcire diſtinguere in particulari quodcunque peccatum mortale à veniale. Richardus verò velle videtur ſolùm ignorātiam totalem, de qua nunc ſuprà diximus facere confeſſionem nullam ex parte confeſſoris: quia,inquit,ſi ſacerdos eſt fortè idiota, *& totaliter ignorans*, ideò ſentit cum opinione ſecunda.

Quanta ignorantia faciat confeſſionē inualidam.

1. Opinio.

15 Secunda ſententia ergo eſt ſolùm ignorantiam totalem, de qua ſuprà loquuti ſumus, reddere ſacerdotem inhabilem ad confeſſionem validè miniſtrādam; neque requiri in ſacerdote, ita exactam ſcientiam, vt debeat ſcire diſtinguere quodcunque peccatum mortale à veniali. Hanc ſequuntur ferè omnes cum Adriano in 4. q. 4. de conf.in fine. Gabriel in 4. d.17.q.1.a.3. Medina, Petrus Sotus,Suarez,qui alios citat diſp.22. ſect. 6. & ſumitur ex cōi doctrina Theologorū ſuperiùs adducta,dum dicunt, clauem ſcientiæ, non eſſe ſcientiā habitualem, vel actualem: quia ſinè hac ſacerdos habens iuriſdictionem validè poteſt abſoluere, & quòd eſt tātùm vtilis, & requiritur vt diſpoſitio pręuia, non neceſſaria ſimpliciter, ſed ad ritè miniſtrandum hoc ſacramentum: & reuera hæc opinio eſt veriſſima, & præcedens irrationabilis. Nam eſſet nimis durum, & ſcrupuloſum, vt quilibet ſacerdos ad adminiſtrādum validè hoc ſacramētum deberet ſcire diſtinctè, & in particulari ferre iudicium de quocūque actu peccati,an ſit veniale,vel mortale; quoniam neque peritiſſimi in Theologia, neque in ſacris Canonibus hanc ſcientiam perfectiſſimè calent. Vndè de aliquibus actibus, an ſint peccatum mortale,vel veniale ſunt arduæ quæſtiones, & de aliquibus ſcriptores relinquunt rem ſub dubio. Confirmatur, quia quandoque auctoritas iuriſdictionis ordinaria, vel delegata committitur alicui ignoranti, qui poſtea,cum per ſe nō poſſit,alteri ſcienti ſuam auctoritatem delegat, & cum ipſe aditorio alterius ignorantiam depulerit,per ſeipſum exercet hoc munus; & auctores contrariæ ſententiæ tenent,quòd ſi pęnitens ſit ſciens poteſt ſupplere defectū ſacerdotis ignorantis; ergo ſequitur quòd ſcientia ſic diſtincta omnium peccatorum non ſit de eſſentia ſacerdotis ad hoc munus validè exercendum.

Opin. 2.

16 Eſt ergo dicendum ſcientiam eſſe conditionem neceſſariam ad rectè miniſtrandum,& ſine peccato. Hęc eſt communior,& fuit antiquorum Scoti, Alenſis, vbi ſuprà, & auctores vtriuſque opinionis nūc ſuprà recitati, in hoc communi conueniunt. Et de prima opinione patet: nam ſi ſuſtinent eſſe neceſſariam ſimpliciter,multò magis ſuſtinere debent eſſe neceſſariam ſecundum quid, & ſumitur, ex D. Aug. de vera,& falſa pœnitentia cap.10. vbi inquit. *Quærat ſacerdotem ſcientem ligare, & ſoluere,ne cum negligens circa ſe extiterit negligatur ab eo, qui eum miſericorditer monet ne ambo in foueam cadant.* Et ratio eſt,quia nullus poteſt licitè exercere aliquod iudicium in aliqua cauſa graui, neque iuſte poteſt ad illud munus deputari, niſi habeat ſcientiam neceſſariam, & ſufficientem ad ferendum æquum iudicium in tali cauſa, vt habetur capite *Non eſt ſine culpa*, de regulis iuris lib. 6. & ratio eſt, quia ſe exponeret periculo errandi in tali cauſa: at confeſſio peccatorum eſt cauſa multi momenti, in qua eſt magna difficultas;& errare in ipſa eſt grauiſſimum damnum, ſcilicet damnationis eternæ; ergo. Sed dubium eſt quanta debeat eſſe hæc ſcientia in particulari. Nauarrus in Summa ca.4.n. 8. diſtinguit: vel loquimur de ſcientia neceſſaria confeſſori perfecto, vt ſolus poſſit de omnibus diſcernere; vel loquimur de ſcientia neceſſaria confeſſori, vt ſit ſufficiens ad rectè, & ſine peccato adminiſtrandum hoc ſacramentum. Loquendo primo modo neceſſe eſt ſcire, atque callere probè omnem Theologiam moralem, & ſacramentalem,& habere peritiam vtriuſque iuris & cōſtitutionum Synodalium illius regionis,in qua audit confeſſiones,& hoc certè eſt verum, neque enim ſine magna peritia aliquis poteſt eſſe perfectus, vt nullo alio indigeat in hoc miniſterio. At loquēdo de ſcientia neceſſaria confeſſori ſecundo modo reſpondet, & alij cōmuniter conſentiunt primo eſſe neceſſariam, vt ſciat cognoſcere an peccatum ſit veniale,vel mortale. Sed hęc cognitio non neceſſariò debet eſſe exacta de omnibus, vt auctores primæ opinionis ſuprà dicebāt:nō .n. eſt neceſſe,vt ſit cognitio ſpeculatiua,ſed ſufficit ſi ſit practica.i.nō eſt neceſſe,vt calleat Scholaſticas diſputationes de materijs ꝓpoſitis,& occurrentibus,ſed ſciat reſolutionē, ſecundùm communem intelligentiam, ſecundùm,quòd practicatur de illis, vt puta,cognoſcat ſaltē, quæ ſint peccata mortalia ex ſuo gene-

Quanta debeat eē hęc ſcientia.

genere, & quæ non: nimirum quòd actus contra præceptum Decalogi, vt blaſphemare, peierare, furari, & ſimilia ſunt peccata mortalia, & quòd verba otioſa negligentiæ leues in rebus diuinis, aliqualis ſuperbia, inuidia, vanagloria, gula, & huiuſmodi ſunt peccata venialia. Similiter ſecundò debet cognoſcere, quæ ſint ſpecies, & circũſtantiæ neceſſariò confitendæ cõmuniter notæ; vt ſi quis cognouit mulierem, an ſit ſoluta, an coniugata, an ſacra, & ſimilia, & quod alterius ſpeciei eſt, cognoſcere mulierem ſolutam, quia eſt fornicatio, & quòd cognoſcere mulierẽ coniugatã eſt adulterium. Tertiò debet cognoſcere, quæ ſint peccata, quæ habent annexam excommunicationem, & cenſurã, vt putà, quod percuſſio clerici habet annexã excõmunicationẽ; falſatio literarum Apoſtolicarũ, & ſimilia. Quartò q̃ peccata hñt annexã reſtitutionẽ rei, cuiuſmodi sũt furtũ, vſura, iniuſtitia in cõtractibus alijs, & famæ detractio. In his .n. debet monere pœnitẽtẽ eſſe obligatũ ad reſtõnem, vt intẽtionẽ eius ſciat. Quintò addunt aliqui nõ ſolũ eſſe neceſſariũ ſcire ea, quę ſunt de eſſentia ſacramenti, ſcilicet materiam, formã, & intentionem, ſed etiam, quæ ſint neceſſaria, vt pęnitens ſit dignus abſolutione, & quæ ſint impedimenta; & an ſit in proxima occaſione peccati; & certè hoc etiam ipſe iudico neceſſarium. Nam ſi ſacerdos ignoret, an in pœnitente requiratur contritio, vel ſaltem attritio poſſet abſoluere impœnitentem, & facere ſacrilegium. Ad quod reducitur etiam eum debere ſcire, quibus caſibus confeſſio ſit inualida, & debeat iterari: quia hoc eſt maximè neceſſarium: finis enim huius ſacramenti eſt remiſſio peccati, quæ ſi ſit nulla, nihil fit. Sextò debet ſcire, qui ſint caſus reſeruati, à quibus non poteſt abſoluere. Septimò debet ſcire, qui contractus ſint liciti, & qui illiciti, & qui vſurarij, & ſymoniaci. Octauò qui audit confeſſiones clericorum debet ſcire, quibus caſibus quis incurrit irregularitatem. Notandum eſt autem, vt dictum eſt, non eſſe neceſſaria omnia iſta exactè cognoſcere, ſed tamen eſt neceſſarium cognoſcere communia, & de alijs ſaltem aliqualẽ cognitionem habere, & ſummas de illis tractantibus vidiſſe, & eſſe aliquo modo aptum ad illas intelligendas, ſi non in idiomate latino, ſaltem vulgari cognoſcit, & ſciat dubitare: etenim qui nihil de his materijs ſaltem apud Summiſtas nouit, neſciet certè dubitare, & ſæpiſſimè ſe exponet periculo errandi. Et hæc ſunt, quæ videntur requiri, vt rectè adminiſtret quis hoc ſacramentum: nam ſi ad quid amplius obligetur confeſſarius, difficile erit inuenire, qui poſſit confeſſionem audire, vt ait Suarez diſp. illa 28. ſect. 2. n. 4.

Quantacũque alia ſciẽtia, nõ excuſat ab hac ignorãtia.

17 Notandum eſt autem id, quod ſingulariter aduertit Nauarrus prædicto cap. 4. num. 12. nimirum eũ, qui prædicta ignorat, quantũcunque bona vita, conſcientia, ſubtilitate, & ingenio naturali præfulgeat ad alia munera obeunda, peccare, ſi exerceat actum confeſſionis. & multò magis qui illos admittunt ad hoc munus, quod tetigi propter quoſdam Theologos eminentes in miſterijs Theologicis ſpeculatiuis, vt de Deo vno, & trino de Chriſto, de Angelis, ſed de Doctrina ſacramentali, & de actibus moralibus nihil curat ſcire; etenim ignorantia horum in iſtis eſt multò maius peccatum, quia videtur ignorantia affectata.

Ignorãtia quando excuſatur.

18 Notandum eſt etiam ignorantiã confeſſarij iuuari poſſe ex ſcientia pœnitentis, quando eſt bonæ conſciẽtiæ, quod etiam docet Nauarrus eadem Summa capit. 4. num. 13. ex Sancto Antonino, & miror Suarez, vbi ſuprà ei oppoſitum tribuere. Ex quo ſecũdùm omnes ſequitur, non omnes confeſſores eodem modo eſſe idoneos reſpectu quarumcunque perſonarum: nam requiritur ſcientia in confeſſario proportionata pœnitenti. Vndè aliquis poteſt eſſe idoneus ad audiendum confeſſiones vnius certæ perſonæ, & in aliquo loco, vt qui audit confeſſiones in aliquo vico hominum ſimpliciter, vel perſonarum ſpiritualium, quæ ſæpe ſolent confiteri; & proinde communiter non alijs, quàm peccatis venialibus tenentur, nõ eget tanta ſcientia, quanta eget, qui audit confeſſiones mercatorum, vel diuitum, & magnatum, qui vt plurimum peccatis omnium generum indulgent, & occaſionibus peccatorum continuis ligantur, & reſtitutioni famæ, & rerum ob ſuas factiones obnoxij ſunt.

De ſciẽtia confeſſoris inter infideles captiuorum, & in articulo mortis.

19 Excipitur etiam communiter articulus mortis, & captiuitas inter ſaracenos, & ſimiles alij caſus, in quibus non adeſt copia alterius ſacerdotis, nec ſperatur de proximo, & vrget periculum: tunc enim, dummodo ſacerdos ſciat proferre verba abſolutionis, & cognoſcat communia aliqua peccata mortalia, vt quilibet quãtùmuis idiota, dummodo ſit Chriſtianus, & mentis compos, cognoſcit, poteſt exercere hoc munus tuta conſcientia: nam tũc quodcunque peccatum, & quæcunque cenſura poteſt dimitti, & nulla, vel parua ſatisfactio exigi poteſt. Sufficit bonum propoſitum ſi poſſet, & dolor de omiſſis, quæ, vt dixi, difficile eſt, eum, qui eſt Chriſtianus, non agnoſcere. Et hanc ſcientiam putamus ſufficere tam ijs, qui ex obedientia, & ex charitate hoc munus ſubeunt, quàm ijs, qui ſua ſponte ſeſe offerunt, vt habet Nauarrus eodem cap. 4. num. 6. contra Durandum. Licèt ij, quibus ex officio hoc munus incumbit, magis docti teneantur eſſe, quàm ij, q ex charitate, & ſine vlla obligatione hoc munus exercẽt. Et habens prædictam ſcientiam tutus in conſcientia, & quantùm eſt ex hac parte poteſt audire confeſſiones, & prælatus, poteſt eum admittere: qui verò ſine ſufficienti ſcientia ſe ingerit huic muneri, grauiter peccat, propter rationem ſuperiùs adductam, ſecundùm omnes, vt ſuprà diximus. Qui verò dubitat de ſua ſcientia poterit prælati ſui iudicio ſtare, vt omnes ſcrupulos deijciat, Nauarrus, vbi ſuprà nu. 14. Suarez, & communior.

De prudẽtia.

20 Vltima conditio eſt prudentia, quæ etiam neceſſaria eſt, non ſimpliciter, ſed ad benè eſſe, ſicut ſcientia: requiritur enim prudentia in rebus agendis, vt finem ſuũ agens conſequatur: at finis confeſſarij eſt facere ſententiam rectam & iuſtam, qua pęnitens de odio Dei, ad gratiam eiuſdem tranſeat, & à culpis ſuis liberetur. Ideò debet ſcire adhibere remedia, tum circa confeſſionem peccatorum, vt nullum celet; tum circa occaſiones, & præſertim, vt ipſum inducat ad contritionem, & ad propoſitum firmum ampliùs non recidiuandi. Quod ſolet fieri nunc arguendo, nunc inſtruendo, nunc ad opera pia incitando. Dant exemplum de medico corporali, confeſſor enim eſt medicus ſpiritualis, ideò vt medicus corporalis nihil intactũ relinquit, vt infirmitatem depellat: ita medicus ſpiritualis, vt morbum peccati abijciat, neque aliquid ampliùs requirebatur, de iure diuino, & iure eccleſiaſtico antiquo. Quid verò ex decretis Concilij Tridentini nunc requiratur, poſteà dicemus explicando, tertium articulum huius quæſt. diſt. 17. Scoti.

DISPVTATIO XXVII.

De caſuum reſeruatione.

An in eccleſia ſit facultas reſeruandi aliqua peccata ſuperioribus, & quæ. Caput Primum.

1 OStenſum eſt ſuprà poteſtatẽ iuriſdictionis immediatè à Deo collatam eſſe Summo Pontifici, & ab illo in omnes alios peruenire, ſcilicet in Epiſcopos, & alios prælatos, vel ſacerdotes illam habentes. Ex hoc autem principio ſequitur Summum Pontificem poſſe illam reſpectu peccatorũ omnium alijs concedere, vel illam quò ad aliqua peccata tantùm; & ſic aliqua peccata ſibi reſeruare pro abſolutione; & idem dicendum de alijs ſuperioribus infrà Papam habentibus auctoritatem ordinariam, quam alijs communicãt: poſſunt enim illam totam alteri concedere, vel quò ad aliqua peccata tantùm: & ita ſibi aliqua peccata reſeruare, à quibus inferiores abſoluere non poſſint: & ſuper hac poteſtate fundatur auctoritas reſeruandi peccata ſu-

ta superioribus. Hoc autem est certum apud Catholicos. Consentiunt enim omnes Theologi in 4. dist. 17. & 18. Scotus dist. 21. quæst. 2. concl. 4. Alensis 4. p. quæst. 18. m. 5. §. 2. excepto Durando qui 4. dist. 17. quæst. 15. num. 13. non negat quidem superiores posse reseruare sibi peccata, & crimina, sed dicit de facto Sedem Apostolicam non habere consuetudinem reseruandi peccata, sed solũ censuras, & peccata habentia annexas censuras, irregularitates, & dispensationes super vota: & malè facere quasdam ecclesias inferiores reseruantes sibi sola aliqua peccata, credentes benè facere; & in hoc imitari ecclesiã Romanam, quam tamen, inquit, non imitantur. Aliqui eandem opinionem quòd ad factum tribuunt Caietano, verbo *Casus*, & Nauarro in Manuali cap. 27. num. 261. sed isti loquuntur de sola sede Apostolica: & de facto dicunt nullum esse casum reseruatum Papæ, cui non sit annexa aliqua censura, de qua re infrà. Hæc assertio est de fide definita in Concilio Tridentino sess. 14. cap. 7. & cap. 11. contra hæreticos nostrorum temporum, præsertim Vviclephum; qui dixit reseruationem casuum esse fundatam contra regulas charitatis, vt refert Valdésis tomo 2. de sacram. cap. 149. non habetur tamen inter articulos eius, qui referuntur in Concilio Constantiense sess. 181. Hæretici tamen negant hanc casuum reseruationẽ, quia negant sacramentum pœnitentiæ; & Episcopos, & Sacerdotes habere auctoritatem absoluendi à peccatis in foro conscientiæ, vt visum est suprà. Negant etiam primatum Pontificis, atque ab eo omnem potestatem iurisdictionis in alios descendere: vnde, cum in his principijs errent, nõ est mirum, quòd errent in conclusione.

Vsus antiquus reseruandi aliquos casus

2 Notandum est tamen, præter rationem adductam, hanc potestatem reseruandi peccata euidenter probari ex antiquissimo vsu Conciliorum, vt habetur 26. quæst. 6. cap. vltimò, & est sumptum ex Concilio Cartaginensi 3. cap. 32. vbi dicitur, quòd presbyter inconsulto Episcopo non reconciliet pœnitentem, nisi vltima necessitas cogat, & idem habetur in capite, *Latorem*, 33. quæst. 1. & in Extrauaganti, *inter cunctas*, de priuilegijs: Et alibi. Et ex epistolis D. Cypriani etiam colligitur, præsertim, ex epist. 16. lib. 3. & alij sæpè, vbi conqueritur, quòd lapsi reconciliarentur ecclesiæ absque manus impositione Episcopi, ex quo vsu patet solitos fuisse Episcopos quædam sibi reseruare, à quibus inferiores non possunt absoluere: & dato, quòd esset de peccatis publicis, tamen videtur esse certum reseruasse sibi non solum absolutionem, & reconciliationem externam, sed etiam internam, & coram Deo, quæ fit per solam sacramentalem absolutionem.

Obiectio.

3 Hoc ergo vt certo, & de fide supposito, difficultas est, quia reseruatio non videtur esse admittenda, quia videtur tollere integritatem confessionis, quæ est de essentia confessionis, vt suprà diximus.

4 Præterea est ratio Vviclephi, quòd hæc reseruatio videtur esse contra charitatem proximi: quia propter eam non potest frui beneficio absolutionis à peccato, sed propter hanc reseruationem patitur multa incommoda, vt videbimus infrà.

Ad primã solutio.

5 Ad has duas rationes patebit ex dicendis infrà cap. 3. pro nunc respondetur, quòd confessio de omnibus fieri debet vni, & arbitrio quoque debet de omnibus ab vno dari: & sic neque confessio, neque absolutio dimidiatur.

Ad secũdũ

Ad secundum id non est contra charitatem, quod ordinatur ad salutem proximi: hæc autem reseruatio fit propter salutem proximi, vt patebit ex dicendis.

Tria agenda circa hãc materiam.

6 Hoc ergo supposito. Primò videndum est, quæ peccata possint reseruari à superioribus, & quæ de facto iure communi sint reseruata. Secundò de ministro habente potestatem absoluendi ab his peccatis. Tertiò de modo, quo debet absoluere. Quantùm ergo ad primum: prima difficultas est, an superior possit reseruare solùm peccata habentia annexam excommunicationem: an etiam alia. Hæc quæstio mouetur propter Durandum, qui in 4. dist. 17. q. 15. num. 13. dicit consuetudinem Ecclesiæ Romanæ esse reseruare sibi censuram, non culpam: quia sola peccata, & eorum confessio, & absolutio pertinent ad forũ conscientiæ; sententiæ autem excommunicationum, & absolutio ab eis: irregularitates, & votorum dispensatio pertinent ad forum exterius; & ideò non oportere recurrere ad sedem Apostolicam propter absolutionem à culpis, sed propter absolutionem à sententijs: & dispensationem in irregularitatibus, & votis, quibus obtentis, prælati possunt de omnibus peccatis absoluere, & malè facere quasdam Ecclesias particulares, quę reseruant sibi & censuras, & peccata, credentes in hoc imitari Ecclesiam Romanã, quam minimè imitantur. Nauarrus verò in Sum. c. 27. num. 261. qui citat Caietanum in Summa, verbo *Casus*, & D. Antoninum, inquit, quòd nullus casus est reseruatus Papæ, cui non sit annexa censura: & bullam, quæ cõcedit absolutionem à censura, concedere quoque absolutionem à culpa. Et hæc est communior sententia Theologorum in 4. dist. 17. quam sequitur quoque Suarez disp. 29. sect. 2. & alios citat, licèt aliquos malè: nam citat Nauarrum, & Caiet. pro opinione Durandi, qui tamen tenent opinionem communem, quam ipse Suarez sequitur. Hæc ergo communior opinio proculdubio est vera.

An solã pctã hñtia annexã cẽsurã reseruari posśit. Opi. Dur.

Opin. vera

7 Pro cuius notitia notandum est, certum esse summũ Pontificem, & alios Pastores habentes iurisdictionem ordinariam, posse non solùm censuras, sed etiam culpas sibi reseruare, & tàm eas, quæ habent annexam censuram, q̄ eas, quæ nullam habent annexam censuram. Hæc assertio patet ex sacris Canonibus; præsertim ex Concilio Trid. sess. 14. cap. 7. vbi dicitur. *Sanctissimis Patribus nostris visum est, vt attrociora quædam, & grauiora crimina, non à quibusuis, sed à summis dumtaxat sacerdotibus absoluerentur.* & paulò infrà, *Præsertim quò ad illa, quibus excommunicationis censura annexa est.* Vbi cum loquatur de facto, supponit Pontificem, & alios summos sacerdotes hos casus posse sibi reseruare. Et ratio iam adducta est, quia cũ potestas iurisdictionis, quæ requiritur cum potestate ordinis emanet à Pontifice in Episcopos, & alios inferiores Pastores potest eam illis limitatam concedere, & illi eãdem limitare suis inferioribus, in ijs, in quibus hoc sibi à summo Pontifice non est prohibitum.

Quid sit certum de facto.

8 Loquendo verò de facto, certum est quoque in Ecclesia communiter reseruari multos casus, qui non habẽt annexam excommunicationem, vel aliquam aliam censuram, vt patet in tabellis casuum reseruatorum Episcoporum, & in Regularibus, etiam approbantibus summis Pontificibus. Idem mos seruatur quò ad summum Pontificem etiam, licèt raro accidat: tamen non est omninò præter vsum ipsorum, vt de facto aliqua peccata nõ habẽtia annexam aliquam censuram sibi reseruent: & Suarez vbi suprà adducit duos casus: alterum ex Extrauaganti, *Inter cunctas*, de priuileg. alterum in Bulla Sixti V. anno 1589. contra clericos malè promotos, ex quo colligitur idem antiquitus potuisse contingere, licèt difficile sit decreta omnia percurrere.

An reseruatio cadat super censuram, an sup culpã.

9 Solet verò dubitari, an in reseruatione Pontificia reseruatio cadat immediatè in culpam: an solùm in censuram, vel simul in vtrunque: & ratio dubitationis est, quia culpa pertinet ad vnum forum. s. conscientiæ: censura verò ad alterum forum. s. externum: & ideò censura cum reseruatur, immediatè cadit reseruatio super ipsam; de culpa verò hoc non est clarum: quia culpa duobus modis potest reseruari; vno modo immediatè, & directè, vt si culpa ipsa, verbi gratia, percussio clerici grauis reseruetur: vel mediatè, vt si censura imponatur committenti tale peccatum, quæ censura postea reseruetur, vt si Papa imponat pœnam excommunicationis ipso facto incurrendam percutienti clericum, & deinde subiungat à qua excommunicatione nemo possit absoluere, nisi ipse Pontifex. In hoc casu reseruatio non cadit immediatè suprà culpam, sed super censuram, & mediante censura super culpam: quia nemo potest absolui à culpa, nisi priùs absoluatur à censura.

Aliqui

Aliquorũ opinio.

10 Aliqui respondere videntur in reseruationib. Pontificijs ordinariè reseruationem cadere supra censuram: tùm quia in Decretis, & Bullis primò imponitur censura facienti illud peccatum, deinde censura reseruatur: tùm quia ablata censura, culpa non est ampliùs reseruata.

Communior opin.

11 Communior tamen opinio videtur esse, quòd reseruatio Pontificia, (& sic de alijs inferiorib. dicendum est) cadat super vtrumque. s. super censuram, & super culpam; ita quòd vtrumque sit reseruatum. Hanc sententiam tenet Suarez disp. illa 29. & dicit hanc esse communem opinionem Theologorum in 4. dis. 17. & citat multos, qui in hãc sententiam inclinare videntur. Sed aliqui oppositum docent, vt Nauarrus, qui ab eo citatur in Summa, c. 27. num. 271. vbi de hac re nihil dicit, sed eodem capite num. 261. apertè dicit, quòd sublata censura à Pontifice quicunque sacerdos simplex absoluere potest, quia per id desinit culpa esse reseruata. Id autem videtur tenere Soto in 4. d. 18. q... ar. 4. & D. Thomas ibi ab eodem citatus. Sed quicquid sit de his Auctoribus, hæc opinio mihi quoque placet: & ratio est, quia vsus Pontificum, & Episcoporum habet, vt reseruet principaliter peccata, & secundariò censuras. Vndè irrationabile videtur dicere, quòd sibi reseruent excommunicationem, & censuram, nõ autem culpam: cum culpa sit principale, quòd Pontifices vitare cupiunt, & propter quod imponunt perpetrantibus talia crimina censuras, quas sibi reseruant. Quòd autem hic sit vsus Summorum Pontificum, patet ex Concilio Triden. eadem sessione 14. cap. 7. de casuum reseruatione; vbi Concilium apertè habet hæc verba. *Magnopere verò ad Christiani populi disciplinam pertinere sanctissimis Patribus nostris visum est, vt attrociora quadam, & grauiora crimina non à quibusuis, sed à summis duntaxat sacerdotibus absoluerentur.* Ecce quòd ait visum esse reseruare absolutionem culparum, non censurarun tantùm. & paulò infrà subdit. *Et præsertim quò ad illa quibus excommunicationis censura annexa est.* Primò ergo reseruatio cadit super culpam, deinde super censuram.

Ad fundamenta opinionis præcedentis.

12 Ad fundamenta præcedentis opinionis patet, quæ sit mens Summorum Pontificum, cum reseruant sibi aliqua crimina habentia annexam censuram ex Concilio; ideò non obstat, quòd prius imponant censuram culpæ, deinde illam sibi reseruent: quia hoc est intelligendum secundùm vsum, & praxim Ecclesię, quę reseruando censuram intendit reseruare quoque culpam. Vndè si Pontifex concederet præcisè absolutionem à censura, non à culpa, nõ posset simplex sacerdos, vel inferior absoluere à culpa, quòd etiam patet ex ipsis Decretis, & Bullis Pontificum, in quibus sępè vtuntur verbis significantibus delictum, & peccatum non posse absolui nisi à superiori, vt patet ex cap. *Nuper*, de sent. excom. vbi dicitur, *Ab eo, vel eius superiore erit tunc absolutio delicti requirenda.* Ad secundum respõdetur, quòd verum est dimissa censura censeri quoque dimissam esse reseruationem culpę; sed hoc non prouenit, quia sint vnum, & idem; sed quia ex vsu Ecclesię, qñ concedit facultatem absoluendi à censuris, concedit quoque facultatem absoluendi à culpa; quod potest cõfirmari ex modo loquendi sacri Conc. Trid. sess. 24. capit. 6. vbi concedens facultatem Episcopis, & eorum Vicarijs specialiter deputandis absoluendi à quibuscunque criminib. & censuris, vtitur hoc modo loquendi. *In quibuscunque casibus etiam sedi Apostolicæ reseruatis delinquentes quoscunque absoluere*, vbi per *casus*, intelligit & crimina, & censuras, vt patet ex intentione talis priuilegij, & vsu talis intellectus recipitur.

An omnia mortalia, & venialia reseruari possint.

13 Aliud dubium est, quòd ex proximè dictis resoluitur, an. s. omnia peccata mortalia, & venialia reseruentur, vel reseruari possint. Ad quod breuiter respondetur, quòd loquendo de peccatis venialibus nulli dubium est ea non reseruari, nec reseruari posse: quia cum non sint materia necessaria confessionis, non potest superior ordinare, vt nemo ipsa absoluat, sed habentes talia remittantur ad ipsum: quia habens talia peccata posset negligere huiusmodi ordinationem, cum non teneatur ad confessionem talium peccatorum; & sit contra rationem reseruationis peccatorum, vt talia reseruantur; cum reseruatio introducta sit solùm propter grauiora crimina, ne sępius committantur, quod non habet locum in peccatis venialibus, vt patet, & licèt posset superior impedire sacerdotem inferiorem, ne ab illis absolueret, hęc non esset propriè reseruatio, quia esset inutilis ordinatio, sed esset simplex prohibitio, seù limitatio iurisdictionis concessę. s. ne conficeret sacramentum cum tali pœnitente habente solùm venialia, vel tale veniale, quæ prohibitio sine dubio posset fieri, cum à superiore emanet auctoritas iurisdictionis etiam circa venialia, vt suprà diximus; sed esset vanum hoc facere.

An peccata interna mortalia reseruari possint.

14 Quantùm ad mortalia cum sint in duplici genere, scilicet interna, & mentalia tantùm, & externa. Difficultas est, an superiores possint reseruare sibi mortalia interna: nam cum Ecclesia non iudicet de occultis, videtur eã non posse ipsa reseruare. Similiter non potest imponere censuras circa ista; ergò neque reseruare. Tamen breuiter est dicendum ex eodem principio, nimirum quòd cũ ad absoluendum sacramentaliter requiritur potestas iurisdictionis, quæ emanat à superiore, manifestè sequitur superiorem posse reseruare sibi peccata mortalia mentalia: nam sicut potest suspendere iurisdictionem sacerdoti, ne omninò ministret alicui hoc sacramentum: ita potest concedere illi auctoritatem limitatam ad hæc peccata mentalia, & non ad alia: de facto tamen regulariter non reseruantur, quia reseruatio introducta est propter attrociora, & grauiora crimina, quæ disciplinam christianam perturbare possunt, vt habet Concil. Tridẽtinum eadem sess. 14. cap. 7. at peccata mentalia interna non pertinent ad disciplinam populi Christiani, quæ externa est: in qua sententia est quoque Suarez eadem disputatione 29. sec. 3. qui citat Caietanum 2. 2. q. 11. art. 3. Soto in 4. dist. 18. q. 2. ar. 5. Ad rationes tactas in oppositum respondetur, Ecclesiam non iudicare de occultis, quò ad forum exterius, sed secundùm allegata, & approbata: neque imponere censuras peccatis occultis, quia censuræ pertinent ad forũ exterius, ideò cadere debent super peccata, quæ possunt deduci ad forum exterius, licèt etiam ligent in foro interiori, quò ad peccata mortalia quibus annectuntur.

De reseruatione hęresis mẽtalis

15 Dicit tamen Suarez, quosdam prælatos reseruare sibi cępisse hęresim mentalẽ, quæ est illa, quam sola mente quis concepit, & ei adhæret absque vlla manifestatione exteriori per loquutionem, vel aliquod aliud signum, etiã nullo id vidente, vel audiente. Hæc enim non est illa hæresis, quę comprehenditur in Cœna Domini, nec pertinet ad forum exterius inquisitorum, sed externa, vt habet Directorium inquisitorum p. 2. de sponte venientibus, n. 61. & in commentario 12. eiusdem 3. partis. & Nauarr. c. 27. num. 56. in Manuali, & Soto in 4. dist. 18. q. 2. art. 5. ad 2. sed hæc reseruatio fit frustra: quia hæresis hæc etiam occulta est reseruata Papæ in bulla Cœnæ, nec Episcopus potest absoluere ab ea per declarationem sacræ congregationis, vt patebit infra cap. sequenti. Ex eodem fundamento sequitur multò magis peccata mortalia externa, quæcumque posse reseruari, non tamen licitè, & secũdùm rectum ordinem debent reseruari, nisi ea, quæ habent specialem deformitatem, & grauitatem, vt dictum est ex Conc. Trid.

Hæresis mẽtalis nõ pertinet ad iquisitores

An sine aliqua causa supior possit reseruare peccata.

16 An requiratur aliqua causa ad hoc, vt superior possit reseruare sibi absolutionem ab aliquibus peccatis. Respõdetur, quod vel est sermo, an requiratur causa ad hoc, vt reseruatio sit licita, vel ad hoc, vt teneat, & sit valida. Primo modo nulli dubium est requiri aliquam causam, & iustam: nimirum conseruationem disciplinæ christianæ, vt habetur ex Conc. Tridentino vbi suprà, & ex ratione ipsa: quia hæc reseruatio est introducta propter vtilitatem subditorum, non pro libedine superiorum: ideò reseruando sine causa, & maximè cum non sunt grauia peccata superior peccat. Loquendo secundo modo verò nulli

dubium

dubium est, loquendo respectu auctoritatis delegatæ, quod potest pro libito superior reseruare sibi aliquos casus, à quibus delegatus non absoluat: potest etiam auctoritatem aliquando concessam reuocare, neque hoc dubiũ est ex eodem principio: quia delegatio est concessio auctoritatis, semper emanens à voluntate superioris, vt suprà agendo de auctoritate delegata diximus: ideò ea cõcessione cessante, cessat auctoritas iurisdictionis in delegato: tamen loquendo, an licitè hæc reseruatio fieri possit sine causa, Recentiores dicunt duo esse obseruanda: alterum ne subditi nimis onerentur, itaquòd exponantur aliquibus periculis. Hoc enim esset contra charitatem, secundùm quam munus suum exercere debent prælati: alterum ne hæc reseruatio cædat in infamiam delegati, & maximè si aliquando ei concessa est auctoritas absoluendi ab his casibus, deinde illi aufertur. Hoc enim nõnihil videtur derogare famæ confessarij: ideò non sine causa auferri debet.

17 Loquendo de confessarijs habentibus auctoritatẽ ordinariam est difficultas: nam aliqui, vt Soto 4. dist. 18. quæst. 2. art. 5. ad secundum, tenent superiorem, vt Episcopum, non posse reseruare sibi peccata, itaquòd inferior superior ordinarius, vt parochus, ab eis non possit absoluere, & si fiat, talem reseruationem non esse validam. Ratio est: tum quia habent ordinariam potestatem de iure diuino ait Soto, vbi suprà: tum quia postquam aliquis recepit Episcopatum, vel beneficium, recepit ius intrinsecum, & potestatem, qua sine causa non potest validè priuari. Alij, vt Syluester confessor 1. quæst. 3. citatus à Recentioribus: qui tñ eo loco nihil dicit, & Henricus quolib. 1. quæst. 27. dicunt esse validam: quia iurisdictio emanat à superiori: ideò à mera sua voluntate pendet illam concedere, & non concedere, & limitare. Alij, vt Angelus verbo, *Casus Episcopis*. Maior in 4. dist. 17. quæst. 5. nec displicet Soto vbi suprà, dicunt reseruationem hanc validè posse fieri à Summo Pontifice, à quo emanat omnis iurisdictio, non ab Episcopis: quia dicunt potestatem parochorum non esse ab Episcopis, sed à Sũmo Pontifice: ideò sine causa eos circa parochias proprias potestate priuare non posse, ordinare eam, vel mutare.

Resolutè dicendum puto, Summum Pontificem proculdubio ex plenitudine potestatis hanc reseruationem sine causa facere posse: cum enim ipse sit supremum caput in ecclesia habet auctoritatem sine vlla limitatione, & potest pro libito quantum ad validitatem ea vti: alioquin si semper requireretur, causa legitima esset, vt plurimum difficile videre, an reseruationes, & concessiones factæ ab eo essent validè, vel non: quia posset dubitari, an essent factæ ob legitimam causam, an non. & sic omnia ferè essent incerta, & hoc est necessarium propter supremam, & independentem auctoritatem eius. Vnde nemo legitur, qui ausus sit dicere reseruationem aliquam particularem factam Pontifici esse nullam.

18 Et confirmatur, quia ratio, quam Soto adducit, scilicet nimia reseruatio casuum, nulla est: quia validitas reseruationis non pendet ex vsu, sed ex auctoritate: ideo si habet auctoritatem illimitatam potest omnia reseruare secus, an rectè faceret. Hoc enim dictum est suprà posse esse illicitum: quia potestas data est in edificationem, & vtilitatem ecclesiæ, & subditorum: ideò illa abuti est maximum peccatum.

19 De Episcopis etiam dicendum esse idem mihi videtur, quantum ad validitatem in ijs, quæ sibi non prohibentur à Summis Pontificibus: nam si semper requireretur causa legitima esset semper dubitatio, an adesset legitima causa, vel non, & ita innumeri scrupuli possent in mente Episcopi, & subditorum generari, sicut de recta reseruatione. Clarum est enim, cum abutitur auctoritate sua odio, vel aliqua alia causa irrationabili peccare, licèt reseruatio valeat.

Ad fundamentũ primæ sntiæ.

20 Fundamentum autem primæ sententię est falsum, scilicet quod iurisdictionis potestas in parochis immediatè sit à Deo, & quod ab ecclesia sit impedita: ostensum enim est suprà omnem iurisdictionem communicatã esse à Christo Domino Summo Pontifice, & ab eo alijs, vt Episcopis, & ab Episcopis parochis: ideò parochi, & habentes ordinariam potestatem nunquam sunt independẽtes à iurisdictione superioris, neque habent ius proprium independens à voluntate Episcopi in potestate iurisdictionis, quò sine causa legitima priuari non possint.

21 De facto verò, qui casus sint reseruati, respondent communiter dubium hoc locum habet solùm in Pontifice Summo, & Episcopis, non in parochis: quia parochi sunt proximi, & immediati sacerdotes nullum habentes sub se superiorem: ideo in eis non habet locum reseruatio casuum. Quantùm verò ad Pontificem, & Episcopos res pendet ex facto: ideò videndum erit, quænam, & quot peccata sibi de facto reseruauerint in bullis, & decretis, de quibus videndæ erunt excommunicationes bullæ in cœna Domini, & in sacris canonibus. Ordinariè enim Summi Pontifices solùm sibi reseruant culpas habentes annexas excommunicationes, de quibus latè Syluester, Nauarrus in Manuali, & alij Summistæ. Quò ad Episcopos videnda sunt statuta particularia Episcopatuum, & diuersæ consuetudines. His enim duobus modis solent reseruari peccata Episcopis. Quantum verò ad ius commune, qui est tertius, & vltimus modus, quo crimina reseruãtur Episcopis, est magna contentio in Doctoribus, Syluester verbo *Casus*, n. 4. Nauarrus Manuali cap. 27. num. 159. Angelus verbo *Casus*, & alij Summistæ passim solent numerare quinque (excipio dispensationes votorũ, & similia, quæ Summistæ numerant inter casus reseruatos, improprijssimè tamen, vt aduertit Nauarrus, vbi suprà, de his tamen infrà dicemus, vt sciamus, ad quæ se extendat auctoritas Episcoporum de iure communi) sumpti ex Extrauaganti, *super cathedram*, de sepulturis; quos tamen Suarez dicit non esse reseruatos de iure communi, & seclusa consuetudine: quia illa Extrauagans est reuocata per Clem. *Dudum*. Primus est peccatum habens annexam pœnitẽtiam publicam: quod solùm erat peccatum notorium, & scandalosum 26. quæst. 6. capite finali, Nauarrus Manuali cap. 27. num. 262. qui casus nunc non est in vsu, quia pœnitentiæ publicę sublatæ sunt; etsi quæ supersunt pertinent ad forum publicum, & contentiosum, non ad forũ conscientiæ.

Qui casus de facto sint reseruati.

Casus reseruati Episcopis in iure.

1. Casus peccatũ habens annexam pœnitentiam publicam.

22 Secundus casus, quando crimen habet annexam excommunicationem; sed hoc intelligitur de casu illo, cui annexa est excommunicatio reseruata Papæ, quæ in aliquo particulari casu committitur Episcopo, vt fit in Conc. Trid. sessione 24. cap. 6. vbi committitur Episcopis, vt absoluere possint ab omnibus casibus occultis reseruatis Papæ. Non autem intelligitur de casibus habentibus annexam excommunicationem nulli reseruatam: quia nulla talis excommunicatio reseruatur Episcopo, sed quilibet Parochus, vel alius æqualis illi in iurisdictione, potest & à culpa, & ab ipsa excommunicatione absoluere, iuxta cap. *Nuper*, de sentent. excommunic. secundùm Nauarr. cap. 27. num. 262. & Angelum, verbo *Casus*, & Suarez disp. illa 29. sect. 3. nu. 7.

2. Casus.

Episcopi possunt absoluere ab oĩbus casibus reseruatis Papæ.

23 Tertius, si peccatum habet annexam irregularitatem; sed re uera neque hic casus quò ad culpam reseruatur Episcopo. Sed bene dispensatio irregularitatis, quæ reseruauit Papæ, vel Episcopo: quia stante irregularitate potest quis absolui à peccato, propter quod irregularitatem incurrit, à quolibet sacerdote admisso: nam irregularitas in hoc differt ab excommunicatione, quod non priuat à susceptione sacramentorum, quæ est communis opinio, Nauarrus, & Suarez vbi suprà, Caietanus in Summa, verbo Irregularitas, & alij citati à Recentioribus.

3. Casus.

24 Quartus casus est incendium domorum, frugum, aut aliarum rerum ex proposito factum, & consilium in id præstitum, colligitur ex Nauarro vbi suprà, Suarez, qui tamen dicit non esse reseruatum, & si est reseruatum, inquit, non esse reseruatum ex vi iuris, sed vi consuetudinis.

4. Casus.

Quintus

5. Casus. 25 Quintus casus est blasphemia publica, & notoria ex cap. *Statuimus*, de maledictis. Sed neque hic casus videtur esse reseruatus, inquiunt Nauarrus, & Suarez, vbi suprà, quia ibi est sermo solùm de foro contentioso, non de foro conscientiæ, scilicet de pœnitentia iniungenda in foro exteriori non interiori.

6. Casus. Sextus est excommunicatio maior, quod est intelligendum solùm de excommunicationibus reseruatis Papæ, & commissis Episcopis, eo modo quo diximus suprà casu 2.

Alij Casus quinque reseruati ex consuetudine. 26 Addunt deinde Nauarrus vbi suprà, Angelus, Syluester, & alij alios quinque casus desumptos ex Glossa in Extrauag. *Inter cunctas*, de priuileg. qui sunt reseruati ex consuetudine. Primus est homicidium voluntarium, quod prædicti auctores ampliant etiam ad mutilationē. Secundus est peccatum falsarij, quod extendunt ad peccatum tacendi veritatem coram iudice legitimè interrogante, & ad peccatum Aduocatorum, Procuratorum, & Notariorum ostendentium scripturas partibus aduersis, vel falsantium scripturas. Tertius est violatio Ecclesiasticę immunitatis, quod extendunt ad omne sacrilegium, quãquam nunc hic casus habet annexam excommunicationem Cœnæ, vt habet ibidem Nauarrus. Quartus est retentio bonorum incertorum. Quintus est sacrilegiũ, quod non enumeratur à Nauarro, sed à Suarez. Suarez autem hunc quartum casum adductum à Nauarro dicit esse sinè fundamẽto, neque probat illas ampliationes quatuor primorum casuum: dicit. n. illas esse sinè fundamento, nec ab auctoribus, illis probantur, cum tamen deberent probari, quia est res grauis; & ratio est in oppositum: quia cum sit materia odiosa potius est restringenda, quàm amplãda, neque in eis valet argumentari à simili, neque à paritate rationis: quia, tamen inquit, hæc reseruata sunt ex consuetudine locorum, standum est consuetudini locorum, tàm de casibus principalibus, quàm de ampliationibus. Vndè vbi est consuetudo illa reseruandi cum ampliationib. sunt reseruati; vbi non est consuetudo, non sunt reseruati.

7. Casus. 27 Septimò. Reseruatur Episcopis (licèt isti impropriè dicantur casus à Summistis) votorum dispensatio, exceptis ijs, quæ reseruantur Papæ, & sunt quinque ex Nauar. c. 12. nu. 75. s. votum perpetuæ continentiæ: votum Religionis: votum peregrinationis in Hierusalem, vel Romam, vel ad S. Iacobum Compostellæ: secundò, iuramentorum relaxatio: tertiò, dispensatio super irregularitates non reseruatas Papæ, super quas tamen omnes ex Conc. Trid. sess. 24. cap. 6. quando sunt occultæ, excepta ea, quæ prouenit ex homicidio dispensare possunt: tertiò, possunt relaxare omnes excommunicationes non reseruatas Papæ, vt dictum est suprà.

Dispẽsatio super vota, iuramenta & irregularitates.

Reseruatio casuũ inter regulares. 28 Circa Regulares qui sint casus reseruati de facto non potest cognosci nisi ex eorum ordinib. & statutis, quæ pro diuersis Religionib. diuersi esse possunt. Notandum tamen est Decretum Clem. VIII. ęditum anno Dñi 1593. die 26. mensis Maij, q habetur apud Confettium, tit. 17. statuere hæc peccata tantùm posse Religiosis reseruari, nec esse reseruata, nisi à superioribus actu reseruantur oĩa, vel in parte. *Primum, Veneficia, incantationes, sortilegia. Secundum, Apostasia à Religione siue habitu demisso, siue retento, quando eò peruenit, vt extra septa monasterij, seù conuentus fiat. Tertium, nocturna, ac furtina è monasterio, seu conuentu egressio, etiam non animo apostatandi facta. Quartum, proprietas contra votum paupertatis quæ sit peccatum mortale. Quintus, iuramentum in iudicio regulari, seù legitimo. Sextò, procuratio, auxilium, seù consiliũ ad abortum faciendum post animatum fetum, ẽt effectu non secuto. Septimò, falsificatio manus, seu sigilli officialium Conuentus, aut Monasterij. Octauò, furtum de rebus monasterij in ea quantitate quæ sit peccatum mortale. Nonò, lapsus carnis voluntarius opere consumatus. Decimò, occisio, aut vulneratio, seù grauis percussio cuiuscũque personæ. Vndecimò, malitiosum impedimentum, aut retardatio, aut aperitio litterarum à superiorib. ad inferiores, vel ab inferiorib. ad superiores.* Preter hęc peccata superiores non possunt auctoritate propria alios reseruare, sed si occurreret, ꝑpter bonũ religionis aut conscientiæ esse aliquem aliuni casum reseruandũ, hoc non posset facere nisi ex consensu Capituli Generalis in toto ordine, vel Capituli Prouincialis in Prouincia. Vnde subiungit hæc verba. *Si quod aliud præterea peccatum graue pro Religionis conseruatione, aut pro conscientiæ puritate reseruandum videbitur, id non aliter fiat, quam Generalis Capituli in toto ordine, aut Prouincialis in Prouincia matura discussione, & consensu.* Quod ẽt isti casus, non sint reseruati nisi actu reseruentur à superioribus, patet ex illis verbis. *Superior Religionis possit hos casus sibi reseruare, aut omnes, aut eorum aliquos prout subditorum vtilitati expedire prudenter in Domino iudicauerunt.*

An supior post Decretũ Clem. 8. possit imponere, & reseruare sibi excõicationẽ aliquam. 29 Tandem hic est dubium à Suarez eadem, disp. 29. sect. 5. motũ, an post Decretum Clem. VIII. nũc adductũ Abbas, vel Prior seu, Guardianus cõuentu possit imponere excõmuncationẽ, alicui casui, & eam sibi reseruare, e. g. an possit præcipere ne Religiosus eggrediens ex monasterio cum licentia non possit ingredi aliq̃ Domũ Seculariũ sine sua spãli licẽtia, sub pena excõmunicationis ipso facto incurenda, à qua nõ possit absolui, nisi à superiori. Videtur quod nõ, quia ex illo decreto sine consensu Capituli Generalis, vel Prouincialis non põt superior aliquem casum sibi reseruare. Respõdit nihilominus se iudicare probabiliter posse: hac ratione, q̃ Clemẽs loquitur ĩ illo Decreto exprese de culpis nõ de cẽsuris: nã verba Decreti sunt. *Nemo ex regularium superioribus peccatorũ absolutionẽ sibi reseruet exceptis*, &c. In ꝑposito aũt casu reseruatur cẽsura, nõ culpa. Et confirmatur, quia per illud Decretum nõ est ablata facultas superioris imponendi censuras: impositio aũt excommunicationis ab homine reseruatur ex natura sua iudici illam imponenti. Consulit tñ in fine, *melius esse id nõ facere sine speciali cõsensu Capituli Prouincialis, ad omnem dubitationem tollendam.* Et hoc vltimum ipse quoque consulo: nam licèt speculatiue oppositum appareat satis probabile, nihilominus non est dubium, Decretum illud Clementis emanasse in fauorem subditorum regularium, ad tollendam indiscretionem quorundam superiorum, qui quædã minutissima peccata ẽt sibi reseruabant. Vnde mirum in modum subditi onerabantur, idem aũt accidit de impositione censurarum. Quidã enim fatui, vt ait Scotus in 4. d. 19. q. 1. a. 5. versus finẽ, sunt ita proni ad extrahendũ hunc gladium, qui tñ ab Apostolis inuenitur rarò extractus, vt multa pericula inducant. Ideo probabile iudico Decretum illud Clementis extẽdi ad censuras quoque, & ideo proculdubio tutius est cauere ab hac reseruatione sine capituli licentia: & eò magis, quia vt diximus suprà, & ipse Suarez fassus est cum reseruatur casus habens excommunicationem annexam, reseruatio cadit super culpam, & super censuram. Censura enim imponitur propter grauitatem culpæ, quæ si non esset grauis, non egeret impositione censuræ perpetranti, & eiusdem reseruatione. Responsio Auctoris.

De ministro, qui potest absoluere à casibus reseruatis. Caput Secundum.

30 POtest quis absolui à casibus reseruatis duobus modis, scilicet directè, & indirectè. Directè cum absoluit ab habente potestatem absoluendi à reseruatis. Indirectè cum quis absoluitur ab alijs peccatis non reseruatis, & p accidens absoluitur quoque à reseruatis, vt infrà patebit. Tũc sit prima assertio. Minister potens absoluere directè est ille, qui reseruauit sibi illa peccata; & superior illius, qui reseruauit sibi peccata illa; intelligitur aũt de superiore in potestate iurisdictionis in hoc foro conscientiæ. Vnde peccata reseruata Episcopis possunt absolui ab ipsis Episcopis, & à Summo Põtifice, & peccata in religionibus reseruata Abbati, & Priori seu Guardiano possunt absolui ab eisdem, & insuper à Prouincialibus, & Generalibus. Hæc assertio est communis, & patet: quia qui reseruauit sibi casus aliquos, retinuit sibi potestatem absoluendi. Superior aũt eius potest totũ illud, quòd ipse inferior, ergo. 1. Assertio.

2. Assertio. 31 Secunda assertio. Quicunque habens auctoritatẽ delegatam ab altero illorum duorum prælatorum ad hęc peccata absoluẽda, directè potest illa absoluere. Hęc quoque patet ex dictis suprà. Quod autem aliqui dicunt, vt referunt Nauarrus in Manuali cap. 27. num. 263. & Suarez disp. 30. sect. 1. non posse Summum Pontificẽ cõcedere facultatem absoluendi à casibus reseruatis Episcopis sine eorum licentia, est omninò erroneum. Dictum. est enim suprà omnem auctoritatem iurisdictionis in Episcopos emanare à Summo Pontifice: non autem immediatè ex iure diuino. De modo verò, seu verbis, quibus vti debeant in delegando tali auctoritate non est regula præscripta: sufficit, vt vtantur talibus verbis quibus significẽt auctoritatem delegare; de qua re latè Nauarrus eodem cap. 27. num. 161. Notandum est tamen in particulari, quod si superior concedat tantùm auctoritatem audiendi confessiones, non intelligitur concedere facultatem absoluendi à reseruatis: quia in generali verbo, non intelliguntur specialia concessa ex cap. *Si Episcopus*, de pœnit. & remiss. in 6. Similiter si dicat alicui, se illi concedere facultatem audiendi confessiones, idem dicendum. Si verò alicui prius concederet absolutionem ab aliquo casu reseruato, deindè diceret, *& omnem meam potestatem*, concederet facultatem absoluendi ab omnibus reseruatis: quia speciale verbum præcedens significat generale verbũ subsequens; & denique semper sunt inspicienda verba, quid important.

32 Verùm ex hac regula illius cap. *Si Episcopus*, de pœnitentia, & remiss. in 6. quod in generali facultatem, non cõprehenduntur casus reseruati, qui sunt particulares, oritur dubium, An subditus vnius Episcopi iter agens in Episcopatu alterius Episcopi sicut pòt absolui in illo alieno Episcopatu ex licentia proprij Episcopi, vt dictum est suprà de peregrinis, & iter agentibus: ita possit absolui à reseruatis ab Episcopo proprio. Vndè Nauarrus in cap. *Placuit*, de pœnitentia in 6. num. 63. & Soto in 4. dist. 18. quæst. 2. art. 4. respondet, nequaquam posse per adductã rationẽ, quia dicunt licentiam, quam dat Episcopus expressam, vel tacitã in peregrinando, vel iter agendo, nõ extẽdi ad casus reseruatos, qui sunt particulares. Tamen Caietanus in Sũma verbo *Absolutio* 2. cum Paludano in 4. dist. 17. quæst. 3. quem sequuntur D. Antoninus 3. p. tit. 17. cap. 4. & Suarez eadem disp. 3. sect. 1. in fine tenent etiam à reseruatis absolui posse. Ratio est, quia qui iter agit in alieno Episcopatu se gerere debet, vt subditus illius Episcopatus in quo iter agit. Vnde licentia tacita, vel expressa Episcopi in hoc casu videtur esse talis, vt ille se se gerat in alieno Episcopatu, ac si subditus esset illius Episcopi: nam confessores illius Episcopatus non tenentur se gerere eo more, quo confessores alterius Episcopatus: ideò cum pœnitente alieno accedente ad ipsos debent eo modo se gerere ac facerent circa proprios. Proinde si pœnitens alienus habet casus reseruatos in proprio Episcopatu, si non sint reseruati in eo Episcopatu vbi moratur, neque erunt sibi reseruati; sed poterit à quocunque confessore ordinario absolui: si verò erunt reseruati etiam in Episcopatu in quo moratur, non poterit absolui nisi ab habentibus potestatem absoluendi à reseruatis; & è conuerso, si qui sint casus reseruati in Episcopatu alieno, in quo moratur, qui non erant reseruati in proprio, non poterit absolui ab eis, nisi ab eo, qui habet facultatem absoluendi à reseruatis, propter rationem adductam.

An iter agẽs in Episcopatu alieno absolui possit à reseruatis.

De eo cui cõcessa est facultas eligendi sibi cõfessariũ. 33 Quæ dicta sunt de facultate concedendi potestatẽ absoluendi à reseruatis confessoribus, idem dicendum est de facultate concessa pœnitenti, vt sibi eligat confessarium.

34 Qui verò sint ministri, qui habent hanc facultatem delegatam, est notandum, quod ex cõsuetudine nullus habet hanc auctoritatem: quia hoc directè repugnat reseruationi: neque vlla consuetudo hactenus sic introducta adducitur ab auctoribus, licèt peccatum, quod ex consuetudine erat reseruatum quandoque possit non reseruari. De iure verò hæc facultas est delegata in duobus casibus. Primus est in Conc. Trid. sess. 24. cap. 6. vbi Concilium concedit facultate Episcopis, vt possint absoluere subditos suos quoscunque à quibuscunque casibus occultis reseruatis Sedi Apostolicæ in sua Diœcesi per seipsos, vel per suos Vicarios ad id specialiter eligendos in foro conscientiæ. Idem in crimine hæresis per seipsos, non per Vicarium, vbi est obseruãdum peccatum occultum esse illud, quod cõtradistinguitur à publico. Publicum autem est, quod notũ est omnibus in aliquo oppido, vel vicinio, vel aliqua communitate secundum Nauarrum cap. 27. num. 254. & 255. Licèt in eo loco, in quo pœnitẽs absoluitur, non esset notũ: quia est publicum in aliquo loco, facilè ad alia loca defertur.

Primus casus delegationis à iure in Cõc. Trid.

Peccatum occultũ, & publicum, quod

Quid per subditos intelligatur. 35 Per subditos verò intelliguntur non solum habẽtes domicilium in sua Diœcesi, sed omnes qui sunt veluti subditi illius, scilicet habentes quasi domiciliũ peregrini, iter agentes, & sacerdotes exempti. Ratio est, quia, ex consuetudine nunc dicta superius, omnes isti dum morantur in tali Episcopatu de voluntate propriorum prælatorum se habent, vt incolæ illius Episcopatus, quod etiã tenet Suarez loco citato, licèt hæsitanter de duobus vltimis.

Quid per Episcopi. 36 Per Episcopos verò intelliguntur secundum prædictum auctorem, Episcopus etiam electus confirmatus, nõ consecratus: & sede vacante Capitulum, & Vicarius eius ad hoc specialiter deputandus. Non extenditur aũt hęc cõcessio prælatis inferioribus Episcopo habẽtibus iurisdictionem: quia, inquit Suarez, se vidisse quãdam declarationẽ Cardinalium super Concilium Tridentinum, quæ asserit non comprehendi in eo decreto inferiores habentes iurisdictionem ordinariam & quasi Episcopalem, sed tantùm Episcopos, priuatiuè quò ad alios. Sed dubiũ est, an hoc decretum habeat locum in casibus post Conc. Trid. ex noua lege, Sedi Apostolicæ reseruatis. Suarez disp. illa 30. n. 14. inquit, donec de mente Sedis Apostolicæ tertius constet, videtur probabile ẽt in his habere locum: quia Conc. videtur voluisse ponere regulam generalem circa reseruationes Pontificũ. f. vt intelligatur esse de criminibus publicis: de occultis verò non oĩnò, sed cũ cõsiderationibus positis in hoc decreto. Idẽ ait Nauar. in Man. c. 27. n. 160. Sed quid si Episcopus lapsus sit in aliqu ex his criminibus reseruatis Papæ, de quibus in hoc decreto Conc. Respondet Suarez vbi suprà à Sacra Congregatione Cardinaliũ responsum fuisse, licere sibi deputare proprium cõfessariũ cũ eadẽ auctoritate, quam ipse posset ex eodẽ cap. in suos subditos exercere. Et ratio est, quia Episcopus non debet esse peioris conditionis, quàm subditus. Si autem decretũ illud est reuocatum, hoc non procedit.

An ad prælatos regulariũ extẽdatur. 37 De prælatis, verò regularium est dubiũ, an illi in eo decreto Sacri Conc. contineantur, cũ in suos subditos habeant iurisdictionem quasi Epalẽ, an non: respondetur tũ clarum esse ex declaratione Cardinalium habita nõ extẽdi illud decretum ad superiores regulariũ. Refert tñ Suarez quodam priuilegiũ Pij V. concessum Prouinciali prouinciæ Hispaniæ. Qd habet. *Exponi nobis superfecit dilectus filius Prior Prouincialis Prouinciæ Hispaniæ Ordinis Prædicatorũ*, &c. (hæc bulla habetur apud Confestium in collectione literarum Apostolicarum, & priuilegiorum mendicantium, & est ordine 10. Pij V. & incipit, *Romanus Pontifex circũspecta benignitas*, &c.) In quo Pius V. cõcedit eãdẽ auctoritatẽ superioribus prælatis ordinis Prædicatorum, quã Conc. in dicta sess. 24. cap. 6. concedit Epis, quod quidem si est verum per cõmunicationẽ priuilegoriũ pote runt oẽs superiores mẽdicantium vti eadem auctoritate. Bullæ aũt communicationum habentur apud Cõfestium in collectione priuilegiorũ regulariũ, ex constitutionibus Sixti IV. Leonis X. & aliorũ Pontificum. Quæ et sit auctoritas superiorũ ex alijs priuilegijs habetur apud eũdẽ Cõfestium titulo 17. de confessariorum regularium potestate, quõ ad absolutionem fratrum.

Regulares idelictis occultis possunt absolui ab Epis. Seclusõ aũt hoc priuilegio absolui possunt religiosi à prædictis casibus occultis ab Epis in quorum Diœcesibus habitant: nã quò ad hęc fauorabilia illis subiecti censendi sũt, ait Suarez disp. illa 30. sect. 2. n. 7. vbi est notandum ex Cõ festio

fettio in colletione priuilegiorũ mendicãtiũ Tit. 11. c. 1. vbi de electione, & potestate prælatorum, & Tit. 17. c. 7. vbi agit de potestate confessorum regularium, quod superiores regularium, scilicet Generalis totius Ordinis, Prouinciales in Prouincia sibi commissa, Custos in sua custodia, nec non superior localis, vt Prior, vel Guardianus, Rector, Corrector, Præsidens, Præfectus Domus, seu Conuentus, ac Abbas proprij Monasterij, & eorum respectiuè Vicarij, & Delegati, non solùm auctoritate sui officij, quam habent plenam in suos subditos, exceptis his, quæ reseruantur summo Pontifici, à quo immediatè habent suam auctoritatem, cùm sint exempti, vt suprà dictũ est, sed etiam ex Priuilegijs eis à summis Pontificib. concessis, possunt suos subditos tàm fratres, quàm moniales, & vtriusque sexus personas ratione professionis, & habitus ei subditas à quibusuis maioris excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occasione latis etiam sedi Apostolicæ reseruatis generaliter à iure, & ab omnibus criminibus, peccatis, & excessibus eidem sedi Apostolicæ pariter reseruatis, exceptis contentis in Bulla Cœnæ Domini, non solùm in iudiciali, & externo foro, sed etiam in foro pœnitentiæ absoluere. Et insuper in quibuscunque irregularitatibus, tàm ex defectu natalium adulterio, incestu, sacrilegio, & ex quouis alio nefario, & illicito coitu, præterquam in irregularitate ex homicidio voluntario, bigamia, & membrorum mutilatione, & quomodolibet ante, siue post professionem contractis, dispensare valent; ita vt sic dispensati, vt præfertur, ad sacros ordines promoueri, & omnes administrationes, officia, & dignitates in ordine consequi, & retinere licitè possunt. Neque istæ facultates, & priuilegia reuocata sunt per Bullas Apostolicas, nec per Concilium Tridentinum, nisi in casibus reseruatis in Bulla in Cœna Domini, qui quotannis reseruantur, derogando quibuscunque priuilegijs, & in contrarium facientibus. Concilium Tridentinum nonnulla quidem priuilegia moderauit, de quibus diligenter Confettius in Collectione Priuilegiorum, titulo 3. cap. 1. Reliqua verò omnia confirmauit sess. 25. quæ est vltima, cap. 20. sub his verbis: *In cæteris omnibus præfatorum Ordinum priuilegia, & facultates, quæ ipsorum personas, loca, & iura concernunt, firma sint, & illæsa.* & per Extrauagantes Pij V. & Gregorij XIII. Bulla incipiente, *Ex benigna sedis Apostolicæ*, &c. & Sixti V. Bulla incipiente, *Etsi Mendicantium Ordines*. & per alios Pontifices apud Confettium, vbi suprà. Vndè cum potestas dispensandi in irregularitate ex priuilegio, siue delegata non possit innotescere, nisi ex forma priuilegiorum, & concessionum Summorum Pontificum, vt rectè obseruauit Suarez, tomo de Censuris, disp. 41. sect. 2. nu. 15. eędem Bullæ, & priuilegia videri possunt apud eundem Confettium, Tit. 3. cap. 1. & in Bullis ab eo adductis in illo opere. Hic autem notandum est, Regulares de iure communi non posse absoluere à casibus reseruatis Episcopis, licèt Syluester, verbo *Confessor* 2. q. 5. Angelus *Confessio* 3. nu. 28. & alij dixerint, posse: quòd ostendit rectè Nauarrus in Summa, cap. 27. num. 266. & Soto in 4. d. 18. quæst. 4. ar. 3. & ratio est, quia in Clement. *Dudum*, de priuilegijs, Religiosi ęquiparantur Parochis; at Parochi non habent hanc facultatem; ergo præterea in Clement. *Religiosi*, de priuilegijs, §. *Quibus*, interdicitur Religiosis sub interminatione maledictionis æternæ, ne à casibus sedi Apostolicę, vel locorũ ordinarijs reseruatis absoluãt.

Superiores Regulariũ pñt ĩ vtroq. foro absoluere suos subditos ab omnib. cẽsuris.

Superiores Regulariũ pñt dispensare in irregularitatibus cũ suis subditis.

38 Vltimò notandum est illam particulam vltimam, in qua Concilium concedit facultatem Episcopis absoluendi per seipsos à crimine hæresis occultæ esse derogatam; nec amplius posse, nec debere virtute illius priuilegij absoluere ab hæresi occulta etiam in foro pœnitentiæ, & hoc per pronuntiationem, & declarationem Congregationis sanctæ, & Generalis Inquisitionis Romanæ: & ratio est, tùm quia vt habetur in Directorio Inquisitor. 3. p. Fab. de Confessione, q. 92. com. 141. per processum Bullæ in Cœna Domini ea quotannis derogatur, tùm quia Pius V. & Gregor. XIII. hoc expressè declarauerunt, quod etiam docet Nauarrus in Manuali cap. 27. num. 260.

Episcopi non pñt absoluere ab hæresi occulta.

39 Dubium est autem in casibus extraordinarijs, an possit sacerdos inferior directè absoluere à reseruatis superiori. Respondetur primò, certum esse in articulo mortis quemcunque sacerdotem posse à reseruatis absoluere: patet ex communi consensu, & ex Conc. Trid. sess. 14. c. 7. vbi dicit in articulo mortis nullam esse reseruationem, seruato tamẽ ordine, vt si adsit, qui habet auctoritatem, præferatur non habenti, si adsit tempus: nam articulum mortis intelligimus tempus illud, in quo est in periculo vitæ, quod tamen periculum habet aliquam latitudinem, vt si adsit habens auctoritatem à reseruatis illum possit adire, quidquid dicat Suarez disp. illa 30. sect. 5. num. 4.

An nõ hñs auctoritatẽ absoluẽdi à casib. reseruatis in aliquo casu possit directè ab eis absoluere.

40 Qui autem absoluitur à reseruatis in articulo mortis, non tenetur amplius ea confiteri superiori reseruanti, si periculum mortis euadat: quia in mortis articulo quilibet sacerdos habuit iurisdictionem necessariam, ideò fuit verè absolutus; quando tamen casus reseruatus habet annexam excommunicationem, vt sunt omnes casus Pontificij, tunc absolutus in articulo mortis, si euadat periculum, tenetur se præsentare coram superiore habente auctoritatem, non vt absoluatur à peccatis, quia iam est absolutus, sed vt obediat præcepto Ecclesiastico, quod est, vt absolutus in mortis articulo à censura, teneatur se præsentare Episcopo, & Superiori si euadat: quia facultas absoluendi in articulo mortis in tali casu datur sub onere se præsentandi; ideò si sit in mora trasgreditur illud præceptum Ecclesiasticum, & relabitur in excommunicationem, vt patet ex capitulo *De cætero*, & cap. *Eos qui*, de sent. excommun. licet Nauarrus in Manuali, capit. 26. num. 26. teneat oppositum: nam ratio præsentationis in cap. illo adducta est, ne censura eludi videatur; ideò vult, vt sic absolutus se præsentet, vt à Superiore recipiat pœnitentiam, qua pro peccato, pro quo fuit excommunicatus, satisfaciat; ideò non potest parere, nec competenter satisfacere parti, nisi prius sese præsentauerit. Quando verò casus reseruati non habent annexam excommunicationem non absoluuntur sub hoc onere præsentandi se Superiori. Est communis sententia, quam tenet Paludanus, & cæteri sequuti sunt, Syluester, & Angelus, verbo *Confessio*, Nauarrus eodem cap. 26. num. 26. Suarez vbi sup. num. 7. Ratio est: quia tenebatur se præsentare Superiori propter Decretum Canonis, *Eos qui*, suprà adducti. Ratio autem illius Canonis cessat vbi non est censura, propter culpas autem non tenetur; quia iam per Trid. Concil. in articulo mortis nulla est reseruatio, & semel absolutus non tenetur iterum confiteri.

Qui absoluitur à reseruatis in articu. mortis nõ tenetur amplius illa cõfiteri.

41 Secundò quicumque iusto impedimento, iudicio probi viri impeditur adire Superiorem (ut [illegible] de Sede Apostolica) vt mulier prægnans, vel Nuntium Apostolicum, qui etiam absoluere potest, cap. *Ad eminentiam*, de sent. excom. potest absolui, modò pro viribus satisfaciat, & iuret sublato impedimento se præsentare apud Sedem Apostolicam, vt tradit Nauarr. in Manual. cap. 27. num. 89. qui alios citat, & maximè Syluestrum: hæc facultas elicitur ex illa regula, Quoties non patet aditus ad Summum Pontificem, vel Legatum, aut Delegatum, nisi cum magna difficultate posse absolui à reseruatis ab inferiore, quæ desumitur ex declaratione excom. *Si quis suadente*, quæ tunc extenditur à Doctorib. ad alios casus, in quibus adest similis ratio, scilicet impedimentum adeundi Superiorem.

De alijs verò casibus reseruatis alijs Prælatis inferioribus, Papa nemo inferior absoluere potest: quia regula illa introducta est de casibus Pontificijs propter distantiam, & aditum difficilem ad Sedem Apostolicam; quæ cessat in alijs inferioribus, & maximè, quia Concilium Tridentinum excipit solum articulum mortis. Inferiores enim Prælati, vt Epi, possunt in suis Diœcesibus ordinare

aliquos pœnitentiarios, qui ab his casibus possint absoluere, qua in re debent esse multum solliciti superiores, ne quis propter eorum negligentiam, vel aliud animæ detrimentum patiatur.

De eo cui conceditur facultas, vt absoluatur à reseruatis.

42 Sicut autem superior potest concedere facultatem suam absoluendi a reseruatis confessori, sic potest concedere facultatem pœnitenti, vt eligat confessorem, qui eum ab eis absoluat; sed in concessione debet specificari hæc concessio, vt suprà de delegatione dictum est.

Circa hoc autem sunt duo dubia: primum an superior debeat, & teneatur dare licentiam subdito petenti, vt à casibus reseruatis absolui possit: secundum an debeat eam dare absolutè, vel possit dare eam imponendo aliquod onus.

An supior teneat pęnẽti absolui à reseruatis licentiã dare.

43 Quò ad primum multa disputat Suarez disp. illa 30. sect. 4. adductis auctoribus ex vna parte, præsertim Victoria in Summa 4. num. 147. de confessione. Nauarro in Manuali cap. 7. num. 8. & cap. *Placuit*, num. 149. & 150. quos inquit absolutè negare Pastorem vnquam teneri ad dandam licentiam hanc subdito. Eorum ratio est, quia aliàs nunquam homo teneretur confiteri suo Pastori. Præterea proprius Pastor non tenetur dare licentiam proprio subdito confitendi alieno, nisi ex legitima causa, ex cap. *Omnis*, quæ causa debet esse extrinseca confessioni, idest non debet esse verecundia, & pudor, sed vel damnũ pęnitentis, vel alicuius alterius personæ, in persona, fama, vel rebus, vel aliquid tale. Verùm auctores isti non loquũtur in particulari de casibus reseruatis, sed de licentia absolutè confitendi alieno, & non proprio sacerdoti. Ex alia parte citatis D. Thoma in 4. dist. 17. quæst. 3. art. 3. quęst. 4. ad 6. & in opusculo 19. Soto dist. 18. quæst. 2. art. 5. Syluestro verbo *Confessor* 1. num. 31. & multis alijs atque adhuc Nauarro d. cap. *Placuit*, num. 129. & 151. & Victoria vbi suprà, num. 146. quem ait tenere per se, & seclusis extrinsecis causis, superiorem teneri concedere hanc licentiam. Hi tamen etiam loquuntur de eo, qui petit facultatem absolutè confitendi alieno confessori, non de eo, qui petit licẽtiam, vt possit absolui ab inferioribus Prælato reseruante: & licèt uideatur esse eadem ratio, tamen ex circunstantijs particularibus potest esse multa diuersitas, quæ non potest ad certam regulam redigi, sed in praxi posset venire in vsu.

Opin. Suarez.

44 Tandem respondet superiorem teneri concedere hanc licentiam in casibus in quibus per iustitiam tenetur hanc facultatem subdito concedere, vt cum subditus timet confessarium reuelaturum confessionem, vel quod re vera sit illa scientia in graue detrimentum pœnitentis, vel superior non est idoneus, & similia. Similiter teneri ex pręcepto charitatis, & ex debito sui muneris, qui debet esse fidelis dispensator hanc facultatem concedere quoties timuerit graue detrimentum spirituale subditi si illam neget, vt quod tacebit aliquod peccatum graue in confessione, vel quod nimium differret confessionem, & licentiam peccandi accipiet. Et ratio est, quia hæc auctoritas data est in vtilitatem subditorum non in destructionem. Nec refert, quod subditus sit sibi ipsi causa talis nocumenti, nolendo confiteri pręlato: quia hæc reseruatio ordinata est in vtilitatem pœnitentis; ergo non debet seruari cum tanto detrimento pœnitentis, vt vel faciat confessionem non integram, vel non confiteatur, & similia, quæ in tantum detrimentum animæ eius vergunt. Quando autem pręlatus timet, concessionem talis facultatis non esse profuturã pœnitentis, sed potius futuram occasionem perseuerandi in peccato ob facilem concessionem licentiæ, vel peccatũ sit tale, vt vergat in damnum communitatis, & prælatus negando facultatem possit seruato sigillo confessionis remedium adhibere, non tenetur dare talem licentiam.

Dubium.

45 Sed ego quæro, vnde poterit superior agnoscere se teneri ex iustitia, vel charitate, vel non teneri ad concedendum hanc facultatem pœnitenti. Nõ enim superior poterit scire, e. g. subditum petere licentiam confitendi reseruata alteri, quam ipsi prælato, quia dubitet, ne prælatus suam confessionem reuelet. Hoc enim est occultum, neque ipse pœnitens hoc reuelabit ipsi prælato: neque etiam tenetur hanc dubitationem dicere confessario, non habẽti facultatem si sit probabilis dubitatio, quia non est peccatum, neque debet detrahere famæ sui prelati in confessione; ergo superior erit perplexus, an teneatur dare hanc licentiam, vel non dare. Neque etiam poterit scire, an licentia sit allatura damnum pœnitenti, vt puta occasionem recidiui, nisi sciat, quodnam peccatum illud sit, & eius conscientiam per confessionem explorauerit: at hoc esse non potest, quia penitens petit licẽtiam alteri confitendi, quia non vult sua peccata manifestare prælato; ergo prælatus de hoc iudicium ferre non poterit.

Opinio auctoris.

46 Proinde in re difficili mihi maxima prudẽtia opus esse videtur. Consuetudo autem, quæ apud multos est in vsu, mihi valde probatur, quam etiã Soto laudat d. illa 18. q. 2. art. 5. ad secundum argumentum, & apertè insinuatur à Conc. Trid. sess. 14. cap. 7. de casibus reseruatis in fine, quod cum quis est irretitus aliquo casu reseruato, adeat confessarium, cui vult confiteri, & ei totam suam conscientiam aperiat, vt ipse statum ipsius pęnitẽtis optimè noscat: qui confessarius videns pœnitentis statum hortetur quantum potest, vt superiorẽ adeat, & legitimos iudices pro beneficio absolutionis, quod si nollit, ipse sacerdos pro eo accedat, qui casum sui pœnitentis manifestet, non manifestãdo personam, & sic poterit cognoscere, an teneatur dare licentiam absoluendi nec ne: & in omni casu dummodo adsit contritio, vel attritio secundùm communiorem opinionem superior debet esse facilis ad præbendum talem licentiam. Potest tamen ordinare, vt alium confessarium vel rigidiorem, vel sapientiorem adeat: in quo tamen nõ adsit aliqua iusta causa recusandi illum, sicut recusauit superiorem.

An supior debeat dare licẽtiam absolutè.

47 Quò ad secundum dubium, An superior debeat dare licentiam absolutè quando eam cõcedit, vel debeat imponere aliquod onus, vel aliquam conditionem. Respondetur duplex onus in præsenti posse habere locum. Primũ vt talis, vel talis pœnitentia illi imponatur. Secundũ vt se præsentet coram superiore: loquẽdo de primo, non est dubium posse imponi à superiori talis, vel talis pœnitentia pro tali, & tali peccato: nam cũ sit iudex ordinarius in illa causa põt illam non cõmittere absolutè, sed cum præscriptione pœnæ taxande; & de facto olim erant canones pęnitẽtiales in quibus taxabantur pęnitentię imponẽdæ pro grauioribus delictis, qui solent apponi in fine Decreti Gratiani. Vbi dicitur, q pro vno peccato mortali imponebat pęnitentia septem annorũ. Si presbyter fornicationẽ fecisset 10. annos pęnitentiam agere debebat: & modus pęnitentiæ faciendæ in illo decenio ibi declaratur. Si præsbyter agnoscebat filiã suam spũalẽ, q. s. baptizauit, vel in baptismo, vel in confirmatione tenuit, vel quæ sibi confessa fuit, debebat agere pęnitentiam 12. annis. Et aliæ huiusmodi pęnitentiæ, de quibus agendo de pęnitẽtia seu satisfactione dicemus quæ tñ nunc non sunt in vsu. Satis est ex hoc nos habere superiorem posse statuere pęnam pro peccato reseruato, & concedere facultatem absoluendi ab illis determinando pœnam imponendam.

Pro peccato mortali olim 7. annorum pęnitentia iniũgebatur.

Immò superiores etiam in casibus non reseruatis possunt taxare pœnam pro certis peccatis ex decreto Clem. 8. de casuum reseruatione: nam cum dicitur. *Licebit etiam superioribus determinare pœnitentias graues quibusdam peccatis etiam non reseruatis confessarijs imponendas, quæ subditos ab huiusmodi peccatis perpetrandis cohibere possint*. Ex quo deducitur, quod a forciori potest in reseruatis.

Superiores possunt imponere determinatas pœnitẽtias ẽt pro peccatis nõ reseruatis.

48 Aliud onus se præsentandi non habet locum post confessionem peccati, & petitionẽ licentię absoluendi ab alio, quàm à superiore. Nam si tunc conceditur, vt ab alio absolui possit, videtur repugnantia, quod deinde ei imponat onus, vt se præsentet superiori pro absolutione: quia iã illã concesserat: nulla aũt alia causa assignari põt, propterq̃ licitè debeat se pręsentare, q̃a esset detegere confessionẽ.

Est ve-

An ſupior poſſit concedere facultatē abſoluendi à non commiſſis.

49 Eſt verò dubium, an ſuperior poſſit concedere alicui ſubdito facultatem de peccatis reſeruatis nō cōmiſſis, vt ſi quando ea committat ab alio ſacerdote abſolui poſſit: & quidem ſuperiorem poſſe concedere hanc facultatē de peccatis non commiſſis, eſt communiter conceſſum, quia adeſt poteſtas: nam ſicut poteſt concedere de commiſſis, ita de non commiſſis, ſi committantur, ſicuti poteſt illa non reſeruare reſpectu talis, & talis perſonæ; adeſſe ēt poteſt congruentia, vt ſi difficilis ſit aditus ad ſuperiorem. Vndè frequentius hæc facultas ſolet concedi ſub hac conditione, ſi difficilis ſit aditus ad ſuperiorem.

50 Eſt verò difficultas, an hæc licentia cōcedi debeat, & poſſit cum hoc onere, vt ſe deinde præſentet ſuperiori: & in peccatis reſeruatis quidem habentibus annexam cēſuram ſecundùm vſum iuris conceditur licentia abſoluendi, cum hoc onere, vt ſe præſentet ſuperiori. Et ratio eſt, quia abſolutio à cenſura, ſicut impoſitio eius pendet ab Eccleſia: ideò in cenſuris poteſt Eccleſia præſcribere modū abſolutionis prout voluerit. In confeſſione autem ſacramentali, quæ eſt de peccatis, Eccleſia non poteſt aliquod mutare de ijs, quæ ſunt de eſſentia: ideò cum obligat habentem peccata, quibus eſt annexa cenſura, vt compareat coram ſuperiore, non obligat ad confitendum iterum illa peccata, ſed ad dandum ſatisfactionem ſuperiori ratione cenſuræ contractæ. Sed difficultas eſt de caſibus reſeruatis non habentibus annexam cenſuram, an ſub hoc onere comparendi coram ſuperiore, poſſit, & debeat concedi licentia: & videtur quod non, quia nemo poteſt cogi ad confitendum iterum peccata ſemel ritè confeſſa: quia abſolutio ſacramentalis ex efficacia ſuæ inſtitutionis liberat hominem à culpa, tàm in foro Dei, quàm in foro Eccleſiæ: & ideò liberat illum ab obligatione ſubijciendi iterum illa peccata clauibus.

Solutio.

51 Reſpondetur duobus modis intelligi poſſe ſuperiorem poſſe concedere licentiam abſoluendi à caſibus reſeruatis cum onere comparendi coram ſuperiore: vno modo, quod poſſit obligare obligatione abſoluta ad comparendum: alio modo obligatione conditionata, ideſt pendente à voluntate pœnitentis. Loquendo priori modo certum eſt ſuperiorem non poſſe obligare pœnitentem. Et hoc probat ratio adducta: non enim ſuperior poteſt concedere facultatem alicui, vt abſoluatur ſacramentaliter à peccatis reſeruatis, & deinde obligetur abſolutè, vt ſe præſentet coram ſuperiore ad iterum confitendum eadem peccata. Sed poteſt tamen obligatione conditionata pendente à voluntate pœnitentis concedere hanc facultatem cum prædicto onere, quod eſt dictu, poteſt concedere facultatem pœnitenti, quod abſoluatur à reſeruatis, dummodo acceptet hanc conditionem, & onus, vt ſe obliget deinde pro opportunitate comparere coram ſuperiore ad confitendum eadem peccata, & ab illo accipere pœnitentiam condignam. Hæc aſſertio quò ad vtranque partem eſt communis. Hanc expreſse tradit Nauarrus pluribus in locis, ſed præcipuè in ca. *Placuit*, de pœnitentia diſt. 6. num. 112. & 115. & in Manuali ca. 9. num. 1. & in cap. *Fratres*, de pœnitentia diſt. 5. num. 30. qui citat multos alios auctores, & refert Gerſonem lect. 2. ſuper Marcum, Paludanum in 4. diſtinct. 17. quæſt. 5. columna 2. Maiorem ibidem quęſt. 6. qui citant Dionyſium, Adrianum de confeſ. quęſt. 5. columna 3. & tandem Extrauagantem Io. XXII. *Vas electionis*, de hæreticis. Eādem tradit Suarez diſput. illa 30. ſect. 5. qui eoſdem, & alios auctores citat, Henricum quolib. 1. quæſt. 32. Angelum, verbo *Confeſſio* 5. num. 9. Caietanum, verbo *Abſolutio*, cap. 2. Medin. Cod. de pœn. q. de confeſſione partibus priuilegiatis facta, & alios.

52 Fundamentum primæ partis eſt ratio ſuperiùs adducta, quia ſcilicet peccata ritè confeſſa, & à ſacerdote per abſolutionem dimiſſa coram Deo, & Eccleſia ſunt dimiſſa: ideò per nullum ſuperiorem cogi poteſt pœnitens ad iterum illa confitenda. Fundamentum ſecundę partis aſſertionis, ſcilicet quod ſuperior de conſenſu pœnitentis poſſit eum obligare modo ſupradicto, patet etiam: quia de eiſdem peccatis poteſt quis pluries confiteri, vt fit in cōfeſſionibus generalibus à viris timoratis ad maiorem erubeſcentiam, & ad tollendum ſcrupulum, nè fortè in prioribus confeſſionibus fuerit rectè diſpoſitus, vt ſupra loquendo, an ſit vtile reiterare confeſſionem, diximus. Præterea certum eſt aliquem poſſe per votum ſe obligare ad bis confitendum, vel ex pœnitentia confeſſoris acceptata obligari ad iterum peccatum idem confitēdum, vt etiam docent prædicti Auctores pręſertim Nauarrus in prędicto cap. *Placuit*, num. 115.

Ad q̄d obliget onus iterum cōfitēdi peccata.

53 Notandum eſt tamen hoc onus iterum comparendi coram ſuperiore ad confitendum eadem peccata, non eſſe inutile, neque fruſtra: nam ſi ab inferiore confeſſore, cui data eſt poteſtas abſoluendi pœnitens eſt abſolutus, confeſſio eorundem peccatorum facta ſuperiori non eſt neceſſaria; neque fit, vt iterum illa dimittat: quia per priorem iam dimiſſa ſunt. Si tamen vult ab illis iterum abſolui, poteſt: quia abſolutio bis cadere poteſt ſuper eadem peccata, licèt rectè confeſſa, vt dictum eſt de eo, qui facit generalem confeſſionem. Si verò non vult iterum ab illis abſoluere, ſuperior, neque ſubditus accedit animo confitendi iterum, ſed ſolùm, vt adimpleat onus impoſitum, hęc manifeſtatio non eſt fruſtra: quia poteſt ſuperior maiorem medicinam, vel maiorem ſatisfactionem adhibere; & reſpectu pœnitentis eſt magni meriti, tùm propter erubeſcentiam, tùm propter conſeruationem legis reſeruationis caſuum, quę cum obſeruatur, conſequitur finem ſuum, vt homines arceantur à ſimilibus peccatis committendis, ne cogantur adire poſtea ſuperiorem. Si verò ab inferiore non eſt abſolutus, nō eſt fruſtra, quia à ſuperiore tunc abſoluitur.

Fundamētum prædictæ obligationis.

54 Sed difficultas eſt de ratione, & fundamento huius veritatis nimirum validitatis obligationis, & oneris impoſiti pœnitenti, vt ſe pręſentet coram ſuperiore. Reſpondent plures ex pręductis auctoribus, vt Paludanus, Almainus, Medina, & pręſertim Nauarrus in d. cap. *Placuit*, num. 118. hanc obligationem oriri ex mutuo conſenſu, & quaſi pacto expreſſo, vel implicito inter ſuperiorem, & ſubditum, quod explicatur ſic. Superior, etſi cognoſcat ſubditum teneri, & debere accedere ad ipſum pro abſolutione; tamen propter aliquam congruentem cauſam, propter quam expedire ei videtur, facit illi gratiā, vt poſſit abſolui ab alio; non tamen vult facere gratiam abſolutam, ſed cum hac limitatione, vt aliquando, vel pro certo tempore poſtea teneatur ad eundem ſuperiorem adire. Vndè ſi pœnitens acceptat abſolui cum hac conditione, tenetur ex hoc conſenſu, & obligatione, quæ eſt de re grauì ſe præſentare ſuperiori. Vndè dicunt multi ex prædictis Auctoribus debere confeſſarium prius hanc conditionem ei aperire, antequam audiat confeſſionem, vel ipſum abſoluat à reſeruatis: ſi enim hoc intellecto acceptet abſolutionem, ſignum eſt ipſum acceptare hanc conditionem voluntariè; & ſic tenetur ex hoc conſenſu præſtito: ſi non acceptat hanc conditionem, non debet confeſſor ipſum audire, nec abſoluere, quia auctoritas hæc illi conceſſa à ſuperiore eſt limitata, ſub hac conditione, qua non adimpleta ceſſat auctoritas.

Quid ſi ſacerdos abſoluat pœnitentē inſciū auctoritatis datę ſub conditione. Reſponſio Suarez.

55 Sed difficultas eſt, an ſi confeſſor prius abſoluat pęnitentem, quàm ei notificet obligationem illam, ſiue id faciat ex malitia, aut ex aliqua alia cauſa, ille pœnitens teneatur ad onus illud comparendi coram ſuperiore. Suarez vbi ſuprà de hac re magnam facit quæſtionem, ſed ſumma eſt, quòd ſtante opinione prædicta non videtur teneri: quia cum ei non fuerit notificata conditio illa, non potuit præbere conſenſum expreſſum, vel tacitum; quando autem manifeſtatur illi eſt iam abſolutus, & poſſet nolle illud onus acceptare, & abſolutio prius data non poteſt reuocari. Neque hoc repugnat vigori diſciplinæ reſeruandi peccata: quia ad hoc ſatis eſt, vt confeſſor teneatur explicare conditionem pœnitenti, priuſquam confeſſionē audiat, quod ſi aliquando ex negligentia, vel ex ma-

litia hoc prætermitti possit, raro hoc accidit, & accidentaliter: ideo in re morali non est consideratione dignum.

Aliorũ resolutio.

Aliqui alij dicunt in eo casu non esse absolutum, nisi acceptet onus; sed teneri obligatione qua prius, scilicet confitendi superiori: quia absolutionis facultas data est, cum illo onere: ideo illo non adimpleto videtur absolutio esse nulla. Suarez vbi suprà indicat hanc sententiam esse nimis rigorosam: nam licèt superior possit concedere licentiam absoluendi à casibus reseruatis cum illo onere, ita vt illud onus sit conditio, qua non adimpleta auctoritas concessa sit nulla: tamen inquit, non videtur in tali casu delegare auctoritatem hoc modo, sed solùm videtur imponi illud onus, & obligatio tanquam preceptum, non autem tanquam conditio, à qua pendeat iurisdictio: nam etiam in absolutione à casu habente annexam censuram cum hac obligatione, si quis absoluatur e.g. ab excom. ob violentam percussionem clerici in articulo mortis, sine admonitione talis obligationis, absolutio valet.

Resolutio Suarez.

Respondit ergo Suarez in huiusmodi casu penitentem esse absolutum, & tamen remanere obligatum ad comparẽdum, cum post absolutionem intellexerit modum concessæ facultatis. Ratio est, quia sufficit consensus debitus: eo ipso enim, quod nouit modum concessæ facultatis, tenetur cõsentire in hanc obligationem, comparendi coram superiore: ideo hic consensus debitus sufficit, quod à Suarez probatur à simili ex facultate iuris ad absoluendum à peccatis reseruatis Summo Pontifici sub illo onere.

56 Secundò probat rõne, quia prelatus habet facultatẽ ad inducendum hanc obligationem pœnitenti habenti casus reseruatos; & de facto imponit, cum dat licentiam sub hoc onere; ergo subditus tenetur ad illam, quod de facto velit, patet cum det licentiam sub hoc onere; quod possit, declaratur, quia commissio istius facultatis est per modum delegationis; delegatio autem facultatis potest concedi magis, vel minus restricta, vt patet.

57 Ad propositum in peccato sunt tria. Primò est remissio peccati talis quò ad culpam, & pœnam æternam. Secundò est castigatio eiusdem peccati quò ad cõdignam satisfactionem. Tertiò est curatio eiusdem peccati, quò ad obligationem in futurum, cauendi illud peccatum, vel similia. Quò ad primum non potest iurisdictio delegata circa idem peccatum recipere magis, vel minus: quia tota culpa coram Deo, & Ecclesia remittitur; & quò ad hoc absolutio lata à superiore inferiori est immutabilis, claue nõ errante; nec superior potest illam limitare nec concedere secundùm magis, & minùs; sed quò ad secundum, & tertium potest intelligi maior, vel minor delegatio potestatis. Nam potest taxare pœnitentiam imponendam pœnitenti pro tali peccato. Ecce limitationem. Sicut ergo potest taxare pœnam imponendam pro illa culpa, ita potest committere facultatem sacerdoti absoluendi à culpa, & taxare aliquam pœnitentiam; non tamen totam, sed reseruando sibi aliquam partem, tanquam quasi vltimum iudicium de illa causa faciendum, quæ est, vt ad ipsum accedat, & à superiore accipiat pœnitentiam, quam ipse imponet. Non est enim necessarium, vt inferior sacerdos quò ad curationem morbi sit supremus sacerdos: ideo potest superior reseruare sibi hoc. Sic concludit Suarez sub pœna peccati mortalis teneri postea pœnitentem ad comparendum coram superiore.

Opin. Suarez est tutior, sed onerosa.

58 Res hæc est valdè dubia. Hæc opinio Suarez est tutior, sed mihi videtur nimis onerosa: nam in hoc casu pœnitens esset peioris conditionis post confessionem, quàm ante: quoniam prius non obligatur sub precepto peccati mortalis pro suis peccatis adire superiorem, sed solùm obligabatur ratione remedij pro suis peccatis. Saltem non obligabatur sub nouo precepto: quia reseruans peccatum non precipit nouo precepto, vt irretitus illis debeat accedere ad ipsum, sed solùm non concedit auctoritatem, vt absolui possit: at post hanc confessionem tenetur sub pœna noui particularis peccati; ita quòd si non adimpleat, vel determinet non adimplere, peccat mortaliter nouo peccato. Preterea si quis habens peccata reseruata, adeat pœnitentiarium, quem putat habere facultatem absoluẽdi à peccatis reseruatis absolutè, & hic audit peccata sua, & non notificat ei hanc conditionem; & postea audita confessione, & data absolutione obligat ipsum ad superiorem accedere, est deceptus; & insuper tenetur adire alium confessorem habentem auctoritatem absolutè, si non vult adire superiorem, & sic teneretur bis confiteri peccata sua. Tãdem consensus debitus non est consensus, ex quo oritur hæc obligatio, & de quo loquuntur auctores supranominati, sed consensus voluntarius omnino: quia consensus debitus est coactio, non consensus liber, vt consensus requisitus ad votum, & pactum, est consensus, non debitus, sed liber. In proposito consensus, ex quo oritur hæc obligatio, est consensus eiusdem rationis cum consensu, qui requiritur ad votum, & pactum; ergo debet esse consensus liber non debitus.

59 Itaque mihi magis placet opinio communior declarata ab illis Doctoribus, qui dicunt pœnitentem in tali casu non esse obligatum adire superiorem, sed solùm cum ei à principio, vel ante confessionem casuum reseruatorum manifestatur talis conditio; & ad hanc conditionem manifestandam obligari sacerdotem; & pœnitens illa audita consentit. Ille enim consensus, vel tacitus, vel expressus est liber, qui eum obligare potest. Sẽtentia auctoris.

60 Ad rationem primam Suarez respondetur, non esse parem rationem de casu habentẽ annexam censurã, & non habentẽ: quia obligatio accedendi ad superiorem ibi post absolutionem, est propter satisfactionem Ecclesiæ, quod hic non occurrit. Etiam illud cautum est in iure, cuius ignorantia non excusat ab illa obligatione: at de casu reseruato, quò ad hanc obligationem, nihil cautum est in iure. Vndè ex iure nulla est obligatio: at obligatio in casu nostro pendet ex pacto, scilicet ex concessione cum tali onere, quod factum potest ignorari; stante autẽ ignorantia concessionis auctoritatis, sub hoc onere non potest pœnitens illi oneri consentire, nec expressè, nec tacitè. De casu verò reseruato Papæ sine censura idem videtur dicendum, quod de reseruato Episcopo. Si enim concedat licentiam absoluendi cum onere, debet prius explicari; sin minus, non tenetur comparere, vt in nostro casu, propter eandem rationem. Ad primã rõnẽ Suarez.

Ad secundum negatur prelatum habere hanc auctoritatem: quia non oritur nisi ex consensu voluntario talis obligatio. Quantum verò ad satisfactionem condignam, & ad vitandum peccata non videtur esse tantæ necessitatis, vt pœnitens obligetur ad hoc onus, cum superior possit illam committere eidem confessario ad suum libitum absque eo, quòd cogat pœnitentem ad se venire; quod est illud, quod in tali reseruatione est principale, & arduum. Vndè licet superior possit committere facultatem cum hac conditione, tamen non obligat pœnitentem nisi ipse eam acceptet, & ideo nisi ante absolutionem ei manifestetur, & absoluatur, cum ei post indicatur, est in arbitrio suo acceptare, vel non acceptare, & ei fit iniuria si cogatur adire prælatum. Ad secũdã

De modo absoluendi à casibus reseruatis.
Caput Tertium.

61 RES hæc difficilis est: quia vt diximus suprà agendo de integritate confessionis, non licet dimidiare confessionem, neque absolutionem: quia impium est à Deo dimidiam petere veniam: & preterea non potest absolui ab vno peccato, & non ab alio: quia gratia non manet cum vllo peccato mortali.

62 Ideò ad hoc declarandum varij modi adducuntur, vt est videre apud Durandum in 4.d.17.q.15.nu.8.& sequentibus. Nauarrus in cap. *Consideret*, §. *Cantus*, de pœn. dist.5.nu.10.& sequentibus. Soto in 4.dist.18.q.2.art.5. circa secundum argumentum. Suarez disput. 31. & alios ab eis citatos, referuntur autem presertim septem, qui

sunt

sunt videndi, & discutiendum quis sit approbandus.

Primus modus.

63 Primus modus relatus à Soto ex Durando (licèt apud Durandum hic reuera non reperiatur. Primus enim modus relatus à Durando est omninò diuersus ab hoc, vt videbimus, & alij similiter ab ipso adducti) est, quod pœnitens debet omnia confiteri inferiori, qui debet eum ab omnibus absoluere; sed nihilominus debet eum mittere ad superiorem, qui debet iterum ipsum de omnibus audire, & vel iterum absoluere: vel ad inferiorem mittere, qui iterum absoluat. Fundamentum huiusmodi relatum à Soto est: quia inferior non potest absoluere à non reseruatis nisi omnia audiat, neque superior potest absoluere à reseruatis, nisi omnia audiat: quia integritas confessionis est de iure diuino.

Reijcitur.

64 Hic modus dicendi, cuiuscunque sit, est reijciendus, & præsertim: quia inferior non potest absoluere à reseruatis; ergo committeret sacrilegium absoluendo. Primò ab omnibus tam reseruatis, quàm non reseruatis. Pręterea, vel est valida: prima absolutio data ab inferiore, & tunc frustra mittitur ad superiorem: vel non est valida, & tunc non est danda: quia fit sacrilegium.

Secundus modus dicendi.

65 Ideo est secundus modus. Inferior debet ab omnibus tam non reseruatis, quàm reseruatis absoluere, & tamen debet mittere ad superiorem non quidem, vt ab eo absoluatur à peccatis: quia iam est absolutus; sed vt adimpleat præceptum manifestandi sua peccata reseruata superiori.

Reijcitur.

Hic modus dicendi similiter est reijciendus: quia cum inferior non habeat potestatem absoluendi à reseruatis, non potest absoluere ab omnibus. Præterea tunc satis esset pęnitenti peccata illa reseruata dicere superiori, & nõ expectata absolutione recedere, quod est ridiculũ.

Terti' modus dicẽdi.

66 Tertius modus dicendi est, quòd dum quis peccat peccato reseruato, peccat in Deum, & in Ecclesiã: ideo ab inferiori absoluitur à reseruatis quò ad Deum, mittitur verò ad superiorem, vt absoluatur ab eo in foro Ecclesiæ. Vndè prima cõfessio debet esse integra, & absolutio quoque integra, sed secunda, quæ fit in foro Ecclesię, potest diuidi, & vnus de vno peccato absoluere valet, & alius de alio, prout Ecclesiæ placet ordinare.

Reijcitur.

67 Sed neque hic modus est approbandus: quia reseruatio peccati non habet locum solùm in foro Ecclesiæ, sed in foro Dei: quia inferior sine potestate iurisdictionis nõ potest absoluere à peccatis, etiam in foro Dei, ex dictis suprà. Præterea hæc opinio est contra caput illud, *Si Episcopus*, de pen. & remiss. lib. 6. & Decreti Sixti IIII. in Extrauaganti, *Etsi Domini*, in qua excommunicantur illi, qui à casibus reseruatis Romano, Pont. absoluunt. Visum est autem suprà reseruationem cadere nedum super censuram, sed etiam super culpam, quam solam etiam aliquando Pontifices sibi reseruant, vt visum est suprà. Omnes isti modi dicendi proculdubio sunt reijciendi: neque est aliquis auctor probatæ auctoritatis, qui aliquem illorũ sequatur.

Quartus modus dicendi

68 Ideò est quartus modus à multis approbatus, qui est, vt pœnitens prius adeat superiorem, cui sola reseruata confiteatur, & ab illis absoluatur; non reseruata verò confiteatur deinde inferiori, & suo ordinario, & ab illis absoluatur ab eo.

Opinio Caietani cum suo fundamento.

Hic modus dicendi est Caietani in Summa verbo *Confessio*, n. 10. & fundamentum eius est, inquit, cõsuetudo Romana: neque opportere sapere plusquam oportet, eam in dubio reuocando.

Soto.

Soto in 4. d. 18. q. 2. ar. 5. ad secundum hanc opinionem tenet secunda propositione, quæ est contra Adrianum: ait enim, quod si superior voluerit sola reseruata in confessione sacramentali audire, & ab illis directè absoluere, absolutio tenet; & est verũ sacramentũ conferrens gratiã; & licèt pœnitens non sit de omnibus nisi attritus, fiet tunc contritus.

Fundamẽtum Soto.

Fundamentum eius est, quia sicut ex parte pœnitentis potest esse impedimentum truncandi confessionem, ita ex parte prælati potest esse legitima causa ne omnia possit audire, vt repentini morbi, vel aliquod negotium ad commune bonũ valde referens; ergo hic quoque valet confessio dimidiata, & truncata.

Richardus.

Eandem sententiam tenet Richardus apertè in 4. dist. 17. art. 2. quæst. 8. ad secundum, à quo verisimile est alios eam accepisse: dicit enim apertè prius absolui debere à superiore, & ex absolutione superioris, & inferioris vnam integrari absolutionem, & vnum sacramentum.

Nauarrus.

Eandem sententiam tenet Nauarrus dicto cap. *Consideret* §. *Cautus*, n. 18. & 19. & suprà n. 12. vbi citat Paludanum, quem ait communiter esse receptum, & eam habet in 4. d. 17. q. 5. quem sequitur D. Antoninus 3. p. titulo 14. cap. 19. §. 6. & nonnulli alij.

Diuersitas in præcitatis auctoribus.

Ex his verò auctoribus aliqui dicũt in prima absolutione, vt putà superioris à reseruatis tãtùm, conferri gratiam sacramentalem, vt Soto, sicut ex dictis nunc suprà de eius intentione patet. Alij verò dicunt gratiam sacramentalem conferri solùm in secunda confessione, & absolutione: quia illa est consumatio Sacramẽti. Demum aliqui dicunt confessionem de reseruatis factã superiori debere iterari etiam coram inferiore, simul cũ alijs casibus non reseruatis: quia confessio debet esse integra. Alij verò dicunt sufficere, vt superiori reseruata dicantur, & ab ipsis pœnitens absoluatur, & inferiori non reseruata, & ab illis absoluatur: quia etsi hæc confessio non fiat integrè vni, nihil refert: quia per accidẽs, & ob aliquam causam potest dimidiari confessio, & absolutio, vt tenet Nauarrus vbi suprà n. 18. Alij tandem dicunt confessionem debere fieri integrè superiori; tamen absolutionem posse non esse integram, sed de reseruatis tantùm; & de non reseruatis remitti posse pœnitentem ad inferiorem.

Contraria sñia superiorẽ non posse absoluere solũ à reseruatis.

69 Contrariam sententiam tenent multi Doctores nõ exigui nominis, nimirum superiorem non posse audire solum reseruata, & à solis reseruatis absoluere (per se, & directè loquendo) sed debere vel totam confessionẽ audire, & ab omnibus absoluere sacramentaliter; vel à nullo absoluere sacramentaliter, sed auditis reseruatis mittere ad inferiorem, qui sacramentaliter absoluat, si non vult totam confessionem audire, vt infrà dicam. Auctores huius opinionis sunt Adrianus in 4. q. 5. de conf. Sylnester verbo *Confessio* 1. q. 19. vbi reijcit Petrum de Palude, tribuitur Victoriæ in Summa 149. & 162. Viguerio in Summa cap. 6. canone de pœnitentia.

Prior opinio reprobatur.

70 Et ego quidem priorem opinionem puto esse absolutè falsam, licèt si declaretur, vt aliqui ex illis auctoribus innuere videntur possit redigi ad bonum sensum. Fundamentum principale est, quia, vt suprà diximus, de essentia cõfessionis sacramentalis de iure diuino est integritas, itaquòd omnia peccata debent vni, & eidem confiteri, non autem diuidi.

Scotus.

Vnde Scotus hac dist. 17. q. 1. art. 2. nullum casum exemit ab hac obligatione, nisi impotentiã, seù impossibilitatem: quod alij Theologi postea declarauerunt dicentes, integritatem formalem requiri, non autem materialem: quia aliquando propter aliquam impotentiam non possunt omnia peccata recenseri, & tamen tunc valet confessio, vt in articulo mortis repentinæ, vbi quis complere non potuit confessionem, & in casu obliuionis, & similibus: tamen absolutio de culpis nunquam potest dimidiari: quia absolutio datur ad conferendam gratiam; gratia autem non confertur nisi ablatis omnibus peccatis; peccata autem, quæ non absoluuntur, non dimittuntur; ergo talis absolutio est nulla: nec video quomodo talis absolutio à sacrilegio differat. Hoc argumentum est mihi efficacissimum, loquendo de superiore potente audire totam confessionem tam non reseruatorum, quàm reseruatorũ, & nolente, sed solùm volente audire, & absoluere à reseruatis.

71 Quod si adsit aliqua causa rationabilis, quæ non auferat integritatem formalem confessionis, sed solùm materialem; concedo in tali casu superiorem posse ab aliquibus absoluere directè, & ab alijs non directè; sed hæc absolutio, ab aliquibus directè, & ab alijs non, erit materialis, non formalis: formaliter autem erit absolutio ab omnibus. Vndè in confessione, & absolutione à reseruatis non habet locum dimidiatio materialis, regulariter loquendo: nam licèt non solùm ex parte pęnitentis sed etiã ex parte confessoris possit esse necessitas dimidiandi materia-

terialiter confessionem: tamen illa non est sufficiens causa, quæ communiter assignatur, scilicet multitudo negotiorum prælatorum: quia hæc causa rarò accidere potest, & si accidat, non videtur necessarium, vt superior audiat sacramentaliter, sed sufficit si audiat extra confessionem (tenetur enim etiam tunc sub sigillo secreti), & imponat debitam pęnitentiam. Potest etiam auctoritatem alteri delegare cum determinatione pęnitentię, quæ sibi placet, & eò maximè: quia reseruatio peccatorum, vt etiam habetur ex Conc. Tridentino sess. 14. cap. 7. introducta est propter disciplinam populi Christiani, videlicet, vt ab atrocioribus criminibus abstineāt. Scopus autem hic, & intentum haberi potest absque eò quod prælati hæc peccata sacramentaliter audiant, & absoluant.

72 Quod si pęnitens nolit suam conscientiam superiori aperire nisi in confessione sacramentali, & in ordine ad absolutionem ab eo recipiendam, ne cogatur alteri cōfessori suam conscientiam manifestare (in quo habet ius, quia non potest simpliciter obligari ad confitendum pluries idem peccatum, vt suprà diximus) & ex parte pęnitentis instet vera necessitas non differendi peccatorum confessionem, & ex parte superioris sit quoque impedimentum verum vt non possit totam confessionem audire; & culpa sit talis, vt non expediat, vel non possit moraliter eam alteri committere: his omnibus concurrentibus censet Suarez disp. 31. sect. 1. n. 8. posse superiorem absoluere à reseruatis tantùm: quia in hoc casu dimidiatio confessionis esset materialis non formalis; qui tamen casus rarissimè accidit. Ego tamen puto neque in hoc casu posse superiorem audire, & absoluere à reseruatis tantùm: nam pęnitens in casu, quo superior non possit audire totam confessionem, non habet ius petendi audiri sacramentaliter ab eo, quia non potest petere illicita à superiore: illicitum autem est dimidiare confessionem, & absolutionem; ergo. Nec obstat, quod graue onus sit pęnitenti cogi bis cōfiteri peccatum aliquod, quoniam hoc ipse in causa sibi fuit huius oneris: ad hoc .n. est ordinata reseruatio casuū grauiorum, vt pęnitens territus tali onere, vel simili abstineat. Concludo ergo licere superioribus audire, & absoluere ab aliquibus tantùm, quando cōfessio est formaliter integra, licèt non materialiter, quod etiam licet alijs sacerdotibus, vt suprà diximus agendo de integritate formali confessionis, & in tali casu, cum postea reliqua peccata cōfitetur inferiori, non tenetur confiteri iterum reseruata, sicut qui præuentus aliquo morbo repentino nō potuit perficere confessionem sacramētalem, & fuit absolutus; dum transacto morbo reliqua confitetur, non est necesse confessa prius repetere: quia tunc fuit verè absolutus: quia fuit integritas formalis licèt non materialis: & similiter tunc sunt duo sacramenta perfecta, sicut confessio prior dimidiata ex repentino morbo, & alia transacto morbo, de omissis in priori confessione sunt duo sacramenta, denique hic est iudicandum vt in confessione integra formaliter non materialiter.

Opin. Suarez.

Opinio auctoris.

73 Quod verò ait Medina confessionem debere integrè fieri, absolutionem verò posse non esse integram, est omninò absurdum, & falsum: quia absolutio vel fit ab omnibus peccatis, vel à nullo: quia gratia habitualis, quæ per absolutionem confertur non manet cum aliquo peccato, sed vel totum hominem munda, vel non aduenit.

Ad primū fundamentum prioris opinionis.

74 Ad primum fundamentum prioris opinionis ex Caietano respondit Suarez sibi ferè constare falsum esse consuetudinem curiæ Romanæ esse, vt superiores absoluant sacramentaliter à peccatis reseruatis, & mittant ad inferiores pro absolutione à reliquis. Et Syluester verbo *Confessio* 1. q. 19. qui versatus fuit in Curia Romana, cum fuerit Magister Sacri Palatij dicit, quod superior nō absoluit pœnitentem propriè à peccatis, nisi totum dicat, sed ab obligatione confitendi sibi, & inquit ita practicari, & tenendum esse.

Ad secūdū fundamentum.

75 Ad secundum fundamentum Soto respondetur, verum hoc esse in casu, quo confessio dimidietur tantùm materialiter, non formaliter, & non aliter, vt dictum est.

76 Quintus modus dicendi est, quod habens peccata reseruata debet adire prius confessorem inferiorem, atque ei integram confessionem peccatorum omnium facere tàm reseruatorum, quàm non reseruatorum, & ab eo debet absolui à non reseruatis, à quibus potest, deinde mitti ad superiorem, qui eum absoluat à reseruatis. Hæc sententia tribuitur Henrico de Gandauo quolib. 1. quæst. 30. ab Angelo verbo *Confessio* 5. num. 9. qui eum sequitur, & dicit esse communem, & eam seruari in Curia Romana, quod etiam asserit Durandus in 4. dist. 17. quæst. 15. num. 8. Syluester verbo *Confessio* 1. quæst. 19. Soto 4. dist. 18. quæst. 2. ad secundū, Nauarrus cap. *Consideret*, §. *Cautus*, de pœnit. dist. 5. num. 12. qui eam ex Paludano dist. 17. quæst. 5. & D. Antonino 3. p. tit. 14. cap. 18. desumpsisse videtur, quos alij à Suarez disp. illa 31. sect. 2. citati sequuti sunt: hanc quoque sequitur Toletus in Summa lib. 3. ca. 8. num. 3. Distinguunt tamen Nauarrus vbi suprà Soto, & alij quidam, quod opinio illa intelligitur cum peccatū reseruatum non habet annexam excommunicationem: nam cum eam habet annexam, non potest inferior absoluere, sed debet mittere pęnitentem ad superiorem, qui ab omnibus absoluat. Difficultas ergo est solùm cū reseruatum non habet annexam excommunicationem. Fundamentum huius opinionis est consuetudo Curię Romanę, quam talem esse ipsi dicunt.

Quintus modus dicendi.

Quidam verò ipsorum, vt Angelus loco citato, à quo nō videtur dissentire Syluester, cum soleat eum impugnare, vbi sibi non placet, dicunt quod peccata per confessionē, & absolutionem factam inferiori non tolluntur, sed supponuntur per contritionem iam dimissa esse coram Deo: tenetur tamen pœnitens confiteri ea superiori ratione ecclesiæ, cui quoque satisfacere debet: quæ absolutio sacramentalis ecclesiæ duo facit, remittit partem satisfactionis debitæ, & reconciliat peccatorem ecclesiæ, à qua per peccatum suum separatus erat, quantum erat ex se.

77 Tertiò. Alij fundantur in hoc, quod concedūt quidem absolutionem per se remittere culpam, & proinde necessarium esse, vt vel absoluat ab omni culpa mortali, vel à nulla: tamen dicunt non esse necesse, vt tollat per se omnia peccata, sed potest auferre quædam per se, quædā verò per accidens: ideò in proposito absolutio aufert culpas non reseruatas per se, reseruatas verò per accidens.

78 Hæc opinio, licèt sit multorum, & grauissimorum Doctorum, mihi nullo modo placet, sed eam puto omninò falsam: & opinionem Adriani quæst. 4. de confessione esse veram, qui regulam generalem statuit, quod nec inferior, nec superior potest absoluere ab aliquibus peccatis quin absoluat ab omnibus. In hanc sententiam citātur quoque multi à Suarez disp. illa 31. sect. 2. num. 3. quorū tamen multi illam non tenent, vt Richardus, & Soto, qui apertè tenent primam opinionem. Nam licèt Soto aduersus priorem opinionem adducat prius argumentum Durandi; tamen postea eam approbat, & soluere nititur argumentum Durandi: & dicit hanc esse opinionē D. Thomæ dist. 17. quæst. 3. art. 4. quæst. 2. ad 4. Eam ergo opinionem impugnat Durandus, & ità cum Adriano in hoc sentit, quem sequitur quoque Suarez, qui dicit eam habere solùm veritatem in casu necessitatis, de quo non est dubium, vt dictum est suprà loquendo de absolutione à superiore facta de reseruatis tantùm: & puto hanc fuisse omninò opinionem Scoti, qui dist. illa 17. quæst. 1. art. 2. loquendo de integritate enixè tenet nullo modo esse dimidiandam confessionem, neque absolutionē. Nititur quoque Suarez auctores citatos pro prima opinione trahere in hanc secundam opinionem videlicet, quod asseruerint inferiorem absoluere debere à non reseruatis tantùm, si adsit rationabilis causa, vel necessitas, & pro absolutione à reseruatis mittere ad superiorem; & quidem si hoc modo intelligerent, nulla esset difficultas, quia in casu necessitatis, vt visum est suprà, nulla est reseruatio. At auctores prædicti nō loquuntur in casu necessitatis, sed absolutè in

Reijcitur.

Opin. Scoti.

casu

caſu quo quis detineatur peccatis reſeruatis, & poſſit accedere ad ſuperiorem, ſed incipiat ab inferiori: & loquũtur de abſolutione directa peccatorum.

79 Fundamentum autem principale noſtræ ſententiæ eſt, quia inferior non habet auctoritatẽ iuriſdictionis ad abſoluendum à reſeruatis, alioquin reſeruatio nulla eſſet, vel nihil operaretur, quod eſt contra dicta ſuperiùs; & cõtra Conc. Trident. ſeſſ. 14. cap. 7. vbi dicitur. *Nullius eſſe momenti abſolutionem eam, quam profert ſacerdos in eum, in quem nõ habet ordinariam, aut ſubdelegatam iuriſdictionem.* & infrà ſubiungit inferiores ſacerdotes nullã habere iuriſdictionem in caſibus reſeruatis: ideò debere illos remittere ad ſuperiores, qui ſunt legitimi iudices, in his verbis, *extra quem articulum*, ſcilicet mortis, *Sacerdotes cum nihil poſſint in caſibus reſeruatis id vnum pœnitentibus perſuadere nitantur, vt ad ſuperiores, & ad legitimos iudices, pro beneficio abſolutionis accedant*. Ecce, quod maior, & minor habetur expreſsè in Concilio. Arguunt alij, vt Suarez vbi ſuprà, in tali caſu confeſſio non eſſet integra; ergo nulla. Antecedens probatur, quia non quæcunque accuſatio peccatorum eſt confeſſio, ſed accuſatio coram legitimo iudice: illa autem confeſſio magna ex parte non eſſet corã legitimo iudice nimirum ea pars, quæ ad reſeruata pertinet; ergo.

Alia ratio ex Suarez.

80 Quod etiam in caſu neceſſitatis, dicunt Suarez, & aliqui alij poſſe ſacerdotem inferiorem abſoluere à reſeruatis indirectè: dico, quod per caſum neceſſitatis intelligendo articulum mortis eſt vera: quia ex Concilio in tali caſu omnes ſacerdotes habẽt iuriſdictionem in omnibus caſibus, & cenſuris: etiam intelligendo in caſu, in quo cõfeſſio reſeruatorum integra fieri non poſſit, vt putà, quia incepit confiteri non reſeruata, & cum vult confiteri reſeruata repentino morbo, vel aliquo ſimili accidenti, non poteſt confiteri reſeruata, vel ſaltem omnia, in quo caſu confeſſio eſt integra formaliter non materialiter, etiam eſt vera, iuxta dicta nunc ſuprà; ſed intelligendo per caſum neceſſitatis, alios caſus, vt putà præceptum annuæ cõfeſſionis, vel communicandi, vel ſacrum faciendi, itaut nõ poſſit omitti ſinè graui ſcandalo aut infamia; & pro tunc non pateat additus ad ſuperiorem: dico, non poſſe ſacerdotem inferiorem abſoluere à reſeruatis, non ſolùm directè, ſed neque etiam indirectè, ſicut abſoluit ab oblitis. Repugnat enim omninò Concilio, & veritati. Repugnat Cõcilio, quia Concilium non excipit niſi articulum mortis, qui eſt caſus veræ neceſſitatis. Repugnat veritati, quia abſolutio non poteſt cadere ſuper aliqua directè, & ſuper alia indirectè, niſi illa, quæ indirectè abſoluuntur, cadant ſub auctoritate abſoluentis: quia auctoritas iuriſdictionis eſt de iure diuino neceſſaria, quæ autẽ obliuiſcuntur ideò indirectè abſoluuntur, quia ſuper illa cadit facultas abſoluendi: gratia autem, quæ per abſolutionem datur, nõ maneat cum aliquo peccato mortali: ideò cum quis confeſſus eſt plura peccata ab o͠ibus, vel à nullo debet abſolui.

Sed quid in caſibus iſtis agendum eſt? Reſpondetur cũ Scoto, & alijs, vt dictum eſt ſuprà loquendo de integritate confeſſionis cap. 4. in fine. Quod confeſſio debet differri ſi poteſt: ſi verò non poteſt propter ſcandalũ, debet recurrere ad contritionem; & confiteri inferiori omnia reſeruata, & non reſeruata. Confeſſor tamen (meo iudicio, quod ſapientiori ſubmitto) non debet eum abſoluere, cum non poſſit; ſed hortari ad contritionem, & permittere eum ſumere euchariſtiam obtenta promiſſione recurrendi ad ſuperiorem, cum primum opportunitas dabitur, per ſe, vel per alium, vel per ipſummet confeſſariũ. Eſt enim hic caſus, ac ſi non habeat copiam confeſſoris.

Ad fundamenta prioris ſententiæ.

81 Ad fundamenta autem prioris ſententiæ, reſpondetur facilè. Et quantum ad conſuetudinem, illam veram quidem eſſe affirmat Durãdus, ſed negat Suarez, qui Romæ fuit, & diligenter hanc rẽ ſe inueſtigaſſe fatetur, quòd ſi adeſſet talis conſuetudo, iam ex illa deduceretur eccleſiaſticos ſuperiores in tali caſu conferre auctoritatem inferioribus abſoluendi à reſeruatis directè. Et fortaſſe ſi apud aliquos eſt talis conſuetudo, euenit: quia ſequuntur auctores prioris opinionis: non erit autem hæc conſuetudo apud omnes, & maximè peritos: ideò cum ſit ſinè fundamento, non eſt vera, nec tuta.

82 Ad aliud ex Angelo, & alijs, iam dictum eſt ſuprà diſt. 14. quæſt. 4. contra Magiſtrum, falſum eſſe abſolutionem non cadere ſupra culpam: ſacerdos enim Euangelicus propriè dimittit peccatum, etſi aliquando peccatum per contritionem dimittatur. Vndè fundamentum illud eſt falſum.

83 Ad tertium etiam patet illud habere locum tãtùm in caſu, quo confeſſio ſit integra formaliter, ſed dimidiata materialiter, propter aliquod impedimentum. Sed in propoſito caſu eſſet integra formaliter, & materialiter: ideò directè abſolutio debet cadere ſuper omnia. Vndè cum non poſſit cadere directè ſuper reſeruata, neque etiam poteſt cadere ſuper ea indirectè, & per accidens, vt explicatum eſt.

84 Sed eſt dubium, vtrum ſi abſolutio hoc modo detur, factum teneat. Reſpondent omnes, teſte Nauarro, in Summa, cap. 9. num. 7. & Suarez vbi ſuprà, num. 6. ex ſe quidem non valere, quia eſt à non iudice ſuo: tamen propter bonam fidem pœnitentis valere, quod eſt verum ſecundùm omnes, in 4. diſt. 17. ſi tamen ceſſat bona fides, & pœnitens venit in cognitionem, quod ſacerdos non habebat poteſtatem abſoluendi à reſeruatis, tenetur confeſſionem reiterare.

An abſolutio ꝑdicto modo data de facto teneat.

85 Dicunt tamen Nauarrus, & Suarez loco nunc citato, & citant Caietanum in Summa, verbo *Confeſſio*, capit. vltimo, teneri tunc pœnitentem ad reiterandum confeſſionẽ de ſolis reſeruatis, non de nõ reſeruatis. Adiungit rationem Suarez: quia, inquit, tunc pœnitens integrè formaliter bona fide cõfitetur, & ſacerdos habet poteſtatem abſoluendi ſacramentaliter, & ſic poteſt perfici ſacramentum.

86 Qua in re Nauarrus quidem loquitur conſequenter, quia exiſtimat abſolutionem de non reſeruatis factã ab inferiori valere, & poſſe abſolutionem dimidiari; ſed Suarez quidem non loquitur conſequenter, quia negat abſolutionem poſſe diuidi excepto caſu neceſſitatis, & ſi diuidatur non valere: quia non confert gratiam. Ex hoc autem ſequitur priorem confeſſionem omninò fuiſſe nullam, & ſine gratia; ergo nullum peccatum fuit dimiſſum, & conſequenter opus eſt nouam, & integram confeſſionem facere alteri habenti auctoritatem abſoluendi ab omnibus, tàm reſeruatis, quàm non reſeruatis.

87 Ideò eſt dicendum, reiterandam eſſe quò ad omnia, tàm reſeruata, quàm non reſeruata, vt integra ſit confeſſio, & abſolutio: quia hoc eſt de iure diuino. Ad rationem Suarez ergo negatur, quòd talis confeſſio ſit integra etiam formaliter. Nam ad integritatem abſolutè requiritur, quòd omnia peccata quis confiteatur vni, & eodem ſacerdoti, vt toties ſuprà dictũ eſt; hic autem peccata reſeruata vni confeſſori accuſarentur non reſeruata alteri; ergò non eſt abſolutè integra, neque eſt integra formaliter: quia non poteſt adeſſe bona fides, niſi iſte pœnitens eſſet ita ſimplex, quòd exiſtimaret hanc confeſſionem, ſic dimidiatam, eſſe ſufficientem, & integram: in quo caſu bona fides, ſeù ignorantia ipſum excuſaret, ſi eſſet inuincibilis.

88 Sextus modus dicendi eſt quorundam aſſerẽtium peccata non reſeruata accuſanda eſſe confeſſori inferiori, & ordinario, à quibus abſoluere debeat; reſeruata verò ſuperiori, a quo ſimiliter de illis abſoluatur, & ex iſtis duabus confeſſionibus, & abſolutionibus integrari vnum ſacramentum, quia vterque eſt miniſter Dei, qui eſt vnus, licèt miniſtri ſint plures.

Sextus modus dicendi.

89 Hic modus dicendi eſt omninò falſus, & reijcitur à Durando, vbi ſuprà num. 11. & ab omnibus: quia hic non ſolùm non eſt integritas abſolutionis, ſed neque confeſſionis, quorum vtrunque eſt de iure diuino, vt dictum eſt. Ratio autem pro hac opinione nulla eſt, quia concludit

Reijcitur.

dit oppositum: nam sicuti Deus est vnus, ita voluit, vt respectu vnius sacramenti esset vnus minister, & iudex cui integrè omnia peccata indicanda committantur, à quibus absoluat, & eo mediante gratiam suam concedat, quam non concedit qui frustrà, nec nisi perfectè reconciliato sibi.

Septimus, & verus modus absoluendi à peccatis.

90 Est ergo septimus modus, quem verum esse omnes supponunt; & non est dubium esse verissimum. Nimirum quòd pœnitens detentus casibus reseruatis, vel vult incipere à superiori, vel ab inferiori; si à superiori debet eum adire, vt ei facultatem faciat confitendi inferiori; neque in facultate concedenda debent esse difficiles superiores, sed debent, ita bono publico, & fini, ad quem peccatorum reseruatio fit, consulere, vt tamen grauissimum nō reddāt confessionis sacramentum; sed personis grauissimis, & circumspectis casus suos committant, quod communiter ferè in omnibus Episcopatibus seruari videmus, vbi sunt vnus, vel plures pœnitentiarij: neque hoc graue debet esse pęnitenti; tum quia grauitas peccati eius hoc onus meretur: tum quia superior ad sigillum tenetur etiam si non confiteatur ei sacramentaliter, quod si nolit dicere extra confessionem, potest petere, vt eum audiat, & eum audire tenetur: quia est eius Pastor, qui ei tenetur ministrare sacramentum necessarium, vt suprà dictum est, & si confiteatur sacramentaliter, debet cōfiteri omnia integrè, tam reseruata, quàm non reseruata, & ab omnibus debet absolui, vt probatum est suprà. Si autem velit incipere ab inferiori, melius facit, & hic est mos vsitatior. Debet ergo inferiorem adire, ac dicere, quod aliquo casu reseruato tenetur, vt ipse sacerdos facultatem à superiori postulet non manifestata persona pœnitentis, vel etiam si melius videbitur potest coram eo peccata sua omnia confiteri, tam reseruata, quàm non reseruata. Et tunc sacerdos, antequam absoluat à peccatis, procuret facultatem absoluendi à reseruatis, qua obtenta absoluat ab omnibus. Hic modus est tutus, & vt dixi, omnes admittunt esse verum: nam etsi aliqui alios modos quoque admittant, tamen hunc non damnant, nec damnare possunt: quia certissimo fundamento nititur. Etenim hic adest integritas confessionis, & absolutionis, & auctoritas iurisdictionis super omnia peccata; & sic nulla est dubitatio, nec periculum errandi. Pręsertim autem est Adriani loco citato q. 4. de confessione, & eam certè supponit esse veram Scotus, qui in hac d. 15. dicit nullo modo confessionem esse dimidiandam, sed eodem sacerdoti de omnibus esse faciendam, vt suprà vidimus.

Adrianus.

Scotus.

An semel absolutus à reseruatis possit à quocunque absolui.

91 Solent verò hic quædam dubia tractari, quæ breuiter sunt expedienda. Primum, an peccatum reseruatū à quo pœnitens à superiori est semel absolutus possit ab alijs absolui quoties voluerit confessionem reiterare. Hoc dubium nullius est momenti. Clarum est enim quod si à superiori fuit sacramentaliter absolutus, quod peccatum illud non est amplius materia confessionis, ideò nō potest esse reseruatum. Si verò à superiori non est sacramentaliter absolutus, sed solùm obtinuit facultatem cōfitendi inferiori, tenetur illud confiteri proprio sacerdoti, nisi aliquem specialem pro illa absolutione designauit, à quo cū est absolutus, peccatum illud non est amplius materia confessionis.

De absoluto per Iubileum, nec bullā adimplente.

92 Aliud dubium est. Datur facultas per Iubileum, vt quicunque in decursu vnius hebdomadæ fecerit talia, & talia opera, possit in quocunque die dictæ hebdomadæ confiteri, & à reseruatis absolui, & indulgentiam plenariā consequi. Aliquis in principio hebdomadæ confitetur bona fide, & intentione faciendi contenta in bulla, & consequenter absoluitur verè à reseruatis; sed habita absolutione non facit contenta in bulla, vel quia non vult, vel ob aliam causam, propter quam indulgentiam non lucratur. Verum hic sit absolutus à reseruatis, ita quòd nō teneatur ea confiteri coram superiore, nec ba illis absolui.

93 Respondetur breuiter hunc manere absolutum, nec amplius teneri comparere coram superiore, nec ab illis absolui. Ratio est, quia fuit verè absolutus, & effectus absolutionis est irreuocabilis; nec facultas data absoluendi à reseruatis, licèt ordinata fuerit ad futurum effectum consequendi indulgentiam, data fuit dependenter ab illo effectu, ita quòd si effectus non sequatur, facultas sit nulla: quia hoc non constat, vt rectè declarauerunt Suarez, & alij; sed sufficit, quòd pro illo tunc, quo confitetur reseruata, haberet intentionem faciendi, quæ in bulla continentur. Et dato quòd peccauerit mortaliter non adimplendo reliqua contenta in bulla; grauiter enim peccare non est dubium, si voluntariè omittit facere ea, quæ in bulla pręcipiuntur: quia facit contra pactum seù intentionem Pontificis, qui concedit facultatem absoluendi à reseruatis in ordine ad reliqua opera facienda, & ad indulgentiam acquirendam; illud tamen peccatum non est reseruatum: quia hoc nullo iure caueatur, sicut qui omittit facere pęnitentiam impositam sibi, & acceptatam à superiore pro casu reseruato, peccat; non tamen peccatum illud manet reseruatum, sed à quocunque confessore potest absolui.

Quid si superior nolit absoluere.

94 Quid si quis confiteatur superiori, & ipse nulla iusta causa nolit ipsum à reseruatis absoluere? Respondetur recurrendum esse ad alium prælatum, vel maiorem superiorem, vel ad alium habentem talem auctoritatem. Sed si hoc fieri non potest quid est agendum? Respondit Suarez vbi suprà sect. 4. n. 7. confitendum esse inferiori, vt de non reseruatis absoluat directè, & à reseruatis indirectè, & per accidens, donec obtineatur facultas à superiore; de reseruatis. Sed quia hic modus est reiectus, *magis* consequenter est dicēdum, debere recurrere ad contritionem; est enim, ac si non habeat copiam confessoris, vt sup. disp. de *cui sit facienda confessio*, cap. 5. in fine, diximus in simili casu de eo sacerdote ordinario, & proprio, qui nollet audire, nec absoluere suum subditum, nec ei licentiam dare, vt alium adeat.

Quid si pœnitentis cōfessio sūa supioni fuit inualida.

95 Quid si pœnitentis confessio de reseruatis, & absolutio superioris fuerit inualida, & nulla? Videtur enim peccatum adhuc reseruatum manere reseruatum: quia ita peccata illa manent subiecta clauibus, ac si pœnitens non esset absolutus ab eis?

Respondent Recentiores, vt Suarez ex Caietano verbo *casuum reseruatio*, D. Antonino 3. par. tit. 14. cap. 29. §. 17. Nihilominus etiam in hoc casu ablatam esse reseruationem, & obligationem comparendi coram superiore pro absolutione. Ratio est, quia iam satisfactum est superiori, & superior videtur satisfecisse suo muneri imponendo debitam pęnitentiam: ideo de illo peccato, & reliquis confessis in confessione inualida poterit ab inferiore absolui: quia amplius peccata reseruata, non sunt subiecta clauibus, quò ad reseruationem; sed quò ad absolutionem sacramentalem. Debet autem hęc posterior confessio esse integra, & accusare omnes defectus, alioquin, neque ipsa esset validia, quæ opinio mihi quoque probatur.

Quid si p oblinione omittit reseruatū tēpore Iubilei.

96 Sed quid dicendum, si quis confitens superiori, vel habenti auctoritatem delegatam in Iubileo absoluatur ab omnibus peccatis, & tamen per obliuionem inculpabilem omittat peccatum reseruatum? Respondetur communiter peccatum illud amplius nō manere reseruatum, sed pęnitentem posse absolui ab illo ab inferiori, & ordinario sacerdoti admisso. Adrianus q. 4. de cōfessio. Syluester, Angelus verbo *Cōfessio* 1. alter q. 4. alter n. 22. Nauar. in capite *Consideret*, § *Cautus*, n. 13. Suarez disp. prędicta 31. sect. 3. n. 12. qui alios refert. Sed addit in hac re adhibendam esse distinctionem. Nam fundamentum principale huius opinionis communis est, quia superior absoluens tollit omnia peccata, etiam reseruata; & hoc intendit, vel virtualiter, vel formaliter; sed hoc fundamentum videtur esse dubium: quia non apparet hæc intentio superioris, nisi per aliquod signum ipsam manifestet: nam sola absolutio non videtur esse signum intentionis huius in superiore. Et eò maximè, quia cum peccatum non manifestatur non potest superior imponere debitam satisfactionem, nec medicinam. Vndè per talem confessionem non

videtur

videtur satisfactum intentioni reseruantis. Vndè ipse distinguit, duplicem esse modum confitendi superiori: vnus ordinarius ad communem confessionem faciendam de peccatis communibus, absque vlla intentione confitendi specialia peccata reseruata: alius est specialis, scilicet cum speciali intentione consequendi absolutionem à reseruatis;& notificatum est superiori, saltem in genere, quod hic accedit ad superiorem, vt ab omnibus peccatis quæcunque sint,& censuris absoluatur, loquendo de confessione facta primo modo obliuio peccati reseruati non excusat, sed manet reseruatum: quia non apparet in hac confessione superiorem habuisse intentionem absoluendi à reseruatis; sed in confessione secundo modo facta: quia iam constat pœnitentem ad hunc effectum confiteri superiori; & superiorem intelligere hanc esse mentem pœnitentis, & consequenter etiam intelligitur, superiorem intelligere ipsum ab omnibus reseruatis, & censuris absoluere.

97 Hæc distinctio videtur superflua: nam clarum est, communem opinionem intelligere de eo, qui accessit intentione explicita, vel saltem implicita confitendi reseruata, scilicet vt liberetur ab omni vinculo peccatorum: hæc enim est intentio ordinaria, qua penitens addit superiorem; non autem, vt illi faciat confessionem præcisè modo ordinario.

Obliuio culpabilis, nō tollit reseruationē.

98 Dictum est autem, *si obliuio sit inculpabilis*: quia si obliuio sit culpabilis, ita quòd confessio sit nulla, & inualida, remanet reseruatum: quia absolutio est nulla, & nihil operata est: neque hoc repugnat ei, quòd supra diximus, quòd confessio inualida facta superiori tollit reseruationem: quia non est par ratio de hac, & illa, quia ibi cum peccatum sit manifestum superiori, illi est satisfactū. Hic verò cum peccatum maneat occultum, non est satisfactum superiori: ideo reseruatio manet.

Quid quādo peccatum idem reseruatur à pluribus.

99 Sextò dubium est, quomodo reseruatio tollitur, quando idem peccatum reseruatur à pluribus superioribus, vel ab eodem superiore pluribus modis reseruatur. Respondetur, loquendo de casibus reseruatis non habentibus annexam excommunicationem, si sint reseruati duobus superioribus subordinatis, vt Summo Pontifici, & Episcopo, certum esse non sufficere auctoritatem Episcopi ad tollendam illam reseruationem, sed benè sufficere auctoritatem Pontificis ad tollendam reseruationem factam Episcopo; quia inferior non potest in superiorem, sed benè superior potest in inferiorem, etiam inuitum; ideo ablata reseruatione per priuilegium, & licentiam Pontificis potest tolli huiusmodi casuum reseruatio facta Episcopo, & à quolibet sacerdote ordinario ab illis absolui. Sic Nauarrus in Summa cap. 27. n. 261. Si verò sint reseruati, ab eodem superiore, siue à pluribus habentibus eandem auctoritatem; vt si reseruantur ab vno Episcopo per statutum; & à successore ijdem casus reseruentur per aliud statutum, vel ab homine, dicendum est, esse vnam reseruationem sæpiùs repetitam: quia illi plures superiores habēt vnicam, & eandem potestatem, ac si essent vnus superior: ideò per vnam facultatem absoluendi emanantem ab vno superiore omnes alias reseruationes tolli. Si verò habet annexam excommunicationem, considerandum est, an vni culpæ sint annexæ plures excommunicationes reseruatæ; vel vna, & eadem excommunicatione pluries sit reseruata. In primo casu ablata vna excommunicatione non aufertur alia: & ideo ablata reseruatione respectu vnius excommunicationis, non aufertur reseruatio respectu alterius excommunicationis. Si verò culpa propter eandem excommunicationem pluries est reseruata, per ablationem vnam reseruationis auferuntur omnes, vt in materia de excommunicatione patet.

De obligationibus ministri confessionis, & sigillo dicemus infra, vbi de sigillo agemus.

DISPVTATIO XXVIII.

Quo tempore pręceptum confessionis obliget de iure Diuino.

An statim cum, quis peccauit, teneatur confiteri, an in articulo mortis solùm. *Caput Primum.*

Circunstātia, quando explicatur.

1 SCotus in eadem dist. 17. q. 1. a. 2. postquam explicauit cui facienda sit confessio, vlterius progreditur explicando quo tempore obliget præceptum confessionis: ideò hoc breuiter est explicandum. Et quia potest quis obligari ad hoc præceptum sicut ad omnia alia duobus modis, scilicet per se, idest ex vi talis præcepti; vel per accidens, idest ratione, alterius virtutis, priùs explicauimus quid dicendum sit iuxta primum modum: deindè quid iuxta secundum.

Opinio asserentium hominē statim cū peccauit teneri ad confessionem.

2 Quantùm ergo ad primum. Prima opinio asserit, statim cum quis peccauit de iure diuino teneri ad confessionem, si potest.

3 Hęc opinio à Suarez tribuitur Alensi 4. p. q. 77. m. 4. ar. 2. & D. Bonauent. sed immeritò: nam apud Alensem non habetur illa quæstio 77. sed Alensis ipse q. 18. m. 4. ar. 4. §. 1. & D. Bonauentura 4. Sent. dist. 17. p. 2. a. 2. q. 2. concorditer omninò oppositum docent, absolutè loquendo; licèt in casu dicant statim esse faciendam, vt postea explicabo. Ea ergo sententia tribuitur Gulielmo Parisiensi, & quibusdam Canonistis, quos refert Couarruuias in cap. *Alma Mater*, p. 1. §. 1. n. 6. rationes pro hac opinione possunt desumi, ex Alensi, & D. Bonau. & primò sic.

1. Ratio pro allata opinione.

4 Quicunque ægrotans vulnere lethali corporali, ita quòd sit proximus morti, & nesciat si statim vel hora sequenti moriatur, peccat mortaliter, nisi apponat, si scit, & pôt apponere remediū: quia immittit manus in se, seù saltem cōmittit se discrimini mortis, quod est occidere seipsum; ergo multò magis qui laborat vulnere spirituali lethali peccati mortalis, quo ita est vicinus morti, vt nesciat horā mortis spiritualis, scilicet gehenæ si scit, & potest apponere remedium, & non apponit, peccat mortaliter.

2. Ratio.

5 Secundò. Præceptum affirmatiuum obligat ad semper, offerente se opportunitate; sed semper offert se opportunitas confitendi homini existenti in peccato mortali, cum sese offert facultas confessoris idonei; ergo semper, quando habet facultatem, tenetur confiteri.

3. Ratio.

6 Tertiò. Deus Eccl. 5. alt. *Ne tardes conuerti ad Dominum, & ne differas*; ergo peccator, quantum est de se, tenetur statim agere pęnitentiam de peccato commisso. Dices hoc potest facere per contritionem. Contrà, homo ex se ipso non potest habere contritionem, quia ex se ipso posset se iustificare, quod est falsum: quia contritio, & iustificatio est donum Dei; ergo tenetur ad confessionem, quam ex se cum contritione potest habere.

4. Ratio.

7 Quartò. Manens in peccato mortali, & habens copiam confessoris, & non volens confiteri, videtur contemnere salutem suam; ergo peccat mortaliter. Et confirmatur, quia homo tenetur vitare peccatum mortale; ergo multò magis cum est in peccato tenetur surgere ab illo, & pręsertim quia status ille est malus, & inducit eum ad alia peccata: quia *peccatum, quod per pœnitentiam non deletur*, vt dicit D. Greg. *mox, suo pondere, ad aliud trahit.*

Reijcitur.

8 Hæc tamen sententia non est vera: quia, vt inquit Alēsis loco citato, nimis durum est, quòd statim quis obligetur ad confitendum peccatum, cum illud committit. Secundò, quia sequeretur quòd habens peccatum mortale centies in die peccaret mortaliter. Consequens est absurdum; ergo. Consequentia probatur, quia in quolibet instanti teneretur confiteri, & in nullo instanti vnius diei nō confiteretur; ergo in quolibet instanti illius diei peccaret; & sic posset centies in die peccare.

1. Ratio.

2. Ratio.

3. Ratio.

9 Tertiò. Pręceptum affirmatiuum non obligat ad sēper, sed pro aliquo determinato tempore solùm, in quo

scilicet

scilicet sese offert opportunitas, vt patet de præcepto honorandi parentes, & colendi Deum; ergo ex se non habet hoc præceptum determinatum tempus, sed determinatur aliunde, scilicet vel à superiore, vt ab Ecclesia, quæ determinauit illud esse tempus Paschale, vel ab articulo necessitatis, vt est articulus, vel periculum proximum mortis.

4. Ratio. 10 Tandem Ecclesia non potest abrogare, nec mutare ius diuinum, sed determinauit tempus confessionis, decernendo in Decretali. *Omnis vtriusque sexus* &c. quòd fidelis semel in anno confiteatur sua peccata; ergo de iure diuino non tenetur quis confiteri statim. Sed respondent aduersarij illam Decretalem non dare licentiam differendi, sed prohibere negligentiam, & dilationem, sicut prohibet, ne quis vltra annum permaneat in excommunicatione, non tamen dat licentiam permanendi in excommunicatione, vsque ad horam. Sicut ergo ante decretalem, vnusquisque tenebatur statim confiteri, ita, & post; quia Decretalis non pro negligentibus, sed contra negligentes edita est. Sed hæc responsio non satisfacit; quia in illa Decretali non solùm habetur prohibitio, ne differatur confessio, sed determinatio temporis quo hoc præceptũ actu exerceri debeat; quod patet ex eo, quod in eadem Decretali præcipitur, quòd quicunque fidelis, etiam eodem tempore, sumat Eucharistiam; at clarum est, quòd nemo peccat omittendo, si differat sumere Eucharistiam vsque ad Pascha; ergo neque si differat confessionem. Et quod adducitur de mandato, ne quis vltra annum permaneat in excommunicatione, facit pro nobis: quia neque Ecclesia per illam Decretalem dat licentiam permanẽdi in peccato, sed solùm præcipit, ne ampliùs quàm per annum quis permaneat in peccato, sicut præcipit, ne quis amplius, quã per annum, permaneat in excommunicatione. Vndè, sicut quis non tenetur statim, cum est excõmunicatus, quærere absolutionem aliquo præcepto, ità nec qui differt cõfessionem. Et tandem determinatio alicuius præcepti ad certum tempus est implicitè relaxatio obligationis talis præcepti pro alio tempore; alioquin illa determinatio nõ esset alicuius vigoris, & nihil operaretur: cõstat autem Ecclesiam non posse relaxare ea præcepta, quæ sunt de iure diuino; ergo dicendum est præceptum illud de confessione non obligare statim cum quis peccauit.

2. Opinio. 11 Ideò est secunda opinio, quòd non tenetur quis statim cum peccauit, tunc confiteri, etiamsi adsit opportunitas loci, & temporis, & sacerdotis, sed solùm tenetur habere propositum cõfitendi. Si verò huic opportunitati ita accedat ex parte peccatoris stimulus conscientiæ ex consideratione inconuenientium, quæ ex peccato sequuntur, & ignorãtia horę mortis, & quòd cognoscit se peccatorem; tunc tenetur statim confiteri: quia non confitendo videtur contemnere salutem suam. Et hæc est opinio Alensis,
Alensis.
D. Bonau. vbi suprà. D. verò Bonauentura vbi suprà tenet eam quò ad religiosos, licèt dubitet de clericis. Ratio eius est: quia religioso totum tempus vitæ suæ est tempus pœnitentiæ.

Reijcitur. 12 Hęc opinio quò ad obligationem confitendi in voto, non est vera: quia, vt diximus loquendo de præcepto contritionis, quæ includit votum confessionis, illud obligat solùm diebus festiuis ad summum; confiteri autem in voto idem videtur esse, quod habere contritionem; sed de hoc cap. sequenti. Soto autem in 4. d. 18. q. 1. a. 4. concl. 4. dicit hãc confessionẽ in voto esse necessariã solùm quoties est necessaria contritio: vndè ipsam indicat esse contritionem. Quantùm verò ad id, quod hæc opinio asserit confessionem, esse necessariam actu, & statim, patet, nec Alensem, nec D. Bonauenturam asserere esse necessariam ex vi præcepti; sed Alensis id asserit ratione conscientiæ. Et nulli dubium est, quòd si quis in conscientia, licèt erronea, crederet teneri ad statim confitendam põstquàm peccauit, si non confiteatur, peccaret mortaliter, etiam D. Bonauentura dicit reliogiosum teneri non ex vi præcepti, sed vi status religionis. Nihilominus hæc opinio videtur rigorosa nimis: quia religiosus ratione status non obligatur nisi ad id, quod in votis continetur: nullum autem est votum, quod sciam, quo religiosus se obliget ad statim confitendum. Vndè hac in re, vt inquit Richardus distin. illa 17. art. 3. quæst. 6. standum est statutis religionum. Hoc autem spectat ad ius positiuum humanum, nõ diuinum, de quo nunc loquimur.

13 Ideò propter has rationes est communis opinio, quòd non statim quis teneatur cõfiteri, cum peccauit. Ità Scotus loco citato nunc suprà, licèt ipse nullam adducat rationem: supponit enim rationes nunc adductas, & hanc esse opinionem communem. Et licèt eadem q. a. 3. in fine dicat hoc fuisse dubium, non tamen dicit fuisse dubium apud omnes, sed apud aliquos vt Alẽsem, & Richardum. Tamen ipse dicit melius esse dicere non obligari statim: quia præcepta pœnalia non sunt amplianda. Idem tenet D. Thom. in 4. d. 17. q. 3. q. 4. Richardus art. 3. q. 6. & cum his cęteri omnes consentiunt, vt est videre apud Soto in 4. d. 18. q. 1. a. 4. & Suarez disp. 35. sect. 3. pro qua opinione communi possumus adducere aliam rationem suprà loquendo de pręcepto cõtritionis tractatam. Quæ est, Non est maior necessitas contritionis quàm cõfessionis: at pręceptum de contritione non obligat statim cum quis peccauit; ergo neque præceptum confessionis. Minor suprà loco suo probata est. Maior verò probatur: quia sine confessione quis potest saluari, scilicet si habeat cõtritionem, & non habeat copiam confessoris: at sinè contritione nequaquam. Et confirmatur, quia baptismus est maioris, vel saltem æqualis necessitatis, quàm sit confessio. At præceptum de illo non obligat statim, cum quis habet opportunitatem, vt suo loco diximus; ergo neque præceptum confessionis. Opinio cõmunis, qd non teneat quis statim cõfiteri cũ peccauit.

14 Sed quo ergo tempore obligat hoc præceptum confessionis, ita quòd si tunc non ponatur in actu fiat nouum peccatum mortale? Respondetur communiter prædictos Doctores communem viam sequentes, asserere obligare in articulo mortis. Hæc assertio est certa. Eam probat Scotus, & alij consentiunt, præsertim hàc ratione quando imminet iudicium damnationis, vel misericordiæ, debet vnusquisque se præparare quantùm potest ad misericordiam: sed in periculo mortis corporis extremo imminet iudicium damnationis, vel misericordiæ vnicuique; ergo pro illo articulo maximè debet se homo præparare. Hæc autem præparatio fit maximè per confessionem: quia hæc est remedium ordinarium. Confirmatur, quia Iacob. 5. dicitur quòd si quis infirmetur in nobis inducatur presbiter, qui eum oleo extremæ vnctionis vngat, & quòd confiteatur peccata sua. Hæc enim duo simul iunxit, quasi innuens esse necessariam confessionem. Confirmatur adhuc: quia hoc est præceptum affirmatiuum, ideò aliquando in vita debet adimpleri, alioquin frustrà esset datum; ergo saltem in articulo mortis debet obligare. Quo tẽpore obligat. Primò obligat in articulo mortis. 1. Ratio. 1. Confirmatio. 2. Confirmatio.

15 Hic autem occurrit dubitatio, ad quid teneantur Medici visitantes ægrotos ratione huius præcepti confessionis in articulo mortis. Nam in iure cautũ est cap. *Cum infirmitas*, de pęnit. & remis. vt cum vocitur ad curandos ægrotos priùsquã curationem corporis incipiant, ægrotos moneant ad confessionem faciendam; & quoniam hæc lex consuetudine abrogata fuerat, Pius V. anno 1566. motu proprio Bulla quæ incipit. *Super Gregem*, illam renouauit addendo, ne Medicis vltrà tertium diem ægrotum visitent, nisi de illius confessione per fidem confessoris in scriptis datam sibi cõstaret; & addidit etiam, vt ante gratiam Doctoratus iuramenta præstarent hanc consuetudinem seruandi. Ad quid tenentur Medicus in artic. mortis visitans. Pius V.

16 In hac re sunt duæ sentẽtiæ. Aliqui dicunt hoc præceptum obligare in quauis infirmitate siue grauis sit, siue leuis, & hanc ennixè sequitur Syluester verbo *Medicus* q. 3. qui adducit pro se Archidiaconum, qui hoc collegit ex ratione legis, quæ habetur in tex. & est, ne infirmi, cum de confessione facienda admonentur, existiment se iam esse in periculo vitæ, & tristentur, & Ioan. Andreas citatus à Syluestro ait debere hanc admonitionem fieri in omni infir- 1. Opinio.

infirmitate: quia infirmi tunc scientes medicos in omni infirmitate ad hoc dicere teneri ex spirituali præcepto cessabit timor. Nec valet dicere quòd hoc est nimis durum: quia facile est medico dicere pro debito præcepti teneri hortari ad confessionem, quæ confessio prodesse, non autem obesse potest.

Secunda sẽtentia, quæ approbat.

17 Alia sententia est solùm teneri quando morbus est periculosus, & tunc obligari in principio morbi facere hanc hortationem. Et hanc sententiam tenent Angelus, Summa Rosella, & Nauarrus in Summa cap. 25. num. 61. & Caietanus in Summa, verbo, *Medicus*, & ratio est: quia in leuioribus morbis ridiculum videri posset statim monere ad confessionem; & hoc modo satisfacit intentioni legis, quæ videtur præcipuè respicere morbum grauem, & periculosum, qui à prudentibus videtur inducere ad mortem. Et re vera hæc opinio mihi vera videtur: quia non est credibile quòd Pontifices hoc ordinauerint de quocunque dolore capitis, vel leui alteratione, sed solùm in febribus, & alijs morbis, qui crescere, & augeri facilè solent, vel possunt secundùm medicos.

18 Circa quod notant prædicti auctores, medicum satisfacere huic præcepto, dummodo hortetur, siue infirmus obediat, siue non, satisfacit enim debito suo. Sed tamen post Bullam Pij V. est difficultas, quia ipse prohibet ne vltra tertium diem medicus visitet infirmum, si non constat sibi de confessione; ergo videtur quòd medicus eum relinquere teneatur. Respondent tamen prędicti auctores hoc nequaquam agendum, quia repugnat charitati, nam tunc posset infirmus desperatus mori, & damnari, quòd si curaretur posset sanari, emendari, & saluari. Et proindè Suarez vbi suprà disputatio illa trigesimaquinta, sectione tertia, tenet medicum posse relinquere ægrotum non volentem confiteri, si morbus non sit periculosus; sed si est periculosus, non teneri, nec debere relinquere ægrotum propter rationem adductam; neque esse credibile quòd Papa habuerit intentionem præcipiendi cum hoc rigore, licèt videatur hoc præcepisse, tanquam pro pœna ipsi infirmo: quia est nimis rigorosa, & contra charitatem, neque cum hoc rigore est recepta.

Qũo medicus possit relinquere ægrotũ nolentẽ cõfiteri, & qũo non.

19 Tandem addunt medicum satisfacere si admoneat infirmum, vel per se, vel per alium fide dignum, & timoratum: neque requiri amplius fidem confessoris: quia consuetudine est abrogatum hoc. Et iuramentum prętandum à medico ante Doctoratum debere intelligi, iuxta consuetudinem hanc, scilicet obseruare illam Bullam, & præceptum prout vsu receptum est.

Quis sit articulus mortis.

20 Aliud dubium est hic, quis dicatur esse *articulus mortis*. Hac in re est aliqualis dubitatio: tamen est dicendum, quòd pro eodem accipitur *articulus mortis*, & *periculum mortis*, vt suprà diximus, disputatione. Cui facienda sit confessio, capite tertio, in responsione ad tertium, pro Armachano. Hæc enim est sententia Scoti in hoc loco, dum ait, hoc pręceptum obligare quandocunque quis est in periculo mortis, & subiungit, quòd non solùm hoc pręceptum obligat in infirmitate mortali, sed quando aggreditur actus arduos, in quibus sit verisimile, quòd mors immineat: & dat exemplum, vt in bello mortali, in naufragio, & huiusmodi. Hæc etiam est communis assertio, quam omnes tradunt, etiam Soto, qui licèt distinctione eadem decimaoctaua, quæstione quarta, articulo quarto, distinxerit *articulum mortis* à *periculo mortis* dicens, quod articulus mortis est, cum mors iam est in fieri per causam naturalem, vel violentam: nempe per infirmitatem; aut dum quis ministerio iustitiæ est interficiendus; periculum verò mortis esse cum quis se obijcit periculo mortis, vt cum mare, vel prælium est ingressurus; tamen in eadem distinctione decimaoctaua, quæstione prima, articulo primo, conclusione quinta, extendit hoc præceptum ad pręsentanea, & instantia, quæcunque pericula mortis; & se explicat quòd per pręsentaneum periculum non intelligit, quodcunque periculum, vt tranare quodcunque flumen, & agitare tauros; sed ingressum pręlij, vel longæ nauigationis. Vndè pro eodem hic videtur accipere *articulum mortis*, & *periculum mortis*.

Soto.

21 Et quod dictum est de huiusmodi exemplis periculi mortis, dicendum est de similibus: quia inquit Scotus in similibus ibidem est iudicium. Vndè alij, vt Diuus Thomas, Adrianus, Paludanus, Suarez eadem disputatione trigesimaquinta, sectione tertia, adiungunt hunc casum. Si quis habeat copiam confessoris, & sit in eo statu, in quo probabile sit quòd si non confiteatur tunc, ante mortem ampliùs non habebit copiam confessoris, vt contingere potest in aliqua captiuitate apud infideles; tunc iste tenetur confiteri, ac si esset in articulo mortis. Ratio est, quia aliàs se exponeret periculo moriendi sine confessione, & sic peccaret mortaliter.

Quicũque ꝓbabiliter dubitat se ĩ artic. mortis nõ habiturũ copiã confessoris tenet cõfiteri cui habet.

Secundus casus, in quo per se obligat pręceptum confessionis, est sumptio Eucharistiæ, de quo capite sequenti.

Secũdus casus quo pręceptũ confessionis obligat.

Utrùm extra articulum mortis aliquando obliget per se, vel per accidens: & rationes pro prima opinione cap. antecedenti adductæ soluuntur.

Caput Secundum.

22 GRauis difficultas est, an hoc præceptum confessionis per se, & ex ui sua obliget alio tempore extra articulum, seu periculum mortis. Qua in re sunt duæ opiniones extremæ; altera asserit extra articulum mortis nullo tempore præceptum confessionis obligare, & hæc est Diui Thomæ, quarto Sententiarum, distinctione decimaseptima, quæstione tertia, articulo primo, quæstione quarta, Durandi distinctione eadem, quæstione decima, numero tertio, Richardi eadem distinctione articulo tertio, quæstione sexta, Palodani quæstione secunda, articulo quinto, citatur etiam Scotus pro hac sententia, quia d. illa decimaseptima, quæstione prima, articulo tertio, versus finem eandem sententiam approbare videtur. Alij verò multi tenent extra articulum mortis vnumquemque teneri pluribus vicibus, scilicet quoties imminet periculum obliuiscendi peccata, priusquam confiteatur, quandocunque; ergo imminet hoc periculum, hæc opinio, ait, hoc præceptum obligat. Ratio est, quia de iure diuino confessio integra esse debet: moraliter autem esset impossibile facere illam integram, si quis expectaret confiteri in extremo vitæ. Hanc sententiá tenent Soto quarto distinctione decimaoctaua, quæstione prima, articulo quarto, Victoria in Summa numero, centesimo trigesimo secundo, Marsilius in quarto, quæstione duodecima, articulo secundo, dubio quarto; & alij quos citat, & sequitur Couaruuias in cap. *Alma mater*, parte prima, §. primo, numero sexto, & alij quos refert Suarez, vbi suprà.

1. Opinio asserens nõ teneri extra articulũ mortis.

2. Opinio.

Fundamentum huius secũdæ opinionis.

Soto. Victoria. Marsilius. Couar.

23 Cæterùm hæc secunda opinio meritò reijcitur à Suarez, & alijs: quia fundamentum eius est leue: sequeretur enim, si illud esset verum, quòd fideles regulariter, non possent differre confessionem sacramentalem ad annum. Consequens est contra determinationem ecclesiæ. Consequentia probatur regulariter nemo potest memoriæ tenere omnia peccata, quæ in anno commisit: ideò in Paschate non potest regulariter confiteri omnia peccata, quæ in anno continuo facit. Præterea præceptum de integritate confessionis non obligat absolutè ad confitendum omnia peccata, sed solùm omnia, quæ actu memoria tenemus; ergo non est necessarium pluries confiteri, vt confessio integra ex omnibus peccatis fiat. Præterea posset aliquis memoria

2. Opinio reijcitur.
1. Ratio.
2. Ratio.
3. Ratio.

pollens differre confessionem vltra annum, & maximè adiuuando memoriam scribendo peccata, quæ omnia sunt absurda.

3. Opinio. 24 Tertia sententia est, hoc præceptum obligare pro aliquo tempore ante articulum mortis: at hoc tempus non esset determinatum iure diuino, sed relictum esse in potestate Ecclesiæ, quæ illud determinet. Prima pars probatur: quia finis institutionis sacramenti huius non videtur esse, vt solùm disponat hominem in extremo vitæ, sicut est institutum sacramentum extremæ vnctionis; sed videtur esse, vt hominem mundet à peccatis, & eum conseruet in gratia Dei, in hac vita, vt possit operari opera meritoria vitæ æternæ, quæ sinè gratia non possunt haberi. Pręterea hoc sacramentum est determinatio quædam pęnitentiæ siuè contritionis: at pręceptum contritionis obligat extra articulum vitæ, vt suprà vidimus; ergo.

Prima pars probatur.

Secunda pars probatur.

25 Quòad secundam partem probatur, quia sicut ipsi Ecclesiæ data est auctoritas iudicandi de peccatis, sic etiam data est potestas, vt determinet tempus accusandi se, & faciendi hoc iudicium. Dicet aliquis, quid si Ecclesia, hoc tempus non determinasset? Respondent hoc nunquam euenturum fuisse, quia esset intollerabilis error, quem Deus in Ecclesia non permisisset: ideo semper hoc tempus fuit determinatum, licèt pro diuersis temporibus diuerso modo. Vndè ante Concilium Lateranense sub Innocentio Fabianus Papa decreuerat, vt ter in anno fieret confessio, vt patet de consecratione distinctione secunda cap. *Et si non frequentiùs*, sed dato quòd Ecclesia nullam determinationem faceret nullo tempore obligaret hoc pręceptum confessionis, nisi in articulo mortis, vt habet prima opinio. Non enim habetur aliqua certa ratio, propter quam cogamur dicere obligare certo aliquo tempore.

Hæc tertia opinio coincidit cū prima, quæ est vera.

26 Hanc opinionem tenent Suarez disputatio illa 35. sectione 3. num. 9. & alij ex Recentioribus, & coincidit cum opinione prima, quæ proculdubio est vera propter illud fundamentum, quod maximè affertur à Scoto: quia præcepta pœnalia, non sunt amplianda, sed restringenda: pręceptum confessionis est pœnale; ergo non debet amphari, sed potiùs restringi. Prætereà hoc præceptum confessionis est affirmatiuum; pręceptum affirmatiuum autem est indeterminatum, & obligat ad *aliquando*; sed illud *aliquando* in hoc pręcepto est, *quando necessitas adest*; istud autem, *quando necessitatis*, ad quod obligat, ante specificationem Ecclesiæ, erat *indeterminatum*, ad quodcunque *quando*, ante mortem: quia in nullo *quando* ante mortem apparebat ista necessitas. Hoc etiam dixerat Scotus suprà eadem quæst. art. 2. explicando particulam, *quando*.

1. Ratio.

2. Ratio.

An saltem obliget in voto ad cō fessionē in vita.

27 Sed postquam non obligat hoc pręceptum extra articulum mortis, ad confessionem *actu* obligat ne saltem ad confessionem in *voto*, idest ad habendum propositum confitendi tempore debito, quo pręceptum obligat? superiori capite retulimus opinionem Alensis, qui dixit, statim obligare, cum quis commisit peccatum, & eam reiecimus. Scotus autem in hac quæstione articulo tertio, in vltimis verbis hoc declarat: inquit enim semper hominem post peccatum teneri ad habendum voluntatem confitendi pro eo *tunc* quò præceptum obligat. Et deindè se declarat non intelligere hoc *positiuè*, idest quod obliget ad statim, & semper post peccatum habere voluntatem elicitam confitendi tempore debito: nam vt contra Alensem diximus, ad confessionem *in voto* hoc modo obligat solùm eo tempore, quo tenemur ad habendum contritionem, vt suprà loquendo de præcepto contritionis diximus. Sed intelligit *negatiuè*, idest intelligit obligare ad non habendum actum contrarium, scilicet nolle confiteri tempore, quò præceptum obligat. Hoc enim est commune omnibus præceptis affirmatiuis: exempli gratia honorare parentes est præceptum affirmatiuum. Hoc obligat nos ad non habendum voluntatem non honorandi patrem occurrente necessitate: quia tunc peccaremus mortaliter; & sic de alijs.

28 Verùm quia hæc opinio, quæ certè est verior, videtur contra finem institutionis huius sacramenti, vt dicebatur in rationibus pro prima parte tertiæ opinionis, scilicet vt semel in vita obliget, scilicet in solo articulo mortis, est notanda distinctio ex Durando, in quarto, distinctione decimaseptima, quæstione decima, in materia de contritione, quam etiam nos possumus ad confessionem applicare, & est hæc. Aliquis potest teneri ad confessionem dupliciter. Vno modo *sub conditione*, scilicet si velit esse in statu gratiæ, & salutis. Alio modo *sub pręcepto*. Loquendo primo modo, dicendum est confessionem esse necessariam statim cum quis peccauit: quia gratia non potest haberi sine contritione, vel confessione: at contritio est difficilis, nequè est ita facilè remedium sicut confessio, ad quam sufficit attritio: ideo qua ratione vult esse in statu gratiæ, eadem debet velle confessionem. Et hic est scopus sacramenti confessionis: est enim institutum in remedium, & medicinam contra peccatum: & ideo hac ratione est semper necessarium. Sed loquendo secundo modo, idest de *necessitate præcepti*, optima est sententia prima veterum Theologorum, quòd solùm obligat de iure diuino, & ex sua institutione in articulo mortis. Ratio est, quia intentio Christi Domini fuit nos per hoc sacramentum alleuiare, non onerare nimis. Et ex hoc apparet nostram opinionem non esse contra institutionem huius sacramenti.

29 Loquendo verò de obligatione *per accidens*, idest de obligatione, quæ non prouenit ex ratione intrinseca huius præcepti, sed de obligatione ratione aliorum præceptorum externorum, vt quando quis vult exercere aliquos actus, quibus reuerētia particularis debetur, est difficultas in quibus casibus obliget. Omnes quidem conueniunt in confectione, seu celebratione Eucharistiæ necessarium esse permittere confessionem sacramentalem sub pœna peccati mortalis; sed difficultas est, quo iure hoc sit præceptum. Nam aliqui dicunt esse præceptum de iure Ecclesiastico, & esse nouum, & recens in Ecclesia, quæ opinio fuit Caietani in Summa verbo *Communio*, & proprio opusculo de hac re. Tribuitur etiam Richardo, & alijs, qui tamen illud non asserunt. Hæc opinio nunc post Concilium Tridentinum sessione decimatertia Canone vndecimo, est damnata; & ibi est statutum esse necessarium præmittere confessionem: adeo, vt qui aliter docuerit, excommunicatus existat; ex quo apertè habetur hoc non esse præceptum nouum, sed ex iure diuino statutum. Alij verò dicunt hoc præceptum esse quidem Ecclesiasticum, non tamen nouum, sed Apostolica traditione, & perpetua consuetudine Ecclesiæ obseruatum. Quam sententiam tenent Medina. Codice de pœnitentia, quæstione decimaseptima, Nauarrus de pœnitentia distinctione quinta, circa tertiam partem, glossæ numero trigesimosecundo, & multi alij.

De obligatione per accidens.

Caietani opinio.

Opin. prędicta est dānata.

2. Opinio.

Medina.
Nauarrus.

30 Tertia sententia est, hoc præceptum esse de iure diuino lato à Christo Domino, & tradito Apostolis. Hāc opinionem sequitur Scotus in quarto distinctione nona, quæstione prima, & in hac distinctione decimaseptima, quæstione prima, articulo secundo, explicando, quando hoc pręceptum obliget: nam non distinguit, de obligatione per se, vel per accidens, in hoc præcepto; sed asserit præsertim distinctione decimaseptima, hoc pręceptum de iure diuino obligare, quando quis vult communicare. Loquitur enim in illo articulo secundo, de obligatione ex iure diuino, non de obligatione ex Ecclesiastico pręcepto: quia de eo loquitur in tertio articulo, & distinctione nona, ex verbis præceptiuis Diui Pauli, prima ad Corinth. primo. *Probet seipsum homo*, &c. deducit, quòd existens in peccato mortali tenetur examinare se secundum diligentiam nostræ fragilitatis possibilem,

3. Opinio.

Scotus.

accon-

ac conteri, & confiteri, antequam communicet. Si autem nullum occurrit peccatum, de quo non fuerit priùs, *contritus, & confeſſus*, non peccat communicando. Copulat ergo Scotus ſimùl contritionem, & confeſſionem peccati mortalis accedentis ad Euchariſtiam, ſeù ad communicandum. Et infrà ibidem dicit, quòd ſi occurrat opportunitas, tenetur priùs confiteri, quàm communicare, & adducit rationem: quia non tantùm quis debet reconciliari Deo, ſed Eccleſiæ ad hoc, quòd dignè recipiat ſacramentum Eccleſiaſticæ vnitatis, quæ ratio non eſt fundamentum principale Scoti, ſed Apoſtoli auctoritas. Illa autem ratio oſtendit congruitatem præcepti Apoſtolici de pręmittenda confeſſione ante communionem. Eandem ſententiam tenent Syluester verbo *Euchariſtia*, ſecundo, quæſtione prima, Diuus Bonauentura in quarto, diſtinctione decimatertia, dubio primo circa litteram, & diſtinctione decimaſexta dubio duodecimo circa litteram. Eandem ſententiam tenet Soto in quarto diſtinctione decimaquinta, quæſtione prima, articulo quarto, Suarez tom. de Euchariſtia diſp. 63. ſectione tertia, & omnes antiqui Theologi eam ſupponunt. Et tandem adeſt Concilum Tridentinum ſeſſ. 13. can. 11. & cap. 7. quod apertè aſſerit hoc præceptum haberi ex illis verbis D. Pauli citatis à Scoto. Inquit enim *quare communicare volenti, reuocandum eſt in memoriam eius præceptum. Probet ſeipſum homo* &c.

Syluester. D. Bonau. Soto.

An ſit duplex peccatũ cõicare in peccato mortali.

31 Ex hoc autem ſequitur, quòd ſumens Euchariſtiam in peccato mortali peccet dupliciter, ſcilicet contra præceptum confeſſionis faciendæ, quod ſpecialiter obligat in hoc caſu, & contra præceptum de ſanctè, & rectè tractando ſacramenta vt ſuprà diximus agendo de bonitate requiſita in miniſtro confeſſionis. Vel ſi velimus dicere præceptum confitendi in ſuſceptione Euchariſtiæ ſe teneri non ex parte, & natura præcepti confeſſionis, ſed ex parte reuerentiæ ſacramenti Euchariſtiæ, ſaltem eſt maximum peccatum, & maius quàm miniſtrare alia ſacramenta in peccato mortali: quia hic vltra præceptum generale de omnibus ſacramentis ſanctè tractandis, adeſt ſpeciale præceptum confitendi ante eius ſuſceptionem.

An obliget in adminiſtratione aliorũ ſacramẽtorum.

32 Hinc mihi videtur conſequenter eſſe dicendum, hoc præceptum confeſſionis per accidens obligare miniſtrantem omnia alia ſacramenta. Hæc certè videtur eſſe opinio Scoti, eadem diſtinct. 17. quæſt. 2. art. 2. quia inquit hoc præceptum obligare quando quis vult exercere aliquos actus, quibus debetur reuerentia ſpecialis. Et paulò infrà, poſtquam exemplificauit de ſacramento Euchariſtiæ, ſubiungit, *& in ſimilibus ſimile eſt iudicium*. Hoc autem poteſt habere locum ſolùm in adminiſtratione ſacramentorum his enim debetur reuerentia particularis, ut probauibus ſuprà tractando de bonitate requiſita, inter conditiones confeſſionis. Et confirmatur, quia ſecundùm omnes ad miniſtrandum ſacramenta ſanctè requiritur contritio: at non poſſumus eſſe certi, an habeamus contritionem, nec ne: quia poſſemus eſſe certi, nos eſſe in ſtatu gratiæ, quod eſt falſum; ergo debemus adhibere remedia tutiora, quibus poſſimus eſſe in gratia; ergo quicunque eſt in peccato mortali, & habet copiam confeſſoris, & ſine confeſſione, ſed fidens habere contritionem, miniſtrat ſacramenta, ſe exponit periculo miniſtrandi in ſtatu peccati mortalis, & ſine gratia, & ſic peccat mortaliter. Quare opinio Marſilij in 4. quæſt. 12. art. 1. in fine, & Paludani diſtinct. 17. quæſt. 2. Adriani quæſt. 3. de confeſſione, mihi placet quidquid dicant Suarez, & citati ab ipſo diſput. illa 35. de pœnitentia ſect. 3. & alibi. In alijs verò ſacramentis miniſtrandis non ſunt duo peccata: quia adeſt ſolùm vnum præceptum, ſcilicet rectè tractandi ſacramenta; non autem adeſt ſpeciale præceptum de confeſſione facienda, vt in Euchariſtia; vel illud eſt minùs peccatum, quàm in ſumptione Euchariſtiæ, ſi in Euchariſtia eſt vnicum peccatum, vt ſuprà diximus.

An obliget tempore ſuperandi tẽtationem.

33 Alij addunt alium caſum, vt Caietanus in Summa verbo *ſacramentalis confeſſio*, & Petrus Soto lect. 5. de confeſſione relati à Suarez vbi ſuprà, nimirum tunc obligare hoc præceptum confeſſionis, quando cenſetur confeſſionem eſſe medium moraliter neceſſariũ ad ſuperandum aliquam tentationem, vel peccandi occaſionem. Diſtinguit autem Suarez quòd confeſſio poteſt comparari ad peccatum ſpeciale, vel ad peccatum in communi. Primo modo, ſi confeſſio ſit medium ad vitandum aliquod peccatum particulare, tunc obligari ad confeſſionem. Secundo modo autem ait non obligare ad confeſſionem: quia loquendo in communi, nulla poteſt eſſe occaſio peccandi. Breuiter eſt dicendum, vt tandem ibidem etiam Suarez aſſerit, nunquam vel ſaltem raro dari caſum, in quo confeſſio ſola ſit medium neceſſarium ad vitandum aliquod peccatum. Si enim aliquis per actum cõfeſſionis poteſt vitare, verbi gratia, homicidium, vel actum luxuriæ, poterit etiam illud vitare, aliquod aliud opus faciendo: eſt tamen optimum remedium ſæpiùs confiteri, ſed non neceſſarium ſub præcepto; alioquin homines, qui differunt confeſſionem ad annum, vix poſſent à nouo peccato excuſari: ideò eſt res valdè onerosa, & ſcrupuloſa, & proinde reijcienda eſt hæc opinio:

Epilogus caſuum in quibus confeſſionis pceptũ obligat.

34 Recapitulando ergo concludere poſſumus, quòd coniungendo ſimul caſus, in quibus per ſe, & ſimul per accidens præceptum confeſſionis obligat de iure diuino ſub pœna peccati mortalis, ſunt quattuor, qui enumerantur quoque à Richardo in 4. diſtinct. 17. art. 3. quæſt. 6. & à Durando diſtinct. 17. quæſt. 10. & aliqui ex his ab alijs Doctoribus, vt à Diuo Bonauentura diſtinctione 17. parte 2. articulo 2. quæſtione 2. & alijs. Primus eſt articulus ſeu periculum mortis, eo modo quo ſuprà explicatum eſt, idem eſſe articulum, & periculum mortis. Secundus eſt quando quis debet, vel vult Euchariſtiam ſumere. Dixi autem ſumere, quia qui diſpenſat Euchariſtiam non tenetur hoc præcepto: nam præceptum eſt in ſumptione Euchariſtiæ. Hoc idem dicendum eſt de adminiſtratione aliorum ſacramentorum ex officio, vt explicatum eſt ſuprà. Tertius caſus eſt ratione conſcientiæ. Si quis enim credit ſe teneri in aliquo caſu confiteri, & non confiteatur, licèt non teneatur, & habeat conſcientiam erroneam, tenetur confiteri, alioquin peccaret contra conſcientiam, & ſic peccaret mortaliter. Quartus caſus eſt, cum quis probabiliter dubitat ampliùs ſe non habiturum copiam confeſſoris, ſeu ſuperioris, cui poſſit confiteri; tunc enim tenetur confiteri, alioquin ſe exponit periculo moriendi in peccato mortali. Quintum addunt prædicti Doctores, ſemel in anno teneri ad confeſſionem, ſcilicet in Paſchate, ſed hoc non eſt de iure diuino, ſed de iure poſitiuo Eccleſiaſtico. Sextus de religioſis, qui, vt dixi, ſecundùm ſtatuta ſuarum religionum ſe regulare debent. Hoc enim eſt de iure poſitiuo humano, non diuino vt dictum eſt ſuprà.

1. Caſus. 2. Caſus. Diſpenſãs euchariſtiam nõ tenetur ad pceptũ confeſſionis. Idẽ de adminiſtrãte alia ſacramenta. 3. Caſus. 4. Caſus. 5. Caſus. 6. Caſus.

Ad primã rõnẽ 1. cap. adductam.

35 Ad primam rationem primo capite adductam. Negatur ſimilitudo inter morbum corporalem, quò quis eſt in articulo mortis corporalis, & morbum ſpiritualem, quò quis eſt proximus morti æternæ: nam qui eſt in peccato mortali, non ſemper eſt ita proximus morti ſpirituali æternæ, ſicuti ille, qui eſt in articulo mortis corporalis, eſt proximus morti corporali; quoniam etſi nemo ſciat diem, neque horam: tamen pauci ſunt, qui ſubitanea, & improuiſa morte moriantur: ideò hic ſtatus ſolùm eſt ille, in quo quis eſt conſtitutus in articulo mortis corporalis, tunc enim eſt proximus quoque morti gehenæ; ideò ſi in tali caſu non curet ſe, cum poſſit per confeſſionem, immittit ſibi mortem ſpiritualem, & tranſgreditur hoc præceptum, non autem extra tempus illud, niſi in alijs caſibus prædictis.

Ad ſecũd.

36 Ad ſecundam negatur minor. Loquendo enim de tempore, quò quis obligatur ad confeſſionem, ex præcepto extra tempus in quatuor caſibus prædictis, nullum

aliud tempus est opportunum, accipiendo tempus pro exigentia, & necessitate; sed loquendo ad benè esse, & ad hoc, vt sit in gratia, itaquòd opportunitas idem sit, quod vtilitas, quodcunque tempus est opportunum, post actum peccati.

Ad tertiũ.

37 Ad tertiam respondetur, illud esse consilium non pręceptum obligans ad statim confitendum, vel conteren dum, vt diximus, loquendo etiam de contritione. Huiusmodi autem plures reperiuntur admonitiones, & increpationes in Sacra scriptura: quia valdè est periculosum in peccatis morari. Vndè in Sacra scriptura multa proponũtur per modum imperij, quæ persuadent illud, quod est consilij.

Ad quartũ.

38 Ad quartam respondetur, mora in peccato non parere contemptum, qui sit peccatum mortale, nisi iteretur actus peccati, vel nisi sibi offeratur efficax cogitatio, cum dispendio peccati, & offensa Dei; & tamen eum non pœniteat. Teneretur enim illo casu ad habendam contritionem, vt diximus loquendo de pręcepto contritionis. Et confirmat Alensis in responsione ad hoc argumentum; nõ tamen ille teneretur ad confessionem actualem, vt dictum est suprà.

Ad confirmationẽ.

39 Ad confirmationem respondetur, quòd ad resurgere à peccato est pręceptum affirmatiuum, quod obligat ad semper, sed non pro semper, sed pro opportunitate tẽporis. Opportunitas autem temporis sunt illa quatuor tẽpora superiùs explicata. Ad illud, *quia peccatum, quod non deletur mox, in aliud trahit*, respondetur quòd ex hoc habetur, quòd peccatum existens in anima inducit inclinationem maiorem in peccatum: at nos non tenemur sub pręcepto peccati mortalis vitare, & fugere inclinationem, & habilitationem ad peccãdum; alioquin teneremur ad vitanda peccata venialia, quia habilitant ad peccatum mortale. Tenemur autem semper ad vitandum ruinam in peccatum mortale, quæ fit per actum peccati mortalis.

An cadat dispẽsatio super pręceptũ confessionis.

40 An verò super hoc pręceptum confessionis cadat dispensatio, vel abrogatio, patet, quòd quatenus est de iure diuino, scilicet quò ad tempora assignata non cadit dispensatio: quatenus verò est Ecclesiasticum, scilicet quò ad semel in anno, & in Paschate, cadere potest: quia est de iure positiuo Ecclesiastico, de qua re agemus cum tractabimus, quid Ecclesia statuerit circa hoc sacramentum confessionis.

DISPVTATIO XXIX.

De qualitate confessionis.

De conditionibus requisitis ad confessionem, & pręsertim, an debeat esse secreta. Caput Primum.

Opin. Scoti.

1 QVid sit confessio sacramentalis iam suprà exposuimus, nunc explicandæ sunt eius conditiones. Scotus eadem d. 17. q. 1. ar. 3. explicat qualiter confessio sit facienda: vnde breuiter assignat tres conditiones simpliciter necessarias. Prima est, quòd sit cum displicentia peccati. Secunda cum proposito abstinendi à peccato. Tertia cum proposito obediendi Ecclesiæ in satisfactione pro peccato commisso, quas infrà explicabimus. Alij enumerant inter conditiones necessarias, integritatem. Sed hæc iam supponitur: quia diffusè suprà de illa actum est. Alij adducunt illas tres, quòd sit *accusans, fidelis, & parere parata*, sed istæ in pręductis quatuor includuntur.

Tres cõditiones necessariæ sĩpliciter ad cõfessionẽ.

Quid de integritate.

2 Vt autem distinctè omnia, quæ pertinent ad qualitatem confessionis intelligamus, notandum est, quòd cõmuniter à Doctoribus assignantur 16. conditiones confessionis, quæ his verbis continentur.

Sexdecim cõditiones cõfessionis

Sit simplex, humilis confessio pura, fidelis,
Atque frequens, nuda, discreta, libens, verecunda,
Integra, secreta, lacrimabilis, accelerata,
Fortis, & accusans, quæ sit parere parata.

3 Cõditiones istæ enumeratæ sunt sine ordine, sed vulgari quodammodo; puto, vt faciliùs memoriæ mandentur. Vario modo autem à diuersis ad aliquem ordinẽ reducuntur quòd parui momenti est, solùm est notandũ nõ omnes esse de essentia confessionis, itaquòd si aliqua illarum deficiat, confessio sit nulla, sed tantùm quatuor sunt de essentia, scilicet *integra, lacrimabilis, accusans, & parere parata*. De *integritate* iam dictum est, quòd, si omittatur aliquod peccatum, vel aliqua circunstãtia mutans speciem, confessio est nulla. Secunda est *lacrimabilis*, quæ significat quòd debet fieri cum displicentia, vt dicebat Scotus; quæ displicentia est contritio, vel attritio; dictum est enim suprà quòd confessio facta sine pręuia contritione, vel attritione est nulla. Et in hac includitur propositũ ampliùs non peccandi: quia hoc includitur in contritione, & attritione vera. Inquantùm verò hæc particula *lacrimabilis*, se extendit ad reliqua, quæ pertinent ad appetitum sensitiuum, vel ad corpus, ea non sunt necessaria; sunt tamen vtilia, & de consilio. Tertia est *accusans*, quæ est maximè de essentia confessionis; cum sit genus in definitione confessionis. Confessio enim est *accusatio pœnitentis facta coram sacerdote iurisdictionem habente peccatorum propriorum ad veniam obtinendam*. Ex qua pręcipuè intelligitur confessionem debere esse propriorum peccatorum, non aliorum, nec debere se excusare, vt explicatum est agendo de integritate confessionis. Quarta est *parere parata*, quæ, vt inquit Scotus sic intelligitur, nõ quòd accedens ad confessionem teneatur habere voluntatem suscipiendi pœnã, seù pœnitentiam à sacerdote pro peccatis suis, quia inquit si pœnitens haberet duas priores cõditiones, scilicet quòd haberet displicentiam de peccato, & propositum abstinẽdi, & haberet etiam propositum recipiendi pœnam infligendam pro peccatis suis à Deo, hic vel in purgatorio licèt non vellet recipere vllam pęnitentiam sibi oblatam à sacerdote esset citius absoluendus, quàm sic repellendus; sed debet intelligi sic, quòd habeat propositum obediendi confessori in seruando, vel soluẽdo illam satisfactionem, & pęnitentiam, quam voluntariè suscipiet ab ipso impositam; itaquòd peccat mortaliter si nolit illam iam acceptatam seruare: & si confiteretur sine hoc proposito confessio esset nulla.

Integra.

Lacrimabilis.

Accusans.

Definitio cõfessionis

Parere parata.

4 Hic verò est dubium, an pœnitens teneatur acceptare pœnitentiam impositam, seu oblatam sibi à sacerdote, de qua re agemus tractando de tertia parte pœnitentiæ, scilicet de *satisfactione*.

An pęnitẽs teneatur acceptare pęnitẽtiã sibi oblatã à cõfessario.

5 Cæteræ conditiones non sunt simpliciter necessarię, sed ad benè esse, & de consilio, absolutè eas accipiendo. Accipiendo autem eas quatenus cum aliqua prædictarũ, quæ sunt simpliciter necessariæ, coincidunt, tunc sunt necessariæ simpliciter, vt illæ. Secundùm autem se sic intelliguntur. *Simplex*, quæ primo loco ponitur, significat quòd confessio non debet esse ita artificiosè facta, vt ea ratione aliquid occultetur, vel non intelligatur à cõfessore: debent etiam omitti verba superflua, & quæ non faciunt ad rem. Secunda est *humilis*, quæ significat, quòd pœnitens debet recognoscere propria peccata, & ex recognitione talium peccatorum debet facere confessionem, & exterioribus actibus debet fieri decenter, & humiliter tam in verbis, quàm in corporis habitu. Tertia est *Pura*, quæ significat, quòd debet fieri pura, & debita intentione, scilicet obtinendæ veniæ. Vndè si mala intentione fieret, quòd esset peccatum mortale, esset nulla, & quò ad intellectum hũc esset de essentia; exponitur tamen à multis, vt significet confessionem non debere habere admixta ea, quæ non faciunt ad rem, & sic coincidit cum prima conditione, quòd sit simplex. Quarta est *fidelis*, quæ significat, quòd debet esse sine mendacio; non enim debet dici quod non est factum; neque omitti, seù negari, quod est commissum. Et hæc quatenus reducitur ad integritatem, est de essentia. Diximus enim suprà loquendo de integritate, quodnam mendacium tollat essentiam confessionis: mẽdacium enim, quod aufert integritatem, est huiusmodi solùm,

Simplex.

Humilis.

Pura.

Fidelis.

ſiùm, non alia, quæ ſunt peccata venialia, nec tollunt integritatem. Quinta eſt *Nuda*, quę ſignificat, quòd confeſſio debet eſſe talis, vt confeſſarius poſſit percipere naturam peccati, & circunſtantias: debet enim eſſe aperta, non palliata, vnumquodque ſicut eſt, proferendo, ideò apponitur ad magis explicandum priorem conditionem, quòd ſit fidelis. Sexta eſt *frequens, & accelerata*. Iſtæ duę ſunt omninò de conſilio. Significant enim quòd confeſſio ſępius fiat, & quòd poſt peccatum commiſſum peccator non differat nimium confeſſionem, ſed quàm citiùs confiteatur: quantùm ad pręceptum dictũ eſt ſuprà, quando quis teneatur confiteri. Octaua eſt *diſcreta*, quæ ſignificat, quòd confeſſio debet cum diſcretione fieri, ſicut omnes actus virtutis, ſcilicet debito tempore, loco, & modo, & confeſſor quoque cum delectu debet eligi. Nona eſt *libens*, quæ ſignificat debere fieri hilariter, & cum promptitudine. Decima *Verecunda* ſignificat debere eſſe cum pudore propter turpitudinem peccati: ſi enim eſſet cum iactantia non eſſet valida, quia eſſet peccatum actu committere; ſed citra iactantiam, quòd ad ſit pudor eſt de conſilio.

Nuda. Frequẽs, & accelerata. Diſcreta. Libens. Verecũda.

Secreta. 6 Duodecima eſt *Secreta*, quæ ſignificat, quòd confeſ-
7 ſio debet eſſe ſecreta non publica. De hac autem conditione eſt non parua difficultas, an ſcilicet confeſſio ſacramentalis quò ad eſſentiam neceſſariò requirat, vt ſit ſecreta, ſiue auricularis. Vbi eſt notandum hic non eſſe diſputationem, an confeſſio abſolutè ſit neceſſaria: nam quò ad hoc ſuprà probatum eſt eſſe neceſſariam, dum probatum eſt pœnitentiam eſſe ſacramentum nouæ legis à Deo inſtitutum, & obiectiones hæreticorm contra confeſſionem adductæ ſunt ſuprà, agendo de præcepto, ſeu neceſſitate confeſſionis cap. vltimo. Sed hic ſupponitur confeſſionem eſſe neceſſariam de iure diuino, & diſputatur ſolùm de modo: an de eſſentia eius ſit, vt fiat ſecretò, & ad aures, ex quo dicitur *auricularis*.

An ſit de eſſentia cõfeſſionis ſacramẽtalis quod ſit ſecreta.

8 Hac in re ſunt duæ opiniones. Altera aſſerit hunc modum ſecretæ confeſſionis eſſe ſanctum, honeſtum, & ad ſacramentum conficiendum ſufficientem; non tamen eſſe de neceſſitate huius ſacramenti. Quò ad primam partem hæc opinio eſt communis, & probatur, quia de fide in Concilio Tridentino ſeſſ. 14. cap. 5. definita eſt, ſed de hoc poſteà dicemus. Quò ad ſecundam partem verò eam expreſsè tenet Suarez de pœnitentia diſp. 19. ſec. 3. & diſp. 21. ſect. 2. aſſertione ſecunda, & citat multos Doct. vt Alenſem 4. p. q. 18. m. 4. a. vltimo §. vltimo D. Thom. quolib. 1. a. 10. Richardum diſt. 17. a. 3. q. 8. & multos alios. At Doctores iſti potiùs oppoſitum docent locis eiſdem: nã Alenſis ibi tenet in occulto eſſe confitendum, & nequaquam eſſe confitendum per litteras. Solùm dicunt in caſu poſſe fieri per nutus, & ſigna, & per interpretẽ. Solùm Richardus loquitur in caſu noſtro de confeſſione, & eſt problematicus. Soto in 4. diſt. 18. quæſt. 2. ar. 2. dicit hanc conditionem non eſſe vſque adeò neceſſariam, vt ſine illa cõfeſſio non ſit valida; tamen eſſe humano more neceſſariam; vt ſine qua ſacramentum pœnitentiæ in Eccleſia ſuſtineri non poſſet. Et eadem quæſt. a. vltimo ad ſecũdum argumentum principale dicit, non eſſe de eſſentia confeſſionis eſſe ſecretam.

Opin. Suarez.

1. Ratio. 9 Pro hac opinione ſunt hæ rationes. Primò ex Concilio Tridentino ſeſſ. 14. cap. 5. habetur Chriſtum non prohibuiſſe confeſſionem publicam, ſi pœnitens voluntariè illam facere velit; ergo ex inſtitutione cõfeſſionis non habetur, quòd confeſſio ſit ſecreta; aliàs conſequẽter prohibuiſſet eam fieri publicè.

2. Ratio. 10 Secundò. Confeſſio poteſt eſſe vera accuſatio profecta ex dolore cordis, & per illã poteſt dari ſufficiens notitia confeſſori, vt poſſit de peccatis iudicare, licèt non ſit ſecreta; ergo iſta confeſſio habet omnia requiſita ad eſſentiam: quia ex nullo alio capite poteſt colligi alia neceſſitas, aut contraria prohibitio.

3. Ratio. 11 Tertiò. Non eſt intrinſecè malum publicè propalare peccata ſua, quia per ſe hoc non eſt iniurioſum alteri: neque eſt contra charitatem propriam, quia licèt afferat aliquid infamiæ, illud poteſt compenſari maiori fructu humilitatis confeſſionis propriè, & ſatisfactionis. Poteſt etiam talis actio eſſe honeſta, ſi prudenter fiat; ergo nulla eſt ratio propter quam hic modus debeat excludi ab hoc ſacramento confeſſionis.

12 Quartò. Adſunt aliqui caſus, in quibus cõfeſſio eſt facienda, & tamen ſecreta fieri non poteſt, vt quando cõfeſſio ſit per interpretem; certum eſt enim hanc cõfeſſionem, ſi fiat, valere, licèt forſan nemo cogatur hoc modo confiteri. Alius caſus eſt ſi in articulo, vel periculo mortis, vt in naufragio vel in aliquo loco peſte laborante plures confiteri velint, & non poſſint, niſi alijs audientibus, & ſimul confitentibus; certum eſt enim hanc confeſſionem valere; ergo de eſſentia ſacramenti pœnitentiæ non eſt vt ſit ſecreta. Tertius caſus eſt, cum confeſſor non habet ſufficientem ſcientiam. De licentia enim pœnitentis poteſt vocare Doctorem, & pœnitens coram vtroque, quorũ vnus habet ſcientiam, alter iuriſdictionem, ſua peccata confiteri, & ab illis abſolui. Hæc autem confeſſio eſt valida, & tamen æquiualet publicæ; ergo ſecreta confeſſio non eſt de neceſſitate, & eſſentia huius ſacramenti. 4. Ratio.

13 Ex altera parte Scotus in hoc 4. d. 17. q. 1. in reſponſione ad tertiũ principale, & ad alia apertè ſuſtinet hanc conditionem, *ſecreta*, eſſe de eſſentia confeſſionis: itaquòd ſi omittatur, confeſſio non ſit ſacramentalis. Inquit enim ibi apertè, quòd ſi confeſſio fiat ſimul pluribus ſacerdotibus, non eſt ſacramentalis confeſſio. Et diſputando an extraneus teneatur confiteri per interpretem, cum ignoret idioma ſacerdotis, reſpondit contra D. Thom. negatiuè, & adducit rationem, quia forum iſtud ſacramentale cõfeſſionis eſt ſecretiſſimum. Eandem opinionem ſequitur Gabriel Biel in eadem d. quæſt. 1. & Angelus verbo *Confeſſio*, n. 29. citat opinionem Scoti, ſed nec approbat, nec reprobat. Richardus vbi ſuprà eſt problematicus. Opin. Scoti oppoſita.

14 Et hæc quidem ſententia videtur eſſe, certiſſima, quòd præſertim his argumentis oſtenditur. Primum argumentum deſumitur ex ijs, quæ Scotus ibi dicit, præceptum cõfeſſionis intrinſecè includitur in inſtitutione ſacramenti pœnitentiæ; ſed non quæcunque confeſſio, ſed ſola confeſſio ſecreta poteſt cadere ſub huiuſmodi præcepto; ergo ſola confeſſio ſecreta eſt de inſtitutione huius ſacramenti; ergo ſola confeſſio ſecreta eſt ſacramentalis. Maior eſt euidens ex dictis ſuprà de inſtitutione huius ſacramenti, ex eo enim quòd Chriſtus Dominus fecit ſacerdotes iudices peccatorum, & peccatum eſt occultum, tenentur ipſi peccatores ſua peccata cõfiteri, & aperire ſacerdoti, à quo obtineant remiſſionem, & abſolutionem. Minor probatur; pręcepta legis poſitiuæ diuinæ non deſtruunt, nec tollunt pręcepta legis naturæ, ſed illa confirmant, & declarant, quæ propoſitio ab omnibus conceditur, & eſt veriſſima: at confiteri peccata publicè eſt contra legem naturæ, qua vnuſquiſque obligatur tueri famam ſuam; & contra charitatem erga ſeipſum; ergo pręceptum, quod ex vi inſtitutionis huius ſacramenti pęnitentiæ in ipſa includitur, nõ eſt de confeſſione, vt abſolutè fiat, ſed de confeſſione, vt ſecretè fiat; ergo confeſſio, quæ eſt ſacramentum inſtitutum à Chriſto, eſt confeſſio ſecreta, non publica. 1. Ratio ex Scoto.

15 Ratio hæc certè eſt efficaciſſima, & confirmatur, quia deducitur ex natura huius ſacramẽti. Certũ eſt enim non quamcunque confeſſionem pertinere ad hoc ſacramentum, ſed illam tantùm, ad quam homines obligantur ex inſtitutione illius. Omnes autem fatentur, & eſt de fide confeſſionem publicam non eſſe de eſſentia huius ſacramenti, vt patet ex Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 5. Confeſſio autem, quæ includitur in inſtitutione huius ſacramenti, obligat omnes ad illam; ergo hæc confeſſio eſt ea tantùm, quæ eſt ſecreta; quia non datur medium inter confeſſionem publicam, & ſecretam. Confirmatur.

16 Et per hoc effugiũ aduerſariorũ reijcitur. Dicunt enim, vt patet ex ſua prima ratione, ꝙ ad confeſſionẽ ſacramentalẽ ſufficit cõfiteri peccata ſua cũ cordis dolore, ita vt Effugiũ aduerſariorũ præcluditur.

sacerdos illa percipiat, & nihil ampliùs: hoc autem fieri tàm per confessionem publicam, quàm per priuatã: ideò dicere habent, quòd homines obligantur ad confessionẽ sub disiunctione. s. ad secretam, vel publicam: vtroq. enim modo inquiunt fieri potest. Hoc enim effugium reijcitur primò: quia tunc saltem, qui non posset confessionem facere secretè, teneret ex præcepto illam publicam facere: quod tamen omnes tenent, etiam ipsi, esse falsum. Et sacrum Concilium Tridentinum apertè decernit, dum dicit confessionem publicam non esse mandatam pręcepto diuino.

Confirmat. 17 Præterea sacrum Concilium ibidem dicit, quòd *nec satis consultè humana aliqua lege præciperetur, vt delicta præsertim secreta publica essent confessione aperienda.* Ex quo habemus præceptum de confessione publica non esse congruum, nec consultum; & consequenter non esse rectum. At non est dicendum, præceptum inclusum in confessione sacramentali pœnitentiæ directè obligans, esse incongruum, non consultum, neque rectum; ergo illud præceptum confessionis non se extendit ad confessionem publicam, quia se extenderet ad præceptum inconsultum, & indiscretum.

2. Rõ principalis. 18 Secundò principaliter ex Scoto ibidem, & dist. 19. ar. 5. elicitur hæc alia ratio. In Ecclesia est duplex forum. s. secretum, & publicum, siue sacramentale, & publicum, seu contentiosum. Ad primum spectant peccata secreta; ad secundum spectant peccata publica; & consequenter secreta, sed reducta ad publicum, quatenus publica sunt: & in hoc foro publico etiam Ecclesia habet facultatem dimittendi peccata, & puniendi: itaquòd dimissa in hoc foro, sunt dimissa quoque apud Deũ. Quæ auctoritas habetur præsertim Matth. 18. dicente Christo Domino, Petro. *Si peccauerit in te frater tuus,* &c. & sequitur tandem, *Dic Ecclesiæ.* Vbi dat auctoritatem Ecclesiæ, idest Prælatis iudicandi in causis peccatorum publicis, & dat auctoritatem excommunicandi: & tandem subiungit, *Amen dico vobis, quæcunque alligaueritis super terram erunt ligata, & in Cœlis, & quęcunque solueritis super terram erunt soluta in Cœlis.* Ex quo apparet, quòd Deus approbat ligationem, & solutionem factam ab Ecclesia in foro publico, quam qui contemnit, est habendus, vt Ethnicus, & Publicanus. Ex hoc sic arguo peccata publicè confessa non pertinent ampliùs ad forum internum, & Sacramentale, sed externum; ergo non pertinent ad hoc Sacramentum, neque ad ministros Ecclesiæ, vt sunt ministri hujus Sacramenti, sed ad Prælatos, seu quatenus sunt Prælati; & peccata omnia tàm publica, quàm priuata solùm quatenus occultè confitentur, pertinent ad hoc forum: absolutio ergo publica peccati non est Sacramentalis, sed est Ecclesiastica, seu fori publici, vt Episcopalis, & similium. Est tamen valida coram Deo, vt dictum est.

Confirmat. 19 Confirmatur: quia ideò Suarez, & ij, qui tenent secretam, non esse de essentia Sacramenti, hanc opinionem sequuntur, vt sustineant confessionem factam per litteras Cõfessario absenti, valere: at per Clementem VIII. anno Domini 1602. in Congregatione Generali Sanctæ Romanę, & vniuersalis Inquisitionis decretum fuit hanc propositionem, scilicet: *Licere per litteras, seu inter nuntium Confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere, ad minùs falsam, temerariam, & scandalosam esse.* Et proinde prohibuit ne publicis, priuatisque Lectionibus, Concionibus, Congressibus doceatur, neque vt tanquam vllo casu probabilis diffendatur sub pœna excom. latæ sent. reseruatæ ipsi soli summo Pontifice, hoc habetur apud Quarantam, verbo *Confessio Sacramentalis*, In summario Bullarij, & apud Suarez, tomo de pœnit. disp. 19. sect. 5. qui ideò mutauit ibi sententiam, & dixit non posse fieri per litteras absenti: ratio autem, propter quam confessio per litteras non est sacramentalis, est ex Scoto loco cit. quia omnis scriptura ex sua natura est publica, quantumcunque enim aliquis conseruet secretum apud se scriptum: tamen ex quo mittit illud, vel propter nuntium, vel per illum, ad quem mittitur, potest publicari, & semper ex sui natura est patulum cuicunque legenti, quodcunque in eo continetur; ergo de ratione essentiali confessionis, est, quòd sit secreta. At inquit Soto hanc rationem non esse sufficientem: quia confessio facta alta voce est valida. Hanc rationem in responsione ad quartum confutabo. Adducit autem ipse hanc rationem: quia confessio est actus personalis, quo homo præsenti Sacerdoti loquitur. Sed hæc ratio, nisi includat actum hunc debere esse secretum, nullius est momenti: nam Suarez, & qui oppositum sustinent, negabunt, ex institutione huius Sacramenti requiri debere, esse actum personalem: dicent enim sufficere confiteri peccata, ita vt veniant ad aures confessoris. Ratio ergo, propter quam actus iste debet esse personalis, est, quia debet esse secreta confessio; ideò personaliter debet quis confiteri, non per internuntium, & litteras.

20 Tertiò. Sacerdos de iure diuino tenetur ad sigillum confessionis, ita quòd sibi prohibetur, ne peccata sibi detecta perducat ad aliud forum, scilicet, publicum, quòd fieret, si ipse reuelaret confessionem, vt probabo cum Scoto in hoc 4. dist. 21. quæst. 1. concl. 2. ratione 2. ergo esse secretum est de essentia huius Sacramenti. Consequentia probatur: quia alioquin non esset contra rationem, & institutionem huius Sacramenti, peccata confessa sibi, deduci ad forum exterius, sed esset propter aliquam aliam legem, vt naturæ, vel Ecclesiæ, quòd tamen est falsum. 3. Ratio.

21 Ad primam rationem aduersariorum, respondetur, Concilium ibi non loqui de confessione Sacramentali, sed de confessione quam quis facit in vindictam, & pœnam propriorum peccatorum, & sui humiliationem. Inquit enim, Christum Dominum talem confessionem non vetuisse; sed non dixit talem confessionem esse Sacramentalem; immò manifestè innuit non esse Sacramentalem, cum dicat, non cadere sub præcepto: Confessio enim Sacramentalis cadit sub præcepto, & paulò infrà, secretam confessionem appellat Sacramentalem, in his verbis. *Vnde cum à sanctissimis, & antiquissimis Patribus magno, vnanimoque consensu, secreta confessio Sacramentalis, quas ab initio Ecclesia sancta vsa est, & modò etiam vtitur, fuerit semper commendata:* ergo publica non est Sacramentalis. Ad primã rõnem aduersariorũ.

22 Ad secundam respondetur, non sufficere illas duas conditiones, vt manifestet peccata, & cum dolore cordis, sed requiri insuper modum hunc, scilicet, vt sit secreta; quia hic requiritur ex interna institutione ipsius, vt est Sacramentalis. Ad secũdã.

23 Ad tertiam respondetur, quòd reuelare peccata est contra legem naturæ: quia vnusquisque tenetur seruare famam suam: & contra charitatem erga semetipsum: & contra legem positiuam Christi Domini, *honorem meum nemini dabo*; tenetur ergo vnusquisque tueri famam suã, tamen aliquando propter maius bonum, potest negligi fama, sicut negligitur vita corporalis propter bonum animæ, quòd est maius: & sic aliquando propter maximam vtilitatem Ecclesiæ, vel propter aliquod magnum meritum personæ posset fama negligi; sed hoc est valdè difficile, & rarò casus aliquis talis accidit, & proinde sacrum Concilium Tridentinum, vbi suprà dixit, quòd etsi non sit vetita hæc confessio, non tamen satis consultè ab aliquo præciperetur: ideò non est dicendum ipsam includi in institutione confessionis Sacramentalis: alioquin in casu, quo quis non posset confiteri secretè, posset tamen publicè, & teneretur ad confessionem publicam, quòd est falsum, & contra ipsum Concilium, vt suprà dictum est. Ad tertiũ.

24 Ad quartam. Ad primum casum de interprete respondetur, in primis neminem teneri ad confessionem per interpretem, vt ait Scotus loco citato ad tertium principale: quia hæc confessio ex natura sua potest venire in publicum, & sic non est sacramentalis, & hoc maximè verum est, quando timetur interpretem nõ esse secretarium idoneum; & in tali casu si non possit alio modo confiteri, Ad quartã. De confessione p interpretem.

inquit

inquit Scotus, confiteatur Deo cum proposito confitendi confessori idoneo opportunitate oblata: est enim in tali casu ac si non habeat copiam confessoris. Secũdò dico, quòd confessio per interpretem est secreta, quia interpres tenetur ad sigillum sicut sacerdos: vndè aliud est loqui de confessione secreta per interpretem, & aliud de confessione facta pluribus, & non per modum interpretis. Tandem dici potest, quòd confessio per interpretem ex natura sua, non est sacramentalis, nec pœnitẽtialis, vt ait Scotus: ideò sacerdos non absoluit pęnitentem in hoc casu, vt minister sacramenti, sed vt iudex, & minister publicus in foro exteriori. Dictum est enim ecclesiæ datam esse potestatem absoluendi in vtroque foro, & illa absolutio valet etiam in cœlis sicut sacramentalis.

De confitẽtibus publicè in periculo mortis.

25 Et per hoc respõdetur ad alium casum de pluribus existentibus in naufragio, vel loco, ob pestem obsignato, qui non possunt confiteri secretè.

26 Ad hunc enim casum dicendum puto confessionẽ, quidem illam valere, & absolutionem similiter: tamen non esse sacramentalem. Secunda pars patet, quia confessio illa non est secreta. Prima pars verò probatur, quia sacerdos tunc temporis absoluit ea auctoritate, qua absolueret habens auctoritatem in foro publico. Dum enim admittitur ab Episcopo, vel à Prælato, ad quem spectat, ad confessionem administrandam implicitè etiam dat auctoritatem absoluendi in foro publico, si à peccatore corã ipso publicè peccata deferantur; & proinde hæc confessio non est sacramentalis.

Ad obiectionẽ ex Soto.

27 Et per hoc patet ad obiectionẽ, quam facit Soto loco vltimo in 4. dist. 18. q. 2. art. vltimo, vbi inquit rationẽ Scoti probantem confessionem factam per literas non esse validã: quia ex natura sua non est secreta: quoniã esse secretam non est de essentia cõfessionis: quia inquit siquis alta voce confiteatur, vt circunstantes audirẽt, adhuc esset valida confessio. Respondetur enim, quòd confessio esset quidem valida, sed non esset sacramẽtalis, quia per auctoritatem sacerdotis, qua etiam peccata in alio foro remitti potest, in hoc casu dimitterent. Ad tertium casum dicitur, vt suprà, quòd talis confessio est publica, & ideò peccata in illa remittuntur, sicut in publica confessione, quæ fit in foro exteriori, non est autem sacramentalis, vt dictum est.

Ad tertiũ casũ de pęnitente, & confessore petentibus cõsultorẽ.

An confessio fieri debeat voce humana: ac alijs nonnullis conditionibus, & an absolutio dari possit absenti. Caput Secundum.

Opinio D. Thomæ.

28 D. Tho. in 4. dist. 17. quest. 3. art. 4. quæstiuncula tertia dixit, quòd confessio, quatenus est actus virtutis, potest fieri scripto, & per internuntium: quia potest peccator per literas conscientiam suam aperire amico, vt consilium, vel auxilium capiat. At loquendo de confessione, vt est actus sacramenti, inquit esse faciendam voce humana, & verbis: quia hic actus est determinata materia huius sacramenti sicuti aequa baptismi. Secundò confirmatur, quia in Concilio Florentino in Decreto Eug. dicitur materiam huius sacramenti esse confessionem oris. Tertiò confirmatur, quia dictum est suprà, quod absolutio in hoc sacramento debet ore, & verbis fieri: quia in Cõcilio Florentino dicitur formam in hoc sacro pœnit. esse verba sacerdotis; ergo cum ex eodem Conc. materia confess. sint actus pœnitentis, confessio debet fieri verbis, & voce humana. Quartò, quia materia sacramenti debet esse certa, & expressè significare: hoc autem tantùm competere potest voci, & verbis humanis; ergo.

1. Ratio.

2. Ratio.

3. Ratio.

4. Ratio.

Reijcitur.

29 Hæc opinio quò ad primam partem, licèt possit sustineri, quia talis confessio non est prohibita, tamen nõ est tuta, nec videtur posse esse fructuosa: quia aperire peccata sua, & præsertim turpia, & grauia, etiam amico, possunt parere multa mala præter infamiam, quam statim secum afferunt: ideò dicebamus suprà loquendo de confessione facta laico, satius esse in tali casu proponere amico, & prudenti peccata in tertia persona. Sic enim commodè potest recipere auxilium, & consilium necessarium.

Quò ad secundã partẽ reijcitur.

30 Quò ad secundam partem verò reijcitur communiter etiam à Thomistis, vt patet apud Soto in 4. dist. 18. q. 2. art. 6. in responsione ad tertium principale. Et ipse D. Tho. quolib. 1. quæst. 10. oppositum docet, scilicet nõ esse absolutè, & simpliciter necessarium confessionem fieri voce, & verbis; sed posse fieri nutibus, & signis, quæ possunt esse nota sacerdoti, quam sñiam approbat præsertim Scotus, vbi suprà ad 3. & est vsu recepta in ecclesia, & hæc potest esse prima ratio.

Scotus opinio.

1. Ratio.

2. Ratio.

31 Secunda aũt ratio principalis est, quia vnusquisque existens in peccato mortali tenetur ad hoc præceptum, vt cõfiteatur sua peccata sacerdoti idoneo, vt suprà diximus: at qui non potest voce, & verbis suum conceptum exprimere, potest autem signis illum exprimere, vt mutus, potest hoc pręceptum adimplere explicando peccata sua per nutus, & signa nota sacerdoti; ergo ad talem confessionem tenetur; ergo confessio hęc per nutus, & signa est materia sufficiens huius sacramenti.

3. Ratio.

Tandem confirmatur, quia hoc sacramentum est institutum, vt remedium maximè necessarium ad dimittenda peccata; ergo non debuit limitari pręcisè ad signum illud, quod sæpè in articulo mortis deest. Sæpè enim aliquis cõstitutus in articulo mortis habet sensum, & discursum, sed non potest loqui; potest tamen nutibus manifestare conceptum suum; ergo non est dicendum confessionem sacramentalem arctari ad vocem humanam.

An ex præcepto ecclesiæ ore proprio cõfessio fieri debeat.

Opin. Suarez.

32 Sed postquam ex intrinseca necessitate confessionis, non est necessarium eam fieri verbis, & voce humana, est ne saltem necessaria ratione præcepti? Suarez eadem disp. 21. sect. 3. dicit propter Ecclesiæ consuetudinem non esse licitum prætermittere oris confessionem, & eum peccare mortaliter, qui prætermissa voce humana, alijs signis ad confitendum vtitur: hoc tamen licere interueniẽte rationabili causa, quam dicit esse non solùm in potentiam absolutam, vt in muto, de qua non est dubiũ, sed magna difficultas, aut nimia verecundia.

Opi. Soto.

33 Soto verò dist. illa 18. quæst. 2. art. 6. ad secundum principale recitata opinione D. Tho. qui quolib. 1. quæst. 1. dicit confessionem oris necessariam esse in eo, qui potest, ex præcepto ecclesiæ, eam reijcit: quia ex Can. inquit, non habetur, & subiungit, quod excluso contemptu si peccata esent explicatu faciliora, non eset peccatum mortale, sed veniale, graue tamen, quia legitimus vsus tũc omitteretur, neque adeset erubescentia tanta, quanta si ore confiteretur.

Opin. auctoris.

1. Ratio.

34 Cæterùm ego puto adese præceptum diuinum, quod ex institutione desumitur, hoc enim apertè habetur cap. *Quem pœnitet*, de pœnitentia dist. 1. vbi habentur, hæc verba. *Præcepit enim Dominus mundandis, vt ostenderẽt ora sacerdotibus docens corporali præsentia confitenda peccata non per nuntium, non per scriptum manifestanda. dixit enim, ora mostrate, & omnes, non vnus pro omnibus.* Habemus ergo ex hoc Can. ese præceptum diuinum facere confessionem ore, nec erubescentiam excusare, sola ergo impossibilitas excusat, loco cuius sufficiunt nutus, quòd si illa quoque desinit, excusantur ab hoc præcepto.

Confirmatur.

35 Hoc idem confirmatur ex dictis suprà. Hæc enim confessio ex sua natura habet pro materia actus pœnitentis, præsertim confessionem: hæc autem secundũ vsum ordinarium fit voce humana; ergo ex intrinseca sua ratione requirit confessionem modo humano, si impossibilitas nõ impediat. Neque erubescentia excusat, vt in eodem Can. habetur. *Erubescentia enim victa timore offensi, fit venia criminis*. Neque aliqua rationabilis causa occurrere potest, qua quis coram sacerdote omittere possit oris confessionem, & vti alijs signis: quod si quis habet difficultatem loquendi, vt quia balbutit, potest verba nutibus adiuuare, vt sufficienter possit confessarius intelligere conceptum pœnitentis: in hoc enim casu non requiritur sicut nec etiã in muto exquisita diligentia, sed sufficit ea, quam iudiciò pruden-

pruderitom præstare potest, vt docet Soto ibidem, & rectè in hoc contra Caietanum de confessione nutu. Confessio autem per litteras ad absentem iam reijciendam esse, suprà diximus: ideò ego non video adesse posse vllam rationabilem causam omittendi verba, & vocem humanam excepta impotentia.

36 Hanc sententiam videntur communiter supponere Theologi, vt Alensis 4.p.q.18.m.4. art.vlt. Richardus d.17. art. 2. q.4. ad 4. qui citat Magistrum in eadem dist. cap.4. Scotus vbi suprà in solutione argumentorum, dum dicit, non esse licitum confiteri præscriptum, & eum, qui non potest loqui, vt mutus, debere confiteri per signa, & cæteri recentiores, & hoc idem probatur per rationes suprà adductas in principio huius capituli: illæ enim non probant confessionem vocalem esse necessariam simpliciter ex institutione Sacramenti, itaquòd nutus, & alia signa excludantur absolutè, & nullo modo, neque etiam in causa impotentiæ sufficiant, sed probant esse necessaria ratione præcepti inclusi in institutione via ordinaria, & exclusa impotentia.

Ad rōnes I princ. huius capitis adductas.

37 Sed dubium est, an aliquo modo confessio fieri possit scripto, & nutibus etiam ab eo, qui potest loqui, & vti voce humana? Respondetur posse fieri scripto in præsentia Sacerdotis, non in absentia: hoc autem duobus modis fieri potest: vno modo, vt pœnitens scriptum tradat Sacerdoti, qui legat, pœnitente nihil affirmante, nec voce, nec signis, seu nutibus; & hunc modum inualidum ait esse Soto eodem art.6. quia pœnitens per huiusmodi scriptum nihil affirmat, & proinde hæc non est accusatio, sed est necesse, vt accedant, vel nutus, vel voces affirmantes se illa peccata, quæ Sacerdos scripta legit, comisisse. Cæterùm hoc eget explicatione; ideò dico, quòd si pœnitens det illam scripturam Sacerdoti absolutè, absque eo, quòd illi innuat in schedula illa contineri peccata sua, de quibus cupit humiliter absolui, nec denique significet Sacerdoti se illam scripturam illi offerre pro confessione suorum peccatorum, & expectare absolutionem, & pœnitentiam, proculdubio hoc assertum Soto est verum, nam simplex oblatio scripturæ, in qua sunt scripta peccata, non est confessio.

38 At si pœnitens accedens ad locum confessionis, & exponens se velle cōfiteri cōfessori, & hęc sua peccata scripta in tali scriptura, q̄ ei offert, & ipse humiliter expectat absolutionem, puto hanc confessionem esse validam. Hęc enim est accusatio sufficiens, & est actus personalis: quia adest præsens, & iam à principio significauit se illa peccata fecisse. Hic tamen modus non debet facilè in praxi admitti, quia debemus vti materia magis propria, quæ est vox humana, cum fieri potest. Ideò est secundus modus, quòd pœnitens ipse legat sua peccata in scriptura coram sacerdote audiente, & intelligente illa: & hic modus seruatur in praxi, & Scotus eum approbat, & ipsemet Soto ibidem.

Obiectio Soto cōtra Scotum.

39 Sed Scotus hunc modum confitendi per scripturā probare videtur per caput illud *Qualis*. 30. quęst. 5. vbi dicitur, quòd *pœnitentia* &c. *per scripturam est recipienda*. Sed hoc impugnatur à Soto, quia in eo cap. non est sermo de pœnitentia sacramentali, quæ est confessio, sed sermo ibi est de pœnitentia imposita vxori adulteræ, qua pacta, si per scripturam de ea constiterit, poterit viro reconciliari. Cęterùm hæc obiectio est nulla: quia Scotus non vtitur illo Can. ad probationem suæ assertionis, sed vtitur Glossa Ioan. And. qui super illud caput, dicit, quòd quando confitens per scripturas est pręsens, valet confessio, non quando est absens: ideò Soto malè intelligere voluit Scotum: est enim clarus. Est ergo certum hunc modum confitendi per scriptum corā sacerdote, ipsa peccata legendo, ne memoria aliqua excidant, esse licitum.

Diluitur.

An mutus scribere sciēs teneatur confiteri scripto.

40 Sed dubium est, an mutus scribere sciens teneatur ad confiteri scripto? Respondetur cum Scoto, & Soto ibidem, quòd nō tenetur, quia scriptura de se est patula: ideò talis confessio non est secreta, & sic non est sacramentalis, quòd etiam affirmauimus de confessione per interpretem facta: tamen si fiat, valet, non, quia sit sacramentalis, sed quia sacerdos in tali casu absoluit eum in foro publico, in quo in illo casu habet auctoritatem, vt suprà diximus.

An in confessione requiratur aliquis ritus

41 Solet verò dubitari, an in confessione requiratur aliquis ritus: & breuiter est dicendum cum omnibus, q̄ nec quò ad essentiam, nec quò ad pręceptum est necessarius aliquis determinatus ritus, sed sufficit solùm accusatio peccatorum decens, & humilis, cum alijs conditionib. quas suprà diximus esse necessarias simpliciter. s. cum attritione, vel contritione, cum proposito abstinendi in posterum, & intentione parendi confessario. Vndè olim, vt refert Marianus Vict. lib. de confess. pœnitens confitebatur prostratus in terra, nunc verò regulariter fit flexis genibus, & pręmitti solet generalis confessio: neutrum tamē est simpliciter necessarium.

An absolutio dari possit absenti.

42 Est aliud dubium, an absolutio possit dari absenti. In hoc dubio aliquando Suarez sensit absolutionem posse dari absenti, quia sustinebat confessionem quoque posse fieri absenti, vt patet ex eo disp. 21. sect. 3. & 4. quæ postea ablata fuit post Decretum Sāctissimi Domini nostri Papæ Clemen. VIII. de quo suprà cap. pręced. propter qd mutauit sententiam. Qui sequutus fuit opinionem multorum, quos disp. 19. sect. 3. refert, & reijcit. Omnes ergo ij, qui sustinebant confessionem posse fieri per litteras absenti, dicebant quoque absolutionem posse dari absenti. In hanc autem sententiam ab eo citātur multi, pręsertim Paludanus in 4. dis. 17. q. 5. Antoninus 3. p. tit. 14. cap. 19. §. 9. Syluest. verbo *Confessor* 4. num. 6. & alij Summistæ. Citat autem multos, qui hoc non tenent, pręsertim Alensem, & Richardum, qui oppositum omninò docēt, vt diximus suprà, & est videre apud eos. Eam autem tenet acriter Nauarrus in Summa, cap. 21. num. 56. & in cap. *Quem pœnitet*, de pęnit. d. 5.

43 Pro hac sententia affertur auctoritas ex D. Cypriano Epist. 17. vbi significat se recepisse cōfessionem aliquorum absentium per scripturam; ergo colligitur ei iniunxisse absolutionem per scripturam, quia confessio ordinatur ad absolutionem. 1. Ratio.

44 Secundò refert Scotus D. Thom. Cantuariensem in carcere detentum misisse Romam pro absolutione; ergo licet absoluere absentem. 2. Ratio.

45 Tertiò in Concilio Basiliensi referente D. Anton. vbi suprà, cum quæsitum esset quid faciat sacerdos, qui sine iurisdictione audit confessionem, & absoluit pœnitentem: responderunt multi posse illum sacerdotem petere facultatem, & postea absoluere absentem; ergo absolutio potest dari absenti. 3. Ratio.

46 Quartò adest ratio, quia hoc sacramentum est necessarium maximè ad salutem: & aliquando potest accidere casus, quòd non possit haberi pręsens sacerdos, vt qui est carcere detentus inter infideles, & in similibus; ergo videtur, quòd ex sua institutione possit, & debeat fieri absenti. 4. Ratio.

Opposita sentētia est Scoti, & est vera.

47 Opposita sententia est vera, quæ est Scoti illa d. 17. in responsione ad argumenta principalia, vbi sicuti sustinet confessionem non posse fieri absenti, ita consequenter habet dicere absolutionem non posse fieri absenti: quem posteà sequuti sunt Soto in 4. dist. 18. quæst. 2. ar. 6. Caietanus in Summa, verbo *Confessio*, condit. 11. Toletus lib. 3. Instruct. Sacerd. cap. 6. Greg. de Valentia 3. p. disp. 7. q. 11. & alij. & hoc est certum propter Decretum Clem. VIII. suprà relatum, quò confessionem fieri posse per litteras, apertè damnat.

48 Rationes nonnullas quas collegit ex alijs, adducit Suarez pro hac opinione. Primò, quia in forma dicitur, *absoluo te*, quæ absolutio de rigore dirigitur ad personam præsentem: loquutio enim humana natura sua fit præsenti non absenti. Confessio autem debet fieri voce humana, vt suprà dictum est. Confirmatur, quia illa particula, *te*, quæ ponitur in absolutione, est essentialis in hac forma, vt 1. Ratio ex alijs ad propositā assertionem. 2. Ratio.

patet

patet ex vsu ecclesiæ, & Concilijs determinantibus formam in hoc sacramento consistere in illis verbis, *Absoluo te.* Illa autem ex sua vi requirunt præsentiam corporalem; ergo.

3. Ratio.

Tertiò hoc sacramentum est institutum per modum iudicij; est autem iudicium internũ, in quo reus est accusator, & testis, & reus: hoc autem iudicium ex natura sua requirit iudicem præsentẽ; ergo requirit præsentiam pœnitentis.

4. Ratio.

Quartò probatur ab incommodis, quę sequuntur, quia sequeretur, quòd confessio facta per literas nunc inter absentes, nulla necessitate intercedente, esset valida quò ad essentiam. Consequens autem est absurdum, etiam secundùm aduersarios. Consequentia patet, quia si absolutio non requirit essentialiter præsentiam pęnitentis, quacumque ratione feratur in absentem, erit valida. Quòd si quis dicat ex parte absolutionis non procedere, sed posse esse defectum ex parte pœnitentis, propter quem esset nulla: quia faciendo cõfessionem hoc modo, sine causa peccaret mortaliter: & sic non esset attritus, & ideò absolutio nulla. Sed contrà, quia si pœnitens deceptus à confessario faceret confessionem bona fide, esset ex se benè dispositus: malitia .n. confessoris non potest impedire essentialem effectum sacramenti, dummodo habeat intentionem ministrandi sacramentum.

5. Ratio.

49 Quintò dum literæ mittuntur confessionis, & absolutionis absentis ad absentem potest contingere, quòd pęnitens mutetur à bono proposito in malum, vel aliud peccatum mortale faciat, & sic non esset in statu, quo absolutio illa valeat.

Rationes istas, nõ cõcludere, sed solũ rationẽ Scoti

50 Cęterùm nulla istarum rationum cogit, sed ea sola, quam adducit Scotus, scilicet quia confessio sacramentalis ex sua institutione est secreta: & ideò requirit modum confitendi secretum, qui non potest haberi nisi per auricularem confessionem, quæ requirit præsentiam pœnitentis, vt suprà visum est. Rationes autem, quæ adductæ sunt ab aduersarijs contra hanc Scoti opinionem nimirũ, quòd confessionem esse secretam, est de essentia cõfessionis, ibi solutæ sunt, & opinio hęc validissimis rationibus cõprobata est.

Ad primã.

51 Ideò ad primam istarum dicerent aduersarij eam concludere eum modum per vocem humanam esse ordinarium, non tamen esse essentialem modum. Vndè conceditur per signa, nutus, & interpretem fieri posse. Præterea ex ipso Suarez disp. 19. sect. 1. num. 24. hæc forma est valida. *Absoluatur Petrus*, sicut illa, *baptizetur seruus Christi.* At in hac forma non ponitur illud verbum, *te*, quod significare videtur præsentiam sacerdotis, & pœnitentis, sed absolutè significat absolutionem fieri super persona Petri, absque vllo respectu ad præsentiam: quare falsum est absolutionem factã voce humana semper fieri ad præsentem: sæpè enim absentes absoluuntur: vndè hoc fundamentum est nullius momenti.

Ad secundam.

Et per idem reijcitur secunda ratio, quia illud verbum, *te*, non est necessariũ materialiter, sed quò ad sensum, etiam secundùm eos, & communiter: vnde valet dicta absolutio, *Absoluatur Petrus*, quia in sensu æquiualet.

Ad tertiã.

Tertia ratio facit pro nobis, quia hoc sacramentum est institutum per modum iudicij: at non quocunque modo, sed secreto: nam quò ad peccata publica, vel non secreta instituit Dominus aliud forum. *Dic ecclesiæ*, Matth. 18. ergo de essentia confessionis sacramentalis est, quòd sit secreta; & publica non est sacramentalis licèt sit valida: quia fit in alio foro.

Ad quartã.

Quarta ratio apud aduersarios non est vllius momenti, quia concederent, cõfessionem factam bona fide esse validam ex parte pœnitentis.

Ad quintã.

Quinta autem, in qua facit vim Soto, nihil valet: quia etiam in confessione facta coram confessario posset pœnitens ante absolutionem mutare bonum propositum, & determinare velle aliquod peccatum committere, & tũc absolutio data esset nulla; cum ergo hoc incommodum sequi possit etiam in confessione auriculari, & facta in præsentia, inde non sumitur efficax argumentum, vt confessio non possit fieri absenti, & ab absente recipere absolutionem.

Ratio efficax quæ.

52 Ratio ergo efficax est ea sola, quam Scotus adducit, scilicet quia confessio sacramentalis ex sua institutione est secreta: ideò debet esse auricularis, vt capite præcedenti probatum est.

Confirmatur auctoritate D. Leonis.

Quod confirmare possumus auctoritate D. Leonis Papæ Primi in epistola 78. in Tomis Conciliorum quæ est ad vniuersos Episcopos per Campaniam, Samnium, & Picenum cõstitutos, in qua dicit confessionẽ publicam peccatorum esse contra regulam Apostolicam; & prohibet consuetudinem illam qua confessio peccatorum libello scripta publicabatur. Verba illius epistolę cap. 2. sunt. *Illam etiam contra Apostolicam regulam præsumptionem, quam nuper agnoui à quibusdam illicita vsurpatione committi modis omnibus constituo submoueri (de pænitẽtia videlicet, quæ ita à fidelibus postulatur) ne de singulorũ peccatorũ genere libellus scripta professio publicè recitetur, cum reatus conscientiarum sufficiat solis sacerdotibus confiteri confessione secreta. Quamuis enim plenitudo fidei videatur esse laudabilis, quæ propter Dei timorem apud homines erubescere non veretur: tamen quia non omnium huiusmodi sunt peccata, vt ea, quæ pænitentiam possunt, non timeant publicare, remoueatur tam improbabilis consuetudo: ne multi à pænitentiæ remedijs arceantur, dum aut erubescunt, aut metuunt inimicis suis sua facta reserare, quibus possunt legum constitutione percelli. Sufficit enim illa confessio, quæ primum Deo offertur, tum etiam sacerdoti, qui pro delictis pænitentium precator, accedit.* Ex hac epistola habetur inprimis consuetudinem publicè confitendi esse contra regulam Apostolicam, & esse vsurpationem illicitam eam à fidelibus petere: & confessionem secretam appellari sacramentalem. Habetur etiam confessionem publicam peccatorum laudabilem videri, propter magnam fidem pœnitentis, qui propter Deum non veretur apud homines erubescere: tum esse improbabilem consuetudinem sic confiteri. Ex quibus colligitur, non esse verisimile hanc consuetudinem improbabilem includi in præcepto confessionis, quod habetur ex institutione sacramenti pœnitentiæ. Si autem præceptum confessionis extenderetur ad confessionem in communi ad publicam, & secretam, sequeretur in casu quo secreta haberi non posset, ad publicam, si haberi posset, teneri: quod est contra nunc dicta.

Ad primã rationẽ pro prima opinione.

53 Hinc ad rationes pro prima opinione, quæ desumitur ex epistola D. Cypriani, respondetur ibi Cyprianum loqui, non de confessione sacramentali, sed de satisfactione, & reconciliatione publica, & absolutione ab aliqua pęna, vel pœnitentia publica, vt diximus suprà, an confessio laico facienda sit.

Ad secũdã de D. Th. Cãtuariẽsi

54 Ad secundam de D. Th. Cantuariense, respõdetur illud, quod legitur de ipso esse valdè obscurum: non enim apparet, vbi hæc historia habeatur, ex qua dignosci possit, an illa historia sit vera an non: & si sit vera, an fuerit absolutio à peccatis, vel ab aliqua censura, an potius, quod credibilius est, de tàm sancto viro, miserit Romam pro aliqua benedictione, seu indulgentia plenaria, cuius collatio optimè potest intelligi absolutio, vt patebit agendo de indulgentijs. Vnde Scotus, etsi illud factum adducat, & hoc factum legi dicat: tamen non esse autenticum insinuat, dũ ait, esse contra rationem confessionis.

Ad tertiã.

55 Ad tertiam fusè respondebimus agendo de obligationibus ministri huius sacramenti pro nunc cum communiori sententia dicendum est, nequaquam absolutionem dandam eẽ absenti in illo casu: quia posset contingere, quod ille non esset in statu, quo posset recipere gratiã absolutionis, sed sacerdos debet quærere occasionem, si potest sine scandalo, vt ille iterum sibi confiteatur de peccatis post primam confessionem confessis, & interrogare de peccatis de quibus non habuit auctoritatem absoluendi, si illa aliàs confessus est, & doleat de illis: tunc enim potest illum de eis absoluere: si verò adsit scãdalum magnũ, vel incommodum graue ipsius sacerdotis, non obligatur ad admonendum pęnitentem. Ratio est, quia iam peccatum est illi dimissum per illam confessionem indirectè; nec ipse pęnitens debet illam confessionem reiterare, nisi

veni-

veniret in cognitionem, quòd sacerdos ille non habebat auctoritatem absoluendi ab illo casu. Vnde error, vel malitia sacerdotis illi non multum obest: ipse verò sacerdos tenetur facere pœnitentiam de hoc peccato. Præterea quantum spectat ad præsentem casum, sustinendo cum D. Antonino 3. p. tit. 17. cap. 12. & cum Nauarro in Manual. cap. 29. num. 14. quod possit huiusmodi penitens absolui in absentia, nõ facit quidquam pro aduersarijs: quia iam penitens in eo casu fecit confessionem coram sacerdote, & secretè: aliud autem est loqui de eo, qui confitetur absenti per litteras & internuntium, & ab eodem absente petit absolutionem: & aliud de eo, qui in præsentia, & secretè confessus est: & tamen propter defectum auctoritatis in absoluente, non fuit absolutus. In hoc enim casu potest dari absolutio absenti secundùm illam opin. non autem in priori, quia non est par ratio.

Quo absolutio dari possit obtenti.

Ad quartũ.

56 Ad quartam respondetur, quòd etsi hoc sacramentum sit valde necessarium: tamen non potest ministrari nisi debito modo, quo institutum est; sicuti nec baptismus potest sine aqua naturali ministrari, & tamen potest contingere, quòd aliquis vellet baptizari, nec habeat aquam, vel ministrum; sicut ergo in illo casu sufficit baptismus flaminis, sine pœnitentiæ: ita in hoc casu sufficit contritio, cum quis copiam sacerdotis præsentis non habet.

Quanta propinquitas requiratur inter sacerdotẽ, & pęnitentẽ.

57 Quanta verò debeat esse præsentia, seu propinquitas inter confessarium, & pœnitentem, breuiter respondetur illam sufficere, quæ prudenti iudicio ad confessionẽ secretam est idonea: in qua cęterę animaduersiones sunt prudenter attendendæ, quę ad hoc sacramentum decent: pręsertim cum mulieribus, de quibus ex praxi pręlatorum Ecclesię per certos cancellos satis est prouisum pro qualitate personarum. Reliquæ conditiones confessionis agendo de integritate eius explicatæ sunt satis: & infrà, agendo de obligationibus ministri, quę desunt, explicabuntur.

DISPVTATIO XXX.

Quid circa præceptum Confessionis explicatum sit ab Ecclesia.

Quid significauit Ecclesia, quantum ad quis, & quantum ad quæ. Caput Primum.

1 EXplicauimus hucusque ea, quæ pertinent ad hoc sacramentum pœnitentiæ; nunc ad complementum eorum, quæ pertinent ad cognitionem ipsius, videndum est quid sit explicatum circa hoc sacramentum ex præcepto Ecclesiæ; quòd facit Scotus in hac d. 17. q. 1. art. 3. nos autem addemus ea, quæ per Concilium Tridentinum præsertim determinata sunt.

Ecclesia pt facere pręcepta circa sacramẽta.

2 In primis ergo statuendum est vt certum, Ecclesiam posse statuere, & facere præceptum circa confessionem, licèt enim Durandus in 4. d. 17. q. 14. dubitauerit motus hac ratione: quia confessio est res occulta, ideo videtur se habere, vt actus internus. Certum est autem Ecclesiam non posse facere aliquam ordinationem, & præceptum circa actus internos: Tamen hęc ratio est nullius momenti: quia confessio est actus externus, licèt sit occultus, & secretus, non autem est internus: ideò ex sua natura potest cadere sub præcepto Ecclesiæ. Quòd autem in Ecclesia sit potestas faciendi præcepta circa confessionem, probatur ex communibus principijs fidei, scilicet, ex suprema potestate tradita à Christo Domino Petro. *Pasce oues meas, & tibi dabo claues regni Cœlorum*, &c. quæ principia eadem q. n. 5. concedit quoque Durandus, & ex traditione, & vsu Ecclesiæ: nam licèt Christus Dominus instituerit sacramenta, & præceperit vsum ipsorum; tum non definiuit omnes circunstantias, vt tempus, locum, modũ, &c. sed hæc reliquit in potestate Ecclesiæ: quia sæpè oportet pro tempore, & loco facere mutationem. Quòd colligitur ex varijs Decretis Pontificum, varijs temporibus editis, vt infra videbimus agendo de circũstantia temporis, quò hoc sacramentum cadit sub præcepto ex decreto Ecclesiæ; hoc Scotus d. 17. q. 1. art. 3. supponit vt verum, & quęrit, quò ad quid Ecclesia præceptum diuinum de confessione specificauerit, & reliqui Scholastici idem quoque vt verum supponunt.

3 Hoc ergo supposito respondit Scotus, quòd Ecclesia specificauit præceptum illud quantum ad aliqua, & quantum ad aliqua non specificauit. Principalis autem specificatio habetur in capitulo *Omnes vtriusque sexus*, de pœn. & remiss. In hoc ergo loco adest specificatio quantum ad primum. s. quò ad quis, sub his verbis. *Omnes vtriusque sexus fideles postquam ad annos discretionis peruenerunt*, &c. *omnia peccata confiteantur saltem semel in anno proprio sacerdoti*, per quæ verba significatur omnem adultum teneri ad confessionem faciendam. Hoc autem præceptum extendi tantùm ad fideles est clarum: nam primò expressè ponitur in hoc cap. *Fideles* vtriusque sexus obligari ad hoc præceptum. Deinde certum est Ecclesiam non curare de his, quæ foris sunt. Per adultum autem intelligitur nõ qui est tantæ vel tantæ ætatis; sed qui habet ætatem ad cognoscendum quid sit iustum, & quod iniustum, & contra legem Dei, vt dictum est suprà explicando quis teneatur ad hoc præceptum de iure diuino. Adiungẽdum verò est hic, hoc rationabiliter sustineri, quia vt loco citato diximus, hoc præceptum Ecclesię est declaratiuum præcepti diuini: at adulti in sensu explicato intellecti obligantur præcepto diuino; ergo humano, seu Ecclesiastico. Pręterea possunt obligari alijs præceptis Ecclesiæ, vt ad audiẽdum Missam, abstineri à carnibus diebus prohibitis, & similibus; ergo & ad præceptum confessionis. Et confirmatur, quia *extra de delictis puerorum*, cap. 1. habetur, quòd pueri ante 14. annum possunt multa peccata committere, vt furta, mendacia, & periuria. Immò his esse plenam ætatẽ puerilem. Cum ergo sint capaces vsus rationis, sine quo nullum potest committi peccatum, sequitur eos quoque posse obligari legibus Ecclesiasticis: nam tamen, vt in eodem cap. & sequenti dicitur, debent eadem pœna puniri, qua maiores, & prouectæ ætatis. Vndè propter hoc communiter Doct. eos excusant à pęnis propter peccata in hac ætate cõmissa. Ex quo sequitur ipsos obligari quò ad vim directiuam, licèt non quò ad vim coerciuam; & pręsertim hoc locum habet in pęnis inflictis communiter cõtra eos, qui semel in anno non confitentur peccata sua, quæ solent esse excommunicatio, & priuatio sepulturæ Ecclesiasticæ, licèt à iure communi nullæ sint impositæ actu, & ipso facto, sed tantùm continentur, vt patet in d. cap. *Omnes vtriusque sexus*, vbi dicitur, vt arceantur ab ingressu Ecclesiæ, & priuentur sepultura, & proinde requiratur declaratio p sententiam iudicis ad hoc, vt quis incurrat eas pœnas: tamen ex consuetudine in quibusdam Episcopatibus adiungi solet pœna excommunicationis ipso facto incurrenda. Cum ergo istæ sint satis graues pœnæ, excusantur pueri ab his pœnis, & similibus, & benignè interpretantur hanc legem, *Omnes vtriusque sexus*, vt obliget solùm quò ad vim directiuam, & sic peccant trasgrediendo ipsam: non autẽ obliget quò ad vim coerciuã, & sic excusantur à pęnis.

Principalis specificatio ecclesię circa hoc præceptũ.

Hoc præcepto obligãtur tantum fideles.

Quid sit adultus.

4 Quod si quis objiciat pueri, non obligantur pręcepto Eucharistiæ ante annos pubertatis, licèt sint doli capaces; ergo non debent obligari quoque præcepto ad confessionem faciendam. Respondetur non esse parem rationem de Eucharistia, & sacramento Pœnitentiæ, seù Confessionis: nam sacramentum Eucharistię non est tantæ necessitatis, quantæ est sacramentum pęnitentiæ: ideò non adest tanta necessitas, vt habens annos discretionis obligetur ad vnum sicut ad alterum: neq. tanta reuerẽtia debetur sacramento pęnitentię quãta sacramento Eucharistię: ideò rationabiliter introductum est, vt pueri non statim cũ habent vsum rationis admittantur ad sacramentum Eucharistiæ, sed cum maturiores sunt, vt intelligant quãtæ dignitatis sit sacramentum Eucharistiæ. Et hic vsus introductus est iudicio confessorum prudentum, quibus remittitur cognitio

Pueri cur non statim admittãtur ad suscipiẽdum sacramentũ Eucharistiæ.

gnitio diſcretionis habendæ in hoc ſacramento ſumendo à Pontifice in illo cap. *Omnes vtriuſque ſexus*. Dũ dicit, *niſi ex conſilio confeſſoris*, duxerit differendum.

An Papa obliget ad cõfeſſionẽ annuam.

5 Eſt commune dubium, an Pontifex teneatur præcepto annuæ confeſſionis, ſed breuiter ſoluitur ex doctrina communiter tradita, circa illam quæſt. an Princeps teneatur ad legem à ſe latam obſeruandum. De qua D. Th. p. 2. quæſt. 96. ar. 5. & Theologi in materia de legibus, Scotus, vt ſuprà vidimus in hoc 4. diſt. 17. quæſt. 1. art. 1. tenet præceptum eccleſiaſticum non obligare Papã: ex eo enim probat, præceptum confeſſionis non eſſe eccleſiaſticum, quia tunc Papa ad illud non obligaretur. Reſpondetur ergo communem Doctrinam eſſe, ſuperiorem non obligari ad legem latam à ſemetipſo, quò ad vim coerciuam: quia cum non habeat ſuprà ſe ſuperiorem non poteſt ab aliquo cogi ad obſeruationem legis latæ: & conſequenter non obligatur ad pęnas inflictas tranſgreſſioni legis: quia nullus eſt, qui illas, ei infligere poſſit, cum non habeat ſuperiorem, qui illas ei infligat, & ſic Papa non ſubijcitur pęnis impoſitis tranſgreſſoribus huius præcepti, neque Concilio Generali confirmato ab ipſo Papa: nec præcepto lato à Papa ipſo: quia par in parem non habet poteſtatem: nec ipſe ſibi poteſt poteſtate ligare; ſed loquendo de vi directiua obligatur: ideò peccaret traſgrediendo hoc præceptum, & legem. Quantum enim ad hanc vim ſubditur ipſe Princeps legi. Iuxta illud ſuprà dictum. *Patere legem, quam ipſe tuleris*. & iuxta illud Euang. Matth. 23. *Alijs onera grauia imponunt, & ipſi nec digito volunt eam mouere*. De qua re D. Th. vbi ſuprà ad vltimum, Soto de iuſtitia, & iure lib. 1. q. 6. a. 7. & alij in materia de legibus, de quibus ſuo loco.

Qđo ſuperior obligetur ad legẽ latã à ſeipſo.

Explicatio eccleſiæ q̃tũ ad quid.

6 Quantum ad quid, ſeu ad quæ peccata confitendum obligetur (dimiſſa opinione illa, quod hoc præcepto obligentur ſolùm illi, qui habent peccata externa, non autem qui habent ſolùm interna tanquam erronea: quia per hoc præceptum eccleſię determinatur ſolùm præceptum diuinum, quò ad tempus, & non quò ad aliquid aliud. Vnde cum præceptum diuinum ſit de omnibus tam externis, q̃ internis, ſequitur etiam hoc præceptum eccleſiæ eſſe de omnibus tam internis, quàm externis.) Eſt aliqua difficultas.

1. Opinio.

Prima opinio aſſerit pœnitentem teneri ad confitendum peccata mortalia præcisè, ſi illa perpetrauit, non autem venialia: ſi autem non habet peccata mortalia, ſed ſolùm venialia, tenetur confiteri in genere ſe eſſe peccatorem. Hãc opinionem adducit Scotus in hac quæſt. art. 3. & eſt Richardi in hoc 4. diſt. 17. art. 2. quæſt. 4. in reſponſione ad primum, quantum ad primam partem, ſcilicet quod ſi nõ habet mortalia tenetur confiteri venialia, & eandem opinionem tenet D. Bonau. eadem diſt. 17. p. 3. art. 2. quæſt. 1. In eandem ſententiam propendet D. Th. eadem diſt. 17. quæſt. 3. art. 1. Quò ad ſecundam partem verò, ſcilicet quod ſiquis neque habeat conſcientiam peccati venialis adhuc tenetur confiteri in generali ſe eſſe peccatorem, eſt opinio Alenſis 4. p. quæſt. 18. m. 4. art. 1. §. 1. & 2. fundamẽta autem huius opin. ſunt.

1. Ratio.

Primò, quia hoc præceptum eccleſiæ latum in illo cap. *Omnes vtriuſque ſexus*, abſolutè, & ſimpliciter præcipit ab omnibus fidelibus confeſſionem eſſe faciendam; intelligit autem de his, qui poſſunt: at quicunque habet peccatum veniale poteſt confiteri, quia vt ſuprà dictum eſt, venialia ſunt materia ſufficiens confeſſionis, ille etiam, qui non habet conſcientiam peccati mortalis, nec venialis, poteſt confiteri in generali ſe eſſe miſerum peccatorem: quia ſic non dicit aliquid contra conſcientiã: quia non ſe accuſat de aliquo peccato particulari, quod non cõmiſerit; & tamen dicit verum iuxta illud prouerb. 20. *Quis poteſt dicere mundum eſt cor meũ, purus ſum à peccato*. & Io. 1. *Si dixerimus, quod peccatum, non habemus*, &c.

2. Ratio.

7 Secundò oritur hæc obligatio ex æquitate, ſeù ex fine præcepti, qui eſt, vel propter maiorem ſeueritatem, & pp reuerentiam euchariſtiæ ſumendę; vel vt paſtor cognoſcat vultum peccoris ſui.

3. Ratio.

8 Tertiò, quia excommunicantur omnes, qui non cõfitentur ſemel in anno ſine vlla exceptione.

Allata opinio reijcitur à Scoto

9 Scotus vbi ſuprà aduerſus hanc ſententiam inſurgit, & tenet eos tantùm obligari hoc præcepto eccleſię, qui habent peccatum mortale, & nullum aliud: ac eum cæteri omnes Theologi ſequuti ſunt poſtea, vt Maior eadẽ diſt. q. 2. Almainus quæſt. 1. art. 6. Gab. quæſt. 1. art. 2. Soto d. 18. quęſt. 1. art. 3. Suarez qui plures alios citat diſp. 36. ſect. 2. Prima ratio Scoti eſt hæc.

1. Ratio Scoti.

Cum dicitur in illo cap. *Omnes vtriuſque ſexus confiteantur omnia peccata ſua*, vel ibi per, *peccata ſua omnia*, ſit diſtributio de peccatis venialibus, vel non. Si ſic, itaquòd ibi comprehendantur etiam peccata venialia, ſequitur omnes obligari ad confitẽdum peccata venialia, ſiue habeant peccata mortalia, ſiue non: & ita falſum eſt primum membrum opinionis allatæ, ꝗ qui habet peccata mortalia, & venialia teneatur præcisè ad confitendum mortalia, non venialia: quia ſic non confiteretur omnia peccata ſua, vt continet præceptum. Si verò ibi non fiat diſtributio de peccatis venialibus, ſequitur, quod habens tantùm venialia non teneatur ad confeſſionem: quia venialia non cadunt ſub præcepto illo. Inuoluit ergo repugnantiam dicere, quod iſtę, qui non habet mortalia, teneatur ad confeſſionem venialium: qui nõ habet mortalia teneatur accipiendo ſignificata illorum vocabulorum eodem modo.

2. Ratio.

10 Secundò, ſtãte hac opinione, ſequeretur, quod quicunque committit peccatum mortale, ex illo conſequeretur beneficium, ſcilicet liberationem ab obligatione confitendi venialia, quæ teneretur confiteri, ſi non commiſiſſet peccatum mortale. Conſequens eſt apertè falſum. Cõſequentia verò probatur: nam ponatur caſus, quòd aliquis vixerit ſinè peccato mortali, vſq. ad mediã Quadrageſimã ſi tunc iſte confiteretur, vt adimpleret pręceptum eccleſię, ex opinione hac teneretur ad confitendum venialia peccata, quæ illo uſque commiſit, quia illa ſola habet: ponatur modò, quòd illo eodem die, quo vult cõfiteri, peccet mortaliter, & velit poſt adimplere præceptum eccleſiæ. Sequitur illum amplius, non teneri ad confitendum illa venialia, ad quæ tenebatur, antequam feciſſet peccatum mortale, ſed ſolùm ad hoc mortale vltimò cõmiſſum teneri; ergo ex hoc peccato commiſſo conſequutus eſt abſolutionẽ ab obligatione confitendi venialia. Et ſic conſequẽtia eſt probata.

Opin. Scoti.

11 Propter has rationes ergo reſpondet Scotus, & cũ eo Doct. ſuperiores citati ex ſtatutis eccleſiæ generalibus, & conſequenter ex illo. *Omnes vtriuſque*, &c. nullum teneri ſub præcepto ad confitendum venialia quocũque caſu poſito; & quòd eccleſia, quantum ad hanc conditionẽ, *Quid*, non ſpecificauit pręceptũ diuinũ de confeſſione, ſed eo modo, quo ſimpliciter eſt inſtitutũ à Christo Dño abſque vlla ſpecificatione quantum ad peccata confitenda obſeruat; licet quantum ad alia, vt quò ad miniſtium, & quò ad tempus multas ſpecificationes fecerit, vt poſtea videbimus. Vndè cum Chriſtus Dominus inſtituerit hoc ſacramentum ad delenda mortalia, etiam eccleſia vtitur illo ad delenda mortalia.

12 Probat etiam Scotus eccleſiam rationabiliter non feciſſe ſpecificationẽ circa hoc ſacramentum, quantum ad peccata confitenda.

1. Ratio Scoti.

Primò quia eccleſia vtitur hoc ſacramento tanquam tabula ſecunda contra naufragium: at naufragium non fit propter peccata venialia; ergo rationabiliter eccleſia non ſpecificauit præceptum confeſſionis obligare ad venialia.

2. Ratio.

Secundò. Nullus tenetur ad habendam contritionẽ de peccatis venialibus, immò moriens in veniali peccato, vel in actuali voluntate peccandi venialiter, ſaluabitur, vapulabit tamen: at qui non tenetur ad contritionem de peccato aliquo, neque ad confeſſionem de illo tenetur; ergo. Minor probatur, quia, qui non tenetur ad primam partẽ pęnitentię, neque tenetur ad ſecundam. Contritio autẽ eſt prior confeſſione, & confeſſio ſupponit contritionem, vel attritionẽ de illo: ideò ſi quis non tenetur ad contritionem,

nem, vel attritionem, neque ad confessionem.

3. Ratio. 13 Tertiò. Venialia quandoque totaliter delentur, scilicet quò ad culpam, & pœnam sine aliquo actu speciali, vt suo loco dicemus: vt verbi gratia, per actum feruentem contemplationis in Deum, sicut gutta aquæ consumitur à vehementi flamma; ergo ad delendum peccata venialia non est necessarius actus confessionis, sed agendo opera bona delentur.

Quō sacerdos possit cognoscere vultū pecoris sui. 14 Sed aliquis obijciet, quomodo ergo sacerdos, & pastor cognoscet vultum pecoris sui, si qui non habet peccatum mortale, non tenetur confiteri confessori, nec ei aperire conscientiam suam? Respondet Scotus, sufficere, quod non habens conscientiam peccati mortalis se præsentet tēpore debito proprio sacerdoti, & dicat gratias ago Deo meo, quia post confessionem vltimam non sentio me peccasse mortaliter, date mihi Eucharistiam. Hoc enim modo ita sacerdos cognoscet vultum pecoris sui, ac si omnia peccata venialia eidem confiteretur: cognoscit enim eum esse innocētem, & à peccatis mortalibus liberum, & ideò admittendum esse ad Eucharistiam: tenetur enim credere sic dicenti se esse sine peccato mortali, ac si sola venialia in confessione aperuisset; quia sicut iuxta cap. *Significauit*, extra de off. ord. confiteri pœnitentialiter credendum est omnibus: quia non est verisimile, quòd quis sit immemor suæ salutis: ita eidem est credendum, dicenti se non habere conscientiam peccati mortalis: quia non est verisimile, quòd ille sit immemor salutis suæ: & sic concludendum est, Ecclesiam, quantum ad quid, circa istud præceptum non specificasse.

Ad 1. rōnē aduersariorum. 15 Ad primam rationem pro aduersarijs, respondetur, præceptum illud obligare omnes fideles ad vsum illius sacramenti, qui illo egent, non qui illo non egent; obligare enim eos, qui illo non egent, esset contra præcepti finem: ideò falsa est illa propositio, hoc præceptum obligare illos, qui possunt confiteri. Dicendum est enim obligare eos, qui possunt, & egent confessione propter peccata mortalia commissa.

Ad secundam. 16 Ad secundam respondetur, illam concludere consilium esse confiteri peccata venialia propter maiorem certitudinem, scilicet, ne si fortè haberet aliquod peccatum mortale, & ab illo non cognosceretur esse peccatum mortale, periculo mortis sese objiceret; at si sit certus se non habere peccatum mortale non tenetur, & hæc securitas habet locum. Ad aliud etiā de Eucharistia per idem patet: concludit enim congruitatem, non necessitatem: actus enim ille humiliationis in confessione non est dubium esse bonum, & meritorium ad magis disponere hominem ad susceptionem sacramēti Eucharistiæ. Ad aliud de pastore, qui debet cognoscere vultum pecoris sui, iam dictum est hoc posse fieri sine confessione, sed per solam præsentationem sui ad sacerdotem ei dicendo, se ab vltima confessione peccati mortalis non habere conscientiā.

Ad tertiā. 17 Ad tertiam respondetur, sufficere ad vitandum excomm. se præsentari sacerdoti, vt dictum est. Excommunicantur enim, qui non confitentur, si egent, vel non præsentantur sacerdoti ad patefaciendum statum conscientiæ suæ, vt vultum pecoris sui cognoscat: ideò præcisè ex hoc non elicitur obligatio ad confessionem.

18 Ad illud Ioan. 1. *Si dixerimus, quia peccatum non habemus*, &c. respondetur, concludere nos posse facere humiliationem illam, de qua diximus, scilicet, nos præsentando sacerdoti, & accusare nosmetipsos esse peccatores: at non concludere nos teneri ad faciendam cōfessionem propriè: quia confessio est actus iudicialis, & ideò debet esse accusatio de aliquo particulari actu: auctoritas autem illa Ioan. intendit neminem gloriari debere, quòd peccatum non faciat: quia omnes saltem venialiter peccant, licèt non semper, & pro quocunque tempore: ideò potest dari status in quo, quis ab vna confessione ad alteram nullum habeat peccatum, neque etiam veniale, maximè si sæpè celebret missam.

19 Eodem modo dicendum est esse intelligendam Clementinam. *Ne in agro Dominico*, vbi Pontifex iubet, vt Monachi singulis mensibus ad confessionem accedāt, quidquid dicat Caietanus, q. 1. de confessione; vt rectè notauit Soto in 4. dist. 18. q. 1. art. 3. concl. 4. esset enim nimis rigida lex, vt obligarentur ad venialia. Decretum enim illud, nihil aliud significat circa præceptum confessionis, nisi tempus, reliqua autem permanent in esse suo, quòd habent ex iure diuino. An Monachi cū singulis mensibus confiteri obligētur venialia cōfiteri teneantur.

Quid Ecclesia specificauerit circa. Cui, *siue cira Ministrum huius Sacramenti, præsertim per Concilium Tridentinum. Caput Secundum.*

20 SVprà disputatione propria diximus, quę sint cōditiones requisitæ ad ministrum Sacramenti Pœnitentiæ, tam vt simpliciter sit idoneus, quàm vt rectè possit administrare hoc sacramentum, quantum spectat ad ius diuinum; vt cum diximus debere habere auctoritatem, seu potestatem ordinis, & iurisdictionis, quę simpliciter requiruntur; & cum diximus debere habere illas tres conditiones, scilicet, bonitatem, scientiam adhuc, & prudentiam, quę requiruntur, vt rectè minister hoc munus peragat; explicauimus etiam quid ius Ecclesiasticum antiquū explicauerit, & specificauerit circa ministri potestatem, pręsertim iurisdictionis, cum tractauimus, quis sit proprius sacerdos: nunc superest, vt declaremus, quid Ecclesia per Concilium Tridentinum circa ministrum specificauerit. Quid per Conc. Tri. sit specificatū circa ministrū.

Ad hoc ergo est dicendum, quòd licèt aliqui Doct. tenuerint, quòd etiam ante Concilium Tridentinum, non quicunque sacerdos habens pręd ictas conditiones esset aptus, & idoneus ad recipiendum auctoritatem iurisdictionis administrandi sacramentum pęnitentię, sed quòd vlterius altera duarum conditionum requireretur, scilicet, vel quòd haberet beneficium aliquod curatum; vel quòd esset approbatus, tanquam idoneus ab Episcopo; quam sententiæ tenuerunt nonnullę glosę, & communiter Doct. vsque ad Panormitanum, vt refert Nauarrus in cap. *Placuit*, de pœnit. d. 6. n. 40. & nonnulli alij, quos refert Suarez disp. 28. sect. 3. & hęc sententia quò ad tempus ante Concilium Tridentinum sit falsa, vt docent Nauarrus prędicto cap. *Placuit*, num. 49. & sequentibus, & Suarez eadem disp. 28. sect. 3. & alij ab ipso citati: tamen post Concilium Trid. certum est pręter conditiones illas requisitas de iurę diuino, & Ecclesiastico antiquo, vlterius requiri, vt sacerdos admittendus ad audiendum confessiones sacramentales sit approbatus ab ordinario Episcopo pro idoneo ad tale munus, vel quod iam habeat beneficium Parochiale. Vnde sacerdos, qui vel non habet beneficium parochiale, vel non est approbatus ab Episcopo, non est idoneus ad recipiendum auctoritatem iurisdictionis ad ministrandum hoc sacramentum. Hæc specificatio, & decretum nouum habetur ex Concilio Tridentino, sessione 23. cap. 15. de reformat. in his verbis. *Quamuis Presbyteri in sua ordinatione à peccatis absoluendi accipiant potestatem* (.s. potestatem ordinis in Corpus Christi misticum, vt in superioribus declaratum est) *decreuit tamen sancta Synodus nullum etiam Regularem posse confessiones Secularium, etiam Sacerdotum audire: nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut aliàs idoneus iudicetur et approbationem, qua gratis detur, obtineat priuilegijs, & consuetudine quacunque etiam immemorabili non obstantibus.* Ex Concilio ergo ad hoc, vt sacerdos sit idoneus, & capax iurisdictionis ad ministrandum sacramentum pœnitentiæ, requiritur, quod sit approbatus tanquam idoneus ab Episcopo, quæ approbatio fit, vel medio examine, vel aliquibus alijs actionibus, quibus constet Episcopo, quòd sit idoneus. Vel requiritur, quod sacerdos habeat beneficium: qui enim semel ad beneficium aliquod curatum est admissus, videtur iudicatus idoneus, qui etiam extra curam suam aptus sit ministrare sacramentum

cramentum pœnitentiæ si illi auctoritas iurisdictionis concedatur.

Doctores & habentes publicũ testimoniũ, nõ sũt idonei ministri sine approbatione episcopi.

21 Ex quo sequitur, quòd etsi aliquis habeat publicum testimonium scientię, vt per gradum Doctoratus in Theologia, vel in iure Canonico, vel sit licentiatus; aut per publicam doctrinæ ostensionem, vt lectores; tamen hoc testimonium non faciat ipsum idoneum: quia Concilium decreuit hanc approbationem specialiter fieri ab Episcopo, non autem ab Academijs, vel à publica opinione. Similiter sacerdos quicunque, quantauis dignitate etiã Episcopali, vel Cardinalitia fulgeat, si non habet curam animarum annexam, non est idoneus; sed requiritur approbatio Episcopi. Ratio est, quia Concilium neminem excipit, sed simpliciter sine vlla adiectione dicit. *Nullum ad id idoneum reputari posse, nisi* &c.

Quid de habẽte licẽtiã à Põtifice eligendi sibi cõfessarium.

22 Ex eodem Canone sequitur, quòd cum Pontifex concedit alicui facultatem eligendi sibi confessarium, semper est intelligendum ipsum intendere facere talem concessionem iuxta formam hanc Concil. Trident. nisi expresè se declararet velle derogare huic Can. Cum enim Pontifices concedunt aliquid alicui, intelligitur iuxta commune ius: neque censetur derogare illi nisi expresè, & sufficienter se declaret. Idem dicendum de Episcopis volentibus audire confessiones extra suam diœcesim, propter eandem rationem. Hoc idem de parochis est dicendum. Neq. enim Parochus potest vocare in adiutorium ad audiendas confessiones suorum subditorum aliquem, qui non sit vel Parochus, vel admissus ab ordinario Episcopo: & hoc propter eandem rationem, quia Concil. sic decreuit. Atque notandum est hanc approbationem, etsi sit distincta à potestate iurisdictionis (est enim quędam prętia dispositio ad susceptionem iurisdictionis) etiam tamẽ ita necessariam, quod sine illa non fit absolutio: quia Concil. decreuit nullum posse audire confessiones, nisi sit approbatus, &c. ergo hæc approbatio est necessaria simpliciter, itaquòd illa omissa nulla est confessio.

Regulares nõ egẽt approbatione epĩ pro cõfessione regularium.

23 Ex eodem Can. habetur, quòd ista conditio requiritur in sacerdote ad hoc, vt sit idoneus ad audiendũ confessiones secularium etiam sacerdotum, non autem requiritur in sacerdote regulari ad hoc, vt sit idoneus ad audiendum confessiones regularium, & monialium, quæ secundùm iura sæculares non sunt. Noluit enim Concil. quò ad hoc subijcere regulares iurisdictioni Episcoporum, sed eos dimisit curæ propriorum Superiorum, & Pastorum, à quibus confessores idoneos recipiant. Vndè superiores regularium possunt deputare suis subditis confessorem non approbatum ab ordinario, quia hoc possunt iure antiquo, & communi, seu per propria priuilegia, & per hoc decretum nihil in hoc est innouatũ; quòd etiam obseruat Suarez hac disput. 28. sect. 4. numero 5. & fusius Confettius in Summario Priuileg. Ordin. Mendicant. Titul. 17. capit. 7. & antecedentibus, & Nauarrus in Summa, cap. 4. num. 7. & práxis Ecclesiæ continua habet, & eadem ratione regularis habens facultatem à suo superiori eligendi sibi confessorem, potest eligere quem inuenerit sibi idoneũ, quãuis ab Episcopo non sit approbatus. Quidam verò limitant hoc locum habere, quando superior expresè concedit hanc facultatem eligendi quemcunque voluerit: at si tantùm faciat licentiam eligendi sibi confessarium, dicũt intelligendum esse de approbatis ab ordinario. Sed hæc limitatio est nulla, quia potius existimandum est superiorem velle, vt regularis vtatur iure suo, quàm eum obligare ad id, ad quod non est iam obligatus aliquo iure.

An approbatus p collationẽ beneficij vbique approbatus censendus sit.

24 Cęterùm circa hos duos modos approbationis, scilicet per collationem beneficij, & per simplicem approbationem Episcopi, quæ est autentica contestatio de sufficiẽtia, & idoneitate talis sacerdotis ad munus confessionis peragendum, occurrunt varia dubia. Primum est circa approbationem per collationem beneficij, an scilicet approbatio illa ex intentione Concil. censeatur pro tota Ecclesia vt vbique locorum absque alia approbatione sit habilis ad recipiendam potestatem iurisdictionis ab eo, qui potest ea delegare. Quod dubium tractat Suarez eadem disp. 28. sect. 4. & tenet partem affirmatiuam de eo, qui actu habet beneficium, quandiù retinet beneficium multis rationibus efficacibus. Verùm, quia adducit responsionem Congregationis Cardinalium in oppositum, de qua tamen dubitat, an legitimè adducatur, quia in quibusdam collectionibus illa non reperitur, nõ possum certam de hac re proferre sententiam, sed censuræ sacræ Congregationis me subijcio.

25 Quantum ad approbationem simplicem testificationem infra agemus: nunc certum est eam fieri debere ab Episcopo; hoc enim Conc. apertè explicat: per Episcopum autem intelligitur Episcopus designatus, & confirmatus, qui habet iurisdictionem, licèt non sit cõsecratus: quia hic actus non requirit potestatem ordinis, sed iurisdictionis: non intelligitur autem solus Episcopus, sed omnis Prælatus secularis habens iurisdictionem Episcopalem, vt Vicarius Capituli sede vacante, & cęteri Prælati exempti, quod vsus, & experientia quoque confirmat.

An sit necessaria approbatio vt obtenta.

26 Sed graue dubium est hic, an ista approbatio sit ita necessaria, vt necessarium sit, non solùm illam petere, sed obtinere. Ad quod breuiter est dicendum proculdubio requiri, vt obtenta sit, alioquin nihil prodesset hoc decretum. Nec obest si negetur ex iniustitia, quia certum est actionem, seù omissionem iniuriosam posse afficere: vt si paruulus, ex iniquitate ministri, priuetur baptismo, non consequitur beatitudinem: quia lex Christi est conditionata, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua*, &c. Ita hic Concilium apponit conditionem, vt sacerdos sit approbatus ab Episcopo, siue hoc faciat iustè, vel iniustè hoc nihil refert, licèt cum iniustè negat, peccet.

An regulares petita, & nõ obtẽta licentia ab epõ possint audire cõfessiones. 1. Opinio. 1. Ratio.

27 Cęterùm est dubium magis graue, an scilicet regulares petita, & non obtenta licentia ab Episcopo censeantur approbati, & possint audire confessiones secularium, Nauarrus in Manual. capit. vigesimoseptimo, num. 264. & 265. enixè sustinet post Concilium Tridentin. sufficere religiosis Mendicantibus petere licentiam ab Episcopis etiam si non obtineant dummodò non adsit iusta causa. Fundamentum est: quia Concilium Trident. non videtur voluisse derogare iuri communi. Vnde sicut regularis petens licentiam à suo superiore transeundi ad strictiorem religionem, & illa sine causa iusta non obtenta habet licentiam transeundi; ita etiam in proposito fundatur

2. Ratio.

etiam Nauarrus in priuilegijs Mendicantium, præsertim in Clementina *Dudum*, in qua conceditur regularibus, quòd præsententur, & petant licentiam, qua non obtenta, auctoritate Apostolica possint audire confessiones; & ista priuilegia confirmata sunt in duobus Concilijs, scilicet, Viennensi, & Lateranensi, quibus Concilium Tridentinum non videtur voluisse derogare: quia illa nominasset, vt fit cum leges conciliares mutare, vel auferre volunt: possunt etiam hæc iura conciliari dicendo, quòd Concilium Tridentinum noluit ista priuilegia in hoc tollere ad reprimendum duritiam aliquorum Episcoporum, qui sine iusta causa quandoque nolunt regulares admittere ad confessiones.

Opposita susa approbatur.

28 Ex altera parte Suarez eadem disput. 28. sectione 5. tenet per Concilium illa priuilegia Mendicantium esse abrogata, & requiri non solùm petere, sed etiam obtinere licentiam ab Episcopo. Et reuera hæc opinio verissima, & tuta mihi esse videtur: quia Concilium in illo Decreto includit regulares, illos nominat, & statuit nullum ipsorum posse audire confessiones, nisi fuerit approbatus, & in fine inquit. *Priuilegijs, & consuetudine quacunque etiam immemorabili non obstantibus*. Sequitur ergo eum voluisse priuilegijs Mendicantium in hac parte derogare. Accedit quòd Pius Quintus, qui prius anno 1567. concesserat priuilegium Magistris in Theologia, vt sine approbatione obtenta possent audire confessiones, anno 1571. motu proprio, qui incipit, *Romani Pontifices*, quem confirmauit deinde Gregorius Decimustertius, anno 1572. motu proprio, qui incipit, *In tanta*, illud priuilegium

legium reuocauerunt, & illud reduxerunt ad formam Concilij Tridentini, & sic patet ad fundamentum Nauarri, quod Decretum Concilij est reuocatorium priuilegiorum, & conditorium noui iuris. Notandum est tamen Episcopos grauiter peccare, qui sine causa hancap probationem denegant, & eorum priuilegia in his, quæ non sunt derogata, nolunt seruare illis.

Peccāt grauiter Episcopi nolētes admittere regulares sine iusta causa.

29 Sed aliud dubium satis difficile oritur circa illud Decretum, an scilicet si Episcopus admittat ad confessionem aliquem, quem ipse non iudicat idoneum, nec sufficientem, admissio, & approbatio illa valeat, an potius nulla sit. Nam quod sit nulla videtur: quia dicit Concilium, quod nemo possit audire confessiones, nisi *aut ab Episcopis per examen si illis videbitur esse necessarium, aut aliàs idoneus iudicetur*. Ergo si Episcopus, non iudicet eum idoneum, sed tamen propter alicuius fauorem eum admittat, non erit approbatus, vt verè idoneus; ergo nulla videtur esse illa approbatio.

An admissio p fauorē, sed contra consciētiā Epi sit valida.

Solutio.

30 Respondetur procul dubio esse dicendum approbationem talem esse validam, licèt sit contra iudicium Episcopi de sufficientia: alioquin sequeretur multas confessiones esse nullas, quia sæpè contingit, vt Episcopi ad fauorem alicuius, vel propter aliquam causam faciunt huiusmodi approbationes. Est ergo dicendum verba illa Concilij non esse ita intelligenda, vt requiratur iudicium certum, & verum omnino de sufficientia sacerdotis, sed illa verba esse declaratiua, & posteriora, illa aut *aliàs idoneus*, iudicatur esse ampliota: ac totaliter remittere hanc approbationem in arbitrio Episcopi, qui pro opportunitate euentuum possit approbare sacerdotes, & eò magis, quia in sufficientia datur magis, & minus: & quandoque sacerdos requirit maiorem scientiam ad hoc munus rectè agendum: quandoque sufficit minor scientia, ita vt etsi Episcopus cognoscat non esse omninò, & simpliciter idoneum: tamen pro tali opportunitate esse idoneum cognoscit.

A quo Epō fieri debeat approbatio

31 Est autem non leuis difficultas, à quo Episcopo fieri debeat hæc approbatio: nam quandoque contingere potest, vt Episcopus, confessarius, & pœnitens sint diuersorum diœcesum: quando enim omnes sunt eiusdem diœcesis nulla est difficultas. In qua re sunt diuersæ sententiæ. Aliqui enim volunt, quod à quocunque Episcopo fiat, sit valida. Alij ab Episcopo loci in quo confessio sit facienda. Alij quod ab Episcopo pœnitentis. Alij denique, quod ab episcopo confessoris. Prima opinio videtur nimis ampla: licèt enim Concilium dicat requiri approbationem ab episcopis: non tamen sic indifferenter est intelligendum, sed secundùm iura: iura autem vnicuique suum episcopum tribuunt. Secunda etiam innititur falso fundamento, quia potestas iurisdictionis in sacramento non attenditur pœnes locum materialem, scilicet ipsam Ciuitatem, sed pœnes personas habitantes in Ciuitate. Approbatio autem ista ad confessiones est actus iurisdictionis; ergo non debet attendi pœnes locum materialem, sed pęnes personas, vt suprà diximus loquendo de sacerdote proprio. Tertia opinio est satis probabilis: quia incumbit episcopo curam gerere propiorum ouium: ideò ad ipsum spectare videtur, deputare eis proprium confessarium. Quarta tamen opinio est probabilior, quia approbare, & admittere ad confessiones est actus iurisdictionis: nemo autem potest iurisdictionem exercere in non sibi subditum; ergo episcopus non potest alienum sacerdotem ad audiendum confessiones admittere. Sed dices hoc est falsum, quia videmus in praxi multos episcopos alienis sacerdotibus dare beneficia, & eos in suis diœcesibus ad confessiones admittere. Respondetur episcopum non posse admittere alienum sacerdotem ad confessiones, nisi prius fiat suus subditus absolutè, mutando domicilium perpetuum, vel ad tempus: & tunc cum dat ei iurisdictionis actum, non dat alieno, sed subdito. Accedunt declarationes quædam congregationis Cardinalium quarum 1159. habet sic. *S. D. N. declarauit tempore Iubilei posse omnes Regulares confiteri peccata sua sacerdotibus approbatis ab ordinario ad audiendas confessiones. In Bulla enim non fit mentio nisi de ordinario eorum, qui audituri sunt confessiones, non autem de ordinario pœnitentium*. Ex hac enim responsione apertè colligitur Papam loqui ad intentionem Concilij. Papa autem in Bulla loquitur de ordinario confessarij, non de Episcopo ordinario pœnitentium; ergo Concilium quoque intelligere debet de Episcopo confessoris, non pœnitentis. Et tandem confirmatur, quia cum Episcopus approbat aliquem sacerdotem ad confessionem, illa approbatio non respicit hunc, vel illum pœnitentem, sed est absolutum iudicium, de idoneitate illius ad illud munus; ergo debet fieri à iudice proprio ipsius sacerdotis.

Variæ sententiæ.

32 Ex hoc sequitur solutio dubij cuiusdam circa Regulares, quòd est huiusmodi: tempore Iubilei cum Papa concedit omnibus fidelibus, vt eligere possint sibi confessarium, quem volunt, dummodo sit admissus ab ordinario; quæritur, quis sit ordinarius respectu Regularium, & à quo eorum confessor debeat esse admissus, vt habeat facultatem absoluendi à reseruatis virtute Bulle Iubilei? Respondetur Regulares habere suos prælatos, de quibus, vt suprà visum est, Concilium Tridentinum nihil innouauit. Ideo confessores approbati ab ordinario prælato Religionis haberet eandem facultatem, quam habent admissi ab Episcopis. Verum si Regulares velint eligere sibi sacerdotem extra ordinem suum, (quod facere possunt in tali casu, quia Bulla Iubilei dicit, quod omnes Christi fideles, possint sibi eligere vnum confessorem ex approbatis ab ordinario: ideo etiam ad Regulares extenditur pro illa vice priuilegium, vt extra suum ordinem possint confessores adire) tunc dicitur confessorem debere esse vnum ex admissis ab Episcopo siuè sit secularis, siue Regularis alterius Religionis: quia Pontifex in Bulla Iubilei per ordinarium intelligit Episcopum iuxta sensum Concilij Tridentini, & responsionem congregationis Cardinalium. Et clarum est huiusmodi Regularem nō posse pro tali tempore Iubilei eligere Regularem alterius ordinis admissum solùm à Prelato illius Religionis, non autem ab episcopo.

A quo confessarius regularis tēpore Iubilei dēat esse approbatus.

33 Ex hoc etiam elicitur, quis sit Episcopus Regularium ordinarius: nam licèt Regulares sint exempti à subiectione episcoporum: tamen ratione Domicilij sunt aliquo modo subiecti episcopo loci: ab illo enim debent admitti, & approbari ad confessiones secularium, & ad ordines promoueri, & ei subordinationem seruare. Vide Confettium in Summario Priuilegiorum Ordinis Mendicantium Titulo decimoquinto: eximuntur enim tantùm quò ad priuilegia sibi concessa à Summis Pōtificibus.

Quis sit Eps ordinarius regularium.

34 Est verò alia dubitatio grauis, quam fusè tractant Gutierez, & Emanuel Rodericus, in expositione bullæ §. quinti, Suarez disputatione octaua, sectione septima, qui alios citat, an sacerdos approbatus ab vno episcopo censeri debeat vbique approbatus; ad quam dubitationem diuersi diuersa dicunt. Quibus dimissis, breuiter puto dicendum, saluo meliori iudicio, approbationem quidem fieri debere ab episcopo ordinario sacerdotis, vt suprà dictum est: non tamen illam valere pro omnibus episcopatibus, atque in vniuersa ecclesia: & de hoc non est dubium, si admissio facta ab episcopo sit secundùm quid, idest limitata, vel ad tempus, vel ad locum, vel ad personas: quam limitationem certum est posse facere episcopum iuxta sufficientiam, & qualitatem, ipsius sacerdotis: ad hoc enim talis approbatio committitur episcopis. Si verò admissio sit absoluta, & simpliciter, maior difficultas est: quia se habere videtur, vt Licentiatus, vel Doctoratus in vna Vniuersitate, hic enim vbique est Doctor; ergo semel approbatus à suo Episcopo, videtur vbique habere testimonium suæ idoneitatis: tamen quia dum sacerdos est in aliena diœcesi

An sacerdos approbatus p simplicem aūe stationē vbiq; sit approbatus.

se ge-

ſe gerit, vt ſubditus Epiſcopo illius Diœceſis, videtur egere approbatione etiam illius Epiſcopi, in cuius Diœceſi moratur, alioquin alienus ſe poſſet ingerere in gregem alterius Epiſcopi; quòd pareret magnam confuſionem, quam Conc. intendit tollere, dum ordinat, vt nemo audire poſſit confeſſiones, niſi ſit approbatus à ſuo ordinario. Vnde non eſt veriſimile, quòd cum ſacra Congregatio reſpondit, Epiſcopum ordinarium, à quo ſacerdos debeat approbari, eſſe ordinarium confeſſoris, voluerit eximere ipſum ſacerdotem à ſubiectione alterius ordinarij, in cuius Diœceſi aliquando moratur, & proinde eſt intelligenda illa reſponſio, vt ſacerdos habeat approbationem à ſuo ordinario, vel ab eo, qui vice ſui ordinarij ſe habet, vt in tali caſu contingeret: eo enim caſu proprius Sacerdos Confeſſoris eſſet Epiſcopus loci, in cuius Diœceſi maneret, non Epiſcopus proprij Domicilij. Eodem enim modo dicendum eſt de ſacerdote, & laicis, quò ad proprium ſacerdotem, cum tranſeunt de loco ad locum: dictum eſt autem ſuprà, quòd habens plura domicilia, vel habens domicilium, & quaſi domicilium, & peregrinos, & nullum habens firmum domicilium, habent pro proprio ſacerdote eum, in cuius Diœceſi actu reperiuntur, quando confeſſio eſt facienda; ergo à pari ille ſacerdos habebit pro proprio ordinario Epiſcopo eum, in cuius Diœceſi reperitur, cum ſacramentum confeſſionis miniſtrare debet.

35 Et hoc idem dicendum eſt de Regularibus: neceſſe eſt enim habere ſemper approbationem ab eo Epiſcopo in cuius Epiſcopatu morantur, & exercent munus confeſſionis propter eaſdem rationes.

An Eps poſſit dare ſuo ſubdito poteſtaté eligendi ſibi confeſſoré.

36 Ex hoc etiam patet abſolutio alterius dubij, an Epiſcopus poſſit dare facultatem alicui ſuo ſubdito eligendi ſibi confeſſorem. Reſpondetur, poſſe dare, ſed ſolùm ex approbatis ab ordinario, vel ab ipſomet Epiſcopo in ſua Diœceſi, vel extra Diœceſim ab Epiſcopo illius Diœceſi; & ratio eſt: quia Concilium requirit hanc conditionem, vt ſacerdos ſit approbatus à ſuo ordinario: & licèt Epiſcopo incumbat facere hanc approbationem, vel alteri illam committere, non tamen poteſt hoc ita amplè committere ipſi pœnitenti: quia hoc directè pugnat contra Concilium, quod requirit hanc approbationem debere fieri, vel per examen, vel per aliquem particularem modum, quo Epiſcopus teſtificari, ſeu iudicare per ſe, vel per alium, poſſit eſſe idoneum: hoc autem non fieret concedendo facultatem pœnitenti eligendi quemcunque ſacerdotem, & illi facultatem faciendo illum admittendi. Si verò det facultatem eligendi confeſſorem extra ſuam Diœceſim approbat illum ſacerdotem alienæ Diœceſis: vel ſi hoc non placet dicamus, quòd non approbat illum ſacerdotem extra ſuam Diœceſim, vt poſſit audire confeſſionem ſui pœnitentis, quia ſuam iuriſdictionem in non ſuum ſubditum exercere non poteſt; ſed ſuum ſubditum eximit à propria iuriſdictione, & amittit alterius iuriſdictioni: ideò, qui in illo altero Epiſcopatu habet iuriſdictionem audiendi confeſſiones, poteſt illum quoque audire, & miniſtrare hoc ſacramentum.

An approbatio ſemel facta poſſit reuocari.

37 Vltimum dubium circa hanc partem eſt, an approbatio ſemel conceſſa poſſit reuocari. Hic ſunt varij modi dicendi. Aliqui dicunt Epiſcopum illam ad nutum poſſe reuocare hoc fundamento, quia Conc. tribuit Epiſcopis hoc ius, ideò eo liberè poſſunt vti. Alij negant: hoc fundamento, quia hæc approbatio non eſt fauor pendens ex voluntate Epiſcopi, ſed eſt iudicium, & atteſtatio quædam idoneitatis ſufficientiæ talis ſacerdotis, vt dicebamus de doctorato, & licentiato in aliqua facultate, quæ tranſit in rem iudicatam: ideò amplius non poteſt reuocari. Alij dicunt quò ad ſæculares poſſe reuocari, non quò ad Regulares propter eorum priuilegia, de quibus mox.

Solutio.

38 Pro breui reſolutione notandum eſt: aliud eſſe approbationem ſacerdotis ad confeſſiones, & aliud eſſe collationem iuriſdictionis ad confeſſiones audiendas: nam vnum poteſt eſſe ſine altero, vt ſuprà dictum eſt: Ideò non valet inferre, Epiſcopus poteſt auferre, vel ſuſpendere iuriſdictionem in confeſſore; ergo poteſt quoque reuocare approbationem cum ſint diuerſa. Quòd maximè apparet in Regularibus, qui dum approbantur ab Epiſcopis non accipiunt iuriſdictionem ab Epiſcopis, ſed illam habent à Papa per ſua priuilegia in Clementina *Dudum*, de priuileg. & alijs, vt ſuprà diximus loquendo de auctoritate delegata, & vt habet Confettius titulo 17. capit. quarto. Poſſunt enim Regulares quorumcunque, & vbicunque confeſſiones audire, dummodo approbati ſint ab ordinarijs locorum. Vndè approbatio eſt conditio neceſſaria, vt impedimentum tollatur, non vt iuriſdictionem tribuat.

39 Secundò notandum eſt, quòd hæc approbatio ſemper durat quandiù non reuocatur is, quòd nec per mortem concedentis extinguitur: quia præſentatio ante Concilium Tridentinum habebat ſuum vigorem; ergo multò magis approbatio, quòd de præſentatione tenet Nauarrus in Summa, cap. 27. nu. 266. ex Clementina *Dudum*, & de approbatione, Suarez eadem diſput. 28. ſect. 8. aſſertione prima, & addit rationem: quia hæc approbatio non ſolùm eſt gratia, ſed etiam eſt iuridica declaratio idoneitatis, quæ ſuam vim retinet, quandiù non reuocatur: poteſt autem ſine dubio ex iuſta cauſa reuocari: fundatur enim hæc approbatio in ſcientia, moribus, & alijs conditionibus, quæ ſi deſinant eſſe in confeſſario, & certè conſtet, poteſt reuocari, quòd confirmatur à ſimili ex cap. *Accepimus*, de ætate, & qualitate, in illis verbis. *Niſi fortè poſtquam promoti fuerint, reddiderint ſe indignos.*

40 Cæterùm, quomodo conſtare poſſit hæc iuſta cauſa reuocationis, eſt dubium: & quidem ſi per denuntiationem, vel publicum iudicium hæc iuſta cauſa conſtet, nulli dubium eſt Epiſcopum illam approbationem poſſe reuocare; ſed ſi ſit occulta eſt dubium. Aliqui dicunt hanc poſſe conſtare per nouum examen, maximè loquendo de ſufficientia: poteſt enim contingere quòd aliquis fauore admiſſus fuerit, & tamen non ſit reuera idoneus: ideò Epiſcopus, & maximè ſuccedens mortuo, vt ſuæ conſcientiæ ſatisfaciat, poteſt velle recognoſcere oues ſuas, & ſic poteſt ad examen vocare, & non idoneos reprobare. Neque Epiſcopus in hoc videtur facere iniuriam Sacerdoti: quia hoc munus iuri Epiſcopi conuenit, nec ſacerdos per hoc examen acquirit aliquod ius, vt Parochus.

41 Inquit tamen Suarez eadem ſect. 8. eundem Epiſcopum non poſſe ſemel approbatum ſinè iuſta cauſa reprobare; & ſi reprobet valdè probabile eſſe reprobationem illam eſſe nullam; eſſe tamen valdè timendam: quòd probat ex cap. *Accepimus*, de ætate, & qualitate; quòd ſuprà adduximus; ex quo habetur, quòd qui ſemel idoneus eſt approbatus, tanquam indignus non eſt reprobatus ſine vlla iuſta cauſa. Et confirmatur: quia hæc approbatio non eſt ſimplex gratia, & fauor, ſed quædam iuridica declaratio, quæ eſt veluti iuſta ſententia ex iuſtitia debita: ideò reuocatio illius eſt quaſi oblatio iuris acquiſiti: quòd eſt peccatum iniuſtitiæ.

Epus idem ſi ſemel approbatũ reprobet, reprobationẽ eſſe nullã, eſt valdè probabile.

42 Et re vera hac in re opus eſt multa conſideratione, quia Regulares aliquando ab Epiſcopis valdè vexari poſſunt; & proinde Sacra Congregatio Cardinalium iurè edidit duo decreta ſuper hoc. Primum eſt ſub anno 1587. die 2. Iulij, relatum à Confettio in Summario Priuileg. Mendicant. Titul. decimoſeptimo, capit. quarto, ſub his verbis. *Regulares, qui ad audiendas confeſſiones idonei ab ordinarijs locorum, eorumvè examinatoribus reperti, & probati fuerint; generaliter quoque, & indiſtinctè, abſque aliqua limitatione temporis certorumvè locorum, aut generis perſonarum admittantur in Diœceſi propria: de cæteris verò, qui non adeò idonei reperientur, ſi petierint ſe admitti arbitrio ordinariorum vel inquitur ipſos cum limitata facultate, prout eiſdem ordinarijs magis videbi-*

tur expedire, probare, & admittere. Qui autem in domibus laicorum confessiones ex causa audierint, statim Parochum admonere teneantur, & fidem auditæ confessionis pro medico adueniente relinquere. Aliud verò Decretum eiusdem Congregationis sessione 22. cap. 15. est tale, ab eodem Confettio adductum vbi suprà capit. quinto, *Congregatio Concilij censuit regulares ad audiendas in Ciuitate, & diœcesi confessiones secularium, semel ab Episcopo præuio examine approbatos, iterum ab eodem Episcopo non esse examinandos. Cæterùm à successore posse vtique examinari iuxta constitutionem sanctæ memoriæ Pij V. datam octauo Idibus Augusti, sui Pontificatus anno sexto, quæ à felici recordatione Gregorij XIII. non est reuocata per reductionem priuilegiorum Regularium ad terminos Concilij Tridentini.*

43 Ex quibus patet Regularem admissum non absolutè, & generaliter, sed cũ limitatione posse examinari pluries ab eodem Episcopo: quia non censetur simpliciter idoneus: qui verò semel absolutè est admissus, non posse amplius ab eodem Episcopo examinari, nec reprobari. Quod si ex malitia Episcopus nolit idoneum simpliciter approbare, sed semper ad certum tempus, vt cogatur pluries eum adire, peccat valdè contra iustitiam, à nouo Episcopo verò potest iterum examinari, & si non inuentus fuerit idoneus, reprobari.

Quid ecclesia specificauerit circa, Quando, siuè circa tempus suscipiendi hoc sacramentum.
Caput Tertium.

44 CLarum est ecclesiam specificasse, & determinasse præceptum confessionis faciendæ circa tempus: decreuit enim vt omnis fidelis vtriusque sexus semèl in anno sua peccata confiteatur proprio sacerdoti, quæ specificatio habetur, *Extra de pœnitentia cap. Omnes vtriusque sexus*, &c. In eo enim decreto non solùm præcipit ecclesia, vt omnes fideles in Paschate communicent, sed quod semel in anno confiteantur quoque peccata sua, itaquòd præceptũ confessionis faciẽdæ est diuersum à præcepto suscipiendi Eucharistiam, quòd omnes Theologi affirmant præter Durandum, qui dist. illa 17. quæst. 14. num. 7. dubitat, & putat probabile ab ecclesia de confessione nullum latum esse præceptum in illo cap. *Omnis vtriusque sexus*, &c. sed solùm consilium, & salubrem exhortationem. Dicit tamen, quod si ecclesia ibi tulit præceptum quod illud obligat: quia factum est ab ecclesia Christi auctoritate, & præter Diuum Thomam, & Diuum Antoninum quorum primus in 4. dist. 17. quæst. 3. art. 1. quæstiuncula 4. & quolib. 1. quæst. 11. alter verò 3. p. Titulo 14. cap. 19. §. 3. tenere videntur non esse latum ibi per se præceptum ab ecclesia de confessione, sed tamen per accidens fideles in Paschate teneri ad confessionem rationè eucharistiæ suscipiendæ. Est tamen obscurus ibi Diuus Thomas.

Opin. Durãdi D. Th. & D. Antonini.

45 At Scotus hac distinct. 17. quæst. art. 3. §. quò ad quando Paludanus quæst. 7. Gabriel Biel quæst. 1. & 2. Caietanus Tom. 1. Opusculorum tract. 5. quæst. 1. Soto dist. 18. quæst. 1. art. 4. concl. 1. Suarez disput. 36. sect. 1. qui alios citat tenent ab ecclesia datum esse præceptum de confessione faciẽda in præcitato cap. *Omnes*, &c. Et certè hæc opinio est absque dubio vera. Primò enim præceptum ecclesiæ in illo cap. *Omnes vtriusque sexus*, cadit super confessionem faciendam. Inquit enim. *Omnes vtriusque sexus fideles postquã ad annos discretionis peruenerint omnia sua peccata saltem semel in anno fideliter confiteãtur proprio sacerdoti, & iniunctam sibi pœnitentiam proprijs viribus studeãt adimplere.* Deinde subiungit, quod suscipiant eucharistiam deuotè ad minus in Paschate. Adeoquod ibi nullum est verbum, quod indicet vnum præcipi, propter aliud, sed vtrunque per se præcipitur. In hoc præcepto autem, vt dictũ est, ecclesia nihil aliud facit, nisi qd specificat tempus confessionis. Non enim instituit confessionem, vt hæretici falsò calumniantur. Cõfessio enim est iure diuino instituta, vt probatum est suprà, quod etiam supponunt prædicti Doct. & tradit Conciliũ Tridentinũ sess. 14. cap. 5. ideò non est dubium Ecclesiam posse hoc præceptum mutare, & prolungare, vel abbreuiare, vel omninò tollere sicut omnia alia præcepta Ecclesiastica: non liceret autem omninò illud abrogare, quia caderet in magnum detrimentum ecclesiæ, vt per se patet. Si enim relinqueretur in arbitrio fidelium præceptum de confessione facienda, quamplurimi negligerent.

Hæreticorũ calumnia, de ĩstitutione cõfessionis tollitur.

46 Sed difficultas est, qua parte anni hoc præceptum obliget, Scotus refert, vbi suprà, opinionem Alensis 4. p. quæst. 18. memb. 4. art. 4. §. 2. qui dicit etiam post illam Decretalem *Omnes vtriusque sexus*, &c. hominem teneri ad statim confitendum postquam peccauit cum habet copiam confessoris, ratio eius est, quia sustinet de iure diuino vnunquemque teneri ad statim confitendum cum primum habet opportunitatem, vt diximus suprà. Illa autem Decretalis non est relaxatio: non enim dat licentiam differendi vsque ad terminum illum offerente se opportunitate, sed vltra terminum illum prohibet negligentiam, & dilationem: sicut cum ecclesia prohibet, ne quis vltra annum in excommunicatione permaneat: non enim per hoc dat licentiam remanendi in excõmunicatione vsque ad horam illam.

Qua parte anni hoc pceptũ obliget.
Opin. Alẽsis.

47 Hæc opinio autem suprà refutata est cum diximus falsum esse de iure diuino vnunquemque teneri statim cum peccauit ad confitendum, sed solùm teneri ad habendum votum confitendi tempore debito. Vnde inquit Scotus cum Richardo, & alijs distinct. 17. art. 3. quæst. 8. quàntum ad hoc præceptum cum sit pœnale non esse ampliandum, sed restringendum: & cum sit affirmatiuũ obligat solùm pro aliquando, & illud quando ante specificationem ecclesiæ fuit indeterminatum ad quodcunque quando, ante mortem, sed post specificationem ecclesiæ est indeterminatum ad quodcunque quando vnicum in anno. Semper tamen oportet habere voluntatem confitendi tunc pro quando præceptum obligat, idest quod pro nunquam habeat voluntatem non confitendi. Hanc eandem sententiã tenent Soto in 4. dist. 18. quæst. 1. articul. 4. conclusione 1. Nauarrus in Summa capit. 2. numer. 9. & multi alij ex Recentioribus. Ratio est, quia caput, *Omnes vtriusque*, &c. non limitauit tempus ad certum nunc anni, vt si quis præciperet alicui, vt semel in hebdomada cõmunicaret ex vi præcepti nõ cogeretur ad certum Diem infrà illam hebdomadam, nisi fortasse, quando alij transissent.

Reijcitur.
Opin. Scoti, & aliorũ
Soto.
Nauarrus.

Tamen etsi de rigore præcepti hæc opinio sit vera, nihilominus ex consuetudine ecclesiæ, quæ est interpretatio legis, videtur hoc præceptum intelligi de tempore Quadragesimæ, seu Paschatis. Vndè Scotus eodem loco inquit. *Quò ad quando ecclesia determinauit præceptum, scilicet semel in anno, & illud semel videtur ad minus esse circa Pascha quo tempore secundùm illud capitulum debet quilibet Christianus communicare nisi in casu.* Idem videtur dicere D. Bon. dist. 17. p. 2. quæst. 2. & alij cui opinioni fauet Sixtus IV. in Extrauagãti. *Vices de treg. & pace*, vbi inquit teneri parochianos ad confitendũ suis parochis saltẽ in Paschate, iuxta cap. *Oẽs vtriusque*, fauet Conc. Trid. sess. 14. c. 5. dum inquit, quod iam cõmunis ecclesiæ consuetudo obtinuit, vt tempore Quadragesimæ omnes fideles confiterentur, & hoc intelligitur de eo, qui habet peccata mortalia tempore Quadragesimæ, vt suprà diximus. Et hoc modo facilè patet, quòd sit initium, & terminus anni comprehensi in hoc capitulo: est enim à Quadragesima, ad Quadragesimam. Vnde Prælati ecclesiæ transacta Quadragesima, & octaua Paschatis solent procedere contra eos, qui non sunt confessi in quadragesima, & sic cessant omnes lites.

49 Est autem aliud dubium, an qui non impleuit præceptum confessionis infrà annum, sequẽti anno teneatur? cõmunior, & vera opinio in proposito casu est teneri sẽper

An qui nõ ẽ confessus in Paschate stati teneatur cõfiteri anno sequẽti.

donec

Opinio vera.

donec impleuerit præceptum; & quò magis differt, magis peccare, non quia faciat nouum peccatum, sed quia idem semper magis aggrauet. Hanc sententiam tenent Nauarrus in Summa capit. 21. num. 45. Soto in 4. dist. 18. quæst. 1. art. 4. in fine, & alij, quos citat, & sequitur Suarez disp. 36. sect. 4. ratio est: quia intentio ecclesiæ in hoc pręcepto est, vt homo reconcilietur Deo saltem semel in anno, ac se mundet à peccatis; ergo quandiù non se mundat à peccato, remanet obligatus, vt si quis infrà annum teneatur soluere debitum transacto anno non liberatur, nisi soluat, sed multò magis tenetur continuò, ita in proposito.

Obiectio, & opin. D. Antonini, & Syluest. reijcitur.

49 At in contrarium est: quia præceptum affirmatiuum determinatè obligans pro aliquo tempore, transacto illo tempore iam ampliùs non obligat; licèt trasgrediens illud peccauerit. Exemplum; quis tenetur audire missam die Dominico, si illam non audit, peccat quidem, sed non tenetur sequenti die, puta, Lunæ illam audire: ita in proposito videtur dicendum: quia, qui præceptum annuæ confessionis infrà annum non soluit, peccauit quidem; at non videtur, quòd teneatur semper, & continuò sequenti anno, sed solum in toto sequenti anno. Propter hanc rationem Diuus Antoninus secunda parte, titulo nono, §. primo, & Syluester, verbo Eucharistia 3. questione 15. & quidam alij tenuerunt partem negatiuam.

50 Cęterùm hęc ratio non concludit in proposito, neque hęc opinio est sustinenda, licèt Syluester adducat Archidiaconum pro seipso: quia non est par ratio de illis præceptis, & de isto: nam præceptum de audienda missa in die Dominico ieiunandi tali die, & huiusmodi, terminat obligationem suam ad illum diem, non vltrà: ideò transacto illo tempore non ampliùs manet obligatio: at in proposito non terminatur obligatio præcepti Ecclesię ad pręsentem annum; sed intentio pręcipientis est manere obligationem, donec debitum reddatur, ideò sequenti anno, & semper manet obligatus donec satisfaciat, & confiteatur, & magis, ac magis semper aggrauat peccatum.

51 Si autem quis sic differat confessionem ad annum sequentem, non tamen excusabitur ab obligatione confitendi anno sequenti in Quadragesima, sequendo tutiorem partem opinionis, quòd hoc pręceptum maximè obliget in Quadragesima: nam consuetudo obtinet, vt iterum confiteri debeat in Quadragesima, quoniam pręlati Ecclesię eam tunc temporis ab eo exigent, & censuris contra eum procedent, licèt prius confessus fuerit: quia hanc confessionem exigunt vnaquaque Quadragesima. Si quis tamen aliquid peccatum omisit ex obliuione in priori confessione, non tenetur statim illa confiteri sequenti anno: sed sufficit si confiteatur anno sequenti, vt habet Nauarrus in Summa, capitulo secundo, numero decimo, & alij, & ratio est: quia satisfecit pręcepto Ecclesię confitendo omnia peccata integra, vt potuit, & quę memorię tunc occurrebant: ad hoc enim non plus obligat pręceptum diuino iure, vt suprà diximus. Ecclesia enim quò ad hoc nihil addit, sed solùm, vt toties dictum est, determinat, & specificat tempus, nec est similitudo de eo, qui intrà annum confessus, & postea eodem anno fecit alia peccata: quia hic forsan non tenetur confiteri, vt suprà diximus; sed sustinendo, etiam quòd teneatur ea ratione: quia hoc pręceptum obliget tempore Quadragesimę, quę est extrema pars anni, hic autem non confessus est omnia peccata, quæ illo anno fecit integrè, adhuc non est par ratio: quia qui ex obliuione omisit, integrè confessus est quantum fuit ex se: non autem hic qui noua peccata fecit.

An aliquo tempore teneamur implere hoc pręceptum ante annũ impletum. Solutio.

52 At est dubitatio, an fideles interdum vi huius præcepti Ecclesiastici (nam de iure diuino diximus suprà) teneantur ad confessionem faciendam antequam tempus anni finiatur. Est communis responsio Theologorum in hoc quarto distinct. 17. & distinct. 18. quod si quis præuideat, omissa præsenti occasione futurum, vt ille non sit habiturus copiam sacerdotis, vt verbi gratia propter penuriam confessorum, vt in longa nauigatione, vel peregrinatione inter infideles, & in similibus, teneri: sic docent Diuus Bonauentura, distinctione 17. 2. par. articul. secundo, quæstione secunda, Richardus eadem distinctione, articulo tertio, quæstione quinta, Durandus, quæstione decima, Nauarrus capit. secundo, numero decimo, in Summa, & alij quos citat, & sequitur Suarez disput. 36. sectione quinta. & hoc eodem modo respondendum est ad similia dubia, quando scilicet præceptum obligat pro toto aliquo tempore, vt quia, quis obligatur die Dominico de mane audire Missam, si præuideat, quòd nisi summo mane illam audiat, amplius non dabitur occasio, tenetur audire summo mane, licèt alias posset differre vsque ad nonam, secus extra illud tempus, puta die Sabbathi, vel Veneris, quia illud tempus non continetur intra tempus obligationis præcepti. Sicut qui tenetur ieiunare die Veneris, & præuidet tunc temporis non posse, non tenetur anticipare tempus, & ieiunare die Mercurij, vel Iouis: quia hic dies non continetur intra tempus obligationis præcepti; sed solum dies Veneris.

An Monachi teneantur singulis mensib. confiteri, licet non habeant pctã mortalia.

53 Sed est dubium de Regularibus, quibus aliquando à superioribus suis imponitur præceptum confessionis faciendæ: licèt enim fideles in tota Ecclesia de iure communi non habeant præceptum faciendi confessionem nisi istud, ex capitulo *Omnes vtriusque sexus*. Tamen in Clementina prima, de statu monachorum præcipitur Monachis sancti Benedicti, vt singulis mensibus confiteantur: & in Concilio Tridentino, sessione vigesimaquinta, capit. decimo de Regularibus, admonentur moniales, vt singulis mensibus confessionem suorum peccatorum faciant. De hoc secundo dubio ex Concilio Tridentino patet ex forma verborum non esse præceptum, sed hortationem: ideò non obligare ad peccatum mortale. Sed si esset etiam præceptum, dicendum esset de illis, vt de Monachis. De hoc autem præcepto Clementinæ ad Monachos, Doctores varij sunt, Caietanus tomo primo Opusculorum, titulo quinto, quæstione prima: & quidam alij tenent obligari etiam si non habeant peccata mortalia de solis venialibus, Suarez tamen disputatione illa trigesimasexta, sect. quinta, & si dicat Pontificem obligare ad confitendum venialia, quia ibi intendit Pontifex reformare Religionem quòd non faceret, si tantùm intelligeret de mortalibus; est tamen dubius, an præceptum illud obliget sub pœna peccati mortalis. Inquit enim consideranda esse illa instituta, & consuetudinem Religionis: vnde si vsus, & consuetudo illius Religionis est, vt constitutiones illius non obligent ad peccatum mortale, nisi apponatur pœna excommunicationis, vel aliquid simile, illud præceptum non obligat. Si verò ex consuetudine huius Religionis nihil aliud constat, obligat. Sed Soto quarto Sent. distin. decimaoctaua, quæstione prima, artic. tertio, post quartam conclusionem sustinet non obligari, & rectè: quia, vt suprà diximus, etsi venialia sint materia sufficiens confessionis, tamen non sunt materia necessaria. Ideò esset valde dura lex obligare Monachus ad confitendum venialia singulis mensibus, tenentur ergò, vt optimè inquit Nauarrus capit. *Placuit*, distinct. 6. numero 122. accedere ad confessarium, & si non habent peccata mortalia, possunt dicere, Pater nullo peccato mortali sentio me grauatum, ideò peto admitti ad communionem. Ratio autem Suarez est nulla, quia est satis magna reformatio, & arctatio, quòd Monachi vbi prius tenebantur solùm singulis annis, vt alij fideles ad confessionem de mortalibus, per illud præceptum teneantur singulis mensibus, si mortalia habeant. Hoc idem dicendum est de alijs Regularibus, vbi à superioribus talia præcepta traduntur.

Qñ quis excusatur ab hoc præcepto.

54 Quando autem, quis excusetur ab impletione huius præcepti, dicendum est, sicut diximus suprà, quando quis excusetur à facienda confessione iure diuino, quod autem dicit Suarez eadem disput. 36. sect. 6. eum, qui non potest confiteri nisi per scriptum, teneri ad confitendum per scriptum, reiectum est suprà agendo de iure diuino.

55 Obseruandum est etiam hoc præceptum non impleri quacunque confessione facta, sed necessarium est, vt sit confessio valida, & perfecta: nam cum ecclesia ordinat, vt fideles semel in anno confiteantur peccata sua, intelligit de vera confessione, eo modo, quo Christus Dominus ordinauit. Hæc autem est confessio valida: vnde Scotus hoc supponere videtur, & expressè hoc tradunt Durandus dist. 17. quæst. 14. Soto in dist. 18. quæst. 3. articul. 5. & cæteri citati à Suarez sect. 7. licèt oppositum aliqui alij docuerint dicentes confessionem integrè factã, sed sine contritione satisfacere huic præcepto: quia facit actum externum, quem præcipit ecclesia. Hæc enim ratio est ridicula, quia, vt dictum est, ecclesia præcipit fieri confessionem, quam Christus Dominus ordinauit, nihil addens de suo, nisi tempus determinatum; ergo videtur ridiculum dicere, quod per confessionem factam sine cõtritione satisfiat huic præcepto; neque enim per talem cõfessionem reconciliaretur Deo, qui est finis huius præcepti. Vnde requiritur nedum confessio, sed absolutio quoque quæ perficit sacramentum, & confert gratiam, ac liberat à peccatis.

Quam pœnã incurrat non confitens semel in anno.

56 Pœna autem statuta à iure communi in illo cap. *Omnes vtriusque sexus*, est, vt arceantur ab ingressu ecclesiæ, & priuentur ecclesiastica sepultura, quæ pœna non est ipso facto imposita, sed transgressores debent declarari, & sententiari esse incursos, vt patet ex verbis ipsis canonis. Per constitutiones autem synodales, seu ex consuetudine Episcopatus adiungi solet pęna excommunicationis, ipso facto incurrenda. Hæc sine sententia iudicis potest incurri: quia est ipso facto lata.

57 Et hanc pœnam incurrunt omnes, qui confessionẽ validam, & perfectam, vt dictum est, non faciunt. Ratio est, quia non adimplens præceptum ecclesiæ nisi ritè confessionem faciant. Si autem sine debita contritione, vel attritione accedat, nõ facit confessionem debitam, & pręceptam. Hæc obstat, quod ecclesia, non potest præcipere de occultis, quia vt dictum est aliàs, non potest præcipere de occultis tantùm, sed potest præcipere de externis, quæ habent annexa interna. Et tunc interna requiruntur, vt præceptum impleatur. Exemplum. Si ecclesia præciperet alicui sacerdoti, vt aliquem baptizaret sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, & ille baptizaret, sed sine debita intentione ille non adimpleret præceptum ecclesiæ, licèt faceret actum externum: quia ad perfectionem actus illius externi requiritur actus internus quoque, scilicet debita intentio ita in proposito.

Pueri à pœnis excusãtur.

58 Et hanc pœnam incurrunt transgredientes hoc pręceptum solum, vel simùl cum præcepto Eucharistię: quia, vt suprà dictum est, sunt duo præcepta diuersa, & distincta seiunctim obligantia. Pueri autem excusantur, ab his pœnis, licèt peccent vt suprà hac disput. cap. 1. dictum est.

✠

DISTINCTIO XIX.

Quæstio Vnica.

DISPVTATIO XXXI.

Vtrùm cuilibet sacerdoti in susceptione ordinis sacerdotij conferantur claues regni cœlorum.

In Ecclesia, & hoc apud Sacerdotem ritè ordinatum, esse duas claues regni cœlorum, & quæ sint.

Caput Primum.



DE clauibus regni cœlorum, quæ significant potestatem dimittendi peccata, & conferendi gratiam hominibus, diximus multa suprà agendo de Ministro huius sacramenti pœnitentiæ, disputatione illa in qua egimus de particula illa, *Cui facienda sit confessio*, c. 3. quia autem hic est proprius locus, breuiter rem ipsam explicare debemus. Notandum est ergo in ecclesia Christi Domini esse duplicem potestatem spiritualem: (nam de temporali modò non est agendum, sed suo loco) scilicet potestatem ordinis, & potestatem iurisdictionis, vt omnes communiter tradunt Turrecremata libro primo, de Summa Ecclesiæ cap. 93. & alij hoc 4. dist. 18. 19. 20. & vtraque potestas communiter appellatur in sacris literis, & à Sãctis Patribus, & Doctoribus clauis regni cœlorum, vt infrà, explicando quartum articulum huius quęstionis, cum Scoto dicam. Prius de potestate ordinis tractandum est, de potestate autem iurisdictionis infrà agam ca. 3. Potestas autem ordinis dicitur quoque ptãs sacramentalis, & est ea, quę datur per aliquam consecrationem ad cõfectionem, & administrationem sacramẽtorum: hoc patet, quia actus omnium sacramentorum, cum sint sacri, pertinent ad personam sacratam ad hunc effectum, vt sunt sacerdos & Episcopus. Excipitur ab hac regula matrimonium, in quo ipsi contrahentes habent rationem ministri conficiẽtis sacramentum, quia materia, & forma illius hoc requirit: nam in ipso exteriori contractu posita est. Nunc tamẽ ex ordinatione ecclesiæ post Conc. Trid. necessaria est pręsentia Parochi, non vt sit minister sacramenti, sed vt conditio quædam necessaria ad valorẽ contractus. Excipitur ẽt sacramentum Baptismi, quem interdum, scilicet in casu necessitatis poterit laicus conferre, quæ facultas est concessa propter necessitatem sacramenti: minister tamen ordinarius est sacerdos. Vnde D. Aug. lib. 2. contra Parmenianum cap. 13. inquit, *Nulla cogente necessitate si fiat, alieni muneris vsurpatio est, quod autem datum fuerit, non poterit dici non datum, quamuis possit dici illicitè datum.* Actus aũt omnes aliorum sacramentorum confirmationis, eucharistiæ, pœnitentię, ordinis sacri, & extremę vnctionis, necessariò requirunt ministrum sacro ordine consecratum, nimirum sacerdotem, vel Episcopũ. Tamen specialiori modo clauis ordinis, solet attribui potestati acceptę à sacerdote administrandi sacramentum pœnitentiæ: & proinde Theologi agentes de clauibus ecclesię, pręsertim agunt de potestate absoluendi à peccatis: Methaphora enim clauis maximè huic auctoritati accõmodatur: ideò nos de hac agemus hic, & priùs de hac potestate ordinis, deinde de potestate iurisdictionis.

Quid sit ptãs clauis.

Omnes enim Theologi hanc materiã tractant in hoc 4. d. 18. 19. & 20. & Alexander Alensis 4. p. q. 20. & sequentibus: at Scotus clariùs, & distinctiùs rem hãc pertractat, quã quiuis alius Scholasticus, in his duabus quęstionibus pertinentibus ad d. 19. & 18. Diuidit ergo Scotus hãc quęstionem in quinq; articulos: in primo ostẽdit, quòd in Ecclesia, & hoc apud sacerdotem ritè ordinatum est vna clauis

Diuisio q̃stionis Scoti in quinq; articulos.

uis ecclesiæ, quæ est potestas sententiandi in foro pœnitentiæ. In secundo, quod in eadem ecclesia, & apud eundem sacerdotem est altera clauis, quæ est potestas cognoscendi in causa rei, seu peccatoris pęnitẽtis. In tertio articulo ostẽdit, quòd illę duę claues verè sunt distinctę, nõ aũt vna, & eadem. In quarto explicat quo modo sacerdos p has duas claues se habeat respectu actuum earundem clauium: an scilicet immediatè per eas possit exire in actum ipsarum, vel aliquid aliud requiratur, quòd tractatur propter potestatem iurisdictionis. In quinto articulo disputat, an detur alia clauis distincta ab his, quæ erit de auctoritate iurisdictionis exterioris.

Quid sit clauis Regni cęlorũ quò ad q̃d nominis.

2 Quantum ad primum explicat primò, quid significet iste terminus, *claues regni cælorum*, & inquit, quòd hoc nomen, *clauis*, est nomen traslatum ab instrumento materiali, quod dicitur, *clauis*, ad spiritualia; oportet ergo, quòd in spiritualibus significet aliquid, quod habeat similitudinem cum claui materiali. Probatur: quia transferentes secundùm aliquam similitudinem transferunt: at clauis materialis est proximum instrumentum aperiendi, & claudendi ostium, per quod intratur in domum. Ex hoc deducitur, quòd clauis materialis non est apertio ipsa ostij; nec persona aperiens, nec causa, propter quã quis aperit ostium, vel illud claudit, quæcunque illa sit: potest enim esse dignitas, & indignitas personæ: cum enim persona est digna, illi aperimus ostium, vt possit ingredi domũ: cum persona est indigna, illi claudimus ostium, ne ingrediatur, itaquòd indignitas, vel dignitas est causa apertionis, vel clausionis ostij. Horum nullum est, nec dicitur clauis, sed clauis est instrumẽtum, siue dispositio quędam, qua persona potest aperire, vel claudere ipsum ostium alicui. Ita in proposito in spirituali ingressu regni cœlorum oportet reperire apertionem ipsam ostij regni cœlorum; oportet reperire aperientem, & claudentem: oportet reperire causam, propter quam aperiatur, & claudatur ostium cœli huic, & non illi; & tandem oportet reperire instrumentum, seu præuiam dispositionem, per quam persona aperiens potest aperire hoc ostium. Apertio ipsa est sententia diffinitiua, qua sententiatur cœlum huic aperiendũ esse, vel illi esse claudendum: aperiens, & claudens est ipse sententians: causa aperiendi, & claudendi est dignitas, vel indignitas illius, cui clauditur, vel aperitur: instrumentum, seu principium, quo quis aperit, vel claudit per sententiam, est ipsa potestas sententiandi. Ex his omnibus colligitur, quòd clauis regni cœlorum non est ipsa sententia, qua sententiatur cœlum huic aperiendum, & huic claudendum, quia hæc est apertio, neque est persona sententians, quia hæc est persona aperiens, neque causa propter quam quis aperit, vel claudit per sententiam; ergo relinquitur quod clauis ista spiritualis regni cœlorum sit ipsa potestas sententiandi, vt cœlum huic concedatur, & illi claudatur diffinitiuè. Sic patet, quid sibi velint nominis huius termini, *clauis regni cælorum*; significat enim *clauis* potestatem sententiandi diffinitiuè huic cœlum esse aperiendum, vel claudendum.

Quid sit clauis regni cœlorũ quò ad quid rei.

Triplex auctoritas aperiẽdi cęlum.

3 Quantùm ad rem distinguit Scotus, nam auctoritas iudiciaria sententiandi cœlum esse huic aperiendum, vel apertum, vel clausum, potest esse triplex. Prima est auctoritas simpliciter principalis. Secunda est auctoritas non principalis, sed præcellens. Tertia est auctoritas nec simpliciter principalis, nec præcellens, sed particularis, & infirma. Prima competit soli Deo propter duas rationes. Prima solus Deus est ex se iustus, immò ipsa iustitia: prima autem iustitia non potest competere nisi primo iusto: quia iudicium non est perfectum, nisi sit rectum, iuxta illud psalmi, *Feci iudicium, & iustitiam*, siquidem iudicare est ius dicere, i. iustum dictare. Primum autem iustum oportet esse perfectissimum, & ita iustissimum; prima ergo & principalis potestas iudicandi, seu prima iustitia debet cõpetere primo iusto, qui est Deus.

4 Secundò, quia iudicare est præsidentis, & superioris, iuxta illud Apostoli ad Romanos 14. *Tu quis es qui iudicas alienum seruum.* At primus præsidens, & superior non potest esse nisi solus Deus; ergo solus Deus habet potestatẽ principalem sententiandi. Vndè sicut non potest diuinitatem suam alteri communicare, ita non potest communicare auctoritatem primam, & principalem sententiandi, & iudicandi.

Clauis pręexcellentię cõpetit soli Christo, nõ ecclesię militanti.

5 Secunda clauis, quæ est præexcellentiæ potest habere duplicem præeminentiam. Primá est præeminentia, quò ad vniuersalitatem causarum iudicandarum. Secunda est quò ad firmitatem sententiæ diffinitiuæ. Hæc duplex præeminentia potest competere, & cõuenire illi, qui omnia merita, & demerita, quæ sunt causæ propter quas cœlum aperitur, vel clauditur, nouit, & simul habet voluntatem inseparabiliter conformem iustitiæ diuinæ. Qui ergo habet hanc clauem pręeminentię, siue excellentię propter primam præeminentiam potest in omnibus causis sententiare: quia omnes nouit, nec vlla eum fugit. Propter secundã eius sententia potest esse sententia simpliciter firma, & irreuocabilis, quia erit simpliciter iusta. Hæc clauis præexcellentiæ vtroque modo est propriè Christi Domini: in eo enim est notitia omnium meritorum, & demeritorum omnium iudicandorum, & nulla eum latet: in eo etiam est voluntas simpliciter iuncta Deo quò ad affectionem iustitiæ: vnde est simpliciter immutabilis à iustitia. Talis autem clauis non potest esse in Ecclesia militante, siue saltem de congruo in ipsa non potest poni: quia in ipsa non reperitur aliquis, qui nouerit omnes causas iudiciarias meritorum, & peccatorum, neque adest aliquis, qui habeat voluntatem iustam immutabiliter, sed donec peregrinamur in hac vita rectè, & malè agere possumus.

Clauis regni cęlorũ ecclesię militãtis, quę.

Tertia clauis est particularis, & infirma, seù vt communiter vocatur, clauis ministerialis: Et hæc potest esse in Ecclesia militante. Hæc autem clauis regni cęlorum Ecclesiæ militantis, dicitur particularis, quia non est de omnib. causis absolutè, sed de aliquibus. Ratio dicta est suprà, nũc loquendo de claui excellentiæ, quia in Ecclesia militante nullus est, qui possit cognoscere omnes causas, sed hoc solùm potest Christus: ideò nemo potest habere auctoritatem cognoscendi in omnibus, vt Christus Dominus. Cum ergo solùm possit habere cognitionem de causis particularibus, de illis potest conferri potestas iudicandi. Similiter hæc clauis Ecclesiæ militantis est infirma quantum ad ferendam sententiam iustè, & irreuocabiliter, quia cum omnis viator possit errare, potest etiam aliquando sententiam non iustam ferre, & sic non erit firma, nec rata: quia autem viator potest cognoscere in multis causis particularibus, & etiam secundùm legem diuinam in illis iudicare, & sic iustè iudicabit, potest talis clauis conferri Ecclesię militanti. Vndè si quis habens potestatem sententiandi, iudicabit secundùm legem Dei, erit firma, & iusta: si verò erit præter illam, non erit iusta, nec firma. Potest ergo esse in Ecclesia militanti vna clauis cœlum aperiendi. s. auctoritas sententiandi particulariter, & non irreuocabiliter alicui cœlum esse aperiendum.

Cõgruum est clauem particularẽ & infirmã esse in Ecclesia.

6 Congruum etiam est vt adsit; & hoc in sacerdote. Ratio prima est, vt Hierarchia Ecclesiastica sit ordinata, & vltima reducantur in primum per medium. Hierarca autem est medius inter Deum, & peccatorem reducendum: de qua re pulchrè D. Bernardus de consideratione ad Eugenium Papam, lib. 5. cap. 13. Secunda ratio est ex perfectione causarum secundarum. Probatur: nam ita cõgruit esse perfectas causas secundas in esse morali, sicut causas secundas in esse naturali. At causis secundis creatis in esse naturali Deus, non negat vniuersaliter causalitatẽ, quæ eis competere potest: immò & illam communicat, & ad eius actionem causis secundis assistit. Ergo neq. debet negare causis secundis moralibus causalitatem, quę potest eis competere: at in esse morali gratuito, possibile est hominem habere causalitatem ad sententiandum cœlum esse aperiendum, vel claudendum pro qualitate operum bonorum, vel malorum, quæ potestas sententiandi est clauis regni cœlorum, vt dictum est; ergo congruum fuit

Deum

Deum hanc clauem dare Ecclesiæ militanti: vt autem Ecclesia esset ordinata, congruum erat, vt hæc clauis daretur supremo in Ecclesia, supremus in Ecclesia est sacerdos; ergo danda erat sacerdoti.

Clauis hęc data est ecclesiæ.

7 Tandem probat hanc clauem datam esse actu Ecclesiæ. Breuiter auctoritate Diui Ioannis 20. vbi dicitur, *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur*, &c. & Matthei 16. Dum Christus Dominus dixit Petro, *& tibi dabo claues regni cęlorum.* ac de facto dedit Ioan. vltimo, *Pasce oues meas*. Nam vt ait Diuus Augustinus sæpissime pręsertim in Psalmo 108. Petrus gerebat personam Ecclesiæ, ideo quod Petro datur, toti Ecclesiæ datur; cum ergo promisit Petro claues, & actu ei illas dedit, dedit quoque eas Ecclesiæ, idest Petro principaliter, & cum summa potestate, & alijs Episcopis, & sacerdotibus cum subordinatione ad Petrum, vt ad caput dedit claues Petro, Episcopis, & sacerdotibus ad ministeriũ, & alijs fidelibus laicis in vtilitatem. Cõcludit deindè Scotus hanc clauem, siuè facultatem iudicandi aperiendum, vel claudendum esse cęlum, rectè appellari clauem potestatis: quia sentẽtiare non potest nisi, qui pręsidet, & ideo potestas sententiandi verè dicitur clauis potestatis. Non laborat autem Scotus in probando hanc clauem potestatis datam esse actu Ecclesiæ, quia tunc temporis non erat disputandum cum hæreticis eam negantibus: nos autem abundè hoc suprà probauimus, loquendo de institutione sacramenti pœnitentiæ.

Secũdus articulus quæstionis enodatur.

8 In secundo articulo eiusdem quæstionis Scotus probat in eadem Ecclesia militanti, & apud sacerdotem esse aliam clauem, quæ est potestas cognoscendi in causa rei, cui sententiatur cęlum esse aperiendum, vel claudendum. Probat autem sic. Illud, cuius vsus est ita necessarius claui potestatis, quod sine illo vsus potestatis sententiandi non est rectus, potest dici clauis; sed sic est, quòd potestas cognoscendi in causa peccatoris est talis, quòd sine vsu eius nemo potest rectè sententiare cęlum esse huic aperiẽdum, vel claudendum; ergo potestas cognoscendi in causa peccatoris potest dici clauis regni cęlorum. Maior probatur: quia instrumentum, quod concurrit cum claue ad aperiẽdum ostium, licèt non concurrat proximè, & immediatè, sed tantùm remotè, si tamen est omninò necessarium ad vsum clauis, ita quòd clauis nõ possit habere rectum vsum suum sine illo instrumento, potest dici clauis: immò quasi concurrit in vnum cum instrumento proximo, & propinquo. Minor probatur: quia nisi quis cognoscat meritum, vel demeritum, siuè actus illos, propter quos huic cęlum est aperiendum, vel claudendum, non poterit sententiare sententia recta huic cęlum esse aperiendum, vel claudendum; quod patet ex communi modo iudicãdi hominum: ignorata enim causa rei, nulla potest esse absolutio, vel dãnatio iusta, & recta. Et sic concluditur potestatem cognoscendi in causa peccatoris esse, & posse dici clauem.

Quid sit clauis sciẽtiæ.

9 Hæc autem clauis potestatis cognoscendi causa dicitur *clauis scientiæ*; vbi est notandum Magistrum Sententiarum in explicatione quid sit hæc *clauis scientiæ* lapsum esse. Putauit enim hanc clauem esse scientiam actualem, vel habitualem, vel discretionem aliquam circa cõfessionem faciendam: inquit enim dist. 18. cap. primo, *Multi indiscreti, qui nec ante sacerdotium, nec post scientiam habent discernendi, ideoque illam clauem in consecratione non recipiunt: qui verò ante sacerdotium scientia præditi sunt, & ante habita discretio augetur fit in eis clauis, vt iam ea vti valeant ad claudendum, vel aperiendum.* Scotus autem hac quæst. arg. 2. eam confutat, & inquit per clauem, quæ est scientia non intelligi cognitionem aliquam actualem, vel habitualem discernendi peccatum à peccato, & inter lepram, & lepram, sed intelligi facultatem, & potestatem cognoscendi in causa peccati, vt possit rectè, & iustè sententiare: & hanc eãdem sententiam sequuntur communiter Doctores, vt Diuus Bonau. dist. 18. p. 1. a. 3. q. 2. Richardus a. 1. q. 3. Alensis 4. p. quæst. 20. m. 3. a. 1. Soto dist. 20. q. 1. a. 2. conclusione secunda, & alij communiter. Ratio Scoti est, quia ista duo distinguuntur abinuicem, scilicet scientia actualis, vel habitualis, & potestas cognoscendi in causa. Potest enim contingere quòd, & si communiter in sententiante concomitetur vsum sententiandi ipsa sciẽtia actualis, vel habitualis, sine qua vsus talis potestatis rectè haberi non potest: tamen potestas sententiandi alicui comittatur, qui non habeat huiusmodi scientiam actualem, vel habitualem, sicut ad sententiandum requiritur iustitia in iudicante, & tamen potestas iudicandi potest conferri sine iustitia ista habituali, vel actuali. Vnde inquit Scotus, qui vult saluare Magistrum, debet eum exponere, quòd pro tanto dicat scientiam requiri non absolutè, nec absolutè esse clauem scientiæ, quæ in ordine confertur; sed requiri scientiam illam ad hoc, vt ea rectè vtatur, & sic pertinet ad clauem secundùm quid, non absolutè.

Opin. Magistri Sent. reiecta à Scoto.

D. Bonau. Richar. Alensis. Soto.

Dubiũ cur nõ appellatur clauis iustitiæ.

10 Quòd si quis obijciat, si non magis pertinet ad clauem potestatis sententiandi scientia, quàm iustitia, quare magis vocatur hæc clauis, *clauis scientiæ*, quàm *clauis iustitiæ*? vel iustitia ipsa? nam vtraque tam scientia actualis, vel habitualis, quàm iustitia non requiritur absolutè ad hanc potestatem, sed secundùm quid, scilicet ad rectè, & iustè sententiandum. Respondet Scotus, quòd *clauis scientiæ* non dicitur *clauis scientiæ à scientia actuali, vel habituali*, vt dictum est; sicut nec à *iustitia habituali* dicitur *potestas iudicandi*, quia vtrumque illorum non absolutè requiritur, vt dictum est; licèt enim sine iustitia indebitè faciat, tamen absolutè facit; & licèt sine cognitione actuali, vel habituali non rectè faciat, tamen simpliciter facit: sed denominatur *clauis scientiæ à potestate cognoscendi in causa*: quia hæc semper requiritur in sententiante. Quod enim facit iste in causa semper est *scientiæ*, idest *cognitionis in causa*, sicut qui sinè iustitia habens auctoritatem, sententiat aliquid, facit quod potestatis est, licèt indebitè.

Triplex clauis sciẽtiæ.

11 Est tamen notandum, clauem hanc scientię esse triplicem, sicut diximus superiori articulo, triplicem esse potestatem, scilicet clauem scientię primam, & principalem; & hæc competit soli Deo: & clauem eminentiæ siue præexcellentiæ, & hanc competere soli Christo Domino. Tertiam esse clauem particularem, & ministerialẽ, quæ competit Ecclesiæ, & hæc est, quæ sacerdoti confertur, & de qua nunc suprà locuti sumus.

Quòd autem hanc clauem scientiæ ministerialis esse in Ecclesia militante sit congruum, & quod actu sit, probatur eo modo, quo suprà probatum est in Ecclesia debere esse, & actu esse potestatem sententiandi, siuè clauem potestatis: nam, qui habet auctoritatem sententiandi in aliqua causa, congruum est quoque, vt habeat potestatem cognoscendi in illa causa; alioquin posset aliquis committere alicui potestatem sententiãdi in aliqua causa pro libito, absque cognitione causæ, quod est omninò irrationabile, quando sententians potest in sententiando errare, cuiusmodi est omnis viator. Deus ergo committens de facto Ecclesiæ suæ auctoritatem primam, quæ est sententiandi, quæ dicitur clauis potestatis, commisit etiam sibi potestatem secundam, scilicet cognoscendi in causa, quæ dicitur clauis scientiæ. Et ita in collatione actuali primæ clauis, quæ habetur Ioannis 20. *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis*, &c. contulit quoque hanc secundam clauem scientiæ tanquam præuiam vsui primæ, &, quasi quodammodo vna clauis, & potestas dici possunt, vt sequenti capite dicam.

An claues istæ distinctæ sint, an vna.
Caput Secundum.

Quid sint claues, ex D. Thom. & quibusdam alijs.

12 IN tertio articulo illius quæstionis Scotus disputat, an hæ *claues* sint reuera duæ, an vna tantùm, & si sunt duæ, propter quam causam sint duæ. Antequam autem quæstionem dissoluat ponit opinionem Diui Thomæ in 4. dist. 18. q. 1. quæstiun. 2. ad primum, & aliorum, quam etiam ipse postea sequitur; sed priùs eam impugnat, quia licèt vera sit, tamen non benè explicatur ab ipso, nec ab

alijs:

alijs: vnde postea Scotus rē ipsam clarè declarat. Respondent ergo Diuus Thomas, Soto in hoc 4. dist. 20. q. 1. a. 1. Suarez disp. 16. sect. 3. & quidā alij, quòd istæ *claues* sunt *character sacerdotalis*, & nihil ampliùs. Vnde ex hoc sequitur, has *claues* conferri ipsis sacerdotibus in ordinatione, & tot esse, quot characteres. Cæterū hæc responsio est valdè diminutà, nec rem declarat, vt oportet.

Opin. ista, vt diminuta reijcitur.

13 Vt ergo rem declaret impugnat hanc opinionem pro cuius notitia notandum est, quòd vt diximus dist. 6. q. 10. agēdo de *charactere*. Character est potestas quædam. Duplex est autem potestas, alia est passiua, scilicet potestas suscipiendi aliquam formam, & huiusmodi est caracter baptismalis; est enim potestas suscipiendi sacramēta; alia est potestas actiua, scilicet efficiendi aliquid, & sic est duplex character. Alter Episcopalis, quo potest conficere sacramentum chrysmatis, & conferre ordines sacros. Alter est character sacerdotij, qui est potestas super corpus Christi verum cōficiendo Eucharistiam; & super corpus Christi misticum conficiendo præsertim sacramentum pœnitentiæ. Et hæc potestas dicitur clauis Ecclesiæ. Ad propositum ergo Scotus arguit, quòd claues istæ non sint character sacerdotalis. Primò, quia character sacerdotalis videtur esse potestas conficiendi corpus Christi in Eucharistia: at illa potestas, & potestas clauium, scilicet super corpus Christi misticum sunt diuersæ potestates; ergo claues non sunt ipsemet character. Maior supponitur vera ex dictis. Minor probatur, quia potestas conficiendi corpus Christi potest esse sine potestate clauium; ergo assumptū probatur, quia sic fuit in Apostolis: nam in cœna acceperunt characterem sacerdotalem, scilicet potestatem super corpus Christi verum, cum peracta cœna Christus Dominus dixit illis. *Hoc facite in meam commemorationem*, & tamen tunc nō acceperunt potestatem super corpus Christi misticum, siuè claues, sed post resurrectionem. Ioan. 20. *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis*, &c. ergo potestas clauium non est idem quòd character sacerdotij, siuè potestas conficiendi corpus Christi; vel, vt inquit Scotus, potestas clauium non est character, pro vt character est potestas conficiendi Eucharistiam.

1. Ratio.

Confirmatio.

14 Confirmatur, quia hoc idem consimiliter videtur posse dici de quolibet sacerdote nunc ordinato in Ecclesia: priùs enim Episcopus ordinando dicit: *accipe potestatem conficiendi, vel celebrandi Missam tam pro viuis, quàm pro defunctis*, dans ei calicem, & quibusdam interpositis, ponens manus super caput eius, dicit, *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis*, &c. Vnde videtur quòd quilibet sacerdos priùs recipiat potestatem, conficiendi Eucharistiam, quàm absoluendi à peccatis; ergo istę sunt duę diuersæ potestates. Et ita ex hoc argumento, & confirmatione probare videtur, quòd claues non solùm sunt distinctæ à charactere sacerdotali, si character sacerdotalis est tantùm vnus, sed etiam habetur, quòd sint duæ potestates distinctæ; ergo res est difficilis, & est explicanda.

2. Ratio.

15 Secundò, vt dictum est suprà eadem dist. 6. qu. 10. character non potest esse nisi relatio; relatio autem non potest esse eadem ad plures terminos: at corpus Christi verum, & corpus Christi misticum, siuè consecratio corporis Christi, & absolutio pœnitētis à peccatis sunt distincti termini; ergo character, qui est potestas consecrandi, non est character, qui est potestas absoluendi. Videtur ergo quòd claues istæ distinctæ sint à charactere sacerdotij, si est vnus: vel res est magis declaranda.

Opin. Scoti.

16 Habitis his obiectionibus, rem ipsam ex propria mente declarat, & dat modum soluendi supradictas obiectiones. Inquit ergo ad quæstionem propositam proculdubio istas claues, & potestates esse omninò distinctas, & esse proculdubio duas potestates realiter distinctas; & hoc probat efficaciter, vt nunc ostendam. Ex quo miror Soto in 4. dist. 20. a. 1. post tertiam conclusionem tribuere Scoto, quòd cum Marsilio dicat has claues non esse duas, sed vnicam tantùm ea ratione, quia potestas ligandi, & soluendi est vnica potestas; & licèt dicantur duæ claues, non esse, quia reuera sint plures claues, sed quia Christus eas sic nominauit; atque deinde inuehitur in Scotum, & Marsilium, quòd, cum Christus eas plures nominauerit, dicendum est claues istas esse plures, scilicet duas, non vnicam. Falsò enim Soto adscribit hanc opinionem Scoto, quoniam Scotus in hoc art. 3. q. huius disertè asserit esse duas claues omninò distinctas. Et asserit absolutè esse verum verbum illud Christi Matthei 16. *Tibi dabo claues regni cælorum*, atque de potentia Dei absoluta posse separari.

Obiectio Soto reijcitur.

17 Atque hoc probat sic. Illæ sunt claues, & potestates distinctę, quæ possunt separari ab inuicem; sed sic sunt huiusmodi claues, & potestates; ergo. Maior est euidens. Minor probatur: nam sicut aliquis pręsidens potest committere alteri facultatem cognoscendi in causa non committendo ei facultatem in eadem causa sententiandi, sed reseruando sibi auctoritatem sententiandi, vt si diceret, cōmitto tibi auctoritatem examinandi causam istam, vt referas mihi, vt sententiem; posset etiam committere alteri auctoritatem sententiandi sine auctoritate cognoscendi, vt si diceret; committo tibi vt sine omni cognitione causæ sententies, sicut placet: licèt talis commissio non esset ordinata, si committeretur alicui, cuius voluntas esset obliquabilis. Ita in proposito posset Deus committere auctoritatem cognoscendi in causa sinè auctoritate sententiandi; & ista commissio esset ordinata simpliciter, etiam alicui, vel aliquibus cōmissa in humanis. Posset etiam Deus de potentia sua absoluta committere potestatem sententiandi sinè cognitione in causa alicui habenti voluntatem obliquabilem; ergo ex his conspicitur has duas potestates esse omninò distinctas, & separabiles abinuicem.

Fundamentum opinionis Scoti.

18 Subiungit tamen Scotus, quòd de potentia Dei ordinata, siue de facto vtraque potestas simul committitur cuilibet sacerdoti Ecclesiastico ad minùs completè ordinato, quòd pro tanto dicit Scotus, quia si priùs tempore datur vna potestas, quàm altera, sacerdos non est completè ordinatus, e.g. si sacerdos priùs habeat potestatem conficiendi corpus Christi, siuè celebrandi, quàm super corpus Christi misticum; siuè absoluendi, & secunda potestas ei non detur; sed primo facto secundum omitteretur, non esset perfectè ordinatus ille sacerdos: ita si altera illarum potestatum, & clauium priùs datetur, & deindè altera omitteretur, iste sacerdos non esset perfectè ordinatus. Necesse est ergo vtranque clauem dari, ad hoc vt sacerdos sit perfectè ordinatus.

De facto simul vtraq; potestas datur.

19 Mouet deinde dubium, an istæ duæ potestates pertinentes ad perfectam ordinationem sacerdotis, scilicet celebrandi, & absoluendi omninò simul tempore dentur. Ex hoc enim patebit quid dicēdum sit de duabus istis clauibus pertinentibus ad absolutionem. Qua in re Scotus est aliquo modo obscurus: nam potestatem celebrandi appellare videtur clauem, & videtur facere transitum à clauibus scientiæ, & potestatis, quæ pertinent ad absolutionem, & sacramentum pœnitentiæ ad potestatem celebrandi, quæ pertinet ad sacramentum Eucharistiæ, & ad potestatema absoluēdi, quæ pertinet ad sacramentum pęnitentiæ. Sed hoc, vt dixi, facit vt ex vno veniamus in cognitionem alterius. Inquit ergo quantùm ad potestatem celebrandi, & absoluendi, an simul dentur se non asserere. Vndè est problematicus. Potest enim dici quòd simul dentur, & quòd simul non dentur; & quantùm ad characteris impressionem, ac habitudinem quoque istarum clauium ad ipsum characterem potest diuerso modo responderi.

An simul tēpore potestas celebrandi, & absoluendi detur.

20 Quantum ergo ad primum inquit posse sustineri, quòd non simul tempore omninò dentur sacerdoti facultas celebrandi, & facultas absoluendi; & sustinendo hanc opinionem, dici potest, quòd sicut sunt duæ potestates, ita sunt duo characteres, & vterque imprimitur distinctè in suo proprio signo sensibili significante illud, quod est inuisibile, vtpotè, primus character imprimitur in datione calicis cum illis verbis, *accipe potestatem celebrandi*, &c. Secundus character datur in impositione manuum

Quādo imprimat character.

cum

cum illis verbis, *accipe Spiritum sanctum*, &c. Sustinendo ergo hanc viam, dicendum est vtramque potestatem esse quendam characterem distinctum, & vtrunque integrare vnum characterem, & vnam potestatem perfectam integrantem totum ordinem sacerdotij. Ex hoc ad propositam difficultatem de clauibus possemus proportionabiliter dicere, quòd vnaquæque clauis, scilicet potestatis, & scientiæ est quidam particularis character, qui simùl integrant vnum perfectum characterem, & potestatem absoluendi pœnitentes in Ecclesia militanti.

Duæ claues habêt duos distinctos characteres.

21 Quòd si hic modus dicendi non placet: quia non videtur rationabile ponere tot characteres respondentes vni ordini sacerdotali, potest dici, inquit Scotus, ad primã difficultatem de potestate celebrandi, & absoluẽdi, quòd illæ non requirunt duos characteres, sed sufficit vnus, & ille imprimitur, cum sacerdos accipit potestatem celebrandi: qui modus dicendi declaratur sic. Potest dici, quòd per vnum characterem sacerdotalem habet quis potestatem conficiendi corpus Christi vbicunque imprimatur, & per illum iste, cui hic character imprimitur ascribitur familiæ Christi in tali gradu excellenti, vt potè in gradu cibantis populum Christi in Ecclesia. Sicut autem in istis curijs magnorum promotus ad gradum excellentem in familia Domini, per hoc disponitur, vt habeat auctoritatem aliquam respectu aliorum seruorum: ita per hoc, quòd iste in familia Christi Domini in gradu excellentiori per characterẽ sacerdotij constituitur, disponitur de congruo ad habendam potestatem super corpus Christi misticum ligandi, & absoluendi; & ita secundùm hanc viam character vnus solus in ordine sacerdotij imprimitur, & ille, cum Episcopus dat ei auctoritatem celebrandi, qui character postea est dispositio ad istas claues, seù potestates cognoscendi, & sententiandi in causa: itaquòd claues non imprimunt proprium characterem, sed in primo fundantur. Et ita licèt priùs imprimatur character sacerdotalis, quàm istæ claues, & potestates actu conferantur, tamen character est dispositio prçuia, vt istæ possint recipi in illo subiecto: istæ tamen duæ claues, scilicet potestatis, & scientiæ simùl conferuntur: itaquòd collatio vnius non separatur à collatione alterius: quoniam sicut Christus Dominus eodem verbo Ioan. 20. ambas claues contulit Ecclesiæ, ita Episcopus in eodem signo sensibili, & verbo, scilicet cum ponens manus super caput eius, qui ordinatur, inquit, *accipe Spiritum sanctum*, *quorum remiseris*, &c. confert ambas claues; vnam quasi excellentem, & explicitè, scilicet clauem potestatis sententiandi, cum dicit *quorum remiseris*, &c. alteram quasi implicitè, scilicet potestatem scientiæ: quia eius vsus est necessarius, & antecedens ad vsum potestatis.

Alius modus dicẽdi.

22 Ex hoc infert Scotus has duas claues aliqualiter posse dici vnam clauem, scilicet vnitate ordinis: nã vtraque ordinatur ad vnum, & eundem actum, scilicet ad aperitionem regni cœlorum, sed cũ subordinatione: quia potestas sententiandi ordinatur ad eum actum quasi excellenter, & explicitè; potestas seu clauis cognoscendi implicitè, & minus excellenter.

Quomodo hæ duæ claues possint dici vna.

23 Hunc modum dicendi postremum sequitur Soto vbi suprà aliquo modo quatenus dicit vnum, & eundem characterem per diuersos respectus ad diuersa officia dici plures potestates, sicuti idem ignis calefacit, rarefacit, & exicat: ac dum dicit quòd ab Episcopo confertur potestas clauium dum imprimitur character, qui imprimitur, dũ confertur potestas in corpus Christi verum; sed quia Episcopus non potest simul omnia dicere postmodum, dum imponit manum, dicens, *accipe Spiritum sanctum* &c. declarat facultatẽ characteris priùs impressi extendi ad absoluendum à peccatis, quem modum dicendi accepit à Diuo Thoma dist. 18. vbi supra, & à Turrecremata lib. 1. Summæ Ecclesiæ cap. 93. concl. 6. quam desumpsit ex D. Thoma ad litteram vbi suprà: quia etiam illud exemplum de igne adducit.

24 Sed hic modus dicendi explicatus hoc modo à D. Thoma Soto, & Turrecremata nõ omnino satisfacere videtur: quia si Episcopus daret, præcisè potestatem celebrandi sacerdoti ipsi, & omitteret conferre potestatem absoluendi, iam character sacerdotij esset impressus, & tamen ille non haberet potestatem absoluendi, quia non esset perfectè ordinatus; ergo non videtur characterem se habere ad diuersos effectus, sicut se habet forma ignis ad diuersos effectus, scilicet calefaciendi, exicandi, & rarefaciendi: quia forma ignis ex æquo se habet ad hos effectus, non sic character ad has potestates, vt visum est.

Modus dicendi Scoti est rationabilior.

25 Videtur ergo Scotus meliùs rem declarare, dicendo, quòd per collationem potestatis celebrandi confertur actu character, & potestas celebrandi: non confertur autem actu potestas absoluendi, sed solùm character est dispositio de congruo ad suscipiendum potestatem absoluendi, siue potestatem clauium. Vndè cum Episcopus cõfert potestatem absoluendi, non confert nouum characterem, sustinendo, quòd vnus character in ordine sacro cõferatur; (licèt Scotus dist. 24. q. 1. ad secundum principale, concedat in ordine sacro imprimi plures characteres particulares, qui vnum ordinem, & characterẽ integrum ordinis constituunt) sed solùm virtute characteris iam impressi dat potestatem actualem absoluendi, siue claues, ad quas priùs habebat solùm dispositionem de congruo &c.

26 Hinc ad argumenta superiùs in hoc capite facta ad primum respondet Soto, & alij eiusdem opinionis non esse parem rationem de Christo, & Episcopis: fatetur tunc quidem Christum dedisse diuisim potestatem conficiendi corpus Christi in Eucharistia, & absoluendi, illud, scilicet in çena, istud Ioan. 20. post resurrectionem: atque hoc ipse fecisse, quia habebat potestatem excellentiæ; at nunc Episcopum ordinantem sacerdotem conferre vtranque auctoritatem, dum confert potestatem celebrandi. Sed iam contra hoc est obiectio: quia tunc sacerdos non est perfectè ordinatus, quia nondum accepit claues, quæ cõferuntur, cum Episcopus ei imponit manus, & dicit, *accipe Spiritum sanctum quorum remiseris* &c. in illis enim verbis Christus instituit dari hanc potestatem.

Ad primũ argumẽtũ superius factum, & cõfirmationẽ, responsio Soto.

Reijcitur.

27 Dicendum est ergo cum Scoto, quòd eodem modo, quo Christus Dominus consecrauit Apostolos, sic Episcopus hodiè; sed Christus Dominus in cœna contulit potestatem celebrandi, & consequenter characterem: quia hæc potestas est excellentior, quia nimirum est super corpus Christi verum, altera super corpus Christi misticum: ideò etiam in hoc charactere dedit dispositionem congruam ad recipiendum claues, & potestatem absoluendi, quam potestatem absoluendi actu, postça recipit per impositionem manuum, & per prolationem illorum verborum *accipe Spiritum sanctum quorum* &c. & per hoc patet ad confirmationem.

Vera solutio.

28 Ad secundum respondetur, non esse inconueniens aliquam relationem esse ad duos terminos disparatos, sicut diximus de promoto ad aliquem gradum excellentem in curia magno, quòd per hoc disponitur vt habeat auctoritatem aliquam respectu aliorum seruorum: ita in proposito licèt character sacerdotalis pro primo termino respiciat potestatem in corpus Christi verum, tamen consequenter, & disputatiuè recipit potestatem super corpus Christi misticum, & sic secundariò, & ex consequenti respicit alium terminum.

Ad secundum.

De potestate iurisdictionis. Caput Tertium.

29 IN quarto articulo huius quæstionis, explicat Scotus, quomodo istæ claues, seu potestas ordinis absoluendi se habeat respectu ipsius absolutionis pœnitentis, an scilicet sit potestas propinqua, & proxima, quæ statim se ipsa absque vlla alia potestate possit exire in actum: an requiratur aliquid aliud, scilicet an requiratur potestas iurisdictionis, quæ materia est necessaria, & dignissima scitu. Vbi Scotus rẽ ipsã breuiter, sed acutissimè explicat; quæ autem necessaria sũt ad exactiorem cognitionẽ addemus.

Quartus articulus quæstionis Scoti explicat.

Primò

Quæ sit potentia proxima, & quæ remotta.

Primò ergo premittit declarationem horum terminorum potentia actiua propinqua, & potentia actiuæ remota, quam desumit ex Aristotele 9. Meth. tex. 10. quæ est: illa est potentia actiua propinqua, seu proxima ad agendum, cui statim correspondet passiua, & ipsa non est impedibilis. Potentia verò remota ad agendum est illa, cui statim in natura non respondet passiua, siuè passiuum, in quod agere possit; vel si ei correspondet passiuum: tamen ipsa est impedibilis. Quando ergo sic est impedita, vt non possit exire in actum, dicitur potentia actiua remota ad agendum. Hanc distinstionem probat ex Aristot. loco citato, vbi vult quòd actiuum, & passiuum habentia completè potentiam actiuam, & passiuam statim agant; nec oportet addere nullo exteriori prohibente: quia hoc includitur in ratione potentiæ; at hoc non est verum, nisi de potentia, vt dicit potentiam propinquam actui.

Potestas celebrādi est propinqua, sed potestas clauiū est remota.

30 Ex his ad propositum respondens, inquit, potestatem cōficiendi corpus Christi in Eucharistia esse potestatem propinquam. Ratio est, quia huic potestati statim correspōdet in natura materia, scilicet omnis panis triticeus; & est potestas non impedibilis: quia quandocunque aliquis attentat per eam facere in materia determinata, & debita, facit; at potestas clauium non sic se habet; nō enim ei statim correspondet passiuum proportionatum, seu materia, in quam possit agere: nam materia, in quam debet agere, est peccator pœnitens quidem, sed requiritur etiam vt sit subditus habenti talem potestatem: quia potestas clauium, vt dictum est, est potestas iudicandi, & sententiandi in causa pœnitentis rei; omnis autem talis potestas requirit, vt reus iudicandus sit subditus iudici sententianti: quia sententia à non suo iudice lata est nulla; at in collatione ordinis sacri non confertur hæc subiectio pœnitentis ipsi sacerdoti recipienti potestatem clauium, sed requiritur, vt aliunde subditus ei detur, in quem habeat auctoritatem sententiandi; non solùm ad hoc vt ritè absoluat, sed vt simpliciter absoluat. Differt ergo hæc auctoritas clauium ab auctoritate consecrandi, quia huic statim correspondet materia propria, nec potest impediri ab aliquo, quin agat, & faciat si attentet; licèt faciendo contra præcepta superioris, malè faceret; tamen faceret, & consecraret; at potestati clauium non correspondet statim materia propria, in quam possit agere, & nō impediri, quin faciat, si attentet, vt dictum est, sed secundùm communem sententiam requiritur, vt ei subditus detur: vel si habeat subditum, nō impediatur: quia si à superiore impediatur per suspensionem, nihil facit; ergo hæc potestas clauium est potestas actiua remota, non propinqua.

Dubiū difficile.

31 At mouet Scotus hic dubium difficile. Hæc assertio videtur falsa, quia est axioma phylosophicum verum Aristot. 1. de cœlo contra Platonem. Omni potentiæ actiuæ correspondet passiua: nam si in natura esset aliqua potentia actiua, cui non posset correspondere passiua, nisi per aliquam aliam potentiam actiuam, illa non esset vera potentia actiua; ergo à simili hìc cum per potestatem clauis non possit correspondere habenti eam materia, nisi per aliam potestatem, scilicet iurisdictionis, sequitur, quòd potestas clauis non sit potentia actiua; & confirmatur de potestate iudiciaria. Nullus enim videtur posse habere potentiam iudicandi, cui nullus subest vt iudicabilis ab eo; ergo clauis vndè clauis non est potestas iudicandi, &c.

Solutio.

32 Huic dubio fusè respondi suprà disp. 25. agendo de ministro huius sacramenti, declarando particulam, *cui sit facienda confessio*, cap. 3. & pro hoc dubio rectè declarando altiùs principium est incohandum declarando originem, & necessitatem vtriusque huius potestatis, quod fiet infrà. Pro nunc autem breuiter dico, quòd potestas clauium est verè potestas actiua, quia eius materia, & passiuum proprium, non est quicunque pœnitens, sed pœnitens subditus. Hoc enim habito potest agere, nec potest impediri. Ad actum ergo absolutionis requiruntur duæ potestates partiales ordinis, & iurisdictionis, quarum vna non potest esse sine altera, & ambæ integrant vnam potestatem iudicandi perfectam.

33 Verùm vt distinctè intelligatur. Propter quid claues ordinis non possunt immediatè in actum suum, sed requiritur potestas iurisdictionis, quæ quoque dicitur clauis, vt suprà diximus, & infrà ostendam, videre oportet quomodo potestas iurisdictionis sit in Ecclesia. Notandum est ergo in Ecclesia Christi esse duas potestates temporalem, & spiritualem. De hoc non est dubium. De temporali autē nunc non est disputandū, an sit de iure diuino, vel humano, & an à Deo immediatè sit, an sit de iure naturæ, vel gentium, & à Deo confirmata; & de comparatione eius ad potestatem spiritualem. De his enim quæstionibus suo loco agemus. Loquendo ergo de spirituali potestate. Hæc est duplex, scilicet *ordinis*, & *iurisdictionis*. De potestate ordinis iam dictum est, esse duplicem, quæ propriè nomine clauium appellatur, scilicet *scientia*, & *potestatis*. *Potestas iurisdictionis*, verò sic diffinitur. *Potestas iurisdictionis est potestas ad regendum populum secundùm legem diuinam in ordine ad beatitudinem supernaturalem, quæ non per consecrationem, sed simplici iniunctione Dei, vel hominis confertur*. vel sic diffinitur. *Potestas iurisdictionis est potestas ius dicendi per modum Imperij ad obseruandum id quod precipitur obligando*. Hæ duæ diffinitiones habentur apud Turrecrematam in Summa de Ecclesia. lib. 1. cap. *93*. & *96*. & communiter supponuntur ab alijs Theologis, & Doctoribus.

Duæ potestates sunt in ecclesia, tēporalis & spiritualis.

34 Ratio autem, propter quam in Ecclesia istæ duæ auctoritates distinctæ institutæ sint à Domino, potest assignari sic. Vnusquisque actus debet prouenire à proportionata forma: vndè actus naturales à naturalibus formis, & actus supernaturales à supernaturalibus formis proueniunt. Cum ergo actus sacramentales sint actus sanctificantes hominem in ordine ad beatitudinem, necesse erat vt in Ecclesia essent ministri habentes in se supernaturales formas has, quibus possent homines sanctificare; hoc factum est per ordinationem sacram, qua ipsis hominibus ex institutione diuina conferuntur characteres, & potestates efficiendi hos actus supernaturales. Vt autem esset Ordo in Ecclesia Christi, & vt tolleretur confusio omnis, necessaria erat quoque potestas iurisdictionis, qua aliqui in Ecclesia constituerentur superiores, & alij inferiores, ac diuersi gradus, sed subordinati in ipsa darētur. Hoc enim fit per potestatem iurisdictionis. Hæc enim potestas est, qua vnus habet imperium, & dominium super alterū, quo potest illi imperare iuridicè, & ille tenetur illi obedire in his, quæ precipit.

Cur in Ecclesia sit potestates istę distinctę ordinis, & iurisdictiōis.

35 Vndè communiter hæc potestas iurisdictionis diuiditur in duas partes; alia enim dicitur potestas directiua, & alia potestas coerciua. Potestas directiua est, qua quis potest facere legem ad dirigendum hominem in actionibus suis; & sic leges, & præcepta dātur, quæ obligant subditos ad regulandum se iuxta illa, illis parendo, & qui nō parent, peccant. Potestas coerciua est potestas cogendi, per inflictionem pœnarum subditum ad eisdem pręceptis obediendum: hæc enim fit in inuitum, quæ duplex potestas etiam alio nomine dicitur potestas in foro conscientiæ, seu interiori, & in foro esteriori. Potestas in foro interiori est potestas directiua, quæ obligat sub pœna peccati. Potestas in foro exteriori est, quæ cogit inuitum per pęnas ad obediendum, & standum iuri. Vel, vt alij dicunt, potestas iurisdictionis in foro interiori est, quæ ordinatur ad forum sacramentale, quòd pertinet solùm ad conscientiam & internum bonum animæ. Potestas in foro exteriori est, quæ pertinet ad gubernandam Ecclesiam in foro exteriori per iudicia pœnas, &c. Potestas quoque coerciua est duplex: alia est quæ cogit per pęnas spirituales, vt per excommunicationem, & censuras inuitum ad obediendum: alia est quæ cogit per pœnas temporales, vt per carcerem, exilium, priuationem bonorū. Prima potestas maximè pertinet ad ecclesiam. Secunda ex accidenti, quatenus inuocare potest brachium seculare, & aliquando pręcipere, vt

Quotuplex est potestas iurisdictionis.

pęnis

pęnis exterioribus aliquem delinquentem puniat. Notandum est tamen has potestates, non esse diuersas, sed vnam, & eandem, quæ secundùm diuersos effectus, diuersa nomina sortitur: nam quatenus à superiore confertur iurisdictio alicui in aliquem in ordine ad sacramentum pœnitentiæ, dicitur dare ei potestatem iurisdictionis in foro cōscientiæ: quatenus verò datur alicui iurisdictio ad coercendum aliquos, vt obediant aliquibus præceptis, vel legibus, ac secundùm allegata, & probata procedat, dicitur dare iurisdictionem in foro exteriori, & hęc quandoque datur laico. Potestas enim iurisdictionis non requirit vt subiectum, in quo est, sit sacerdos: vnde laicus potest esse Papa; & tamē in Papa residet suprema potestas. Hęc etiā auctoritas datur aliquando ampla, aliquando cum limitationibus multis, vt diximus suprà agendo de proprio sacerdote ex iurisdictione delegata.

Cur ptās ordinis egeat ptāte iurisdictionis.

36 Ex his facilè possumus declarare propter quā causam potestas ordinis sit distincta à potestate iurisdictionis, & potestas ordinis egeat potestate iurisdictionis. Nam distinguuntur, quia potestas ordinis est forma producens formaliter actum sacrum, ad quem à Deo instituta est: at potestas iurisdictionis non est aliqua forma producens aliquem actum sacrum: habens enim potestatem iurisdictionis tantùm, neminem absoluere potest à peccato, nec consecrare, nec facere aliquem alium actum sacramentalem; quia ad talem actū, requiritur propria forma, à qua actus ille natus est produci ex institutione diuina. Potestas autem ordinis requirit potestatem iurisdictionis, quia potestas ordinis si resideat in subiecto habente superiorem, potest superior illum impedire ab operatione propter superioritatem, & imperium, quod habet super illum, ne omninò faciat, etiam si attentet, vel saltem malè faciat, si faciat: quia facit contra superioris voluntatem, cui tenetur obedire. Vnde ad hoc vt actus sacramentales fiant, & rectè fiant, debent ambæ potestates concurrere.

37 Potestas autem clauium, siuè absoluendi habet hoc peculiare, quòd sine potestate iurisdictionis nihil facit; aliæ autem potestates sacramentales sine iurisdictione, si attentant, faciunt, licèt malè faciant; & ratio est, quia potestas clauium subordinatur proximè materiæ de iudicijs, quæ proximè requirit iurisdictionem: ideò cum illa non est in habente claues ordinis nihil absolutè fit: quia de sui natura requirit subditum, & superioritatem.

Ratio Scoti, cur ptās absoluendi sit remota.

38 Vnde ait Scotus in hac quæstione art. 4. ponens discrimen inter potestatem celebrādi, & absoluendi, quòd ideò Christus Dominus in instituendis sacramentis voluit, quòd potestati celebrandi statim corresponderet materia absque eo, quòd per aliquam aliam potentiam hæc illi subderetur: quia à principio nulli nocuit, nec ordinationi Ecclesiæ, quod quicunque sacerdos quamcumque materiam consecraret, nocuisset autem si per collationem clauiū in ordine quilibet sacerdos fuisset iudex cuiuscunque pęnitentis: quia in hoc iste posset facere pręiudicium alteri, cuius ille est subditus. Vult ergo dicere Scotus ex hoc, quod Christus Dominus voluit in ecclesia sua esse potestatem iurisdictionis: quia sine illa ecclesiæ ordo nō potuisset consistere, nec scismata tolli possent constituēdo sacramentum pœnitentiæ, in quo ordinatus ad sacerdotium constituitur iudex pœnitentium, voluit quidem ei dare formam, & characterem, ac potestatem sententiandi, & cognoscendi in causa rei peccatoris: voluit tamen, vt hæc potestas esset subordinata potestati iurisdictionis eiusdem ecclesiæ, idest Prælatis ecclesiæ habentibus potestatem iurisdictionis, ita quòd vsus clauium penderet ex prælatorum voluntate, & consensu, vt omnia in ecclesia ordinatè fierent.

Claues iurisdictionis sunt diuersę à clauib. ordinis.

Ex dictis deducitur, claues ordinis non esse easdē cum clauibus iurisdictionis, quod probat Scotus, vbi suprà art. 5. quia separantur ab inuicem: nam aliqui Prælati in ecclesia non sunt sacerdotes, & tñ habent iurisdictionem, vt Archidiaconi, & alij similes; & è conuersò, alij sunt sacerdotes, & nō hñt iurisdictionē, vt sacerdotes simplices.

Vbi auctoritas ordinis, & iurisdiōnis instituta fuerit.

39 Nunc superest videndum, vbi istæ duę auctoritates fuerint institutę à Christo Domino, & cui primò collatæ fuerint ab eodem. Quantum ad primum certū est auctoritatem ordinis institutam fuisse Io. 20. vt diximus primo cap. huius disp. cum Scoto in 1. artic. eiusdē, sed fusè loquēdo de institutione sacramenti pęnitentię, vt suprà vidimus contra hæreticos: & ex hoc etiam patet, atque ibidem declaratum est hanc potestatem fuisse traditam à Christo solis sacerdotibus, non laicis, & nunc dari per ordinationem factam ab episcopo, & fundari in charactere sacerdotali, qui solus confertur sacerdotibus.

Quatuor opīones de institutione auctoritatis iurisdictionis.

40 De potestate verò iurisdictionis maior difficultas ē, quò ad vtrunque, & primò vbi à Christo instituta fuerit, & collata ecclesiæ, & dimissa opinione Armachani sunt quatuor opiniones, quæ tamen omnes sunt probabiles. Armachanus enim lib. ij. de quęstionibus Armenorum c. 14. & 15. sustinet, quòd Christus Dominus omnem auctoritatē dedit discipulis, quando eos fecit Apostolos Marci 3. ratio eius est, qa omnis auctoritas ordinis, & iurisdictionis pertinet ad munus Apostolicum; ergo sine illis non potuit eos creare; sed hęc opinio est falsa: quia clarum est, ꝙ Apostoli in cęna acceperunt auctoritatem conficiendi eucharistiā, dum Christus Dominus dixit illis, *Hoc facite in meam commemorationem* Lucæ 22. & Io. 20. Acceperunt potestatem absoluendi à peccatis, dū Christus Dominus dixit illis, *Accipite Spiritum sanctum quorum remiseritis*, &c. Ad argumentum aūt Armachani adductum, & ad reliqua satisfaciemus cap. vltimo.

1. Quæ est Scoti opin.

Prima ergo opinio probabilis est Scoti in hac quæst. art. 5. quem sequuti sunt Caietanus in opusculis Tomo 1. tract. 3. c. 5. in resp. ad 2. & dicit hanc esse cōmunē sniam Doctorum re vera. Scotus aūt rē hanc sic declarat: in ecclesia est duplex forū: vnū secretissimū, in quo idē est accusator, & reus: & ad istum pertinēt claues ordinis superiùs explicatæ, & potestas iurisdictionis in foro conscientiæ, & coram Deo: quam iurisdictionem dixit Scotus esse necessariā potestati ordinis, ad hoc, vt posset proximè exire in actū absoluendi. Aliud est forum publicum, siue exterius. Probatur, quia ecclesia non solū hēt auctoritatē corrigendi delicta secreta, & in foro cōsciētiæ coram Deo; sed ēt delicta publica, & coram hominibus. Ad corrigendum aūt hæc delicta publica absoluendo, vel ligando, & condemnando requiritur duplex ptās sicut in foro interiori requirebatur. s. potestas sententiandi, & ptās cognoscēdi in causa. Omnē iustum iudiciū has duas ptātes requirit, vt diximus suprà cap. 1. & istæ duæ auctoritates pertinētes ad forum publicum possunt dici claues, eadem ratione, qua claues ordinis: quia aperiunt, & claudunt regnum cęlorum; ista .n. absolutio, vel condemnatio publica facta à Prælatis ecclesiæ ratificatur in cęlo, & obligat, sicut sententia facta in foro interiori: quia est instituta à Christo, sicut, & illa.

41 Hæc ergo auctoritas, & istæ claues in foro exteriori, & publico inquit Scotus datæ sunt ecclesiæ Matth. 18. dicente Christo Petro. *Si peccauerit in te frater tuus*. & sequitur tandem. *Dic ecclesiæ, si ecclesia non audierit, sit tibi tanq̄ ethnicus, & publicanus*. & sequitur. *Amen dico vobis quæcunq. alligaueritis super terrā, erunt ligata & in cælis, & quæcunque solueritis super terram, erunt soluta, & in cęlis*. Ex quo patet, ꝙ Deus approbat solutionē, & ligationē factam ab ecclesia .i. à prælatis ecclesiæ (dat .n. hanc auctoritatem Apostolis, qui erant prælati ecclesiæ, & quibus prælati succedunt; vnde hic per ecclesiā intelligit nō omnem multitudinē ecclesiæ catholicæ, sed prælatos ecclesię) in foro publico, q̄ qui contemnit, est habendus sicut ethnicus, & publicanus. In hoc foro clauditur ecclesia, idest cōmunio fidelium per excommunicationem, & alias censuras ecclesiasticas, & aperitur, per absolutionem, ab excommunicatione, seu per reconciliationem.

Obiectio contra latā sniam tollitur.

42 Cęterùm contra hanc senten tentiam est obiectio: quia Christus Dñus, eo loci Matth. 18. non videtur actu dedisse aliquam potestatem Apostolis, sed tātùm promisisse: inquit enim. *Amen dico vobis quęcunque alligaueritis*, &c. quæ sunt verba futuri temporis: quod confirmatur,

quia

quia etiam Matthei 16. similibus verbis vsus est cum Petro, quando dixit, *quodcunque solueris super terram, erit solutum in cœlis*, & tamen dicitur quòd ibi Christus Dominus non dedit actu illam auctoritatem plenariam Petro, sed solùm promisit, quòd patet ex verbis antecedentibus, *tibi dabo claues regni cælorum*, quæ sunt futuri temporis. Vnde ex eo loco colligi videtur solùm promitti auctoritatem in foro exteriori, non autem dari.

43 Sed hæc obiectio non est multi momenti: quia illa verba, *solueritis, alligaueritis*, non necessariò elicitur esse futuri temporis, posset enim esse præteriti perfecti, subiunctiui temporis, vt sensus sit, Amen dico vobis quòd quotiescunque aliquis à vobis absolutus fuerit, vel ligatus, nolo, vt illa absolutio, & ligatio sit ratificata in cœlo. Quomodo etiam intelliguntur eadem verba Ioannis 20. *Accipite Spiritum sanctũ, quorũ*, &c. Sed quidquid sit, de hoc, sufficit quòd Christus promiserit: sumus enim certi, quòd promissiones Christi sunt certæ, quia Christus Dominus non est mendax: ideò cum promiserit, dedit: & sic iurè intelligitur à Doctoribus istis dedisse. Hæc tamen opinio Scoti magis infrà explicabitur declarando quatuor sequentes opiniones.

2. Opinio principalis quæ ẽ Turrecrematę.

44 Est ergo alia sentẽtia asserens hanc iurisdictionem datam esse Ecclesiæ in persona Petri: itaquòd soli Petro immediatè, non autem alijs Apostolis immediatè, sed per Petrum data sit, & hoc Ioannis 21. dum dixit Petro, *Pasce oues meas*. Hęc est opinio Turrecrematę in Sũma de Ecclesia lib. 2. cap. 77. concl. 6. Fundamentum eius principale est auctoritas Diui Leonis Papæ in ca. *Ita Dominus*, d. 19. quæ sumitur ex sermone eiusdem tertio ordinationis suę, vbi sic dicit, *Magnum et mirabile est dilectissimi huic viro, scilicet Petro consortium potentiæ suæ tribuit diuina dignatio, & si quid commune cum eo, cæteris voluit esse principibus, nunquam, nisi per ipsum dedit quidquid alijs non negauit*.

3. Opinio principalis

45 Alia est opinio in alio extremo, quæ asserit nedum Petro immediatè datã fuisse potestatem iurisdictionis, & suis successoribus, sed etiam Apostolis, & suis successoribus, scilicet episcopis nunc immediatè cõferri, non autem à Papa, licèt Papa possit illam ligare. Et hæc est opinio eorum omnium, qui dicunt hanc iurisdictionis auctoritatem conferri episcopis, & sacerdotibus in sua ordinatione, quam secuti sunt Caietanus tomo primo Opusculorum tractatu 7. Nauarrus in Summa cap. 4. num. 4. & alij citati disput. de ministro huius sacramenti capite 2. & citatur Castro lib. 2. cap. 24. de iusta hæreticorum punitione, quorum rationes infrà adducam, & soluam capite vltimo.

4. Opinio principalis

46 Quarta opinio est media, quæ asserit Petro, & Apostolis immediatè à Christo Domino datã fuisse potestatem iurisdictionis; episcopis verò successoribus Apostolorum immediatè dari à Summo Pontifice successore Petri. Hanc opinionem tradit Alensis 4. p. q. 21. m. 3. a. 2. §. 1. ad vltimum. Durandus d. 19. q. 2. Diuus Bonauentura videtur fauere dist. 19. art. 3. q. 1. ad secundum. Possumus adducere etiam Scotum pro hac opinione: quia si Christus Dominus dedit illam auctoritatem Matthei 18. vt docet Scotus, illam immediatè dedit Apostolis, quia illis omnibus dixit, *Amen dico vobis, quæcunque alligaueritis*, &c. hanc secuti sunt Soto in quarto distinctione vigesima, articulo secundo, conclusione quarta, & Recentiores Bellarminius libro quarto, de Pontifice Romano cap. vigesimotertio, Suarez tomo de censu. disp. 1. sectione 2. & alij.

Scotus est huius opinionis.

Christus dedit Petro supremam potestatem.

47 Pro intelligentia ergo notandum est omnes catholicos cõuenire in hoc, quòd Christus dedit Petro supremã potestatẽ iurisdictionis hoc loco Ioan. 21. in tota Ecclesia, itaquòd fecit eum caput, principem, & Monarcham in tota Ecclesia, etiam super Apostolos. Hæc opinio quò ad hanc partem est de fide, & semper fuit credita in Ecclesia Christi, vt patet per auctoritates Sanctorum Patrum, & Conciliorum quibus probatur primatus Petri, de quibus

in alio opere fusius. Sufficiat nunc auctoritas Beati Ioannis Chrisostomi, qui supra eundem locum inquit. *Negatione deleta, committit Petro præsidentiam fratrum*. & Theophilatus iquit. *Petro cõmitti pręfecturã totius Orbis*. Hoc autem patet ex verbis ipsis: nam *pascere oues* non est solùm præbere eis pabulum doctrinæ, vt hæretici volunt, sed etiam regere, gubernare, à lupis arcere, & aliquando, si opus est, eas coercere, & cogere ab obediendum pastori; sinè enim hac potestate pastor ouium non posset ipsas præseruare à lupis, & ab alijs malis occurrẽtibus: suo enim placito vagarent, nec ad stabulum redirent, nec se possent dici conseruare. Et rursus hoc patet ex illa triplici interrogatione facta Petro à Christo, *diligis me*, & ex illa triplici commissione, *pasce agnos meos*, pasce *oues meas*. Vbi Christus adimplet promissionẽ factam eidem Petro Matt. 16. *Tibi dabo claues regni cælorum* &c. Dum ergo Christus dat hanc auctoritatem Petro pasce *oues meas*, in qua clauis iurisdictionis suprema in vtroque foro significatur, dat eam quoque Ecclesiæ: quia non dat hanc auctoritatem personæ Petri, vt persona particularis est, sed vt erat caput Ecclesiæ, quæ perpetua futura erat. Ideò Ecclesia hanc auctoritatem accepit in Petro; & hoc est quòd ait Diuus Augustinus tractatu 50. in Ioannẽ versùs finem in his verbis, *Nã si in Petro non esset Ecclesiæ sacramentum, non ei diceret Dominus; tibi dabo claues regni cęlorum, quæcunque solueris in terra, soluta erunt in cælo, & quæcunque ligaueris in terra ligata erunt in cælo. Si hoc Petro tantùm dictum est, non facit hoc Ecclesia; si autem, & in Ecclesia fit, vt quæ in terra ligantur, in cælo ligentur, & quæ soluuntur in terra, soluantur in cælo, quia cum excommunicat Ecclesia, in cęlo ligatur excommunicatus: cum reconciliatur ab Ecclesia in cęlo soluitur reconciliatus. Si hoc ergo in Ecclesia fit, Petrus quando claues accepit, Ecclesiam sanctam significauit*; patet ergo, quòd auctoritas hæc commissa Petro non est concessa personæ soli Petri, vt erat particularis, sed ipsi Ecclesiæ per personam Petri, qui gerebat, & figurabat personam Ecclesiæ. Clarius id habet in tractatu 124. vbi inquit. *Hoc agit Ecclesia spe beata in hac vita erumnosa, cuius Ecclesiæ Petrus Apostolus propter Apostolatus sui primatum gerebat figurata generalitate personam*. & paulò infrà. *Ecclesia ergo quæ fundatur in Christo, claues ab eo regni cælorum accepit in Petro, idest potestatem ligandi, & soluendi peccata*. & de fide ad Petrum, capite tertio, *sed etiam pænitentia peccatori tunc prodest, si eam in Ecclesia Catholica gerat, cui Deus in persona Beati Petri ligandi, soluendique tribuit potestatem. Dicens quæ alligaueris*, &c. Non vult ergo Diuus Augustinus dicere, quòd illa promissio Christi, *Tibi dabo claues regni cælorum*, non sit facta personæ particulari Petri, sed ipsi Ecclesiæ, quæ in Petro repræsentabatur: sed vult dicere hanc promissionem non fuisse factam soli personæ Petri; itaquòd cum persona Petri esset extinguenda talis potestas, ac si propter ipsum pręcisè, & non propter Ecclesiam perpetuò duraturam, esset collata; sed voluit dicere esse promissam, & deindè datam hanc potestatem personæ Petri quidem, sed propter Ecclesiam, quæ perpetuò erat duratura: ac per Petrum, Ecclesia, cuius figuram gerebat, cum esset eius caput, erat acceptura. Quòd enim hæc promissio facta fuerit personæ Petri, non negat Diuus Augustinus, sed multis in locis disertè, docet præsertim Sermone quinto de Petro, & Paulo. *Inquit, & ideò solus inter Apostolos meruit audire, Amen dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*. & Sermone 49. de verbis Domini parum à principio inquit. *Dicit enim Petro in quo vno format Ecclesiam. Petre amas me, respondit, Domine amo te, Pasce oues meas*. & docet quomodo pascere debeat Ecclesiam, scilicet intrando per ostium, & ianuam, quæ est Christus non aliundè, vt fures, & latrones. & Sermone in festo Cathedræ Sancti Petri inquit, *rectè natalem illius sedis colunt, quam Apostolus pro Ecclesiarum salute suscepit*,

D. Chrisostomus.

Theophilatus.

Quid sit pascere oues.

Quomodo auctoritas data Petro est data Ecclesiæ.

ſcepit, dicente Domino, tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam; Petrum itaque fundamentum Eccleſiæ Dominus nominauit, & ideo dignè fundamentum hoc Eccleſia colit ſupra quod Eccleſiaſtici ædificij altitudo conſurgit, Aliæ non deſunt auctoritates, & multorũ aliorum Patrum; ſed has volui ex D. Auguſt. adducere, quem oppoſitum quidam hęretici dicunt aſſerere. Prima pars ergo huius opinionis eſt certa.

Hæc autem aſſertio habetur ab Anacleto Papa epiſtola ſecunda Decretale, & refertur diſt. vigeſimaprima, cap. *In nouo*.

Omnes Apoſtolos recepiſſe iuriſdictionem immediatè à Chriſto Domino, alios verò Epiſcopos eorum ſucceſſores à Summo Pontifice contra ſecundam, & tertiam opinionem, quæ reijciuntur, & quarta approbatur. Caput Quartum.

2. Opinio reijcitur, 4. quò ad primã partẽ cõfirmatur. 48 SEcunda ergo opinio eſt approbanda quantùm ad primam partem, quæ nunc ſuprà eſt explicata. Sed quantùm ad ſecundam partem, quæ ſibi eſt propria, ſcilicet quòd ſoli Petro, & non alijs Apoſtolis eam immediatè dederit Dominus, eſt falſa: & rationes deſtruentes hãc opinionem confirmant quartam opinionem quò ad primam partem.

1. Ratio. Prima ergo ratio ſumitur ex auctoritate Euãgelij Ioan. 20. cum expoſitione Patrum. Nam Chriſtus Dominus eo loco dat eis omnem poteſtatem, inquit enim, *Pax vobis, ſicut miſit me Pater, & ego mitto vos. Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis* &c. iſta enim particula, ſicut, oſtendit Chriſtum ſe dare iſtis diſcipulis totam poteſtatem, quam pater dedit ipſi Chriſto Domino, quod intelligitur miniſterialiter. Vndè Diuus Ioan. Chriſoſtomus in eum locum, qui eſt homilia 85. inquit, *Quare hoc dicit? eorum animos erigit, & ſuam proponit auctoritatem, ſi quidem ſuum eis relicturus erat miniſterium. & cum nondum rogaſſet patrem, ſua eis auctoritate poteſtatem præbet.* Cyrillus in Ioan. cap. 55. ſuper illa verba inquit, *ordinauit his verbis Orbis doctores, & diuinorum miſteriorum miniſtros.* Idem docent, Sãctus Ciprianus lib. de vnitate Eccleſiæ, Theophilactus in eum locũ, & alij Sãcti Patres, Diuus Auguſtinus lib. 1. cap. 10. de ſermo. Dom. in mõte. *Sapientes illi à ſumma ſapientia miſſi ad condiendum populos gentium inſipidos*. Confirmatur, quia Ioan. 17. Chriſtus Dominus orans ad Patrẽ pro Apoſtolis ait, *Sãctifica eos in veritate, ſermo tuus veritas eſt*. & ſtatim addit ſummam legationis, dicens. *Sicut tu me miſiſti in mundum, ita ego eos miſi in mundum.* Miſit autem cum dixit illis Matthei vltimo, *Euntes, docete omnes gentes, docentes eos ſeruare quæcunque mandaui vobis.* & Lucæ 10. Dixit. *Qui vos audit, me audit, qui vos ſpernit, me ſpernit.* & Matthęi 5. *Vos eſtis lux mundi: vos eſtis ſal terræ.* Ex his omnibus patet Chriſtum Dominum dediſſe Apoſtolis, & illis ſolis (illis enim ſolis hęc omnia dixit, non alijs diſcipulis) omnem auctoritatẽ, quæ vel ad iudiciũ, & ad determinationem fidei, vel ad leges morum confirmandas, vel ad diſciplinam confirmandam eſt neceſſaria.

2. Ratio. 49 Secundò. Paulus Apoſtolus ad Galatas 1. apertè dicit ſuam auctoritatem, & doctrinam accepiſſe immediatè ab ipſo Chriſto, verba eius ſunt. *Paulus Apoſtolus nõ ab hominibus, neque per homines, ſed per Ieſum Chriſtũ, & Deum Patrem* &c. Hoc enim dixit Apoſtolus contra quoſdam pſeudoapoſtolos, qui dicebant, ipſum non eſſe Apoſtolum, quia non fuerat miſſus à Chriſto Domino; ipſe autem concedens neminem eſſe Apoſtolum, niſi ſit miſſus à Chriſto Domino, probat ſe eſſe miſſum à Chriſto Domino, non ab hominibus, ac ab ipſo accepiſſe ſuam doctrinam, & reuelationem, ac proinde eſſe Apoſtolum. & cap. 2. eiuſdem Epiſtolæ. *Mihi enim qui videbantur aliquid, nihil contulerunt*.

3. Ratio. Tertiò. Apoſtoli volentes conſtituere aliquem in locum Iudæ non propria auctoritate, nec Petrus ipſe aliquem conſtituit, ſed orauerunt ad Dominum, & ſortem miſerunt, vt Dominus oſtenderet eo modo, quem eligeret in Apoſtolatum loco Iudæ.

50 Quartò. Auctoritas Apoſtolatus eſt ſuprema poteſtas in Eccleſia, vt patet 1. Corinth. 12. ac Epheſiorum 4. *Quoſdam poſuit in Eccleſia primum Apoſtolo, deindè Prophetas*; ergo cũ ipſi Apoſtoli facti fuerint à Chriſto Dño, Ioã. 6. *Nõne ego vos elegi* duodecim. & Lucæ. 6. *Vocauit diſcipulos ſuos, & elegit duodecim ex ipſis quos, & Apoſtolos nominauit*; ergo ipſe Chriſtus eis dedit omnem poteſtatem, quam habebant; nõ ergo à Petro, ſed à Chriſto Domino illam receperunt. 4. Ratio.

51 Ad rationem pro ſecunda opinione, quæ eſt auctoritas Diui Leonis Papæ, poteſt dici voluiſſe intelligere, quòd quidquid Dominus dedit Apoſtolis, ſemper cum ſubordinatione ad Petrum dedit, quem eorum caput conſtituit ad tollendum ſchiſmata, vt Diuus Cyprianus lib. de vnitate Eccleſiæ docuit; non autem quòd Dominus auctoritatem dederit immediatè Petro, & non Apoſtolis; ſed ſolùm Petro immediatè, & Petrus poſteà illam dederit Apoſtolis immediatè. Ad rationẽ pro ſecũda opinione.

52 Tertia opinio quoque, quæ eſt in alio extremo, eſt falſa, ſcilicet quòd Epiſcopi ſucceſſores in locis Apoſtolorum ſuam auctoritatem iuriſdictionis immediatè à Chriſto recipiant, & non à Pontifice Romano Vicario Chriſti; & ſic probatur quarta opinio quò ad ſecundam partem. Pro intelligentia autem huius rei notandum eſt, quòd duplex fuit auctoritas in Apoſtolis. Alia extraordinaria, quæ propriè pertinebat ad Apoſtolatus munus. Alia ordinaria, quæ propriè pertinet ad Epiſcopatus munus. Auctoritas extraordinaria, quæ pertinet ad munus Apoſtolatus, erat poteſtas prędicandi fidem Chriſti in quacunque parte mundi, plantandi Eccleſiam, & eam gubernandi, ac adminiſtrandi. Hæc erat auctoritas extraordinaria, & perſonis Apoſtolorum tantùm conceſſa: quia illi ſoli à Chriſto miſſi fuerunt ad hoc munus obeundum. Vndè *Apoſtolus* Græcè idem eſt quod *miſſus* latinè. Hæc autem auctoritas extincta fuit in Apoſtolis, quia illi ſoli immediatè fuerunt miſſi à Chriſto, & illi ſoli habuerunt poteſtatem plantandi Eccleſiam, & ſeminandi fidem Chriſti, & ipſius Eccleſiæ gubernationis formam pręſcribere, quòd non licuit ſuis ſucceſſoribus: neque enim ſucceſſores Apoſtolorum habent auctoritatem condendi nouas leges, non dependentes, nec ordinatas, ad doctrinam Apoſtolorum, & nouam fidem in Eccleſia; ſed debent fidem plantatam, & introductam ab Apoſtolis obſeruare, & docere; ac errores exurgentes ab hæreticis contra Apoſtolorum doctrinam damnare, & docere, quæ ſit vera fides ab Apoſtolis tradita. Vndè auctoritas ordinaria Apoſtolorum, quæ tranſiuit ad Epiſcopos ſucceſſores, tantùm eſt auctoritas doctoris, & paſtoris, ideſt docendi, & definiendi, quæ ſit vera fides; & paſcendi, ideſt adminiſtrandi ſacramenta à Chriſto Domino inſtituta, (quæ eſt auctoritas ordinis) non autem plantandi nouam fidem, & nouam gubernationem in Eccleſia, ſed iam inſtitutam exequendi, & explicandi, prout ab iſtis eſt tradita explicitè, vel implicitè; quod vel in Sacra ſcriptura, vel in traditionibus Patrum cognoſcitur. 3. Opinio refellitur. Duplex auctoritas in Apoſtolis.

53 Hinc eſt, quòd his temporibus ex illis quinque muneribus, & dignitatibus, quas Chriſtus Dominus dedit Eccleſiæ ſuæ Epheſiorum 4. Apoſtolis, Prophetis Euangeliſtis, Paſtoribus, & Doctoribus non ſunt in Eccleſia, niſi paſtores, & doctores: quia tria priora munera erant extraordinaria, & ad tempus primitiuæ Eccleſiæ neceſſaria pro fundanda Eccleſia. Solùm autem nunc ſunt Doctores, & paſtores, ideſt Epiſcopi quibus vtrunque munus contingit, quia iſta ſunt officia ordinaria. Sub epiſcopis autem continentur ſacerdotes, quod optimè docet Stapletonius in Relectionibus de principijs fidei, controuerſia 2. quæſt. 3. art. 1. Vndè hæreticorum illorum opinio, qui ponunt hodie, & quouis tempore (quamuis actu non ſint) poſſe Apoſtolos eſſe ad nouas Eccleſias erigendas, vt tenent Caluinus Inſtitutionum lib. 4. c. 3. n. 18. Beza confeſſione Nũc in Eccleſia non ſunt Apoſtoli, nec Prophetæ, nec Euangeliſtę.

sione fidei cap. 5. sect. 28. & alij sectorij, est omninò erronea, quia supponit Ecclesiã Christi posse deficere, & ideò necessarium esse à Deo mitti de nouo homines ad Ecclesiam iam collapsam, & destructam renouandam, quales Apostolos omnes hæresiarchæ sese prędicant. Sed cum suppositum illud sit falsum, quia Ecclesia Christi est permansura in æternum, quia *portæ inferi non præualebunt aduersùs eam*, ideò etiam quod ex illa sequitur, est falsũ. Hæc eadem est ratio, propter quam Pontifex Romanus successor Petri, & si succedat Petro in eadem auctoritate, & Vicariatu Christi, non tamen potest condere, nouos articulos fidei: nam ipse non immediatè accepit, nec ordinariè accipit reuelationem à Christo Domino, vt Petrus, sed à Petro, & ab alijs Apostolis: ideò debet insistere reuelationi sibi factæ à Petro, & alijs Apostolis, quam successores primi Diui Petri ab eo, vel oretenus habuerunt, & ab Apostolis ad successores quoque oretenus transiuit, vt patet ex Epistolis Clementis successoris Diui Petri, vel verbo scripto, in quibus explicandis, & seruãdis habet etiam assistentiam particularem Spiritus sancti, iuxta promissionem Christi, secundùm quam dirigitur, vt à fide Christi reuelata ipsis Apostolis explicitè, vel implicitè non dissentiat. Et quia, vt dictũ est, potestas Ecclesiastica est duplex, ordinis, & iurisdictionis, Pontifex Romanus in ipsa electione accipit potestatem iurisdictionis à Deo; potestatẽ verò ordinis ipsa in ordinatione, cum consecratur Episcopus (est enim ipse quoque Episcopus) quæ est potestas ministrandi sacramenta. Cæteri verò Episcopi potestatem ordinis, scilicet administrandi sacramenta, recipiunt quidem à Deo immediatè in ipsa ordinatione: potestatem verò iurisdictionis, quæ ad eadem sacramenta administranda requiritur, & ad pascẽdum, & regẽdum populum sibi cõmissum, recipiunt à Christo, sed mediante Põtifice Romano. Et hæc est assertio, quæ nunc probanda est.

1. Ratio. 54 Probatur autem primò ex auctoritate Diui Augustini in Psalmo 108. vbi dicit Petro data esse Ecclesiæ claues *propter primatum, quem in discipulis habuit*. & tractatu 124. in Ioan. inquit datas ei esse claues *propter Apostolatus sui primatum quo totius Ecclesiæ gerebat, figurata generalitate personam*, & denique ait datas esse Ecclesiæ claues in persona Petri; ergo per Petrum omnis iurisdictionis potestas transiuit, & transit ad Episcopos, & ad sacerdotes, & ad quoscunque prælatos in Ecclesia.

2. Ratio. 55 Secundò probatur, quia potestas iurisdictionis, vt suprà diximus, est auctoritas leges ferendi, iudicandi, & obligandi aliquos; hoc autem fit subijciendo aliquos alicui vt superiori, cui obedire teneantur. At Christus Dominus Ioan. vltimo subiecit totam Ecclesiam ipsi Petro soli, atque eam vt materiam subiectam tradidit Petro soli, vt eam pasceret, idest doceret doctrinã, & fidem suam: doctrina enim est cibus animarum, ac eam gubernaret, & dirigeret, dũ ei dixit, *Pasce oues meas*. Vndè Theophilus Alexandrinus in lib. Paschali ait. *Finito prandio, commissionem ouium Petro commendat Dominus, & nulli alij*. & D. Cyprianus libro de Vnitate Ecclesiæ inquit soli Petro dictum esse, *Pasce oues meas*, quia ipse solus est constitutus caput Ecclesiæ ad schismata tollenda; ergo licèt alijs Episcopis data sit potestas ligandi, & soluendi, tamen materia illis non est data immediatè, sed illam debent recipere à Petro, seu à successore eius Pontifice Romano, qui est Pastor vniuersalis, & supremum caput in tota Ecclesia ad tollendum schismata.

3. Ratio. 56 Tertiò. Si Episcopi haberent à Deo immediatè suã iurisdictionem, non posset Pontifex eam auferre, vel immutare: hoc autem est falsum. Consequentia est euidens: quia quæ sunt de iure diuino, non possunt auferri à Pontifice. Vndè præsbiter, & Episcopus ritè ordinatus, quia à Deo immediatè recipit auctoritatem, non potest Pontifex facere quin consecret Eucharistiam, si attentet, licèt malè faciat nõ obediendo. Falsitas consequentis verò est euidens. Quod si quis dicat, vt aduersarij dicunt, quòd Papa potest auferre Episcopo subditos, non iurisdictionem; hæc responsio confirmat nostram sententiam, quia prælatus, & subditus sunt correlatiua. Ablato autem vno relatiuo, aufertur suum correlatiuũ; ergo ablato subdito aufertur superioritas, idest auctoritas iurisdictionis. Præterea mirum esset quòd Deus concessisset Pontifici Romano, quod posset auferre subditos Episcopo, & non auctoritatem: hæc enim esset repugnantia quædam; ergo dicendũ est auctoritatem omnẽ iurisdictionis emanare in Epos à Summo Pontifice. Alia multa adducunt Bellarm. li. 4. de Pontifice Romano c. 24. & alij, q̃ breuitatis causa omitto.

Ex dictis patet, veram esse quartam opinionem quò ad vtramque partem; prior enim pars comprobata est cõtra secundam opinionem; & secunda pars contra tertiam opinionem: nunc superest, vt rationibus aduersariorum, & principalibus adductis à Scoto in hac quæstione satisfaciamus, quòd fiet sequenti capite. 4. Opinio vera ex dictis pbata manet.

57 Sed adhuc aliud est dubiũ, vbi Christus Dominus dederit claues sacerdotibus nõ existentibus Episcopis. Respondetur breuiter datas fuisse ipsis eodem loco Ioan. 20. in personis Apostolorum quibus ipsi sacerdotes simplices succedũt in sacerdotio. Dictũ est enim, quòd munus Apostolatus cõprehendebat in se multa officia, scilicet: primò munus propriũ Apostolatus: deinde Episcopi, & pastoris; deinde ministri sacramẽtorum: ideò hæc munera ab illis cõmunicata sunt, posteà suis successoribus, sed cum distinctione. Vnde aliqui succedunt eis in dignitate Episcopali, & sacerdotali, quæ est principalis dignitas, quã relinquerit; alij in simplici sacerdotio; alij in potestate exteriori: quod patet, quia secundũ Apostolũ ad Ephes. 4. in Ecclesia sunt diuersa officia. Hoc autẽ non potest aliunde esse, nisi ex ordinatione Apostolorũ. Hæc enim est traditio Ecclesię, quæ nullũ fertur habere initiũ ex aliqua ordinatione Ecclesiastica: ideò de iure diuino esse certum est, sed de hoc aliàs; consentiunt Soto in 4. dist. 20. q. 1. a. 3. versùs finem, Suarez disp. 26. sect. 1. n. 3. & alij de quibus aliàs. Vtrũ Christus claues sacerdotib. simplicib. dederit. Sacerdotes sĩplices succedunt Episcopis in sacerdotio.

Rationes contra sententiam quartam antecedenti capite approbatam, & argumenta principalia Scoti adducuntur, & soluuntur. Caput Quintum.

58 CONtra sententiam quartam allatam, & cõfirmatam cap. præcedẽti sunt variæ rationes præter eas quas suprà disp. de ministro sacramẽti Eucharistię adduximus. Prima est, Episcopi succedunt Apostolis eo modo, quo Põtifex Romanus succedit Petro: at per nos Apostoli acceperunt suã potestatẽ à Christo Domino immediatè, vt suprà diximus; ergo etiã Episcopi. Maior probatur ex D. August. in Psalmo. 44. super illa verba *pro patribus nati sunt tibi filij*. Inquit enim. *Patres missi sunt Apostoli*, pro Apostolis *nati sunt filij constituti sunt Episcopi*. Et idem asserunt Cõcil. Flor. in Instructione Armenorum, & Concilium Tridentinum sessione 24. cap. 4. At successor habet suam iurisdictionem, à quo habuit prædecessor, alioquin non esset verè successor, sed esset alio ordine institutus. 1. Ratio in oppositũ.

59 Ad hoc argumẽtũ, q̃ est difficilius, quòd fieri possit in hac materia, respõdetur. Primò, quòd quãtũ ad hereticos negãtes primatũ Põtificis Romani, & statuẽtes omnimodã æqualitatẽ inter omnes episcopos in ecclesia, sufficit respõdere, quòd omnes episcopi succedũt Apostolis, sicut Pontifex Romanus Petro; sed sicut Petrus erat princeps oĩũ Apostolorũ, & auctoritas data Apostolis erat subordinata Petro; ita auctoritas Eporũ, dato q̃ illam accipiant à Christo Dño, est subordinata Petro ad tollẽdũ schismata. Vnde si post ascẽsionẽ Christi natum fuisset schisma inter Apostolos, Petrus ordinaria potestate potuisset illud tollere; licèt de hoc tũc tẽporis nõ fuisset periculũ: quia Apostoli erant regulati speciali assistẽtia, & maxima plenitudine gratię Spiritus sancti. Quantùm ergo ad pręsentẽ difficultatem, sustinendo opinionẽ in superiori cap. approbatam. Respondetur, ex dictis eodem capite præcedenti, quòd episcopi succedunt Apostolis, sicut Pontifex Romanus Petro: at non succedunt in Apostolatu sicut nec Pontifex Solutio quo ad hæreticos. Quomodo Epi succedũt Apostolis, & Pontifex Romanus Petro, & Christo.

Romanus succedit Petro in Apostolatu; sed omnes succedunt in officio Pastoris, & Doctoris, & Episcopi, vt Pastores, & Doctores particulares; Pontifex Romanus verò vt Pastor, & Doctor vniuersalis. Officium enim Apostolatus, vt dictum est, cessauit. Episcopi ergo succedunt quidem in loco, & Episcopatu Apostolorum, sed designatio personæ ad tale munus Episcopatus, quod est dare personæ tali munus, & dignitatem illam Episcopatus, pertinet ad Pontificem, qui est Vicarius Christi; sicuti pertinuit ad Christum designare Apostolos, & ad Petrum designare pertinuisset, nisi Christus Dominus ipse primò instituisset: & hoc ad tollendum schismata: nisi enim omnium Episcoporum auctoritas emanaret, ab vno Pontifice varia schismata mala euenirent, nec possent sedari seditiones. Si enim vnusquisque Episcopus haberet suam iurisdictionem à se, licèt subderetur Pontifici, non posset deponi, vel priuari, si indignus electus fuisset, nisi cognita causa, quod pareret magnum incommodum. Nūc autem cum prima institutio pertineat ad Pontificem, potest mittere quos iudicat idoneos seruitio Christi, & sic pacatè omnia fieri possunt. Vndè ad formam argumenti possumus sic respōdere, Episcopos succedere Apostolis contingit duobus modis. Vno modo quò ad auctoritatem extraordinariam. Alio modo quò ad ordinariam. Primo modo non succedunt, sed secundo modo. Rursus quò ad auctoritatem ordinariam, scilicet pastoris, & doctoris succedere contingit duobus modis. Vno modo quò ad ipsam auctoritatem, & munus in se. Alio modo, quò ad modum habendi. Primo modo succedunt, non secundo modo: ratio est, quia cum Christus discesserit à nobis, & reliquerit Pontificem Romanum suum Vicarium, ad ipsum spectat munera hæc dispensare loco Christi immediatè. Pontifex etiam Romanus succedit Petro quò ad munus ordinarium pastoris, & doctoris vniuersalis; non quò ad extraordinarium, scilicet Apostolatus. Et quò ad munus ordinarium etiam duobus modis considerari potest. Vno modo quò ad munus ipsum habendi. Alio modo quò ad modum habendi. Primo modo succedit: & etiam secundo modo. Sed secundo modo, adhuc dupliciter potest intelligi. Vno modo, quod immediatè succedat Petro per designationem factam à Christo domino immediatè; & hoc non, quia designatio fit per electionem Ecclesiæ, vt patet: hic enim est modus ordinarius. Alio modo quòad receptionem auctoritatis, & muneris; & hoc modo immediatè succedit Petro: quia Pontifici Romano electo post Petrum, & successoribus confertur immediatè auctoritas ab ipso Christo Domino: & ratio est, quia hic est primus prælatus, & caput Ecclesiæ, quod supra, & ante se nullum aliū superiorē hēt, nisi Christū Dñm: ideò ab illo recipere dēt ptātē, alioquin nullam haberet. Et sic patet quomodo Episcopi succedunt Apostolis, & Pontifex Romanus Petro.

Secūda obiectio.

60 Secunda obiectio desumitur ex illo Actorum 20. *Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* item Ephes. 4. *Ipse dedit quosdam Apostolos, alios Prophetas, alios Pastores, & Doctores.* vbi nomine Apostolatus, Pastorum, & Doctorū intelliguntur Episcopi, vt exponit ibi D. Hieron. Cyprianus l. 3. epist. 9. Ad Rogatianum dicit, Episcopos à Christo fieri, diaconos ab Apostolis, non autē à Christo.

Solutio.

61 Respondeo ad primum. Ibi dici Episcopos constitui à Spiritu sancto, non immediatè, sed mediatè, scilicet mediante Pontifice Romano; iuxta illud Actorum 15. *Visum est Spiritui sancto, & nobis.* Ad secundum illud probat solùm à Christo Domino ordinem illarum dignitatū institutum fuisse, quod conceditur: at non ex eo elicitur, quòd vnusquisque, qui in altera harum dignitatum assumitur, accipiat à Deo immediatè potestatem; sufficit quòd ab illo accipiat mediatè, vt dictum est. Ad dictum Cypriani respondetur, eius intentionem fuisse asserere solùm ordinē Episcoporum institutū fuisse à Christo Domino, non autem ordinem diaconorū. Hæc autem secunda pars cōmuniter non tenetur à Scolasticis; sed quidquid sit de hoc satis est nobis quòd ex eo loco Diui Cypriani nō habetur personam ordinatam ad Episcopatum habere immediatè auctoritatem à Christo Domino, sed solùm ordinem illum institutum esse à Christo; sufficit autem, quòd potestatem accipiat mediatè, vt dictum est.

Tertia obiectio.

62 Tertiò. Si Episcopi reciperēt auctoritatem suam à Pōtifice Romano, sequeretur Episcopos esse Vicarios Papæ; quod est falsum: quia etsi Ecclesiastica gubernatio sit monarchia; tamē est tēperata ex Aristocratia: ideò præter supremū Monarcham sunt alij præfecti inferiores, qui nō sunt Vicarij summi Monarchę, sed sūt absoluti principes.

Solutio.

63 Respondeo. Argumentum concludere in Ecclesiastica monarchia debere esse quidem principes in diuersis partibus, & non gubernari per Vicarios, seu præsides, vel prætores ammouibiles ordinariè ad nutum principis, & Monarchæ, & ad tempus constitutos; cuiusmodi propriè sunt Vicarij; sed per prælatos, qui essēt ordinarij pastores, & gubernatores illorum locorum, in quibus constituuntur Episcopi, & gubernatores: at non concludit illos principes debere esse absolutos, idest independentes à Monarcha; itaquòd, nec ab illo instituantur, nec illi subdantur: quia hoc esset auferre totaliter Monarchiam. Dicimus ergo Episcopos esse ordinarios pastores, & principes in suis diœcesibus iure diuino; sed cum subordinatione ad caput, & Vicarium Christi Pontificem Romanum; itaquòd nō potest Papa nō cōstituere huiusmodi pastores in Ecclesia Christi cum tali auctoritate; sed dicimus ad ipsum Pontificem Vicarium Christi pertinere facere deputationē personarum ad huiusmodi munera, atque eos dirigere in sua gubernatione, prout expedire iudicabit; alioquin Ecclesia non haberet caput vnū, sed esset Acephala. Solet dari exēplū. Sicut si Rex teneretur in singulis prouincijs nō constituere prætores, vel præsides, sed veros duces, ac principes, q prouinciā vt suam regerent, cum depēdētia tñ ad regem.

Bellarm. l. 4. de Pontifice Romano cap. 24.

Quarta obiectio.

64 Quartò. Ad Epatū exercendū necessaria est iurisdictio: at Deus confert auctoritatem Epalem, scilicet ordinis immediatè per ipsam ordinationē Epalem, vt conceditur; ergo concedit etiam auctoritatem iurisdictionis.

Solutio.

65 Respondetur, vt suprà diximus, non valere consequentiam: quia non est par ratio de potestate ordinis, & iurisdictionis. Nam potestas ordinis nullā poterat parere confusionē in Ecclesia, vt dicebat Scotus suprà hac quæst. art. 4. sed potestas iurisdictionis maximè. Ideo Christus Dominus noluit immediatè hanc potestatem, cum potestate ordinis conferre, sed reliquit eam totam in manu sui Vicarij, qui ea vteretur, vt oportebat.

Quinta obiectio.

66 Quintò. Si hæc opinio esset vera, sequeretur, quòd multi Episcopi non fuissent veri Episcopi. Consequens est falsum; ergo, & antecedens. Consequentia probatur, quia multi Episcopi in Ecclesia Christi fuerunt, qui tamen auctoritatem suam non acceperunt à Romano Pontifice. Assumptum probatur: quia Romanus Pontifex Episcopus non creauit Episcopos in Asia, & Africa.

Solutio.

67 Respondeo non esse necessarium vt Romanus Pōtifex creet Episcopos immediatè, siuè vt eis auctoritatem iurisdictionis det immediatè, sed sufficit quòd det illā mediatè, scilicet per Patriarchas, & Archiepiscopos; sicut intelligo modò ipsum facere apud Indos, vbi constitutus est Patriarcha, qui Episcopos creat immediatè, quod fuit necessarium propter maximam distantiam regionū illarū: ita in Asia, & Africa euenit: nā initio Petrus constituit Patriarchā Alexādrinū, & Antiochenū, qui auctoritate à Pōtifice accepta toti ferè Asiæ, & Africæ præerant, q poterant Archiepiscopos creare, & illi posteà poterāt creare Epos.

Sexta obiectio.

68 Sextò. Contra id, quod superiùs dictum est Apostolos accepisse potestatē iurisdictionis, Ioan. vltimo, sunt argumēta Armachani, qui, vt suprà vidimus, sustinet, quòd Marci 3. Apostoli acceperint omnem potestatē pertinentem ad Apostolatum; potestas aūt iurisdictionis maximè pertinet ad auctoritatem Apostolatus, vt patet; est enim valdè principalis. Quod adhuc confirmatur suis alijs argumētis. Nā Apostoli Matth. 4. baptizabāt, oleo curabāt, atq;

Argumēta Armachani.

Primum.

Secūdum.

hoc

hoc ex officio tanquàm Apostoli: hoc autē fuit ante passionem Christi; ergo habebāt auctoritatem Apostolatus ante passionem Christi; ergo omnem auctoritatē Marci 3. receperunt, non Ioan. vltimo. Preterea Iudas fuit verus Apostolus: nam Petrus Actorum 3. de Iuda inquit, *qui cōnumeratus erat eis, scilicet* Apostolis, *& sortitus est sortem Ministerij Apostoli*. Iudas autem non aderat post passionem Christi, nec Thomas Apostolus erat cum eis quando Christus Dominus dixit, *ecce mitto vos, sicut misit me Pater*, &c. Ioan. vltimo; ergo Thomas non fuisset Apostolus perfectè.

Solutio ad primum. Christus nō dedit omnē auctoritatē simul Apostolis. 69 Respondetur ad primū, quòd Christus Dominus, vt patet ex Euangelio noluit Apostolis simul omnem auctoritatem conferre, sed paulatim, & diuersis temporibus prout suæ diuinæ sapientiæ placuit, qui erat institutor noui, & æterni testamenti. Marci ergo 3. solùm enumerauit Apostolos, & eos designauit, ac nomen imponit, & dedit eis potestatem sanādi, eijciendi dæmones, & similia, quæ erant necessaria ad plantādam fidem Christi. Inchoauit ergo ibi potestatem Apostolicam, sed compleuit post resurrectionem.

Ad secūdū. 70 Respondetur ad aliud, quòd nō baptizauerunt ex officio, quia nondum erant sacerdotes, sed iussu Christi, vt laici modò faciunt: vel si velimus dicere, quòd baptizauerunt ex officio, possumus dicere, quòd hoc munus quoque pertinebat ad officium Apostolatus, & quòd sic paulatim auctoritatē ad Apostolos pertinentē conferre cępit.

Ad tertiū. 71 Ad aliud respondetur, quòd Iudas sortitus quidem erat ministerium Apostolatus, atque omnem potestatem receperat, quam cousque Christus Dominus dederat Apostolis, & aliam omnem auctoritatem apostolatus suscepisset, si permansisset: & hoc est satis, vt ipse diceretur annumeratus inter Apostolos. Ad aliud de Diuo Thoma dicitur, quòd Christus Dominus dando illam potestatem vltimo Ioā. *Pax vobis sicut misit me Pater, mitto vos*, &c. eandem quoque dedit Thomæ, quia erat eiusdem ordinis, & collegij. Vel potest dici, quòd post octo dies, quando misit digitum suum in latus Christi, & confessus est Christum Dominum suum, eandem potestatem acceperit, licèt hoc non appareat: quia Dominus Iesus Christus multa fecit, quæ non sunt scripta in Euangelio, vt habet Diuus Ioan. capite vltimo.

Argumēta principalia Scoti. 72 Supersunt modò argumenta principalia Scoti in hac quæst. dist. 19. quæ sunt necessariò soluenda propter dubia, quæ tangunt aduersus doctrinam de clauibus. Primum ergo argumētū Scoti principale, quo probat, quòd in susceptione ordinis sacerdotij non conferantur claues regni cęlorum, est hoc. Apoc. 3. dicitur de Christo, *claudit, & nemo aperit: aperit, & nemo claudit*; ergo solus Christus habet claues regni cęlorum.

Primum argumentū.

Solutio. 73 Respondet Scotus, quòd illa auctoritas Apocalipsis intelligitur nōn de claui ministeriali, quæ datur sacerdotibus, sed de claui excellentiæ, & pręeminentiæ, quæ datur Christo, non sacerdotibus.

Secundū argumentū. 74 Secundò. D. August. de Baptismo contra Donatistas lib. 5. inquit à peccato nō absoluit nisi columba, idest Christus, vel membrum columbæ, scilicet Christi: at nullus iniustus est membrum Christi, sed diaboli, quia non est in gratia; ergo nullus sacerdos malus, seu iniustus habet has claues, neque soluit, & tamen iniustus potest habere claues sacerdotij; ergo claues, quæ in sacerdotio conferuntur non sunt claues regni cęlorum.

Solutio. 75 Respondet Scotus secundùm Magistrum in illa distin. & secundū omnes, quòd malitia sacerdotis nō obest, quin si intendat absoluere, nō absoluet; quod probat per auctoritatem D. Hieronymi super illud Matthei 16. *Tibi dabo claues regni cœlorum*, & per August. in lib. 9. noui, & veteris testamenti q. 11. vbi dicit, *voluntas sacerdotis obesse, vel prodesse non potest, sed merita benedictionem poscentis*. Ad auctoritatem ergo illam est respondendum, quòd columba sola, & membra columbæ, idest iusti absoluere dicuntur, & non iniusti, quia per iustos solùm fit dignè, & rectè remissio peccatorum; per iniustos verò fit remissio peccatorum, sed non rectè, nec dignè: quia minister talis in tali actu peccat, vt suo loco suprà diximus agendo de conditionibus ministri.

76 Tertiò. Vna clauis regni cęlorum dicitur scientia: at in ordinatione sacerdotij non confertur talis scientia: quia priùs ignarus post ordinationem non inuenit se magis scientem, quàm priùs, ergo non cōfertur in ordinatione: quia cognosceretur post ordinationem. Tertiū argumētum.

Respondetur, quòd per clauem scientiæ hic non intelligitur scientia aliqua actualis, vel habitualis, sed potestas cognoscendi in causa peccati, vt explicauimus suprà c. 1. Solutio.

77 Quartò. Sententia à suo non iudice lata, nulla est: at in susceptione sacerdotij, non confertur aliquis subditus, vt dictum est; ergo neque confertur potestas siuè clauis absoluendi eum à peccato. Quartū argumētum.

78 Respondeo, quòd duplex est clauis ordinis, & iurisdictionis. In susceptione ordinis sacerdotij datur clauis ordinis, quæ est potestas absoluendi à peccato, sed remota: Solutio. requiritur enim collatio materiæ, siuè subditi, quod per potestatem iurisdictionis fit; per quam fit clauis, & potestas proxima: & hæc est prima responsio, quæ est secundū opinionem, quam sustinuimus in hac disputatione suprà. Vel dicamus cū alia opinione, quòd in potestate clauium ordinis includitur potestas iurisdictionis, sed priuata, siue suspēsa ad tollendum schisma: & ideò requiritur auctoritas superioris ad illam exercēdam, quod probat Scotus, quia potestas absoluendi est potestas sententiandi, seu dicēdi ius in subditum, quæ est potestas iurisdictionis; cum ergo habetur subditus, vel declaratur, vel aufertur suspensio auctoritatis, potest sacerdos iudicare.

79 Quintò. Si in ordine sacerdotij dantur claues; ergo non sacerdos non posset illas habere. Consequens est falsum; ergo. Cōsequentia est euidens. Falsitas consequentis probatur: quia Archidiaconus, quem nō oportet sēper esse sacerdotem, potest ligare, & soluere: potest enim excōmunicare, & reconciliare, patet extra de sententia excom. 5. Ratio.

80 Respondetur, quòd claues sunt in duplici discrimine, quædam pertinent ad forum interius, & quædam ad forum exterius tantùm; non sacerdos potest habere claues pertinentes ad forum exterius, quæ sunt claues iurisdictionis, ab eo, quòd habeat claues ordinis, quod conceditur. In sacerdotij ordine verò loquimur de clauibus pertinentibus ad forum interius. Solutio.

DISTINCTIO XIX.

Quæstio Vnica.

DISPVTATIO XXXII.

Vtrùm potestas clauium se extendat ad remissionem tantùm pœnę, an etiam culpę.

Opinio eorum, qui dicunt extendi tantùm ad remittendum pœnam, & eiusdem confutatio, ac veritatis declaratio. Caput Primum.



N hac difficulate fuit aliquando sententia multorum Theologorum potestatē clauium non se extendere ad delēdum culpam, neque pęnam æternam, sed ad delendum pęnam temporalem tātùm. 1
Opin. Magistri, & multorum aliorum. Quam sententiā tenent Magister Sent. in hoc tit. dist. 18. D. Bonau. ibidē a. 2. q. 2. Alēns 4. p. q. 21. membro 1. & multi alij citantur vt Gabriel Biel q. 2. & dist. 14. q. 2. Adrianus in 4. quolib. 5. & alij nonnulli. Sunt tamen qui dicunt hos auctores quò ad remissionem pęnę differre. Aliqui enim dicunt sacerdotē euāgelicum solum remittere pęnā tēporalem, non æternā, vt auctores citati.

Alij verò dicunt, remitti etiam æternam pœnam per sacerdotem; vt Vgo Victorinus in Summa sent. tract. 5. c. ij. & lib. 2. de Sacramentis, parte 14. cap. 8. Richardus de S. Victore lib. de potestate ligandi, & soluendi, cap. 12. & quidam alij. Omnes ergo conueniunt in hac negatiua, quòd per claues Ecclesiæ non remittitur à sacerdote culpa per modum iudicij, & potestatis, sed solùm per modum deprecātis, ac ostendit absolutum; non autem absoluit. Quantùm verò ad secundam partem de remissione pœnæ sunt diuersi, & vtraque opinio habet sua fundamenta, de quibus statim. De hac opinione aliqua diximus suprà disp. de forma sacramenti pœnitentiæ, cap. 6. loquendo de dispositione necessaria ad hoc sacramentum. Sed hæc addere non est inutile.

Rationes probātes per claues non remitti culpam. 1. Ratio.

2 Primam partem probant his rationibus, quas Scotus adducit in hoc 4. dist. 18. in principio. Prima ratio, potestas data ecclesiæ per claues, non est dimittendi peccata, sed ostendendi peccata esse dimissa; ergo per claues nō dimittitur culpa. Consequentia est euidens. Antecedens verò probatur: quia dimittere culpam peccati est propriū solius Dei. Probatur, nam propria ratio culpæ consistit in iniuria Dei; ergo pertinet ad solum Deum ipsam culpam dimittere. Vnde Magister eadem dist. 18. inquit, Deus per se tantùm dimittit peccata: quia & animam mundat ab interiori macula, & à debito mortis æternæ soluit: & explicans quid faciāt sacerdotes Euangelici, inquit, Christus Dominus tribuit eis potestatem ligandi, & soluendi, idest ostendendi eos ligatos, & solutos; & hoc Magister probat per illud Lucæ 5. Vbi Christus Dominus priùs sanauit leprosum, deinde misit ad sacerdotes; & per illud Ioan. 11. vbi prius suscitauit Lazarum, deinde dixit Apostolis, vt illum soluerent.

3 Confirmatur auctoritate Diui Hieronymi super illud Matth. 16. *Tibi dabo claues*, inquit enim in Leuitico, *se ostendere sacerdotibus iubentur leprosi, quos illi non faciunt leprosos, vel mundos, sed discernunt qui mundi, vel immundi sint*.

4 In eadem sententia citatur Diuus Augustinus tract. 22. & 49. in Ioan. & sermone 8. de verbis Domini.

2. Rō principalis.

5 Secunda ratio principalis est: quia actio clauium, s. absolutio facta à sacerdote semper præsupponit culpam esse delatam, & remissam; ergo non est data à Christo Domino ad delendam ipsam culpam. Consequentia probatur: quia nulla potentia actiua datur ad aliquem effectum faciendum, quem semper præsupponat factū, alioquin frustrà daretur. Hæc autem potestas clauium est potestas actiua, non ergo datur à Christo Domino ad effectum efficiendum, quem semper præsupponit effectum, & productum esse. Antecedens verò probatur: quia ad hoc, vt absolutio & potestas clauium valeat, requiritur in subiecto interna pœnitentia, & contritio: sine ea. n. non potest dimitti culpa per claues: illa autem posita statim remittitur culpa; ergo. Quomodo autem clauium potestas se extendat ad pœnam peccati etiam explicant, & suprà tactum est, sed de hoc capite sequenti.

Reijcitur hęc opinio.

6 Hæc opinio est omninò reijcienda, quia est falsa, & nunc communiter reijcitur: quia in plurimis Concilijs, vt infrà videbimus, diffinitum est, culpam dimitti per sacramentum pœnitentiæ.

Sententia vera.

Oppositam ergo sententiam sequuntur in primis Scotus, qui hanc sententiam Magistri acriter reprehendit in hac distinc. 18. & videtur inter Scolasticos fuisse primus, qui errorem Theologorum oppositę sententiæ animaduerterit. Nam D. Thom. in hac re est satis perplexus: in 4. enim dist. 18. q. 1. ar. 3. sententiam Magistri sequitur: inquit enim, quòd sacerdos absolutè non dimittit culpam, quod etiam obtinuit Soto in 4. dist. 20. quæst. 2. ar. 1. vbi inquit, quod D. Thom. tanquam expositor Magistri in sententiam ipsius inclinauit.

Opin. Diui Thomę.

Licèt postea eum tueri conentur Thomistæ, ac dicant in 3. p. q. 62. oppositum dicere, ac pro tanto D. Thom. asserere, quòd sacerdos absolutè non remittit culpam, eo quòd non remittit nisi tanquam instrumentum. Hoc tamen videtur parum iuuare: quia etiā Magister sustinet, quòd sacramenta nouæ legis conferunt gratiam, & quòd Sacerdos, est Minister huius sacramenti; & tamen postea negat, quòd absoluat à culpa; ergo licèt D. Tho. 3. p. Summæ, q. illa 62. dicat, sacramenta nouæ legis verè continere, & efficere gratiam, & sustineat sacerdotes esse causas ministeriales ipsius non principales; non tamē ob hoc sequitur, quin explicando modū, sit sequutus quoque Magistrum, dicendo, quòd efficit dispositiuè, & deprecatiuè; sed quidquid sit de hoc, opinio Magistri, & sectatorum reijcitur ab omnib. nunc, & cū Scoto sentiūt Thomistæ omnes, vt Soto in ista dist. 18. q. 2. art. 1. Paludanus dist. 17. q. 1. Caiet. tom. 1. Opusc. tract. 18. q. 5. Durandus dist. 19. q. 1. Suarez disp. 16. sect. 2. qui citat alios. Richard. etiam dist. 18. ar. 2. quæst. 1. eandem sententiam sustinet; licèt à Marginistis Scoti tamen contrarium citetur.

7 Prima ergo ratio Scoti est hæc. Si Sacerdos per claues Ecclesiæ sibi traditas non absolueret, ac dimitteret culpam peccati, sequeretur, quòd sacramentum pœnitentiæ non esset sacramentum nouæ legis, neque haberet aliquā causalitatem, siuè dispositionem causalem respectu gratiæ primę. Consequens est omninò absurdum; ergo, cōsequētia probatur: quia nunquam dignè susciperetur, nisi ab habente iam primam gratiam, quia nullus dignè ostenditur absolutus, nisi priùs sit illi dimissa culpa, & sit solutus à Deo ab illa; ergo sacramentum Pœnitentiæ nullam causalitatem effectiuam haberet respectu gratiæ, quia causatio gratię, & expulsio culpę de facto secundùm legem Dei ordinariam sunt incompossibiles. Falsitas cōsequentis patet, quia sacramenta nouæ legis differunt à sacramētis legis veteris, quia hæc conferunt gratiam, illa verò nequaq̄. 1. Ratio Scoti.

8 Secundò. Susceptio sacramenti, siuè absolutio sacerdotis (sunt enim idem in re) est dispositio, & instrumētum efficax ex statuto Dei necessarium ad susceptionem gratiæ: at instrumentum, vel dispositio præuia non est signum rememoratiuum, siue ostensiuum alicuius rei præteritæ, sed alicuius rei futuræ; ergo absolutio illa sacramētalis nō est signum alicuius absolutionis præteritæ, sed futuræ; ergo non potest esse signum absolutionis diuinæ præteritæ, sed est signum absolutionis futuræ, ad quam ipsa ex pacto diuino instrumentaliter, siuè ministerialiter concurrit. 2. Ratio Scoti.

9 Tertiò. Auctoritates scripturæ sunt nimis euidentes. Nam Io. 20. cum Christus Dominus dat auctoritatē clauium Apostolis, & per ipsos Ecclesiæ, & successorib. Apostolorum in sacerdotio, inquit. *Accipite Spiritum sanctū, quorum remiseritis peccata*, &c. Per peccatum autem communiter, & principaliter intelligitur culpa, & secundariò, siue secundùm quid, pœna; nam culpa est, quæ facit hominem inimicum Deo, & pœna infligitur propter culpam, & maximè pœna æterna. Vnde Matth. 25. dicit. *Ite maledicti in ignem æternum*: quia enim sunt maledicti per culpam, eos adiudicat in pœnam æternam. Præterea pœna peccati non est mala, quia est à Deo, & est ordinatiua peccati, vt diximus; ergo per peccatum intelligitur culpa, non pœna. & Lucæ 26. dicitur, *Oportet prædicare in nomine eius pœnitentiam, in remissionem peccatorum*. Vbi per peccata patet intelligi culpas: & confirmatur, quia Matth. 16. dicit Petro, *Quodcunque solueris super terram, erit solutum in cælis*. Verbum illud, *Quodcunque*, est expendēdum; significat enim omnia, quæ in peccatore, vel peccato sunt. Vndè cùm in peccato sit culpa, & pœna dedit ei facultatem remittendi vtrunque. 3. Ratio Scoti.

10 Quartò probatur ex traditione Ecclesiæ, & doctrina Conciliorum, præsertim Florentini in litteris sanctæ vnionis, &c. & ex Concilio Constantiensi, ex Bulla Martini V. contra errores Ioan. Hus; & tandem ex Concilio Trident. sessione 14. cap. 1. vbi dicitur, quòd Christus Dominus instituit sacramentum Pœnitentiæ. *In remedio vitæ illis qui se se post baptismum in peccati seruitutem, & Dæmonis potestatem tradidissent*. & infrà inquit Christum Dominum, *Quo tàm insigni facto, & verbis tàm perspicuis, Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata*, &c. dedisse Apostolis *potestatem remittendi, & retinendi* 4. Ratio Scoti.

peccata,

peccata, ad reconciliandos fideles post baptismum lapsos. Nemo autem reconciliatur Deo, nisi per ablationem culpæ; ergo.

Opin. vera explicatur à Scoto.

11 Est ergo dicendum per claues Ecclesiæ dimitti culpam peccati, quod Scotus declarat, & adhuc confirmat sic. Dictum est d. 14. q. 4. loquendo de dispositione necessaria ad sacramentum pœnitentiæ, quòd sufficit attritio de peccato commisso, simul cum sacramento ad obtinendam remissionē peccati. Et quòd homo ex attrito fit contritus virtute sacramenti, idest quod habens attritionem virtute sacramenti consequitur eundem effectum, quem confert contritio. Scimus autem, quòd contritio differt ab attritione nota, quòd contritio de se confert gratiam, & delet culpam; attritio verò nequaquam de se est sufficiens. Cum ergo absolutio sacramētalis cum sola attritione absoluat à peccati culpa, sequitur claues Ecclesię habere potestatem ad dimittendam culpam.

Quomodo sacramētū sit instrumentū gratiæ.

12 Vndè subiungit Scotus ex hoc patere quo modo hoc sacramentum sit instrumentum ad gratiam primam efficiendam; est enim instrumētum, vt dispositio præuio efficax, ex pacto diuino necessitans Deum ipsum ad producendum gratiam, (vt diximus suprà in communi de omni sacramento dist. prima). Et dat exemplum de alteratione: nam sicut alteratio est præuia dispositio ad generationem formæ substantialis, ita quòd in termino illius generans substantiam producit ipsam formam substantialem, quam tamen ipsa alteratio non attingit. Ita absolutio sacramentalis est dispositio præuia ad infusionē gratiæ, & deletionem peccati mortalis, in fine cuius Deus infundit gratiam, & delet peccatum necessariò necessitate oriente ex pacto diuino facto in institutione sacramentorum cum Ecclesia, licèt ipsa absolutio non attingat creationem ipsius gratiæ, sed solus Deus.

Differētia inter sacerdotes veteris, & nouę legis.

13 Ex hoc infert differentiam inter sacerdotes legis veteris respectu lepræ mundando, & sacerdotes Euangelicos respectu culpæ: nam sacerdotes veteris legis circa lepram non exercebant signum pronosticum efficax respectu mundationis lepræ sequentis; sed exercebant signum rememoratiuum mundationis lepræ præteritæ: at sacerdotes Euangelici, per claues exercent signum pronosticū efficax mundationis à peccato sequentis in vltimo instanti prolationis verborum; nec tamen mentitur sacerdos dū absoluit, dicendo *absoluo te* &c. quia intelligitur absolutio eius pro illo instanti, pro quo iste à Deo, & ab Ecclesia est absolutus.

Sacerdos Euāgelicus dimittit pęnā æternā.

14 Ex hoc, eadem ratione, infert Scotus, quòd sacerdos euangelicus per claues Ecclesiæ dimittit etiam pœnā æternam, quod est proprium Dei: dummodo in pœnitente sit displicentia peccati commissi, quæ est attritio, & propositum abstinendi in posterum à peccato, & satisfaciendi pro peccato commisso, sed dimittit modo differenti à Deo: quia Deus dimittit principaliter; sacerdos dimittit ministerialiter. Sed quomodo est vera illa forma *absoluo te*, quando homo iam per cōtritionem obtinuit remissionem peccati, & collationem gratiæ? Respondetur hoc dubium solutum fuisse suprà agendo de significatione formæ sacramenti huius, quòd hic repetere non est necesse. Quantùm verò ad *ligare* est dubium, quomodo sacerdos dicatur *ligare* peccatorem, cum ipse sacerdos non præcipitet, nec inijciat ipsum peccatorem in peccatum. Respondetur, quod dicitur *ligare indirectè*, quia, scilicet non absoluit à peccato: nam *non absoluere* est *ligare*, siue *detinere peccatum*; præterquam quod etiam *ligare* se extendit ad pœnam, vt infrà patebit.

Ad primā rōnē pro opinione Magistri.

15 Ad rationes pro opinione Magistri, & sequacium. Ad primam respondetur per illam distinctionem, quòd *mundare, & delere peccatum* contingit duobus modis, scilicet *principaliter, & ministerialiter*, seu *instrumentaliter*. Solus Deus *remittit, & mundat* à peccato *principaliter*, sacerdos euangelicus *ministerialiter*. Vnde ad formam argumenti negatur antecedens. Ad probationem conceditur, quòd sacerdos ostendit mundatū, at non solùm ostendit mundatum pro vltimo instanti, quo completur prolatio verborum, sed etiam efficit mundationem, vt dispositio, & instrumentum præuium necessariò inducēs illam mundationem ex pacto diuino. Vndè in hoc differunt sacerdotes euangelici à sacerdotibus veteris legis: quia sacerdotes veteris legis nihil efficiebant, quòd esset dispositio ad mundandam lepram corporalem. At sacerdotes euāgelici efficiunt aliquid, quod est dispositio efficax ad mundandum lepram peccati.

16 Et hoc est, quod significatur per auctoritates illas euangelij de leproso mundato priùs à Saluatore Lucæ 5. & de Lazaro Ioan. 11. significatur enim peccatum principaliter dimitti à Christo Domino, ministerialiter à sacerdote. Hoc enim voluit significare Christus Dominus, dū dixit leproso, vt iret ad ostendendum se sacerdoti, & Apostolis, vt soluerent Lazarum. Quod autem priùs leprosus fuerit mundatus, & Lazarus suscitatus, quàm sacerdotes, & Apostoli ministerium adhiberent, hoc factum fuit, quia mundatio, & præsentatio corporalis ad sacerdotes non poterat fieri, nisi diuersis temporibus. At mundatio spiritualis potest simul ab vtroque agente principali, & ministeriali fieri: immò hoc modo regulariter fit.

17 Ad illud Diui Hieronymi respondeo, eum non negare sacerdotes euangelicos habere potestatem dimittendi peccata, quia apertè dicit Epist. 150. q. 9. Apostolos accepisse potestatem remittendi peccata, & faciendi filios adoptiuos, Ioan. 20. eo ergo loco intendit tantùm non esse positum in arbitrio sacerdotis tollere, aut retinere peccata quando, vel quomodo voluerit, quasi possit vel damnare innoxium, vel absoluere prauum, quē abusum ibi grauiter reprehendit: & propter hoc dicit, quòd sacerdotes nō faciebant leprosos, vel mundos, sed ostendebāt; quod verum est, & habeo intentum in sensu exposito.

18 Ad illud Diui Augustini, respondeo locis citatis docere esse necessarium peccatorem priùs à gratia excitari, vt ad pœnitentiam accedat, non tamen esse plenè iustificatum, nisi accedat ad sacerdotem, ex quo ostendit requiri concursum causæ ministerialis, quæ est sacerdos ad absoluendum peccatum perfectè. Vndè verba Diui Augustini tractatu 49. in Ioan. sunt, *quid est procedere, nisi ab occultis, velut exeundo te manifestare? Sed vt confitearis Deus facit magna voce clamādo idest magna gratia vocādo: ideò cum processisset mortuus adhuc ligatus, confitens & adhuc reus, vt soluerentur peccata eius, Ministris, hoc dixit Dominus, soluite illum, & sinite abire: quid est soluite, & sinite abire? quæ solueritis in terra, erunt soluta in cælo.*

Ad secūdā rationem.

19 Ad secundam rationem patet ex dictis. Antecedēs esse falsum. Ad probationem respondetur, falsum esse requiri semper cōtritionem; sufficit enim attritio, vt dictum est. Huiusmodi rationes, & aliæ discussæ sunt suprà d. 14. q. 4. & loquendo de effectu formæ absolutionis.

Quomodo potestas clauium se extendat ad pœnam dimittendam. Caput Secundum.

20 QVantùm ad pœnam est etiam discrimen inter doctores vt tetigi capite præcedenti: quidam enim dicunt potestatem clauium extendi tantùm ad dimissionem pęnæ temporalis, non æternæ: & hęc est opinio Magistri in hac d. 18. Quidam alij verò dixerunt extendi ad dimissionem pœnæ, nedum temporalis, sed etiam æternę; licèt non extendatur ad dimissionem culpę: sed in hoc etiam differunt, quia aliqui dicunt extendi ad remittendum pœnam æternam, tam damni, quàm sensus; & hæc tribuitur Hugoni Victorino, & Richardo de Sancto Victore vbi suprà. Alij verò quòd se extendat solùm ad pœnam æternam damni, non sensus: putant enim pœnam sensus æternam remitti simul cum culpa, non tamen aperiri Ianuam Paradisi, nisi per claues; per quam aperitionem tollitur pœna damni; & hæc tribuitur Medinæ Codice de pœnitentia tractatu 2. quæst. de effectu absolutionis sacramentalis.

Decla-

Quō sacerdos. sūi Magistrum soluat, & liget

21 Declarat insuper Magister quomodo sacerdos euāgelicus dicatur soluere, & ligare; & inquit soluere quatenus à pœna temporali debita aliquid dimittit, vel quatenus per absolutionē admittit peccatorem ad sacramentorum communionem. Sic enim soluit ab ea in capacitate sacramentorum, qua detinebatur per peccatum; ligare verò cum obligat peccatorem ad pœnam temporalem soluendam, quam ei imponit.

Additur deinde hic à Scoto disputatio de modo imponendi pœnam pro peccatis à confessore, & quomodo clauis potestatis ligandi se gerere debeat. Verùm quia hoc habet maximam connexionem cum satisfactione, de illa agam infrà, agendo de satisfactione, quæ est tertia pars sacramenti pœnitentiæ.

Opin. Magistri reijcitur.

22 Agendo ergo nunc præcisè de potestate clauium circa pœnam, opinio magistri est proculdubio falsa: nimirum, quòd potestas clauium præcisè se extendat ad dimittendum pœnam temporalem, non autem æternam, quod probatur,

1. Ratio

primò efficaciter ex dictis capite præcedenti: quia cùm potestas clauium se extendat ad dimissionem culpæ, & pœna æterna inferatur à Deo præcisè propter culpam mortalem, vt suprà visum est, sequitur, quòd ablata culpa auferatur quoque pœna illi debita: ablata enim causa aufertur effectus, qui ex illa dependet: at pœna æterna præcisè inuēta est, & inflicta à Deo propter culpam; ergo qui aufert, vel auferre potest culpam, auferre potest, & actu aufert quoque pœnam. Quod enim dat formam, dat consequentia formam: potestas clauium est potestas dimittendi culpam; ergo, & pœnam, quæ ad illam consequitur propter ipsam culpam, non aliunde.

2. Ratio.

23 Secundò probatur, quia si Dominus præcisè intellexisset in hoc sacramento dare sacerdotibus facultatem absoluendi à pęna temporali, hæc potestas esset valdè imperfecta, & limitata, neque corresponderet illi facto, & verbis tantæ excellentiæ, *Sicut misit me Pater, ego mitto vos; accipite Spiritum sanctum quorum remiseritis*, &c. His enim verbis ostendit se dare Apostolis aliquam magnam auctoritatem; ergo non est dicendum, quòd præcisè dederit eis potestatem remittendi pœnam temporalem, & nō totam, sed aliquam partem. Et confirmatur, quia pœna temporalis per alia remedia dimitti poterat; ergo non erat necessarium propter illam hanc auctoritatem dare Apostolis, & sacerdotibus. Antecedens patet, quia pœna temporalis debita pro peccatis remitti potest per operationes virtutum voluntarias, vt per vigilias, orationes, ieiunia, & huiusmodi.

24 Confirmatur adhuc, quia sicut sacramentum baptismi institutum fuit à Christo Domino tanquàm prima tabula post naufragium, & vt remedium necessarium ad vitam æternam. Ita sacramentum pœnitentiæ est institutum à Christo Domino tanquam tabula secūda post naufragium, & vt remedium necessarium ad vitam æternam ex sacro Concilio Tridentino sess. 14. cap. 1. at sicuti baptismus nihil conferret ad vitam æternam consequendā, nisi deleret cum culpa pœnam æternam: ita sacramentum pœnitentiæ nihil conferret ad vitam æternā, nisi remitteret pœnam æternam.

2. Opinio reijcitur.

25 Secunda opinio verò sibi ipsi aduersatur: nam cum pęna æterna sequatur culpam, & propter ipsam culpam solam infligatur, sequitur necessariò, quòd si Deus dimittit per claues pœnam æternam, simul dimittat culpam: quia ista simul de facto, & secundùm legem ordinariam dimittuntur, quod etiam apertè docetur in Concilio Tridentino sessione 6. capit. 14. Rectè ergo dicunt quidem dum aiunt per claues remitti pęnam æternam; sed malè cum negant per illas dimitti culpam. Opinio verò Medinæ, qui distinguit pęnam damni à pęna sensus, est omninò sinè fundamento: quia pęna damni, & sensus æterna simul semper manent, nec separantur secundùm legem Dei ordinariam. Concludendum est ergo cum Scoto, & omnibus alijs Theologis, claues extendi ad dimissionem culpæ, & pęnæ æternæ, ac etiam temporalis.

26 Quòd autem claues Ecclesiæ etiam se extendāt ad pęnam temporalem, patet ex hoc: quia licèt per absolutionem sacramentalem dimittatur culpa, & pęna æterna: tamen non dimittitur tota pęna, sed æterna commutatur in temporalem: neque enim voluit Deus, vt hoc sacramentum esset tantæ efficaciæ, quantæ est baptismus: ille enim est ianua sacramentorum, & eo, quis primò ascribitur familiæ Christi: ideò in ipso abluitur culpa, & omnis pęna: at in sacramento pęnitentiæ non adest ita plenaria mundatio: ideò Christus Dominus instituit hoc sacramētum per modum iudicij dando sacerdoti facultatem arbitrandi, scilicet iudicandi in causa pęnitentis, & eum liberandi à pęna æterna, non tamen absoluendi omninò gratis, sed per impositionem alicuius pęnitentiæ. Signum est ergo, quòd peccatis dimissis, quò ad culpam, & pęnam æternam, etiam debetur aliqua pęna temporalis, super quam dimittendam in totum, vel in partem sacerdos habet facultatem: & hac ratione, pęnitenti, facta absolutione à peccatis, iniungit aliquam pęnam temporalem, quæ quanta, & qualis esse debeat explicabitur infrà agēdo de satisfactione.

Primum argūm principale Scoti in oppositum.

27 Sed arguitur, quòd sacerdos non possit dimittere per claues pęnam temporalem, per primam rationē principalem Scoti dist. illa 18. sic. Si clauium potestas se extēderet ad pęnam temporalem, vel se extenderet ad illā remittendam, vel ad illam infligendam: non primum, quia tunc per frequentes absolutiones, posset tota pęna debita peccato remitti, quod est absurdum: nec secundum, quoniam tunc quilibet pęnitens teneretur adimplere quamcunque pęnam sibi iniunctam à sacerdote, etiam si illa excederet pęnam debitam peccato: hoc autem est falsum, quia nemo tenetur obedire inferiori contra voluntatem superioris: est autem contra voluntatem superioris Dei, quòd quis maiori pęna arctetur, quàm sit debita tali peccato.

Solutio.

28 Respondet ipsemet Scotus, quòd clauis auctoritas se extendit ad pęnam temporalem vtroque modo, scilicet soluendo à pęna, & infligendo pęnam. Et cum arguitur, quòd sacerdos posset dimittere totam pęnam per plures absolutiones reiteratas, respondetur per plures absolutiones de eodem non remitti semper aliquam partem pęnæ, de qua fecimus suprà disputationem particularem, agendo de reiteratione confessionis.

An reiteratio confessionis de eodē peccato semper remittat aliquam partem pœnæ.

Dicitur ergo, quòd in absolutione à peccatis remittitur certa aliqua portio pęnæ, qua maior, vel minor non remittitur per auctoritatem clauium, de qua in materia *de satisfactione*. Potest enim sciri ex Sacra scriptura, quanta pęna debeatur peccato mortali, & tunc iuxta illam est taxanda pęna proportionaliter; per quam taxationem sacerdos liberat a pęna debita, & obligat ad pęnam iniunctam.

Vndè quis cognoscere possit, an pœnitentia imposita sit condigna.

29 Ad rationem contra secundum membrum distinctionis dicitur, quòd non obligatur pęnitens ad pęnam, quæ excedit proportionatum illud medium; sed solùm, quando est intra debitam latitudinem. Sed vnde quis sciet, an pęna imposita sit condigna, de hoc in materia *de satisfactione*.

2. Ratio.

30 Secundò Christus Dominus Ioann. 20. vbi dedit claues ecclesiæ, dixit, *quorum remiseritis peccata*, &c. ergo potestas clauium est ad dimittendum, & retinendum peccata præcisè, non autem pęnas.

Solutio.

31 Respondetur extendi ad peccatum, & ad pęnas, quia non fit remissio culpæ, nisi propter vitam æternam consequendam, cum qua non stat aliqua pęna. Scotus aliter conficit hoc argumentum. Reliqua videbimus agendo *de satisfactione*.

DI-

DISPVTATIO XXXIII.

De obligationibus Miniſtri Sacramenti Pœnitentiæ.

Quomodo obligetur confeſſor audire confeſſiones, & habere certitudinem de diſpoſitione pœnitentis, & integritate confeſſionis. *Caput Primum.*

1 Circa ea, quæ pertinent ad miniſtrum, adhuc eſt agendum de obligationibus eius. Ad multa enim Miniſter tenetur, quæ oportet noſcere. Obſeruandum eſt autem obligationem circa adminiſtrationem huius ſacramenti poſſe oriri ex duplici cap. Primò ſcilicet ex ratione generali, & extrinſeca (quæ etiam alijs ſacramentis communia ſunt) vt ex præcepto charitatis, miſericordiæ, voto, obedientia, & huiuſmodi. De hoc modo obligationis non eſt agendū, ſed ſuis locis, vbi agitur de præceptis in generali. Aut ſecundò ex obligatione interna, quæ ſcilicet prouenit ex debito, & ex officio: & de hac tantùm eſt agendum.

2 De hac ergo loquendo, hæc non ineſt omnibus ſacerdotibus admiſſis ad confeſſiones audiendas; ſed ſolùm parochis. Hi enim ſunt proprij ſacerdotes ordinariè: & ad hoc præcipuè aluntur à fidelibus, vt eis ſacramenta miniſtrent.

Quãdo Parochus teneatur audire confeſſionem.

3 At difficultas eſt, quando Parochus teneatur audire ſubditum ſuum confiteri volentem: fuit opinio Richardi in 4. diſt. 18. ar. 2. q. 3. quem ſecuti ſunt alij, præſertim Sylueſter, verbo *Confeſſor* 1. §. 18. Maior. d. 17. q. vltima, & nonnulli alij recentiores, Parochum teneri tantùm *tentione neceſſitatis*, tempore, quo ſubditi obligantur ad confiteri, quod eſſet tempore neceſſitatis, & ſemel in anno: *tentione* verò *congruitatis* tenetur quotieſcunque voluerit confiteri. Ratio principalis primæ partis eſt, quia Parochus *ratione* ſui *officij* tenetur tantùm præſtare ea, quę iure communi, vel à ſuo ſuperiore ſibi præcepta ſunt; ſed tantùm ſibi præcipitur, vt *tempore neceſſitatis* ſacramenta miniſtret; ergo. Præterea ſequeretur, quòd aliàs ſacerdos teneretur audire ſubditos quotieſcunque confiteri vellent, quod eſſet valdè oneroſum, & moraliter ferè impoſſibile: & eò magis, quia ſæpè poterit confeſſor probabiliter credere ſubditum ſolùm venialia velle confiteri, quorum confeſſionē non tenetur audire, quia illa non eſt neceſſitatis, ſed voluntatis. Non tenetur etiam *ratione charitatis*, quia hæc obligat ſolùm in caſu neceſſitatis; ergo nulla videtur adeſſe obligatio.

Opin. vera

4 Contrariam ſententiam tenent Adrianus de Confeſſione, d. 8. Nauarrus de pœn. diſt. 6. cap. *Placuit*, num. 152. Soto in 4. diſt. 18. q. 4. ar. 2. ad ſecundum principale. Suarez diſp. 32. ſect. 1. omnes illi dicunt teneri parochum non ſolùm tempore neceſſitatis, ſed quotieſcunque adeſt rationabilis cauſa confitendi ſua peccata, & nulla eſt rationabilis cauſa negandi. Rationabilis cauſa eſt autē quoties aliquis vult ſæpiùs confiteri propter maiorem mūdationem conſcientiæ ſuæ: non vult in peccatis manere, ſed ſtatim à laqueo peccati ſe diſſoluere, ne cadat in aliud: & hoc facit propter maiorem profectum in vita ſpirituali: quæ opinio eſt verior, & magis pia: neque Richardus multùm inſiſtit opinioni præcedenti, ſed dicit, *non credo, quod ordinariè teneatur*, &c. Ratio principalis eſt, quia Parochus tenetur ex debito officij ſui non tantùm prouidere ouibus in extrema neceſſitate, ſed etiam temporib. opportunis procurare eis vtilitatem, commodum, & profectum ſpiritualem, vel ſaltem non impedire: valdè incommodū autem, & damnoſum eſſet ſubditis, ſi non poſſent quoties vellent conſcientias ſuas exonerare, & ſacramentis ſe reficere. Tenetur ergo Parochus per ſe, vel per alium eis ſubuenire quoties voluerint rationabiliter: quod ex Ezechiele 34. optimè, & longo ſermone probat Nauarrus loc. cit. quòd dictum eſt de Parocho, dicendum eſt de ſimilibus, quibus cura animarum eodem modo incumbit.

Rationes in oppoſitum, quid cōcludant.

5 Rationes pro parte oppoſita concludunt non teneri Parochum extra caſum oportunum: & quādo Parochianus nimis frequenter, & importunè vellet audiri: immò quandoque ſi confeſſarius præſciret ſolùm venialia velle confiteri, quod præſcire poteſt ex frequentibus confeſſionibus aliàs factis, & videre periculum faciendi conſcientiam nimis ſcropuloſam, debet negare. Patet ergo ex loco illo Ezechielis teneri *lege officij* ſui Parochum ad audiendas confeſſiones, *ratione autem præcepti charitatis* teneri tempore oportuno, non autem extra tempus oportunum.

Tenetur cōfeſſor eſſe certus de diſpōne pœnitentis.

6 Obligatur ſecundò confeſſor eſſe certus certitudine morali, ſeu probabili, de diſpoſitione neceſſaria ad hoc ſacramentum pœnitentiæ. Ratio eſt, quia non debet abuti claue poteſtatis, ſi enim abutatur, & clauis erret, non ratificatur abſolutio in cœlo: tunc autem non errat clauis, quando confeſſarius ſeruat regulas à Chriſto Domino ſibi præſcriptas in hoc ſacramento, quarum hæc eſt vna ex præcipuis, vt pœnitens ſit diſpoſitus ea diſpoſitione, quam Chriſtus Dominus requiſiuit in ſuſcipiente hoc ſacramentum: eſt etiam ſacerdos iudex in hoc ſacramento: ideò debet iuſtum iudicium facere, quod accidet, ſi debitè diſpoſitum abſoluet: neque enim Miniſtri ſacramentorum poſſunt illa dare indignis, rectè, & fructuosè.

7 Diſpoſitio autem pœnitentis conſiſtit in habendo contritionem, ſiuè attritionem, vt ſuprà diximus: contritio autem, & attritio habent duo præſertim, ſcilicet *dolorem de peccatis præteritis*, & *propoſitum de non ampliùs committendo*, vt ſuo loco diximus. Poteſt autem ſacerdos cognoſcere, an pœnitens doleat *de præteritis*, ex verbis pœnitentis, vel ſi ex illis non innoteſcat, debet interrogare, an doleat, & tenetur credere affirmanti, quia non eſt exiſtimandum aliquem obliuiſci ſalutis propriæ: & deinde *ex ore tuo te iudico*, dicebat Euangelium. *De propoſito abſtinendi in poſterum*, loquendo de contritione diximus quale eſſe debeat: nunc ſatis eſt ſcire, quòd non requiritur tale propoſitum, vt putet ſe nunquam ampliùs peccaturum, ſed ſufficit, quòd pro illo tunc non habeat intentionem peccandi ampliùs, licèt dubitet, quòd iterum peccabit; ſed debet habere intentionem faciendi, quod in ſe eſt, ne peccet; neque debet confeſſarius eum adſtringere ad aliquā promiſſionem de nouo faciendam, vel votum, vel quid ſimile; ſed ſolùm excitare ad habendum propoſitum verum faciendi, quod in ſe eſt, vt vitet peccatum, & reſtituendi actu ſi tenetur, & poteſt: ſi non poteſt cum ad pinguiorem fortunam venerit, & præſertim ſi aliàs non promiſit reſtituere, ſed tunc primum incidit in hanc obligationē: quòd ſi aliàs promiſit, & fuit infidelis; confeſſor debet prudenter ſe gerere videndo, ſi hoc ex impotentia, vel negligentia euenit; & ſecundùm prudentiam ſuam poterit, vel abſoluere, & contentus eſſe promiſſione de reſtituendo, vel non abſoluere, ſed dimittere, vt ſic reſtituat, ſi viderit confeſſarius eſſe oportunum: de quibus rebus latè Nauarrus in Summa, cap. 26. num. 2. & cap. 17. num. 50. Sylueſt. verbo *Confeſſor* 1. quæſt. 12. Suarez diſput. 32. ſect. 2. & alij citati ab ipſo. Difficultas grauis eſt de eo, qui eſt in peccato, & occaſionem proximam peccandi non poteſt relinquere ſine graui ſcandalo, vel infamia, vel alio graui incommodo, vt qui cognoſcit conſanguineam, vel cognatam, & huiuſmodi, de qua re dicit multa Nauarrus in Summa, capitulo tertio, numero decimo, & ſequentibus. Verùm hæc res, vt optimè docuit quoque Suarez vbi ſuprà, tota pendet ex prudentia confeſſoris: ipſe enim iudicare poterit, an occaſio illa proxima poſſit ſine ſcandalo, vel infamia, aut huiuſmodi dimitti: eſt tamen notandum, quòd ad hoc, vt occaſio proxima ſit culpabilis, & quòd ex illa ſequitur, ſit culpabile, occaſio debet eſſe voluntaria, quòd ſi illa occaſio non ſit in poteſtate pœnitentis, ſed aliunde illata, quod ex ea ſequitur, non eſt voluntarium, nec culpabile, vt ſic, propter quod non ſit indignus abſolutione. Eſt etiam obſeruandum,

Quale propoſitum de nō amplius peccādo requiratur.

De eo, q oc caſionē proximam peccādi habet.

an

an licèt sæpiùs reincidat saltem diminuat peccatorum numerum, ac aliquando se contineat, & sic proficiat quoti die: quia hoc est signum propositi abstinendi, de qua re Nauarrus cap. illo 3. n. 21. Quòd si non contineat aliquando, sed de malo in peius procedat, aliquando erit cogendus relinquere illam occasionem proximam: etiam cum aliquo graui detrimento corporali, quia pretiosior est anima, quàm corpus.

Obligatur scire eő sessioné eé integram. 8 Diximus etiam suprà agendo *de integritate confessionis*, pœnitentem obligari ad faciendam confessionem integram: aliter non est valida: ideò debet confessarius scire, An confessio sit integra. Hoc autem poterit cognoscere ex confessione facta habita consideratione status personæ, morum, scientiæ, longitudinis temporis, & aliarum circunstantiarum. Vndè si pensatis his omnibus probabiliter iudicet pœnitentem rectè se examinasse, superfluű est eum ampliùs interrogare. Si verò cognoscat probabiliter pœnitentem non satis explicuisse conscientiam suam, aliquaque peccata relinquere ob negligentiam, vel minùs perfectam examinationem, tenetur ipsum interrogare, priusquam absoluat: nam iuxta caput, *Omnes vtriusque sexus*, sacerdos debet esse discretus, & cautus, more periti Medici diligenter inquirens peccatorum circunstantias. Et hæc est communis doctrina Theologorum in 4. dist. 17. & 18. interrogationes autem illæ, quas in principio confessionis faciendas esse, docet Nauarrus in Summa ca. 10. vt de statu, & conditione pœnitentis, de tempore quo confessus est, an satisfecit proprijori pœnitentia, an denique paratus sufficienter accesserit, & an sit contritus, vel attritus, & huiusmodi, sunt vtiles, quidem sed non omninò est necessarium illas facere in principio, quia ex discursu in confessione scire poterunt, & aliquando omitti possunt si non sint certæ circunstantiæ alicuius peccati.

Quid agendum si confessarius cognoscat pœnitenté nő cőfiteri peccatű, quod scit cőmisisse. 9 Sed dubium est. Si sacerdos sciat pœnitentem aliquod peccatum commisisse, & tamen cognoscit illud pœnitentem non confiteri, quid agendum? Respondendum, videtur esse absoluendum, quia iuxta communem doctrinam standum est dicto pœnitentis, ac illi est credendum, tam contra se, quàm pro se: nihilominus puto adhibendam esse aliquam distinctionem, vt notauit Suarez disp. illa 32. sect. 3. num. 9. quòd vel confessarius est omninò certus, quòd pœnitens illud peccatum nulli confessus est, vel non est omninò certus: vel non est certus, quòd talis peccatum fecerit, sed hoc intellexit ab alijs, vel si vidit proprijs occulis, sed tamé intercessit tempus, quo possit alteri illud confessum fuisse. Si tribus vltimis modis potest, & tenetur confessor absoluere pœnitétem: quia in hoc vera est regula illa, quòd standum est dicto pœnitentis regulariter, neque est credendum, quòd aliquis sit negligés & spretor propriæ salutis. At si primo modo, idest si confessarius sit omninò certus, quòd peccatum commisit, & nulli illud confessus est, non debet eum absoluere, sed sua scientia debet pœnitentem conuincere: & inducere ad cōfitendum peccatum ipsum, quòd si nolit confiteri, debet eum dimittere: quia si non potest indispositum absoluere, neque debet absoluere istum, quia est indispositus, cum non velit facere confessionem integram.

De eo, qui est in statu per se malo, per ignorantiam, vel dubio. Caput Secundum.

10 Est graue dubium, quod tractant omnes ferè Recentiores, quid agere debet confessor, cum reperit aliquem, vel aliquos in statu malo, & damnato, qui tamen ignorat inuincibiliter se esse in statu malo, & peccati. Exemplum. Aliquis retinet rem alienam, & inuincibiliter ignorat rem illam esse alienam, sed putat esse suam; & quandoque inter maritum, & vxorem intercessit aliquod impedimentum dirimens matrimonium, & tamen vterque petit, & reddit debitum bona fide. Adducit exemplum Soto in 4. dist. 18. quæst. 2. art. 4. in responsione ad secundum. Est mulier, quæ clandestinè contraxit cum viro, cum quo non habuit copulam: deinde cum alio publicè contrahit, & consumat matrimonium, & habet filios, & putat se legitimè morari cum secundo marito: & tamé est falsum, quia secundum matrimonium est nullum. Est sermo autem de ignorantia inuincibili, non de ignorantia vincibili, quia certum est hanc non excusare à peccato. Respondetur diuersimodè à Doctoribus. Adrianus quæst. 5. de confessione, dubio 6. inquit, quòd si sit ignorantia iuris diuini, vel humani, quod omnes scire teneantur, vt qua sæpe in ecclesia publicatur, Sacerdos debet admonere pœnitentem de suo errore, & veritatem aperire, etiam si facerdos non speret aliquem fructum hoc allaturű, immò potiùs damnum, & scandalum. Ratio est, quia veritatis diuinæ magis est consulendum, & bono publico, quàm priuato, iuxta illud Apostoli Actorum. 20. *Mundus ego sum à sanguine omnium vestrum non enim subterfugi, quo minus annuntiarem vobis verbum Dei*. Si verò sit ignorantia facti, vel humani iuris, quòd omnes scire non tenentur, & putat deregendo veritatem, se profuturum esse penitenti, tenetur: sin minùs, etiam, si sit in damnum tertij, non tenetur, & multò magis, quando non vergit in detrimentum alicuius tertij. Solutio.

11 Soto verò loco citato, quem sequitur Suarez dist. 32. sect. 4. in hoc distinguit, quòd aliud est dicere falsum, & aliud tacere veritatem. Primum nunquam licet, quia est intrinsecè malum. Secundum aliquando licet. Vndè si penitens de statu suo malo dubitet, & petat consilium à confessario, vel etiam si non petat consilium, sed ex sola narratione casus possit sacerdos iudicare, quòd penitens se confirmabit in illo malo statu, si sacerdos non detegat veritatem, semper siue sit ignorantia iuris diuini, vel humani, vel facti tenetur veritatem detegere, alioquin diceret falsum, quod non potest legitimè vnquam fieri. Loquendo verò de ignorãtia, inquit, si sit ignorãtia iuris diuini, vel humani, vel facti, quòd omnes tenentur scire; ipse Soto tenet cum Adriano, quòd tenetur detegere veritatem penitenti: eueniat quidquid vult, siue prosit, siue obsit. Ratio est, quia omnis talis ignorantia est culpabilis. Si verò ignorantia sit de rebus, quas non tenetur scire, distinguendum est: si enim hoc affert vtilitatem penitenti, nulli dubium est, quòd tenetur detegere veritatem, tum propter charitatis, quia tenemur proximo iuuare, cum est spes fructus: tum propter præceptum correctionis fraternæ, & in hoc omnes conueniũt: si verò non adsit spes fructus, omnes conueniunt, non teneri ad detegendam veritatem, quia hæc ignorantia inuincibilis non nocet ei. Opinio Soto.

12 Nauarrus verò in cap. *Si quis*, de penitentia, dist. 7. num. 66. & 71. ac inde Suarez, vbi suprà, & alij, quos ipse citat, respondent, quòd dicere falsum quidem nunquã licet: ideò interrogatus sacerdos debet veritatem aperire: at si adsit ignorantia, iuris diuini, siue iuris humani, siue facti, quod omnes scire tenentur, si confessor iudicet detegere veritatem, non afferre vtilitatem, vel damnum, non teneri: si verò secùs sit, teneri. Ad quod adducunt dictum D. Aug. in cap. *Si quis aűt*, de penit. d. 5. vbi ait, *Si scirè tibi prodesse, non te admonerem, non te terrerem*. & Nauarrus adducit caput, *Quia circa*, de consanguinitate, & affinitate, ex Innocentio III. in quo mandat Pontifex propter scãdalum esse dissimulandum, cum aliquibus, qui bona fide matrimonium se contraxisse putabant, & tamen erat impedimentum occultum dirimens. Et hæc opinio mihi quoque placet, & ratio est, quia nulla alia de causa obligatur ad detegẽdam veritatem nisi ratione officij sui, vel charitatis, aut pcepti correctionis fraternæ. Prima causa cessat, quia officiű sacerdotis est se gerere in administratione sacramenti, iuxta præcepta diuina, & humana spectantia ad actus occurrentes. At in proposito præcepta, quæ obligant, sunt solùm charitatis, & correctionis fraternæ (tam enim cognoscit confessarius habere dispositioné sufficientem, & integram confessionem fecisse) at hæc cessant, quotiescunque non speratur fructus ex correctione, & admonitione, sed damnum spirituale; quod patet exem-

exemplo ſimili. Si audirem aliquem blaſphemare, & ille ignoraret illam eſſe blaſphemiam, tamen ipſe ſcirẽ, quòd etiam ſi ille ſciret ſe blaſphemare adhuc vellet illa verba proferre: proculdubio nõ tenetur illum admonere, quòd dicendo talia, blaſphemet: quia nihil proficerem, & facerem, vt ceſſaret bona fides in eo, ac inde magis peccaret, quod potiùs eſſet contra charitatem.

13 Auctoritas adducta ab Adriano, & ſimiles, concludunt de veritate publicè prædicanda, & admonitione publicè facienda: hæc enim ſemper, ſequatur quidquid vult, debet aperiri, & manifeſtari: quia eſt de ſe bonum, & apta nata facere bonum, licèt aliqui ſint illa malè vſuri: quia ſemper adeſt ſpes fructus.

Vtrũ in dubio teneatur confeſſor abſoluere pœnitẽtẽ.

14 Eſt aliud dubium, An teneatur confeſſor abſoluere pœnitentem diſpoſitum, vbi eſt opinionum diuerſitas: exempli gratia. Vnus Doctor habet vnam opinionem in aliqua re: alius Doctor habet aliam, & cõtrariam opinionem in eadem re: confeſſarius putat vnam opinionem eſſe veram, & illam ſequitur: & ſecundùm hanc opinionem (exempli gratia) pœnitens debet reſtituere aliquid. Ex altera parte pœnitens eſt doctus, & ſequitur alteram partẽ, & putat ſe non teneri ad reſtitutionem. Vtrùm cõfeſſarius debeat, & teneatur abſoluere pœnitentem contra ſuam conſcientiam, non obligando eum ad reſtitutionem?

Solutio.

15 Reſpondetur primò eſſe certum, quòd ſi pœnitens non eſt diſpoſitus debitè, vt ſuprà diximus, non põt abſolui à ſacerdote: & ſi abſoluatur confeſſorem grauiter peccare. Ratio eſt, quia hæc diſpoſitio eſt neceſſaria de iure diuino, vt ſuprà dictum eſt: & ſic pœnitens peteret importunè abſolutionem, dupliciter peccaret. Primò, quia vellet ſuſcipere ſacramentum ſine debita diſpoſitione. Secũdò, quia induceret confeſſarium ad faciẽdum ſacrilegiũ. Secundò eſt certum, quòd ſi pœnitens eſt diſpoſitus, ſacerdos debet eum abſoluere: & ſi non abſolueret, peccaret mortaliter: faceret enim iniuriam pœnitenti, & deficeret officio ſuo, quod eſt iudicare, & abſoluere dignum: & obligatio iſta oritur ex inſtitutione huius ſacramenti. Quantùm verò ad dubium propoſitum, Soto in 4. diſt. 18. q. 2. ar. 5. Nauarrus in Summa cap. 27. num. 280. & 288. quos ſequitur Suarez diſp. 32. ſect. 5. tenet, quòd licitè confeſſor poteſt eum abſoluere; quia ſufficit, quòd opinio, quam ſequitur pęnitens ſit probabilis. Hæc enim probabilitas excuſat ſacerdotem à peccato: & hęc opinio eſt his temporibus communis: tamen in hac re puto Scoti opinionem eſſe tutiorem, & in praxi amplexandam eſſe. ſ. tutiorem partem, & opinionẽ eſſe ſequendam, quam tradit in primo quęſt. 2. prologi, in reſponſione ad vltimum argumentum principale, eo modo, quo diximus ſuprà diſp. 6. cap. 2. agendo de cõſcientia. Vndè, ſi opinio ſacerdotis eſt tutior, pœnitens tenetur illã ſequi: ſi opinio pœnitentis eſt tutior, debet confeſſor illam ſequi: & ratio eſt, quàm Scotus loco citato adducit, quia via ſalutis non eſt ſimpliciter dubia, & proinde cum aliqs actus eſt dubius, an ſit peccatum mortale, vel non, & aliqui Doctores affirmant, aliqui negant: debemus à talibus actibus abſtinere, nedum exponimus noſmetipſos periculo peccati mortalis, incidamus in peccatum mortale; nam qui nõcurat hoc, exponit ſe periculo peccati mortalis; vnde vbi forte de genere actus non eſt peccatum mortale, tamen peccabit mortaliter ſe tali periculo exponendo.

Opin. auctoris, & Scoti.

Quid faciet Confeſſor ſi malè abſoluat pęnitentem, & an aliquam cenſuram, vel pœnam incurrat.
Caput Tertium.

Multis modis contingit malè abſolui pœnitentem.

16 POteſt Confeſſarius multis modis abſoluere malè pœnitentem. Primò ex malitia. Secundò ex naturali inaduertentia. Iterùm hic defectus confeſſoris poteſt eſſe vel circa ſubſtantiam ſacramenti, vel contra bonos mores pœnitentis. Exemplum primi: vt ſi abſoluat ſine auctoritate iuriſdictionis, vel ſine debita intentione abſoluendi; vel quia pœnitentem indiſpoſitum ſcienter, vel culpabiliter abſoluit, vel non integrè cõfeſſum: & hoc, quia confeſſor, vel propter timorem, vel propter verecundiam non eſt auſus illi negare abſolutionem. Exemplum ſecundi: ſi abſoluit illum non obligando eum ad faciendũ debitam reſtitutionem, aut ad tollẽdum occaſionem proximam peccati, & ſimilium.

17 Quantùm ad primum modum. ſ. quando defectus fuit contra ſubſtantiam ſacramenti, aliqui dixerunt, ſacerdotem in tali caſu poſſe per ſe ipſum nihil dicendo pœnitenti ſupplere id, quod defuerat: vt exempli gratia, ſi defuit auctoritas iuriſdictionis, poteſt eam petere à ſuperiore, & deinde per ſe ipſum repetere abſolutionem, & illam dirigere ad pœnitentem vbicunque fuerit: illa enim abſolutio videtur habere ſuam efficaciam in pœnitente, ſi ſit diſpoſitus, ac ſi eſſet præſens, quòd ex indicijs confeſſor poteſt priùs coniectare, quæ opinio tribuitur Diuo Antonino, 3. par. tit. 17. cap. 12. & Nauarro in Summa, cap. 26. num. 14.

18 Hanc opinionem quantùm ad excommunicationem approbat Suarez vbi ſuprà, quia ad abſolutionem ab excõmunicatione non requiritur diſpoſitio, neq. præſentia: quoniam etiam inuitus, & exiſtens in peccato mortali poteſt abſolui ab excommunicatione; ſed quantũ ad peccatum, vt putà à caſu reſeruato, eam non approbat, & iurè; non tamen omnes eius rationes mihi probantur, ſed iſta ſolùm, quia contingere poterit, ꝙ tunc temporis pœnitens ſit in nouo peccato mortali, & proinde non ſit capax abſolutionis à culpa. Eſt ergo dicendum, vt ſuprà diximus aliàs, & Nauar. citato loco inſinuat, & Suarez, & alij expreſsè tenent, quòd ſi ſine ſcandalo poſſit confeſſor eũ admonere, vt iterum confiteatur, & hoc non vergat in detrimentum, nec infamiam confeſſoris; tenetur enim admonere, vt iterùm confiteatur: quòd ſi hoc non habet locum, vt re vera difficile eſt habere locum, confeſſor non tenetur ad ipſum admonendum, ſed debet ſolùm de illo peccato pœnitere. Pœnitenti enim fit parum nocumentũ, quia iam ipſe durante bona fide ſatisfecit præcepto, & conſcientiæ ſuæ, & per ſubſequentem abſolutionem nõ faciendam in alia confeſſione ab illis peccatis abſoluetur, ꝙ ſi aliam confeſſionem non poſſet facere, nihil obeſt, quia eſt abſolutus, quoniam eſt defectus integritatis materialis, non formalis, qui non aufert validitatem confeſſionis, vt ſuprà diximus, agentes *de integritate confeſſionis*.

19 Quòd ſi quis dicat, ſi quis baptizans aliquem, fecit baptiſmum irritum, & nullum, tenetur admonere baptizatum. Similiter Epiſcopus, qui ordinans aliquem inualidè, illum ordinauit, tenetur eum admonere propter ſpiritualia incommoda, quæ ſequuntur; ergo qui inualidè culpabiliter adminiſtrat ſacramentum pœnitentiæ, tenetur admonere pęnitentem.

20 Reſpondetur, non eſſe parem rationem de baptiſmo, ordine ſacro, & pœnitentia: quia in illis nocumẽtum ſuſcipientis eſt grauiſſimum, & irreparabile. Qui enim nõ verè baptizatus eſt, non poteſt recipere alia ſacramenta: & qui non eſt ritè, & validè ordinatus, non poteſt ſacramenta alia validè adminiſtrare, & ſi adminiſtrat, inualida ſunt; quæ ſunt incommoda magni momenti, non ſic de adminiſtratione inualida ſacramenti pœnitentiæ, vt dictum eſt.

21 Si verò defectus ſit contra bonos mores pœnitẽtis, vt putà, quia & ſi fuit valida, fuit tamen contra iuſtitiam data: quid agendum? Reſpondetur, ſi confeſſor decepit pœnitentem, ita quòd ipſe ſit cauſa, vt pœnitens maneat in aliqua occaſione peccandi, non tamen adeſt damnum tertiæ perſonæ, tenetur admonere pęnitentem, ac illum illuminare, vt relinquat occaſionem illam peccati: & hoc ex regula charitatis, & prudentiæ, vitando ſcandalum, quo magis fieri poſſit. Si verò intercedit damnum tertij, vt quia confeſſor eſt cauſa, ꝙ pęnitens non reſtituat alienum. Rñdent omnes Summiſtę, vt Nauar. in Summa c. 17. n. 22. qui alios citat cõfeſſarium teneri ad reſtõnem; inquit tñ hoc procedere, quotieſcunq. confeſsarius videret, & crederet, quòd, ſi ipſe cõfeſſor præciperet pęnitenti, vt fa-

1. Opinio. Si defectus ſit cõtra bonos mores pęnitentis.

vt faceret restitutionem, illam faceret. Si verò non præciperet non faceret: quia tunc confessor est causa, quòd restitutio non fiat, non autem in eo, qui cognoscit pœnitentem teneri ad restitutionem, non tamen hoc ei pręcipit ob inaduertentiam, vel incogitantiã, aut quia existimat id ipsi confesso esse cutæ. In tali casu enim confessarius non est causa, vt non restituatur.

22 Suarez vbi suprà idem tenet, & adiungit solùm cõfessarium teneri, quando positiuè consuluit pęnitentẽ non teneri ad restitutionem: siuè hoc fecerit ex malitia, vel ex negligentia. Si tamen moneat pœnitentem oportuno tẽpore, quo non est factus impotens ad restituendum, non ampliùs teneri: si verò confessor fuit tantùm negligens, quia scilicet non monuit pęnitentem debere restituere, non teneri: quia hoc peccatum non est contra iustitiam, sed contra religionem, quia negligenter facit hoc officiũ: non tamen facit contra iustitiam: ideò non tenetur ad restitutionẽ, quæ opinio est valde mitis. Hinc tamen confessarij admoneantur, quàm periculosum sit munus confessionis.

Vtrũ pp indebitam administrationẽ huius sacramenti sacerdos incurrat aliquam pœnam.

23 Vltimò circa hoc est dubiũ, an imposita sit aliqua pęna à iure his, qui hoc sacramentum indebitè administrant. Respondet Suarez eadem disp. 32. sect. 7. de iure communi nullam esse impositam censuram, vel pęnam sacerdoti ministranti iniquè hoc sacramentum. An verò sit aliqua pęna in Extrauagantibus, vel in constitutionibus synodalibus, vel à locorum ordinarijs, est consulendum, potest enim statui. Solet autem dubitari, an laicus fingens se sacerdotem, & ministrans hoc sacramentum, aliquam pœnam incurrat: in qua re sunt tres sententiæ. Prima simpliciter negat: quia in iure non reperitur irregularitas imposita in hoc casu, quæ tribuitur Paludano in 4. dist. 17. quęst. 3. art. 1. con. 1. Secunda sententia est solùm clericum non ordinatum ministrantem hoc sacramentum irregularem fieri, quam tenet Angelus verbo, *Irregularitas*, nu. 3. & quidam alij. Fundamentum est rubrica in *cap. Primum: de clerico non ordinato ministrante*. Ex quo videtur omnes pęnas illius capitis extendi ad clericum non ordinatum; sed hæc ratio est nulla, quia non videtur ratio vlla, propter quam clerico tam grauis pœna impònatur, & non laico. Deinde verba textus illius sunt clara, inquit enim. *Si quis non ordinatus*, &c. ergo verba glossæ nõ possunt illud significatum expressum peruertere, & maximè cum verba glossæ possint aliter exponi.

An laicus fingẽs se sacerdotẽ incurrat aliq̃ pœnam.

Vera solutio.

24 Est ergo vera sententia, & communior omnem fictum ministrum, qui ministrat huiusmodi sacramentum, esse irregularem. Fundamentum est allatum *caput primum, de clerico non ordinato ministrante*, quod glossat Nauarrus in Summa cap. 27. num. 242. modò id faciat seriò, & non ioco, quem sequitur Suarez, vbi suprà, & idem sentit Soto in 4. dist. 18. quæst. 4. art. 1. in fine, & est communior.

DISPVTATIO XXXIV.

De sigillo confessionis.

An sacerdos teneatur cęlare peccatum in confessione detectum de lege naturæ, vel diuina, & positiua, vel ecclesiastica. Caput Primum.

1 DE sigillo confessionis agit diligẽter Scotus in 4. dist. 21. quæst. 2. vbi quinque conclusiones totam hanc materiam complectentes examinat, & argumenta principalia adducit, in quorum solutione omnia dubia incidentia dilucidat. Prima ergo conclusio eius est hæc. Sacerdos tenetur cœlare peccatum in confessione detectum de lege naturæ: pro cuius probatione Scotus priùs adducit rationem Richardi in hoc 4. d. 21. art. 4. quæst. 1. ac eam confutat, & deinde propriam adducit: sunt qui dicunt eandem esse D. Bonauenturæ, & Alensis, sed licèt D. Bonau. dist. 19. p. 2. ar. 2. quæst. 1. hanc rationem Richardi aliqualiter tangat, & Alensis 4. p. quæst. 19. m. 2. art. 1. tamen non multùm illi insistunt, & aliquo modo videntur conuenire cum Scoto. Ratio ergo Richardi est hæc. De iure naturæ est vitare mendacium, & maximè mendaciũ pernitiosum: at si quis reuelaret peccatum detectum in confessione, extra confessionem, diceret mendacium; ergo peccaret contra legem naturæ. Maior est euidens. Minor probatur, quia sacerdos in confessione non loquitur, nec audit, quod pœnitẽs confitetur in propria persona, sed in persona Dei: sicut Exodi 20. cum Angelus loquens Moysi dixit, *Ego sum Dominus Deus tuus*, &c. Nam tunc Angelus loquebatur in persona Dei: ideò illa oratio erat vera, si autem illam orationem protulisset in persona propria, non fuisset vera. Est ergo verùm, quòd sacerdos in confessione non facit, nec aliquid audit in persona propria, sed in persona Dei, quia omnia illa, quæ facit, sunt vera, quod non esset verũ, si faceret in persona propria. Ex hoc probatur minor. Qui dicit se audisse aliquid, vel scire aliquid, & illud non audiuit, vel non sciuit, mentitur; sed sic est, quòd sacerdos asserens extra confessionem se audiuisse peccatum, mentitur; ergo. Minor probatur, quia etsi audiuit illud peccatum, non audiuit tamen, nec sciuit illud in propria persona, sed in persona Dei; ergo cum dicit posteà extra confessionem se illud peccatum scire, & audiuisse, quia loquitur in propria persona, & non in persona Dei, mentitur.

Prima conclusio Scoti.

Sacerdotes tenent ad sigillũ de lege naturæ.

Ratio Richardi.

2 Hanc rationẽ reijcit Scotus, vbi suprà. Primò sic. Falsum est, quòd si sacerdos reuelet peccatum detectum in confessione mentiatur; ergo ratio Richardi est nulla, quia eius minor est falsa. Probatur assumptum. Sacerdos in propria persona audit peccatum in confessione, nõ in persona Dei. Probatur, quia ad eundem in persona, & vt ad eundem in persona spectat cognoscere in causa, & sententiare in causa: at ad sacerdotẽ in persona propria, & vt in persona propria spectat sententiare, & absoluere pęnitentem; ergo ad sacerdotem, vt in persona propria, spectat quoque cognoscere in causa pœnitentis. Maior est euidens. Minor quoque est euidens: quia sacerdos sentẽtiat, non vt Deus, quia sic sententiaret, & absolueret principaliter, sed sententiat, & absoluit ministerialiter, vt minister Dei; ergo in propria persona sententiat: quia persona ministri, est persona sacerdotis: cognoscere autem in causa peccatorum, est audire confessionem peccatorum; ergo sacerdos audit peccata in persona propria, non in persona Dei: & consequenter si ea reuelat extra confessionem non mentitur, quia illa sciuit in persona propria, licèt vt minister Dei.

Reijcitur à Scoto hæc ratio.

3 Secundò. Nõ magis audit, vel absoluit sacerdos in foro confessionis in persona Dei, quàm cõficiat Eucharistiã in persona eius; sed sacerdos conficit in persona propria: vndè non mentitur post Missam, dicens, *ego scio me hodie consecrasse*; ergo non mentiretur, dum diceret, *ego hodie audiui in confessione talem personam hoc peccatum commisisse*. Maior autem probatur, quoniam æquè excellens est actus conficiendi Eucharistiam, sicut actus absoluendi; & actus conficiendi Eucharistiam est actus, in quo ita operatur virtus diuina, sicut actus absoluendi: immò videtur sacerdos plus agere in persona Christi in Eucharistia, quã in absolutione: quoniam in Eucharistia profert verba illa, *hoc est corpus meum*, quæ erant verba Christi: & præmittit ante consecrationem quædam verba, quibus apertè significatur se gerere personam Christi in illo sacramẽto conficiendo, quæ verba non præmittit sacerdos in absolutione sacramentali. Minor iam est probata.

2. Ratio.

4 Tertiò. Licet peccatum detectum in confessione manifestare non manifestando personam, quæ illud commisit, vt postea videbimus: at si vera esset illa ratio, quòd sacerdos dicens peccatum extra confessionem mentiretur, sequeretur sacerdotem, vel concionatorem manifestãtem sic peccatum in communi, mentiri; ergo. Minor probatur, quoniam nesciens particulare, nisi pro determinato singulari, si nesciat singulare, nescit particulare; sed cõfessor

3. Ratio.

feſſor neſcit hoc particulare peccatum, niſi quia ſciuit ab hac particulari perſona ſibi confeſſa: extra confeſſionem autem non noſcit illam particularem perſonam, quia illã, dum audiuit in confeſſione, non ſciuit, quatenus erat particularis perſona, ſed quatenus erat perſona Dei; ergo neque noſcit illud peccatum particulare; ergo mẽtitur, dum dicit extra confeſſionem ſe ſcire illud peccatum particulare, ſed in generali.

Solutio rõnis Richardi.

5 Reſpondet ergo ad rationem Richardi eam peccare per æquiuocationem in hoc, quòd putat eſſe idem loqui in perſona alicuius, & loqui in auctoritate alicuius, ſeu vt miniſter alicuius. Hæc autem multùm differunt; nam cum quis loquitur in perſona alicuius ſimpliciter, induit perſonam illius, vt patet de ijs, qui in comędijs gerunt vicẽ Regis, vel alicuius alterius perſonæ: & hoc modo loquuntur Angeli in perſona Dei; ſed qui loquitur auctoritate alterius, vel vt miniſter alterius, non gerit, nec induit perſonam illius, ſed loquitur, & agit in perſona propria, ſed virtute alterius, vt cum iudex iudicat reum auctoritate principis, & vt miniſter principis. Confeſſor autem abſoluit non vt in perſona Chriſti, ſed vt miniſter Chriſti: ideò abſoluit in perſona propria, ſed virtute Chriſti. Ratio autem Richardi valeret, ſi ſacerdos abſolueret in perſona Chriſti. Verum enim eſſet, quòd ea, quæ eſſent vera, loquendo in perſona Chriſti, eſſent falſa loquendo in perſona propria. Ex quo apparet Scotum nõ declinare in aliud extremum, vt Soto in 4. diſt. 18. quæſt. 4. ar. 5. concluſione prima, ſuſpicari videtur, ſed illud ipſum ipſemet Soto aſſerit quod Scotus. Refert autem Suarez diſp. 33. ſect. 1. rationem D. Thomæ in 4. diſt. 21. quæſt. 3. quæ eſt reuelatio peccati, eſt contra ſignificationem huius ſacramenti; ergo illam falſam reddit; ergo ſemper continet graue ſcandalum. Antecedens probatur, quia hoc ſacramentum eſt ex inſtitutione ſecretum, vt patet ex obligatione ſigilli. Significatur enim peccatum hoc tegi à Deo; ergo reuelare illud eſt contra ſignificatum huius ſacramenti; inquit deinde Scotum hanc rationem impugnare cum Durando. Cæterùm Scotus de hac ratione nullam mentionem facit, eã impugnat ipſe Suarez, & re vera eſt nimis extrinſeca; eſt tamen ratio congrua, vt docet Soto diſt. 18. q. 4. ar. 5.

Obiectio ex Soto tollitur.

Prima ratio Scoti ꝓ allata concluſione ex rõne charitatis.

6 Eãdem ergo concluſionem Scotus aliter probat, & adducit quatuor rationes, quas omnes alij Theologi complectuntur. Prima eſt ex ratione charitatis deſumpta: lex naturæ continet charitatem fraternam, quæ eſt, vt omnia quæcunque volumus nobis ea faciamus proximo: & quę nobis nolumus, ea proximo non faciamus. Hæc propoſitio probatur, quia eam Saluator ſic explicauit, Matth. 7. *Omnia quæcunque vultis, vt faciant vobis homines, & vos facite illis. hæc eſt enim lex, & prophetæ.* & Lucæ ſexto. *Prout vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis.* Illa autem lex naturæ ſic debet intelligi, vt illa particula, *Quæcunque vultis vobis* intelligatur ſic; quæ debetis velle vobis ſecundùm rectam rationem: vnde explicatur per illam propoſitionem Matth. 22. *Diliges proximum tuum ſicut te ipſum.* Ex quibus omnibus colligitur, quòd cum lex naturæ præcipit, vt diligamus proximum noſtrum ſicut noſmetipſos, debemus diligere ſecundùm rectam rationem; ſed ſic eſt, quòd vnuſquiſque ſecundùm rectam rationem debet diligere propriam famam, & conſequenter ſecundùm legem naturæ debet diligere, & velle peccatum proprium confeſſum celatum manere; ergo etiam ſecundùm rectam rationem debet diligere, & velle famam proximi ſui, & conſequenter velle, vt peccatum eius confeſſum celatum maneat; ſed reuelatio tolleret confeſſo famam; ergo reuelatio confeſſionis eſt contra legem naturæ.

Quę ſit lex naturæ.

Lex naturę declarat ꝑ illud pręceptũ, diliges proximum tuum ſicut te ipſum.

Minor huius rationis, quæ eſt, ſed quilibet diligit famam ſuam, & conſequenter peccatum ſuum confeſſum celatum manere vult; reuelatio autem peccati eam tollit: probatur Eccleſ. 41. *Curam habe de bono nomine.* & reddit rationem. *Hoc enim magis remanebit tibi, quàm mille theſauri magni, & pretioſi.* & paulò infrà, *Bonę vitæ numerus dierum, bonum autem nomen permanebit in æternum.* & Prouerb. c. 22. *Melius eſt bonum nomen, quàm diuitiæ multæ.*

7 Confirmatur hæc minor ratione: quilibet ſecundũ rectam rationem ſibi velle vitam ciuilem. Hæc autem tollitur per ablationem famæ. Probatur, quia vita ciuilis eſt eſſe aptum ad actus aliquos competentes ſibi in illa ciuilitate; ſed fama amiſſa, amittitur hæc aptitudo, ſeu idoneitas habendi hos actus in vita ciuili: quibus aliàs dignus eſſet; ergo.

8 Secunda pars eiuſdem minoris, ſcilicet, quòd reuelatio peccati detecti in confeſſione auferat famam bonam; probatur, quia qua ratione peccatum reuelatur vni, poteſt & alteri, & ſic omnibus: ſed in tali reuelatione eſt manifeſtum, quod ſtatus dignitatis illeſæ, quæ conſiſtit in fama bona eius, tollitur apud conciues: ergo reuelatio peccati detecti in confeſſione tollit famam.

2. Rõ principalis Scoti ex debito fidelitatis.

9 Secundò principaliter arguit ad eandem concluſionem Scotus ex debito fidelitatis: quilibet de lege naturæ tenetur ſeruare fidelitatem proximo ſuo, quam vellet, ſeu deberet velle ſeruare ſibi: ſed committens ſecretum maximum alicui, vellet, ſeu debet velle ſeruare ſibi tanquàm ſecretum: ergo alter, cui committitur, debet, & tenetur ſeruare illud ei. Hæc ratio tangitur Prouerbiorum 11. *Qui ambulat fraudolenter reuelat arcana: qui autem fidelis eſt celat amici commiſſum.*

3. Rõ Scoti, ex ratione veracitatis.

10 Tertia ſumitur ex ratione veracitatis, quilibet de lege naturæ tenetur ſeruare promiſſum licitum: ſed recipiens ſecretum hoc in confeſſione, ſcilicet peccatum, promittit implicitè, ſi non explicitè ſeruare: quia ſine tali promiſſione ſubintellecta, nemo confiteretur alteri peccata ſua ſecreta, & occulta: ergo ſacerdos ex lege naturæ tenetur ad celandum peccata detecta in confeſſione. Hæc ratio habet fundamentum in Zaccharia 8. capit. vbi dicitur, *Loquimini veritatem vnuſquiſque cum proximo ſuo*, ideſt ſeruate promiſſum, non mentiamini promittentes, & non ſeruantes.

4. Ratio, ex rõne vtilitatis, vnitatis & ordinis.

11 Quarta ratio ſumitur ex ratione vtilitatis mutuæ, ſeu ex ratione vnitatis, & ordinis. In quacunque communitate eſt aliqua vnitas proportionata vnitati membrorum in corpore: in quacunque enim eſt ordo ſuperioris, & inferioris: ita quòd inferior debet obedire, & ſubminiſtrare ſuperiori: & ſuperior debet influere in inferiorem, iuxta parabolam Diui Pauli ad Romanos ſeptimo, & prima ad Corinth. duodecimo. In ciuilibus autem communitatibus inferior eſt minùs ſciens, & minùs ſufficiens, & ideò recurrit in ſuis neceſſitatibus ad ſuperiorem, qui eſt magis ſciens, & magis ſufficiens: in Eccleſiaſtica autem communitate, quæ eſt Eccleſia Chriſti inferiores ſunt peccatores: ſuperiores ſunt Prælati, & Hierarcha. Neceſſe eſt ergo, quòd inferior, ſiue peccator recurrat ad Sacerdotem, & ad Hierarcham, ei manifeſtando ſuas neceſſitates, vt ab eo adiuuetur: & è conuerſo Sacerdos, & Hierarcha influat in peccatorem eum adiuuando: at ſi ſuperior non teneretur celare defectum inferioris, & peccatoris: nullus peccator recurreret ad ſuperiorem, ideſt ad ſacerdotem, & ſic tolleretur vtilitas influxus ſuperioris in inferiorem; ergo eadem lege qua vnuſquiſque tenetur ſeruare vnitatem Corporis Chriſti myſtici, & ad communem vtilitatem, tenetur quoque ad ſecretum peccati detecti in confeſſione.

2. Concluſio Scoti ꝓbatur.

1. Ratio.

12 Secundo loco ponit Scotus ſecundam concluſionẽ, quæ eſt. Sacerdos tenetur lege diuina poſitiua celare peccatum detectum in confeſſione. Hæc concluſio probatur à Scoto trib. rationibus. Prima quilibet Chriſtianus tenetur non dare occaſionem alteri, vt recedat à lege Chriſti; ſed lex Chriſti eſt de confeſſione facienda, Io. 20. vt ſuprà vidimus; ergo quicunq. Chriſtianus tenetur ad nõ retrahẽdum aliquẽ à confeſſione facienda: ſubſumit, ſed reuelans confeſſionẽ, dat occaſionẽ retrahendi ſe à cõfeſſione; ergo, ꝙ ſi qs dicat, & ſi vnus ſacerdos reuelat, alter celat, Re-

spondet hoc nihil valere, quia iste, qui reuelat quantùm est ex se, dat occasionem alteri cauendi eodem modo à singulis confessoribus. Vnde si liceret reuelare confessionem: neque lege positiua diuina esset hoc prohibitum, adesset maxima occasio auertendi se ab hac lege cõfessionis, & consequenter à lege Christi.

2. Ratio. 13 Secundò Christus Dominus statuit arbitrium pęnitentiæ esse vltimum in terris quantùm ad peccatum confessum: at qui reuelat confessionem, quantum est ex se, deducit illud peccatum ad aliud iudicium, & forum; ergo reuelans facit contra legem positiuam Christi. Maior probatur ex illo Matthæi 16. *Tibi dabo claues*, &c. vbi in Petro, & per Petrum dat claues Ecclesiæ. & Io. 20. *Accipite Spiritum sanctũ*, &c. vbi dicitur, *quacunque solueritis in terra, erunt soluta in cęlis, & quacunque ligata erunt in terra, erunt ligata in cælis*. Quæcunque igitur ligantur, & soluuntur iudicio sacerdotis, ligantur, & soluuntur iudicio Dei; & consequenter finaliter, quia vltra iudicium Dei, nullum est aliud iudicium. Minor est euidens: quia peccatum publicum potest iudicari, & puniri in foro exteriori: & sic vltra sententiam sacerdotis ratificatam finaliter à Deo adesset aliud iudicium posteriùs legitimum: nam iudicium exterius de peccato publicato est legitimum.

3. Ratio. 14 Tertiò dans occasionem exequendi pręceptum diuinum indebitè, & cum peccato mortali, peccat mortaliter; sed sic est, quòd reuelans confessionem, dat talem occasionem; ergo. Maior est euidens. Dans enim talem occasionem indebitè exequendi præceptum Christi, & cum peccato mortali, quantùm est ex se, est causa illius peccati. Minor quoque est euidens: quia cum quis intelligeret peccata posse publicari, sumeret occasionem mentiendi in confessione, & laudandi se, & alium, quem odiret, accusandi, vt sic indignè à confessore ipse promoueatur, alius verò puniatur.

3. Conclusio Scoti. 15 Tertia conclusio Scoti est. Cælare peccatum detectum in confessione, est de iure positiuo Ecclesiastico. Hęc conclusio probatur, de pœnitentia dist. 6. cap. *Sacerdos*. Dicitur, *Sacerdos ante omnia caueat ne de his, qui ei confitentur peccata, alicui recitet*. & sequitur pœna. *Nam si hoc fecerit deponatur, & omnibus diebus vita sua ignominiosus peregrinando pergat*. & de pœnitentia, & remissione cap. *Omnis vtriusque sexus*. Dicitur, *caueat autem omninò ne verbo, aut signo, aut alio quouis modo, aliquatenus prodat peccatorem*. & sequitur, *quoniam qui peccatum in pœnitētiali iudicio sibi detectum præsumpserit reuelare, non solùm à sacerdotali officio deponendum decernimus, verùm etiam ad agendam perpetuam pœnitentiam in arctum Monasterium detrudendum*. Inter has pœnas autem Scotus magis commendat secundam pœnam, cap. *Omnis vtriusque sexus*. Quoniã non expedit, quòd aliquis propter aliquod crimen fiat vagabũdus, quia sic magis dimittitur voluntati suæ; & ita, tam in se, quàm in alijs plus peccaret, & noceret, quã si arctæ custodiæ manciparetur. Prædictæ aũt pęnæ impositæ sunt sacerdoti, non laicis iniquè participantibus secreta confessionis, sed debent puniri aliqua pęna extraordinaria graui, vt docet Hostiensis in cap. *Omnis vtriusque sexus*, non tamen sacerdos reuelans confessionē sit irregularis, vt nonnulli voluerunt: quia hæc irregularitas non reperitur in iure: si autē in iure non reperitur nulla est, iuxta cap. *is qui*, de sent. excom. in 6. Sed quomodo constare poterit in iudicio de fractione sigilli, vt possit puniri, cum res sit secretissima? Respondetur, hoc pertinere ad iurisperitos. Hoc tamen maximè constabit, si sacerdos confiteatur, vel conuincatur, se illud audiuisse in cõfessione. Sed quid, si dicat se habuisse extra confessionem, vel de licentia pœnitentis? Respondetur, Nauarrum in cap. *Sacerdos* num. 163. dicere esse communem sententiã Doctorum confessorem teneri ad probationem: quod docet quoque Richardus eodem 4. d. 21. a. 4. q. 1. ad primum. Syluester verbo *Confessio* 3. n. 9. qui alios citat. Hæc sententia videtur rigorosa Suarez, & denique tenet in hac re nullam posse dari regulam certã, sed ex qualitate peccati circunstantiarũ, & personarum publicatione, delicti præsumptionem esse sumendã, quod confirmat ex practica Diaz c. 109. ex quo colligitur, vt habet Nauarrus in ca. *Sacerdos*, n. 164. quàm periculosum sit colloqui de peccatis, quæ in confessione detecta sunt. Hæ sunt rationes Scoti, quę sunt valdè euidentes. Addi possunt auctoritates Sãctorum Patrum, D. Aug. lib. de salutaribus documentis ca. 51. *Qui sacerdos, vt sapiens, & perfectus medicus primum sciat curare peccata sua, & postea aliena vulnera detegere, & sanare, & non publicare*. Sanctus Basilius in Reg. Monachorum c. 21. D. Ambrosius apud Paulam in vita eius. Quanta verò sit hæc obligatio ex dicendis patebit.

Qũo q̃stiõ uinci possit d reuelatione cõfessionis.

16 Suarez disp. illa 32. sect. 1. tenet præcipuam rationem obligationis sigilli oriri ex iniuria, quæ fieret huius sacramenti: fieret enim hoc sacramentum odiosum, ac retardarentur fideles ab illo: quam rationem Scotus suprà adduxit. Ex hoc autem cõtra ipsum Soto, Suarez, & alios deduco confessionem secretam esse de essentia huius sacramenti: neque enim sigillum esset de essentia, & ratione intrinseca huius confessionis, nisi de essentia confessionis esset, vt fieret secreta. Argumentũ, q̃ esse secretã sit d essentia cõfessionis.

De circunstantijs pertinentibus ad sigillum, vt quis, cui, quando, & alijs, & de secreto extra confessionem. Caput Secundum.

17 EXplicat deindè Scotus circunstantias occurrentes circa sigillum: & primò quærit quis sit, qui tenetur ad sigillum. Ad quod breuiter respondet Scotus, tria genera personarum teneri, scilicet *Confessorem* in primis. Secundò. *Omnes personas, quibus confessor licitè, vel illicitè illud peccatum reuelauit*. Tertiò. *Omnes qui à confessario audiunt confessionē pœnitentis*, siuè *casualiter*, siuè *debitè*. Quò ad primum, scilicet *de confessore*, patet per rationes adductas cap. præcedenti. De secundò, scilicet personis quibus confessor reuelabit, & primò de persona, cui confessor illicitè reuelabit, quòd teneatur ad sigillum: probatur à Scoto, cuius sententia est communis in hoc. Et primò sic. Trãsferens aliquid in alium de facto, quod non potest iustè nec licitè transferri, non dat illi alteri ius vtendi, vel transferendi illud in alterum; sed confessor reuelans peccatum detectum in confessione, non habuit ius transferendi istud in alterum; ergo si de facto transferat, alius non habet ibi ius illud vlterius transferendi. Maior patet, quia ex quo non habuit ius in rem, quam transfert, non potuit transferre ius in alterum super illam rem: quia nemo dat, quod non habet. Minor est euidens quoque, quia iam ostensum est, secundùm omnem legem prohiberi ipsi sacerdoti reuelare alteri, quòd ipse habuit in confessione. Hãc sententiam tenent quoque Richardus in 4. dist. 21. art. 5. quæst. 3. Syluester verbo, *Confessor* 3. quæst. 1. Nauarrus in cap. *Sacerdos* num. 43. Suarez disput. 33. sect. 4. qui alios citat. Ille cui illicitè reuelatur confessio, tenetur ad sigillũ.

18 Tenetur etiam *superior*, si quãdoque ei à confessore fiat reuelatio, quòd solùm contingit in casu absolutionis: quando scilicet inferior non potest absoluere, quia casus est reseruatus superiori. Ratio enim superiùs facta concludit vniuersaliter, tam de inferiori, quã superiori, & æquali: quia nunquam licet reuelare, vt infrà dicam etiam iubente Papa. Diximus autem, quandoque confessorem posse reuelare superiori; sed hoc est sic intelligendum, ait Scotus, vbi suprà, quòd confessarius in illo casù non debet se gerere vt confessarius, idest non debet recipere vt dictum in confessione peccatum illud reseruatum superiori; sed debet recipere illud, vt interpres, tanquàm ille, qui exponit superiori peccatum inferioris, & refert absolutionem datam, itaquòd pœnitens, & superior tunc sunt iudex, & iudicandus: confessarius est veluti interpres: interpres autem tenetur ad secretum, vt infrà dicemus ad omnes, præterquamquod ad eum, cui refert .s. superiori, quod etiam sentit Suarez, vbi suprà num. 3. suprà autem agendo Superior cui fit licitè reuelatio tenetur ad sigillũ.

de ca-

de caſibus reſeruatis,diximus debere in tali caſu ſacerdotem priùs petere abſolutionem à ſuperiore abſque manifeſtatione perſonæ pœnitentis,quia ſic nullum eſt ſcandalum,nec vlla reuelatio extra ipſam confeſſionem.

Qui audit confeſſionẽ alterius caſu,& dolosè.

19 Tenentur etiam ad ſigillum, *Omnes, qui audiunt confeſſionem alterius, ſiuè caſu, ſiuè dolosè*, inquit, Scotus loco citato propter eandem rationem,quæ ſuprà adducta eſt de eo, cui illicitè facta eſt reuelatio confeſſionis. Adeſt tamen hæc differentia, quòd qui caſu, & non dolosè audiuit, non peccat: at qui dolosè audit, peccat mortaliter, & adhuc tenetur ad ſigillum;eſt communis opinio,& omnia dicta de his probantur per rationes ſuprà adductas ad primam, & ſecundam concluſionem capite præcedenti. Suarez vbi ſupra adducit ex Nauarro alias rationes,ſed illa adducta à Scoto ſuprà de eo, cui illicitè fit reuelatio, optimè concludit.

Qui in caſu neceſſitatis palã cõfeſſa peccata audiunt.

20 Additur verò à Suarez, quod *ſiquis confiteatur audientibus alijs in caſu neceſſitatis,illos teneri ad ſecretum*,eadem ratione: quia illa notitia, quæ recipitur ex actu illo confeſſionis,tranſit cum ſuo onere ad omnes audientes, quod eſt,vt ſit ſecreta: ideo in quocunque recipiatur illa notitia,ea nec vti,nec ad alium transferre poteſt.

Interpres tenetur ad ſigillum.

21 *Tenetur* etiam *interpres ad ſigillum*, vt docet Scotus diſt. 17. in reſponſione ad principale penultimum, de qua re diximus agendo, An confeſſio neceſſariò debeat eſſe ſecreta. Ratio autem eſt, quæ adducta eſt ſuprà ad primum membrum,de illo,cui illicitè ſecretum eſt reuelatum, hic quoque concludit,quia ſecretum eſt res, quæ nõ poteſt transferri,& rationes eædem, quibus probatum eſt teneri confeſſorem ad ſigillum confeſſionis, illæ omnes concludunt de omnibus,qui hoc ſecretum in confeſſione intelligunt, quocunque modo intelligant: quia aliàs confeſſio fieret odioſa, & vitaretur: hoc idem adſtruitur quoque alijs rationibus ſuperiùs adductis. Conſentiunt Richardus diſtinct. 21. articulo 4. quæſt. 3. Nauarrus in capite *Sacerdos*, numero 42. Suarez vbi ſuprà, qui alios citat.

Conſultor tenet̃ ad ſigillum.

22 *Tenetur* etiam *conſultor ad ſigillum*. Poteſt enim quandoque contingere, vt confeſſarius neſciat ſe explicare ex aliquo caſu difficili: ideò petit licentiam à pœnitente,vt caſum communicet cum aliquo perito, etiam manifeſtando perſonam in hoc caſu etiam ipſe conſultor tenetur ad ſecretum: non quòd ipſe participet actum clauis, vt inquiunt Diuus Thomas, & Suarez vbi ſuprà ſect. 4. num. 6. claues enim non poſſunt communicari niſi ſacerdotibus: poteſt autem contingere, vt conſultor non ſit ſacerdos. Confeſſio ergo illa non eſt ſacramentalis, vt eſt ſecreta,ſed vt in foro exteriori, vt ſuprà diximus diſput. de conditionibus confeſſionis, An confeſſio debeat eſſe ſecreta. Tenetur ergo ſicut interpres propter rationes adductas ſuprà de perſona confeſſoris: quia ſcilicet ſeruare famam proximi eſt præceptum legis naturæ, &c.

Obiectio an liceat cõfeſſario peccatũ in cõfeſſione auditũ aperire alicui cã petendi cõſilium.

23 Sed aliquis objiciet, videtur, quòd ratione conſilij poſſit peccatum detectum in confeſſione reuelari non ſolùm ſuperiori,ſed etiam cuicunque alteri perito, ſi confeſſor non ſit idoneus: quia ſi non poſſet fieri hæc reuelatio detegendo perſonam in particulari, neque fieri poſſet,detegendo peccatum in vniuerſali, non detegendo perſonam. Hoc autem eſt falſum,quia de pęnitentijs,& remiſſionibus cap. *Officij*, quidam Cardinalis ſcripſit Papæ caſum, quem audierat in confeſſione,& petijt conſilium;ergo videtur, quòd in particulari poſſit reuelari peccatum habitum in confeſſione ratione conſilij, alioquin neque in vniuerſali liceret: quia in illo capitulo *Officij*, non dicitur,neque ex eo elicitur, quòd liceat in vniuerſali reuelare peccatum,ſed habetur ſolùm, quòd licet reuelare: ſi autẽ non licet reuelare in particulari, neque elicitur, quod liceat in vniuerſali.

Solutio.

Licet pc̃tũ particulari in cõi aperire peccatum cauſa petẽdi Cõſilij.

Reſpondet Scotus,quod ex illo capitulo habetur poſſe ratione conſilij detegi peccatum particulare in communi, vt faciunt etiam prædicatores in concionibus, qui reprehendunt peccata particularia, ſed non nominãt perſonas in particulari;& hoc licet, & conſequenter confeſſor habens caſum difficilem poteſt illum reuelare in communi, non detecta perſona particulari: immò hoc eſt neceſſarium,vt ſatisfiat conſcientiæ pœnitentis, & ſui ipſius ſacerdotis debito modo; & hoc modo factum eſt in illo caſu, qui habetur in capitulo illo *Officij*, quia Cardinalis ille ſcribens Papæ caſum illum: non ſcripſit, vt Papa abſolueret, ſed petijt conſilium,quid agendum,vt patet per reſponſionem eiuſdem Papę,qui docuit qualiter diſcretus confeſſor deberet illi mulieri conſulere. Conſulens ergo, non pertinet ad miniſtrum, nec participat actum clauium, ita quòd ex confeſſore,& ipſo conſulente coaleſcat, quaſi miniſter habens omnia neceſſaria ad hoc munus, vt vult Suarez.

An pęnitẽs teneatur cęlare pęnitẽtiam.

24 Dubium à quibuſdam mouetur, An etiàm ipſe pœnitens teneatur ad ſigillum de rebus, quas confeſſor ei dicit in confeſſione: nam quantùm ad ſua peccata, quæ confeſſus eſt ſacerdoti,certum eſt ipſum non teneri, ad ſigillum illorum:quia poteſt eadem ipſi confeſſori dicere extra confeſſionem ad accipiendum conſilium, & quid ſimile; vel ſecundùm alios poteſt dare licentiam ſacerdoti, vt peccata dicta in confeſſione detegat; ſed hoc ſecundum eſt falſum, vt docebimus cum Scoto infrà hac diſt. 21. quæſt. 2. in reſponſione ad primum principale: ideò primus modus eſt omninò ſeruandus, cum occurrit occaſio dandi licentiam ſacerdoti manifeſtandi peccata confeſſa ſacramentaliter. Sed dubitant aliqui de ijs, quæ confeſſor dicit pœnitenti in confeſſione, an teneatur pęnitens ea cælare, vt puta pœnitentiam impoſitam, vel ſimilia. Aliqui enim imponunt hoc onus pœnitenti, vt Paludanus diſtinct. 2. quæſt. 5. num. 61. & Adrianus quæſt. vltima de confeſsione, dubio vltimo, quos adducit, & ſequitur Nauarrus capit. *Sacerdos*, diſtinct. 6. num. 115. contrariam verò ſententiam tenet Suarez, & citat pro ſe Richardum in 4. diſtinct. 21. artic. 5. quæſt. 3. & alios: quia pœnitens non tenetur propriè ad ſigillum confeſſionis; ſed benè ad ſecretum naturale. Sed inter hos Doctores, non videtur eſſe diſſenſio; quoniam primi non loquuntur de ſigillo ſecreti in ſtrictiſſima proprietate, vt eſt ſigillum ſacerdotis, ſed loqui videntur de ſigillo ſecreti naturalis, & eodem modo loqui videtur Richardus; diſtinguit enim,quòd vel dictum ſibi à confeſſore, vt pœnitentia iniuncta,ſi reuelaretur,faceret præiudicium famæ pęnitentis, & tunc tenetur cælare pœnitentiam iuxta illud Eccleſiaſtici 41. *Curam habe de bono nomine*: vel faceret præiudicium confeſſori,qui fortè talem iniunxit pœnitẽtiam, pro qua ſi ferretur incurrerẽt aliquorum maleuolentiam,vt quia iniunxit mulieri, vt abſtineat à familiaritate alterius viri, cuius familiaritas erat periculoſa ſuæ caſtitati,& ſimilia: & tunc tenetur pœnitens cęlare pęnitentiam,alioquin incideret in crimen proditionis, & fractionem ſigilli ſecreti, ideſt naturalis ſecreti debiti. Si verò, quæ dicta ſunt à confeſſore ſint indifferentia, poterit reuelare,vel tacere,prout libuerit.

Cui ſit tacẽdum peccatum.

25 Secunda circunſtantia eſt, *cui* ſit tacendum peccatum. Reſpondetur omnibus,quicunque ſint pro quacunque cauſa, vt etiam Papæ. Vnde ſi Papa præciperet alicui,vt reuelaret confeſſionem, non eſſet ei obediendum; ratio eſt,inquit Scotus, quia Papa non eſt ſuprà ius naturæ,& diuinum: hoc autem ſigillum, vt diximus, eſt de iure naturæ, & diuinæ, non autem ſolùm iuris poſitiui humani. Hæc eſt communis ſententia Theologorum in hoc 4. contra Altiſiodorenſem,qui in 4. parte Summæ tractatu de confeſsione capit. 5. aſſeruit confeſſorem teneri ad cęlandum peccatum detectum in confeſsione omnibus excepto ſuperiori, cui in caſu poteſt reuelari, vt pro ſalute publica ſpirituali,vt eſt peccatum hæreſis: vel corporale, vt eſt patriæ proditio, & huiuſmodi. Hæc autem opinio eſt omnino falſa: quia in nullo caſu poteſt fieri reuelatio, vt dicemus infrà ſoluendo ſecundum argumentum principale Scoti, & ratio eſt, quia rationes ſuperiùs factæ cap. præcedenti, quæ probant reuelationem non

Papa nõ poteſt præcipe fractionem ſigilli

posse fieri, concludunt tàm de superiori, quàm de quacunque alia persona.

Circunstātia de qū.

26 Alia circunstantia est de *quando*, an scilicet hæc obligatio de non reuelando obliget quocunque tempore, vel pro aliquo *sic*, & pro aliquo *non*. Respondet Scotus, vbi suprà, hoc præceptum esse negatiuum, & proinde obligare *ad semper*, & *pro semper*; sicut omnia alia præcepta negatiua. Ex quo sequitur, quòd non minùs obligat post mortem confessi, quàm eo viuente. Quòd autem sit præceptum negatiuum patet ex rationibus adductis capite primo huius disputationis. Consentiunt alij omnes Theologi præter Altisiodorensem, dum dicunt in nullo casu, neque vnquam quacunque causa, etiam cum periculo spirituali publico, vt est hæresis, licere peccatum detectum in confessione reuelare, & frangere sigillum istud sacramentale.

De circunstantia q̄d.

Tria ratio possunt reuelari peccatū circunstantia; & tertia persona sibi cō scia criminis.

27 Altera circunstantia est de *quid*, nimirum *quodnam sit illud, quod cadit sub sigillo*, nec potest reuelari sine fractione huius sigilli. Respondet Scotus, quod sunt tria, scilicet *peccatum. circunstantia peccati*, & *tertia persona*, quæ fuit *socia criminis pęnitentis*. Primum est euidens, & de *peccato mortali* nulla est dubitatio. Omnes enim Theologi conueniunt: illa enim est propria materia sigilli confessionis. Est verò dubitatio de *peccato veniali*; & aliqui sustinent etiam reuelationem ipsius esse peccatum mortale, vt Nauarrus in cap. *Sacerdos*, numero 68. & in Summa, cap. 8. numero 3. Suarez vbi suprà sect. 3. & ratio est, quia fit iniuria sacramento, licèt illud peccatum veniale parum infamiæ, vel damni afferret pœnitenti. Et hæc opinio mihi quoque placet, quia etiam reuelatio peccati venialis posset displicere pœnitenti aliquādo: & sic retraheret pœnitentem à confessione illorum, quorum & si non sit necessaria, est tamen vtilis ad conseruandum se in gratia Dei, & ad proficiendum in vita spirituali, vt patet ex vsu personarum timoratarum Dei.

28 Secundo loco cadit sub sigillo *circunstantia peccati*, patet, quia etiam circunstantię necessariò confitendę sunt, variant species peccatorum, vel faciunt peccata diuersa: ideò qua ratione necessarium est tacere peccata, eadem ratione necessarium est tacere circunstantias peccatorum.

An circunstātia de futuro cadat sub sigillo.

29 Difficultas est de *circunstantia peccati futuri*. Exempli gratia. Aliquis habuit intentionem occidendi aliquē. Vndè aliqui dixerunt, quòd vel dum pęnitens confitetur peccatum illud cum hoc proposito, relinquit illud propositum, & non vult ampliùs prosequi illam intentionem, & tunc dicunt, q̄ peccatum istud cadit sub secreto simul cum circunstantia illa, vel iste pęnitens confitetur peccatum, & circunstantiam illam, sed non habet intentionem desistēdi ab illo proposito, immò vult continuare illud propositum, & in hoc casu dicunt, quòd non cadit sub sigillo, sed potest sacerdos illam circunstantiam reuelare, & admonere illum, quem ille vult occidere, vt se tueatur: & hanc sententiam sequuntur Angel. verbo *Confessor* 8. nu. 7. & Syluester, verbo *Confessio* 3. q. 5. Adrianus quęst. vltima, de confessione; & ratio eorum est, quia talis confessio non est vera confessio.

Opinio allata reijcitur, & vera statuitur.

30 Sed hæc opinio reijcitur à D. Bonau. in 4. dist. 21. a. 2. q. 1. Richar. ibid. ar. 4. q. 2. quos sequuntur deinde Recentiores, vt Soto in 4. dist. 18. q. 4. a. 5. ad 2. Nauar. in cap. *Sacerdos*, nu. 20. Suarez vbi suprà, qui alios refert. Est ergo dicendam illam circunstantiam de proposito in futurum faciendi malum, esse materiam sigilli, quia est peccatum actuale: licèt enim sit de re futura, tamē in se est quid præsens. s. actus internus malus faciendi peccatum tēpore futuro, quod est peccatum, & consequenter cadit sub materia sigilli, sicut alia peccata.

31 Vlteriùs deducitur cadere sub sigillo non solùm circunstantias, quæ sunt peccata, sed etiā circunstantias alias, quæ pertinent ad narrationem facti, sine quibus nō potest rectè explicari factum peccati: vel etiam si alias posset explicari sine illis: tamen pęnitens vel propter ignorātiam, vel propter imprudentiam nescit factum, & peccatū explicare sine explicatione illarum: vt (exempli gratia) si q̄s occasione peccati narrandi detegat defectum proprium circa natalia, & huiusmodi: & ratio est, quia etiam circunstātia illa est annexa materiæ necessariæ huius sigilli: ideò ad illam pertinet, quod probant Soto vbi suprà, & Suarez: ista tamen intelligenda sunt de ijs, quæ pertinent ad accusationem peccati, non de ijs, quæ non pertinent ad accusationem peccati: illa enim sunt impertinentia ad confessionem, ideò non cadunt sub sigillo: idem docet expresſè Scotus de persona complicis, quod probat, quia eędem rationes, quæ probant non debere reuelari personam pęnitentis, probant etiam non deberi reuelari personam complicis; quia pęnitens debet ita seruare famam socij criminis, sicut propriam. Vndè si fama personę complicis posset manifestari, plurimi auerterentur à confessione, vel in confessione illa non manifestarentur, & sic ęsset occasio non faciendi fideliter ipsam confessionem: & propter alias causas primo cap. adductas: illæ enim æquè hic concludunt. Consentiunt omnes: & de hac egimus loquendo de integritate confessionis circa circunstantiam personæ complicis.

Peccatum publicū in cōfessione scitū cadit sub sigillo

32 Adiungitur peccata alia publica, & circunstantias etiam publicas adhuc cadere sub sigillo. (Exempli gratia) aliquis committit homicidium, & multi sciunt, & est res publica, & notoria, tamen confessarius hoc ignorabat, & solùm via confessionis illud scit; tunc tenetur ad sigillum, quia illud sciuit solo modo sacramentali. Si etiam aliàs sciuit, sed idem affirmat etiam se scire per confessionem, licèt res sit notoria, adhuc frangit sigillum confessionis: quia asserendo se scire hoc per confessionem, magis autenticat veritatem illius facti: & affert scandalum audiētibus, qui intelligūt *rem auditam in confessione*, vt *auditam ibi* palam fieri.

An de rebus scitis in cō fessione possit confessarius loqui non detegēdo personam particularem.

33 Tandem est dubitatio, an confessor possit loqui de rebus auditis in confessione; ad hoc fuit opinio Altisiodorensis negatiua, quia dicebat generare scandalum; sed iam dictum est suprà cum Scoto, & consentiunt Diuus Bonauentura, Alensis, & alij suprà citati, quòd potest confessor loqui, sed tacita persona, quæ commisit. Vndè sic confessores requirunt consilium à peritis, proponendo casus occurrentes: & prædicatores eos in publico reprehendunt. Ratio est: quia hoc est vtile, vt possit malis, & peccatis prospici, & nulla fit iniuria pęnitenti, quia non reuelatur persona.

An sigillū se extēdat ad sigillū extra confessionē habitum.

Quæ sit cō fessio sacramentalis.

34 Vltimo loco est dubium, an hoc idem dicendum sit, nedum de peccato reuelato in confessione; sed etiam de quocunque secreto habito extra confessionem. Respondetur, vnum esse certum, quòd hoc sigillum obligat in quacunque confessione sacramentali. Sed quæ sit confessio sacramentalis, est aliqua dissensio. Nauarrus in Summa, cap. octauo, numero septimo, & Adrianus quæstione vltima, de confessione tenent, quòd confessio facta laico in casu necessitatis, sit sacramentalis: & quòd laicus audiens talem confessionem teneatur ad sigillum. Sed hanc opinionem reijcit Suarez, disputat. trigesimatertia, sect. secunda, & rationabiliter, quia, vt suprà diximus, cum minister ordinarius, cui commissæ sunt claues Ecclesiæ, sint Sacerdotes, confessio facta laico non potest esse sacramentalis, cum sit nullius valoris, atque quandoque non sit vtilis, sed damnosa, vt suo loco diximus. Nec valet, quòd pœnitens intendat esse sacramentalem: quia intentio pœnitentis non potest facere, vt illud, quòd ex se non est sacramentale, sit sacramentale, quia hoc est munus solius Dei. Et si aliter ipse opinetur, est ignorantia legis diuinæ, quæ nullam potest imponere obligationem audienti. Neque si intercedat pactum de non reuelando inter audientem, & pœnitentem, quia hoc pactum est quid humanum, & pertinet ad secretum seruandum ex lege naturæ, non autem ad faciendum, quòd talis actus sit sacramentalis propter eandem rationem.

35 Maius dubium est de eo, qui, dicens se esse sacerdotem,

An confessio facta laico putato sacerdoti sit sacramentalis.

tem, decipit pœnitentem, & cadit eius confessionem, an sit sacramentalis, & teneatur ad sigillum, vt sacerdos verè ministrans. Suarez ibidem respondet teneri eo modo, quo laicus furtiuè audiens confessionem sacramentalem, quia intercedit iniuria sacramenti. Item quia talis confessio, & si re ipsa non terminetur ad sacerdotem, tamen ex intentione pœnitentis terminatur ad eum: & tandem, quia hoc præceptum est ampliandum, quia factum est in fauorem pœnitentis. Ego autem, saluo meliori iudicio, puto, neque talem confessionem esse sacramentalem, neque obligare plùs quàm secretum communicatum extra confessionem ex lege naturæ. Et hoc propter rationem superiùs adductam: nam certum est, quòd illa deceptio non potest facere, vt actus, qui ex se non est sacramentalis, fiat sacramentalis; ideò hoc si reueletur non fit iniuria sacramento, quia nullum est sacramentum, sed similitudo sacramenti: ideò licèt sic decipiens grauiter peccet, tamen non obligatur tam arcto vinculo. Vndè rationes eius nõ concludunt, quia procedunt de vera confessione sacramẽtali, non de abusiua.

An confessio facta sacerdoti nõ habenti iurisdictionẽ sit sacramẽtalis.

36 At est aliud dubium, an confessio facta sacerdoti, non habenti iurisdictionem, sit sacramentalis, & obliget ad sigillum: nam non fit coram legitimo iudice. Respondeo omissis multis distinctionibus, quas adhibet Suarez, vbi suprà, quòd vel pœnitens, & sacerdos sciunt non adesse iurisdictionem, & consequenter confessionem nõ esse validam, & in tali casu patet hanc non esse confessionem sacramentalem: quia stante hac scientia, nec pœnitens potest habere intentionem confitendi peccata ad suscipiendum sacramentum, nec sacerdos administrandi sacramentum: ideò hæc esset potius consultatio, quàm vera confessio sacramentalis. Si verò pœnitens putet sacerdotem habere iurisdictionem, & requisita, etiamsi sacerdos non habeat, & scienter audiat, puto, quòd sit sacramentalis, licèt inualida; quia sacerdos est minister huius sacramenti ex iure diuino: licèt autem adsit defectus aliquis reddens deinde confessionem inualidam: scimus, quòd hoc non aufert, quin confessio sit sacramentalis, & obliget ad sigillum: nam etiam si pœnitens non habeat contritionem de peccatis, & sacerdos ipsum, non absoluat, vel sacerdos sit excommunicatus, & huiusmodi omnes tenent confessionem esse sacramentalem, licèt inualidam, & obligare ad sigillum; ergo est eadem ratio, si non habeat iurisdictionem.

Conditiones confessionis sacramentalis.

Est ergo dicendum, quòd prima conditio confessionis sacramentalis est, quod fiat sacerdoti animo recipiendi absolutionem sacramentalem. Vlteriùs requiritur, quòd sacerdos habeat intentionem ministrandi hoc sacramentum: & hanc intentionem ostendat, quod fit, dum more solito audit pœnitentem, nec protestatur se illum nolle audire in confessione, sed extra, vt tradit ibidem Suarez. Nec valet, si conetur pœnitens obligare eum ad sigillum: quia obligatio non oritur nisi ex actu voluntario.

37 Ex parte pœnitentis etiam requiritur intentio recipiendi sacramentum pœnitentiæ, vt dictum est: quia sine hac confessio illa non est sacramentalis, sed narratio quędam ordinaria peccatorum, vt fit extra confessionem. Hoc est de se euidens, quia confessio sacramentalis, non est solùm oris, sed cordis confessio: ideò cum cor non consentit, non est confessio, sed deceptio, & communiter traditur à Doctoribus, & idem asserunt Caietanus 2. 2. quęst. 70. artic. 1. & tomo primo opusculorum tractatu 21. Soto distinct. 18. quæst. 4. art. 5. Nauarrus in Summa capit. 18. num. 55. Suarez, vbi suprà, qui alios citat. Notandum est tamen, quòd etsi pœnitens fictè accederet, neque haberet internam voluntatem recipiendi sacramentum pœnitentiæ; sed sumeret illam occasionem fortassè ad decipiendum confessarium, vel ad inducendum illum in aliquod peccatum: dummodò ex signis exterioribus apertè hæc intentio non pateat, sed ipse pęnitens dicat se accessisse pro facienda confessione. Hæc confessio est sacramentalis, licèt inualida: quia extrinsecè, & coram Ecclesia habet omnes conditiones confessionis sacramentalis, & obligat ad sigillum. Non est autem necessaria intentio perficiendi, & consumandi perfectè hoc sacramentum, itaquòd sic, & non aliter intendat accedere: quia hæc non esset recta intentio, sed requiritur intentio subijciendi se clauibus ecclesiæ, itaquòd etsi accedat animo cõsumandi sacramentum, & obtinendi absolutionem, qui est scopus principalis, & vltimus huius sacramenti: hic enim non potest deesse (vt dictum est) tam sit paratus, si adsit aliquod impedimentum, propter quod absolutionem non possit consequi, obedire sacerdoti, & ab illo curari, & iuuari.

Fab. de Confessione.

38 Tandem notandum est prędicta sufficere, siue deinde absoluatur pęnitens, siuè non, siuè tota confessio fiat, siuè ex parte, nihil impedit, quin confessor teneatur ad sigillum, quæ est communis sententia Doctorum locis citatis.

Secretũ extra confessionem nõ obligat ad sigillum sacramẽtale.

Ex dictis elicitur secretum communicatum alicui extra confessionem non obligare ad sigillum confessionis; hoc est euidens: cum enim commissio talis secreti non sit confessio sacramentalis, consequenter etiam patet non cadere sub obligatione sigilli sacramentalis. Vndè, vt inquit Soto, & rectè dist. 18. quæst. 4. art. 5. concl. 5. vana est illa commendatio secreti, quæ est in vsu apud vulgum, hoc tibi dico sub sigillo confessionis. Non enim propter hoc est sigillum confessionis, etiam si hoc dicat sacerdoti etiam genibus flexis, & præmittendo confessionem generalem, si id dumtaxat faciat committendi gratia illud secretum, quia non habet intentionem confitendi, sed solùm committendi sub secreto illud, quod narrat confessori: si tamen cum illo secreto etiam aliqua alia peccata confiteretur caderet sub confessione, licèt illa confessio esset inualida; & tanta est differentia inter secretum receptum in confessione sacramentali, & extrà, quòd primum nullo modo vnquam potest detegi, vt suprà dictum est. Secundum verò legitimè interrogatus tenetur pandere, vt ibidẽ tradit Soto, & infrà patebit.

Quãta sit obligatio seruandi secretũ extra cõfessionẽ habitum.

39 Sed quanta ergo necessitas seruandi secretum extra confessionem habitum? Respondet Scotus eadem quæst. conclusione quinta. Primò adducendo opinionem quandam, quæ à marginistis Scoti tribuitur Richardo distinct. 21. quæst. vltima; quæ tamen ibi non habètur saltem clarè, nisi quò ad secundam partem. Asserit ergo hæc opinio, quòd omne secretum, tàm in confessione, quàm extra confessionem habitum lege naturæ, non potest reuelari, & quòd rationes adductę primo capite ad primam conclusionem hoc concludunt. Et quòd hoc est verum, non solùm de eo, qui expressè committit secretum alicui, sed etiam de eo, qui etsi expressè non committat, tamen ex modo loquendi, & qualitate materiæ, ac qualitate personæ potest intelligi, quòd committens intendat committere illud factum sub secreto. Subiungit Scotus hanc opinionem probari quoque per rationem tertiã ad secundam conclusionem: quia scilicet si liceret reuelare secretum, daretur occasio mentiendi in committendo alicui aliqua secreta. Richardus tamen loco citato inquit, sigillum confessionis, & secreti esse valdè diuersa, licèt vtrunque sit sigillum: nam se habent vt superiùs, & inferius. Sigillum enim confessionis est superius, sigillum secreti est quid inferius: ideò grauius peccat qui frangit sigillum confessionis, quàm qui frangit sigillum secreti, licèt vterque sit proditor.

Opin. Scoti.

40 Scotus parùm ab hac opinione distat: nam inquit, quòd non eędem pęnæ impositæ sunt fractori sigillo confessionis, & fractori sigillo secreti: nam de pęnis impositis fractori sigillo confessionis, vidimus suprà præcedenti capite conclusione tertia, quæ est de iure positiuo; sed pęna imposita reuelatori secreti, si publicè fiat hæc reuelatio, est pęna infamiæ. Impositor enim falsi criminis, vel veri, sed occulti, quod non potest probari, pro calumniatore habetur cap. *Cum fortius*, de calumniatoribus talis est; quicũque reuelat secretum crimen, quodcũque, quod

non potest probare. Ex quo deducitur esse maius peccatũ reuelare sigillum confessionis absque dubio, quàm reuelare secretum. Et quòd sigillum confessionis est in primo gradu secretorum, si quidem nedum lege naturæ obligat, sed arctissimè secundùm eam ligat, & deinde ligat etiam lege diuina positiua, & ecclesiastica grauissimè. Aliud verò ligat lege naturæ, sed non ita strictè, & lege ecclesiastica, sed non ita strictè, si quidem nõ imponit tam grauem pęnam, sicut priori.

Explicatur primum argumentum principale Scoti, & disseritur, an de licentia pœnitentis confessor possit reuelare confessionem. Caput Tertium.

Primum argum principale Scoti.

41 REmanẽt quædam obiectiones contra prædicta soluendæ, & maximè argumenta principalia Scoti, quæ pulchras difficultates tangunt. Primum ergo argumentum est illud: licitum est vnicuique renũtiare viri suo, sed præceptum istud de seruando secretum in confessionẽ est factum in vtilitatem, & bonum ipsius pœnitentis; ergo pœnitens potest renuntiare huic suo viri, & licentiare confessorem, vt secretum habitum in confessione pandere possit.

An confessor possit loqui pœnitẽti de peccato detecto ĩ confessione extra cõfessionem.

42 Antequàm adducam solutionem huius argumenti notandum est, esse communem sententiam Theologorũ, confessarium habita confessione sinè licentia pœnitentis, non posse loqui, nedum alijs à pœnitente, vt suprà probatum est; sed neque cum ipso pœnitente: & qui de peccatis confessis loqueretur cum pœnitente sinè eius licentia, peccaret. Et ratio ipsorum est: quia esset nimis onerosum pœnitenti, si confessor posset exprobare peccatum sibi in confessione detectum, ac pœnitentem rubore afficere, & consequenter hoc cederet in iniuriam sacramenti.

43 Dubitant verò inter se, an hæc locutio esset fractio sigilli, & aliqui affirmant, vt Soto in 4. dist. 18. quæst. 4. artic. 6. & ratio est, quia licèt propriè violatio sigilli sit detegere peccatum alteri à pœnitente, quod in hoc casu non euenit: tamen generaliori modo accipiendo sigillum pro obligatione non loquẽdi de aliqua re cum aliquo, etiam si illam rem sciat, vt sic accipitur, est reuelatio secreti: vnde consuetudo Ecclesiæ, & vsus habet, vt de rebus habitis in confessione nullo modo habeatur sermo cum pœnitẽte: quæ omnia sunt vera; sed adhuc aliquid ampliùs addit Scotus, scilicet neque pœnitentem posse dare licentiam loquendi de peccatis, & frangendi hoc sigillum; sed antequam opinionem Scoti explicem, aliorũ opiniones oportet adducere.

44 Est tamen adhuc obseruandum pro clara intelligẽtia tituli difficultatis, quòd aliud est disputare, an pœnitens res semel dictas in confessione, possit iterum extra confessionem dicere; & aliud, an seruato eodem sigillo, & sola duntaxat licentia habita in confessione, possit dare licentiam confessario, vt illa dicta in confessione pandat, & alteri de illis loquatur? quod benè obseruauit Suarez 2. disp. illa 33. sect. 5. num. 4. nam primum, vt videbimus, nullam habet difficultatem, neque Scotus, nec alij secum sentientes, hoc negant: quia nulli dubium est, quod cum pœnitens sit Dominus suæ famæ, & sciẽtiæ, potest illam communicare cui vult, & maximè, vt ex illa reuelatione sibi aliquod vtile, & bonum comparet. De modo autem, quo dicta in confessione possit eadem extra confessionem dicere, infrà videbimus.

Pũctus difficultatis.

45 Difficultas ergo est circa secundum modum, An scilicet possit dare licentiam confessario, vt quæ audiuit in confessione absque alia narratione earundem rerum extra confessionem, alijs possit reuelare, & loqui de illis? in qua difficultate sunt duæ extremæ sententiæ. Prima est affirmatiua, & est D. Th. in hoc 4. dist. 21. quæst. 3. art. 2. quem sequuntur Soto in hoc 4. dist. 21. quæst. 4. art. 6. Syluester verbo *Confessor* 3. quæst. 3. & 5. Nauarrus in Summa cap. 8. num. 2. & cap. *Sacerdos*, dist. 6. num. 127. & 151. & ex antiquis refertur D. Bonauentura pro hac sententia in 4. dist. 21. 2. p. art. 2. quæst. 2. sed malè, vt postea videbimus. Similiter citatur Richardus eadem dist. 21. art. 4. quæst. 1. sed malè; sed nec Nauarrus est admodum clarus; eam autem enixè sustinent Suarez, Soto vbi suprà, & alij.

Opinio D. Thomæ, & Sectatorũ.

46 Prima ratio pro hac opinione est hæc ex D. Thoma, & Soto vbi suprà. Duo sunt propter quæ sacerdos nõ potest reuelare detecta sibi in confessione. Primum, quia id non scit, vt homo, sed vt Deus. Secundum est scandalum, ne homines confessionem aborreant: at vtrumque horum impedimentorum tollitur de licentia pœnitentis: nam cum ipse concedit licentiam sacerdoti, facit, vt sacerdos sciat illud peccatum, vt homo. Deinde tollitur scandalum: quia dum homines sciunt, quòd ille hoc dicit de licentia pœnitentis, non scandalizantur, q̃ illa peccata reuellet: quia sciunt habere licentiam à pęnitente hoc faciendi. 1. Ratio.

47 Secundò, in cap. *Officij*, de pœnitẽtijs, & remissionibus constat sacerdotem consuluisse Papam de quodã peccato, quod mulier fuerat sibi confessa: hoc autem aliter fieri non potuit nisi de licentia pęnitentis. 2. Ratio.

48 Tertiò, sigillum confessionis est institutum in bonum pœnitentis: at quandoque expedit pœnitenti, vt reueletur eius peccatum, vt exempli gratia, salutare consilium ab eo accipiat; ergo de licentia eius potest hoc sigillum aperiri, quòd si dicatur, potest ei eadem peccata extra confessionem dicere: & sic nullum est periculum. Cõtrà (inquit Soto) hæc est cæremonia Metaphysica nihil ad rem moralem pertinens. Si enim licet pœnitenti, qui solum homicidium confessus est extra confessionem narrare dicendo ipsi confessario, hoc poteris reuelare: cur sine iterata narratione non licebit dicere, Reuela illud, quod tibi confessus fui, cum idem vtrumque significent. Addit Nauarrus in cap. *Sacerdos* num. 153. quòd hoc remedium, vt iterum narret peccatum suum extra confessionẽ ipsi sacerdoti, poterit cadere in damnum ipsius pęnitentis: quoniam si ille sacerdos postea citaretur in testem ad alium effectum, teneretur testificari: quando saltem iam priùs alius testis de illa re, vel aliud iudicium præcessisset. Et Suarez addit, quòd si concedit licentiam aperiendi sigillum, & non narrat illud extra confessionem, illa licentia est reuocabilis: pendet enim ex voluntate dantis: vnde potest illam iam concessam reuocare. At verò si semel extra confessionem dixit, quæ priùs in confessione dixerat, illa licentia est irreuocabilis: nec potest facere pœnitens postea, vt confessor tantùm in confessione illud sciat. 3. Ratio.

49 Quartò, ex Suarez. Sigillum confessionis, etsi sit sacrum, tamen continetur sub genere secreti, & eius naturam participat: at natura secreti pendet ex voluntate committentis, sicut depositum ex voluntate deponentis: vel sicut promissio ex voluntate eius, cui est facta; ergo ex volũtate committentis pendet illud tollere, vel nõ tollere; aperire, vel non aperire, sicut in alijs secretis, & exemplis propositis. Consequentia probatur, quia de hoc secreto non datur lex specialis, quæ hoc prohibeat, nec ratio generalis præcepti in hoc procedit, quia cessat iniuria pœnitentis, nec confessio ex hoc fit onerosa, sed potiùs ex hoc, cum fieri debeat propter vtilitatem tantùm pœnitentis, & eius licentia, est vtilis. 4. Ratio.

50 Ex altera parte Scotus in hac dist. 21. quæst. 2. in responsione ad primum argumentum principale tenet, non licere pęnitenti dare licentiam confessori, vt sigillum confessionis aperiat, ac peccatum detectum in confessione manifestet; sed si eget pœnitens, vt confessor peccatum suum confessum manifestet, debet illud ei extra confessionem aperire. Hanc sententiam tenent Alensis 4. p. quæst. 19. memb. 2. art. §. 1. Durandus dist. 21. quæst. 4. eandem tenet Diuus Bonauentura qui in oppositum sententiam citatur: nam dist. 21. part. 2. art. 2. quæst. 2. licèt dicat pœnitentem posse licentiare confessorem, vt peccatum in confessione acceptum reuelet, tamen explicando postea modum huius licentiæ, habet hæc verba. *Vnde si dicat*, scilicet pœnitens confessori, *vt alij referat peccatum, debet*

Opin. Scoti comprobatur, & opposita reijcitur.

ipse

ipse sacerdos pęnitentem suum constituere, non se nuncium facere, & sic vitatur scandalum, & non corrumpitur sigillum confessionis. Ecce quòd D. Bonauent. ait, quòd confessor non se faciat nuncium, sed quòd constituat pœnitentem; idest eum interroget, & ab ipso intelligat peccatum extra confessionem, & sic reueler. Richardus idem asserit, & magis expresse dist. 21. a. 4. quæst. 1. ad primum principale. Habet enim hæc verba. *Sed de licentia confitentis reuelare alij personæ non licet, nisi ille, qui confessus est, hoc iterum diceret confessori extra confessionem*. Licèt ergo dicat pęnitentem posse dare licentiam manifestandi peccatum habitum in confessione; tamen quantùm ad modum inquit debere iterum extra confessionem dicere.

1. Ratio Scoti. 51 Rationes probãtes hanc opinionem Scoti improbant opinionem contrariam. Prima ergo ratio Scoti est hæc, & est efficacissima, & destruit fundamentum aduersariorum: peccatum confessum debere cœlari est non solùm ius pœnitentis, sed totius communitatis; at pœnitens licèt possit cedere iuri, suo non tamen potest cedere, sine destruere, & tollere ius communitatis; ergo non potest licentiare confessorem, vt manifestet peccatum acceptum in cõfessione, & aperiat sigillum. Minor est euidens. Maior etiam probatur: quia ex opposito, scilicet ex reuelatione sequeretur continua perturbatio in Ecclesia: quia quilibet passim reputaret alium abominabilem. Hæc consequentia est euidens ex probationibus adductis in primo cap. vbi probatum est sigillum esse de lege naturæ, & diuina positiua, ne homines ab hoc sacramento retraherentur, non ergo sigillum est statutum præcisè in fauorem illius pœnitentis particularis, sed illius, & aliorum: ideò est ius communitatis, cui particularis persona non potest renuntiare.

Responsio Suarez. 52 Respondet Suarez, quòd etsi sit ius commune, tamen pœnitens potest illi cedere: quia illa maior, *Nemo, potest cedere iuri communi*, est vera, quando actio præsens priuatè cedit in detrimentum communis boni: at in proposito licentia aperiendi sigillum non cedit in detrimentum boni communis.

Reijcitur. 53 Verùm Suarez hoc vltimum non probat, scilicet quòd licentia de aperiendo sigillum non cadat in detrimentum boni communis: at Scotus probauit afferre detrimentum bono communi. Nam si bonum particulare priuatæ personæ sæpiùs contigeret, sæpiùs posset dare licentiam confessori, vt reuelaret peccatum: hoc autem admisso, sequeretur, vt ille pœnitens, cuius reuelatio fieret, haberetur abominabilis in Republica; & hoc est certum. Si enim mihi constat aliquem fecisse, aliquod peccatum abominabile, necesse est vt malam opinionem de illo habeam; & sicut de hoc hodie, habetur mala fama, sic de alio cras poterit accidere; & sic accidit perturbatio in cõmunitate, & necessariò scandala, & mala exempla darentur: ideo bonum priuatum pœnitentis, quòd consequeretur ex hac reuelatione non debet pręponi bono publico, sed postponi. Pręterea si liceret soluere sigillum de licentia pœnitentis, vilesceret hoc sigillum, neque summè secretum haberetur; & occasio daretur insidiandi huic sigillo. Nam Principes, & potentes possent varijs, & astutis artibus inducere homines ad dandam hanc licentiam confessarijs: atque modo ita occulto, vt nec sacerdos hoc animaduerteret, & deciperetur.

54 Tandem confirmatur exemplo adducto ab ipso Suarez. Nam quia exemptio à iurisdictione temporali cõceditur in bonum status Ecclesiastici, non potest priuatus clericus renunciare priuilegium, & se subdere iudicio temporali: nam ego non video, cur non possit renunciare huic iuri clericus, & tamen possit pœnitens renunciare iuri sigilli; neque enim in hoc casu fit maior iniuria bono communi, quam in nostro: quia etsi clericus ille velit renunciare iuri suo Ecclesiasticæ immunitatis, non per hoc aufertur priuilegium illud alijs. Nulla ergo alia ratio adest, nisi quia priuilegium illud exemptionis non est personale, sed totius communitatis: ideo illi non potest renunciare: at sigillum confessionis est priuilegium totius communitatis, non particularis personæ; ergo hac eadem ratione illi non potest renunciare.

55 Secunda ratio principalis Scoti. Licentia pœnitentis non sufficit, vt confessor possit aperire sigillum; ergo. Antecedens probatur. Obligatio sigilli, etsi sit solùm in fauorem pœnitentis; tamen est iuris naturæ, & positiui diuini, & humani, vt visum est primo cap. at confessor ex licentia pęnitentis non potest liberari ab his vinculis, & legibus, vt patet, quia pęnitens non est supra has leges; ergo non potest licentiare confessorem, vt ei liceat aperire sigillum. 2. Ratio principalis Scoti.

56 Respondet Suarez hanc licentiam pœnitentis non esse dispensationem pręcepti, & legis, quam certum est pœnitentem non posse facere; sed esse mutationem materiæ; quoniam sensus pręcepti est, quòd hoc secretum seruetur iuxta voluntatem committentis, & ita nulla interuenerit dispensatio. Responsio Suarez.

57 Contrà. Pręcepta sunt circa determinatam materiam; nõ est autem in potestate subditi variare materiam pręceptorum; sed materia pręcepti sigilli sunt peccata in confessione reuelata; ergo non est in potestate subditi, & pœnitentis facere, vt illa non sint materia pręcepti sigilli. Hoc enim pręceptum est annexum huic sacramẽto: ideò sicut sacramentum est inuariabile, ita, & materia illius. Pręterea debuisset probare Suarez, quòd sensus pręcepti sit, vt seruetur iuxta voluntatem committentis: hoc est enim, quod nos negamus: quia hæc conditio non apparet, neque elicitur: quia est pręceptum, & ius communitatis, cuius bonum est pręponendum cuicunque bono priuato. Reijcitur.

58 Ex his sequitur vanam esse illam quæstionem, quã auctores contrariæ opinionis, & maximè Suarez vbi suprà tractãt, *An s. ille, cui de licentia pęnitentis reuelatur cõfessio, teneatur ad sigillum eiusdem confessionis, non autem tantùm, vt ad sigillum secreti naturalis*. Cuius partem affirmatiuam tenet Suarez, & dicit esse opinionem Doctorum supracitatorũ; dicitque probari per rationes pro sua opinione adductas: & confirmat adhuc, quia pœnitens posset ad maiorem suam mortificationem, velle confiteri peccata sua coram duobus, vel tribus testibus, & illi tenerentur ad sigillum, sicut confessor.

59 Vana est inquam hæc quæstio, quia cum sacerdos non posset de licentia pœnitentis reuelare confessionem, frustrà quæritur, *an ille, cui fit reuelatio teneatur ad sigillũ*. Dicimus ergo quòd esset iniusta reuelatio; & ille teneretur ad sigillum, sicut ille, qui iniustè, & dolo audit confessiones, vt diximus ca. pręcedenti circa, *quis*. Nec rationes Suarez quidquam probant, vt patebit ex ipsarũ solutione. Et quod addit in confirmationem de eo, qui posset velle confiteri peccata sua coram duobus testibus, &c. iam suprà dist. 17. q. 1. agendo, *an de essentia confessionis sit esse secretum*, & soluendo argumenta principalia Scoti contra confessionem, in responsione ad antepenultimum, cum Scoto diximus, confessionem, quæ fit pluribus sacerdotibus, non esse sacramentalem: quia non est secreta ex sua natura: ideo multò minùs illa, quæ fieret coram duobus testibus, esset sacramentalis; sed publica valida tamẽ, quia sacerdos in illo casu habet potestatem in vtroque foro, vt ibi explicauimus. Pręterea non est par ratio de ijs testibus pręsentibus actui confessionis, & interpretis, & de illo, cui extra confessionem de licentia pœnitentis fieret reuelatio: quia in primo casu intercedit actus sacramentalis confessionis, & absolutionis; sed in secundo nequaquam, sed est narratio extra sacramentum.

60 Et certè dicere, quòd in potestate pœnitentis sit extendere sigillum confessionis, & restringere ad libitum suum, itaquòd possit concedere licentiam confessori, vt narret peccatum confessum alteri, & obligare illum ad idem sigillum, ad quod tenetur sacerdos, & deindè possit auferre hanc licentiam, ne alteri dicat, est valdè extenuare, & vilificare sigillum huius sacramẽti; pari modo enim

possit

posset pœnitens dare licentiam confessori, vt reuelaret peccata sua cuicunque sibi placeret, & indicaret esse expediens, vt omnes illi orarent pro illo; & si sacerdos non esset multùm prudens, posset reuelare tot alijs, quòd peccatum fieret publicum. Prætereà posset pariter pœnitens dare licentiam nedum confessario reuelandi confessionem suam; sed posset dare licentiam illi alteri, cui facta esset reuelatio à sacerdote, vt sub eodem sigillo reuelaret alij, & ille alij, & sic pluribus, qui tunc tenerentur vinculo sigilli, sicut sacerdos; quæ omniá facerent hoc sigillum ridiculum.

Quid faciat cõfessor volente pœnitente, vt pctm̃ suum prodat.

Sed quid faceret confessor, volente pœnitente, vt peccatum suum prodatur propter aliquam legitimam causam? Respondet Scotus, vt dicebamus suprà, quòd confitens potest postea extra confessionem suum peccatum dicere, ꝙ si dicat illi, vt secretum naturale, confessor tenetur illud celare vt secretum propter legem naturæ, vt dictum est; sed si dicit ita vt non habeatur, vt secretum, & maximè apud alium, vel alias personas, quibus fortè licet propter aliquẽ bonum finem, qui potest sequi ad talem reuelationem, potest confessor dicere illud tanquam publicè dictum extra confessionem, & extra omne secretum.

61 Quòd autem peccatum reuelatum confessori extra confessionem, possit sacerdos reuelare, est certum, licèt etiam illud prius habuerit in confessione: quamuis Altisiodorẽsis 4. p. de sigillo, & aliqui alij antiqui negauerint. Hoc enim Scotus hic expresè docet ad primum, & illud idem docet Soto in dist. 18. q. 4. art. 6. conclus. 2. & probatur: tum eo, quia confessor ex confessione audita non fit deterioris conditionis, quàm ante: at antequàm audiret in confessione illud peccatum, poterat illud secundùm leges tunc alijs dicere, si aliqua alia via sciuerat; ergo si etiã post confessionem illud sciat alia via, poterit illud narrare: tum quia aliàs lata via fraudibus, & iniustitiæ aperiretur. Nam quis furans in Ecclesia coram sacerdote posset statim velle illi confiteri, vt ei occluderet os ne posset eum propalare: & sic de alijs, quæ sunt apertè absurda.

Quõ narrare dẽat confessor, qđ prius in cõfessione audiuit.

62 Sed est difficultas de modo, quo vti debet coufessor in narrando id, quod priùs in confessione audiuerat, & deinde postea extra confessionem audiuerat. Breuiter respondet Scotus cum D. Thoma citato ab eo; hunc modũ solùm esse reuelationem confessionis, & sacerdotem peccare mortaliter, si dicat, *Audiui hoc peccatum, & huius personæ in confessione*. Ratio est, quia ista verba includunt reuelationem huius, vt cogniti eo modo quo non licet reuelare. Vndè subiungit Scotus regulam generalem cognoscendi, quando locutio sit reuelatio confessionis, & est, ꝙ ille, cui post cõfessionem reuelantur peccata, (extra omne secretum) cauere debet in modo narrandi, ne ea narret tanquam sibi dicta modo, quo non licet reuelare, (vbi nota, quòd adest in textu sui quædam additio hoc impugnans; sed illa non est audienda, quia est contra dicta superiùs à Scoto.)

Reuelatio cõfessionis est duplex.

63 Ex hoc ergo habetur, quòd reuelatio confessionis potest esse duplex, vt omnes docent. Prima est directa, vt in exemplo allato, & per verba superiùs adducta. Alius modus est indirectè, qui multis modis fieri potest, de quibus aliqua dicemus: sed regula generalis est, Quotiescunque aliquis narrans peccata aliqua alicuius, narret in tali forma, quòd dat intelligere, se illa peccata sciuisse in confessione, & à persona particulari: tunc indirectè reuelat confessionem. Exemplum affertur. Si quis dicat talis confessus est mihi, & non absolui illum: nam in hoc casu tenent Nauarrus in Summa, cap. 8. num. 10. Soto vbi suprà, Suarez. & alij esse fractionem sigilli: quia absolutio communiter non negatur alicui, nisi propter peccatum mortale. Caietanus verò verbo *Confessio*, negat: quia potest esse multiplex causa non absoluendi. Sed prima opinio mihi magis placet: ideò datúr regula generalis in similibus casibus, si confessarius interrogetur, an absoluerit aliquem: dicat, *functus sum officio meo*: sic enim nec affirmat, nec negat: & consequenter nec directè, nec indirectè reuelat.

Regula seruãda à confessore.

64 Vbi etiam notandum est, hanc reuelationem indirectam posse fieri quandoque facto absq. verbis, vt si quẽ sacerdos in confessione habere meretricem, nec velle illã dimittere, audiuerit, atque ob hanc causam non absoluerit, eum postea videns accedere cum alijs ad communionem, publicè repelleret à communione: quia sic reuelaret facto confessionem, etiam si nihil aliud diceret, quia ceteri venirent in cognitionem illum habere aliquem casum reseruatum, vel peccatum graue, propter quòd abijcitur à communione: & sic de alijs, quod tenẽt communiter Doctores. Nauarrus in Summa, cap. 8. num. 17. Syluest. verbo *Confessor 3.* quæst. 16. Suarez vbi suprà, qui alios casus ponit.

65 Denique hoc sigillum seruandum est, siue sponte narrando, siue interrogatus ab alijs. Vnde in quacunque interrogatione facta de his, quę dicta sunt in confessione, debet confessor semper negare, etiam si iurauerit veritatẽ dicere, quia quod scitur in foro confessionis, nõ scitur modo quo possit reuelari: ideò nunquam mentitur, nec est periurus.

66 Ad rationes pro aduersarijs. Ad primam, quæ est D. Thomæ, & Soto, & aliorum, respondetur primò, ꝙ adest alia ratio, quam in argumento non attingũt, scilicet, quòd ius seruandi sigillum est ius communitatis; cui particularis persona non potest renunciare, vt diximus probando nostram opinionem. Prætereà negatur, quòd per illam simplicem licentiam absque noua narratione possit fieri, vt pœnitens id quod sciebat vt Deus, sciat vt homo. Hæc enim licentia non sufficit: quia illa narratio in confessione est materia sigilli, quæ ab eo non potest seiungi: negatur etiam tolli scandalum, quia hæc licentia multum vilificaret hoc sigillum, vt dictum est. Ad primã rationẽ pro priori conscientia.

67 Ad secundam respondetur, vt suprà diximus, quòd Cardinalis ille sacerdos consuluit Papam de illo casu audito in confessione ab illa muliere, sed non detexit mulierẽ in propria persona, sed in generali: quomodo diximus cuicumque licere, vel propter cõsilium, vel propter admonitionem patefacere peccata accepta in confessione, quia nulla fit iniuria pœnitenti, cum ille non detegatur. Ad secũdã.

68 Ad tertiam iam dictum est in casu, quo quis velit sua peccata manifestari debere illa extra confessionem narrare. Ad rationem contra hoc ex Soto respondetur, latam esse differentiam inter *concedere licentiam, vt dicta in confessione aperiantur*, & inter *nouam narrationem factam confessario de eisdem peccatis*; quia in priori casu, illa quæ ibi dicta sunt, sub sigillo sacramentali conclusa sunt, vt sint, ac si non sint dicta: & sunt materia illius sigilli, & præcepti: at non potest pœnitens illa auferre de sub sigillo, & facere ea materiam narrationis extra confessionẽ. Exemplum esse posset. Si quis alicui in deposito daret pecuniam mediante instrumento notario, & testibus per simplicem actum voluntatis suæ in foro exteriori, nõ posset dare illi licentiam, vt illa pecunia non esset in deposito, sed illam pro libito expenderet; sed oporteret aliud instrumentum conficere, & alios testes adhibere, & aliã consignationem facere illi, virtute cuius posset pecuniã priùs in deposito acceptam, expendere: neque enim stãt simul, quòd pecunia illa stet in deposito, & sub iure depositi, & tamen expendi possit pro libito depositarij, vel pro vtilitate depositantis: ita in proposito nõ possunt manere simul, quòd peccata maneant sub sigillo confessionis: & tamen sacerdos pro libito de licentia pœnitentis etiam pro vtilitate pęnitentis reuelentur: sed necesse est facere aliam narrationem, virtute cuius illa pandere possit. Ad tertiũ.

69 Ad illud ex Nauarro respondetur, nihil referre, quòd cogatur in iudicio recto illud manifestare, quia tũc tale secretum subiacet legi cõmuni secreti naturalis: ideò sicut alia in tali casu reuelari possunt, & debent: sic istud, neque ex fractione indebita sigilli confessionis, debet fauor acquiri alicui. Ad aliud ex Suarez respondeo ex illo modo dicendi quidem pœnitentem acquirere sibi commodum, sed ille modus nimis derogat dignitati sacramen-

cramenti, ac ſigillo confeſſionis, quod non debet eſſe ſic in manu pœnitentis, vt modò illum aperiri, modò claudi ſit in poteſtate ſua.

Ad quartũ.

70 Ad quartam reſpondetur ſigillum quidem confeſſionis contineri ſub materia ſecreti, ſed eſt ſecretum ſpeciale, & particulare diuino iure ſtatutum, quod excedit naturam, & conditionem ſecreti naturalis, vt etiam ipſi fatentur: ideò non omnes conditiones ſecreti naturalis de eo verificantur: vnde negatur, quòd non detur de hoc ſigillo confeſſionis pręceptum ſpeciale. Probauimus enim ſuprà non ſolùm lege naturæ, ſed lege poſitiuæ diuinæ, & humanæ eſſe pręceptum, atque maiores pœnas lege humana violatori huius, quàm ſecreti naturalis eſſe impoſitas; neque vllo vnquam caſu poſſe aperiri, quod non contingit de ſigillo ſecreti naturalis; ergo falſum eſt non eſſe legem ſpecialem prohibentem hoc ſigillum aperiri. Pręterea eſt ius commune non particulare, vt ſuprà probatum eſt: ideo non eſt in poteſtate perſonæ particularis illi renuntiare.

Alia argumenta principalia Scoti, & quædam obiectiones principales adducuntur, & ſoluuntur.
Caput Quartum.

An ꝑpter bonũ commune poſſit reuelari confeſſio.

71 ADducit Scotus quædam alia argumenta principalia, ex quorum ſolutione manifeſtantur plurimi caſus, & difficultates occurrentes circa hoc ſigillum. Secundo loco ergo arguit ſic Diuus Bernardus de pręcepto, & diſpenſatione lib. 4. & inquit, quod eſt inſtitutum propter charitatem, non debet contra charitatem militare; ſed cęlatio peccati confeſſi in aliquo caſu militaret contra charitatem; ergo aliquando licet reuelare confeſſionem, & ſigillum aperire. Maior eſt euidens. Minor probatur. Poteſt contingere, quòd peccatum confeſſum ſit contra bonum commune, vtpotè quis confeſſus eſt ſe incidiſſe in crimen hæreſis, & alios infeciſſe, & illos alios inficere, vel ſe cum alijs decreuiſſe prodere patriam, & ſocios, & permanere in ſuo propoſito: at hæreſis, & maximè diuulganda, & proditio patriæ, & maximè futura eſt contra bonum commune maximè; ergo videtur, quòd in huiuſmodi caſibus ad vitandum mala, tam grauia, & propter charitatem confeſſor poſſit, & debeat reuelare confeſſionem ad huiuſmodi malis reſiſtendum.

Solutio.

72 Reſpondet Scotus, & omnes conſentiunt. Neque propter bonum commune ſpirituale, neque corporale licere reuelare confeſſionem. Rationem aſſignat Scotus, quia ſeruare ſilentium, & hoc ſigillum, nunquam eſt contra charitatem; ſed benè aperire hoc ſigillum eſt contra charitatem, vt patuit primo capite per rationes ibi adductas. Quòd autem ſeruare ſilentium, & ſigillum non ſit contra charitatem, ſed benè oppoſitum, declarat Scotus, negando minorem. Ad probationem cum dicitur, quòd hæreſis, vel proditio patriæ eſt contra bonum commune, & conſequenter contra charitatem, reſpondet, verum eſſe hæreſim, & proditionem patriæ eſſe cõtra charitatem, & ideo obligare vnumquemque ad illud impediendum; ſed hoc obligat etiam ſecundùm leges charitatis. Quod enim eſt charitatis charitatiuè eſt exequendum, iuxta illud Deuteronomij 20. *Iuſtè, quod iuſtum eſt exequeris*: At prohibere malum ſpirituale, vt hæreſim, & malum corporale, vt proditionem patriæ per reuelationem confeſſionis eſt quidem prohibere malum, at non ſecundùm charitatem, ſed contra charitatem: quia eſt contra charitatem detegere peccatum in confeſſione acceptum, vt primo cap. oſtenſus eſt. Et proinde falſum eſt, eſſe contra charitatem tacere peccatum in confeſſione acceptum: quia licèt obiectum ſit ſecundùm charitatem, tamen modus eſt cõtra charitatẽ. Vndè infert Scotus carmẽ illud Iuriſtarũ,

Eſt hęreſis crimen, quod nec confeſſio calat,

nullo modo eſſe admittendum, ſed reprobandum, non quia metrùm non ſit bonum, ſed quia ſententia eſt falſa.

73 Tertium argumentum principale Scoti, eſt iſtud. Poteſt accidere talis caſus, quod aliqui condixerint interficere aliquem ſacerdotem in tali nemore, qui ſacerdos eſt viator cum eis, & tendit cum illis ad illud nemus. Verùm antequam ingrediãtur nemus, pęnitet alterum ex illis, & confitetur eidem ſacerdoti hoc peccatum, quod facturus erat cum alijs complicibus, alios verò minimè pęnitet. Tunc in hoc caſu videtur licere non ingredi nemus illud, quia non tenetur ſe exponere morti ſine cauſa; non ingrediendo autem nemus, cum illis reuelat cõfeſſionem alijs ſocijs facto: non enim diuerteret ab eorum ſocietate, niſi ille ei confeſſus fuiſſet proditionem. Vndè illi ſocij benè cognoſcere poterunt eum, qui confeſſus fuit, illi hoc crimen detegiſſe, ac proinde ſacerdotem illud nemus ingredi noluiſſe; ergo in hoc caſu fit reuelatio, & licitè. Aliud exemplum adduci ſolet; vt ſi ſacerdos per confeſſionem intelligat mortiferũ venenum in vino eſſe immixtum, & non poſſit aut omittere ſacramentum, aut petere aliud vinum, niſi manifeſtando confeſſionem indirectè, ſcilicet quia ſi non celebrat, vel petit aliud vinum, manifeſtabitur ſacerdotem illud intellexiſſe in confeſſione.

Tertiũ argumẽtum principale Scoti.

An pro vitãda morte corporali poſſit reuelari confeſſio.

1. Opinio.

74 In hoc dubio ſunt duæ opiniones. Aliqui dicunt in tali caſu ſacerdotem teneri ad ingredi nemus, & in alio caſu ad celebrandum; & hoc ſi vitare hæc facta, eſſet reuelatio confeſſionis indirectè. Et cum dicitur, ſe exponit morti. Reſpondentur, hoc licere, & ad hoc teneri. Ratio fundamentalis eſt: quia ſe exponit morti propter cauſam iuſtam, ſcilicet ne reuelet confeſſionem, & ſi moritur, vt martir moritur. Hanc opinionem tenẽt Richardus diſt. 21. art. 4. q. 2. Nauarrus in capite *Sacerdos*, num. 135. Soto in 4. diſt. 18. q. 4. art. 5. concluſione prima, licèt alibi in oppoſitum ſententiam inclinare videatur. Suarez diſp. illa 33. ſect. 7. num. 6. & 7.

2. Opinio q̃ eſt Scoti.

75 Scotus ex altera parte, ait, quòd poteſt ille ſacerdos inuenire aliquam occaſionem non intrandi illud nemus, & illam dicere coram illis latronibus, vtpotè, *volo hoc, aut illud facere, & ad illum, & illum locum procedere antequam vlterius progrediar*, & ſic euadere periculum. Sed hoc non ſoluit: quia hoc totum procedit, quando talis occaſio, & factum non reuelaret indirectè confeſſionem. At quando indirectè reuelat, quid agendum? Reſpondet Scotus, quòd huiuſmodi facto non reuelaretur confeſſio. Quod probat, quia facta poſsũt eſſe ſigna æquiuoca, quia à diuerſis modis concipi poſſunt, & referri ad hoc, vel ad illud factum: ideo illud factum ſolùm erit reuelatiuum confeſſionis, quod de natura ſua eſt reuelatiuum confeſſionis: at in primo caſu factum illud diuertendi ab illis latronibus, non eſt de ſui natura reuelatiuum confeſſionis; ſed quia illi latrones de hoc colloquuti fuerant inter ſe, ideo faciunt illud iudicium, & putant talem ſacerdotem propter reuelationem homicidij futuri nuper factam illi à ſocio in confeſſione diſceſſiſſe. Quòd autem talis diſceſſio non eſſet ſignum detectiuum ex ſui natura illius confeſſionis, probatur, quia tunc duceret quocunque in cognitionem talis reuelationis, quod euidenter falſum eſt. Vndè Scotus dat generalem regulam; Quod quando ſignum eſt de ſe indifferens ad denotandum tale peccatum fuiſſe confeſſum, licèt ſit aliquibus magis, ſignum determinatum ex aliquo ſuppoſito, non eſt ſignum reuelatiuum confeſſionis, nec per conſequens eſt ſimpliciter illicitum confeſſori. Et hanc ſententiam tenet quoque Gabriel Biel in 4. diſtin. 21. art. 3. dub. 1. Maior q. 3. ad ſecundum Sylueſter verbo, *Confeſſor* 3. q. 2. Adrianus allatus à Nauarro.

Obiectio ex Nauar. & Suarez.

76 Sed contra hoc arguunt Nauarrus, & Suarez, vbi ſuprà: quia ſi hæc regula Scoti eſſet vera, ſequeretur, quòd nulla eſſe poſſet reuelatio indirecta: nam huiuſmodi quaſi ſemper fit ſuppoſita aliqua notitia, & certis conditionibus hic, & nunc, quibus exiſtentibus ſignum illud eſt manifeſtatiuum confeſſionis. Neque enim hic conſideratur ſignum abſolutè, & abſtractè, ſed ſecundùm conditiones aſſignatas hic, & nunc: ideo cum talis diſceſſio hic, & nunc eſſet iuncta ſcientiæ illi de occidendo illo ſacerdote, videtur eſſe ſignum ſufficienter manifeſtatiuum ſigilli cõfeſſionis.

Secunda obiectio.

fessionis. Pręterea pari modo potest dici, quòd sacerdos posset tale factum vitare, etiam si confessus esset mortem obiturus. Hoc autem videtur magnum absurdum: quia multùm derogat huic sacramento, quòd aliquis ratione illius posset tam graue nocumentum pati. Et denique est ratio fundamentalis adducta à Richardo, quòd bonum ipsius sacramenti pręferendum est bono particulari propriæ vitæ.

Casus hic è valdè difficilis.

77 Res hæc certè est valdè difficilis; & quidem opinio Richardi, & Sectatorum videtur quàmmaximè probabilis propter illud fundamentum principale, & alias rationes adductas: tamen ex alia parte sunt quædam in contrarium, quæ eam opinionem satis dubiam reddunt, & opinionem Scoti satis probabilem. Pro cuius intelligentia est diligenter notandus status controuersiæ, & punctus difficultatis. Nam quædam sunt facta, quæ omnibus circunstantijs consideratis non possunt aliud significare, nisi reuelationem confessionis; quædam verò alia signa, & facta sunt, quæ omnibus circunstantijs contentis in signo consideratis reuelationem non significant, sed ex aliqua circunstantia exteriori apud aliquos poterunt esse signa reuelationis confessionis, non certa, sed dubia, tamen cum aliqua probabilitate. Regula autem distinguendi vnum ab altero est, quam assignat Scotus, scilicet cum quicunque cernens illud factum venit in cognitionem peccati reuelati in confessione; cum verò ex facto illo non omnes, qui illud cernunt, veniunt in cognitionem peccati in confessione detecti, sed nonnulli tãtùm, signum est, quòd illud signum ex proprijs circunstantijs non est manifestatiuum peccati confessi. Exemplum primi, vt si Episcopus, vel Parochus publicè neget alicui sacramẽtum Eucharistiæ propter confessionem solam factam sibi: hoc enim factum est talis conditionis, quòd quicunque cernit hoc factum statim intelligit parochum illum arcere à cõmunione propter peccatum, aliquod detectum in confessione. Exemplum secundi est casus adductus de sacerdote ingredi volente nemus: nam destitutio illa societatis latronum, qui decreuerunt illum occidere ex cõfessione habita, si dicat recordari cuiusdam negotij, & velle illud perficere; & proinde non posse cum illis tunc temporis nemus ingredi, non potest notificare, nisi sit cõplex proditionis, sacerdotem in illa confessione intellexisse latrones illos eum prodere decreuisse: ideo ex propria natura, cum proprijs circunstantijs non est manifestatiuum peccati confessi; sed solùm ex circunstantijs alienis. Ex hac differentia ergo factorum elicio hoc argumentum, quæ sunt per accidens non sunt consideranda, nec cadunt sub arte, quia non possunt vitari: at istæ circunstantiæ extrinsecæ factę sunt accidentales ipsi facto; ergo non debent cadere in considerationem, nec afficere ipsum factum, & illud ex sua natura mutare; quod fieret, si faceret illud manifestatiuum confessionis, cum ex se non esset manifestatiuum. Maior speculatiuè est vera, sed moraliter, & in praxi est quoque vera, & illam exemplo declaro sic. Episcopus intellexit à quodam amico, quòd die Paschatis, cũ celebraturus erit, caueat sibi: quia decreuerunt quidam parare venenum in vino albo in vrceolo sibi pręparato, sed Episcopus contemnit: interim die Paschatis antequàm accedat ad altare vnus eorum qui parauerunt venenum pęnitẽtia ductus cogat Episcopum, vt vnum verbum audiat in confessione sacramentaliter cęteris complicibus cernẽtibus, audit, & inter cętera peccata intelligit iam sibi paratum esse venenum in vino albo pręparato ad celebrandũ: Tũc Episcopus recordatur admonitionis amici sui, quam iam despexerat: interim nihil dicit, sed cum minister porrigit vinum ad consecrandum, quærit Episcopus vnde acceperit illud vinum, & statim iubet, vt aliud vinum non ampliùs album, sed rubrum, & ex tali loco, & à tali seruo deferatur, vt sit securus à veneno. Quæro, an hoc facto reuelet confessionem? Quòd reuelet videtur: quia complices pręsentes, & mutari vinum cum tanta diligentia cernentes, optimè conijciunt, quòd ille socius criminis reuelauerit proditionem; tamen hoc omninò mihi videtur falsum: quia Episcopus non mutat vinum propter confessionem illius pręcisè; sed quia iam extra confessionẽ hanc proditionem intellexerat. Cum autem scimus aliquod factum extra confessionem, scimus nos posse illud narrare ex dictis suprà; ergo hoc factum ex sui natura non est manifestatiuum confessionis; & tamen apud illos est manifestatiuum: quia ipsi sunt complices. Est ergo regula optima Scoti, quòd cum signum est æquiuocum nunquã manifestat confessionem.

Cum signũ est æquiuocũ nunquã manifestat cõfessionẽ.

78 Quod autem signis æquiuocis, nulla sit fides adhibenda, declaratur in alio casu. Mulier quædam petijt in Ecclesia publica communicari, sed cum accedit ad communionem, recordatur, dum sibi faciem ablueret traiecisse in ventrem parum aquæ, dubitat an possit communicari, discedit à loco communionis, & petit audiri in confessione à sacerdote, communicat factum, sacerdos non admittit ad communionem; tunc astantes iudicabũt adesse aliquod peccatum, propter quod repulsa fuerit à communione, & tamen falsum est; ergo. Similiter si ille, qui confitetur sacerdoti ingredi volenti nemus, confiteretur fictè, nec manifestaret crimen proditionis, sed cupiens ipse solus occidere illum sacerdotem, vt solus haberet omnia spolia, se hypocritam coram illo ostenderet, & ex hoc hortaretur, vt dimissis socijs ipsi irent soli orationes dicendo; & sacerdos ex his suspicionem capiens, decerneret omnium illorum societatem derelinquere, cęteri complices suspicarentur eum detegisse proditionem, quòd tamen falsum esset.

Opinio authoris.

79 Ergo mihi videtur dicendum, tunc factum esse manifestatiuum, & reuelatiuum confessionis, quando non est æquiuocum, sed vniuocum, & suapte natura, aut ex circunstantijs intrinsecis est reuelatiuum confessionis: circa quod dignoscendum opus est circunstantias omnes conspicere. Rationes autem Nauarri, & Suarez procedunt de facto vniuoco, non æquiuoco: patet enim, quòd datur signum indirectè manifestatiuum, scilicet signum primi generis. Ad secundum Suarez respondetur, quòd si occideretur non esset in causa factum sacerdotis: quia ad illud non inducit manifestè, neque ex se: nam etiam in primo casu, & tertio allato possent complices occidere socium criminis ex suspicione: & tamen nullam haberent causam, quia re vera non reuelauerat secretum.

Quartum principale Scoti.

80 Quartum principale argumentum Scoti est hoc. Sacerdos de facto absoluit aliquem Episcopum symoniacum, quem de iure absoluere non potest. Iste sacerdos tenetur confiteri de hoc peccato, & in speciali de ista circunstantia: quia est circunstantia mortalis, & aggrauat: at sic confitendo reuelat peccatum personæ illius Episcopi; (pono enim, quòd non adsit alius Episcopus pro illo tempore, ibi) ergo licet reuelare confessionem aliquo casu.

81 Respondetur breuiter à Scoto, quòd sacerdos sic indiscretè ministrans hoc sacramentum, non tenetur statim confiteri illud peccatum, & cum illis circunstantijs, ex quibus confessor suus veniat in cognitionem pœnitentis, quem indiscretè absoluit; sed debet confiteri alia peccata, & illud, sed in vniuersali dicendo indiscretè ministraui claues, & nullo modo debet manifestare peccatum illud, itaquòd persona manifestetur. Sed cum habuerit copiam confessoris, qui non possit ex illis circunstantijs venire in cognitionem personæ particularis, tunc poterit, & tenetur illud peccatum, & circunstantias confiteri, vt suprà, agendo de integritate confessionis, diximus. Quòd si nũquam copia huiusmodi confessoris habuerit, non debet, nec tenetur confiteri, ratio est: quia magis obligatur ad pręceptum sigilli, quàm ad confitendum proprium peccatum: quia ad primum tenetur triplici lege, vt visum est cap. 1. huius disputationis ad secundum tantùm lege diuina positiua. Et hæc est communis opinio Doctorũ, quas refert Suarez disp. 33. sect. 1. num. 18.

Salutare documẽtũ pro cõfessarijs.

82 Ex quo colligit Scotus salutare documentum, scilicet quòd quilibet minister sacramenti debet valdè cauere, ne

re, ne

re, ne indiscretè ministret hoc sacramentum pęnitentiæ, pręcipuè in illo casu, vbi ex indiscretione sua non poterit explicitè pęnitere, absque hoc quod probat confessionem, alterius sibi confessi.

5. Argumentum principale Scoti.

83 Quintò. Licitum est reuelare, quod non est peccatum, nec circunstantia peccati: sed sic est, quòd peccare cũ hac persona, vel illa, nisi sit speciali lege prohibita, vt si sit consanguinea, vel coniugata, vel huiusmodi, non est peccatum; ergo poterit persona, cum qua pœnitens peccauerit, reuelari absque fractione confessionis sigilli.

84 Respondet Scotus, & est verum communiter concessum, vt suprà sępiùs dictum est, quòd non licet reuelare tertiam personam in confessione, de qua re suprà egimus quarta conclusione, cap. 2. agendo *de integritate confessionis*: si tamen reueletur persona socia criminis pœnitentis, vel ex fatuitate, vel ex malitia, vel quacunque alia causa, est sub sigillo confessionis celanda: quòd suprà quarta conclusione cum Scoto est explicatum cap. 2. huius disp. & tunc ad argumentum negatur maior, scilicet, quòd omne illud, quod non est peccatum, sit licitum reuelare: est enim insufficiens, sed debet addi, vel non sit aliquid, per quod possit deueniri in cognitionem personæ complicis pœnitentis, vel quod non sit aliquid contra legem naturæ, vel diuinam, & pro secreto habendum.

6. Argũ.

An liceat p pctõ cõfesso superiori subditũ amoueř ab officio, vel de loco, vel eum punire extra forum cõfessionis.

85 Sextum argumentum Scoti tangit pulchram difficultatem, scilicet, an liceat imponere pœnitentiam publicam pro peccato commisso. Argumentum ergo est istud. Est Abbas, siue superior Regularis habens Monachum in suo Monasterio, vel loco pertinente ad suam iurisdictionem, & per confessionem scit Monachum illum peccare, & habere societatem suspectam, per quam semper allicitur ad peccandum. Tunc sic Abbas potest, & debet consulere saluti illius Monachi: hoc autem faciet si amoueat illum ab illo officio, vel Monasterio: quia auferret ei occasionem peccandi. At amouendo illum Monachum ab eo loco, vel officio, hoc facto reuelat confessionem sibi factã, quia facit tale factum, quod non faceret, nisi sibi fuisset confessus; & per hoc alij etiam possunt venire in cognitionem peccati illius Monachi saltem in vniuersali; ergo licet in casu isto reuelare confessionem.

Quædam opinio reijcitur.

86 Respondet Scotus confutando quandam opinionem, quam margo Scoti tribuit Henrico quodlib. 8. q. 18. etsi alij eum in oppositum adducunt, quæ asserit indifferenter, quòd confessor nullo modo potest se habere aliter ad confessum ratione confessionis, quàm ante confessionem, quantùm ad quemcunque actum extra forum illũ confessionis; sed se debet gerere, ac si nihil pęnitentis audiuisset. Hæc tamen opinio sic generaliter accepta non est approbanda, vt patebit ex dicendis. Respondet ergo Scotus, & est communis opinio. D. Bonauent. dist. 21. 2. p. 2. 2. q. 1. in responsione ad vltimum. Richardus ibidem art. 4. q. 2. ad 4. D. Thom. q. 3. ar. 1. Soto dist. 18. q. 4. ar. 5. ad 4. & multi alij, qui distinguunt, sed præsertim Scotus: nam vel in tali Religione est consuetudo communis, & sine nota, vt quilibet amoueatur à suo officio, & habitatione pro libito superioris, (quod enim dicitur de Monachis, intelligitur de omnibus superioribus, pręsertim regularibus) vel etiam non pro libito, sed quandoque pro alia causa honesta ad aliud munus, vel locum transferatur ad libitum superioris, & in hoc casu, inquit Scotus, potest superior ex peccato audito in confessione illum ab officio amouere, vel ab habitatione, & ad aliud deputare, ex quo ei occasio peccati auferatur. Vel in tali Collegio, & Religione est consuetudo, quòd Monachus nõ transferatur de loco ad locum, vel amoueatur ab officio, quod datur ad certum tempus, nisi ratione delicti, vel insufficiẽtiæ in cura illius: & tunc respondet Scotus, nequaquam superiorem posse illum Monachum, vel subditum amouere, vel officio priuare. Ratio vtriusque est: quia in primo casu nulla fit manifestatio confessionis, nec vlla adest suspitio talis manifestationis. Cauendum est tamen, ne ipse subditus suspicetur hanc mutationem sibi accidisse ex confessione facta: quia etsi aliqui dicant, vt Syluest. verbo *Confess.* 3. q. 14. quòd nihil refert, quòd pęnitens hoc suspicetur, dũmodo alij hanc suspicionem non habeant: tamen hoc esset retrahere homines à confessione: & Clemens VIII. in Decreto *de casibus reseruatis* decernit, ne superiores vtantur ea notitia, q̃ in confessione habent ad exteriorem gubernationem. Vndè periculosum ego valdè iudico stante imperfectione superiorũ perquirere velle via confessionis delicta subditorum. Difficile est enim nimis sigillum seruare, & moderari cęlum rectæ gubernationis, sed in secundo casu maximè.

87 Si dicas tunc superior non apponit remedium ad salutem ouis suæ. Respondet Scotus, & communiter, q superior debet in foro conscientiæ consulere animæ ouis suæ meliori modo, quo poterit, vt illud officium, vel locũ spontè deserat: atque potest hoc ei præcipere, & ille subditus tenetur obedire, quòd si noluerit, potest non absoluere, immò non debet eum absoluere: quia non habet contritionem de peccato commisso, & propositum abstinẽdi in posterum. Quòd si adhuc perseuerare voluerit, non põt superior eum in foro exteriori punire, s. amouendo à loco, vel ab officio, vt dictum est: sed debet hoc relinquere iudicio Dei. Non enim debet attentare esse Deum, sed defectus occultos incorrigibiles sibi secundùm iustitiam Dei correctioni dimittat. Ex quo patet multò minùs superiorem pro peccato sibi confesso posse imponere pœnitentiã publicam, vel quibusdam peccatis statuere pęnitentias publicas: ex his enim apertè confessio, & qualitas peccati innotescit.

Quid si superior per schedulam scriptã peccatorum in cognitionẽ eorum veniat.

88 Sed quid si superior non scit peccata per confessionem, sed tamen scit per viam confessionis: vt putà, quia quis scripsit sua peccata, quæ confessurus erat; deinde amisit schedulam, quàm superior inuenit, & ea mediante voluit ad inquisitionem procedere. Respondet Soto ea. dist. 18. q. 4. ar. 5. ad 4. versus finem non licere, immò se vidisse superiorem, qui hoc attentare voluit, fuisse punitum: quia re vera ea, quæ ordinantur ad hoc sacramentum, omni reuerentia, & occultatione digna sunt.

Vltimum argũ Scoti

89 Vltimum argumentum Scoti sumitur ex capitulo *Cum non ab homine*, de sent. excommun. vbi dicitur, *A communione illius, qui pro sacrilega manuum iniectione in Clericum in edictum excommunicationis incidit: licèt denunciatus non sit, debes abstinere: nisi fortè id tibi soli pateret, in quo casu ipsum priuatim tantummodo euitabis.* & sequitur, *vt saltem verecundia rubore suffusus pro latenti excessu satisfacere compellatur.* Ex hoc Canone habetur, vt videtur, quòd si in secreto, vel per confessionem ego scio hunc incidisse in excommunicationem, debeo ipsum vitare priuatim, vt sit confusus; ergo propter confessionem licèt alicui inferre ruborem, & confusionem; ergo, & pari ratione licet confessionem reuelare.

Solutio Scoti.

Qũo quis vitare dẽat excõmunicatum non publicatũ.

90 Respondet Scotus, quòd capitulum illud non loquitur expressè de eo, qui priuatim, idest per confessionẽ, vel per viam secreti impositi, scit illum excommunicatũ; sed de eo, qui priuatim, idest ita scit ipse, quòd tamen communitas non scit: qui enim hoc modo scit eum esse excommunicatum, debet eum vitare non publicè, sed priuatim propter ingerendum ei ruborem. Sed quid fiet si sciret p viam confessionis? Respondit Scotus, vt ad tertium principale, quòd si potest eum vitare absque reuelatione confessionis, debet illum vitare, si verò non, non solùm non debet eum vitare; sed non licet ipsum vitare, quia talis vitatio est de iure positiuo Ecclesiastico tantùm; nõ prodere autem eum esse excõicatum, est de iure naturæ, & positiuo diuino, & Ecclesiastico: quando autem duo præcepta opposita occurrunt inferiùs non obligat, nec seruans maius prætermittens inferius peccat: quia nullus ex lege diuina, & Ecclesiastica est perplexus.

Cum duo pcepta opposita occurrunt inferius non obligat.

91 Ex quo patet, quomodo sit dirimẽda lis, & diuersitas opinionum inter Nauarrum in cap. Sacerdos, n. 145. tenentem debere vitari priuatim; & alios negantes, maximè si velit Eucharistiam sumere; dicendum est enim, vt

tandem

tandem tenuit quoque Suarez disp. illa 33. sect. 6. assert. 2. quòd si possit vitari absque reuelatione confessionis, est vitandus, nec ei communicandum, nec ministrandum sacramentum: si verò hoc non possit fieri sine manifestatione, non licèt vitare propter rationem adductam.

Aliud argumentum.

92 Est aliud dubium: nam ex Concilio Chathaginensi 7. cap. 5. & habetur cap. *Placuit*, &c. q. 2. supponi videtur Episcopum posse aliquando licitè dicere, quòd solus in confessione audiuit, & in Concil. Maguntino, cap. 10. & 21. Significatur olim fuisse in vsu, vt iuxta prudens arbitrium confessoris, quædam peccata in confessione audita tacerentur, alia verò in publicum proferentur.

93 Respondetur ad primum ibi non esse sermonem de confessione sacramentali; de ea enim ibi nullum est verbum, sed de exteriori confessione facta Episcopo interroganti.

Ad secundum respondetur ibi non esse sermonem de reuelatione facta à sacerdote, seù confessario, sed de reuelatione facta à pęnitente: tunc temporis enim si pęnitens volebat facere pęnitentiam publicè de consilio confessoris reuelabat ea peccata, quæ confessori digna pęnitentia publica videbantur: vnde illa reuelatio erat ex voluntate pęnitentis, & à pœnitente solo fiebat.

DE SATISFACTIONE.

DISPVTATIO XXXV.

Vtrùm cuilibet peccato actuali mortali correspondeat satisfactio propria.

De satisfactione in communi. Caput Primum.

1 AGit Scotus cum Magistro, & alijs Scholasticis de satisfactione in dist. 15. Verùm quia aliqua etiam dicit d. 18. q. 1. de impositione pęnitentiæ, quæ reducitur ad satisfactionem propriè dictam, quæ est tertia pars pęnitentiæ, & ipsa satisfactio, vt diximus suprà, tertium locum occupat: ideo hoc loco decreui agere de satisfactione.

Satisfactio duplex in cõi, & propriè, & strictè accepta

Scotus ergo distinct. 15. proponit quæstionem hanc, atque eam diuidit in duas partes principales. Primò, agit de satisfactione in communi. Secundò, de satisfactione propriè, & strictè accepta. Agemus in pręsenti de satisfactione in communi, in sequentibus de satisfactione propriè dicta. Circa satisfactionem itaque in communi Scotus facit quinque. Primò, explicat, quæ sit ratio nominis huius, *satisfactio*. Secundò, an sit possibilis hominis satisfactio, pro culpa accipiendo *satisfactionem*, eo modo, quo ipsam describit Scotus. Tertiò, in quibus consistit satisfactio. Quartò, an cuilibet peccato respondeat propria satisfactio, & in hoc articulo soluit quæstionem principalē. Quintò, an possit satisfieri, de vno peccato, non satisfaciendo de alio.

Quantùm ergo ad primum articulum, dimissis varijs acceptionibus improprijs huius nominis *satisfactio*, cuiusmodi est *satisfactio* accepta *pro parere alicui pręcepto*, vt cum dicimus seruus satisfacit Domino, vel *pro reddere rationem alicuius facti, vel dicti*, iuxta illud 1. Petri 3. *Parati semper ad satisfactionem omni poscenti*, vel similibus. Scotus ponit hanc diffinitionem *satisfactionis* in communi. *Satisfactio est redditio voluntaria æquiualentis pro æquiualenti, aliàs indebiti*. In hac diffinitione sunt quatuor particulæ explicandæ. Prima est *redditio*. Probatur quòd conuenienter sit posita: nam *satisfactio* non est absoluta datio, sed datio determinata, & commensurata, ad aliquod prius debitum, quod elicitur ex vi vocabuli, *satisfactio*. Nam illud *satis*, dicit commensurationem correspondentem ad aliquod pręcedens.

Diffinitio satisfactionis in cõi.

Prima conditio satisfactionis.

Secunda cõditio satisfactionis.

Secunda conditio est *voluntaria*. Hãc conditionem requiri satis ex se patet: quia nisi ista datio esset *voluntaria*, sed *inuoluntaria*, sequeretur eam non esse actionem, sed passionem, & sic non esset *satisfactio*, sed *satispassio*: quia qui dat aliquid inuoluntariè non agit verè, & propriè, sed potiùs patitur: quia illud, quòd dat, ab eo vi extorquetur. Vndè damnati in inferno, licèt dent Deo aliquid pro peccatis suis, scilicet pęnam illam sensus; non tamen dicuntur *satisfacere*, sed potiùs *satispati*: quia illam non dant *voluntariè*, sed *inuoluntariè*: ideo non agunt, sed patiuntur; nec satisfaciunt.

Tertia conditio satisfactionis.

Tertia conditio est, *æquiualentis pro æquiualenti*. Hæc conditio quoque est euidens; quoniam significatur ipsa quoque per illam particulam, *satis*: si enim est *satisfactio*, siuè *satisdatio*, sequitur quòd sit *datio æquiualentis pro æquiualenti*; nec plus, nec minus. Confirmatur, quia *satisfactio* est pars iustitiæ; iustitia autem est virtus, quæ reducit ad æqualitatem omnes excessus, vt in tertio libro agendo *de satisfactione Christi Domini* diximus. Necesse est ergo, quòd in satisfactione sit redditio ad æqualitatem debiti, & ideo necessarium est, quòd *satisfactio* sit *redditio æquiualentis pro equiualenti debito*.

Quarta cõditio satisfactionis.

Quarta conditio est, *aliàs indebiti*, quæ etiam patet: quã si illius, quod dat debitor ei, cui debet, sit eidem alio titulo debitor, non satisfacit. Exemplũ. Sortes debet centum Petro semèl propter vineam emptam; iterùm debet eidem alia centùm pro dote filiæ eidem nuptæ; cùm dat centum pro vinea empta, nõ potest eisdem satisfacere eidem pro dote: quia ista alia centum pro dote sunt eidem Petro debita alio titulo, scilicet ratione dotis, non ratione emptionis. Vt ergo *satisfactio* sit *actio*, & *datio iusta*, debet esse *æquiualentis pro æquiualenti, aliàs indebiti*.

2 Subiungit Scotus vnum pulchrum, quod expressè Aristoteles tradit 5. Ethicorum cap. 1. & 2. scilicet, quòd ista ratio *satisfactionis*, se extendit ad omnes contractus, & obligationes: nam *satisfactio* hæc communiter accepta pertinet ad iustitiam communiter acceptam; iustitia autem communiter accepta est idem, quòd æquum, & iustum, & distinguitur à iustitia, quæ est particularis virtus, quæ pertinet ad commercia hominum emendanda, vt tradit Aristot. loco citato cap. 2. in fine. Inquit ergo Scotus, quòd *satisfactio* pręd icto modo definita pertinet ad omnes contractus, & obligationes quascunque, tàm voluntarias, quàm inuoluntarias. Vndè hoc modo dilectus potest satisfacere, seù recompensare diligentem, reddendo æqualem dilectionem; & recipiens beneficium potest beneficianti benefacere. Et in actibus necessarijs quoque, vbi scilicet est aliqua obligatio, (hoc autem pertinet ad iustitiam particularem secundùm Aristot. in eodem cap. 2. in fine) quasi necessitans ad reddendum, vt cum quis peccauit in alium, sit per culpam debitor ei, in quem peccauit: ideo in eo cadit ista ratio satisfactionis, scilicet vt reddat ei æquiualens, & aliàs indebitum, quantùm sibi abstulit per peccatum. Hæc ergo ratio satisfactionis accommodatur in vniuersali ad omnes genus iustitiæ.

Quomodo satisfactio, & restitutio differãt.

3 Ex dictis mihi videtur esse idem *satisfactio, & restitutio*, accipiendo *satisfactionem* sic *in communi*; licèt satisfactio strictiùs accepta, quæ est tertia pars pęnitęntiæ, de qua hic acturi sumus differat à restitutione: nam *differentia*, quam assignant Soto in 4. d. 19. q. 1. a. 1. Conclusione 1. & 2. & Suarez disp. 37. in principio, quòd *restitutio* est in rebus datis, & acceptis; *satisfactio* verò in actionibus, & passionibus, quibus se homines, aut iniurijs, aut beneficijs afficiunt, est vana: nam certè fama cadit sub restitutione, & tamen non est reddita, vel accepta, sed per iniuriam, vel detractionem destructa, & ablata, non autem accepta; ergo vana est hæc distinctionis ratio. Sed de hoc cum *de restitutione* agemus.

Sensus quæstionis propositæ.

Duplex satisfactio ꝑ culpa, & ꝑ pœna.

4 Notandum est insuper secundùm omnes, quod *satisfactio*, duobus modis considerari potest; vno modo *in ordine ad culpam & pœnam simùl*; alio modo *in ordine ad pœnam temporalem tantùm debitam peccato, remissa culpa*: vtroque modo potest esse questio. *An creatura possit satisfacere Deo pro peccato commisso*, & sensus quæstionis in primo intellectu est, An homo possit reddere Deo aliquod

quod

quod opus, quod sit æquiualens in gratitudine, peccato, siuè offensæ factæ Deo, absolutè, & quò ad iniuriam illatá, & quò ad debitam pœnam. Sensus quæstionis in secundo intellectu est. Vtrũ homo possit reddere Deo aliq̃ opus æquiualens pœnæ temporali debitæ peccato, remissa culpa, & pœna æterna. Tractabimus hic de satisfactione secũdo modo, quia illa est satisfactio strictè sũpta, de qua in præsenti disputatione, & sequentibus: tñ ad clariorẽ materiæ explicationem Scotus tractat in 2. art. huius quæst. primũ intellectum, An scilicet homini puro sit possibile reddere Deo æquiualens pro offensa facta ipsi Deo pro peccato, q̃ fecit, quod est quęrere, an homo possit satisfacere Deo pro culpa commissa, & cõsequenter ẽt pro pęna illi debita absolutè. Hoc enim secundum subintelligitur in primo. Si. n. põt satisfacere pro culpa, poterit quoque satisfacere pro pęna: quia pęna oritur ex culpa, & peior est culpa, quàm pœna. Si verò non potest satisfacere pro culpa, neque pro pœna, quæ ex illa nascitur. Deinde videbimus, dato quòd homo possit satisfacere Deo pro culpa, & aliquando Deus placetur, & accipiat satisfactionem quò ad culpam; nõ aũt quò ad omnẽ pęnam, sed velit aliquam pęná temporalem adhuc sibi solui, Vtrùm homo possit illam soluere, & quæ, & quomodo, quod fiet capite sequenti, & sequentibus.

An homo possit satisfacere Deo ꝓ peccato.

5 In secundo articulo tractat Scotus quæstionem celebrem, An pura creatura possit satisfacere Deo pro peccato, & quia hæc quæstio potest dupliciter tractari, scilicet de potentia Dei absoluta, & de potentia Dei ordinaria, Scotus eam in vtroque sensu tractat: & loquendo de potẽtia Dei absoluta, sustinet, quòd pura creatura potuisset satisfacere Deo. De hac autem quæstione in hoc sensu tractauimus abundè in 3. Sent. dist. 18. ideò hic nihil remanet dicendum.

De potentia Dei ordinaria pura creatura non põt satisfacere Deo ꝓ peccato.

Loquendo ergo de lege Dei ordinaria, seù de potentia ordinaria ponit Scotus cõclusionem certá, & apud Theologos omnes catholicos indubitatá. Quòd pura creatura non potuit, nec potest satisfacere Deo pro peccato. Ratio fundamentalis est, quia Deus disposuit nõ dare alicui peccatori gratiam primá, nisi in virtute meriti *illius*, qui erat sine peccato, scilicet *Christi*. Nam, vt habetur ex Scriptura sacra passim, disposuit Deus non sibi reconciliare peccatorem inimicum nisi per obsequium magis gratum, quá offensa peccatoris fuerat sibi displicens. Tale aũt obsequiũ fuit passio, & meritum Christi. Vndè legitur Actorum 4. *Hic est lapis, qui reprobatus est à vobis ædificantibus, qui factus est in caput anguli, & non est in aliquo alio salus, nec enim aliud nomen est sub cęlo datum hominibus in quo oporteat nos saluos fieri.* & Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt vnigenitum suum daret, vt omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* & ad Galatas 4. *Misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege, vt eos, qui sub lege erant redimeret.* & primo Timot. 1. *Venit Iesus peccatores saluos facere.* & Lucæ vltimò. *Non ne oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam.* & similia.

6 Cum ergo disposuerit Deus non dare gratiam suam peccatori, nisi per passionem, & meritum Christi, sequitur quod creatura non potuerit, nec possit satisfacere Deo pro peccato, nisi mediante gratia Dei: gratia autem Dei, non confertur peccatori, nisi per passionem, & meritum Christi; ergo vlteriùs sequitur, quòd creatura non potuit, nec potest satisfacere Deo per semetipsam sinè virtute passionis Christi. Vltima hæc consequentia est euidens: quia *satisfactio*, vt diximus *est redditio æquiualentis pro æquiualenti*: opus autem meritorium creaturæ puræ, idest non solum vnione hyppostaticá ad verbum denudatæ, sed etiá gratia destitutæ, non posset esse æquiualens offensæ diuinæ, neque simpliciter, vt patet: quia nihil tale dari potest, neque ex acceptatione diuina: quia hæc acceptatio fit per gratiá Dei ex meritis Christi; relinquitur ergo, quòd omne opus, per quod homo satisfacit Deo sit satisfactorium virtute gratiæ ob passionem Christi collatæ nobis: & ita è conuerso sequitur, quòd licèt ex nobis ipsis non possimus satisfacere Deo: tamen cum gratia Dei possumus satisfacere; vbi enim nostra opera deficiunt supplet virtus passionis Christi Domini, & gratiæ diuinæ virtute illius nobis collatæ: ita vt mediante illa, operibus nostris possimus mereri, & satisfacere Deo pro peccatis nostris.

Quòd possimus mereri, & satisfacere ꝓ peccatis cõtra hæreticos ꝓbatur.

7 Hoc autem vltimum, scilicet quòd possimus mereri, & satisfacere Deo pro peccatis nostris virtute passionis Christi, contra hæreticos probatur, & quidem, quòd possimus mereri, & satisfacere pro culpa, probatum est suprà disput. 13. & sequentibus agendo *de contritione*, & *de pœnitentia*: immò probatum est esse necessarium facere aliquas bonas operationes, vt remissionem peccatorum consequamur: quia etsi Christus Dominus mortuus est pro nobis, & sufficienter satisfecit pro nobis: tamen noluit nostra peccata nobis dimittere, loquendo in adultis, sine bono motu nostri liberi arbitrij, ad quem tamen nos adiuuat auxilio suo præueniente, & adiuuante ob meritum Christi, quo auxilio ex intercessione passionis Christi, liberum arbitrium nostrum mouetur in bonum, & assentimus vocationi diuinæ, quo assensu, & bono motu habito, tanquam merito de congruo, vt suprà disput. 13. cap. 1. & disput. 15. diximus, Deus infundit gratiam habitualem, & gratum facientem, qua bonus ille motus, qui est contritio formatus fit meritum de condigno deletionis culpæ, & deinde opera reliqua bona, quæ in ipsa gratia facimus, sunt meritoria de condigno deletionis pęnarum temporalium, & acquisitionis gloriæ æternæ. Propter hoc Sacra scriptura præcipit nobis toties, faciendam esse pœnitentiam pro peccatis. Matth. 4. & Marci 1. Christus Dominus dixit. *Pœnitentiam agite appropinquauit enim regnum cælorum.* & Actorum 3. *Deus autem, quæ prænunciauit per os omnium Prophetarum suorum pati Christum suum, impleuit sic. Pœniteat vos igitur, & conuertimini, vt deleantur peccata vestra.* & similia passim, vt infrà fusiùs ostendemus.

Quòd possimus satisfacere ꝓ pęna tẽporali culpæ debita.

8 Quòd autem possimus satisfacere pro pœna temporali nobis debita pro culpa, quæ dimissa est, ex eisdem auctoritatibus clarissimè patet; si enim per opera nostra, ex gratia Christi possumus satisfacere pro culpa, & pro pœna æterna eis debita: multò magis sequitur nos posse satisfacere pro pęna temporali.

Deus aliq̃do dimittit culpá, & pœná æterná, & relinquit peccatorem obligatũ pœnæ temporali.

9 Sed ad hoc clariùs ostendendum, notandum est aliquando Deum dimittere nobis culpam, & pœnam æternam; relinquere tamen nos obnoxios alicui pœnæ temporali, quod ex scriptura clarissimè patet, Paulus ad Romanos 4. *Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors: & ita in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccauerunt.* At culpa peccati originalis dimittitur, & tamen mors corporalis, quæ est pęna temporalis eius, non dimittitur. Præterea numeri 20. Moyses, & Aaron eo, quia non glorificauerunt Deum ad petram, damnantur ad eam pęnam, vt moriantur in deserto: vnde scriptura ibi inquit de Aaron. *Pergat Aaron ad populos suos: non enim intrabit terrã, quam dedi Filijs Israel, eò quòd incredulus fuerit ori meo ad aquas contradictionis.* Dimisit ergo Deus culpam peccati incredulitatis: reliquit tamen eum obligatum ad pęnam tẽporalem, quæ fuit, vt moreretur in deserto. Et secundo Regum 12. dimisit Deus peccatum Dauidi, adulterij, & homicidij: & tamen eum puniuit morte filij: & quidem, quòd mors filij fuerit pro pęna peccati commissi, scriptura apertè dicit: nam verba eius sunt. *Quia blasphemare fecisti inimicos nomen Domini, propter verbum hoc filius, qui natus est tibi, morte morietur.* Ecce quòd pp peccatũ præteritum, cuius culpam dimiserat, infligit pęnam temporalem; & alia multa similia in veteri testamẽto. Sed ex Apostolo 1. ad Corinthios 11. expressè habetur: loquens .n. de indignè sumentibus Eucharistiá, inquit. *Qui indignè manducat, & bibit, iudiciũ sibi manducat, & bibit, nõ diiudicãs corpus Domini: ideò inter nos multi infirmi, et imbecilles, & dormiunt multi: quòd si nosmetipsos diiudicaremus, non*

vtique iudicaremur: dum iudicamur autem à Domino, corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur, &c. Si illi ergo, qui imbecilles, & infirmi non se probantes, & accedétes ad sumendum corpus Christi, peccabant, & proinde iudicabantur à Domino, & ab eodem corripiebantur; sed tamen ità, vt cum hoc mundo non damnarentur, necessariò sequitur, quòd illis peccati culpa dimitteretur, & pœna æterna, tamen aliqua pœna temporali punirentur: alioquin non corriperentur à Domino, nec pœna æterna, nec temporali.

Quòd pœna tẽporalis opib. satisfactorijs redimitur.

Ionæ vltimo.

Danielis 4

10 Quòd autem hæc pœna temporalis possit redimi aliquibus alijs operibus bonis, & consequenter Deo possit satisfieri pro pœna ista temporali patet. Ionę vltimo habetur, quòd Niniuitæ, ieiunijs, & præcibus placauerunt Deum, ne subuerteret eorum Ciuitatem, & puniret eos pęna illa temporali comminata à Propheta. Danielis 4. *Quamobrem Rex consilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemosinis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum*. Et in nouo testamento pluries præsertim 1. Petri capit. 4. vbi Petrus hortatus est Christianos, quòd videant, ne affligantur propter homicidia, vel furta, vel huiusmodi, quia hoc non est bonum: si autem patiantur, vt Christum, scilicet propter nomen Christi, in hoc non debent erubescere, sed glorificare Deum, & subdit rationem dicens. *Quoniam tempus est, vt incipiat iudicium à domo Domini: si autem primum à nobis, quis finis eorum, qui non credunt Euangelio Dei? Et si iustus vix saluabitur, impius, & peccator vbi parebunt?* Inquit ergo D. Petrus, quòd iusti iudicabuntur: at in quo iudicabuntur si culpam non habent, cum sint iusti? relinquitur ergo, vt iudicentur circa pœnas temporales, an illis, scilicet satisfecerint. Et ad Hæbreos 12. Paulus inquit. *Tanquam filijs vobis offert se Deus: quis enim filius, quem non corripit pater? quòd si extra disciplinam estis, cuius participes facti sunt omnes; ergo adulteri, & non filij estis*. Corripit ergo Deus iustos, vt filios suos: at correptio non est, nisi propter peccatum; ergo filijs imponit pœnam: non autem æternam, quia sic non essent filij, & iusti; ergo temporalem. Et denique si Deus, vt Pater, se habet circa iustos, & proinde eos corripit, sequitur, quòd ne dùm corripiat eos, vt à peccatis desistant, & redeant ad obedientiam; sed etiam pro culpis, & offensis, dimissis culpis, eos pœnis aliquibus castiget, quia etsi culpam dimittat, tamen omnem pœnam dimittere non vult propter vtilitatem ipsorum filiorum.

2. Cor. 2.

11 Accedit vltimò, alijs dimissis, locus prospicuus Apostoli 2. Corinth. 2. vbi Paulus Apostolus postquam 1. Corinth. 5. *tradidit* fornicarium illum *Satanæ*, idest *excommunicauit*, videns pœnitentiam, propter quam certè à culpa liberatus fuerat, dimittit illi fornicario pœnam temporalem illam, illius afflictiuam, quæ erat pœna excommunicationis, & etiam obiurgatio publica, à qua, & alios afflictionibus ei impositis eum absoluit ne diuturniori pœna afflictus, & vexatus incideret in desperationem. Verba Apostoli sunt. *Sufficit illi, qui eiusmodi est, obiurgatio hæc, quę fit à pluribus: ita vt è contrario magis donetis, & consolemini, ne forte abundantiori tristitia absorbeatur, qui eiusmodi est*. Est ergo certissimum contra hæreticos, pro culpa posse satisfieri Deo, & dimissa culpa, etiam pro sola pœna temporali, ad quam remanet obligatus peccator, posse satisfieri ab hominibus.

Culpa, & pœna eisdẽ opibus tolluntur.

12 Est tamen hic obseruandum, quòd etsi quandoque dimittatur culpa absque tota pœna temporali, & deinde pœna temporalis per se ipsam: nihilominus eadem sunt opera, per quæ dimittitur culpa, & pęna: & proinde Doctores Scholastici, & sancti Patres sequentes Sacram scripturam, quæ hæc confundit, cum loquuntur de operibus, per quæ culpa, & pęna dimittitur, nullam assignãt differentiam, sed indiscriminatim culpam, & pęnam per eadem opera tolli significant.

Artic. 3. q. [illegible] ti explicatur.

13 Proinde Scotus in hac q. art. 3. assignans, quæ sint opera, quibus satisfactio fieri potest Deo, inquit esse magis actus pęnales, & passiones voluntatis, quàm alios actus bonos, sed non pęnales: licèt quandoque posset per aliquẽ actum bonum non pęnalem satisfieri: quia benè potest, inquit, Deus actum magnum charitatis acceptare pro punitione debita vni culpæ: licèt enim non sit propria punitio; est tamen maius bonum, & magis Deo reddens honorem, quàm illa, quæ esset propria illius punitio. Sed regulariter sicut culpa ordinatur per pęnam, & non per aliquod aliud maius bonum, quàm sit pęna, ita satisfactio isto modo dicta cõsistit in actionibus, vel passionibus habentibus rationem pęnę. Hoc probat Scotus auctoritate D. Aug. de vera, & falsa pęnitentia c. 15. & refertur à Magistro Sentent. dist. 16. c. 1. quæ est. *Sunt digni fructus virtutũ, qui non sufficiunt pęnitentibus: pęnitentia enim grauiores fructus postulat, vt dolore, & gemitibus mortuus impetret vitam*. Secundùm ergo legem ordinariam, & regulariter, culpa, & pęna illi debita tollitur per satisfactionem, per opera pęnalia: ista autem opera pęnalia sunt actus pęnales, vel passiones voluntariæ, quæ in genere reducuntur ad actum interiorem displicentiæ, vel passionem tristitiæ: & ad actũ exteriorem, vel passionem, scilicet macerando carnem: quæ maceratio carnis videtur reduci ad tria genera operũ pęnalium, de quibus in Sacra scriptura habetur mentio expressa, scilicet *ieiunium, eleuatio mentis in Deum*, quæ dicitur *oratio*, & *erogatio bonorum temporalium*, idest *eleemosina*. Per huiusmodi operationes ergo pęnales, & voluntarias remittitur culpa, & pęna: videtur tamẽ, magis propriè loquendo, quòd culpa remittatur per cõtritionem, & actũ confessionis sacramentalis: pęna verò temporalis illis debita remittatur per opera illa tria externa, idest *ieiunium, orationem*, & *eleemosinam*. Certum est enim, hæc tria vltima sine prioribus, non valere ad remissionem culpæ, vt visum est in præcedentibus. Duo autem priora, scilicet *contritio*, & *confessio* valent principaliter ad culpam, deinde etiam ad pęnam delẽdam: vnde videmus, quòd maxima contritio peccatorum delet nedùm culpam, sed omnem pęnam temporalem, vt contingit de Magdalena, & publicano: quia tamen hæc connexionem quamdam habent in pęnitente (qui enim verè pęnitet in omnibus his actibus se exercere solet) communiter dicuntur opera satisfactoria pro peccatis, amplectendo simùl culpam, & pęnã. Cum itaque pęnitens de peccatis habet perfectam contritionem, quæ remittat nedùm culpam, sed etiam pęnam tẽporalem, non remanet aliqua pęna, pro qua sit satisfaciendum: quando verò, vt plurimùm accidit, contritio non est tanta, vt vtrunque deleat, remanet pœna temporalis post culpam dimissam, pro qua soluenda necesse est in hac vita facere opera pęnalia prædicta satisfactoria, scilicet *ieiunia, orationes*, & *eleemosinas*, quæ si non sufficiant ad delendam totam pęnam temporalem, illa in purgatorio erit soluenda. De qua re fusius agemus capite sequenti agendo de satisfactione strictè accepta, nunc ad Scotum redeamus.

Quibus operibus satisfieri possit Deo.

14 Scotus ex dictis articulo hoc tertio respondet ad quæstionem principalem, quę quærebat, an cuilibet peccato actuali mortali correspondeat satisfactio propria. Respondet autem duabus assertionibus: prima est, Nõ est necessarium, inquit, vt vnicuique peccato numero respõdeat propria vna satisfactio, secundùm numerum, neque est necessarium, inquit, quòd vnicuique peccato secundùm speciem respondeat vna satisfactio, secundùm speciẽ; sed pluribus peccatis numero sufficit vna satisfactio numero, & pluribus peccatis secũdùm speciem, potest satisfacere vna satisfactio secundùm speciem.

Art. 4. Scoti.

1. Assertio Scoti.

15 Hæc assertio probata manet ex dictis suprà *de contritione*: ostendimus enim ibi nõ esse necessarium de vnoquoque peccato in particulari conteri; sed vnicam contritionẽ de pluribus peccatis numero sufficere, ita in proposito, nõ est necessariũ, ꝙ vni peccato numero correspõdeat vna ꝓpria satisfactio numero, sed vna satisfactio numero põt dimittere, & valere ꝓ pluribus peccatis numero, & vna satisfactio, secundũ speciẽ, põt satisfacere pro pluribus

pecca-

peccatis secundùm speciem. Exemplum. Quis blasphemauit decies, non est necesse, quòd habeat decem contritiones numero, sed vna numero contritione potest omnibus decem peccatis satisfacere. Similiter quis commisit decẽ peccata diuersarum specierum, vt *blasphemiæ, furti, sacrilegij, luxuriæ*, &c. non est necesse, vt habeat decem contritiones, specie diuersas eisdem peccatis correspondentes, sed sufficit vna satisfactio, secundùm speciem, vt verbi gratia. Contritio de blasphemia: hæc enim valebit pro omnibus alijs peccatis. Est tamen obseruandum, ait Scotus, quòd ad hoc, vt hæc satisfactio vna numero valeat pro pluribus peccatis numero, & sit totalis satisfactio, & non partialis, & diminuta, debet esse ità intensa, vt aliquid eius sufficiat pro vno peccato, & aliquid pro alio. Aliquid, inquam, non de partibus integralibus actu; sed de gradibus intensionis, ita scilicet, quòd sit in tanto gradu intensionis, quòd in longe minori sufficeret pro vno, & in gradu, quem superadit vltrà, sufficeret pro alio. Quomodo autem hoc sit possibile, infrà explicabitur.

2. Conclusio.

16 Secunda conclusio. Vni peccato possunt correspõdere plures satisfactiones, siuè totales, siuè partiales. Hæc assertio probatur de totalibus: quia vnumquodque peccatum potest dimitti per contritionem perfectam: contritio autem perfecta est satisfactio totalis. Posset ergo per plures contritiones dimitti, & illi satisfieri: neque enim vna contritio ità illi est propria, vt per aliam numero distinctã non possit dimitti: posset adhùc idem peccatum remitti per plures satisfactiones partiales, & specie differentes, vt putà per contritionem remissam, & alias pœnas supplentes imperfectionem contritionis, vt per ieiunium, orationem, & huiusmodi: istæ enim plures satisfactiones, cum nulla per se sit totalis; sed vnaquæque partialis, integrant vnam totalem satisfactionem correspondentem illi peccato: patet autem, quòd istæ duæ totales satisfactiones, scilicet contritio perfecta intensa, quæ est totalis satisfactio ex vna parte, & ipsamet contritio remissa, & partialis, simùl cum alijs pœnis integrantibus alteram totalem satisfactionem differunt specie. Et sic verificatur conclusio asserta, quòd plures satisfactiones totales, vel partiales, & diuersæ specie possunt correspondere eidem vni peccato. Resolutio ergo quæstionis consistit in hoc breuiter, quòd non correspondet cuicunque peccato propria satisfactio, quæ scilicet nulli alij correspondeat: nec aliqua alia isti correspondet, quæ non correspondeat alteri, sed quæ correspondet vni, & est illi propria pro tunc posset correspondere alteri, & esse illi propria pro tunc, quando ei applicaretur.

Resolutio quęstionis.

5. Artic. q. Scoti.

17 In quinto articulo illius quęstionis Scotus facit duo, de quibus infrà fusius agemus. Primò, probat, quòd satisfactio totalis adducta reconciliat satisfacientem ei, quem offendit, hac ratione: quia nisi offensus sit implacabilis, & immisericors poterit reconciliari offendenti: posito autẽ, quòd offensus sit placabilis, & misericors, cuiusmodi est Deus, vt sæpissimè testatur Sacra scriptura, nullum est medium magis aptum ad ipsum placandum, quàm prædicta satisfactio. Secundò, ostendit esse impossibile satisfacere de vno peccato Deo non satisfaciendo de omnibus, quod intelligitur quantùm ad culpam: non enim quis validè potest pœnitere, & habere contritionem de vno peccato, & non de alijs; sed necesse est, quòd de omnibus simul pœniteat, & conteratur actu, vel dum actu de vno conteritur, & pœnitet de alijs omnibus habitualiter, & affectu, etsi non effectu, pęniteat. At loquendo de satisfactione pro pęna temporali clarum est posse satisfacere pro vno peccato, non satisfaciendo pro alijs, vt in sequentibus videbimus.

Satisfactio verè recõciliat peccatorem Deo.

Nõ põt satisfieri d vno peccato Deo nõ satisfaciendo de alijs.

18 Ex dictis quoque patet solutio ad argumenta principalia huius quæstionis Scoti, vt clarè ostendit Scotus: ideò transeundum est ad satisfactionem propriè dictam quæ est tertia pars pœnitentiæ.

De satisfactione in particulari, quæ est tertia pars sacramenti pœnitentiæ quid sit, & quòd verè satisfaciat, & reconciliet Deo, ac necessaria sit ante ingressum Paradisi. Caput Secundum.

19 IN secunda parte principali illius quæstionis, Scotus agit de satisfactione strictè, & propriè sumpta. De qua quinque per ordinem tractat (sicut fecit de satisfactione in communi) circa quæ versari oportet, & confutatis hæreticorum erroribus, cum catholicis dubitationes omnes insurgentes enodare. Primo loco ergo proponit explicare Scotus, *quid nominis*, siuè diffinitionem nominalem, *satisfactionis*. Secundò, *an sit possibilis*. Tertiò *in quibus consistit satisfactio*. Quartò *si cuilibet peccato correspondet propriè satisfactio*. Quintò, *an vna propria satisfactio sit separabilis ab alia*.

Quinque d satisfactione videda.

20 Quantùm ad primum. Satisfactio sic definitur à Scoto. *Satisfactio est operatio exterior laboriosa, vel pœnalis voluntariè sumpta, vel voluntariè tollerata ad puniendũ peccatum commissum à se, & hoc ad placandum diuinã offensam.* Hæc diffinitio est communis Theologorũ, neque vllus discrepat in re, præterquam in illa particula *operatio exterior*, de qua in sequentibus: licèt in verbis sit aliqua differentia: neque ita dilucidè ab alijs Theologis Scolasticis explicetur. Hanc certè supponunt Recentiores, vt Soto in 4. dist. 19 q. 1. art. 1. parùm à principio, dum inquit, quòd *satisfactio* accipitur pro recompẽsatione, quã homo facit Deo pro peccato. Sic Bellarminus lib. 4. de pœnitentia c. 1. dùm inquit in primis verbis. *Satisfactionẽ*, nihil aliud esse nisi *actionem*, qua is, qui alterum læsit, tantùm facit, quantùm satis est ad iniuriam compensandam. Siue quãtum is, qui læsus est iustè exigit. Et Suarez de pœnitentia disp. 37. in principio dùm ait, quòd *satisfactio* apud Theologos, veluti per Anthonomasiam *actionem* significat, per quam Deo pro peccatis satisfacimus. Idem sentiunt veteres Theologi. Alexander Alensis 4. p. q. 24. m. 3. D. Bonauentura in 4. dist. 15. art. 1. quæst. 1. & reliqui antiquiores cum Magistro Sententiarum in ea dist. 15. p. 2. Nam licèt ipsi diffiniant satisfactionem cum D. Aug. lib. de Ecclesiasticis dogmatibus capit. 54. sic *satisfactio pœnitentiæ est peccatorum causas excidere, nec suggestionibus eorum aditum indulgere*. Tamen coincidit cum prædictis: quoniã, vt ijdem Doctores locis citatis asserunt: tunc peccatorum causæ exciduntur, & eorum suggestionibus aditus præcluditur, cum per opera pęnalia, & per dolorem, & contritionem puniuntur, quod est compensationem facere Deo, pro illata iniuria. Et quòd hæc sit mens vera D. August. elicitur ex verbis eiusdem D. August. præcedentibus, quæ sunt. *Pœnitentia vera est pœnitenda non admittere & admissa deflere.* Post quæ verba statim subiungit illa. *Satisfactio pęnitentiæ est causas peccatorum excidere, nec eorum suggestioni aditum indulgere*. Quamuis mihi videatur hęc diffinitio D. Aug. competere satisfactioni in cõmuni, quę delet, & culpam, & pęnam, vt dictum est suprà, & ex dicendis patebit.

Quid sit satisfactio strictè sumpta.

21 Declarat autem Scotus diffinitionem allatam *satisfactionis*, & præsertim explicat, cur apposuerit illam particulam, *operatio exterior laboriosa*: hæc enim particula ponitur ad differentiam *satisfactionis* in communi: quia *satisfactio* communiter dicta potest consistere in opere pęnali quocunque, tàm interiori, quàm exteriori, vnde dicebamus consistere in actu cõtritionis. At *satisfactio*, quæ est tertia pars pęnitentiæ, consistit præsertim in actu exteriori pęnali voluntariæ assumpto, vel volũtariè tollerato: hęc.n. *satisfactio* non ordinatur ad tollẽdã culpã, sed solũ ad tollendam pęnam tẽporalem debitam culpæ: ideò illa pęna temporalis debet dimitti, & cõpensari per actionẽ externam pęnalem, cuiusmodi sunt illa tria *oratio ieiunium*, & *eleemosina*, & aliæ pęnalitates similes, & *macerationes corporales*, quæ sub illis continentur.

22 Ex his conspicitur, quã apertè mentiuntur hæretici,

Hæreticorum mēdacia circa satisfactionē.

qui dicunt catholicos asserere satisfactiones nostras voluntariè assumptas, vel impositas à sacerdotibus ipsis pęnitentibus esse pretium, quo reconciliemur Deo, vel esse causas reconciliationis cum Deo. Contra quod deinde obijciunt, quòd Christi mors est pretium, & causa reconciliationis nostræ cum Deo Patre, non humanæ satisfactiones, & opera bona, quod vbique Lutherus scurriliter, & impudenter vrget, & Caluinus, præsertim ad caput Matthæi 20. ad illa verba, *& dare animam suam redemptionē pro multis*. Ex dictis (inquam) patet mendacium, & impudentia eorum: nam satisfactiones prædictæ, quas nos catholici post totam antiquitatem ponimus, non ponuntur ad delendam culpam, & reconciliandum hominem Deo; sed supponunt hominem iam gratis reconciliatum esse Deo per Christi mortem, sed ponuntur ad recompensandam pœnam temporalem relictam à Deo, soluendam pro culpis dimissis, vt superiori cap. diximus, & infrà magis explicabimus.

Notabile obseruādū ad intelligendū differentiā inter catholicos, & hæreticos.

23 Obseruandum est tamen, reconciliationem peccatoris cum Christo per deletionem culparum fieri quidem gratis per mortem, & passionem Christi: attamen applicatio meriti, & passionis Christi non fit nisi ijs, qui gratiæ, & auxilijs diuinis cooperantur per fidem, & charitatem. Vnde, etsi Christus sufficienter mortuus sit pro toto mundo: tamen efficaciter solùm passio eius valet pro ijs (loquendo de *adultis*) qui cooperantur gratiæ vocanti, & adiuuanti Christi, quæ cooperatio est dispositio, & conditio necessaria ad hoc, vt mors Christi pro nobis valeat ad delendum culpas, & pœnas: voluit enim Deus, quòd etsi Christus sufficienter mortus sit pro nobis, & gratis, tamen quòd etiam nosmetipsos disponamus aliqualiter ad meritum illud suscipiendum. Neque enim voluit Deus, vt nos sinè vllo labore, sed omni voluptuosa vita fruentes absque vlla displicentia offensionum factarum ipsi Deo, sola passione, & meritis Christi fidentes, vt delicati nostri hæretici prætendunt, culparum, & peccatorum nostrorum veniā obtineamus, & gloriam æternā consequamur. Neque enim hæc est vita Euangelica, quam Christus, & Apostoli docuerunt; sed *laboribus, lachrymis, ieiunijs, afflictionibus*, & maximè *dolore*, & *tristitia* de peccatis commissis propter amorem Christi nostra peccata redimere, & paradisum adipisci.

Duo pūcta contra hæreticos ostēduntur.

24 Verùm, vt res hæc distinctè intelligatur, & veritas catholica confirmetur contra hæreticos, duo faciēda sunt. Primò diligenter est explicandum, quid sit *satisfactio pœnitentiæ*, secundùm catholicos. Secundò ostendendū est, quòd nō pugnant cum gratuita morte Christi *satisfactiones* positę à catholicis. Quò ad primum est notanda distinctio superiùs allata, quòd *duplex* est *satisfactio*, sicut *dupliciter* possumus *satisfacere* Deo pro peccatis. *Prima* satisfactio est, respectu *culpæ*, & *pœnæ æternæ*. *Alia* est satisfactio pro *pœna temporali* debita culpæ, quæ remanet dimissa culpa. Satisfactio primo modo est pœnitentia de peccatis, nimirum contritio, & confessio sacramentalis, & loquendo de hac satisfactione potest dici, quòd sit quodāmodo pretium nostræ reconciliationis cum Deo: non quod sit pretium principale, & proprium, per quod præcisè emamus reconciliationem cum Deo, & veniam peccatorum: quia tale pretium propriè, & principaliter est mors Christi, qua omninò gratis redempti sumus, sed est pretium ex pacto diuino: quia Deus non vult gratuitam illam mortem, & satisfactionem plenissimam, factam à Christo pro nobis, nobis applicari, & valere, nisi nos habeamus prædictam dispositionem, scilicet pœnitentiam, & contritionem, vel faciamus confessionem sacramētalem: (ad quam dispositionem habendam, quæ est meritum de congruo nos Deus suo auxilio, & gratia præuenienti adiuuat: sinè ea enim nihil possumus, & ea habita infundit gratiam habitualem, qua contritio illa, quæ prius erat dispositio, & meritum de congruo, fit meritū de condigno, (vt suprà dictum est) Exhibitio enim horū operum est solutio, & datio pretij, quod ex pacto Dei pro peccatis debemus: & sic possumus dicere, & verè dicimus, quòd istæ satisfactiones sunt pretium nostræ reconciliationis cum Deo, & quòd sunt meritoriæ de condigno venię culparū, & vitæ æternæ, & quòd vita æterna est merces eorum: nā licèt, vt sunt operationes humanæ puræ, & nudæ, non possint dici, nec verè sint meritoriæ vitæ æterne, de cōdigno: tamen iunctæ gratiæ Christi habituali, quam his habitis creat in nobis, vt dictum est suprà, & pacto, ac acceptationi diuinæ sunt meritoriæ de condigno vitæ æternæ. Vnde Paulus expectabat beatitudinem, vt coronam iustitiæ à iusto iudice Christo, quod expresse Sacra scriptura vetus, & noua tradit. Ezechielis 18. *Si impius egerit pœnitentiam*, &c. *omnium iniquitatum eius non recordabor, vita viuet*. &c. & Matthæi 3. *Pœnitentiam agite appropinquauit enim regnum cęlorum*. & infrà. *Facite ergo fructum dignum pęnitentiæ*. & rursus Matthæi 6. Christus Dominus apertè dicit. *Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet, & vobis Pater vester cęlestis delicta vestra*. & Paulus Romanorum 8. *Si facta carnis spiritu mortificaueritis, viuetis*. & iterum. *Si compatimur, & conglorificabimur*. & tandem 1. ad Corinthios 11. *Si nos ipsos iudicaremus, vtique à Domino non iudicaremur*. Ex his omnibus patet Deum inijsse pactum nobiscum, & transactionem fecisse, quòd si per opera pœnalia illi satisfaciemus, dimittet nobis peccata nostra; ergo satisfactio est quodammodo pretium nostrę reconciliationis cum Christo, non præcisè, nec per se, sed ex pacto Dei, & vt præsupponit mortem, & meritum gratuitum Christi est meritum de condigno.

25 Satisfactio verò pro pœna temporali dimissa iam culpa, vt suprà dicebamus, quæ est tertia pars pœnitentiæ, etiam potest dici pretium, quo redimamus nos à pœnis temporalibus, quibus ob culpam deputati sumus à Deo, ac illis mediantibus redimamus nos ex manibus Dei. Hoc enim similiter probant euidenter auctoritates adductæ præsertim illud Roman. 8. *Si compatimur, & conglorificabimur*. & illud 1. Corinth. 11. *Si nosmetipsos iudicaremus à Domino non iudicaremur*. & sic patet Caluinum mentiri in 1. ad Corinth. cap. 11. ad verba adducta, dum ait, satisfactiones catholicorum non esse veras compensationes, & satisfactiones pro præteritis peccatis.

Opinio hæreticorū de satisfactione hominū pro peccatis.

26 Quò ad secundum. Hæretici negant, hominem posse satisfacere Deo, & asserunt satisfactiones nostras pugnare cum gratuita redemptione, & satisfactione facta per Christum: vnde lutherus libro, quem inscripsit Admonitionem in Ecclesiasticos Augustæ in Bieta Imperiali cōgregatos anno 1530. alloquens Ecclesiasticos inquit. *Docuistis nos satisfaciendum esse per opera nostra pro peccatis etiam erga Deum, & hoc dicitur pęnitentiam agere pro peccatis. Quid est nam hoc aliud dicere oportet te pro peccatis satisfacere, quàm istud oportet te Christū negare, baptismū tuum reuocare, Euangelium blasphemare, Deum mendacijs arguere, Remissionem peccatorum non credere, Sanguinem, ac Mortem Christi pedibus calcare, Spiritum sanctum violare, Per te ipsum huiusmodi virtutibus in cęlum ascendere. Ah quæ linguæ, & voces hac de re sufficienter loqui possunt? Quid hac igitur fides aliud est, quàm turcarum, gentiumque, & iudeorum fides? qui omnes quoque per opera sua satisfacere volunt. Ex hac abominatione omnes aliæ venerunt, easque necessariò inde venire oportuit, nempè tot Monasteriorum, collegiatarumque Ecclesiarum sanctitatē propriam cum suis cultibus diuinis, Missarum sacrificia, purgatorium, vigilias, fraternitates, peregrinationes, indulgentias, ieiunia, cultum Sanctorum, reliquias, Spiritus tumultuantes, totamque processionem infernalis ambitus*. Hæc Lutherus.

Verba Lutheri.

Caluinus etiam lib. 4. institutionum cap. 4. §. 25. inquit. *Tertium locum satisfactioni, & pęnitentię assignant, de qua quidquid blaterant, vno verbo subuerti potest. Dicunt nō sufficere pęnitenti à peccatis præteritis abstinere, nisi de eis, quæ facta sunt satisfiat Deo, esse autē multa adminicula quibus peccata redimas: lacrymas, ieiunia, charitatis officia, &c. talibus mendacijs oppono gratuitam peccatorum remissionem, quæ nihil in scripturis clariùs prædicatur*. Hæc Caluinus,

Verba Caluini.

hos

hos communiter omnes hæretici nostrorum temporum in hoc perfido dogmate sequuntur.

1. Ratio pro hæreticis. 27 Pro hac eorum hæresi ab ipsis, & alijs solent adduci hæ rationes. Primò. Assertio hæc catholicorum, quòd *homines possint satisfacere Deo*, sapit maximam arrogantiam, & iniuriam facit passioni, & merito Christi; ergo hęc assertio est erronea. Antecedens probatur. Paulus ad Rom. 3. asserit. *Nos gratis iustificatos esse per Christum, ac per eius redemptionem, quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguinem ipsius*. Passio autem Christi est valoris infiniti; ergo fit iniuria Christo, dùm nos dicimus nostras satisfactiones esse veras satisfactiones, & re vera per illas dimitti peccata, vel pœnas peccatorum.

2. Ratio. 28 Secundò. Paulus ad Romanos octauo ait, *Nihil damnationis est ijs, qui sunt in Christo Iesu*. Hoc est ijs, qui effecti sunt eius membra: at qui reconciliatur Deo per remissionem culpæ fit membrum Christi: ergo nihil damnationis remanet in ipso; ergo neque pęna temporalis luenda remanet: siquidem & illa pœna est aliquid damnationis, cum indigeat purgatione; ergo frustrà ponuntur istæ satisfactiones pro illis pœnis, quæ non dantur.

29 Et confirmatur, quia vt ait Diuus Paulus ibidem, *Si Deus pro nobis omnibus tradidit filium suum; quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit?* & rursus, *Quis accusabit aduersus electos Dei? Deus qui iustificat, quis est, qui condemnet?* & alia multa huiusmodi; ergo per gratiam iustificantem, qua nobis applicatur passio Christi omnia nobis condonantur, nec remanet vllus pęnæ reatus, nec aliquid purgandum.

30 His duobus argumentis maximè innititur Caluin. libro 3. Institut. capitulo quarto, numero vigesimoquinto, quibus addit illud 1. Ioan. secundo, *Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris*. & illud Ioan. 1. *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*. Addit, quòd posita necessitate istarum satisfactionum conscientia nunquam pacem habebit de peccati venia: cùm sæpè tot peccata quis commiserit, vt non sit possibile adęquatas satisfactiones reddere Deo, nec annis centum.

3. Ratio. 31 Tertiò. In sacra scriptura nullibi habetur mentio de his satisfactionibus; sed sunt inuentiones Episcoporum, & Monacorum ad astruendum indulgentias, quib. pecuniam comparent.

4. Ratio. 32 Quartò. Ezechiel capit. 33. inducit Dominum sic loquentem. *Impietas impij non nocebit ei, quacumque die conuersus fuerit ab impietate sua*. Ex quo loco colligi videtur nullas superesse pœnas, quas Deus repetat ab impio post conuersionem: quia si aliqua superesset pœna, certè adhuc impio impietas noceret: si nulla pœna remanet post culpam dimissam; ergo nulla est satisfactio.

Adiungit Caluinus vbi suprà alias auctoritates similes Ezechielis 18. *Hoc est testamentum nouum, quòd Deus in Christo suo nobiscum pepigit, quòd iniquitatum nostrarum non recordabitur*. & alius Propheta. *Si impius ab iniustitia sua deflexerit, omnium iniquitatum eius non recordabor*. Ergo si non recordabitur iniquitatum illius non remanent impij obligati reatu, & pœna temporali. Confirmatur, quia alibi scriptura dicit: Deum projicere post terga peccata, demergere in profundum maris: delere instar nubis, non imputare, tecta habere, &c. his formulis loquendi videtur significare delere culpam simul cum tota pęna.

5. Ratio. 33 Quintò. Ioan. 8. Christus absoluens adulteram, dixit ei, *Vade, noli ampliùs peccare*. Non aliam satisfactionem ab ea exegit, nisi, vt deinceps benè viueret; ergo nulla satisfactio est necessaria: addit Caluinus vbi suprà exemplum de Publicano, de Petro, & alijs, quibus Christus dimisit peccata, nec legitur imposuisse vllam pœnitentiam.

6. Ratio. 34 Sextò. Inquit Lutherus in assertione articulorum suorum, quàm ędidit anno 1521. articulo quinto, in tota

Fab. de Confessione.

scriptura vnus apex, aut vnum iota, non scribitur, quòd pro vno peccato mortali debeat satisfieri septem annis, & quòd pro differentibus peccatis, differentes pœnas statuant Christus, & Apostoli: neque in antiquis Patribus habetur mentio de quadragenis septenis, & similib. pęnitentijs: ergo istæ satisfactiones videntur fictiones.

35 Septimò. Satisfactiones, quæ apud veteres Patres, & Ecclesiam erant in vsu, non erant satisfactiones pro pœnis peccatorum, vt volumus nos Catholici: sed erant vel publica excommunicatio, & quædam pœnæ externæ, quæ iniungebantur publicis peccatoribus, exempli, & disciplinæ causa: ergo istæ satisfactiones pro pœnis peccatorum sunt abijciendæ. 7. Ratio.

36 Octauò. Caluinus vbi suprà, duas auctoritates D. Ioannis Chrysostomi, & duas Diui Augustini adducit. Prima D. Ioannis Chrysostomi est in Homilia 2. in Psalmum 50. vbi sic habet, *Vbi misericordia flagitatur interrogatio cessat: vbi misericordia postulatur, iudicium cessat: vbi misericordia petitur, pœnæ locus non est: vbi misericordia, quæstio nulla*. Secunda auctoritas est Homilia decima in Genesim, in qua Chrysostomus dicit, Deum à nobis nihil amplius petere, quàm vt delicta nostra cum lachrymis apud se confiteamur. Prima auctoritas Diui Augustini est in libro de Ecclesiasticis dogmatibus, capit. quinquagesimoquarto, vbi definiens satisfactionem, vt capit. præcedenti vidimus, dixit, *Pœnitentiæ satisfactio est causas peccatorum exscindere nec eorum suggestionibus aditum indulgere*. Secunda est ex eodem Diuo Augustino, sed in quo libro sit, non assignauit Caluinus, vt notauit Bellarminus de pœnitentia, lib. 4. cap. vlt. *Caro Christi, verum est, & vnicum pro peccatis sacrificium non modo ijs, quæ vniuersa in baptismate delentur, sed quæ passim ex infirmitate subrepunt, propter quæ vniuersa quotidie clamat Ecclesia. Remitte nobis debita nostra, & remittuntur per singulare illud sacrificium*. Hæc Hæretici. 8. Ratio. Auctoritates D. Ioa. Chrys. Auctoritates D. Augustini.

37 Verùm, quàm contraria, & repugnans hæc hæreticorum sententia sit sacris litteris, communi sententiæ Sanctorum Patrum, & toti Ecclesiæ Catholicę non est difficile ostendere. Primò ergo demonstrabimus fundamentum principale hæreticorum esse vanissimum, & oppositum eius esse verissimum. Secundò expressas auctoritates sacræ Scripturæ pro satisfactionibus pro pœna temporali adducemus. Tertiò adducemus auctoritates Patrum: & vltimò diffinitiones, & praxim totius antiquæ Ecclesiæ, & eorum obiectiones diluemus. Hæreticorum impietas refellit. Ordo dicendorum.

38 Quò ad primum. Fundamentum hęreticorum est, vt vidimus, meritum Christi esse infinitum, ipsum autem pro nobis gratis satisfecisse suis meritis, & iustitia: ideò non opus esse nostris meritis, & iustitia. At nos è contra sic arguimus. Licèt Christus meruerit pro nobis omnibus gratis, ac pro toto mundo, & meritum eius sit infinitum; tamen noluit hoc meritum nobis prodesse, nec applicari posse, nisi mediantibus nostris bonis operationibus, scilicet fide, spe, & charitate: præsertim sine pœnitentia de peccatis commissis, & operibus pœnalibus satisfactorijs: ergo. Assumptum probatur per varias sacrę Scripturæ auctoritates, quæ expresè dicunt, quòd & si Christus sufficienter satisfecit pro omnibus, & meruit vitam æternam omnibus: tamen noluit, nec vult illam applicari, nisi ijs, qui operibus bonis illam efficacem sibi efficiunt. Hebræorum 5. loquens Paulus de Christo, dicit. *Per passionem consumatus, factus est causa salutis omnibus obtemperantibus sibi*. Licèt ergo meritum Christi sit infinitum, & meruerit pro omnibus hominibus sufficienter propter valorem infinitũ sui meriti: tamen dicit Apostolus, q valet tantùm pro ijs, qui Christo obtemperant: ij autem obtemperant Christo, qui seruant eius mandata, & agunt pęnitentiam, vt videbimus: ergo. Matth. 28. postq resurrexerat dixit Apostolis, *Docentes eos seruare quæcunque mandaui vobis*. Ergo renatis imposuit, vt seruarent pręcepta sua: nõ pugnãt ergo inter se *obseruatio mandatorũ*, & 1. Ratio. Satisfactiones nostras non pugnãre cum merito infinito Christi, & gratuita redẽptione.

Mm 3 *meritum*

Match. 19. *meritum infinitum Christi*, sed simul stant. Matthei 19. *Si vis ad vitam ingredi serua mandata.* Mandatum aût Christi non solùm est prædicare; sed etiam illud Actorum 8. prolatum verbis Petri contra Simonem Magum, *Pœnitẽtiam age ab hac nequitia tua.* Vbi est obseruandum, quòd Petrus proponit Simoni Mago pœnitentiam agendam, vt remissionem peccati consequatur: tamen certè Petrus non propter hoc negabat peccatum illud Simonis Magi remitti gratuitò à Deo. Non pugnant ergo infinita, & gratuita satisfactio Christi, & satisfactiones fidelium. Apocalipsis 2. Ioan. iubet eum, qui à prima charitate exciderat, *vt Pœnitentiam agat, & prima opera faciat.* & tamen certum est Ioannem non negasse gratuitam, & infinitam satisfactionem Christi. Paulus 1. Corinth. 2. tradit Corinthium fornicatorium Sathanę in interitum carnis, vt Spiritus saluus fiat. Quem deinde 2. Corinth. 2. absoluit ne nimia tristitia submergeretur. Et tamen neque ipse Paulus negabat remissionem peccatorum factam per Christum esse infinitam, & gratis factam. Est ergo dicendum, quòd etsi Christus gratis mortuus est pro nobis, & eius meritum sit infinitum: tamen vult, vt nos quoque partes nostras agamus, atque eius passioni cooperemur bonis, & satisfactorijs operibus.

Actorum. Apocal. 2. 1. Cor. 2.

2. Ratio. Lucæ 22. Isaias 53.

39 Confirmatur secundò. Christus ipse, Lucæ 22. loquens de sanguine suo inquit, *Qui pro multis effundetur.* Non dicit, *pro omnibus*, sed *pro multis*; & rursus, *vt daret animam suam in redemptionem pro multis.* & Isaias 53. *qui tulit peccata multorum.* & omnes Hæretici cum Catholicis conueniunt, quòd Pater non acceptauit passionem suam pro omnibus, neque ipse Christus eam obtulit pro omnibus: sic enim omnes infideles, & omnes peccatores mundi saluarentur: quod tamen est falsum: neque hæretici concederent. Tunc quæro, cur non omnes saluantur? certè, quia non obediunt Christo: non applicant passionẽ Christi sibi per opera bona: neque illam faciunt sibi efficacem: neque custodiunt præceptum illud, *si vis ad vitam ingredi serua mandata. Pœnitentiam age*: si enim hęc obseruarent, non posset Christus Dominus non eis vitam æternam dare: dicere autem, quòd non possint adimplere, est blasphemia horrenda: quia esset dicere, quòd Christus Dominus præcepisset impossibilia, quod est blasphemia.

Matth. 19. Actorũ 1.

3. Ratio.

40 Tertiò. Quæro, cur Christus Dominus dixerit Matthæi 7. & 15. *Non omnis, qui dicit mihi Domine Domine intrabit in regnum cælorum, sed qui facit voluntatem Patris mei qui in cælis est ipse intrabit in regnum cælorum.* & rursus. *Discedite à me omnes operarij iniquitatis, nescio vos.* Certè nulla alia ratio assignari potest, nisi quia, non se exercuerunt in operibus bonis, ergo gratuita passio Christi, & meritum eius infinitum non excludit opera bona, & satisfactiones pro peccatis, alioquin omnes mali saluari possent: non exigit Christus solam fidem, sed opera bona; ergo illa vltra fidem sunt necessaria.

Sola fides nõ sufficit.

4. Ratio.

41 Quartò. Etsi Christus Dominus mortuus sit pro nobis, & gratis nobis meruerit redemptionem à culpa, & pœna debita pro peccatis, & meruerit nobis gloriam æternam, & eius meritum sit infinitum: tamen expresse conuenit cum genere humano, & fecit hanc transactionem, & pactum cum genere humano, quòd non vult hanc redemptionem, & meritum hominibus prodesse: nisi ipsi in se ipsos exerceant vindictam peccatorum, & pro illis satisfaciant: ergo satisfactiones nostræ sunt necessariæ. Antecedens probatur. Matthei 6. *Si dimiseritis hominibus peccata eorum dimittet, & vobis Pater cęlestis delicta vestra. Si autem non dimiseritis hominibus delicta sua, nec Pater vester dimittet vobis delicta vestra.* At Christus non requireret satisfactiones nostras si satisfactio nostra derogaret merito Christi. Deinde cur Christus ipse requirit hanc satisfactionem ab hominibus, & quidem sub hac conditione & pacto, quòd si non exhibeatur, non vult dare hominibus veniam, & redemptionem suam illis prodesse? Romanorum 8. inquit Paulus. *Fratres debitores sumus non carni, vt secundùm carnem viuamus: si enim secundùm carnem vixeritis, moriemini: si autem Spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis*; ergo secundùm Paulum meritũ Christi, etsi infinitum sit, nihil prodest ijs, qui secundùm carnẽ viuunt, & ex doctrina Apostoli ad fugiendam mortem ęternã requiritur, vt *mortificentur facta carnis (idest, & pęnalia*, per bona opera) *secundùm Spiritũ.* Istæ mortificationes carnis, quid quæsò sunt, nisi ista opera pœnalia, quas satisfactiones dicimus? Et rursùs ibidem paulò infrà. *Si autem filij igitur, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi: siquidem compatimur, vt, & conglorificemur.* Stant ergo simùl, quòd simus filij Dei, vtique per redemptionem, & meritum Christi, & tamen vt compatiamur Christo, atque per hanc compatientiam glorificemur; ergo ex Apostolo compati Christo per pœnitentiã, & opera pęnalia non derogatur merito Christi, nec illud destruitur, sed necessariò cum illo requiruntur ad hoc, vt pro nobis efficaciter illud meritum valeat. Idem Paulus 1. Corinth. 11. inquit. *Si nos ipsos iudicaremus, vtique a Domino non iudicaremur.* Hic Paulus apertè docet, eum, qui non vult iudicari, & puniri à Deo, debere iudicare, & punire seipsum, & vindictam Dei præuenire volũtariè: quia, qui se sic voluntariè iudicat, & punit, non punitur, nec iudicatur à Deo: voluntaria ergo satisfactio non repugnat merito Christi, sed ex Paulo maximè cum illa constat; atque quidem ita constat, quòd si eam non exhibeamus à Domino puniemur, & damnabimur.

Matth. 6. Roman. 8. 1. Cor. 11.

42 Ex dictis hucusque apertissimè patet, opera nostra pœnalia voluntariè assumpta, & satisfactiones nostras, non repugnare merito infinito Christi, & gratuitæ suæ redemptioni; & ideò fundamentum principale hæreticorum esse ruinosum, & falsissimum, & oppositum esse verissimum, scilicet ex pacto Dei satisfactiones ipsas esse necessarias ad applicandum nobis passionem, & meritum ipsum Christi, & ad vitam æternam consequendam actu, sine quibus meritum Christi nihil nobis iuuat. Si autem satisfactiones nostræ valent ad culpam tollendam, multò magis valere poterunt ad tollendam pœnam temporalẽ, quam aliquando dimissa culpa manere ostendimus, cap. præcedenti.

Pœnam dimissa culpa, remanẽtem, per satisfactiones redimi.

1. Auctoritas. Matt. & Lucæ 3.

43 Adduximus etiam eodem cap. quasdam auctoritates, quibus apertissimè probatur, pœnas temporales debitas culpis post remissionem culpæ per certa opera pœnalia, & satisfactiones remitti: nunc præter illas adhuc istas profero. Primò, Matthæi, & Lucæ 3. Ioannes Baptista reprehendens Iudæos de eorum peccatis, inquit. *Genimina viperarum, quis ostendit vos fugere a ventura ira? facite ergo fructus dignos pęnitentiæ.* Patet autem ex textu illo, quod illæ turbæ iudeorum habebant contritionem de eorum peccatis; nam veniebant ad Ioannem, vt ab illo baptizarentur, & petebant à Ioanne quomodo possent euadere iram Dei, & Ioan. eos hortatur ad pœnitentiã. Quòd hęc vera sint patet: nam verba textus antecedentia sunt. *Dicebat ergo ad turbas quæ exibant, vt baptizarentur ab ipso. Genimina viperarum*, &c. & infrà. *Et interrogabant eũ turbæ, dicentes. Quid ergo faciemus? Respondens autem dicebat illis qui habet duas tunicas det non habenti*, &c. Per pęnitentiæ autem fructus non potest intelligi nouitas vitæ, & obseruatio legis diuinæ tantùm; sed intelliguntur opera veræ pœnitentiæ; at opus verę pœnitentiæ, non est solùm cessare ab offensa illius, quem quis offendit, sed dolere, & damnum resarcire, & iniuriam compensare, mala facta corrigere, & emendare: & certè eum, qui non vult potens iniuriam illatam, & damnum resarcire, non pœnitet, nec facit fructum dignum pœnitentiæ.

Philippi Melanctonis responsio.

44 At vlteriùs, Philippus in Apologia confessionis Augustanæ nititur probare, hanc auctoritatem non facere ad propositum pro satisfactionibus: quia inquit satisfactiones, quas vos catholici ponitis, sunt opera indebita, & auctoritas hæc loquitur de operibus debitis: quia vox illa, agite pœnitentiam, vox pręcepti est. At respondemus, satisfactiones quidem esse de operibus indebitis, absolutè

Refutatio.

loquen-

loquendo, debitis tamen ex suppositione peccati, ideſt ſi homo non peccaret, nullum eſſet preceptum de operibus ſatisfactorijs: quia pęnitentia, & ſatisfactio pręſupponit culpam, & peccatum: at poſito peccato neceſſaria eſt ſatisfactio, & opera pęnalia, quibus pro culpis peccator ſatisfacit, cadant ſub pręcepto. Et hoc eſt quod nos dicimus hominem poſt peccatum teneri ad opera pęnalia, quibus ſatisfaciat pœnis debitis pro culpis ex pręcepto Chriſti, atque illa exhibendo verè ſatisfacere, & adimplere pręceptum.

Alia obiectio Melanctonis.

45 At rurſus obijcit Melancton. Indulgentiæ ſecũdùm catholicos remittunt illas pœnas, & ſatisfactiones, vt docet caput, *Cum ex eo, de pœnit. & remiſſ.* at indulgentiæ nõ ſoluunt nos ab illis pręceptis, *facite fructus dignos pęnitentiæ, agite pęnitentiam*, &c. ergo malè detorquentur illa dicta ſcripturæ ad canonicas ſatisfactiones.

Solutio.

46 Reſpondetur immò indulgentias nos liberare ab obſeruatione illius pręcepti de faciendis fructibus pœnitentiæ; ſicut ſi quis ſit debitor alicui centum, & ille creditor condonet debitum debitori, debitor liberatur ab obligatione reddendi centum, & ſatisfaciendi creditori: ſic in propoſito per indulgentias remittuntur pœnæ debitæ pro peccatis ipſis peccatoribus. & ſic liberantur ab obligatione ſatisfaciendi per opera illa pœnalia, quibus aliàs ſine indulgentijs tenebantur. Indulgentiæ autẽ non deſtruunt pręceptum de ſatisfactione; neque faciunt quòd qui ſuſcipiunt indulgentias verè non ſint obligati Deo ſatisfacere; ſed faciunt, vt non ſint ampliùs debitores obligati: quia Pontifex concedendo indulgentias liberat debitores ab illis pœnis, quaſi ſoluendo pro eis pœnas debitas ex meritis Chriſti.

Alia obiectio Melanctonis.

47 Obijcit tertiò. Si ſenſus iſtarum auctoritatum eſſet, vt homines ſatisfacere tenerentur pro peccatorum pœnis, ſequeretur etiam, vt ſenſus harum auctoritatum eſſet, *facite fructus dignos pęnitentiæ*, ideſt patiamini pœnas Purgatorij poſt hanc vitam.

Solutio.

48 Reſpondeo inſulſam eſſe hanc conſequentiam Philippi, & eam optimè retorquet Bellarminus in Melanctonem lib. 4. de pœniten. cap. 13. Sed etiam illam admittendo nihil habet Melancton contra nos: nam conceſſa illa conſequentia ſenſus argumenti eſt hic. Si ſenſus harum auctoritatum eſſet, vt homines ſatisfacere teneantur pro peccatorum pœnis; ſequeretur etiam, vt ſenſus harum auctoritatum eſſet facite fructus dignos pœnitentiæ, ideſt patiamini pœnas Purgatorij, niſi priùs in hac vita per fructus pœnitentiæ ſpontè pro illis pœnis ſatisfeceritis, qui ſenſus eſt verus, & facit pro nobis. Adducit deinde argumentum aliud: remiſſionem peccatorum factam eſſe gratis, &c. Sed hoc ſuprà iam confutatum eſt.

Secũda auctoritas ex Paulo ad Roman. 6.

49 Secundo loco ſit auctoritas Pauli ad Romanos 6. vbi dicit. *Humanum dico propter infirmitatem carnis veſtræ: ſicut enim exhibuiſtis membra veſtra ſeruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem: ita nunc exhibete membra veſtra ſeruire iuſtitiæ in ſanctificationem.* Certum eſt, hic Paulum loqui ad eos, qui priùs peccauerant, & iam à peccatis receſſerant per pęnitentiam, & proinde illis culpa dimiſſa fuerat; dicit enim. *Sicut exhibuiſtis membra veſtra ſeruire iniquitati.* & infrà. *Cum enim ſerui eſſetis peccati, liberi fuiſtis iuſtitiæ.* Erant ergo liberi à culpa, & tamen hortatur eos exhibere membra ſua *ſeruire iuſtitiæ in ſanctificationem*, & hoc ad compenſandam iniquitatẽ, & immunditiam præteritam; inquit enim. *Sicut exibuiſtis membra veſtra ſeruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra veſtra ſeruire iuſtitiæ.* & infrà. *Quem ergo fructum habuiſtis tunc in illis, in quibus nunc erubeſcitis?* Nam finis illorum mors, nunc verò liberati à peccato, ſerui autem facti Deo, habetis fructum veſtrum in ſanctificationem, finem verò vitam æternam.

Iſaiæ 1.

50 Tertiò ſit auctoritas Iſaiæ 1. *Lauamini*, inquit, *mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis, quieſcite agere peruersè, diſcite benefacere, quærite iudicium, ſubuenite oppreſſo, iudicate pupillo, defendite viduam. Et venite, & arguite me, dicit Dominus, ſi fuerint peccata veſtra, vt coccinum, ſicut nix dealbabuntur*, &c. hoc loco quem Caluinus pro ſe adducit lib. 3. inſtitut. cap. 4. §. 29. Propheta apertè oſtendit, qua lege Deus peccata dimittat, & perfectè dimittat, & deleat. Lex autem eſt, quòd priùs peccator lauetur, & mundetur à peccato. Hoc certè non poteſt fieri, niſi per lacrymas contritionis. Secundò ceſſet ab operibus malis. Tertiò, agat opera pœnitentiæ, quibus pro pœna temporali ſatisfaciat. *diſcite*, inquit, *facere benè, quærite iudicium, ſubuenite oppreſſo*, &c. quæ ſunt opera ſatisfactoria. Deinde his peractis, inquit Dominus. *venite, & arguite me, niſi pęnitus & omninò vobis dimiſero peccata veſtra*, ſcilicet quò ad culpam, & pęnam, & nihil ampliùs à vobis pro illis exquiram. Vbi habes etiã veram dimiſſionem, & mundationem à peccatis, non autem ſolùm non imputationem, vt volunt hæretici: nam dicit *ſi peccata veſtra fuerint ſicut coccinum, ſicut nix dealbabuntur*; ergo non tegentur, & non imputabuntur, ſed verè delebuntur.

Ex 2. Corinth. 7.

51 Quarto loco ſit auctoritas Pauli 2. Corinth. 7. in illis verbis. *Quæ ſecundùm Deum triſtitia eſt pęnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur*: ſæculi autem *triſtitia mortem operatur. Ecce enim hoc ipſum, ſecundùm Deum contriſtari vos, quantã in vobis operatur ſolicitudinem, ſed defenſionem, ſed indignationem, ſed timorem, ſed deſiderium, ſed vindictam.* hoc in loco Paulus docet *triſtitiam*, quæ eſt *ſecundùm Deum*, quam communiter appellamus *contritionem* operari in nobis pęnitentiam ſtabilem, & non pęnitendam: dolor enim, & triſtitia propter Deum offenſum, & non propter res humanas, vel temporales, inquit Paulus, eſt, quæ facit veram, & perfectam pœnitẽtiam. Quam propoſitionem probat exemplo Corinthiorũ: quia enim habuerunt hanc triſtitiam propter Deũ, hæc triſtitia cauſauit in eis *ſolicitudinem*, ideſt ſtudium, affectum circa res diuinas; *ſed defenſionem*, ideſt coram Deo deprecationẽ, qua ſe defendant, *ſed indignationem* de præterito peccato conceptam; *ſed timorem*, ne in eumdem lapidem poſtea impingerent. *ſed deſiderium*, nouæ vitæ in eundẽ, Deoque per omnia placendi; *ſed æmulationem*, ſcilicet gloriæ Dei, *ſed vindictam*, ideſt aduerſum ſemetipſos, veluti iudicium exercentes, & vindictam ſumentes per ſatisfactiones pęnales. Hic eſt ſenſus apertus verborum horum D. Pauli, vbi duo præſertim conſideranda ſunt. Primùm quòd ait dolorem, & triſtitiam operari ſalutem, quod hæretici negant, dùm negant cõtritionem eſſe cauſam ſalutis noſtræ, & ſolæ fidei hanc cauſalitatem tribuunt, quæ verba Pauli ſunt adeo efficacia, vt coactus fuerit Caluinus in eum locum dicere, dolorem hũc, & triſtitiam eſſe *inſtar viæ qua ad ſalutem peruenimus*. addit etiam, *& per pęnitentiam renouati*. Vbi fatetur coactus nos per pęnitentiam renouari; & deinde à peccatis liberari, & ſic pęnitentiam eſſe viam ad iuſtificationem, licèt deinde neget eſſe cauſam iuſtificationis, & dicat ſolum meritũ Chriſti eſſe cauſam illius: nam cum fateatur pęnitentiam eſſe viam ad iuſtificationem, certè fatetur eſſe cauſam iuſtificationis. Quòd autem paſſio Chriſti quoque ſit cauſa, & cauſa principalis eiuſdem iuſtificationis, hoc non tollit: quin etiam dolor, & contritio ſit quoque cauſa. Paſſio enim Chriſti eſt cauſa principalis: contritio autem eſt cauſa ſecundaria, & minus principalis, ſed cauſa meritoria: & quidem quòd ſit cauſa, & realis, docet apertè Paulus, inquit enim, *triſtitiam ſecundùm Deum pęnitẽtiam in ſalutem ſtabilem operatur*: ſi ergo operatur pęnitentiam *in ſalutem*; ergo eſt vera cauſa ſalutis. Et confirmatur; quia adiungit. *Sæculi autem triſtitia mortem operatur*: at ſæculi triſtitia ſic mortem operatur, vt ſit vera cauſa mortis: quia ex amore ſæculi illa proficiſcitur, qui planè mortiferus eſt, iuxtà illud Iacobi 1. *Qui vult amicus huius ſæculi eſſe inimicus Dei cõſtituitur.*

Satisfactio eſt effectus cõtritio...

52 Vltima verò particula illa, *ad vindictam*, apertiſſimè oſtendit vnum effectum contritionis eſſe ſatisfactionem, quæ eſt vindicta, & exercitium iudicij proprij in ſemetipſum. Quod autem talis vindicta ſit ſatisfactio ne-

cessaria

cessaria ad tollendum peccatum, non autem tantùm admonitio, & excitatio, vt ludit impostor Caluinus ad illa verba Pauli 1. Corinth. 11. *Si nos ipsos iudicaremus, vtique à Domino non iudicaremur*, patet. Cõstat enim quòd dum Deus nos castigat, non facit tantùm, vt nos à torpore excitet, sed vt verè puniat, ac per pœnas nos cogat eius iustitiæ satisfacere. Illa enim est vox Domini. *Ego sum Dominus Deus tuus, Deus Zelator reddens iniquitatem Patrum super filios in tertiam, & quartam generationem*. & rursus

Roman. 1.

Romanorum 1. *Reuelatur enim ira Dei de cęlo super omnem impietatem, & iniustitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in iniustitia detinent*. Iudicium ergo Dei, & castigatio eius non est tantùm excitatio à torpore, sed est vera punitio: & proinde nostræ satisfactiones, quibus ipsius iudicium præuenimus sunt punitiones, & satisfactiones meritoriæ: quia voluntariè assumptæ. Licèt veritate coactus Caluinus lib. 3. institut. cap. 3. §. 15. tractans locum illum Apostoli 2. Corinth. cap. superiori adductum, apertè fateatur per vindictam intelligere pęnam: ait enim. *Postrema est vindicta, quo enim seueriores in nos sumus, & acriore censura quæstionem habemus de peccatis nostris, eo sperare debemus magis propitium, ac misericordem Deum, & certè fieri non potest: quia anima diuini iudicij horrore perculsa, partes vltionis in exigenda de se pœna occupet*. Alia possent adduci, sed breuitatis causa omitto.

Caluin. cõfitetur vindictam Dei eẽ exactionem pœnæ p peccatis.

Opera pœnalia posse iniungi à sacerdotibus pro pęnis temporalibus, & solutio rationum hereticorum.
Caput Tertium.

Satisfactionẽ rectè imponi posse à sacerdotibus.

53 Hucusque ostensum est opera laboriosa spõte assumi posse, & esse satisfactiones pro peccatis, tã pro culpa, quã pro pęna tẽporali, dimissa culpa. Nunc breuiter ostendendum est eadem opera pęnalia posse iniungi à sacerdotibus ad expiandas pęnas temporales, quæ propriè est tertia pars pęnitentiæ, quæ dicitur satisfactio. Hoc ergo probatur primò ex verbis illis Euangelij Matthei 16. & 18. *Quodcunque ligaueris*, &c. & *quæcunque alligaueritis*, &c. Nam vt rectè Concilium Tridentinum sess. 14. can. 15. docet. Claues datæ sunt sacerdotibus non solùm ad soluendum, sed etiam ad ligãdum: sicuti ergo soluunt dùm absoluunt peccatorem à culpa, & à pęna æterna; ita etiam ligant peccata, & retinent dum imponunt mulctã, & pęnam temporalẽ pro peccatis. Hic locus certè est adeò euidens, vt nullus euidentior esse possit.

Matth. 16. & 18.

Ex Patrib. idem probatur.

Tertullianus.

54 Confirmatur ex traditione antiquæ Ecclesiæ, quæ hanc veritatem semper tenuit, ac docuit. Omissis pluribus Patribus ex primo sæculo, adduco antiquissimum Tertullianum, qui in libro de pęnitentia post medium inquit. *Offendisti, sed reconciliari adhuc potes*. & infrà, *Is actus qui magis græco vocabulo exprimitur & frequentatur exomologesis est, qua delictum domino nostrum confitemur, non quidem, vt ignaro, sed quatenus satisfactio confessione disponitur, confessione pęnitentia Deus mitigatur, itaque exomologesis prosternendi, & humilificandi hominis disciplina est* &c. *plerumque verò ieiunijs pręces alere, ingemiscere, lacrymare, & mugire dies noctesque ad Dominum Deum tuum pręsbyteris aduolui, & aris Dei adgeniculari omnibus fratribus legationes deprecationis suæ iniungere*. vides Tertullianum hic loqui de confessione, quæ nedum fit Deo, sed pręsbyteris, & sacerdotibus. *Pręsbyteris aduolui*, ait, & de satisfactione imposita à præsbyteris.

Nec loquitur de confessione publica, & de peccato publico, quo Ecclesiæ offensa illata sit: nec enim vnum verbum habet ibi Tertullianus de huiusmodi peccatis; sed loquitur de peccatis in communi operis, & cordis, & quomodocunque commissis etiam secretis: nam circa mediũ habet hæc verba. Quid denique ait? *Nihil occultum, quod nõ reuelabitur quantascunque tenebras factis tuis superstruxeris, Deus lumen est*.

Origenes.

55 In sæculo secundo Origenes Homil. 6. in Exodum sic loquitur. *Si quis fortè huiusmodi pecunia a Diabolo deceptus accepit, non usquequaque desperet: misericors enim, & miserator Dominus, & creaturę, suæ non vult mortem sed ut conuertatur, & uiuat, pęnitendo, flendo satisfaciendo deleat, quod admissum est*. Loquitur de peccatis etiam occultis, & coram Deo, non autem solùm coram Ecclesia. & Homilia 2. in Leuiticum. *est adhuc septima licèt dura & laboriosa, per pęnitẽtiam remissio peccatorum, cum lauat peccator lacrymis stratum suum, & fiunt ei lacrymæ suæ panes die ac nocte, & cum non erubescat sacerdoti Domini indicare peccatum, & quærere medicinam*, &c. *Si in amaritudine fletus, luctu, lacrymis, & lamentationibus confectus fueris, si carnem tuam maceraueris, & ieiunijs ac multa abstinentia aridam feceris, & dixeris, sicut frixorium confrixa sunt ossa mea, tunc sacrificium similam a sartagine, uel a graticula obtulisse te noueris*. Hic habes voluntariam satisfactionem per opera pęnalia esse sacrificium placans Deum. Habes etiam satisfactionem imponi à sacerdote in confessione pro peccatis occultis confessis. Inquit enim, *& cum non erubescit sacerdoti Domini indicare peccatum, & quærere medicinam*. Habes etiam satisfactionem imponendam, quæ est medicina, quam pęnitens à confessario expectat.

56 Sæculo tertio, D. Cyprianus sæpissimè loquitur de satisfactione pro peccatis, sed pręsertim epist. 26. Valdè lætatur, quòd quidam lapsi ei scripserunt se agnoscere peccatum suum, humiliter pacem, & satisfactionem petentes ab eo; ergo signum est, quòd recipiebãt satisfactiones in confessione à sacerdotibus, quæ valebant coram Deo. Verba eius sunt. *Scripserũt autem mihi nuper quidam de lapsis humiles mites*, &c. *quæ illi cogitantes, & quamuis libello a martiribus accepto, ut tamen a Domino satisfactio admitti possit orantes scripserunt mihi, se delictum suum agnoscere, & pęnitentiam ueram agere, nec ad pacem temerè, aut importunè properare, sed expectare pręsentiam nostram; dicentes pacem quoque ipsam si eam nobis pręsentibus acceperint dulciorem sibi futuram*. nota illa verba, *ut tamen a Domino satisfactio sua admitti*; ergo satisfactio valet coram Domino; non autem tantùm coram Ecclesia, & satisfactio imponitur, seù accipitur de manibus Episcopi, vel sacerdotis. Si quidem isti lapsi scripserunt D. Cypriano, & libentiùs accipiebant ipsam satisfactionẽ de manu D. Cypriani, quàm sacerdotum eius.

Cyprianus

57 Omitto innumeras auctoritates Sanctorum, quibus habetur lapsos in idolatriam non reconciliari potuisse Ecclesię, nec pacem habere, nisi mediante satisfactione imposita à sacerdotibus: patet autem eam reconciliationem fuisse, nedùm coram Ecclesia, sed coram Deo. Antecedens probatur præsertim ex Cõcilio Niceno 1. can. 11. vbi habet hæc verba. *De ijs, qui sine necessitate, vel sine facultatum suarum ablatione, vel sine periculo vllo, uel aliquo eiusmodi transgressi sunt. Quòd sub Lycinij tyrannide factũ est, Synodo visum est, etsi humanitate indigni sunt, clemẽtia tamen, & benignitate eos uti. Quicunque ergo germanè, & uerè pęnitentia ducuntur, tres annos inter auditores exigent, ut fideles, & septem annis prosternentur supplices, duobus autem annis absque oblatione erunt orationum cum populo participes*. Similes auctoritates in Cypriano, & Patribus illorum trium priorum sæculorum multæ habentur, vt apud Gregorium Neocesariensem, canon. 11. Petrum Alexandrinum de pœnitentia can. 1. Concilium Anciranum can. 4. Ego solum adduco auctoritates, quæ in particulari loquuntur de satisfactione imposita à sacerdotibus in sacramentali cõfessione; & alijs omissis, quæ apud Bellarminum, & Iodocum Çotium reperiri possunt, Hæ adhuc aliæ sufficiant.

Satisfactio imposita lapsis in Cõcilio Niceno.

58 D. Augustinus homilia 50. cap. 15. habet hæc verba. *Non sufficit mores in melius commutare, & a factis malis recedere, nisi etiam de his, quæ facta sunt, satisfiat Deo per pęnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium cooperãtibus eleemosinis*. & cap. 4. rem totam explicat. *Iudicet*, inquit, *seipsum homo, dum potest, & mores conuertat in melius, ne cum iam non poterit*

D. August.

etiam

etiam pręter uoluntatem a Domino iudicetur, & cum in ſe protulerit ſeueriſſimæ medicinæ ſententiam, ueniat ad Antiſtites, per quos illi in Eccleſia claues miniſtrantur, & tanquam bonis iam incipiens eſſe filius maternorum membrorum ordine cuſtodito a Præpoſitis Sacrorum accipiat ſatisfactionis ſuæ modum, vt in offerendo ſacrificio cordis contribulati deuotus, & ſupplex; id tamen agat, quòd non ſolùm illi proſit ad recipiendam ſalutem, ſed etiam cęteris ad exemplum. Hic vides Diuum Auguſtinum loqui de peccatis in genere, non ſolùm de publicis, & ſcandaloſis, vides etiam eum aſſerere, hominem poſt contritionem illorum accedere debere ad Antiſtitē, atque ab illo ſuſcipere ſatisfactionis modum, per quam reconciliatur non ſolùm Eccleſię, ſed coram Deo, inquit.n. *proſit ad recipiendam ſalutem*, quæ eſt vtique à Deo, & licèt hortetur etiam ad pœnitentiam publicam, quæ proſit alijs ad exemplum: tamen, vt dixi ſuprà agendo de confeſſione, non cogit pęnitentem ad hanc pœnitentiam, & ſatisfactionem publicam; ſed ſolùm hortatur ad eam, ſi ſacerdos, & Antiſtes iudicauerint expedire pœnitentiam, & ſatisfactionem publicam fieri. Ex quo elicitur, quòd pœnitentia, & confeſſio ſecreta præcedebat publicam cōfeſſionem, & non imponebatur, niſi priùs habita confeſſione ſecreta confeſſarius iudicabat expedire ad exemplū aliorum confeſſionem, & ſatisfactionem publicam fieri.

S. Leo.

59 Tandem Leo Primus Papa, qui floruit anno 450. epiſt. 91. ad Theodorum Foroiulienſem Epiſc. cap. 2. ait, *Mediator Dei, & hominum homo Chriſtus Ieſus hanc Prępoſitis Eccleſiæ tradidit poteſtatem, vt confitentibus actionem pœnitentiæ darent, & eoſdem ſalubri ſatisfactione purgatos ad communionem ſacramentorum per ianuam reconciliationis admitterent.*

Hęretici fatentur ſatisfactionē agnitā fuiſſe Patribus antiqs, ſed eos erraſſe

60 Alios Patres omitto: quia, etſi Lutherus artic. 5. & Philippus Melancton in Apologia Confeſſionis Auguſtanæ, art. de Confeſſione, & Satisfactione negent, apud Patres reperiri doctrinam hāc catholicam de ſatisfactione, immò apud Petrum Lombardum; tamen poſteriores hæretici eos mendacij arguunt præſertim Illiricus centuria 3. 4. & alijs. & Caluinus lib. 3. Inſtit. cap. 3. §. 16. licèt dementiſſimè aſſerant omnes Patres erraſſe, & vnum Lutherum melius illis intellexiſſe ſcripturam, & traditiones veræ Eccleſiæ.

In quib. cōſiſtit ſatiſfactio. Satisfactio conſiſtit in ieiunio, oratione, & eleemoſina.

61 Ex dictis hucuſque contra hæreticos patet neceſſariam eſſe ſatisfactionem, ideſt operationem pęnalem, & quòd hæc ſatisfactio verè reconciliat nos Deo, & delet peccatorum pœnas temporales, dimiſſa culpa. Patet etiā ex dictis, in quibus conſiſtat hæc ſatisfactio: cōſiſtit enim in trib. ſ. in *ieiunio, oratione, & eleemoſina*, & alijs operib. pœnalibus concomitantibus iſta tria opera difficillima, vt dictum eſt cap. præcedenti.

Ratio Scoti eſt hæc. Diſtinguendo opus exterius pęnale, & paſſionem exteriorem contra actum, vel paſſionem interiorem mentis, & contra actum oris, qui eſt cōfeſſio, & paſſionem concomitantem confeſſionem, quæ eſt illa verecundia, & rubor, ſatisfactio non poteſt conſiſtere, niſi in iſtis tribus operibus difficilibus in *ieiunio, oratione*, & *eleemoſina*, & *paſſionibus voluntarijs* illas *concomitantib.* vt ſunt aliæ macerationes carnis, vt dictum eſt cap. præcedenti. An verò cuilibet peccato correſpondeat propria ſatisfactio, vel non, dictum eſt in primo cap. An verò requiratur vt ſatisfaciens ſit in gratia: quod pertinet ad 5. artic. dicàm in ſequentibus cum catholicis Doctoribus. Nunc ad obiectiones hæreticorum eſt reſpondendum.

Ad 1. rationem pro hęreticis.

62 Ad primam rationem pro hæreticis, ſatis ſuperq. patet ex dictis, fundamentum eorum eſſe erroneum, & falſiſſimum. Reſpondetur ergo, quòd eſſet arrogans, & temeraria, immò impia aſſertio catholicorū ſi diceremus, opera noſtra excluſo merito Chriſti eſſe ſatisfactoria: at dicendo, quòd habent totum ſuum valorem ex merito Chriſti, & ex ſe nullius valoris ſunt: ſed quòd tamen ex decreto, & ordinatione Chriſti requiruntur ad ſatisfactionem faciendam Deo pro peccatis noſtris, & eorum pęnis, atque quòd ex pacto, & acceptatione benigniſſima Dei ſunt meritoriæ, nullam habet arrogantiam, neque merito Chriſti infinito derogat, neque contradicit Paulo, neque abutimur meritis Chriſti, nec eludimus paſſionem eius, vt faciunt hæretici noſtrorum temporum, qui ex eo, quòd Chriſtus mortuus eſt gratis pro nobis, inferunt nos nō debere eniti facere opera pœnalia, nec pro peccatis, & offenſionibus factis Deo dolendum eſſe; ſed oportere nos hilarem vitam in voluptatibus ducere, & ſolam fidem, ſeu fiduciam, quòd Chriſtus mortuus eſt pro nobis ſufficere.

63 Ad ſecundum reſpondetur in eis, qui ſunt mēbra Chriſti, verè nihil damnationis remanere; ei enim, qui ſit membrum Chriſti, dimittitur culpa: dimiſſa autem culpa, nihil damnationis remanet, ideſt nihil maledictum, & Deo oſum: ſed eſt totus gratus Deo: illa enim pęna temporalis non facit illum ingratum Deo, vt patet de Dauid, & alijs, quib. culpam dimiſit, & reliquit pœnam temporalem: & tamen erant grati Deo, & filij Dei. Pęna autem illa purgatur, non quia ſit aliquid damnationis, ſed vt ſatiſfiat iuſtitiæ diuinæ, quæ vult culpam ordinari per pęnam, iuxta illud Apocal. 18. *Quantùm glorificauit ſe, & in delitijs fuit, tantùm date ei tormētum, & luctum.* Poteſt etiam dici, & ad intentionem Pauli, & textus illius, quòd loquitur de baptizatis, qui deinde innocenter viuunt: inquit enim. *Nihil ergo damnationis eſt ijs, qui ſunt in Chriſto Ieſu, qui non ſecundùm carnem ambulant.* In baptiſmo enim remittitur omnis culpa, & pęna, nedùm æterna, ſed temporalis; at ſacramentum pęnitentiæ remittit quidem culpā, ſed remanet pęna temporalis ſoluenda, ad quam ligatur peccator in ſacramentali abſolutione à ſacerdote, neque hæc pugnant, vt dictum eſt, quia Deus, qui dixit, *Ego ſum, qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorū non ero memor.* Iſaiæ 43. dixit etiam Danielis 4. *Peccata tua eleemoſinis redime.* & Lucæ 7. *Remittuntur ei peccata multa quia dilexit multum.* & Matth. 18. *Quæcunque alligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cęlis*, &c. Ad ſecūdū

64 Ad tertium. Ex dictis patet falſiſſimum eſſe nomē *ſatisfactionis* non reperiri in ſacris ſcripturis: adduximus enim multas auctoritates, in quibus hæc *ſatisfactio*, & *redemptio* peccatorum per *eleemoſinas*, & *opera pœnalia* ſignificantur. Sed dato, quòd nomen *ſatisfactionis* in hac ſignificatione, vt eſt tertia pars pœnitentiæ, non haberetur, hoc nihil nobis obeſt: quia habetur res ipſa, vt oſtēſum eſt ex Euangelio, *Quodcunque ſolueritis*, &c. & *Quodcunque ligaueritis*, &c. & ex ſanctis Patribus, & Praxi, & traditione Eccleſiæ idem oſtenſum eſt. Ad tertiū.

65 Ad confirmationem patet per idem. *Satisfactio* enim Chriſti eſt cauſa, propter quam liberati ſumus à culpa, & morte æterna, & à ſubiectione Sathanæ: per ipſum etiam habemus, vt liberemur, nedùm à culpa; ſed etiam à pœna; quoniam per meritum Chriſti habemus gratiā, qua mediante efficere poſſumus opera pœnalia, quæ grata ſint Deo, & per illa ſatisfacere poſſimus Deo: & ſic ex morte Chriſti habemus omnia; tamē cum hoc ſtat, quòd illa opera ſint neceſſaria, quia ipſe, non obſtante hac ſua gratuita redemptione voluit nos obligare ad huiuſmodi ſatisfactiones, vt vidimus. Ad confirmationem

66 Quòd verò ait conſcientiam peccatoris nunquam habituram pacem propter multitudinem peccatorum, & pœnarum debitarum. Reſpondetur ſatis conſolationis habere animam peccatricem, quando ſcit culpam eſſe dimiſſam, & remanere pœnam temporalem ſoluendam tantùm; ſcit enim quantamcunque magnam pœnā purgandam in purgatorio, & pro quantumcunque graui peccato in hac vita operibus pœnalibus poſſe dimitti, & ſolui.

67 Ad quartum reſpondetur ad Ezechielem, eum intelligere, quòd impietas impij non nocebit poſt cōuerſionem; non quia omninò nihil ei noceat, nec vllam pęnam luere debeat; eadem enim ſacra ſcriptura docet, quòd Deus multos Sāctos poſt conuerſionē, vt Moyſen, Aaron, Dauid, pœna temporali puniuit, vt viſum eſt ſuprà, ſed Ad quartū.

intendit,

intendit, quòd ei non nocebit ad consequendam vitam æternam, sicut nec bona opera iusti, post lapsum in peccatum, iuuant illi ad pęnam æternam fugiendam; licèt iuuēt ad aliquod temporale bonum consequendum. Eodem modo respondetur ad alias auctoritates adductas. *Deus proijcit peccata post terga; proijcit in mare; tegit*, &c. intelliguntur enim quò ad damnationem æternam, non quò ad temporalem punitionem. Vnde D. August. qui interpretatur per *tegere peccata*, non punire, in Psalmo 50. inquit. *Non impunitum erit peccatum meum; sed ideo nolo, vt tu punias: quia ego peccatum meum punio.* & ibidem *veritatem dilexisti, hoc est impunita peccata eorum, quibus ignoscis non dimisisti; sic prerogasti misericordiam, vt seruares veritatem*. Ex quo apertè patet, quòd apud Diuum Augustinum tegere peccata non est nullo modo punire, sed non punire æternaliter; vel non punire temporaliter, si peccator seipsum puniat.

68 Illæ auctoritates verò Isaiæ 1. *Si fuerint peccata vestra, vt coccinum, quasi nix dealbescent, & rubuerint, vt vermiculus erunt quasi lana.* & Hieremiæ 50. *In illa die requiretur iniquitas Iacob, & non inuenietur; peccatum Iudæ, & non erit: quia propitiabor reliquiis, quas seruauero.* & similes intelliguntur de ijs peccatoribus, qui perfectam pęnitentiam agunt; idest per contritionem lauāt animam à culpis; & in operibus bonis se exercent; & faciunt fructus dignos pęnitentiæ, vt exponit D. Hieronymus: his enim Deus promittit plenariam remissionem, scilicet culpæ, & pęnæ etiam temporalis; non autem de illis qui non ita perfectam contritionem habent, neque in operibus pęnalibus se ita exercent: habent tamen dolorem de peccatis, saltem imperfectum, qui est attritio, & accedunt ad sacramentum pęnitentiæ, ad quos Paulus, vt suprà vidimus, dixit Rom. 6. Sicut exhibuistis membra vestra seruire iniustitiæ, & iniquitati ad iniquitatem; ita nunc exhibi membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem.

Ad quintū. 69 Ad quintum respondetur, potuisse Dominum dimittere peccatum adulteræ sinè vlla satisfactione temporali; quia erat Dominus; non sic ministri eius, qui debent in dimittendis peccatis seruare regulam sumptam à vetustissimo vsu omnium Ecclesiarum, à communi Patrum Latinorum, & Grecorum consensu, qui fundatur in lege pręscripta à Christo Domino. *Quęcunque alligaueritis super terram*, &c. Matth. 18. & de qua habemus exempla in scriptura, vt visum est de Moyse, Aarone, Dauide in scriptura veteri, & in nouo de fornicario tradito Sathanæ prima Corinth. 5. & absoluto 2. Corinth. cap. 2. de Iudæis pęnitentibus. Lucæ 3. & similibus. Ad exemplum verò de Publicano, Petro, & de Paralitico respondetur non constare, an Dominus eis aliquam pęnam temporalem imposuerit. Habetur, quòd dimisit peccata; an verò dimiserit etiam pęnam temporalem, non constat. Deindè non est mirum, quòd Dominus ipse, qui venerat saluare mūdum, & ad ostendendum se filium Dei, & Dominum mortis, & vitæ, in vita sua dimiserit aliquibus peccatoribus culpā, & pęnam simùl, vt latroni in cruce. At hoc non pertinet ad regulam ordinariam seruandam, & pręscriptam suæ Ecclesiæ. Deinde dicimus nos Catholici quod dolor, & contritio de peccatis potest esse tanta, vt simùl dimittat culpam, & pęnam totam; cum autem constet de contritione, tàm vehementi Publicani, Petri, Magdalenæ, & similium, iurè possumus dicere, quòd Christus Dominus non imposuit eis pęnam temporalem: quia tota per contritionem erat deleta: & propter hoc *lacrymas*, legimus, *satisfactionem* non legimus, quia illa in lacrymis computabatur.

Ad sextū. 70 Ad sextum respondetur nobis sufficere, quòd Christus pręscripserit, & ordinauerit pro peccatis esse iniungendam satisfactionem; licèt modum deinde non determinauerit, sed reliquerit hunc in arbitrio Ecclesiæ, sicut de multis alijs rebus accidit, vt Sanctus Augustin. testatur in epistola 86. ad Cassulanum *de ieiunio*, & epistola 118. ad Ianuarium *de sumenda Eucharistia*: attamen non est difficile in diuinis litteris ostendere mulctam septem annorum pro peccato. lib. 2. Regum cap. 24. cum Dauid peccasset, & pęnituisset de peccato orans. *Precor Domine*, inquit, *vt transferas iniquitatem serui tui: quia stultè egi nimis*. Deus autem ei imposuit pęnam septem annorum, aut si mallet aliam breuiorem, sed duriorem trium mensium; aut denique aliam breuissimam trium dierum, sed grauissimam. Dan. 4. Nabuchodonosor Rex pro peccato superbiæ septem temporibus, idest septem annis grauissimam pęnam ordinatione diuina tulit. Quòd verò pro diuersis peccatis differentes pęnitentiæ, & satisfactiones iniungendæ sint, habemus clarè ex Scriptura Deuteronom. cap. 25. *Pro mensura delicti erit, & plagarū modus*. & Apocalypsis 18. *Quantùm se glorificauit, & in delicijs fuit, tantùm date ei tormentum, & luctum*. Accedit quòd pęnitentia septennis indicitur in Concilio Ancyrano celebrato ante Nicenum primum, can. 8. & in eodem Concilio, pro varijs peccatis indicuntur aliquando duorum, aliquando trium, aliquando, etiam decem annorum pęnitentiæ. In Concilio Niceno generali primo, can. 11. ijs, qui pręter necessitatem lapsi erant in Idolatriam, indicitur pęnitentia vndecim annorum, & can. 12. quibusdam alijs imponitur pęnitentia tresdecim annorum. Idem habetur in Concilio Elibertino, quòd circa tempus Concilij Niceni celebratum fuit, can. 5. Et sic ignorantia, & impudentia Lutheri patet.

Pro vno pctō mortali pęnitentia septē annorum.

Pro diuersis peccatis diuersæ pęnę iniungēdæ.

71 Ad septimum respondetur falsissimum esse pœnitentias in vsu fuisse apud veteres solùm exempli, & disciplinæ causa, & tantùm pro peccatis publicis. Nam Rex Acab. 3. Regum, cap. 21. cilicium portabat ad carnem macerandam, spontè, & dormiebat in sacco, & cinere, & ieiunabat; nec tamen quis dicet hanc pęnitentiam ei impositam fuisse ab aliquo ob exemplum, vel disciplinam, cum ei nemo ausus fuisset imponere pęnitentiam. Hoc enim faciebat, vt soli Deo placeret, qui videt in abscondito, lib. 4. Regum cap. 6. habemus Regem Ioram gestasse cilicium occultè, vt placaret Deum tēpore belli, & famis. Tandem Dauid Rex lauabat per singulas noctes lectum suum, & humiliabat in ieiunio animam suam, & panem sicut cinerem manducabat, vt ipse pluriès in Psalmis suis testatur, & alibi sæpè habemus idem; ergo falsum est pęnitentiam apud veteres fuisse in vsu solùm ad exemplum, & ad disciplinam, & pro peccatis publicis.

Ad septimum.

72 Ostendi etiam suprà agendo de confessione solitum fuisse in Ecclesia veteri fieri confessionem sacramentalem secretam; atque ab illa habuisse originem confessionem, & pęnitentiam publicam; si quidem confessarius erat, qui, si ei expediens videbatur, & vtile, audita confessione sacramentali, consulebat pęnitenti, vt peccata quædam publicè confiteretur, & de illis publicam pęnitentiam ageret. Est ergo necessaria pęnitentia, & semper in vsu fuit.

Vtrùm satisfactio fiat per solos actus externos, & pęnales. Caput Quartum.

73 DVo hic explicanda sunt distinctè, quæ Scotus breuiter tetigit in hac quæstione, & malè ab aliquibus intelliguntur. Primum est, An actus, per quem fit satisfactio, sit solus actus exterior, an etiam interior. Secundum, An actus satisfactorius debeat esse pœnalis. Quò ad primum Soto in 4. dist. 19. q. 2. art. 1. & Suarez tomo de pęnitentia disput. 37. sect. 5. tribuunt Scoto, quòd asserat satisfactionem fieri per solos actus, & operationes externas; per internas verò nequaquam. Asseruntque Scotum, & suos sequaces ex hoc inferre, quòd si duo eandem eleemosinam elargiantur, vnus tamen maiori conatu, quàm alter elargiatur, æqualiter satisfacient. Quòd autem hęc sit opinio Scoti deducunt ex hoc: quia ipse dist. 15. q. 1. §. *de secundo principali*, &c. in diffinitione satisfactionis, vt vidimus cap. precedenti dicit. *Satisfactio est operatio exterior laboriosa, vel pęnalis*, &c. Et rursus quia (inquit Suarez)

An actus exterior solus sit satisfactorius.

Opinio falsò attributa Scoto.

rez) ibidem dicit propriam satisfactionem, vt contradistinguitur à contritione, esse opus externum. Adiungit Soto, quòd Scotus videtur sibi contrarius esse, quia Scotus eadem q. art. 4. dixit dilectionem Dei esse actum satisfactorium.

Vindicatur Scotus ab opinione ei falsò tributa.

74 Ego certè miror hos viros hanc opinionem tribuere Scoto cum ipse apertissimè oppositum doceat in ea dist. 15. quæst. 1. ar. 3. vt vidimus suprà: habet enim hæc verba. *De tertio dico, quòd satisfactio in isto intellectu magis consistit in actibus pœnalibus, vel passionibus voluntariis, quã in aliis actibus bonis non pœnalibus.* & infrà. *Isti autem actus pœnales, vel passiones voluntariæ in genere reducuntur ad actum interiorem displicentiæ, vel passionem tristitiæ, & ad actum exteriorem confitendi proprium peccatũ, quod est valdè pœnale, vel passionem concomitantem, scilicet verecundiam, & ad actum simpliciter exteriorem, vel passionem, scilicet macerando carnem, & omnis talis maceratio dicitur contineri vel reduci ad ieiunium, vel eleuando mentem in Deum, & hoc fit per orationem, vel sua temporalia erogando, quod fit per eleemosinam.* Habemus ergo ex Scoto actus internos esse valdè pęnales, & per illos fieri satisfactionem: & art. 4. asserit contritionem esse satisfactoriam pro peccatis.

Opin. Scoti vera.

Germana ergo opinio Scoti, quam disertè explicat eadem quæst. § *de secundo principali*, &c. est hæc, quòd satisfactio duobus modis sumitur: vno modo, pro satisfactione in communi, quæ est redditio voluntaria æquiualentis, aliàs indebiti: alio modo, pro satisfactione strictè sumpta, quæ est pars pœnitentiæ sacramenti, & de hac dicit, quòd est operatio exterior laboriosa, vel pœnalis voluntariè assumpta, vel tolerata ad puniendum peccatum commissum à se ad placandum Deum. Vnde subdit Scotus ibidem, *Isto modo accipitur satisfactio multò strictius, & particulariùs, quàm satisfactio primo modo: quia potuit consistere in actu pœnalis passionis voluntariè interiori, vel exteriori.* Secundùm Scotum ergo actus interior est quidem pœnalis, & satisfactorius; non tamen est de numero eorum actuum, & operationum, quæ pro pœnitentijs, & satisfactionibus imponi, vel suscipi solent in sacramento pœnitentiæ pro pœnis peccatorum: & certè non est cõsuetudo, nec in vsu positum, vt cum quis satisfacere vult pro pœna temporali peccatorum, ipse vel assumat sibi actus interiores tantùm, vel ei à sacerdote huiusmodi actus imponantur, sed solùm actus exteriores; illi nimirum ieiuniorum, orationum, & eleemosinarum, sub quibus, vt inquit ibidem Scotus, continentur omnes macerationes carnis, quæ sunt vigiliæ, peregrinationes, asperitates vestium, nuditas, vel discalceatio, & denique omnis labor fatigans corpus. Quòd autem huiusmodi actus exteriores soli sic sint satisfactorij patet ex communi praxi Ecclesiæ, quę pro huiusmodi pœnis tollendis non imponit actus internos, sed externos prædictos. Videmus etiam, quòd in satisfactionibus humanis pro iniuria illata non imponuntur actus interni, sed externi, & pœnales; est ergo verissima opinio Scoti, & rectè, ac clarè explicans materiam hanc de satisfactione.

Ad rõnes p aduersarijs

75 Ex dictis patet loca adducta ab Aduersarijs ex Scoto perperàm ab illis intelligi: quòd verò aiunt de illis duobus largientibus eleemosinam, hoc non inuenio apud Scotum, neque apud Gabrielem Biel loco citato ab eis, scilicet dist. 16. quæst. 2. ar. 1. not. 1. Sed doctrinam Scoti allatam, & explicatam tradit; neque Scotus sibi contradicit, dum dicit, dilectionem Dei esse actum satisfactorium: loquitur enim de satisfactione communiter sumpta, vt dictum est, non de satisfactione strictè sumpta. Ad dubium autẽ illud de duobus largientibus eleemosinam eandem, sed conatu inęquali, quid sit dicendum, patebit infrà, aliorum opinionibus examinatis.

Opin. Henrici q; satisfactio i interiori actu consistat.

76 Ex dictis etiam patet, quid sit dicẽdum de alijs opinionibus. Quidam enim dicunt, quòd satisfactio consistit tota in opere interno, & quòd opus externum nihil addat ad opus satisfactionis ex opere operantis; sicut neque ad meritum, quæ opinio tribuitur Henrico quolib. 8. quæst. 18. Ledesmæ 2. par. quæst. 14. articulo primo, dubio 4. fundamentum huius sententiæ ponitur istud, quòd actus exterior nullam habet bonitatem formalem, nec libertatem, sed solùm ex denominatione ab interiori; & hac ratione non auget meritum; ergo nec satisfactionem.

77 Hæc opinio est omninò falsa: quoniam, vt dictum est, loquendo de satisfactione strictè sumpta, quę est pars tertia pœnitentiæ, hæc consistit in operibus exterioribus pœnalibus, scilicet, ieiunio, oratione, & eleemosina, & alijs pęnalitatibus affligentibus carnem, vt dictum est: quòd patet ex sacra Scriptura, cuius auctoritates adduximus duobus præcedentibus capitibus: & ratione confirmatur: quia nemo potens exhibere actus externos pęnales, satisfacere potest per actum internum tantùm, sed requiritur exhibitio operis exterioris: neque enim sufficit, quòd si quis ieiunare potest, habeat effectum ieiunandi, & tamen non ieiunet; neque aliquis dicet rectè facere confessarium, qui potenti actu ieiunare imponeret, vt habeat affectum, & voluntatem ieiunandi; licèt non exeat in actum exteriorem operis: at si actus interior esset ille, in quo satisfactio consisteret, sufficeret actus interior; quòd tamen est absurdum, vt visum est. Præterea ostendimus suprà disputat. 2. & 3. actum externum addere malitiam, & bonitatem actui interno, & in proposito certum est etiam secundùm aduersarios actum externum habere propriam pœnalitatem distinctã ab actu interiori: immò tota pęnalitas est in actu exteriori: neque enim in actu interiori, quo volo ieiunare, sentio pœnam, sed in exteriori operatione ieiunij; & si sentio, non sentio, nisi in ordine ad actum exteriorem, qui est afflictiuus: at pęna temporalis non redimitur, nisi per pœnam recompensatam; ergo necesse est dicere opus satisfactorium esse actum exteriorem propriè, & strictè loquendo. Reijcitur.

Ad fundãm opin. allatę

78 Fundamentum autẽ opinionis oppositæ est falsum: quia loco citato ostendimus actum exteriorem habere propriam bonitatem, & malitiam distinctam à malitia, & bonitate actus interioris: immò actum interiorem recipere suam bonitatem, & malitiam ab actu exteriori: licèt imputabilitas ad meritum, vel culpam oriatur ex actu interiori voluntatis libero. Ad fundamentum ergo aduersariorum respondendum est, falsum esse actum exteriorem non habere propriam bonitatem, & malitiam, vt visum est in prædicta quæstione. Sed hoc dimisso sufficit in præsenti, quòd habeat propriam pęnalitatem distinctam à pęnalitate actus interioris: quia actus satisfactorius debet esse pęnalis. Quod autem infertur, quòd actus exterior non habet propriam libertatem, concludit, quòd non est propter se imputabilis ad meritum, vel demeritũ: quia ad imputabilitatem requiritur, quòd sit actio voluntaria: vnde propter hoc actus interior voluntatis, quo liberè vult actum exteriorem pęnalem non ponit in numerum cum actu exteriori: itaquòd alius actus sit voluntas, qua volo ieiunare, & actus ipse ieiunandi, sed est vnus, & idem actus.

Opi. Soto & Suarez reijcitur.

79 Ex his patet quàm vana sit opinio Soto in 4. distin. 19. quæst. secunda, art. primo, & Suarez tomo de pęnitentia. disp. 37. sect. 5. & eorum, qui illos sequuntur, qui dicũt actum internum per se sufficere ad satisfactionem; actum tamen externum addere vim ad satisfaciendum, & esse magis satisfactorium, quod probant; tum quia actus internus cũ prodit exteriùs in opus, nouo semper conatu augetur, tum quia est magis pęnalis; tum etiam quia est interno coniunctus. Nam licèt hæc opinio in aliquo sensu possit esse vera; tamen in sensu, quo ab ipsis profertur, est omninò absurda. Accipiendo actum internum per se, & externum, vt sunt distincti, vt verbi gratia, contritio de vno peccato, & peregrinatio pro eodem est verissima; nam vterque satisfacit, & magis exterior, quàm interior. At loquendo de actu interiori, & exteriori in eadem operatione, vt putà in ieiunio, ridiculum

culum est dicere, quod actus exterior addat pœnalitatem supra actum interiorem: supponit enim quod actus interior seiunctim ab exteriori sit pęnalis, & habeat suam satisfactionem distinctam ab exteriori, & quòd exterior addat pœnalitatem super interiorem. Hæc autem omnia sunt falsa, quod probo: quia si quis posset ieiunare, & tamen solum habeat affectum ieiunandi, & decernat actu ieiunare; si tamen actu non ieiunet, ille affectus, & decretum ieiunandi nullo modo est satisfactorium: quia vt est sic internus nō est pœnalis, sed est necesse, vt exeat in opus externum; actus autem ieiunandi, & actus quo decernit ieiunare reputantur pro vno actu. Absurdum est ergo dicere in huiusmodi operatione actum interiorem habere suam pœnalitatem, & satisfactionem, & actum exteriorem habere quoque suam pęnalitatem, & satisfactionem. Auctores autem prędicti eam intelligunt in illo sensu.

Fundamentū aduersariorū euellitur.

80 Fundamentum ipsorum ex dictis esse nullum patet. Asserunt enim actum externum, simùl cum interno esse magis satisfactorium; quia dicunt in actu externo esse distinctam pęnam ab interno: hoc autem est falsum, loquendo de actu interno, & externo integrantibus eundē actum, vt putà actus internus voluntatis ieiunandi, & ieiunare: nam, vt dictum est, isti non sunt duo actus diuersi pęnales: quia actus ille internus voluntatis, quo vult ieiunare, non reputatur actus diuersus à ieiunare, loquendo moraliter: quia, si ieiunare est actus humanus, necessariò debet esse voluntarius, & pendere ab actu interno voluntatis; neque in se, vt contradistinguitur ab exteriori, est pęnalis, vt dictum est. Verum est esse quidem actum internum diuersum ab exteriori, vt contritio de peccatis, & ieiunium propter eadem peccata esse actus diuersos, & habere pęnalitates diuersas, & exteriorem addere satisfactionem super priorem; sed hoc nihil iuuat aduersarios, quia ipsi non loquuntur in hoc sensu, vt visum est. Verum est etiam quod affectus internus operis externi, cum propter impotentiam nō possumus exire in actum externū, est satisfactorius: quia ex benignitate Dei acceptatur tunc affectus pro actu: at nunc non loquimur de actu interiori in hoc sensu, sed de actu interiori iuncto exteriori posito in esse; ideo hoc nihil eos iuuat.

An actus satisfactorius debeat esse pœnalis.

81 Altera difficultas est, An opus satisfactoriū debeat esse pęnale. In hac quæstione quantum ad rem, nulla est difficultas, licèt quò ad modum explicandi sit discrepantia. Quò ad rem non est discrepantia: quia licèt D. Thomas 4. Sent. dist. 15. quæst. 1. a. 5. quæstiuncula 1. dicat, per opus bonum nisi pœnale sit non fieri satisfactionem. Et D. Bonauent. eadem dist. p. 2. a. 1. q. 3. Richardus a. 1. q. 3. Durandus q. 3. Alensis 4. parte q. 84. aliàs 21. membro 2. a. 2. & alij citati à Suarez disp. 37. sect. 6. n. 2. idem asserant tamen nō negarent, etiam satisfactionem fieri per actum bonum non pœnalem: nam ipsi loquuntur de operé satisfactorio secundùm regulam ordinariam. Proinde Recētiores etiam Thomistæ tenent cum Scoto in hac dist. 15. q. 1. a. 3. Satisfactionem regulariter, & magis fieri per opera pœnalia, & passiones voluntariè assumptas: tamen aliquando posse etiam fieri per aliquem actum bonum non pęnalem, vt per actum charitatis. Vndè Soto in 4. dist. 19. q. 2. a. 1. ponit duas conclusiones, prima est. *Opera, per quæ satisfactionem fieri oportet, genere suo debent esse tùm Deo honorifica, tùm etiam pęnalia.* Secunda conclusio est. *Omne opus meritorium, nempè quòd ex gratia procedit generali ratione est satisfactorium.*

Victoria.

Victoria in Summa num. 202. citatus à Suarez, vbi infià, tenet, *quodlibet opus bonum, quod est meritorium gratiæ, & gloriæ, & quatenus est tale esse per se, & intrinsecè satisfactorium.* Et in eandem sententiam citantur Ledesma q. 14. a. 2. dubio 2. & Medina tractatu 3. q. 4. & denique ipse Suarez eadem disput. sect. 6. ponit tres conclusiones, quarum prima est. *Opus humanum, & honestum propriè satisfactorium est, quatenus est aliquo modo pęnale.* Tertia conclusio est. *Probabile est omne opus bonum, & meritorium simùl esse satisfactorium.* Consentiūt Caietanus tomo 1. Opusc. tract. 6. quæst. 1. ad 3. Nauarrus in Summa cap. 26. Conueniunt ergo in re cum opinione Scoti, & ab eo illam desumpserunt.

Lodesma.

Medina.

Opin. Scoti probatur.

82 Hæc autem opinio habet duas partes. Prima est. Opus pœnale est satisfactorium regulariter. Hęc pars probatur à Scoto, vt visum est cap. 1. huius disput. tùm ratione, tùm auctoritate. Ratione, quia culpa ordinatur per pęnam, & non per aliquod maius bonum: ergo neque pęna temporalis debet ordinari, siue tolli per aliquod maius bonum, quàm sit opus pęnale: ideo satisfactio debet fieri per opera pęnalia. Prętereà satisfactio est actio iustitiæ vindicatiuæ, qua peccator punit, & vindicat in se iniuriam factam Deo; vindicta autem propriè fit per pęnam: pęna enim est actio, qua aliquid vtile, vel delectabile aufertur; & sic est afflictiua: est etiam medicina, quia auertit peccatorem, ne in posterum Deum offendat, quod etiā pertinet ad satisfactionem: satisfactio enim est ordinata quoque ad correctionem hominis, vt illum à peccando contineat, ad quod obtinendum inflictio operis pęnalis est remedium accommodatum. Auctoritate D. August. lib. de vera, & falsa pęnitentia cap. 1. huius disputationis adductus, habet illa verba. *Sunt digni fructus virtutum, qui non sufficiunt pœnitentibus; pœnitentia enim grauiores fructus postulat, vt dolore, & gemitibus mortuus impetret vitam*, quam auctoritatem ibi explicauimus. Fundatur autem tota hæc doctrina in Sacra scriptura, quæ vbicunque hortatur homines ad satisfaciendum Deo pro peccatis, semper hortatur ad opera pœnalia Ioelis 2. *Conuertimini ad me*, &c. *in ieiunio plantu, & fletu*, &c. & Matthęi 11. *In cilicio, & cinere pęnitentiam egissent.*

Opus non pœnale est satisfactorium.

83 Secunda pars huius opinionis est, quòd etiam opus non pęnale, vt charitatis, potest esse satisfactorium. Probatur à Scoto, quia est maius bonū, quàm opus pęnale: ideò magis cedit in honorem Dei: & propter hoc Deus potest huiusmodi actum accipere pro satisfactorio. Ratio autē, propter quam aliquod opus est satisfactorium, sicut, & meritorium, est acceptio diuina. Nam licèt requiratur in opere aliqua congruentia, qua opus proportionetur, vel offensæ, vel præmio; tamen ratio adæquata, propter quā est verè, & propriè satisfactorium, vel meritorium, est acceptatio, & pactum diuinum, vt diximus in 3. Sentent. dis. 18. agendo de conditionibus meriti. Quod etiam tandem fatetur Suarez in hac disput. 37. sect. 8. num. 4. coactus verbis Concilij Tridentini sess. 14. cap. 8. qui tamen alibi oppositum tenuit, vt diximus in prędicta disputatione de merito. Quò ad hanc partem auctores supra citati differunt à Scoto in modo probandi, & explicandi. Scotus enim dixit opera non pœnalia posse esse satisfactoria: quia etsi non sint pœnalia; tamē sunt maius bonum: ideo possunt pro satisfactorijs acceptari à Deo. Suarez autem num. 8. adducit hanc rationem: quia omne opus bonum, quatenus homini est laboriosum, est aliquo modo pęnale, ac corpori, & sensui repugnat. Et Soto ratione secunda inquit, non posse esse aliquod opus meritorium quantumcunque spirituale, quod non afferat secùm aliquam pœnam, & fatigationem. Hæc autem ratio est falsa: quia actus charitatis nullo modo est pœnalis: immò affert maximam consolationem; vnde manet in patria.

Acceptatio & promissio diuina requiritur ad hoc, vt opus sit satisfactorium.

Dissensio quò ad modum explicandi.

84 Quod si dicas pro hoc statu homo in diligēdo Deo sentit aliquam difficultatem. Respondetur, Hominem sentire difficultatem in diligendo Deo, non quia dilectio sit ex se actus pœnalis; sed quia anima non potest habere actum perfectum dilectionis, propter impedimentum corporis, quod aggrauat animam. Sed si impedimentum prouenięns ex corporis imperfectione pro hoc statu faceret opus pęnale, etiam actus peccati quicunque delectabilis esset opus pęnale: quia in quocunque opere corpus aggrauat. Vnde est illud. *Lassati sumus in via iniquitatis.* Ratio ergo vera est: quia opus non pęnale potest esse maius bonum, & meritorium, & per eum augeri gratiam; & proinde potest etiam esse acceptum Deo pro satisfactione; quam rationem etiam ipsi quoque afferunt.

Sunt

85 Sunt etiam satisfactoria de condigno, & ex iustitia. Ratio est, quia, vt dictum est, cuiuis peccato correspondet propria pęna determinata: ideò illa soluta hic, condignè est satisfactum debito, nec potest amplius alia pœna exigi pro eo; nam qui subijt pęnam lege statutam, & eo modo, quo ex legislatoris voluntate posita est, condignè satisfacit tali legi, & hoc verum est de pęna ordinaria: aliquando tamen Deus in hac vita pro peccatis infligit aliq̃ aliam pęnam extraordinariam, & hæc aliquando cõpensari potest ex aliqua alia pęna voluntariè assumpta, iuxta illud Hierem. 18. *Si pænitentiam egerit gens illa, agam & ego pænitentiam supra malum, quod cogitaueram*, &c. Aliquando per nullam pęnam potest impediri, vt mors inflicta puero filio Dauid propter peccatum Dauidis, & propter hanc incertitudinem diuini iudicij sacra Scriptura 2. Reg. 1. dicit, *Quis scit si fortè donet mihi eum Dominus?* & Ioelis 2. *Quis scit si conuertatur, & viuat?*

86 Hæc etiam pęna satisfactoria, quam in hac vita exhibemus pro satisfactione pęnæ debitæ culpæ, est vnicũ remedium ad tollendum pęnam debitam in Purgatorio pro tali peccato: nam hoc aliud medium, vel esset aliquod opus meritorium, & hoc æquiualeret huic pęnæ satisfactoriæ, vel esset oratio impetratoria, quæ quis rogaret hanc pęnam dimitti sibi gratis, & hæc oratio non mereretur exaudiri, quia rogaret aliquod, quod est contra iustitiam Dei, quæ ordinauit, vt peccatum digna pęna puniatur.

Vtrum per opera pænalia, quæ quis necessariò patitur, possit satisfieri Deo pro peccatis. Caput Quintum.

87 OMnes Catholici Doctores conueniunt in parte affirmatiua, scilicet per flagella, & pęnas extrinsecus immissas posse satisfieri Deo pro peccatorum pęnis temporalibus: quod contra hæreticos hoc negantes facilè probari potest. Hæretici in hoc puncto discordes esse videntur: aliqui enim, & si negent, nos posse satisfacere Deo per opera pęnalia voluntariè assumpta, & per mulctam à sacerdote impositam in confessione sacramentali: tamen concedere videntur nos posse satisfacere per flagella, & afflictiones nobis immissas à Deo, vt Meláctón: nam in locis communibus titulo de satisfactione ait. *Mortificatio non simulata est, aut verus dolor in contritione, aut patientia sustinens veras afflictiones, vt Dauid obiurgatus à Nathan, cùm verè expauisset agnitione iræ Dei, & esset in vero dolore: idem deinde cùm calamitates, quæ secutæ sunt, perferret, sustinuit mortificationem.*

Apud Bellarminũ de pęn. lib. 4. cap. 4.

At Caluinus omninò negat flagella, & pęnas externas etiam immissas à Deo esse satisfactorias pro pęnis temporalibus. Nam lib. 3. Institut. cap. 4. §. 31. & 35. asserit pęnas à Deo inflictas Dauid primo Regum cap. 12. vbi Dauid post impetratam veniam adulterij, atque homicidij punitus est morte filij, & 2. Regum capit. 24. vbi isdem Dauid ob peccatum enumerationis populi pęnitentiam agit, & in gratiam à Deo recipitur; & tamen post remissã culpam datur illi optio, vt eligat in pęnam peccati, aut bellum, aut famem, aut pestem, inquit inquam Caluinus, pęnas illas fuisse inflictas Dauidi, non in vindictam peccati præteriti, sed in admonitionem cauendi de cætero, atque huiusmodi flagella esse correptiones paternas, non iudicis vltiones.

Hæreticorum error reijcitur.

88 At hæc hæreticorum falsitas facilè refellitur: nam ipsa scriptura apertè affert causam, propter quam Deus inflixit pęnam illam Dauidi: legitur enim 2. Reg. cap. 12. *Quia blasphemare fecisti inimicos nomen Domini, propter verbum hoc, filius, qui natus est tibi, morte morietur.* Ecce scriptura non dicit, quod morietur filius Dauidi, vt caueat in futurum; sed quia fecerat inimicos blasphemare nomen Domini: inflicta ergo fuit illa pœna propter peccatum præteritum, & in pęnam illius. Quod confirmatur, quia Dauid lachrymis, ieiunijs, cubatione humi, & alijs actionibus pęnalibus quærebat satisfacere Deo, & eum placare, ne filius moreretur; ergo intelligebat pęnã illam inflictam sibi à Deo de morte filij esse propter peccatum commissum adulterij, & homicidij. Tandem hæc est aperta diffinitio Concilij Trid. vt infrà patebit: ideò hic non est immorandum.

89 Dimissis ergo hæreticis, & sustinendo cum Catholicis, quod per flagella, & opera pęnalia, quæ quis necessariò patitur, possit Deo satisfieri, inter Catholicos sunt quatuor opiniones. Prima opinio asserit huiusmodi flagella, & pęnas duobus modis posse considerari; vno modo quò ad actum exteriorem, & quatenus homo patitur ab illis; alio modo quò ad actum interiorem, quatenus scilicèt quis voluntate interiori acceprat illa flagella. Primo modo aiunt, ista flagella non esse satisfactoria, sed solùm secundo modo. Hanc opinionem apertè tenet Richard. in 4. dist. 15. ar. 1. q. 4. & Gabriel Biel dist. 16. q. 2. ar. tertio, dub. 1. Fundamentum huius opinionis est, quia actus est meritorius non inquantum passiuè recipitur in nobis, sed inquantum actiuè elicitur à nobis, & vt voluntas est principium actiuum illius: modò respectu passionum necessariò inflictarum voluntas non se habet actiuè, sed passiuè tantùm; ergo illæ non sunt meritoriæ. Secundum autem actum interiorem tantùm, quo tollerat patienter illas pænas, est actiua; ideò solùm secundum hunc modum quis meretur, & satisfacit.

Quatuor opin. Catholicorũ.

Prima.

Fundãm huius opin.

90 Secunda opinio Catholicorum asserit per actum internum voluntatis tollerantis illa flagella, & pęnas satisfieri Deo: per exteriorem verò pęnam remitti pęnam soluendam in purgatorio non per modum satisfactionis, sed satispassionis. Vnde videtur hæc opinio tenere, quod & si ad actum illum exteriorem non concurreret voluntas patienter sustinendo huiusmodi flagella immissa, adhùc tamen per illa solueretur pæna debita, sicut pæna inflicta animabus Purgatorij. Hæc opinio tribuitur Medinæ tractatu 3. q. 5. in fine primi dubij. 2. Opinio.

91 Tertia opinio est Soto in 4. dist. 19. quæst. 2. art. 2. & Ledesm. 2. p. q. 14. a. 2. qui distinguunt de pæna: vel. n. pæna prouenit ex causis generalibus naturalibus, seù ex generali concursu Dei cum causis generalibus naturalibus, sinè tamen speciali vltione Dei; vt morbi naturales, mortes, & huiusmodi: vel proueniunt ex causis liberis, iustis, vt pænæ malefactoribus ordine iuris decretæ, vel per permissionem, vt dum vnus alium lædit. Vel pæna prouenit ex speciali prouidentia, & ordine Dei, vt diluuia, incendia, submersio Aegyptiorum, mors filij Dauid, & alia id genus: habita hac distinctione, respondent, pęnas, & flagella secundi generis esse satisfactoria, si patienter tollerentur; si verò patienter non tollerentur non esse satisfactoria: tamen remittere pænam per modum iustæ vltionis. Adduntque, quod & si voluntariè non sustineret, sed remurmuraret; & proinde non esset actus humanus liber, dùmmodò non peccaret mortaliter, sed solum venialiter, si esset in gratia, remitteret pænam temporalem. Loquendo verò de pænis primo modo euenientibus, scilicet ex concursu generali Dei, vel ex voluntate libera ordine iuris inflicta malefactoribus, &c. asserunt, quod non sunt satisfactoriæ per se, sed solùm quatenus actu interiori acceptantur libenter, & tollerantur. Ratio est, quia ista flagella non imponuntur à Deo in ratione vindictæ: ideò vt sunt opera externa, non sunt satisfactoria, sed solùm, vt sunt actu interno acceptata per actum patientiæ.

3. Opinio quæ est Soto, & Ledesmæ.

92 Quarta, & vltima opinio est, flagella quæcũque, & pænas, quas quis necessariò patitur, quæcũque sint illa, vel naturaliter, vel liberè, vel ex concursu generali, vel speciali inflicta sint, esse satisfactoria, tàm quò ad actum internum, quã externum si patienter tollerentur; si verò voluntariè non tollerentur, nec acceptentur à voluntate, siue sint inflicta à Deo, siue nõ, nequaquam sunt satisfactoria. Hæc opinio est communior, & vera, & in primis est Scoti hac distin. 15. quæst. 1. §. *de secundo dico.* Nam in diffinitione satisfactionis dixit, qđ *Satisfactio est operatio exterior*

4. Opinio.

Scoti opin.

laboriosa, vel pœnalis voluntariè assumpta, ad puniendum peccatum commissum à se; & hoc ad placandam diuinam offensam; vel est passio, seù pœna voluntariè tollerata in ordine prædicto. Ecce quod Scotus loquitur generaliter; ergo secundùm Scotum quodcunque opus pœnale voluntariè tolleratum, est satisfactorium: intelligit autem præcipuè de pœna, & operatione exteriori. Eandem sententiam Recentiores tribuunt Diuo Thomæ, licèt ipse sit obscurus in quarto, distinctione 15. quæstione prima, artic. quarto, quæst. 2. eandem sequuntur Recentiores, vt Suarez, disputatione 37. sect. septima, qui citat alios, vt Syluestrum, verbo satisfactio, quæstione nona. Victoria in Summa, numero 207. Nauarrus in Summa, cap. 3. numero 4. Vt autem rectè intelligatur, obseruandum est, hanc opinionem habere tres partes. Prima est, quòd omnia flagella, quæcunque illa sint, siuè inflicta à Deo, siuè ordine naturali, & iuris ordine seruato, possit esse satisfactoria. Secunda esse satisfactoria nedùm actu interiori, sed exteriori præcipuè. Tertia nulla flagella esse satisfactoria, nisi voluntariè acceptentur, & tollerentur.

93 Hæc opinio quò ad primam, & secundam partem, probatur primò: quia vt dicebat Scotus in hoc quarto distinct. 14. quæst. prima, articul. 3. aliquid dicitur voluntarium tribus modis. Vno modo, quia voluntariè causat, & efficit aliquod obiectum tristè. Secundo modo, quando voluntariè acceptat aliquam pœnam, vel obiectum tristè. Tertio modo, quando voluntas aliquod obiectum tristè, patienter tollerat, neque omninò remurmurat; cum ergo quis patienter tollerat flagella, & pœnas, quas vitare non potest, illa tolleratio est actus voluntarius: ideò est meritorius, & consequenter satisfactorius: nobilius enim
2. Ratio est opus meritorium, quam satisfactorium. Hæc ratio absolutè probat, actum tollerandi patienter flagella inflicta, & pęnas, esse satisfactorium. Quòd verò etiam opus exterius per se sit satisfactorium, non autem præcisè opus interius, probatur: quia, vt dictum est duobus præcedentibus capitibus, licèt actus exterior ab actu interiori voluntatis habeat imputabilitatem, & meritum; tamen ex se habet vt sit pęnalis: ideò per se est satisfactorius, quia est compensatio seù mulcta, quæ soluitur Deo pro offensa; actus autem interior sinè exteriori non est pęnalis; neque enim affectus ieiunandi sinè actu ieiunij affligit hominem, & sic de alijs, sed requiritur opus exterius realiter; in illo enim consistit formaliter pœnalitas.

Reijcitur 1. opinio. Et proinde est omninò falsum, quod asserit prima opinio, quod si duo ità se habeant, vt alter id patiatur bona voluntate, alter verò æquali voluntate illa amet, & desideret, nihil tamen patiatur, nihil magis vnus, quàm alter satisfaciet, hoc (inquam) est falsum: si enim alter nihil patitur, quomodo rependit pęnam, & compensationem debitam ad satisfaciendum? verum est quidem, quòd aliquando aliquis tanto affectu posset appetere malum pęnæ, vt martyrium, quod tamen impetrare non potest, vt superaret, & plus mereretur, quàm alter, qui de facto subijt martyrium: licèt enim exteriore opere pęnali non exerceatur: tamen affectus æstimatur apud Deum, quia reputatur pro facto: at nulli dubium est, quod si actu posset subire martyrium, & non subiret, actus ille desiderij, & amoris nihil iuuaret, sed opus esset actu subire martyriũ, & malum pęnæ; actus ergo exterior est ille, in quo consistit valor satisfactionis.

3. Ratio. 94 Tertiò. Ratio adducta à Soto, propter q̃ dicebat, flagella, & pęnas à causis naturalibus, vel liberis iustè, vel iniustè inflictas non valere, erat, quia dicebat istas actiones non esse humanas, idest voluntarias, sed extrinsecus immissas, & esse satispassiones, non satisfactiones. At hæc ratio reflectitur: nam dum quis voluntariè illas passiones, & flagella tollerat propter Deum, facit illas pęnas suas.

4. Ratio. 95 Quartò. Omnia flagella, etiam quæ homo propter sua peccata patitur in patibulis, vel alio modo, proueniũt ex prouidentia Diuina, quæ saltem generali intentione intendit per ea nos purgari à reatibus peccatorum, & vitijs, & exerceri: ergo si homo hæc acceptet voluntariè, & propter Deum absque remurmuratione, nulla est ratio, propter quam dicamus non esse accepta Deo: & consequenter sequitur esse meritoria, & satisfactoria.

96 Quintò. Tandem hoc confirmatur ex dictis Sanctorum Patrum, qui generaliter de omnibus flagellis, & pęnis inflictis dicunt esse satisfactorijs. Chrysostomus Homil. 5. ad Hebræos, *Quia bonus inquit non potest in omnibus bonus esse: ideò hic punitur, vt purgatus exerceat.* Diuus Hieronymus Nahum 1. & refertur 25. quæst. 5. cap. *Quid ergo*, ad illa verba, *Non insurget duplex tribulatio*, seù, vt legunt Septuaginta, *Deus non iudicabit bis in idipsum*, dicit Deum non punire in alia eum, quem in hac vita punit, & dat exemplum de ijs, qui in diluuio, in sodomis, & in mari rubro perierunt: qui tamen D. Hieronym. non vult dicere absolutè, quòd qui punitur in hac vita, nõ puniatur in Inferno, vel in Purgatorio in alia vita: nam qui puniuntur in hac vita flagellis diuinis, nec tamen resipiscunt, nec conuertuntur, Deus illorum non miseretur: quia Deus odit peccatores, & puniuntur in inferno, vt patet de Anthiocho 2. Machabæorum nono, & Iudas Apostolus ait de Sodomitis, quod facti sunt exemplum ignis æterni pęnam sustinentes: qui etiam hic flagellis corripiuntur, sed non ad perfectam mensuram pęnæ debitæ, reliquum pęnæ purgabunt in Purgatorio; neque hoc est punire bis in idipsum, sed ambæ sunt vna iusta, & adæquata pęna. 5. Ratio. Verus intellectus Diui Hier.

97 Sextò. Adest auctoritas expressa Concilij Tridentini sess. 14. cap. 9. vbi habet hæc verba. *Docet præterea tantam esse diuinæ munificentiæ largitatem, ut non solùm pœnis sponte à nobis pro vindicando peccato susceptis, aut sacerdotis arbitrio pro mensura delicti impositis, sed etiam temporalibus flagellis à Deo inflictis, & à nobis patienter tolleratis, apud Deum Patrem per Christum Iesum satisfacere valeamus.* 6. Ratio.

98 Hæc eadem opinio quò ad tertiam partem probatur ex eisdem rationibus, quia Concilium adiungit illam particulam, *patienter à nobis tolleratis*, nisi ergo volũtariè, & patienter illa tolleremus non satisfaciunt. Sancti etiam hortantes homines ad sustinendum hæc flagella hortantur ad patienter, & voluntariè illa sustinenda; ergo signũ est, quod dum non sustinentur voluntariè, & patiẽter, nullius valoris sunt. Præterea ratio, propter quam pęna damnatorum non est satisfactoria, est, quia non est voluntaria: ergo flagella inflicta à Deo, si non sint voluntariè acceptata, & tollerata, non sunt satisfactoria; neque inflictio illorum potest dici satispassio, quia ꝑ hac vita nulla actio aliquid prodest apud Deum, nisi sit facta ex charitate, & propter dilectionem Dei. Tandem hæc flagella nõ sunt satisfactoria ex opere operato, quia non sunt sacramenta, sed ex opere operantis, & ex merito Christi, sinè quo nihil est nobis validum; ergo necesse est, quod per voluntatem acceptentur, & Christo offerantur: quò fit, falsam esse opinionem tertiam Aduersariorum, flagella inflicta à Deo etiam, sed inuoluntariè tollerata, & cum remurmuratione, esse satisfactoria. Ad hoc autem, vt actus isti pœnales sint voluntarij, non est necesse, quod actus interior voluntatis duret quamdiù actus exterior pęnalis durat, sed sufficit, quod primò acceptet, & deinde nunquam retractet eum actum: sic enim sp manet intẽrio habitualis. Tertia pars huius opinionis probatur.

99 Ad fundamentum aliarum opin. ex dictis facilis est rñsio. Ad fundamentum prioris opinionis rñdetur, ꝙ vt actus sit satisfactorius requiritur vtrumque, & quod sit voluntarius, & quod sit pęnalis; actus aũt interior solus sine exteriori non est pęnalis, ideò cum potest haberi, & nõ habetur actu, actus interior non est satisfactorius: licèt nec exterior sine actu interiori sit quoque satisfactorius. Secũdæ opinionis fundamentum est, ꝙ pęnalitas inflicta possit habere rationem satispassionis, sicut pœna purgatorij in alia vita: sed hoc fundamentum est falsum, quia nulla pœna in hac vita est alicuius valoris, nisi quatenus Ad fundũ primæ opinionis. Ad fundũ secũdæ opinionis.

ioni-

innititur actui charitatis, & dilectionis erga Christum: cum autem actus est inuoluntarius non potest esse factus in charitate: nec potest esse satispassio, quia in hac vita nō dantur flagella, quæ nostris peccatis æquiparētur. Per hoc

Ad fundamentū Soto. idem patet ad fundamentum pro prima parte opinionis Soto, qua conuenit cum prædicta opinione, & dicit, quod opera pœnalia etiam inuoluntariè tollerata remitterent pœnam temporalem. Ad fundamentum verò alterius partis, quod flagella obuenientia ordine naturali, vel ob propriam culpam nō sint satisfactoria: quia nō sint flagella Dei. Respondetur, assumere falsum, quæcunque .n. flagella, pœnæ, & tribulationes, quæ nobis obueniunt, proueniunt ex prouidētia Dei, & sic sunt flagella inflicta à Deo, & per illa iuxta Concilium Tridentinū, & sanctos Patres satisfacimus.

Vtrùm ad satisfaciendum, necessarium sit, vt satisfaciens sit in gratia. Caput Sextum.

100 DVbium istud est satis graue, & pro vtraque parte sunt auctores grauissimi, & rationes validæ. Prima ergo opinio asserit satisfacientem debere esse necessariò in gratia gratum faciente, & qui extra charitatem, & gratiam facit opus pœnale sibi impositum à sacerdote, implet quidem præceptum de integritate sacramenti, & satisfacit præcepto sacerdotis, vel liberè, & voluntariè assumit aliquod opus pęnale pro satisfaciēdo, Deo nullo modo satisfacere, vt si quis voluntariè ieiunet in peccato mortali pro satisfaciendo pro pęnis suorum peccatorum, vel si in confessione sacramentali alicui sit impositum pro pęnitentia, vt tribus sextis ferijs ieiunet, & post primam diem ieiunij cadat ī peccato mortali, si deinde ieiunat, ait, hęc opinio, non satisfacit, & pœnitentia illa est iteranda in statu gratiæ ad hoc, vt sit valida. Hanc opinionem sequuntur

Opinio D. Thomæ, & multorū aliorum. multi Theologi D. Thomas in 4. dist. 15. q. 1. art. 3. q. 2. Richardus eadem dist. a. 1. q. 1. Alensis 4. p. q. 24. m. 4. a. 1. D. Bonau. dist. 15. p. p. art. 1. quæst. 3. Henricus quolib. 8. q. 18. quos Recentiores multi sequuntur, præsertim Soto in 4. dist. 19. q. 1. art. 4. Caietanus tomo 1. Opusculorum tractatu 6. q. 2. Suarez disp. 37. sect. 2. & disp. 38. sect. 8. qui alios citat, & sequitur.

1. Ratio. 101 Pro hac opinione adducuntur varia argumenta, sed principale adductū ab Alexandro, D. Bonau. Richardo, D. Thoma, & alijs est hoc. Satisfactio (quantùm importat vis nominis) importat diuinam acceptationem, & reconciliationem cū Deo: at qui est in peccato nō est amicus, nec reconciliatus Deo: ideò eius opera cum sint sinè charitate non possunt esse grata Deo, & consequenter nō possunt esse satisfactoria, sicut neque sunt meritoria.

2. Ratio. 102 Secundò nulla remissio, nec culpæ, nec pœnæ fieri potest, nisi in virtute passionis Christi, quia ipse solus est vniuersalis Redemptor, qui nos à culpa, & pęna liberauit: at passio Christi ei non applicatur, qui est in peccato mortali; ergo qui est in peccato mortali, non potest satisfacere.

3. Ratio. 103 Tertiò beneficentia est effectus beneuolentiæ, teste D. Thoma 2. 2. quæst. 31. at acceptare satisfactionem pro pęna est benefacere satisfacienti; ergo satisfaciens in peccato mortali recipit à Deo beneficentiam; ergo signū est, quod diligitur à Deo. At hoc est falsum, quia Deus odit peccatores, & qui est extra charitatem non diligitur à Deo, sed est illi infensus; ergo à primo ad vltimum, qui est in peccato mortali, non potest satisfacere.

4. Ratio. 104 Quartò inter Deum, & hominem nulla est ratio iustitię, nisi ex eius acceptatione, neque aliquid apud ipsum est alicuius pretij nisi sit in gratia, iuxta illud Genesis 2. *Respexit Deus ad Abel, & ad munera eius*. Primò respexit Abel, idest personam gratam, deinde acceptauit munera eius; ergo qui non est in gratia nihil ei gratum exhibere potest, sed quidquid facit, nihilo pēditur apud ipsum, vt falsa moneta, inquit Soto.

5. Ratio. 105 Quintò mutatio pœnæ æternæ in temporalem solùm euenit ex gratia Dei; ergo solutio eiusdem temporalis pęnæ debet fundari in eadem gratia, quia illi ānnititur.

6. Ratio. 106 Sextò est auctoritas D. Pauli 1. Corinth. 13. *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, etsi tradidero corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.*

Quod si quis dicat, auctoritatem probare opera extra charitatem non prodesse ad vitam æternam comparandam non autem probare ad pœnam temporalem soluendam non prodesse. Contrà arguit Soto, Isaiæ 58. conquerentibus. *Quare ieiunauimus, & non aspexisti, humiliauimus animas nostras, & nescisti?* (quę quidem sunt opera genere suo satisfactoria) respondet Deus. *Ecce in die ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra, & omnes debitores vestros repetitis*. Nec valet siquis dicat, ieiunia illa nō fuisse satisfactoria, quia erant peccata: nam quod essent peccata ibi non habetur, sed habetur solùm, quod tunc habebant voluntatem hærentem alijs peccatis.

107 Confirmatur per alias plurimas auctoritates, Prouerbiorum cap. 15. dicitur. *Victimæ impiorum abominabiles Domino, vota iustorum placabilia*. Ecclesiastici 34. *Dona iniquorum non probat altissimus*.

7. Ratio. 108 Septimò. Quamuis daretur, satisfactionem pęnæ fieri posse extra gratiam: non tamen esset tāti valoris quāti satisfactio facta in gratia. Ponamus ergo casum, quod satisfactio facta in gratia excedat satisfactionem factam extra gratiam in duplo, & sic de alijs proportionaliter: tunc sic. Sed omnis satisfactio facta in gratia est finita; ergo satisfactio facta extra gratiam nullius est valoris, & æstimationis.

8. Ratio. 109 Octauò. Addit Suarez opinionem huic contrariā post Concilium Tridentinum non esse amplius probabilem, sed omninò falsam. Nam sess. 14. cap. 8. & can. 13. & 14. Concilium diffinit satisfactionem hanc non esse opus nostrarum virium, sed esse opus gratiæ datæ per Christum Iesum, à quo omnis nostra sufficientia est. Et verba Cōcilij sunt. *Nā qui ex nobis tanquā ex nobis nihil possumus, eo cooperāte, qui nos cōfortat, omnia possumus. Ita nō habet homo vnde glorietur; sed omnis gloriatio nostra in Christo sit, in quo viuimus, in quo meremur, in quo satisfacimus, facientes fructus dignos pœnitentiæ, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, & per illum acceptantur à Patre*. Verba illa faciunt vim *in quo viuimus, in quo meremur:* inferūt enim satisfactionem esse fructum gratiæ Christi; ergo opera satisfactoria debent esse opera alicuius, qui sit in gratia.

9. Ratio. 110 Nonò. Opera nostra in se nullius sūt valoris apud Deum, vt autem habeant valorem, necesse est, accipiant illum à gratia Christi; ergo extra gratiam Christi facta nullum habent valorem.

10. Ratio. 111 Decimò. Si peccator posset satisfacere operibus extra gratiam factis, vel hæc esset satisfactio de condigno, vel de congruo. Non primum, quia nemo extra gratiam constitutus potest satisfacere de condigno, sicut neque potest de condigno mereri. Neque secundum, quia vbi appa-

Apocalipsis 18. ret (inquit Suarez) Deum vti hac liberalitate cum inimicis suis, vt eis remittat pęnas, pro quibus ipsi verè non satisfaciunt, cum lex generalis sit, vt quantum quis glorificauit se in delitijs, tantum ei detur tormentorum, & è contrà lex generalis sit, vt, quod sine charitate fit, nihil fit.

Opin. Scoti, & aliorū opposita. 112 Oppositam sententiam, scilicet satisfactionem factam in peccato mortali, non solùm satisfacere integritati sacramenti, & præcepto sacerdotis, sed verè esse satisfactoriam pro pęna temporali coram Deo, tenet Scotus in hoc 4. d. 15. q. 1. a. 4. §. *De quarto dicitur*, quē postea sequuti sunt Maior q. 1. Gabriel. d. 16. q. 2. art. 3. dubio 3. Medina tractatu 3. q. 5. dubio vltimo. Nauarrus cap. 1. de pęniten. dist. 6. num. 45. & 46. qui citat quosdam alios in eandem sententiam, & eam contracitatos auctores enixè tuetur, præsertim verò in Manuali cap. 3. quod est de satisfactione, vbi multas affert rationes efficaces, vide ibi: & tamen scripsit post æditum Concilium Tridentinum: rationes autem probantes hanc opinionem Scoti destruunt opinionem oppositam superius adductam.

1. Ratio ex Scoto.

113 Rationes autem Scoti sunt potiores, quæ fiant in hac materia, & certè videtur efficacissimæ. Prima est, opinio opposita nunc suprà adducta est nimis dura, & nimis arctat misericordiam Dei, & tamen sacra Scriptura superexaltat misericordiam supra iudicium, vt habetur Iacobi 2. & Psal. 56. extollenda est super omnia opera Dei, vsq. ad cęlos. Hæc ratio apud Nauar. est tanti momenti, vt propter eam potissimum dicat se sequi hanc opinionem, & priorem deserere. Sed magis confirmatur sequentibus rationibus Scoti.

2. Ratio.

114 Secundò ergo arguit ibidem Scotus opinio allata præbet occasionem peccatoribus maioris obstinationis: hoc autem repugnat bonitati, & misericordiæ diuinæ, cuius viæ ducunt ad bonum, non ad malũ; ergo. Maior probatur, quia ponatur, quod Titius hodie verè pœniteat, & humiliter suscipiens satisfactionem, esto ieiunium trium dierum cras recidiuet in peccatum mortale, & de illo non pœnitens secundo die ieiunat, quia sibi fuit impositũ: quęro, an ieiunium secundæ diei sit aliqua satisfactio, an nõ: si sic, habeo intentum: si non; ergo est occasio inducendi Titium ad non ieiunandum tertio die, & per consequens est occasio inducendi illum ad nouum peccatum mortale, quia transgrediendo illam pœnam iniunctam Titio à sacerdote, & à Titio receptam, videtur esse peccatum mortale: quia transgredi illam pœnam iniunctam Titio à sacerdote, & à Titio receptam, videtur esse peccatum mortale, cum sit transgressio præcepti Ecclesiæ, & Vicarij Dei in illo actu. Quod autem asserendo ieiunium illud secundæ diei, non esse satisfactorium, sit occasio inducendi Titium ad non ieiunandum tertia die, &c. patet: quia non alio fine ieiunat, nisi vt eo satisfaciat pro pœna temporali suorum peccatorum: cognitio autem hunc finem esse frustatorium: quia secundùm illam opinionem opus illud pœnale ieiunij nihil valet, cessat certè occasio ieiunandi, & accedit occasio transgrediendi præceptum dictum: & consequenter faciendi peccatum nouum, vt dictum est.

3. Ratio.

115 Tertiò ex eodem Scoto, vel opus satisfactoriũ factum in peccato mortali est opus bonum, & dignum acceptatione diuina, vel non: si neges, ergo quis faciendo opus pœnale ex suo genere bonum, vt ieiunãdo, faciet peccatũ, ꝙ est omninò impium, vel faciet opus indifferẽs, & nullius valoris, & hoc non, quia actus ille satisfactionis est actus obediẽtiæ virtutis: facit. n. opus illud ieiunij in quantum illud est sibi impositum tanquã pars satisfactionis: actus autem virtutis obedientiæ est laudabilis, & ex suo genere bonus, & dignus acceptatione; relinquitur ergo, quod sit dignus acceptatione, & sit satisfactorius.

116 Confirmatur. Certum est. n. ẽt ſm aduersarios, vt infrà videbimus, ꝙ opera bona facta in pctõ mortali, & si nõ sint meritoria vitæ æternæ; nõ tñ sunt inutilia, sed merentur, vel pręmiũ tpale, vel fugam afflictionum, & pœnarum tpalium: at Deus dimittendo culpam mutauit pęnam æternam in tpalem, & dona Dei sunt sine pęnitẽtia, & quòd Deus semel donauit non retractat: pęna autẽ temporalis per pœnam temporalem æqualem secundùm iustitiam compensari potest; ergo pœna illa temporalis pro peccato imposita potest secundùm iustitiam tolli, & solui per opus pœnale factum in peccato, vel in totum, vel in partem, quia vtraque est pœna temporalis, vnde vna per aliam compensari, & solui potest.

Durandus.

Propter hanc rõnem Durandus in 4. dist. 15. q. 2. postq̃ dixit opinionem priorem esse duriorem, esse tñ magis tutam, & omninò consulendam, licèt opinio Scoti nõ sit totaliter condemnanda, infrà num. 10. ait opinionem Scoti posse sustineri: ait enim, quòd Deus semel acceptauit non retractat: vnde cum Deus dimittendo culpam, ex tunc acceperet pro satisfactione pœnam finitam, videtur, quod in quocunq. statu talis pęna soluatur, ꝙ sit ei accepta, & satisfactoria pp præcedentem acceptationem; ꝙ aũt ait Durãdus opinionem priorem esse magis tutam, non facit, quod illa opinio sit vera; consilium aũt illud est suscipiendũ propter illã maximã in rebus dubijs tutior pars est tenẽda, & in praxi seruanda: vnde qui tenetur satisfacere, non debet negligere pęnitentiam, & potẽs illam soluere in statu gratiæ, non debet differre ad soluẽdum in statu peccati fisus hac opinione, quia esset abuti bona doctrina; sed si casus accidat, in quo quis sine negligentia culpabili satisfaciat in peccato, non videtur opinio Scoti improbabilis, quam infrà magis explicabimus propter rationes adductas, & adducendas. Nauarrus autem in Manuali eo cap. 3. cupit hanc ab omnibus acceptari, & esse consulendum omnib. ad effectum, vt pœnitentiæ soluantur, ac priorem omninò derelinqui.

Nauarrus.

4. Ratio.

117 Quartò, cum quis exigit ab aliquo pęnam aliquã debitam si ille soluat pęnam illam debitã, siue sit amicus, siue inimicus satisfacit; at in proposito Deus exigit pęnam inflictam peccatori propter peccatum, dùm per ministrũ suum, qui est Sacerdos, imponit, & præcipit pęnitenti talem satisfactionem; ergo dum exhibet opus pœnale sibi impositum, siue sit amicus, siue inimicus Dei, satisfacit Deo.

5. Ratio.

118 Quintò, fundamentum principale opinionis aduersæ est falsum. s. quod satisfaciens debeat esse amicus Dei: nam ad soluẽdum pęnam; ita quòd illã quis amplius reddere non teneatur, sufficit satispassio, licèt satispatiẽs sit inimicus; ergo multò magis satisfaciens, qui volũtariè reddit opus pęnale, satisfaciet etiam si sit inimicus illius, cui satisfacit. Antecedens patet in actibus humanis; si enim alicui offensæ in Regem correspõdeat præcisè secundũ legẽ abscissio manus, si isti ẽt inuito abscinditur manus satis patitur, & in tantum sufficit Regi, quod secundùm legem, & iustitiam non debet ab eo pęnam vlteriorem exigere, & tamen non recipit eũ in gratiã, & amicitiam; multò magis ergo posset sufficere pro punitione culpæ, si aliquis sibi pęnam debitam infligeret, licèt non esset in gratia, vel amicitia ipsius iudicis offensi.

6. Ratio.

119 Vltimò. Opinio opposita est valde dura, & inducens occasionem peccandi nouo peccato in peccatore, vt supra dictum est: neque illa opinio potest probari aliqua scriptura efficaciter, vt ait Nauarrus vbi suprà, & patebit soluendo rationes aduersariorum: eorum enim auctoritates probãt sine charitate minimè effici posse aliquod opus meritorium vitæ æternæ; at non probant efficaciter, & necessariò opus pęnale factum in peccato mortali propter satisfactionem, non soluere pęnam temporalem debitã, vt vlterior pęna non sit amplius exigenda; probant quidem non esse satisfactionem perfectam, quæ est reconciliatiua, & placatiua, sed minimè probant non esse redditionem æqualem debito, & ex iustitia satisfaciente pęnæ pro offensa debitæ.

Opi. Scoti explicatur.

120 Propter has rõnes, Scotus loco citato respondet ad hoc quæsitum, sine præiudicio melioris sententiæ, esse tenendam partẽ negatiuam. s. non esse necessarium simpliciter, vt satisfaciens sit in gratia; quam opinionẽ declarat trib. dictis, siue assertionibus. Prima est. Si quis impleat satisfactionem sibi ab Ecclesia impositã claue non errãte in charitate melius facit. Hanc probat, quia non tantũ soluit pęnam, sed meretur. Secunda assertio. Si eam adimpleat voluntariè extra charitatem, soluit quidẽ pęnam, sed non meretur gratiã. Tertia assertio. Si pęna, & satisfactio exigitur ab eo extra charitatem, soluitur pęna, licèt ipse nõ soluat. Hæc conclusio patet, quia si quis debeat alicui decẽ, & creditor ab eo exigat decem, siuè voluntariè, siuè non, soluat debitor, pęna exigitur, vltra quã alia amplius nõ exigetur. Ita in proposito peccator per commutationem pęnæ æternæ in certam pęnam temporalem, remanet debitor illius certæ pęnæ temporalis, cum illa exigitur à Deo, & ipse eã soluit siuè voluntariè, siuè nõ, soluit debitum; nec amplius vlterior pęna est exigẽda; ꝙ dicit Scotus propter purgatorium, in quo pęna exigitur à Deo à coactis. Positas conclusiones amplius declarat Scotus subdẽs, quod in prima assertione est satisfactio simpliciter, quia reconciliãs, & placans; in secunda est quidem satisfactio, quia voluntaria redditio, &c. sed nec reconcilians, nec placans;

1. Assertio Scoti.

2. Assertio

3. Assertio

in ter-

in tertia est satisfactio, vltra quam non exigetur pœna vlterior.

1. Corrolariũ ex Scoto. Ex secunda assertione deducit hoc corrolarium, quod si quis magnam partem satisfactionis sibi impositæ impleuit in peccato mortali, & post iterùm pœnitet, de peccato nouo non est sibi iterato pœnitentia imponenda pro peccato de quo satisfecit, licèt extra charitatem, sed tãtùm de nouis peccatis, quæ fuerunt causa, propter quam illa satisfactio fuit mortua.

2. Corrolarium. Adiungit Scotus distinctionem de satisfactione, per q̃ argumentis oppositæ partis satisfit, & ex prædictis conclusionibus maximè ex secũda sequitur, quæ est, quod duplex est satisfactio, alia est satisfactio nedùm satisfaciens, sed reconcilians, & placans, quam possumus appellare satisfactionem perfectam; alia est satisfactio satisfaciens tãtùm, sed neque concilians, nec placans; quam possumus appellare satisfactionem puram, & imperfectam. Cùm quis satisfacit in gratia, est satisfactio perfecta: & cum quis satisfacit in peccato mortali, est satisfactio pura, & imperfecta. Satisfactio verò tertio modo, quæ est inuoluntaria, si consideretur pro hoc statu, nec est verè satisfactio, nec soluit debitum: quia dictum est suprà in diffinitione satisfactionis, quòd est volũtaria redditio, &c. Ille actus enim solùm habet acceptabilitatem apud Deum in viatore, qui est voluntarius; extra statum autem huius viæ exactio pęnæ impositæ, licèt sit inuoluntaria, est satisfactoria ex ordinatione Dei, qui statuit, vt pœna illa temporalis omninò solueretur; & quia non soluitur in hac vita, vbi per voluntariam solutionem multò minori erat contentus, ibi, quia est extra hunc statum, multò grauiorem exigit, vt deinde videbimus.

Ad primã rationẽ pro opin. opposita. 122 Ad rationem primam pro opinione contraria respondetur, quòd satisfactionis nomen potest duobus modis considerari: vno modo, vt dicit ordinationem culpæ: alio modo, vt dicit ordinationem pœnæ temporalis remissa culpa. Satisfactio primo modo dicit reconciliationem, & placationem: & in hoc sensu contritio ipsa, quatenus est tristitia interna de peccato, est pœna satisfactoria pro culpa. Similiter confessio exterior peccatorũ propter verecundiam, & ruborem est pœna satisfactoria, vt dictũ est priori capite huius disputationis; at in præsenti non loquimur de satisfactione in hac significatione. Satisfactio verò secundo modo non necessariò dicit, nec importat ex vi nominis placationem, & reconciliationem: quia, vt diximus, potest quis soluere pœnam temporalem debitam offensæ absque vlla reconciliatione noua, vel placatione, præter priorem, qua culpa dimissa est, vt dicebamus de illo, cui abscissa est manus propter offensam Regis, qui satisfacit, itaquòd vlterior pœna non exigitur; non tamen nouam aliquam reconciliationem, vel amicitiam cũ Rege init. Satisfactio autem, de qua nunc est sermo, est huius generis; est enim redditio pœnæ temporalis taxatæ, iam culpa dimissa: noua autem offensa non retractat priorem sententiam, & pactionem, nec facit, quin si soluat illam pœnam taxatam non satisfaciat secundùm iustitiam: licèt ob nouam offensam remaneat plectendus.

Obiectio ex Soto. 123 At contrà arguit Soto. Reatus pœnæ est annexus culpæ; ideò solutio pœnæ attinet ad perfectam remissionem culpæ, & ad perfectè reconciliandam amicitiam: quæcunque autem remissio culpæ fit per gratiam Dei; ergo satisfactio culpæ extra gratiam fieri nequit.

Solutio. 124 Respondeo, quòd pœna est annexa culpæ suæ nõ alienæ: ideò pœna debita vni culpæ non potest transire, & annecti alteri diuersæ culpæ, vt patet; ergo cum quis iã dimissa culpa priori remanet obligatus pœna temporali, per culpam posteriorem non potest impediri à satisfactione prioris pœnæ, quia tunc transferriretur pœna prioris peccati ad peccatũ posterius: qui ergo dimissa priori culpa satisfacit pœnæ temporali eiusdem peccati prioris, licèt sit in peccato posteriori respectu satisfactionis illius, est ac si non esset in peccato, quia peccatum, & culpa, propter cuius pœnam satisfacit, est illa iam dimissa: vnde consequenter sit, quòd etiam pęna ei annexa dimitti possit, nec obstare possit peccatum nouum. Si ratio Soto valeret, oporteret extare legem, quod qui dimissa culpa remanet debitor pęnæ temporalis illam in gratia, & ante nouum peccatum soluere debeat, alioquin non valebit: at hæc lex non reperitur, vt diximus arguendo contra opinionem præcedentem.

125 Ad secundam respondetur, eum, qui soluit pęnã iniunctam pro peccatis in statu peccati, soluere in virtute passionis Christi, & virtute gratiæ Christi satisfacere; non autem virtute gratiæ, quæ tunc adsit in satisfaciente, sed quæ aderat quando culpa ei dimissa fuit: virtute enim gratiæ tunc iustificantis peccatorem acceptata fuit pęna temporalis soluenda, ideò in quocunque statu illa soluatur, sufficit. Ad secũdã.

126 Ad tertiam respondetur, ꝙ etsi satisfaciens in peccato mortali sit extra charitatem: tamen pro illo tunc, quo Deus acceptauit hanc pęnam soluendam pro pęna temporali debita, erat in gratia, & quia Deus non retractat dona sua semel concessa, sequitur quod neque propter peccatum subsequens irritet peccatum factum de acceptanda penitentia illa pro pęna temporali peccati. Ad tertiã.

127 Ad quartam respondetur rationẽ concludere, nullum actum esse meritorium vitæ æternæ, nisi fiat ab hoĩe existente in gratia: at hoc non concludit de satisfactione, quia hæc non ordinatur ad vitam ęternam consequendã, sed ad temporalem pęnam debitam soluendã, q̃ est quid longè inferiùs, & dulcius. Deinde possumus dicere, quòd Deus facit hanc beneficentiam homini, non ratione status præsentis, in quo est ei inimicus, sed ratione status præteriti, in quo dimisit ei culpam, & eum recepit in gratiam, & pęnam æternam debitam commutauit in hãc pęnam temporalem, & decreuit illam pro æterna, velle acceptare. Ad quartã.

128 Ad quintam respondetur vt ad tertiam, quòd pęna est iuncta peccato, at non cuique, sed illi cuius est pęna: ideò per illam gratiam, qua eius culpa dimissa fuit, etiam ipsa pęna acceptatur à Deo. Ad quintã.

129 Ad sextam respondetur, vt in argumento, ꝙ auctoritas illa probat ad hoc, vt opus sit meritorium debere fieri ex charitate, & in gratia non de satisfactione. Ad probationẽ contra hoc rñdetur, quod etsi opera illa sint genere suo satisfactoria pro pęna, sunt ẽt satisfactoria pro culpa. Populus Israel faciebat opera illa, vt satisfaceret Deo pro culpa, & vt mereretur vitã æternam: volebat. n. opera illa esse iustitias, i. condigna gratiæ Dei, & vitæ æternæ, quod patet ex priorib. verbis Isaiæ in eo capite 58. dum inquit, *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocẽ tuã, & annuntia populo meo scelera eorũ, & domui Iacob peccata eorũ; me etenim de die in diem quærunt, & vias meas scire volũt, quasi gens, q̃ iustitiã fecerit, & iudicium Dei sui non dereliquerit, rogãt me iudicia iustitiæ, et appropinquare Deo volũt. Quare ieiunauimus,* &c. Volebant ergo per illa opera iustificari, & mereri apud Deum, sed quia non erant facta ab eis in gratia, reijciebantur. Eodem modo respondendum est ad alias auctoritates: concludunt enim victimas impiorum esse abominabiles Deo, idest non acceptas, nec gratas pro vita æterna consequenda. Ad sextã.

130 Ad septimã concedo satisfactionẽ factã in gratia esse maioris valoris, q̃ satisfactio facta extra gratiã; nego tñ ex hoc sequi, satisfactionẽ factã extra gratiã esse nullius valoris, quia etiam ista satisfactio est alicuius valoris; intra enim finitatem valoris satisfactionis datur latitudo, ideò vtraque est finita, sed prior est valoris maioris; secũda est valoris minoris, quia nõ placat, nec recõciliat, vt dictũ est. Ad septimam.

131 Ad octauã rñdetur, Conciliũ in illis verbis loq̃ de auxilio gratiæ necessariò nobis ad eliciẽdũ opera bona, ꝙ Pelagiani negabãt, nõ de gratia gratũ faciẽte, de qua nũc loquimur, & hoc esse verũ patet ex verbis ipsis: retundit. n. temeritatẽ hǽticorũ, nr̃orũ, q dñt has satisfactiones tollere meritũ Xp̃i, quasi nos catholici dicamus, has satisfactiões esse ex se satisfactorias sine merito Xp̃i; vbi obseruãdũ est Ad octauã.

Suarez, falsam opin. tribuit Scoto.

Suarez eo loco, falsam opin. tribuere Scoto: dicit.n. Scotũ negare hmõi auxiliantẽ gratiam, seù ex principijs eius deduci, non requiri auxiliantẽ gratiã, ꝙ est falsum, vt suprà disp. 15. oñdimus. Ad aliud cum dr̃ illa verba, *in quo viuimus*, &c. significare satisfactionẽ esse fructũ gratię. Rñdetur significare esse fructum gratiæ, idest auxilij diuini, sine quo huiusmodi opera, etiam existens in peccato mortali efficere non potest: addo, Concilium loqui de perfecta satisfactione, quæ est reconcilians, & placans, & hæc sinè dubio est ab homine existente in gratia: addo tertiò etiã satisfactionem factam in peccato mortali inniti gratię, & esse fructum gratiæ non præsentis, sed pręteritæ; nimirum illius virtute cuius culpa dimissa fuit: sicuti enim culpã dimisit, ita mutauit pęnam æternam in temporalem, & eã pro pęna peccati sufficere voluit. Verba autem illa, in quo viuimus, non significãt, quod qui satisfacit, dũ satisfacit viuat in Christo, vel debeat viuere in Christo, i. esse in gratia ipsius, sed significant omnem nostram bonã actionẽ, & vitam spiritualẽ nostram bonam inniti non nostris viribus, sed auxilio gratiæ, & merito ipsius Christi: & omnẽ sufficientiam nostram esse ex ipso, non ex nobis. Hic autẽ sensus nobis nihil obest, quia iam dicimus satisfactionem illam factam in peccato etiã inniti gratię auxilianti Christi, & insuper pendere ex gratia gratificante, qua eius culpa dimissa fuit.

Ad nonam

132 Ad nonam patet ex dictis ad argumentum præcedens.

Ad decimã

Ad decimam respondetur satisfactionem factam extra gratiam esse de condigno: quia innititur gratiæ gratũ facienti non præsenti dum satisfacit, sed præteritæ, qua ei remissa fuit culpa, cui talis pęna debetur.

An vna satisfactio sit separabilis ab alia.

133 Ex dictis patet solutio articuli quarti quæst. principalis propositæ à Scoto in hoc quarto dist. 15. in quo quęrebatur, an vna propria satisfactio sit separabilis ab alia. Respondetur, quod licèt satisfactio pro vna culpa, & peccato non possit separari ab alia, vt dictum est primo capite huius disputationis, quia impium est à Deo dimidiã petere veniam, nec Deus dimittit vnam culpam non dimittendo omnes, & hoc loquendo de culpis mortalibus, quia de venialibus, cum illæ non tollant gratiam, potest vnã dimittere sine alia, sicut dicemus de satisfactionibus: tamen loquendo de satisfactione respondet Scotus ead. dist. 15. §. *de quarto articulo*, & omnes alij consentiunt affirmatiuè, quod potest fieri satisfactio de pęna pro vno peccato debita, non satisfaciendo pro pęna alteri peccato debita. Hæc solutio patet, quia v.g. aliquis commisit diuersa peccata, pro quibus diuersæ pęnæ impositę sunt ei, vt putà oratio, & eleemosina; quando autem orat non dat eleemosinam; ergo tunc satisfacit pro pęna debita vni culpæ non satisfaciendo pro pęna debita alteri culpæ, & sic de alijs: neque tota pęna simul potest dimitti, sed paulatim.

An opa satisfactoria facta ĩ peccato mortali reuiuiscant adueniente gratia.

134 Hic apud nos cessat quæstio, an bona opera facta in peccato mortali adueniente gratia reuiuiscant quò ad effectum satisfaciendi ex opere operantis. Nam Theologi sequentes oppositam sententiam tenent partem negatiuã, & quidem cõsequenter. Nos aũt cum teneamus actus satisfacere etiam facta in peccato mortali, hoc dubium est nullum; an verò opera bona, quæ de suo genere sunt meritoria facta in peccato mortali reuiuiscant adueniente gratia, est alia quæstio, de qua infra cum Scoto fusè agemus.

An post hãc vitã dimitti possit pęna peccati hic non soluta.

An etiam post hanc vitam possit dimitti pęna pro peccato imposita, & præsertim temporalis, quam quis in hac vita non soluit; & deinde in peccato mortali decessit, quam tangit Scotus in fine huius distinctionis 15. quæst. 1. Q. dicam infrà cum Scoto explicando quæstionem primam distinct. 21.

Vtrum opus satisfactorium debeat esse liberum, moraliter bonum, & supererogationis. Caput Septimum.

135 Quod actus satisfactorius debeat esse voluntarius, nulli est dubium, certum est.n. actum pro tanto esse imputabilem ad bonitatem, & malitiam, inquantum est voluntarius: actus.n. inuoluntarius, vt suprà diximus, nullius est valoris; vnde Scotus in diffinitione satisfactionis dicebat satisfactionem esse operationem exteriorẽ laboriosam voluntariè assumptam, quod ẽt esse debeat moraliter bonus, nulli est dubiũ: nam in diffinitione dicebat Scotus, & oẽs consentiunt, & expresè habetur in Concil. Trid. sess. 14. c. 14. & 18. satisfactionem esse operationem exteriorem pęnalem voluntariè assumptam ad placãdum Deum: certum est aũt Deum nõ placari opere, ꝙ sit peccatum, sed offendi, & irritari ad puniendum magis hominẽ ipsum peccatorem: deniq. satisfactio est effectus diuinę gratiæ acceptantis per Christum satisfactiones nostras: Deus aũt non acceptat id, quod malum est, neq. Christus intercedit, vt opus peccati accepteтur à Patre pro satisfactione; ergo.

Opus satisfactorium, debet esse volũtariũ, & moraliter bonum

An actus satisfactionis debeat esse supernaturalis.

An verò debeat esse supernaturalis, respondetur, ꝙ si per supernaturale intelligimus, ꝙ debeat esse ex gratia gratum faciente, iam dictum est capite præcedenti, partẽ negatiuam esse veram: si verò intelligatur esse debere supernaturalẽ, i. debere elici ab auxilio diuino, & propter Deũ, nulli dubium est, partem affirmatiuam esse verã: quia dictum est in diffinitione debere elici ad placandũ Deum; ergo necessarium est, quod eliciatur propter Deum, vel sustineatur propter amorem Dei, & procedat ex charitate; non est tamen necessarium, vt explicitè, sed sufficit si implicitè, & habitualiter, non autem actualiter eliciatur ex charitate.

An satisfactio fieri possit ꝑ opera præcepti.

136 Circa tertiam partem autem tituli dubitationis est maior difficultas, an.s. satisfactio fieri possit per opera præcepti, vel supeterogationis. Hac.n. in re duæ sunt opiniones cõtrariæ: quidam dicunt omnia opera ẽt pręcepta ad satisfaciendum valere. Hanc sententiam præsertim sequuntur recentiores Caiet. tom. 1. opusc. tract. 6. q. 1. quẽ posteà alij secuti sunt. Soto in 4. dist. 19. q. 2. ar. 1. circa finẽ, Ledesma q. 14. ar. 1. dub. 5. Petrus Soto lect. vlt. de satisfactione. Medina tract. 3. q. 4. dub. 3. Adrianus q. 3. de satisfactione, & tandem Suarez de pęnit. disp. 37. sect. 4. qui alios citat, & sequitur. Pro hac opinione Soto in 4. vbi suprà adducit has rationes.

Opin. Caiet. & Recẽtiorum.

137 Prima. Opus quod habet virtutem augendi gratiam, habet etiam virtutem satisfaciendi pro pœna tẽporali: at opus præcepti auget gratiam, immò est magis meritorium, quàm opus supererogationis: quia opera facta ex præcepto sunt magis meritoria, quàm opera facta ex consilio, & extra præceptum obedientiæ; ergo. 1. Ratio.

138 Secũdò. Ecclesia instituit ieiunia Quadragesimalia, & alia Quatuor temporum in satisfactionem peccatorum; vnde in Præfatione canit, *Qui corporali ieiunio vitia comprimis*, &c. ergo per ista ieiunia satisfacimus; alioquin consilium esset non imponere illa ieiunia, vt liberè assumpta magis satisfaceremus. 2. Ratio.

139 Tertiò. Per opus martyrij sinè dubio satisfit omnibus pęnis etiam quando sustinetur ex præcepto: quia clarum est martyrem euolare statim in cœlum; ergo satisfactio fieri quàmmaximè potest per opus præcepti. 3. Ratio.

140 Confirmatur, quia eleemosina facta ex præcepto, cum sit magis meritoria, quàm facta extra præceptum: ieiunium ecclesiasticũ, & cæteræ afflictiones ex voto factæ, actus contritionis, & dilectionis Dei non minus sunt meritorij iustificationis, cum fiunt ex præcepto, quàm tempore extra præceptum; ergo similiter huiusmodi non minùs sunt satisfactorij, cùm fiunt ex præcepto, quàm extra præceptum. Confirmatio.

141 Quartò. Aliquando est salutare consilium imponere pœnitenti opera debita ex præcepto. Exempli gratia, quis non ieiunat tempore Quadragesimæ ex negligentia: salubriter faciet, ait Soto, sacerdos si pro satisfactione imponat illi, vt ieiunet in Quadragesima: ergo tale ieiunium erit illi satisfactorium, & tamen erit etiam præceptum. 4. Ratio.

142 Quintò. Opera nostra pœnalia, si sint grata Deo, possunt habere rationem vindictæ, & punitionis liberæ 5. Ratio.

pro

pro peccato assumptæ, etiam si præcepta sint: quia nec præceptum tollit libertatem, nec bonitatem, nec pœnam.

Confirmatio. 143 Confirmatur: quia testimonia supra adducta ex Sacra scriptura, quæ probant, nos posse satisfacere pro pœnis nostrorum peccatorum, per opera pœnalia non restringunt hanc promissionem ad opera consilij, sed generaliter loquuntur, & sæpè in particulari de operibus præceptorum; ergo nec nos illa limitare debemus.

Reijcitur. Opin. Scoti, & aliorũ. 144 Verũ hæc opinio certè est falsa, vt euidenter infrà ostẽdam, & verissima est opinio Scoti, & multorũ aliorũ Doctorũ, qui eum sequuntur, etiam ex Thomistis, immò ea est expressè D. Th. vt postea videbimus. Scotus ergo hac dist. 15. q. 1. a. 2. §. *Quantum ad istum ergo articulum*, supponit opera satisfactoria non debere esse debita alio titulo, sed necessariò debere esse ex indebitis: vnde inquit, quod, & si *quidquid sumus, & possumus, teneamur* Deo, tamen, sicut nunc de facto ex maxima misericordia sua, considerans nostram fragilitatem, & difficultatem ad bonum noluit nos regulariter obligare, nisi ad decalogum, ita absque eo, quod verbum incarnaretur potuisset de potentia sua absoluta obligare nos solùm ad decalogum. *Et tunc homo potuisset habere aliqua opera supererogationis, quæ aliàs essent sibi indebita, & tunc per illa potuisset satisfacere: quia saluaretur tota ratio satisfactionis*; ex his patet Scotum supponere, quod satisfactio non possit fieri per opera aliàs debita ex vi præcepti, sed solùm per opera supererogationis. Eandem sententiam, vt certaur supponit

D. Thom. D. Thomas in 4. dist. 15. q. 1. a. 2. ad 3. vbi inquit *quadam mensura est homini adhibita, quæ ab eo requiritur, scilicet impletio mandatorum, & super ea potest homo aliquid e-*

D. Bonau. *rogare, vt satisfaciat*; etiam D. Bonau. eadem dist. p. 2. ar. 1. q. 3. ad primum, videtur supponere satisfactionem fieri solùm per opera aliàs indebita: nam ibi distinguit de operibus debitis Deo, & ait. Alia esse debita Deo ratione boni collati ab eo nobis, & hic est honor, quem Deo reddimus, cum ei gratias agimus. Aliud est debitum ratione mandati, & hunc debemus per obedientiam, & subiectionem. Aliud ex maiestatis imperio, quem reddimus per adorationem latriæ. Et tandem aliud debitum ratione peccati commissi, & hunc reddimus Deo per nostri puni-

Richardus tionem, & hoc est in satisfactione. Richardus autem eadem dist. 15. a. 1. q. 2. Ad secundum argumentum expressè tenet nostram sententiam; ait enim. *Ad secundum dicendum, quod Deus ex liberalitate sua nostræ infirmitati condescendens, homini constituit mensuram eorum, ad quæ de necessitate tenetur, quæ est obseruantia præceptorum, vt de reliquo, idest de operibus supererogationis possit satisfacere pro commisso*, &c. Ex his ergo expressè patet, antiquos Doctores supposuisse satisfactionem, non posse fieri per opera præcepti debita, vel alio titulo obligata, sed per opera supererogationis: vnde Thomistæ celebriores eandem te-

Paludanus. Capreolus Maior. Almaynus nent. Paludanus eadem dist. 15. q. 1. art. 2. Capreolus eadem dist. q. 1. a. 3. præsertim ad quartum contra quartam conclusionem. Maior eadem dist. q. 2. dubio primo. Almaynus q. 1.

1. Ratio pro opin. Scoti 145 Pro hac opinione Scoti adducitur vnica, sed validissima ratio, quam ipse, & alij communiter supponunt, nimirùm: quia nemo potest eodem pretio, seù solutione satisfacere duplici debito: at opus præcepti est nobis debitum ratione præcepti, opus satisfactionis est nobis debitum ratione peccati commissi, siue ratione iustitiæ vindicatiuæ; ergo per opus præcepti non possumus satisfacere debito, ad quod tenemur ratione iustitiæ vindicatiuæ. Maior est euidens ex diffinitione satisfactionis: satisfacere enim est reddere æquale debito: nõ fieret autem æqualitas, si id, quod redditur, esset aliàs debitum. Si enim quis debeat alicui decem ratione mutui, & debeat eidem decem ratione emptionis, non potest per decem satisfacere vtrique debito, sed debet reddere viginti; decem pro mutuo, & decem pro emptione. Ita in proposito, homo est debitor Deo operis alicuius ratione præcepti, est etiam debitor operis alicuius ratione satisfactionis; ergo per opus debitum ratione præcepti non potest satisfacere pro debito ratione satisfactionis.

146 Respondent Caiet. vbi suprà, & Suarez de pœnitentia disp. 37. sect. 4. num. 4. & 3. p. disput. 4. sect. 6. conditionem illam positam in diffinitione satisfactionis, *aliàs indebiti*, intelligi, quando vtrunque debitum est debitum ratione iustitiæ propriæ, & præsertim respectu eiusdem: vnde si sint debita alijs titulis, vt ratione obedientiæ, vel gratitudinis, aut misericordiæ, benè per vnum opus potest satisfieri duplici, & triplici debito. Vnde videmus, quod eodem actu satisfacimus duobus præceptis, vt si quis eodem die teneatur ieiunare, ex præcepto Ecclesiæ, & ex voto proprio, vel religionis; in proposito opus præcepti non obligat ex iustitia, sed ex obedientia: ideo potest eodem opere satisfieri debito iustitiæ. Et ratio est: quia causa, propter quam ex eodem opere debito duplici titulo iustitiæ non potest quis ambobus satisfacere, est, quia diminuitur pretium, nec redditur æqualitas debito, quod requiritur ad iustitiam: at opus debitum ratione obedientiæ, vel alterius virtutis, non diminuit pretium iustitiæ, nec impedit æqualitatẽ: ideò potest per illud vtrique titulo satisfacere. Responsio Caietani, & Suarez.

147 Antequam hanc responsionem reijciam oportet detegere errorem, quo Caiet. & eius Sectatores decipiuntur. Obseruandum est ergo, aliud esse opus meritorium esse satisfactorium pro pœna temporali peccati, & aliud pœnam temporalem debitam peccato, culpa dimissa, posse solui per opus præcepti, & alio titulo obligatum Deo. Hæc enim duo quàm maximè distant, & tamen videntur esse idem; & quia videntur esse idem, hinc est quod ex hac æquiuocatione decepti sunt. Primum est quidem verissimum, neque vllus ex antiquis Doctoribus illud negauit, vel negat. Nam Scotus, & alij apertissimè dicunt, quod contritio potest esse adeo perfecta, quod posset dimittere nedum culpam, sed totam pœnam; similiter confessio est opus meritorium, & delet nedùm culpam, sed partẽ pœnæ propter verecundiam. Idem dicendum de martyrio, cum enim sit opus excellentissimæ fortitudinis nedùm delet culpam, sed etiam totam pœnam, & martyr euolat. Idem dicendum de omnibus alijs operibus meritorijs: illa enim nedum delent culpam, sed aliquam partem pœnæ temporalis. In hoc sensu procedunt rationes aduersariæ opinionis. Hoc autem totum conceditur, sed non est illud, quod est in controuersia. Secundum autem est illud, quod est in controuersia, & ad hoc dicimus nequaquam pœnam debitam, & impositam pro culpa posse deleri per opera pœnalia præcepti. Hæc pars probatur, & simùl responsio aduersariorum impugnatur. Reijcitur. Error Caiet. & Suar.

148 Primò. Pœna, quæ debetur alicui ratione iustitiæ, non soluitur per exhibitionem alterius pœnæ debitæ eidẽ iustitiæ alio titulo; sed satisfactio, quæ soluitur pro peccati pœna, est pœna debita ratione virtutis iustitiæ; ergo illa non soluitur per solutionem, seù exhibitionem pœnæ alio titulo debitæ eidem iustitiæ: huiusmodi est opus præcepti; ergo. Minor est euidens: nam pœnitentia est virtus iustitiæ vindicatiuæ, satisfactio autem est pars istius iustitiæ, vt omnes concedunt; ergo. Maior probatur. Pœna satisfactionis imponitur ad reddendum æqualitatem inter offendentem, & offensum: at dum quis soluit offenso illud, quod iam est illi debitum alio titulo, nõ reddit ei aliquid, per quod fiat æqualitas inter ipsos, sed offendens semper remanet superior, & remanet semper debitor. Confirmatur, & declaratur exemplo. Aliquis damnatus est ad soluendum centum pro offensa facta Reipublicæ, hic debet eidem Reipublicæ centum pro tributo ratione Dominij; clarum est, quod per hæc centum nõ dimittitur debitum soluendi centum pro offensa facta Reipublicæ: quia per hanc solutionem non fit æqualitas inter eos, sed lucrum est apud debitorem. Aliud assumptum, quod opus præcepti sit opus debitum ratione iustitiæ, patet, quia trãgressio præcepti est cõtra iustitiam, quia est iniuria facta Deo: peccatum enim, quantum est ex se, aufert honorem ipsi Deo. 1. Ratio.

Con-

Confirmatio.

149 Confirmatur, & magis declaratur: secundùm aduersarios, vt vidimus, illa conditio in satisfactione, vt fiat ex aliàs indebito, habet locum tantùm in debito iustitiæ, non in debito aliarum virtutum, vt gratitudinis, obedientiæ, & similium, & habet locum in debito ex iustitia, vt fiat perfecta æqualitas. Tunc sic: at hæc ratio militat etiam in debito ex alijs virtutibus; ergo. Assumptum probatur: nam si quis est debitor ratione iustitiæ centum, vt ratione emptionis, & eidem est debitor ratione obedientiæ alia centũ, quia verbi gratia est eius subditus, & præcepit Princeps, vt vnusquisque exhibeat labores pro restauranda ciuitate valoris centum. Si quis soluens centum Principi, satisfaceret debito vtriusque tituli, scilicet emptionis, & laborationis, certè hic non esset æqualitas, sed lucrum ex parte satisfacientis, & damni ex parte creditoris. Ita in proposito peccator debet Deo pœnam ieiunij dierum decem: debet etiam ieiunium dierum decem ex præcepto Quadragesimę: si peccator potest ieiunio dierum decem in Quadragesima satisfacere debito ieiunij pro peccato, non redditur æqualitas inter debitorem peccatorem, & Deum creditorem; sed debitor habet lucrum, & Deus dãnum: quia peccator non reddit Deo tantum, quantũ debet, sed minus.

2. Ratio principalis

150 Secundò principaliter confirmatur sententia nostra ex praxi Ecclesiæ continua, quæ non habet in vsu iniungere pœnitentias de ieiunijs, & orationibus, quæ sunt in præcepto; ergo signum est, quod satisfactio debet esse de ijs, quæ non sunt obligata titulo præcepti, & obedientię. Responsio Caietani ad hoc argumentum confirmat nostram sententiam: nam inquit, *Aliud est loqui de satisfactione infra limites puræ iustitiæ, & aliud est loqui de satisfactione sapiente magis naturam amicitiæ, quàm iustitię; argumentum procedit de satisfactione infra limites iustitiæ conclusa, de qua,* inquit, *hic non est sermo*. Ego autem infero, at argumentum loquitur de ritu, & praxi, quam seruat Ecclesia in imponẽda pęna pro satisfactione, quæ est pars pœnitentiæ: satisfactio autem, quæ est pars pęnitentiæ est iustitia manens intra limites iustitię præsupponẽs amicitiam factam per dimissionem culpæ: culpa enim est quę facit hominem inimicum Deo; ergo in hac satisfactione pœna satisfaciens non potest esse alias debita.

Responsio aduersariorum reijcitur.

151 Tertiò auctoritas Anselmi lib. 1. cur Deus homo cap. 11. adducta à Caietano apertè sententiam nostram astruit: verba enim Anselmi sunt ista. *Hoc quoque attendendum, quod cum aliquis, quod iniustè abstulit, soluit, hoc debet dare, quod ab illo non posset exigi, si alienum non rapuisset. Sic ergo debet omnis, qui peccat, honorem, quem rapuit, Deo soluere, & hoc est satisfactio, quam omnis peccator debet Deo*, dum dicit, *hoc debet dare, quod ab eo non posset exigi si alienum non rapuisset*, ostendit apertè satisfactionem non posse fieri de eo, per id quod iam debet. Satisfactio enim est quædam restitutio eius, quod alteri ablatũ est, & in proposito, satisfactio peccatoris erga Deum secundùm Anselmum est restitutio honoris, quem ei rapuit; satisfactio ergo non potest esse de rebus creditoris, sed fit de rebus ablatis ipsi creditori, vt fiat æqualitas, & vnusquisque suum habeat: at opera præceptorum sunt opera Dei, quia iam illi ea debemus ratione obedientiæ; non ergo potest fieri compensatio, & satisfactio pœnæ debitæ per illa opera pręcepti, quia sic satisfaceremus Deo de suo, non de eo, quod ei abstulimus: & lucrum esset apud nos, & apud Deum damnum. Hic est sensus apertus D. Anselmi. Vnde patet Caietanum minimè intellexisse Anselmũ hoc loco, dùm dicit ex hac auctoritate nihil aliud haberi, nisi quod satisfactio fit per pœnalia. Hoc enim, etsi in se sit verum: tamen quàm longè abest à sensu huius auctoritatis.

152 Quod confirmatur ex alio loco Anselmi eodem libro *cur Deus homo* cap. 20. ibi enim apertè probat hominem non posse satisfacere Deo hac ratione, quia quidquid habet homo est totum Dei; ideo nihil habet, per quod satisfaciat Deo, & in particulari, quod per obedientiam, idest per opera præcepti non possit satisfacere, ibi probat, quia illa opera, & obediẽtiam ipsam tenetur præstare Deo. Verba eius sunt. *In obedientia uerò quid das Deo, quod non debes, cui iubenti totum quod es, & quod habes, & quod potes debes?* At si posset satisfactio fieri de rebus præcepti certè ratio Anselmi non valeret, quia possemus respondere opera præcepti esse satisfactoria sicut sunt meritoria.

Alia respõsio tacita reijcitur.

153 Hæc valet si quis dicat, hoc esse verum de rigorosa satisfactione, quæ excludit gratiam creditoris, non valet inquam: quia D. Anselmus loquitur de satisfactione, quam potest facere peccator erga Deum, vt vidimus priori auctoritate; hæc autem, vt omnes norunt, supponit gratiam, nec est omninò rigorosa, idest exclusa gratia Dei.

Opera præceptorũ nõ rectè imponuntur pro satisfactione à confessarijs.

Consilium Soto reijcitur.

154 Ex his deducitur nõ rectè imponi pro satisfactione opera pręceptorum, & si imponantur, regulariter, & propriè non satisfieri per illa pœnæ debitæ pro peccatis, nisi eis aliquid addatur valoris ex intentione operantis, vel aliqua circunstantia, ratione cuius excedat valorem suum ordinarium. Vnde quod ait Soto in 4. argumento sacerdotem prudenter facere, si imponat ieiunium quadragesimale illi, quem noscit non ieiunasse, mihi non probatur: sic enim ille peccator ex sua malitia, & transgressione lucraretur; minus enim debitor euaderet Deo, quia pęnam debitam pro ieiunio quadragesimali soluendo solueret per pœnam debitam suis peccatis. Debet ergo confessarius alia salutaria remedia adhibere, vt inducat transgressorem ad obseruantiam ieiunij quadragesimalis, sed non debet illud ei pro satisfactione suorum peccatorum imponere.

Rationes i opposiũ.

155 Ad argumenta partis contrariæ patet responsio per distinctionem supra allatam tollẽtem ambiguitatem, in hac quæstione, quam quia auctores citati non animaduerterunt opinionem contrariam antiquis Theologis, & Patribus, & falsam induxerunt, & secuti sunt. Quæ distinctio est, quod aliud est quærere, an omne opus meritoriũ sit satisfactorium quoque pœnarum temporalium debitarum pro culpis dimissis; & aliud quærere, an pęnæ debitæ pro culpa satisfieri possit per opus pęnale pręcepti. Rationes adductæ pro opinione allata concludunt, omne opus meritorium esse satisfactorium, & hoc concedimus: at non probant opus præcepti posse satisfacere, pro pęna iniuncta pro culpis ratione satisfactionis, quia, & si satisfaciant pro pęna temporali, si illa adsit, non tamen satisfaciunt pro pœna debita ratione iustitiæ, & satisfactionis vindicatiuæ, quia iam illa opera sunt debita Deo secundũ totum suum esse, & valorem satisfaciendi pęnis, (si adsint, & si non adsint, pœnalitas, quæ esset satisfactoria pro pęnis cedit in honorem Dei, & in maius meritum operantis) alio titulo, scilicet obedientiæ; & ideo non possunt iterum satisfacere pęnæ debitæ ratione satisfactionis pęnitentialis, quia non fieret tunc æqualitas inter Deum, & peccatorem, vt dictum est.

Rõ quædã Suarez reijcitur.

156 Et per hoc excluditur ratio quædam Suarez, qui vbi suprà ait, actum præcepti quatenus actus bonus est satisfacere præcepto; quatenus verò est pęnale posse soluere pęnam debitam pro peccato, excluditur inquam, quia nõ possumus distinguere ab actu præcepti bonitatem à pęnalitate; actus enim materialis includit pęnalitatem, & super totum actum fundatur ratio bonitatis, & gratitudinis Deo, ideò illa pęnalitas, cum non adest pęna temporalis soluenda, cedit in maius meritum, & augumentum glorię operantis, & laudem ipsius Dei præcipientis, cuius est ille actus, vt sic sicut dictum est.

157 Et quod ait Caietanus pro sua opinione, facere consuetudinem illam antiquam laudabilem sacerdotum, qui absoluendo dicunt, *quidquid mali sustinueris, vel sustinebis sit tibi in remissionem peccatorum*, &c. Respondeo quod verba, quæ in vsu sunt apud sacerdotes secundùm ritum Ecclesiæ Romanæ, sunt hæc. *Quidquid boni feceris, & mali sustinueris sit tibi in augumentum gratiæ, & premium vitæ æternæ*, non dicunt in remissionem peccatorum,

rum, vt vult Caiet. deinde, vt suprà diximus, loquendo de forma sacramenti pęnitentiæ verba illa non sunt absolutoria, neque impositoria pęnitentiæ, sed sunt deprecatoria; est enim oratio sacerdotis, qua pro pęnitente precatur Deum, vt velit acceptare mala pęnalia, quæ perpessus est, pro remissione pęnæ ipsorum peccatorum. Hoc autem non probat opera illa pęnalia de se secundùm iustitiam esse satisfactoria, & posse pro satisfactorijs imponi pęnitenti.

Vtrùm conuenienter opera satisfactoria ponantur illa tria, ieiunium, oratio, & eleemosina, & an pœnitentia publica imponi possit.
Caput Octauum.

Peccata in genere distinguūtur in tria mēbra.

158 Conueniunt omnes Theologi in hoc 4. dist. 15. opera satisfactoria consistere in his tribus operibus pœnalibus, scilicet ieiunio, oratione, & eleemosina: Scotus tamen eadem dist. 15. q. 1. §. *de secundo principali*, exponit & declarat hoc in hunc modum: peccata in genere distinguuntur in tria membra 1. Ioan. 5. scilicet in peccatum carnis, in peccatum concupiscentiæ oculorum, & in peccatum superbiæ vitæ: ideo eis quoque respondent satisfactiones in triplici genere, & hoc de congruo: nam peccato carnis correspondet ieiunium, vel vniuersaliter, quæcunque maceratio carnis magis ordinata ad reprimendū tale peccatum carnis, & sub ieiunio comprehenduntur vigiliæ, peregrinationes, asperitates vestium, nuditas vel discalceatio, & denique quęcunque labores fatigantes. Peccato verò superbiæ, & cæteri peccatis spiritualibus respondet oratio: nam humiliat spiritum Deo, & roborat contra peccata spiritualia. Peccatis autem circa temporalia, vt auaritiæ, vel cupiditati cuicunque, vt rapinæ, furti, vel ablationi iniustæ magis appropiatè respondet erogatio eleemosinæ. Ratio omnium istorum est, quia istæ pœnæ habent maiorem correspondentiam ad ista peccata, quàm ad alia: satisfactio autem debet fieri secūdùm pęnas proportionatas ipsis peccatis, iuxta illud Sapientiæ 11. per quę peccat quis per hæc, & punietur. Hæc dicta sunt de correspondentia in generali pœnarum ad peccata, & de congruo non de necessariò. At loquendo de necessariò, & de congruo in casibus specialibus non sic. Ratio est, quia alicui potest non competere vnum istorum operum pœnalium: qui tamen peccauit peccato cui de congruo correspondet talis satisfactio superius assignata, verbi gratia pauperi, qui furatus est, non competit pro satisfactione imponere eleemosinæ erogationem, licèt secundùm proportionem generalem furanti erogatio eleemosinæ esset imponenda, quia in hoc casu particulari pauper non habet vnde erogare posset eleemosinam: in huiusmodi igitur casibus particularibus, inquit Scotus, cum cōtritio peccatoris non est tanta, quæ deleat cum culpa totam pęnam peccati, & peccatum non debeat dimitti inultum, debet sacerdos imponere pro pœnitentia aliquid, per quod illa pœna compensetur, licèt non correspondeat illi secūdùm regulam generalem superius assignatam. Et in his casibus requiritur discretio sacerdotis, vt non imponat alicui pœnam nimis disconuenientem, sed eam, quæ magis ei conuenit, & quàm fortè melius adimplebit, vt potè, quia pauper nec eleemosinas potest dare, nec orare, sed oportet eū continnò laborare pro victu suo necessario continuè acquirendo, non potest ei imponi pro pęnitentijs oratio, vel ieiunium, vel eleemosina; sed quia ipse labor continuus est sibi ieiunium continuum, & continua maceratio carnis tantùmmodo inducendus est, vt illum laborem subeat in remissionem peccatorum intendens illum in hunc finem referre saltem quousque occurat sibi oportunitas soluendi aliquam aliam pœnam pro satisfactione pœnæ debitæ pro culpis. Possunt etiam imponi ei aliqua alia diminutè, & temperatè, quæ sunt sibi possibilia. Consimiliter dicendum est de diuite. Si quis talis sit, qui lapsus sit in peccatum carnis, & sit adeo delicatus, vt non velit ieiunare, nec aliam macerationem notabilem subire, vel præsumitur, quod si sibi imponeretur citò eam abijceret, & sic peccaret nouo peccato, inducendus est ad orationem, & eleemosinam; atque est imponendum illud, quod libentius recipit, & quod creditur perseuerantius adimplere. Adiungit Scotus hic, quod si huiusmodi diues nollet omninò vllam pœnitentiam acceptare pro hac vita illum esse absoluendum; monendum tamen, quod eam erit ad plenū soluturus in alia vita in purgatorio, de qua re infrà.

Quæ pęnitentia imponéda sit pauperi.

Quæ pœnitentia diuiti delicato imponéda.

Quid dicēdū sit de pęnitētijs antiquis, p vno peccato mortali.

159 Quid verò dicendum sit de pęnitentijs antiquis, quibus pro vno peccato mortali imponebatur pęnitentia septem annorum, infrà dicam. Interim verò obseruandū est, quod sicuti ad ieiunium reducuntur omnes corporis afflictiones; ita ad eleemosinam reducuntur omnia, quæ in proximi vtilitate expenduntur, vt visitare infirmos, sepelire mortuos, ignorantes docere, solatium afferre afflictis, & huiusmodi: & ad orationem reducuntur omnia latriæ opera, vt interesse sacris, cereos, vel alia in cultum sacrificiorum offerre: ideò hæc omnia pro pęnitentia iniungi possunt.

An liceat īponere pęnitentiam publicam.

160 Quæri hic quoque solet, an peccatori confitenti peccata sua in confessione sacramentali pro satisfactione possit imponi pęnitentia publica. Pro intelligentia huius materiæ, quæ est satis difficilis, in primis obseruādum est, quod vltra pęnitentiam secretam, quæ imponitur pęnitenti secretè in Confessione sacramentali, adest alia duplex pęnitentia, quæ vtraque est publica, & manifesta; tamen diuiditur in duo genera, quorum alterum dicitur pęnitentia solemnis; altera verò dicitur absolutè pęnitentia publica; non autem solemnis. Quæ sit pęnitentia solemnis, & quæ differentia sit inter eam, & publicam, latè, & copiosè tradit Alexander Alensis 4. p. q. 14. m. 6. a. 3. & Soto in 4. dist. 15. q. 2. a. 5. & desumitur ex dist. 50. canone *in capite*. solemnis est illa, in qua certę solemnitates adhibentur. Nā primò non nisi ab Episcopo imponi debet, vel de eius mādato. Secundò, non poterant huiusmodi pęnitentes reconciliari, nisi ab Episcopo, vel eius Vicario. Tertiò huiusmodi pęnitentiæ fiebāt in capite quadragesimæ. Quartò forma hæc est. Huiusmodi pęnitentes sistuntur ante fores Ecclesiæ, nudis pedibus, vultibus in terram demissis, ac crine tonso. Quintò, Episcopus cum clero prostrati in terra debent cantare septem Psalmos pœnitentiales pro eorum pęnitentium absolutione, & cum lacrymis. Sextò surgere debet Episcopus ab oratione, ac manus pęnitentibus imponere, aqua benedicta aspergere, cinerem capiti imponere; deinde caput eorum cilicio operire; & deinde cum gemitu, & suspirijs denuntiare eis, quod sicut Adā proiectus est de Paradiso, ita, & ipsi pro peccatis suis ab Ecclesia reijciuntur: deinde iubet per ministros extra Ecclesiam reijci, & Clerus eos persequitur cantans responsorium. *In sudore vultus tui, vesceris pane tuo*, &c. In die verò cœnæ Domini rursus ab eorum Decanis, & Præsbyteris pręsentātur ante fores Ecclesiæ Episcopalis, & introducuntur in Ecclesiam, ac in ea manēt vsque ad octauam Paschæ, non tamen communicant cum alijs, neque in Eucharistiæ, neque in osculo pacis, & post exeunt de Ecclesia. Et similiter anno sequenti eadem die in capite ieiunij modo pręd.icto est præsentandus huiusmodi pœnitens ante fores Ecclesię, & sic singulis annis, donec est interdictus ingrēssus Ecclesiæ. Hæc est pęnitentia solemnis. Hoc genus pęnitentiæ nunc non est in vsu.

Quæ sit pęnitentia solemnis.

Pęnitentia publica q.

161 Pęnitentia verò publica non dicitur quæcunque fit coram multis, vel pro quocunque leui peccato, vt veniali. Nam sunt quædam actiones pęnales publicæ, quæ etiam spontè assumuntur à Christianis ad mortificādum sensualitatem, & merendum magis apud Deum, vt peregrinationes, & quædam disciplinæ in hebdomada sancta, & similia: ideo si aliquis sacerdos imponat alicui pęnitenti pro suis peccatis peregrinationem huiusmodi, &c. licèt coram multis fiat; tamen non potest dici, nec dicitur pœnitentia publica: quia ex illa non apparet, an imposita sit pro aliquo peccato, vel an sit voluntariè assumpta. Pęnitentia

nitentia ergo publica est illa, quæ imponitur in facie Ecclesiæ, seu coram multis, sed sinè solemnitate prædicta; & tali modo fit quod ex ea potest colligi, quod imposita est pœnitenti propter graue aliquod crimen à confessario, sicut erat antiquitus peregrinatio per mundum, cum baculo bicubitali, & scapulari, vel veste aliqua ad hoc consueta. Ista duo genera pœnitentiarum solemnis, & publica non nisi propter grauissima peccata, & scandalum afferentia imponebantur. De his plura alia vide apud Alensem, vbi suprà, & Syluestrum, verbo *pęnitētia*, & reliquos.

Pro peccatis occultis non pōt imponi pœnitétia publica.

162 Nunc in proposito nostro est grauis difficultas, vtrùm sacerdos possit pro peccatis imponere pęnitentiam publicam. In hoc dubio omnes conueniunt pro peccatis secretis, & occultis non posse imponi pœnitentia publica, excepto D. Thoma in 4. dist. 17. q. 3. a. 4. ad quartum, vbi ait, vt notauit Nauarrus in cap. *Sacerdos*, dist. 6. num. 104. quod licèt confessio in occulto fieri debeat, ne ex peccati auditione alij ad malum inclinentur; tamen pœnitentia in publico fieri posset, in quo ab omnibus reijcitur, & ratio est, quam omnes supponunt: quia forum pœnitentiæ sacramentalis est secretum; pœnitentia autem publica nō est secreta, sed ei opposita, & improportionata: manifestaretur enim peccatum occultum in cōfessione detectū, quod est contra naturam huius sacramenti. Tota difficultas est de peccato notorio, & scandaloso, an scilicet sacerdos audiens in cōfessione sacramentali aliquod peccatum notorium, & scandalosum possit huiusmodi pœnitenti imponere pœnitentiam publicam. Hoc dubium est satis graue, & in eo sunt duæ sententiæ extremæ. Aliqui sustinent partem affirmatiuam, & hæc est communior sententia, quam habet D. Thomas in 4. dist. 14. q. 1. a. 5. quæstiuncula 1. & alibi. Alensis 4. p. q. 14. m. 6. a. 1. Paludanus dist. 14. q. 6. Durandus q. 4. Soto dist. 19. q. 2. a. 5. D. Antoninus 3. p. q. 14. cap. 17. Suarez de pęnitentia disp. 38. sect. 6. qui alios citat. Fundamentum huius opinionis sunt multi canones, quos adducit Nauarrus in caput *Sacerdos*, de pœnitentia, dist. 6. à num. 87. Pręsertim verò adest capitulum primum *de pœnitentijs, & remissionibus*, in quo habentur hæc verba. *Manifesta peccata non sunt occulta correctione purganda*. Quod caput intelligendum esse de foro pęnitentiali, asserit glossa ibidem. Et confirmatur: quia in toto illo titulo videtur tractari solùm de pęnitentia sacramentali, vt patet cap. *Significauit*, cap. *Quod quidam*, cap. *Deus*, cap. *Officij*, cap. *Omnis*, cap. *Cum infirmitas*, capitulo finali. Vlteriùs adducit Suarez loco citato Concilium Tridentinum sess. 24. cap. 8. de reformatione, vbi habet hæc verba. *Apostolus monet publicè peccantes palàm esse corripiendos. Quando igitur ab aliquo publicè & in multorum conspectu crimen commissum fuerit, vnde alios scandalo offensos, commotosque fuisse non sit dubitandum: huic cōdignam, pro modo culpæ pœnitentiam publicè iniungi oportet*. Secundò adest ratio: quia pęnitens tenetur satisfacere Ecclesiæ, & facere ea, quæ ad eius ædificationem, & exemplum cōferunt, iuxta illud Pauli. *Publicè peccantem, publicè corripe, vt cęteri timeant*.

Opinio D. Th. ab omnibus derelinquitur.

Opinio asserēs pro peccatis publicis, publicā pœnitentiā posse imponi.

Primū fundamētum.

2. Ratio.

Opposita sēa Nauarri.

163 Ex altera parte Nauarrus in dicto cap. *Sacerdos*, dist. 6. num. 87. & sequentibus, & in Manuali cap. 8. num. 10. oppositam sententiam sustinet; nimirùm sacerdotem pro peccato notorio pęnitentiali confessione detecto non posse imponere pęnitentiam publicam, & D. Thomam, & Sectatores illius opinionis reijcit, licèt assignet modum quendam, quo sustineri possit pęnitentiam publicam posse imponi, vt postea videbimus.

Opin. Scoti.

1. Ratio.

164 Hanc opinionem puto veriorem salua veritate, & certè est magis conformis principijs Scoti, qui vult, forum pęnitentiæ sacramentalis esse omninò secretum, vt vidimus agendo de sigillo. Pro hac opinione, & contra priorem, præsertim est hæc ratio, quam etiam auctores contrariæ opinionis adducunt, & soluere nituntur. Impositio pęnitentiæ publicæ prędicto modo frangit sigillum confessionis; ergo non est imponenda. Antecedens, & consequentia patet: quia certum est, quod scitur in sacramentali confessione manere subiectum sigillo confessionis: cum autem punitur per pęnitentiam publicam, manifestatur. Respondent auctores prędicti, & primò Durandus, quòd per impositionem talis pęnitentiæ, non publicatur peccatum pęnitētis: quia iam illud est publicum, & notorium, & quod est publicum de se, non potest ampliùs publicari. Sed hæc responsio reijcitur rationabiliter: quoniam etsi peccatum sit publicum; tamen confessio illius peccati non est publica, sed occulta, & in foro secreto: ideo non potest reuelari; & si reuelatur, frangitur sigillum secreti confessionis: quia ad illud pertinet cęlare notitiam eorum, quæ in confessione audiuntur: imponendo autem talem pęnitentiam: quia imponit eam sacerdos, vt iudex, manifestat se illud peccatum cognouisse in confessione sacramentali.

Responsio Durandi.

Refellitur.

Responsio Alensis.

165 Ideo Alensis vbi suprà ad secundum, D. Thomas, & Soto loco citato ad secundum respondent, quòd aliud est iniungere pęnitētiam publicè, & aliud est exequi actū pęnitentiæ impositæ. Primum non potest facere sacerdos, sed sicut in foro secreto audiuit peccatum, sic in eodem foro debet secretè iniungere pœnitentiam. At exequens pęnitentiam, sicut peccauit publicè, debet etiam pœnitētiam secretè impositam facere, itaquòd publicatio fiat à pęnitente, non à sacerdote. D. Thomas etiam, & Soto in respōsione ad primum addunt, quòd in hoc casu non est reuelatio confessionis: quia fit de licentia pœnitentis, in quo casu licet manifestare ea, quæ habita sunt in confessione. De hac manifestatione diximus suo loco agendo *de sigillo*, prout spectat ad pręsens argumentum, hæ responsiones non videntur satisfacere. Non prima, quia, vt optimè dicit Nauarrus loco citato, parùm refert, quòd non confessarius, sed pœnitens reuelet confessionem: quia pęnitens hoc facit coactus à confessario; qui autem facit aliquid per alium, per seipsum facere videtur. cap. *Mulieres*, de sent. excom. & de regul. iuris in 6. *Qui facit per alium, est perinde ac si faciat per se ipsū*, & ff. ad leg. Aquil. l. liber homo, in princ. Neque secunda responsio: quia aliud est quærere, an confessarius de licentia pœnitentis possit reuelare peccata detecta in cōfessione; & aliud est quærere, an cōfessarius possit obligare pœnitentem inuitum ad huiusmodi pęnitentiam publicam. Primum fieri potest eo modo, quo diximus supra loquendo de sigillo. Secundum autem nequaquam propter rationem adductam: quia sic faciendo ipse confessarius manifestaret secretum detectum in confessione, licet non per se immediatè, tamē mediatè.

Reijciūtur responsiones allatæ.

Responsio Suarez impugnatur.

166 Per idem impugnatur respōsio Suarez vbi suprà, qui asserit, quod si pœnitens habeat rationabilem causam ad non acceptandam pęnitentiam publicam, & illa non sit necessaria ad tollendum aliquod scandalum, non esse obligandum pœnitentem ad huiusmodi pœnitentiam; sed tunc tanta quanta ad tollendum scandalum, vel satisfaciendum Ecclesiæ in crimine publico, & notorio iudicatur necessarium, vel valde expediens, absque graui incommodo pęnitentis imponi debet. Et ratio eius est: quia in tali casu, inquit, non potest dici cogi, sed rationabiliter induci ad id quod facere debet. Sed neque hæc responsio satisfacit: quoniam non sunt facienda mala, vt eueniant bona secundùm Apostolum; at reuelare, vel per se, vel per alium, peccatum detectum in confessione est peccatum grauissimum, & illicitum; ergo non est faciēdum pro quouis bono acquirendo, neque ad tollendum scandalum, neque ad satisfaciendum Ecclesiæ.

Quid agendū cū quis cōfitet pec catum notorium, & scādalosū.

167 Quid ergo faciendum erit in casu, quo quis confiteatur peccatum publicum notorium, & scandalosum cōfessario in sacramentali confessione? Respondeo, saluo meliori iudicio, esse exhortandum pęnitentem ad faciendam confessionem publicam illius delicti, coram prælato, ad quem spectat, & ad patienter recipere pęnitentiam publicam sibi imponendam pro tollendo scandalo, & pro satisfactione Ecclesiæ. Et hoc videtur fuisse in vsu in veteri Ecclesia, vbi fiebant confessiones publicæ, sicut diximus suprà agendo de confessione. Nam ex D. August.

& alijs

& alijs diximus, quòd confeſſio publica peccatorum ortum habuit ex confeſſione ſecreta, & ſacramentali eorundem. Cum enim ſacerdotes audiebant confeſſiones ſecretas, ſi inueniebant aliquod delictum notorium, & ſcandaloſum, hortabantur pœnitentem ad publicam confeſſionem, & publicam pęnitentiam, quam ipſi pœnitentes ore proprio faciebant, vel per alium de ſua commiſſione, & ordinatione, & ſic nulla eſt fractio, nec periculum fractionis ſigilli confeſſionis, quòd ſi nolit, abſoluendus eſt, & ſecreta pęnitentia eſt imponenda.

Confirmatio ſecundę opinionis. Confirmatur hæc ſecunda ſententia: quia, vt inquit Nauarrus vbi ſuprà, ſi prima ſententia eſſet vera, ſequeretur, quòd errarent omnes ferè confeſſarij, quos quotidie videmus pro publicis criminibus, imponere ſecretas pœnitentias; quod tamen non eſt aſſerendum, cum hæc ſit praxis Eccleſiæ, quæ conſequenter hunc morem approbare videtur.

2. Ratio. 168 Præterea, vt dicemus infrà, non eſt arctandus pœnitens ad faciendum condignam pęnitentiam pro peccatis ſuis in hoc ſæculo, immò licèt nolit acceptare pœnitentiam ſatisfactoriam à ſacerdote, dummodo paratus ſit ſatisfacere Deo in hoc, vel alio mundo poteſt abſolui; ergo multò minùs, ſi nolit illam pœnitentiam publicam facere, poteſt arctari. Quam opinionem tenet Nauarrus cum multis alijs Doctoribus, & nos cum Scoto eam infrà declarabimus, & probabimus.

3. Ratio. 169 Tertiò facit pro hac ſententia: quia rationes adductæ pro aduerſarijs non conuincunt, vt patebit in ſolutione ipſarum.

Ad primũ. 170 Ad primam ergo rationem pro prima opinione, quæ maximè innititur ſacris Canonibus præſertim cap. 1. *de pœnitentijs, & remiſſionibus*, reſpondetur cum Nauarro, vbi ſuprà num. 100. quòd Canon ille ex cap. 1. *de pęnitentijs, & remiſſionibus*, ſicut, & cęteri adducti intelliguntur in foro exteriori, non interiori; & ſi quis velit intelligere in foro interiori, debet intelligi modo expoſito, ſcilicet, quòd ipſe pęnitens ad ſui mortificationem illam pęnitentiam expoſcat, vel ſibi à confeſſario, ita conſulẽte, eam accipiat ſpontè; ſeruando tamen modum prædictum, vt quod in confeſſione ſacramentali detexit, etiam extra eam detegat confeſſori, vel prelato; & poſtea ab eo eam accepiet.

171 Quod verò ait Suarez hanc interpretationem eſſe difficilem, eſt præter rationem dictum: quia in illo titulo ſunt multa capitula, quæ loquuntur apertè de pęnitentia imponenda in foro exteriori, & non ſacramentali, vt ibi obſeruauit Nauarrus, præſertim cap. 2. quod habet ſic. *Qui pręsbyterum occiderit* &c. *conuictus vſque ad vltimum tempus vitæ ſuæ militiæ cingulo careat, & abſque ſpe coniugij maneat*. Idem eſt videre in cap. *Quod autem*, cap. *Licet*, cap. *Quæſitum*, cap. *Cum ex eo*, cap. *Pen.* Quod autem ait de Concilio Tridentino, certè non eſt omninò clarum, an loquatur de foro interiori, vel exteriori. Quod autem etiam Concilium videatur loqui in foro exteriori colligitur ex eo, quod ibi videtur loqui ad Epiſcopos. Nã paulò infrà inquit *Epiſcopus tamen publicæ hoc pœnitentiæ genus in aliud ſecretum poterit commutare, quando ità magis iudicauerit expedire*. Videtur ergo velle, quòd peccata publica per iudices Eccleſiaſticos, & prælatos publicè coerceantur, & puniantur, vt quos exemplo ſuo ad malos mores prouocauerint, ſuæ emendationis teſtimonio ad rectam reuocent vitam.

Ad ſecũdã rationem. 172 Ad rationem ſecundam reſpondetur teneri pęnitentem ſatisfacere Eccleſiæ, &c. ſed modo conuenienti, & rationabili, cuiuſmodi eſt ille, quem nos explicauimus, vt conſultus de ſatisfaciendo Eccleſiæ extrà ſacramentalem confeſſionem, agat, & conſulat quid agendum.

Vtrùm confeſſor teneatur imponere condignam pœnitentiam, vel quam metam ſeruare teneatur.
Caput Nonum.

173 QVæ, & quanta debeat eſſe pęnitentia ſeù ſatisfactio, quam imponere debet confeſſarius in ſacramento pœnitentiæ pęnitenti, eſt ſatis difficile iudicare, vulgata eſt ſententia antiquitus Canones decreuiſſe pro quolibet peccato mortali pęnitentiam ſeptem annorum eſſe iniungendam, & in purgatorio pro quolibet peccato mortali manendum eſſe ſeptem annis. Verùm hæc opinio vulgata eſt inanis, & fabuloſa, vt latè probant Nauarrus in Manuali cap. 26. num. 17. & in cap. *Falſas*, diſt. 5. num. 14. ad quod adducit D. Thomam in 4. Sent. diſt. 20. q. 1. 2. 2. vbi habet hæc verba. *Non eſt vniuerſaliter pro quolibet peccato ſeptennem pœnitentiam eligi*. Idem habet Suarez diſp. 38. ſect. 4. de pęnitentia. Nauarrus autem dicit ſe nunquam potuiſſe reperire textum aliquem, in quo hæc pęnitentia ſeptennis pro quolibet peccato imponatur, quamuis multæ gloſæ hoc dicant, & reſpondet ad textus pro ea parte citatos. Poteſt ergo dici extare quidẽ 47. Canones pœnitentiales, qui ponuntur in fine decreti, in quibus aliquibus peccatis pro vno quoque ſeptem anni pœnitentiæ iniunguntur; ſed ibi non habetur hanc regulam ſeruandam eſſe pro quolibet peccato mortali, & maximè ſecreto, ſed pro grauiſſimis peccatis tantùm; & interdum grauiores, vt decem annorum; & interdum duodecim, & quindecim annorum pro grauitate delictorum imponebantur: aliquando etiam leuiores, vt quatuor annorum, vnius anni, quadrageſimarum dierum, & huiuſmodi: interdùm etiam relinquebatur arbitrio Epiſcopi, vt eſt videre in Concilio Carthaginenſi III. c. 31. Præterea non conſtat illas pęnitentias pertinuiſſe ad forum interius; ſed potiùs videtur, quòd pertinerent ad forum externum: quia fiebant ad ædificationem Eccleſiæ; ſæpè enim imponebatur depoſitio, vel priuatio alicuius Eccleſiaſticæ dignitatis, vel quid ſimile.

Vni peccato mortali competere ſeptẽ annos pœnitentię eſt opinio inanis.

47. Canones pœnitẽtiales.

174 Quod etiam confirmatur: quia ſemper arbitrio confeſſoris relicta eſt impoſitio pœnitentiæ, vt habetur per caput *Menſuram*, de pœnitentia, d. 1. & ex multis alijs, quæ referuntur 26. q. 7. & ex cap. *Deus qui*, de pęnitentijs, & remiſſionibus: vndè dato, quod illæ ſeptennæ pœnitentiæ, vel ſimiles pertinerent ad forum conſcientiæ, patet potius aſſignatas fuiſſe per modum regulæ directiuæ, quàm coactiuæ ad eas pœnas ſeruandas. Sed quidquid fuerit antiquitus de illis pœnitentijs, quando ardor fidei, & zelus chriſtianus vigebat, & homines nedum pœnitentias aſperas pro ſuis peccatis libenter ſubibant, ſed ipſum martyrium exoptabant, his temporibus ſunt antiquatæ, & tota pœnitentia in arbitrio confeſſoris eſt poſita: vnde præter Canonem *Menſuram*, diſt. 1. de pęnitentia, ſumptum ex D. Hieronymo, & reliquos Canones citatos ſupra, nouiſſimè in Concilio Tridentino ſeſſ. 14. cap. 8. Habentur hæc verba. *Debent ergo ſacerdotes Domini quantum ſpiritus, & prudentia ſuggeſſerit pro qualitate criminum, & pęnitentium facultate, ſalutares, & conuenientes ſatisfactiones iniungere: ne ſi fortè peccatis conniueant, & indulgentiùs cum pœnitentibus agant, leuiſſima quadam opera pro grauiſſimis delictis iniungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur*, &c. Ex quibus apertè habetur taxationem pęnitentiæ eſſe in arbitrio confeſſoris. Et ratio clara eſt: quia ſatisfactio, & pęnitentia maximè ordinatur in bonum, & curationem pœnitentis; curari autem non poteſt pœnitens, niſi præuia diſpoſitione ſua, quæ maior, vel minor eſſe poteſt: & proinde, nec eadem quantitas, nec idem modus pœnitentiæ eſt cuilibet imponendus, ſed prout vnicuique expedit, & ideò ſacerdotis arbitrio, hæc pęna eſt imponenda. Hanc ſententiam, vt certam ſupponit Scotus vbique, præſertim in hoc quarto, diſtinctione decimaoctaua, quæſtione prima, vt videbimus.

Verùm

Quō sacerdos se gerere dēt ĩ imponēda penitentia ne clauis erret

175 Verùm supposita hac veritate, quòd quantitas, & qualitas penitentiæ iniungēdæ pro peccato sit in potestate sacerdotis, superest magna difficultas, quomodo sacerdos possit iniungere debitam penitentiam, ac se cum peccatore gerere debeat, vt iustam, & æquiualentem satisfactionem imponat, ac clauis non erret in dimittendo penā temporalem debitam culpæ secundùm rectum iudicium Dei, ac proinde absolutio penitentis à pena temporali debita culpæ, ex iusto iudicio Dei ratificetur in celis, ita quòd à peccatore nulla alia pœna à Deo exigatur in purgatorio pro illa culpa, vel culpis. Scotus in hoc 4. dist. 18. respondens ad hanc dubitationem adducit primò opinionem quādam, quam margo Scoti tribuit Richardo in 4. dist. 18. art. 1. quæst. 4. sed re vera Richardus eam opinionē ibi non habet: solùm ait non esse in arbitrio sacerdotis quamuis pœnitentiam imponere, sed se regulare debere secundùm legem diuinam, ad hoc, vt pœnitentia ratificetur, & acceptetur à Deo, quæ est communis opinio. Dimisso ergo Richardo, opinio, quam refert Scotus vbi suprà, asserebat, quòd potestas sacerdotis, quam habet virtute clauium imponendi pœnitentiam pro pœna temporali, est talis, quòd actus eius, idest impositio penitentiæ non ratificatur in celis, nisi sit conformis iudicio diuino, scilicet nisi imponat tantam penitentiam, & penam, quanta secūdùm iustitiam diuinam respondet peccatis, verbi gratia. Ponatur quòd quis pro peccatis suis teneatur secundū strictum rigorem ad pœnam decem dierum, sacerdos virtute clauium potest remittere pœnam trium dierum: ponatur etiam, quòd ipse sacerdos de thesauro Ecclesiæ possit remittere vnum, vel duos dies eiusdem pœnæ, peccator remanet obligatus ad alios quinque, vel sex dies, de quibus si remittat aliquid sacerdos, non ratificatur ista demissio, nec obligatio in celis: nec actus iste valet. Ratio est, inquiunt: quia tunc clauis potestatis errat in ligando, & soluendo; facit enim eum magis solutum à pœna temporali, quàm Deus iudicet eum esse solutum: ideò solutio illa non valet: & consequenter, neque ligatio altera valet. Vnde nisi ille peccator soluat hic sex dies illos, sed aliquid minus, vel duos; vel tres, residuum exigetur ab eo in purgatorio. Ex his colligitur, quòd ista opinio tenet sacerdotem teneri ad imponendam pœnitentiam correspondentem pœnæ temporali secūdùm rigorem strictum iustitiæ, & iudicij Dei, qui optimè nouit, quanta pœna debeatur iustè ipsi pœnæ temporali: etsi sacerdos non imponat penā adequatè illi respondentem, dempta illa, quam virtute clauium, & vt dispensator thesauri Ecclesiæ potest remittere, cuiusmodi essent illi tres dies in exemplo proposito, ille actus sacerdotis non ratificatur in cœlis: nec solutio à pena temporali soluenda in purgatorio, & obligatio ad satisfactionem impositam à sacerdote ratificatur in celis, quia clauis in hoc casu errat inquiunt ipsi. Non vult tamē hæc opinio dicere, quòd actus ille sacerdotis nullo modo ratificetur in celis, sed quòd non ratificatur, ita quòd dimittat totam penam temporalem, sed ratificatur solùm pro illa parte penæ, cui respondet, vt si remittat sacerdos duos dies ex illis quinque, vel sex, qui remanent, ratificatur illa solutio, & obligatio pro duobus illis diebus, non ꝓ omnibus illis quinque, vel sex; sed residuum illorum quinque, vel sex exigetur in purgatorio.

Richardi opinio vera.

Opin. tributa Richardo.

Opin. Suarez.

176 Hanc sententiam sequitur Suarez de penitentia disp. 38. sect. 5. & adducit Petrum Soto, lectione prima de satisfactione, vbi asserit, satisfactionem respondentem penę temporali consistere in indiuisibili: ideò cum satisfactio, & penitentia imposita deficit, licèt parùm, non tollere omnem penam temporalem, sed illam partem cui adæquatur tantū: & pro hac sententia adducit veteres Theologos, qui tamen hoc non dicunt, sed aiunt solùm imponendam esse debitam penitentiam, vt est videre apud D. Th. dist. 18. quæst. 1. art. vltimo, quæstiuncula vltima. Citatur etiam Alensis 4. p. quæst. 80. sed apud eum nihil de hac re inuenio, & in hoc negotio obscuri sunt. Fundamentū opinionis adductæ est, quia in diuino iudicio omnia sunt diffinita in pondere, & mensura, neque in illo est latitudo rigorosi, vel medij prætij: hoc autem iudicium, quod facit sacerdos in imponendo penitentiam penitenti, est iudiciū diuinum, quamuis per homines exerceatur: nā sacerdos tenetur iuxta diuinam legem, & iustitiam iudicare.

Fundamentū Suarez.

177 Confirmatur, quia etiam dolor seù contritio de peccato in indiuisibili consistit, quia scilicet tanta requiritur, vt sufficiat, & non minor, & quantuncunque prudēs confessor existimet esse sufficientem dolorem, seù dispositionem ad obtinendam absolutionem: tamen si illa non adsit, quamuis parùm distet, nihil efficiet: in quo nullus dubitat; ergo à simili in proposito penæ temporali peccati respondet debita, & indiuisibilis penitentia, quàmuis homo illam imponere debeat, minore qua, non tollitur tota pena.

Confirmatio prima.

178 Confirmatur ab eodem adhuc, quia in quolibet effectu sacramentorum obseruatur semper, vt qui maiorē habet dispositionem, maiorem fructum percipiat; ergo similiter in satisfactione dicendum est, eum magis satisfacere, qui maiorem penitentiam patitur, quàm qui minorem: & proinde non tolli totam penam, nisi adæquata penitentia ei respondeat.

2. Confirmatio.

179 Scotus hanc opinionem refutat, & sustinet, quòd etsi apud Deum, & in re ipsa penæ temporali secundùm strictum rigorē respondeat pena, quæ in indiuisibili cōsistat: tamen, vt commissa est iudicio sacerdotis, non arctari ad hanc indiuisibilitatem, sed dari latitudinem, intra quam penitentia imposita satisfaciat secundùm iustitiam toti penæ: licèt illi non sit adæquata, sed vel excedat, vel excedatur, & quòd solutio à tota pena temporali, & obligatio ad penam intra latitudinem ratificetur in celis. Prima ratio est hæc. Si ad hoc, vt tota temporalis pena dimittatur, necesse est, quòd adæquata pena vsque ad indiuisibile imponatur à sacerdote penitenti, sequitur, quod sacerdos non sit constitutus iudex arbiter inter Deum, & penitentem: at hoc consequens est falsum; ergo. Consequentia probatur. Nulli committitur potestas arbitrandi in aliqua causa, cuius arbitrium nunquam erit ratum propter quamcunque diligentiam possibilē adhiberi ab ipso, sed tantùm à casu, vel per miraculum speciale; sed per quamcunque diligentiam possibilem adhiberi à sacerdote, non potest pertingere ad illud indiuisibile penæ, quo Deus iudicat peccatorem esse dignū; ergo si attingat hoc erit ex miraculo speciali, vel à casu. Non est autem ratum hoc iudicium per aduersarium, nisi attingat illud indiuisibile; ergo sacerdos non habet auctoritatem aliquam arbitrandi circa penitentiam imponendam peccatori pro tēporali pena debita culpis.

Reijcitur à Scoto.

1. Ratio Scoti.

180 Respondet Suarez, vbi suprà nihil referre, quòd sacerdos non possit indiuisibiliter cognoscere, quæ pena, vel quæ satisfactio à Deo taxata sit: quia satis est, vt humano modo iudicet. Res autem ipsa habebit effectum prout in re fuerit conformis legi diuinæ, & mensuræ à Deo positæ.

Responsio Suarez.

181 Hæc responsio, & opinio, quæ ei innititur est omninò refellenda: nam ex ea sequitur, quòd sacerdos non sit verus iudex arbiter inter Deum, & peccatorem: immò quòd non sit vllo modo iudex, nec habeat auctoritatē vllam sententiandi: nam hoc modo penitens ipse poterit sibi ipsi imponere penitentiam iudicio humano sibi conuenientem: hæc enim, si secundùm iudicium diuinum erit adequata, tollet omnem penam, sin minus tollet penam sibi respondentem, & res ipsa habebit effectum prout in re fuerit conformis legi diuinæ, & mensuræ à Deo positæ: idem fieri poterit à quouis alio pio homine, & docto, non tamen sacerdote: quia poterit consulere talem penitentiam, quæ secundùm iudicium humanum equalis videatur: nam in re ipsa effectum habebit prout fuerit conformis legi diuinæ, & mensuræ taxatæ à Deo. Quis aūt nō videt hoc derogare auctoritati sacerdotis, cui Dn̄s dedit potestatem ligandi, & soluendi verè, cognoscendi, & sententiandi in causa peccati inter Deum, & peccatorem?

Reijcitur.

Secun-

2. Ratio Scoti.

182 Secundò principaliter arguit Scotus, & ratio valet contra hanc responsionem, & opinionem. Certum est quòd Christus Dominus promisit Ecclesiæ suæ ratificare in Cęlis, quod ipsa, idest sacerdotes faciunt in terris. *Amen dico vobis, quodcunque alligaueritis super terram, erit ligatum & in cælis*, &c. Matthei 17. vbi facit Apostolos iudices arbitros in terra, inter Deum, & peccatores: at non est verisimile, quòd Deus dederit hanc potestatem Ecclesiæ, arbitrandi, sic quòd ipse voluerit arbitrium Ecclesiæ ratificare in cęlis, & tamen quòd impossibile sit eam rectè arbitrari; stante autem ea opinione nihil ratificaretur, nisi à casu, vel per miraculum speciale: quia nulla pęnitentia attingeret illud indiuisibile, nisi à casu, vel per miraculum speciale, vt dictum est.

Prima confirmatio.

183 Confirmatur: quia frustrà facti fuissent sacerdotes iudices peccatorum: nam eorum sententia solutionis, & obligationis, vt est ab illis, nihil valeret, sed solùm quatenus legi diuinæ, & pęnæ taxatæ à Deo esset conformis indiuisibiliter; & quamuis à sacerdote esset lata; tamen in re effectum haberet, non vt ipse sententiauit, sed secundùm mensuram iudicij diuini, & pęnæ ab eo taxatæ, quæ iudici humano est incognita.

Secũda cõfirmatio.

184 Confirmatur secundò: quia videretur irrationabiliter Deus tribuisse sacerdotibus hanc potestatem ligandi homines; quoniam obligasset eos in hoc iudicio ad sequendum adæquatam mensuram Dei secundùm indiuisibilitatem in hoc iudicio, ad hoc, vt esset ratum apud Deum, quæ tamen adæquatio secundùm indiuisibilitatem est ignota ipsi sacerdoti, & est impossibile illã scire, nisi speciali reuelatione reueletur; obligaret enim ad impossibile.

2. Ratio principalis Scoti.

185 *Secunda ratio principalis Scoti.* Nullus constituitur arbiter inter partes sub hac conditione, quòd præcisè arbitretur ad voluntatem vnius partis; & hoc maximè quando non potest iudex arbiter deputatus noscere determinatè voluntatem illius partis; sed in iudicio pœnitentiæ partes sunt Deus, & peccator, inter quos est sacerdos arbiter, ergo sacerdos non obligatur pręcisè ad arbitrandum illam pœnam, quam Deus infligeret, maximè cum non possit sibi constare de voluntate Dei, quò ad hoc præcisè. Ad hoc argumentum nullam video responsionem aduersariorum: hoc autem apertè probat sacerdotem minimè esse iudicem arbitrum inter Deum, & hominem, si teneatur ad imponendum pœnitentiam pœnitenti, secundùm rigorem strictissimum, & ad æqualitatem indiuisibilem pęnitentiæ secundùm iudicium diuinæ iustitiæ: quia iudex arbiter non tenetur arbitrari ad voluntatem vnius partis; sacerdos autem est iudex arbiter respectu totius pœnæ temporalis debitæ; ergo poterit illam totam soluere, & ligare ad aliam, licèt non sit ei omninò æqualis, sed deficiat ab illo indiuisibili; & illa pœnitentia ratificabitur in cęlis.

3. Ratio principalis Scoti.

186 *Tertia ratio principalis Scoti est hæc.* Si sacerdos imponat pœnitentiam aliquantulum maiorem, quã respondeat peccatis, non est probabile, quin pęnitens teneatur illam implere; ergo si aliquantulum minorem condigna pœna imponat, illa videtur sufficere: nam si non sufficeret aliqua citra illam punctalem, quam dictat diuina iustitia; ergo non oporteret explere aliam vltra illud punctale diuinæ iustitiæ. Neque ad hoc argumentum video vllam responsionem. Tamen fortasse dicent opportere adimplere illam pœnitentiam excedentem: quoniam etsi excedat pęnam debitam: tamen non amittet fructum suum, sed diuina iustitia recompensabit in gloria. Sed hæc responsio non tollit vim argumenti: quoniam licèt recompensaretur in gloria à Deo, tamen de rigore iustitiæ strictissimæ non tenetur talis satisfacere vltra illud punctale indiuisibile diuinæ iustitiæ; ergo sacerdos non potest obligare ad satisfaciendum vltra illud indiuisibile: cum autem hoc sit falsum, sequitur, falsum esse quoque asserere, confessarium teneri ad imponendam tantam pęnitentiam, quanta rigorosè secun-

Tacita responsio

Diluitur.

Fab. de Confessione.

dùm diuinum iudicium debetur culpæ temporali. Sic enim non esset certum, an pęnitens obligaretur ad illã faciendam, an non; nec confessor posset vllum certum iustum iudicium ferre, ac obligare, & ligare hominem ad certam pęnam pro solutione pęnæ temporalis debitæ, quod est, sacerdotalem potestatem in sacramento confessionis negare.

187 Respondet ergo Scotus in eadem quæstione, quòd sicut in alijs commutationibus, commutatio habet aliquam latitudinem; itaquòd non respicit indiuisibile, sed medium rectæ rationis; ita iustitia punitiua, quæ est commutatiua pęnæ temporalis debitæ culpæ, non respicit necessariò gradum indiuisibilem pęnæ correspondentem huic culpæ, sed ibi est aliqua latitudo, infra quã, pęna minor non sufficit; & vltra quam, pęna maior non est imponenda, & clauis ligans extra totam hanc latitudinem, vel citra, vel extra errat: & tunc meritò pęna, quæ soluitur in terris, non soluitur in cęlis, idest in cęlis non ratificatur, sed clauis ligans intra hanc latitudinem non errat; & ideò arbitrium sacerdotis ratificatur in cęlis. Adeò quòd quidquid imponitur intra illam latitudinem à sacerdote, totum illud oportet hic in via implere, quòd si totum hic non impleatur, totum exigetur in purgatorio, & si aliqua pars tantùm hic impleatur, residuum implebitur in purgatorio; & licèt illud, quod infrà hanc latitudinem imponitur, sit minùs, quàm requiratur ad illam punctalem æqualitatem, si totum hic impleatur, nihil ampliùs exigetur in purgatorio: quia illud per arbitrium confessoris venit dimissum.

Opin. Scoti.

188 Quòd si quis dicat adhùc, quodnam sit medium istud in ista latitudine, non poterit confessarius cognoscere; quia poterit ignorare illam latitudinem. Respondet Scotus, possibile esse medium in hac latitudine esse notum homini per legem Dei, & cum adiutorio rationis naturalis: & ideò obligatio ad hoc medium in hac latitudine est possibile homini absque speciali miraculo, & sine casu, & fortuna.

189 Sed aliquis quæret, quonam in loco in lege Dei habetur regula hæc, vt possit sacerdos sua ratione naturali se regulare in imponenda hac pęnitentia adæquata pęnitenti intra hanc latitudinem? Respondeo, video communiter Doctores respondere pęnitentiam esse in arbitrio confessarij: non ita tamen, vt pro libito possit imponere quamcunque vult; sed ipsum teneri ad considerandum grauitatem peccatorum, dispositionem pęnitentis, & seruata ratione iustitiæ debere imponere proportionatam pęnitentiam, prout secundùm humanam prudentiam potuerit: ac debere considerare, quòd pęnitentia imponenda nedum esse debet satisfactio pro præterita culpa; sed etiam esse debet remedium, & medicina ad abstinendum in futurum; & quòd hac ratione, habita ratione personæ, & status eius, potest esse minor iusta, & adæquata pęnitentia secundùm rigorem. Verùm adhuc ego non habeo ex dictis, quænam sit regula, quam sacerdos sequi debet ad imponendam pęnitentiam æqualem, quæ sit iusta secundùm latitudinem superiùs traditam: quia non assignatur aliquis locus ex Scriptura, qui sit regula inueniendi medium in hac latitudine. Ideò puto, respondendum esse, salua veritate, & meliori iudicio, quòd etsi in Canonibus suprà citatis 33. quæstione secunda, cap. *Hoc ipsum*, & in Gratiano ibidem, & 33. quæstione secunda, cap. *Admonere*, & 22. quæstione prima, cap. *Prędicandum*, & de pęnitentia distinctione tertia, cap. *Sunt plures*, non asseratur pro quolibet peccato mortali, imponendam esse pęnitentiam septennem, vt ostendimus suprà: tamen hoc dicunt de quibusdam grauioribus peccatis: de alijs verò minus grauibus imponunt pœnitentiam quandoque quinque annorum, quandoque trium, quandoque ieiunium quadraginta dierum in pane, & aqua, aliquando etiam pęnitentiam duodecim annorum, pro grauitate delictorũ, & licèt, vt puto, intelligantur in foro

Regula imponendi debitam pęnitentiã, quæ sit.

Opin. auctoris.

exteriori, non interiori; tamen quia illi innituntur sacræ Scripturę exemplis, & auctoritatibus, vt patet legendo illa capita, puto illos Canones, & auctoritates Sacræ Scripturæ, quibus innituntur, esse regulas inueniendi latitudinem, & medium in pœnitentia sacramentali, secundùm quod penitentia iusta imponi possit. Vnde si quis sit, qui à Sacerdote velit condignam satisfactionem recipere pro pęna totali suorum peccatorum; ita vt nihil soluere velit in Purgatorio, debet certè respicere ad pęnitentiam solitam imponi per Canones illos antiquos, & secundùm illam regulam, non secundùm extremum rigorem illorum, & omninò adequatè secundùm illos Canones, pęnitere; quòd si peccator oneratus sit multis, vt mille, grauissimis peccatis mortalibus, pro quorum quolibet pęna septennis secundùm prædictos Canones debeatur, certè poterit Confessarius dicere illi, quòd in tota vita sua, etiam si semper in pęnitentia maneat, non poterit satisfacere condignè pro huiusmodi peccatis: ideò laboret contritione vehementi, illorum veniam à Domino impetrare, vt multi Sancti fecerunt, qui priùs grauissimi peccatores erant, & solicitus sit indulgentias lucrari: hæc enim est procùl dubio causa, propter quam Ecclesia incæpit concedere indulgentias decenarum, & quadrigenarum annorum pro pęnis peccatorum, ne scilicet homines considerando grauitatem pęnarum subeundam, vel in hac vita, vel in Purgatorio pro suis peccatis męrore tabescerent, vt faciebat fornicator ille punitus à Paulo, de quo secundo ad Corinth. vt dicemus agendo de indulgentijs. Rursùs huic peccatori erit dicendum, quòd aliqua pęnitentia poterit imponi ei, sed non adæquata, quæ tollat totam pœnam sibi debitam, sed aliquam partem; & quòd ideò laboret per contritionem, & voluntariam pęnitentiam residuò pęnæ debitæ satisfacere in hac vita, vt dictum est nunc suprà: & hic modus est in vsu quotidie: quia non imponuntur regulariter pænitentiæ adæquatæ pœnæ (quia re vera difficile est hoc medium inuenire) sed ipsis pęnitentibus debet hoc manifestari, ne putent per illas paruas pęnitentias sibi iniunctas satisfacere toti pœnæ debitæ pro suis culpis, nec aliud in Purgatorio remanere purgandum. Si verò pęnitens paucis peccatis mortalibus, vt duobus, vel tribus, nec multùm grauibus oneratus sit, & velit condignam pęnitentiam acceptare, poterit certè, adæquata, & condigna secundùm prædictam latitudinem, imponi. Sed ad hoc rectè faciendum oportet cognoscere, quænam pœna vnicuique peccato mortali competat secundùm legem diuinam: quia hoc ignorato non videtur posse facere rectum iudicium, & adæquatam satisfactionem imponere secundùm prædictam latitudinem.

Cur Ecclesia incœpit cōcedere Indulgentias decem annorum, &c.

190 Quæ autem pęnitentia competat vnicuique peccato mortali, est difficile cognoscere: quia in sacris Canonibus antiquioribus, aliquando septennis, aliquando quinquennis, aliquando maior, & aliquando minor imponitur, vt visum est suprà. Verùm, & si hoc sit difficile, potest tamen aliquo modo conijci. Nam certum est in sacra Scriptura haberi pęnitentiam septem annorum imponi pro vno peccato, vt 2. Regum capit. vigesimoquarto, cum Propheta dixit Dauidi. *Hac dicit Dominus, trium tibi datur optio, elige vnum, quod volueris ex his, vt faciam tibi, &c. aut septem annis veniet & tibi fames in terra tua: aut tribus mensibus fugies aduersarios tuos, & illi te persequentur; aut certè tribus diebus erit pestilentia in terra tua.* & Danielis quarto, Nabuchodonosor pro peccato superbiæ septem temporibus, idest septem annis, grauissimam pœnam, Deo iubente, luit. Ex his ergo exemplis, & alijs pœnis in prædictis Canonibus expressis potest deduci probabiliter alicui peccato mortali competere pęnam septem annorum. Habemus vlteriùs ex exemplo adducto de Dauid, quòd pęna septennis est longè remissior, quàm pęna trium mensium, & pęna trium mensium est longè remissior pęna trium dierum. Ex quo infertur, quòd cum imponebatur pęna septennis illa non erat ità grauis, & intensa semper, sicut posset esse pœna vnius Mensis, vel vnius Hebdomadæ. Vnde pęnitentia illa septennis, vt rectè obseruauit Soto in hoc quarto, distinct. decimanona, quæstione secunda, articulo quinto, non intelligebatur sic, vt quotidie fieret pęnitentia, sed forsan semel in mense indicebatur vnum ieiunium, vel aliquibus alijs certis diebus, vel mensibus, vt patet capit. *Presbyter*, distinctione 83. vbi presbytero, qui de fornicatione conuictus fuerat, imponitur pęnitentia decem annorum; quæ quidem grauissima erat: tamen non erat continuò eiusdem grauitatis, sed semper diminuebatur: fiebat enim hoc modo, vt tribus quidem primis mensibus priuato loco à cæteris remotus, pane, & aqua à vespera ad vesperam vteretur, tantùm autem diebus Dominicis, & præcipuis festis modico vino, & pisciculis, atque leguminibus recreabatur, sine carne, & sanguine, ouis, & caseo; sacco indutus humi cubabat: finitis tribus mensibus continuis, exibat; postea aliquantisper resumptis viribus, vnum annum, & dimidium in pane, & aqua explebat. Deinde verò vsque ad expletionem septimi anni, omni quidem tempore exceptis Paschalibus diebus tres legitimas ferias in vnaquaque hebdomada in pane, & aqua ieiunabat. Finitis verò septem annis, deinde vsque ad finem decimi anni ieiunabat sexta feria in pane, & aqua. Non ergo pęnitentia septennis erat totis illis septem annis æqualiter grauis: nec semper pęnitentia septennis erat eiusdem grauitatis, sed sæpissimè minor: hæc enim allata ex capit. *Presbyter*, est grauissima: tamen alia septennis imponitur, sacrilego multò minor, 12. quæstione secunda, capit. *de vitio nephando*. Se enim habet hoc modo, vt primo anno extra cęmeterium Ecclesiæ, quam poluit, maneat; secundo autem anno ante fores Ecclesiæ; tertio anno in Ecclesia, & in hoc triennio carnes non comedebat, & vinum non bibebat, nisi in Paschate, vel Natali; non offerebat, nec communionem accipiebat; quarto anno communicabat, & in illo, & in quinto, sexto, & septimo tribus ferijs à carnibus, & vino abstinebat ieiunando. Hæc autem pœna est leuior, & diuersa à prima; & tamen est septennis: non ergo eiusdem rationis erant pęnitentiæ septennales. Quòd etiam pro vno peccato mortali non semper imponeretur pœnitentia septennis, patet: quia blasphemanti publicè Deum, quod est grauissimum peccatum, extrà de maledicis, capit. *Statuimus*, imponitur pro pœnitentia solùm, vt septem diebus Dominicis præ foribus Ecclesiæ, dum cantatur Missa, maneat in manifesto; & septem sextis ferijs præcedentibus ieiunet in pane, & aqua, & faciat quasdam paucas eleemosinas, & quædam alia parui momenti in comparatione ad præcedentem pœnitentiam: & in alijs Canonibus aliæ variæ, & diuersæ pœnitentiæ de periurio secundùm circumstantias grauiores, vel minùs graues imponuntur, vigesimasecunda quæstione quinta, capite secundo, & eadem quęstione quinta, cap. *Si quis coactus*.

Quæ pœnitētia correspōdeat vnicuiq. peccato mortali.

191 Ex his manifestum est, quòd pro eodem peccato pro diuersis circunstantijs, & personis, diuersæ pœnitentiæ imponi solebant; & quòd pœnitentiæ septem annorum etiam erant diuersæ, aliquando grauiores, & aliquando minus graues; atque quòd hę graues pœnitentię imponebantur in foro exteriori, in quo grauiores imponuntur communiter, quàm in foro interiori: quia forum illud non est voluntarius, sed coactus: ideò pęnę illę sunt minùs voluntariè, & proinde minùs satisfactorię, quàm pęnitentię fori interioris. Quando ergo pœnitens non est irretitus multis

pecca-

peccatis grauioribus, facilè poteſt imponi ei pęnitentia adæquata ſecundùm latitudinem prædictam, quia habita ratione contritionis, qualitatis perſonæ, & aliarum circunſtantiarum, & habita ratione pęnitentiarum, quæ ſimilibus peccatis, vel grauioribus, vel leuioribus imponi ſolebant ab antiquioribus Canonibus; & habita ratione poteſtatis datæ ſacerdoti in capite *Menſuram*, diſtinctione prima, poteſt ſecundùm prudentiam humanam imponere adæquatam pęnitentiam, vel eam continuando ad multum tempus: vel ad minus, ſed acriorem, & intenſiorem, prout expedire videbit; qua expleta, in purgatorio nihil aliud expiandum remanebit.

Quæ pęnitentia falſa dicatur.

192 Ex dictis haberi poteſt, quæ ſit illa pœnitentia, quæ falſa dicitur, diſt. 5. de pœnitentia, cap. *Falſas*, à Diuo Gregorio, & diffinitur eſſe, *pęnitentiam, quæ non ſecundùm auctoritatem Patrum pro qualitate criminum imponitur*; & illa, de qua Concilium Tridentinum ſeſſione decimaquarta, cap. octauo, inquit. Quod *ſi* ſacerdotes *indulgentiùs cum pœnitentibus agant, leuiſſima quadam opera grauiſſimis delictis iniungendo, alienorum peccatorum participes efficiuntur*. Nauarrus in cap. *Falſas*, hoc explicat per varias aſſertiones. Prima eſt. Intellectum huius capitis non eſſe, quòd pęnitentia, quæ à confeſſario imponitur minùs ſufficiens, & infra illam adæquatam contentam intra latitudinem explicatam, ſit falſa, ideſt nullius effectus: quoniam, etſi non tollat totam pęnam debitam peccato; tollit tamen aliquam partem maiorem, vel minorem pro ſua qualitate; & hoc eſt communiter conceſſum. Secunda, neque intellectum eius eſſe, quòd pœnitentiæ aſſignatæ a Patribus in prædictis Canonibus ſint eæ, quæ omninò ſunt veræ, & adæquatæ pœnitentiæ peccatorum; neque alias pœnitentias illis, vel maiores, vel minores eſſe veras pœnitentias: quia, vt dictum eſt ſuprà, illæ pœnitentiæ variabantur pro varietate circunſtantiarum peccatorum, & qualitatis perſonarum. Tertia. Senſus illius Canonis non eſt, quòd pœnitentia, quæ minor iuſta à confeſſario imponitur pœnitenti iuſta de cauſa, vt propter ægritudinem pœnitentis, vel debilitatem, vel magnam contritionem; vel aliquando propter paruam deuotionem, vel ob timorem, ne iuſtam pœnitentiam reſpuat, vel acceptam minimè impleat, ſit falſa. Quarta. Senſus verus illius Canonis, licèt non ad intentionem Diui Gregorij, vt infrà dicam, videtur eſſe hic. Illas pœnitentias eſſe falſas, quæ ſine cauſa rationabili minores iuſta imponuntur à confeſſario, vel ob ignorantiam, vel ob amicitiam, vel ſocordiam, vel denique ob aliquem minùs iuſtum reſpectum; vel ſi ob iuſtum; tamen pœnitentem non admonet, eam non eſſe iuſtam, & adæquatam pœnitentiam, & tamen pœnitens putat ſibi eſſe impoſitam adæquatam pœnitentiam, & ſic negligit, adæquatam adimplere; & de hac maximè intelligitur caput allatum, & Concilium Tridentinum loco ſuprà citato. Quinta, quòd pœnitentia minor adæquata tamen rationabiliter à confeſſario impoſita, iuxtà tertiam concluſionem, poteſt dici falſa ſecundùm quid, non abſolutè, & ſimpliciter: ratio eſt, quia non eſt adæquata, nec totam pœnam tollit. Sexta eſt. Verus, & germanus intellectus illius capitis, & ad intentionem Diui Gregorij eſt, quòd ibi loquitur de pœnitentia falſa accepta pro contritione, quæ non eſt vera contritio: ille enim dolor de peccatis, qui non eſt debitè circunſtantionatus, vt purà, quia non eſt cum propoſito cauendi in futurum, non eſt vera, ſed falſa pęnitentia. Vnde hic textus in proprio ſuo ſenſu non loquitur de pęnitentia, quæ in confeſſione imponitur.

Nauarrus.

193 Qui verò putant non poſſe ſciri, quæ ſit pęnitentia iuſta imponenda pro peccatis; vel eſſe valdè difficile hoc indicare, poſſunt cum Nauarro in Manuali capite vigeſimoſexto, numero decimonono, dicere pęnitenti; quærenti adæquatam pęnitentiam habere pro ſuis peccatis à confeſſario, vt eam ſoluat in hoc mundo, quod ſolus Deus ſecundùm probabilem opinionem, & communiorem ſcire poteſt, quæ ſit adæquata pœnitentia, omninò tollens pęnam temporalem debitam ſuis peccatis: tamen timentes antiquitus Deum, & cupientes vitare pęnas alterius vitæ, ſolitos fuiſſe pro vnoquoque peccato mortali, pœnitentiam ſeptem annorum agere, iudicantes huiuſmodi longam pęnam tali offenſæ deberi, ipſum verò nolle eam imponere, niſi ipſe pęnitens velit eam ſpontè acceptare. Quòd ſi audita tam graui pęnitentia pro quolibet peccato mortali, nihilominus reſpondeat ſe velle illam pęnitentiam acceptare, & ſacerdos putat eam impleturum, iniungere poteſt eam, quam putat iuſtam ſecundùm Canones prædictos, quæ iam eſt taxata. Quòd ſi iudicat eam non impleturum, vel non vult tam magnam pęnam acceptare, eam diminuat, quantùm videbitur ei expedire, habita ratione magnitudinis peccati, contritionis, qualitatis perſonæ pęnitentis, an ſit robuſtus, an debilis, an iuuenis, an ſenex, an aſſuefactus pęnitentijs, an non, & alia, quæ diximus eſſe conſideranda; & deinde dicat ei, reliquum pęnæ eum ſoluturum eſſe in purgatorio, niſi hic per indulgentias, & alia opera pia, maximè contritionis, & charitatis eius remiſſionem impetret à Deo.

194 Ad rationes adductas pro opinione adducta à Scoto, quam Suarez ſequitur. Ad primam dico, quòd etſi apud Deum, pęnitentia adæquata pęnæ temporali conſiſtat in indiuiſibili; tamen, inquantùm commiſit hoc iudicium ſacerdoti, qui eſt homo, & humano more iudicat, non voluit adæquatam pęnitentiam conſiſtere in indiuiſibili, ſed habere latitudinem quandam ſecundùm prudens iudicium ſacerdotis, quem fecit arbitrum iudicem inter ſe, & peccatorem: ideo licèt ſacerdos exerceat iudicium diuinum, non tamen exercet, niſi, vt arbiter, vt ſuprà vidimus: ideo habet illam latitudinem in iudicando, quam habet iudex arbiter.

Ad primã rõnẽ ꝓ oppoſita ſententia.

195 Ad confirmationem reſpondetur. Non eſſe parem rationem de *contritione*, & de *ſatisfactione*: nam Deus non poſuit in poteſtate confeſſarij, *quantitatem* contritionis, ſed ipſe præſcripſit *quanta* debeat eſſe, & *qualis*, vt ſuprà diximus: at *quantitatem* pęnitentiæ poſuit in poteſtate ſacerdotis, faciendo eum iudicem arbitrum, & poteſtatem ligandi, & ſoluendi ei dando, vt dictum eſt.

Ad confirmationẽ.

196 Ad ſecundam confirmationem, reſpondetur. Aliud eſſe loqui de *ſatisfactione*, & aliud loqui de *merito*. Verum eſt quidem, eum, qui maiorem pęnitentiam facit de peccato, plus mereri, quàm eum, qui pro eodem peccato minorem pœnitentiam facit: tamen vterque ſatisfacit, ſi vtraque pęnitentia ſit intra latitudinem illam, intra quam debet eſſe ſatisfactio: quia vterque adimplet ſententiam iudicis, licèt qui plus dat, plus mereatur apud Deum, cui ſit ſatisfactio.

Ad ſecũdã confirmationem.

Vtrùm pœnitens teneatur pęnitentiam acceptare, & illam implere. Caput Decimum.

197 IN hac dubitatione eſt grauis diſſenſio inter Theologos. Nam ex vna parte multi aſſerunt pęnitentem teneri ad acceptandum pęnitentiam impoſitam à ſacerdote. Alij ex aduerſo tenent pęnitentem nequaquam teneri ad acceptandum pęnitentiam ſibi impoſitam à cõfeſſario. Primam ſententiam tenent præſertim Soto in quarto, diſtinctione vigeſima, quæſtione ſecunda, articulo ſecundo, qui tamen aſſerit opinionem oppoſitam quæ eſt Scoti, vt videbimus, eſſe probabilem. Suarez verò diſput. 38. ſectione ſeptima, qui multos alios, ex Recentioribus, & antiquis citat pro ea, aſſerit oppoſitam ſententiam, quæ eſt Scoti, & aliorum multorum

Opinio Soto, Suarez, & aliorum.

Doct. vt videbimus, post Concil. Tridentinum esse temerariam.

1. Ratio pro opin. affirmatiua. 198 Pro prima ergo sententia, quòd pœnitens teneatur ad acceptandam pœnitentiam, adducuntur huiusmodi rationes. Et primò Soto vbi suprà sic arguit, Sacerdos est iudex ordinarius institutus à Christo, non arbiter, qui potestatem accipit à pœnitente, vt vult Scotus; ergo potest pœnitentem, vel in totum absoluere, vel si sibi iustum videbitur eum ad aliquam pœnam obligare. Consequentia supponitur nota, quia iudex ordinarius potest obligare subditum ad pœnam sibi impositam.

2. Ratio. 199 Secundò. Deus commisit sacerdoti potestatem absoluendi non quomodocunque, sed in iudicio, & propter hoc dedit ei clauem scientiæ, vt cognoscere possit nedum, an pœnitens sit absoluendus, sed quando sit absoluendus, an scilicet in totum, vel in partem, & aliqua ei pęna sit cum absolutione imponenda. Hoc sic stante, sic arguitur, Iudex in foro exteriori perspecta causa potest quandoque absoluere reum in totum, & quandoque in parte, & in parte ad pœnam obligare, & subditus tenetur ei obedire; ergo multò magis in foro interiori, in quo sacerdos est constitutus iudex à Christo Domino ordinarius, vt quomodocunque iudicauerit possit sententiare reum.

3. Ratio. 200 Tertiò. Sacerdos absoluit tanquam Dei minister, sed Deus sæpè illo modo absoluit à culpa, scilicet retinendo aliquam pęnam soluendam: nam dum absoluit à culpa Deus, obligat ad aliquam pęnam temporalem pro æterna; ergo pari modo poterit sacerdos absoluens à culpa eum obligare ad aliquam pœnam.

4. Ratio. 201 Quartò. Sacramentum pęnitentiæ nedum est castigatio peccatorum præteritorum; sed etiam est medicina pro cauendis alijs in futurum. Vnde pœnitentia semper indicitur in luctu, & planctu, Ioelis 2. & alijs operibus mortificationis; ergo sacerdos potest obligare pœnitentem ad pœnitentiam, alioquin non posset obligare ad medicinam pro cauendis peccatis futuris, quod derogat naturæ huius sacramenti.

5. Ratio. 202 Quintò. Pr batur ex sacris Canonibus cap. *Omnis vtriusque sexus*, præcipitur, vt omnis vtriusque sexus sua peccata confiteatur. & iniunctam sibi pœnitentiam studeat adimplere suscipiendo sacramentum Eucharistię. Si ergo est præceptum de confessione, & susceptione Eucharistiæ, sequitur etiam esse præceptum de satisfactione. Et confirmatur, quia sacerdos, & pœnitens tenentur integritatem sacramenti facere. Cum ergo pœnitentiæ satisfactio sit de integritate sacramenti pœnitentiæ, sequitur pœnitentem obligari ad pęnitentiam faciendam, sicut sacerdos tenetur ad imponendum eandem pęnitentiam propter integritatem sacramenti: ad idem adducit alios Canones. Nam capite *Statutum, de maledicis*, habetur, quòd blasphemo, qui noluerit acceptare pęnitentiam, interdicatur ingressus Ecclesiæ, qui rigor pęnæ est indicium esse peccatum mortale non acceptare pęnitentiam. Quòd si quis dicat hoc intelligi de eo, qui non vult acceptare pęnitentiam publicam. Tunc sic. At nulla est causa cur non sit eadem ratio de pęnitentia secreta; ergo.

6. Ratio. 203 Sextò. Adsunt Cōcilia in quibus facit maximam vim Suarez vbi suprà, præsertim Concilium Florentinum dum inquit satisfactionem esse imponendam secundum arbitrium confessoris; & Tridētinum clarius sess. 14. cap. 8. vbi asserit, in sacerdotibus esse non solùm potestatem absoluendi, sed etiam ligandi.

7. Ratio. 204 Vltimò adest conditio illa inter conditiones confessionis, *vt sit parere parata*: at nisi teneatur pęnitens pęnitentiam iniunctam à sacerdote acceptare, est superflua illa c nditio. Tandem pro hac opinione citantur omnes fetè Theologi veteres, Magister Sententiarum in hoc quarto, distinctione decimasexta, & decimaoctaua, Alexander Alensis quarta parte, quæstione vigesimaquarta, membro quarto, articulo quinto, Diuus Thomas distinctione decimaoctaua, quæstione prima, articulo tertio, quæstiuncula tertia, Richardus distinctione decimaoctaua, articulo 2. q. 5. Durandus dist. 18. q. 2. & ex Recentioribus plurimi: ideò hæc assertio videtur esse omninò sustinenda.

205 Ex altera parte Scotus in hoc 4. dist. 15. quæst. 1. §. *De secundo principali*, littera N. & dist. 18. littera N. tenet pęnitentem, non teneri ad acceptandum pęnitentiam, quem postea sequuti sunt multi alij, vt Gabriel Biel dist. 18. quæst. 1. art. 3. dub. 1. & dist. 18. art. 3. dub. 5. Hostiensis, & Panormitanus in cap. *Significauit, de pęnitentia, & remissione*, Syluester verbo *Confessio*, quæst. 25. Nauarrus enixè in Manuali cap. 26. num. 20. & 21. & tandem Caietanus tomo primo Opusc. tract. 6. quæst. 2. ad 2. at Caietanus plùs dicit, quàm Scotus: tenet enim, quòd nedum pęnitens non teneatur ad acceptandum pęnitentiam, sed quòd etsi acceptauerit non teneatur eam adimplere, qua in re Soto, & Suarez commendant Caietanum magis quàm Scotum, & si eius opinionem absolutè damnent: quia inquiunt Caietanum magis consequenter loqui, quàm Scotum: quia illa acceptatio non est votum, nec promissio, sed tantùm simplex propositum, & simplex promissio, quæ non obligat sub pęna peccati mortalis. Vndè si non tenetur per se ad acceptandam pęnitentiam, neque tenetur ad illam implendam. Opin. Scoti, & aliorū. Opin. Caietani.

206 Nos autem priùs explicabimus germanam opinionem Scoti, deinde opinionem aduersariorum euertemus. Rationes enim, quæ probāt opinionem Scoti, refellunt opinionem aduersariorum; & tandem rationibus in oppositum satisfaciemus.

207 Scotus ergo præsertim dist. 18. facit hanc interrogationem, & dubitationem. Numquid pęnam à claue non errante impositam teneatur pęnitens adimplere? & respondit, quòd pęnitens duobus modis potest se habere respectu sacerdotis: nam vel vult se submittere illi quantùm ad omnia; nimirum quò ad absolutionem à culpa, & à pęna totali; vel vult se submittere illi solùm quò ad absolutionem à culpa, non quò ad absolutionem à pęna totali correspondente adæquatæ pęnæ temporali, qua soluta nihil remaneat in purgatorio soluendum; sed quò ad satisfactionem, & exactionem pęnæ totalis vult se subdere manui Dei, vel hic, vel in purgatorio. Si se subdat hoc secundo modo, inquit Scotus, non expedire repellere talem sine absolutione à culpis, quod postea probat varijs rationibus, vt nunc dicam. Vbi est obseruandum Scotum non asserere, sacerdotem non posse imponere pęnitentiam pęnitenti, vt aduersarij ei tribuunt; neque enim hoc vnquam apud Scotum reperient, sed solùm ait, pęnitentem non necessariò teneri ad acceptandum pœnitentiam iniunctam sibi à sacerdote. Et loquitur de pęnitentia totali, & adæquata, vt dictum est. Multum autem differt dicere. *Sacerdos non potest imponere pęnitentiam pœnitenti*; & *pęnitens non tenetur illam acceptare*: quia primum negat potestatem ligandi in sacerdote concessam illi à Christo Domino; secundum autem nequaquam. Quod exemplo demonstro. In foro exteriori iudex constitutus à Principe, potest imponere reo conuicto in suo iudicio de aliquo delicto pęnam correspondentem illi delicto, tamen si iudex ille in imponenda pęna erret, & supremus princeps soleat illam pęnam corrigere, & supplere, vbi deficit, non videtur inconueniens, quòd reus recusare possit taxationem, & pęnam impositam à iudice inferiori, & velit stare solùm taxationi, & pęnæ impositæ à Principe supremo: nam nō propter hoc negat iudicem inferiorem habere potestatem reum illum iudicandi, & taxandi, sed solùm habetur, eum velle declinare iudicium inferioris recurrēdo ad superiorem, quod non videtur inconueniens. Opin. Scoti explicatur, & probatur.

208 Nūc videamus quomodo Scotus probet pęnitentem posse recusare pœnitentiam impositam sibi à sacerdote, & velle à solo Deo illam sibi imponi. Prima ratio est hæc. Potest reperiri aliquis pœnitens qui dicat se habere displicentiam de peccato commisso, & firmum propositum Quō Scotus probet pęnitētem non teneri ad acceptādū pęnitentiam. 1. Ratio.

tum

tum non recidiuandi, & tamen nolit vllam pœnitentiam recipere à sacerdote impositam, neque ipsemet vult sibi illam infligere, vt minister Dei. Tunc quæro, vel iste est absoluendus à peccatis, vel non: si non, vt aduersarij dicunt, quia non videtur habere debitam dispositionem, & dolorem. Contrà. Ergo iste, vt desperatus, recedet, & tunc probabiliter in alia, & grauiora peccata relabetur: at si absoluatur, & tamen ei nuntietur pœna, quæ pro peccatis sibi facienda esset, & quod eam in se, vel in æquiualenti ex se studeat adimplere, alioquin soluet ad plenum in purgatorio facilè poterit ex hac consolatione animari ad pœnitentiam, & à peccatis recedere; & tandem pœnitentiam, quam noluit à sacerdote recipere, ex se sumere, vel ad eundem sacerdotem, vel ad alium iterum redire ad eam accipiendam.

Confirmatio. 209 Quod cõfirmat Scotus pulchra doctrina, desumpta ex Sacra scriptura. Nam hæc misericordia absolutionis à culpis sine impositione pœnitentiæ propter penitentiam pœnitentis facta cum peccatore, consonat illi dicto Prophetiæ Isaię de Christo, quam ipse Christus Dominus Matth. 12. recitat. *Arundinem quassatam non confriget, & lignum fumigans non extinguet*. Arundo enim quassata est peccator tentationibus quassatus, & peccatis; lignum fumidum est homo, nimis fumidus ex peccatis, tamen habens aliquid de igne charitatis; & hic extinguitur si per duritiam sacerdotum ad nimis difficile obligetur, sed non extinguitur si prædicatur sibi, quod oportet eum hic vel alibi pœnam soluere, & quòd studeat hic tantam pœnam soluere, quanta peccatis suis debetur, nè alibi acrior exigatur. Hæc Scotus, ex quibus apparet rationabilissimum esse, eum absoluere sine impositione pœnitentiæ. (Adde ex his videri eum loqui de impositione pęnitentiæ adæquatæ de qua verissima certè est sententia Scoti, & in vsu seruatur; attamen loquendo etiam de eo, qui nedum adæquatam, sed nullam omnino etiam minimam vellet acceptare, est verissima opinio Scoti, vt dist. 18. tradit, & nunc infrà adhuc ostẽdam.) Quod autem aduersarij objiciunt, quòd qui nollet acceptare pęnitentiam non videtur sufficiẽter dispositus, nihil est, quia iam supponit Scotus, quòd ille pęnitens habeat sufficientem dolorẽ de pręteritis peccatis, & propositum firmum de ampliùs non peccando, & rursus habeat voluntatem faciendi pęnitentiam, sed nõ inflictam sibi ab hoc iudice; ergo habet omnia requisita ad contritionem. Non haberet quidem contritionem, si nollet vllum opus bonum facere: at si vult abstinere à peccatis, & operari bona, sed non titulo satisfactionis: hoc nihil impedit, quin habeat contritionem.

2. Ratio Scoti. 210 Secundò principaliter arguit Scotus. Si iste non esset absoluendus, hoc esset præsertim, quia videtur esse inobediens Ecclesiæ, quam repræsentat ille sacerdos habens claues eius, dum non vult ab eo acceptare pęnitentiam, quam putat condignam suis peccatis: at hoc non potest dici in proposito: ergo. Minor probatur: quia iste pęnitẽs se submittit Ecclesiæ arbitrio quantùm ad id, in quo tenetur, scilicet quantùm ad iudicium de culpis, ad quod necessariò tenetur, vt suprà agendo, An confessio sit de iure diuino positiuo, diximus: quia sacerdos est iudex arbiter inter Deum, & peccatorem; ad hoc autem aliud iudicium sequens pertinens ad impositionem pęnæ non tenetur ei se submittere; ergo non est inobediens. Prima pars antecedentis est euidens: quia sacerdoti confitetur peccata sua debito modo, & petit absolutionem. Secunda pars verò probatur, quia impositio pęnitentiæ non includitur necessariò in primo iudicio, quo culpa dimittitur: nam in morte cum quis non potest aliquid pęnale exercere, potest secundùm omnes absolui absque impositione pęnitentiæ; ergo pęnitentiæ impositio non necessariò includitur in absolutione à peccatis, & culpis, itaquòd sit impossibile absoluere à culpa, nõ absoluendo à pęna. Præterea in praxi continua Ecclesiæ videmus, sacerdotes omnes vniformiter se habere circa absolutionem à culpa, quia omnes requirunt eandem dispositionem, qua deficiente non conferunt absolutionem: at circa impositionem pęnæ non omnes vniformes sunt, immò maximè variant: nam aliqui pro eisdem peccatis exiguam imponunt pęnitentiam propter voluntatem pęnitentis nolentis grauiorem acceptare, vel si acceptaret cognoscunt eum non eam soluturum, sed solùm eum admonent quòd residuum soluet in purgatorio: at si necessariò contineretur in absolutione non possent illam alterare, & diminuere, sed tenerentur æqualem, & adæquatam semper, & omnibus imponere.

211 Tertiò arguit ibidem. Vt plurimùm sacerdotes imponunt pro grauissimis peccatis modicam pęnitentiã, quæ certè nõ est adæquata culpis, & est extra latitudinem prædictam; & tamen propter hoc non dicimus, quòd ille pęnitens non verè absoluatur, & quòd non sit absoluendus, licèt non velit acceptare adæquatam pęnitentiam; ergo eodem modo videtur esse absoluendus, licèt non velit pęnam vllam sibi imponi à sacerdote, sed velit debitam adæquatè soluere in purgatorio. Consequentia probatur: nam pęnitens tenetur ad pęnitentiam adæquatam, non ad illam exiguam. Vnde si sacerdos tenetur ad imponendum pęnitentiam, tenetur ad imponendum debitam, & adæquatam, non indebitam, & inadæquatam. At videmus secundùm aduersarios non teneri ad imponendum adæquatam; ergo nec tenetur ad imponendum inadæquatam, licèt si velit, possit inadæquatam imponere. Maior, quæ à Soto, & ab aduersarijs negatur, probatur, quia iudex tenetur ad iustam sententiam, non ad iniustam; impositio autem inadæquatæ pęnitentiæ esset iniusta sententia, & iniusta condemnatio: immò sequitur ex opinione aduersariorum, quòd sacerdos non teneatur nisi ad imponendum pęnitentiam inadæquatam, & ex se iniustam: quia iam tenent eum iustam, & adæquatam non posse imponere, cum sit ignota secundùm eos, vt suprà vidimus: dicere autem quòd Deus obligauerit sacerdotem ad iniustũ iudicium semper, est omninò absurdum. 3. Ratio.

212 Quartò adducit Scotus auctoritatem D. August. (sed quo loco non citat) asserentis, quòd si vix tali peccatori inclinabili imponatur pęnitentia aliqua displicens, timendum est, ne inde accipiat occasionem recidiuandi in peccatum mortale: quia projiciendo illam pęnitẽtiam, peccabit mortaliter, postquam voluit se submittere sacerdoti in eius susceptione. 4. Ratio.

213 Hæc est sententia Scoti, & eius rationes: quæ opinio Scoti certè, vt dixi, est *valdè probabilis*, & *pia*. Est *valdè probabilis*, quia, vt dictum est, si potest pęnitens recusare satisfactionem condignam, & velle acceptare aliquam modicam, & residuum soluere in purgatorio, certè nulla est ratio conuincens, quòd nõ possit etiam illam paruam respuere, & totam in purgatorio de manu Dei recipere. Potest enim interim in operibus bonis se exercere custodiendo legẽ Dei, sed non titulo satisfactionis, sed vt Deus eum præseruet à peccatis, & reddat debitum honorẽ Deo expectando ab ipso iustam pęnitentiam pro delictis præteritis. Est etiam *valdè pia*: quia, vt dixi, accedere potest casus, quòd aliquis magnus peccator habituatus in peccatis, qui nec sit solitus confiteri, & sit adeo secularibus negotijs implicitus, vt ægerrimè ferat dicere vnum *Pater nõster*, vt e. g. si sit aliquis Dux belli, & quotidie, vel singulis horis sit cum inimico conflicturus, cui tamen Deus inspiret, vt adeat confessorem: vel sit adeo tentationibus stimulatus, quòd etsi habeat dolorem offẽsarum factarum, sed imperfectum, vt attritionem, scilicet propter pęnas inferni, & etiam habeat propositum quantùm est ex se abstinendi, tamen nec modicam pęnitentiam velit acceptare propter ignauiam, & vecordiam, & propter tentationem diabolicam enitentem eum auertere à confessione, certè dimittere hunc peccatorem sine absolutione à peccatis, est eum desperationi committere. Quòd si eum à peccatis sacerdos absoluat hortando eum ad pęnitentiam, sed sinè obligatione, facile est lucrari eum. Sic enim paulatim in viam Domini redire est facile iudicis mansuetudine, & misericordia.

Reſponſio aduerſariorum ad rationes oẽs Scoti refellitur.

214 Verùm omnibus allatis rationibus reſpondet ex Soto Suarez vbi ſuprà, quòd in lege Euangelica adeſt prę ceptũ ſatisfaciendi, quia commiſſum eſt ſacerdotibus integrum iudicium de peccatis, ad integrum autem iudicium de peccatis pertinet impoſitio pœnitentiæ.

215 Contrà. Si hæc reſponſio eſt valida, ſequitur, ꝙ ſacerdos tenetur imponere adæquatam, vel ſaltem talem, quæ appareat adæquata; ergo non valeret pœnitentia illa, quæ à confeſſarijs ſæpè ſæpiùs modica, & ad voluntatẽ pœnitentis imponitur, ad quod tamen hortatur confeſſarios ipſe Suarez, eadem diſput. 38. ſect. 7. num. 4. dum ait. *Quòd ſacerdotes non debent eſſe multùm difficiles, ſed accõmodari oportere fragilitati pœnitentis, & leuiores illis pœnitentis imponere, ſi grauiores illi acceptare nolint.* Sed reſpõdent, quòd pœnitentia nedum eſt correctiua, ſed etiam medicinalis: ideò debet eſſe tollerabilis, & accommodata humanæ fragilitati, & ſic poteſt eſſe adæquata. Contrà, quòd ſit medicinalis eſt accidentale pœnitentiæ, quia pœnitentia, & ſatisfactio eſt de præterita culpa non de futura: ad cauendum autem futura peccata poſſunt ſufficere alia remedia, vt hortationes, &c. ideò propter accidentale non poteſt eſſentiali variari: immò tolli. Reſpondetur ergo, rationem quidem concludere, ſacerdotem poſſe imponere pœnitentiam, & ad illam illam tenere pœnitentem, ſi pœnitens velit illam acceptare: at ſi nolit, non teneri. Hæc autem multùm differunt, vt ſuprà diximus hoc cap. explicando opinionem Scoti. Ex eo enim, quòd ſacerdos eſt inſtitutus iudex peccatoris nõ aufertur peccatori optio confugiendi ad ipſum Deum iudicem ſupremum pro pęnitentia. Vnde ratio iſta, quæ eſt Achyllis eorum, nulla eſt: quia ex eo, quod ſacerdos eſt iudex, non aufertur peccatori, vt non poſſit potiùs velle ſe ſubdere Deo, quò ad pęnitentiam, qui eam iuſtè, & adæquatè imponit, & qui eſt ſuperior ſacerdote. Secus ſi Deus nollet per ſe imponere pęnitentiam, ſed vellet, vt omninò per ſacerdotem imponeretur ſicut præcepit, vt abſolutio à peccatis ordinariè per ſacerdotem fiat: tunc enim cogeretur pœnitentiam à ſacerdote ſuſcipere; quia ergo obligatio ad ſuſcipiendam ſatisfactionem eſt alia obligatio, quàm obligatio ad abſolui à peccatis, licèt ad ſecundum teneatur peccator, non tamen ad primum. Deus enim obligauit peccatorem, vt pro abſolutione à peccatis ſe ſubdat ſacerdoti, inſtituendo ſacerdotem iudicem peccatorum, & dando legem illam, vt vnuſquiſque diligat Deũ ſuper omnia, & ſe ipſum ex charitate, vt ſuprà agendo de præcepto confeſſionis tradidimus. Ad recipiendum verò ſatisfactionem non obligauit præcisè pœnitentem ad ſe ſubdendum ſacerdoti, ſed regulariter, vel *Sacerdoti*, vel *ſibi*. Si enim ſacerdos illam non imponit, Deus per ſe illam exigit: at ſi peccator non abſoluatur à culpis in hac vita à ſacerdote, Deus eum per ſe non abſoluit in alia vita, ſicut imponit, & exigit ſatisfactionẽ. Quòd autem vera ſit hæc diſiunctiua, probatur per rationes factas, quia, ſi ſacerdos illam vult imponere, valet, ſi verò non vult, vel aliquam exiguam imponit, Deus per ſe illam pœnitentiam exigit. At niſi quis potens non recipiat abſolutionem à culpis à ſacerdote in hac vita, Deus illi culpas illas non remittit per ſe, ſed magis punit æternaliter.

5. Ratio aliorum pro Scoto.

216 Pro eadem opinione arguunt alij. Vnuſquiſque poteſt renuntiare iuri ſuo, ſed quòd homo in hac vita per pœnalia opera ſatisfaciat pro peccatis ſuis, eſt priuilegium diuinum, & opus magnæ miſericordiæ in fauorem hominum à Deo conceſſum, vt non affligantur tam diris pœnis purgatorij; ergo homo poteſt renuntiare huic ſuo iuri, & velle ſatisfacere in purgatorio.

Confirmatio.

217 Confirmatur, quia poſſet aliquis tanta contritione teneri, vt nollet indulgentias accipere, quæ ad remiſſionem pęnarum purgatorij conceduntur, ſed vſque ad nouiſſimum quadrantem in purgatorio velle perſoluere; ergo pari ratione videtur poſſe nolle acceptare pęnitentiam à ſacerdote in hac vita, vt in purgatorio ſoluat.

Reſponſio Soto.

218 Reſpondet Soto vbi ſuprà ad vtrunque, quòd nõ poteſt renuntiare huic iuri, nec poteſt non acceptare ſatiſfactionem, licèt poſſit non acceptare indulgentias, quia hic adeſt iuſtitia, nimirum præceptum, quod tranſgrederemur non acceptando pęnitẽtiam: tunc autem vnuſquiſque poteſt renuntiare iuri ſuo, cum liber eſt, & pariter poteſt non acceptare pęnitentiam, quia illud ſitum eſt in libertate ſua.

Reijcitur.

219 Cęterùm hæc reſponſio eſt iam confutata, quia oſtenſum eſt, hic non eſſe præceptum neceſſarium, ſed ſolùm conditionatum.

Ad primã rõnem pro oppoſita ſẽtentia.

220 Ad primam rationem pro oppoſita ſententia ex Soto reſpondetur, ſacerdotem eſſe iudicem *arbitrum*, nõ *arbitrarium*, vt malè intellexit Soto, vt oſtendimus ſuprà agendo, An confeſſio ſit de iure diuino poſitiuo. Cum hoc autem ſtat, vt ſacerdos ſit iudex ordinarius: eſt enim iudex ordinarius, ſed arbiter inter Deum, & peccatorem, vt ſuprà toties diximus. Conceditur ergo antecedens hoc modo explicatum, ſed nego conſequentiam. Ad probationẽ, reſpondetur iudicem ordinarium poſſe eſſe duplicis generis. Vno modo inferiorem, qui habeat ſuprà ſe alium iudicem in eadem cauſa, vel nullum alium iudicem ſuperiorem habeat in eadem cauſa, ſi loquamur de iudice ordinario primo modo, poteſt quidem obligare ſubditum, & condemnare eũ ad pęnam totalem, vel aliqualem, ſi ſubditus velit eam acceptare: at ſi ſubditus velit ſtare in illa cauſa ad iudicem ſuperiorem, inferior non poteſt eum impedire; ſic euenit in propoſito. Sacerdos eſt iudex ordinarius arbiter, ſed ſupremus eſt Deus, qui in eadem cauſa de obligatione ad pęnitentiam ordinariè iudicat, & punit; ergo non obſtante poteſtate iudicis inferioris, qui eſt ſacerdos poteſt reus non acceptare pęnitentiã ab inferiori, ſed à ſolo Deo. Argumentum ergo probat, ſacerdotem habere poteſtatem obligandi pęnitentem ad pęnitentiã: at non concludit pęnitentem teneri ad acceptandam eã, quia poteſtas illa obligandi in ſacerdote non eſt abſoluta, ſed conditionatã, ſi pęnitens velit illam acceptare, & ſe illi ſubdere.

Ad ſecũdũ

221 Ad ſecundum reſpondetur maiorẽ abſolutè ſumptam eſſe falſam: nam ſacerdos non eſt conſtitutus iudex à Deo, vt pro arbitrio ſuo ſentẽtiet in cauſa peccatoris, ſed vt iuſtè, & ſecũdùm legem præſcriptam à Deo ſententiet, & conſequenter, quòd dum imponit pœnitentiam, illam adæquatam, & iuſtam imponat; alioquin Deus non vult illam ratam habere. Quòd ſi iudex, vel neſciat, vel nolit iuſtam ſententiam, ſententiare, & adæquatã pęnam imponere, & ad alium iudicem ſuperiorem remittere, qui iuſtam, & adæquatam ſententiã ferat, & pęnam imponat, videtur poſſe reus ad illum iudicem ſuperiorem ſtare velle, contempto iudicio inferioris, ex quo eſt diminutum. Antecedens ergo eſt falſum; & ſic in propoſito, cum ſacerdos ſecundùm aduerſarios non poſſit imponere ſatisfactionem in totum, ſed ſæpiùs in parte, & valdè diminutam imponat, poteſt pęnitens in hoc iudicio non ſtare ad illam, ſi nolit.

2. Reſponſio.

222 Secundò dico, quòd etſi ſacerdos, vt iudex ordinarius poſſit imponere pęnam, & ſententiare pęnitentem ad tantam, & talem pęnam, hoc non facit quin poſſit pęnitẽs ſi non velit illam acceptare, recurrere ad ſupremum iudicem, qui in eadem cauſa iuſtè, & adæquatè iudicat, & eius iudicium, & punitionem acceptare, vt dictum eſt ſæpiùs ſuprà.

Ad tertiũ.

223 Ad tertium. Concedo ſacerdotem abſoluere vice Dei, & poſſe abſoluere à culpa, & obligare ad aliquam pęnam, ſed dico hoc valere tantùm ſi pęnitens velit illam acceptare, & ſe illi ſubdere quò ad hoc, & non velle potiùs ſtare iudicio diuino. Poteſtas enim illa conceſſa ſacerdoti dum factus eſt Vicarius Dei, non impedit pęnitentem quin poſſit renuntiare illi iudicio, quò ad hoc, & ſtare velle ſoli diuino, quod eſt adæquatum.

Ad quartũ.

224 Ad quartum. Cõcedo obligare poſſe pęnitentem ſi velit obligari, vt dictum eſt, & dico eſſe laudabile, & in praxi ordinaria, pęnitentem debere acceptare pęnitentiam

tiam præſertim, quia eſt medicina, vt infrà dicam; tamen nego abſolutè, & in caſu poſſe cogi propter rationes adductas, & ſicut propter poteſtatem ſibi datam à Deo, ſacerdos non cogitur imponere totam, & adæquatam pænitentiam, ſed poteſt valdè diminutam, & inadæquatam imponere, ita poteſt nullam imponere, & illam reſeruare iuditio diuino: & ſicut ſacerdos iudex poteſt non imponere, ita ipſe pænitens poteſt eius iudicium non acceptare, ſed velle ſtare diuino, quia iudicium, & ſententia abſolutionis à culpa, & à pœna non ſunt neceſſariè connexa, vt ſuprà viſum eſt.

Ad quintū. 225 Ad quintum reſpondetur per idem, non enim valet conſequentia, quòd ſi eſt præceptum de confeſſione, et ſuſceptione Euchariſtiæ, ſit etiam præceptum de acceptatione pęnitentiæ, quia, vt dictum eſt, hæc ſunt diuerſa, & primum non neceſſariò includit ſecundum. Ad confirmationem negatur ſatisfactionem eſſe de integritate Sacramenti pænitentiæ in re, & vt iniungitur à Sacerdote. Sufficit enim, quòd habeat votum, & propoſitum ſatisfaciendi alioquin in morte, vbi non locus ſit ſatisfactioni non poſſit dari abſolutio à culpis, nec miniſtrari ſacramētum Pœnitentiæ, quòd eſt erroneum, etiam ſecundū aduerſarios. Ad Canonem, *Statutum de maledicis*, reſpondetur, illud habere locum in foro exteriori, vbi interueniret inobedientia expreſſa, vt ſi quis pœnam impoſitā nollet acceptare; negamus autem hoc habere locum in foro interiori, & cauſam adduximus.

Ad ſextū. 226 Ad ſextum, in quo faciunt maximam vim, reſpōdetur clarè ex dictis patere. Concludit enim in ſacerdotibus eſſe poteſtatem imponendi pœnitentiam pænitenti, neq. Scotus, neque nos hoc negamus; ſed ſuprà ſæpiſſimè hoc eſſe veriſſimum probauimus, demonſtrando quòd ſacerdos eſt Iudex arbiter, & quòd poteſt imponere pœnitentiam, quæ ſi ſit intra debitam latitudinem, eſt æqualis, & ratificatur in Cœlis: ſi autem non eſſet Iudex conſtitutus à Deo, non haberet hāc poteſtatem: immò nos veriùs aſſerimus hanc poteſtatem abſoluendi à pœna eſſe in Sacerdote, quàm aduerſarij: quia dicimus ſacerdotem poſſe dimittere pœnam temporalem debitam peccato, non imponendo adæquatam ſecundùm indiuiſibilitatem apud iudicium Diuinum: quia habet latitudinem quandam, vt omnes iudices arbitri. At aduerſarij dicunt, quòd ſacerdos non poteſt imponere adæquatam, ſed quacunque pęnitentia impoſita à ſacerdote res effectum habebit, prout in re conforme fuerit legi Diuinæ, & menſuræ Dei: at hoc eſt verum etiam ſi pænitens ſibi ipſi imponat pœnitētiam, & ipſe pœnitens ex conſilio alicuius viri pij faciat aliquam pænitentiam: illa enim in re effectum habebit ſecundùm legem Dei; hoc ergo non eſt ponere in ſacerdote auctoritatem, & poteſtatem aliquam reſpectu abſolutionis à pœna, & impoſitionis pœnitentiæ. Reſpondetur ergo, vt dictum eſt, aliud eſſe ſacerdotem non habere poteſtatem ad imponendam pænitentiam, & aliud pænitentem non teneri ad acceptandam pænitentiam à ſacerdote: primum aſſeritur à Concilijs, non ſecundum: quantum autem hæc differant, iam ſæpiùs explicatum eſt.

Ad ſeptimum. 227 Ad ſeptimum reſpondetur, conditionem illam intelligi poſtquam pænitens acceptauit: nam, & ſi pænitens poſſit non ſe ſubdere ſacerdoti quò ad acceptationem pœnitentiæ, tamen ſi ſe ſubdat, & acceptet pænitentiam tenetur ſub pæna peccati mortalis illam adimplere; quod adhuc infrà nunc magis explicabitur.

Opin. Caiet. reijcit. 228 Opinio autem Caietani, quæ eſt in altero extremo, in eo quo diſcordat à Scoto. ſ. quòd pænitens etiam acceptatam pænitentiam nō teneatur ad illam implere, eſt falſa: & ratio quam adducunt Soto, & Suarez pro Caietani. ſ. quòd promiſſio facta à pænitente ſacerdoti, dum acceptat pænitentiam, ſit ſimplex propoſitum, ſeu ſimplex promiſſio, quæ non obliget ſub pæna peccati mortalis, eſt omninò nullius momenti: procedit enim ex falſo fundamento. ſ. quòd ſacerdos prorsùs nullam habeat poteſtatem imponendi pænitentiam; quod eſſe falſum, neq; ſuſtineri à Scoto, vt ipſi falsò putant, ſuprà oſtēdimus. Dicimus enim ſacerdotem habere poteſtatem obligandi pænitentem ad ſatisfactionem, ſi pænitens velit ſe illi quò ad ſuſcipiendam pænitentiam ſupponere: tūc enim ſacerdos gerit vicem Dei, & imponit illud præceptum vice Eccleſiæ, cui Chriſtus tradidit claues abſoluendi, & ligādi: ideò non adimplendo peccat mortaliter: tamen ſi ſacerdoti quò ad hanc pœnam ſuſcipiendam non vult ſe ſubijcere, ſed ſolùm iudicio ipſius Dei, qui regulariter hanc exigit hic per ſuos miniſtros, vel in Purgatorio per ſeipſum, dicimus non teneri ad acceptandum illam pænam.

229 Verùm licèt hæc opinio Scoti ſit mihi vera: tamē in praxi non eſſet de facili ponenda in vſu. Quia vt ait Nauarrus in Man. loco citato: difficilè eſt inuenire aliquē verè pænitentem, qui bona fide confiteatur, adeò ſaxeum, vt nolit, vel tantillum pænitentiæ acceptare: proinde ſi qs accederet, qui nollet nec exiguam pænitentiam acceptare, eſſet multùm conſiderandum, an haberet verum dolorem, & eſſet benè diſpoſitus: qui enim nec ter IESVS dicere vellet, non videtur benè diſpoſitus; & proinde ex hoc cap. eſſet reijciendus, non autem quia teneretur ad acceptandum pænitentiam. Quòd ſi conſtaret probabiliter eſſe verè pænitentem, & ſaltem attritum (neque enim ex hoc præcisè quòd non vult acceptare pęnitentiam à ſacerdote, eſt in peccato mortali, quia conteritur de peccato, & vult puniri ab eo, cuius eſt pęnam iuſtè infligere) certè nō eſſet dimittendus ſinè abſolutione, ne incideret, vt dictum eſt in deſperationem, & in peius laberetur. Quid ſ praxi ſeruādū.

An ſatisfactio habeat aliquem effectum ex opere operato, an poſſit adimpleri per alium, & quis ſatisfactionem impoſitam poſſit tollere, vel mutare.

Caput Undecimum.

230 DIximus iam ſuprà agendo de partibus pænitētiæ Sacramenti, d. 15. q. j. cum Scoto, ſatisfactionem eſſe tertiam partem ſacramēti pænitentiæ, i. neceſſariò requiſitam, vel in actu, vel in voto, & hac ratione enumerari, vt partem integralē ſacramēnti, quia neceſſariò ad eius efficaciam habendam, requiritur ex inſtitutione diuina, vt docet Concilium Tridentinum, ſeſſ. 14. cap. 3. Eſt modò dubium, an ſatisfactio impoſita à ſacerdote habeat aliquem effectum virtute clauium ex opere operato: & præſertim eſt dubium de duobus. Primum eſt, an per ſatisfactionem impoſitam à ſacerdote remittatur aliqua pars pęnæ temporalis, quæ ex ſe deberetur culpæ ſi penitētia non imponeretur à ſacerdote. Scotus in 4. d. 18. ferè in principio Quæſt. explicando opinionem tributam Richardo apertè ſupponit, ſacerdotem virtute clauium, & ex opere operato poſſe remittere, & de facto remittere aliquam partem pęnæ debitæ pro peccatis: ait enim, *Pone iſte pro peccatis ſuis tenetur ſecundùm ſtrictum rigorem ad pœnam decem dierum. Sacerdos virtute clauium poteſt ſibi remittere pœnam trium dierum.* Confutando autem opinionē illam tributam Richardo, non confutat hanc partem, ſed illam ſupponit veram; & probat, quòd dempta illa pęna, quam virtute clauium remittit, & dempta etiam alia pœna, quam ſacerdos de theſauro Eccleſiæ poſſet remittere per indulgentiam, de qua infrà; pęna, quæ remanet ſoluenda, poteſt arbitrariè taxari à ſacerdote, nec eſt neceſſe, vt attingat eam punctaliter, & ſecundùm indiuiſibile ſecundùm iudicium Dei, apud quem certa pęna in indiuiſibili adæquata reſpondet, ſed habet quandam latitudinem intra quam, ſi imponat pęnitentiam, ratificabitur, vt dictum eſt ſuprà. Satisfactio requirit in re, vel in voto. An ſatisfactio hēat aliquem effectum ex ope opato.

231 Quæ ſententia eſt communis omnium Theologorum, qui vel eam ſupponunt, vel explicant; vt obſeruauit quoque Suarez diſp. 38. ſect. 2. num. 2. Alenſis par. 4. q. 21. memb. 2. a. 1. Diuus Bonau. d. 18. p. p. a. 2. q. 2. D. Thomas quolib. 3. a. 28. & alij. Et ratio eſt, quia ſi ſatisfactio ſacramentalis nullum effectum haberet virtute clauium, & ex ſpeciali applicatione Paſſionis, & meriti Chriſti non eſſet Suarez. Alenſis. D. Bonau. D. Thom.

maioris

maioris virtutis, & efficaciæ, quàm satisfactio non sacramentalis, quòd est absurdum. Frustrà enim instituta esset à Christo, & confirmatur, quia hæc actio aliquo modo procedit à potestate soluendi, & remittendi peccata subiecta sacerdoti per cõfessionem, collata ipsi sacerdoti ex meritis Christi; ergo virtute meritorum Christi habet aliquẽ effectum proprium ex opere operato, siuè ex se, vt sic est instituta à Christo. At non in culpam, quia satisfactio non ordinatur ad culpam, sed ad pęnam temporalem; ergo satisfactio imposita à sacerdote ex opere operato habet hũc effectum, vt aliquam partem pęnitentiæ dimittat, pro qua Deus ampliùs, neque in hac vita, neque in purgatorio vllã compensationem exiget. De reliqua autem pęna temporali debita, sacerdos secundùm arbitrium suum condignam satisfactionem imponit, vel aliquam paruam, relinquendo iustam exactionem Deo.

Quãdo habet hunc effectum.

232 Quando verò satisfactio habeat hunc effectum, breuiter respondetur, eam habere, cum sacerdos absoluit pœnitentem; tunc enim cum pœnitens est rectè dispositus, sacerdos per absolutionem remittit pœnitenti non solùm culpam, & æternam pœnam, sed etiam aliquid pœnę temporalis: & hac ratione certum est, ratione sacramenti suscepti remissiùs puniri hominem in purgatorio etiam si moriatur antequam impositam pœnitentiam exequatur. Sed quid, si quis pœnitentiam impleat antequam absoluatur: sæpius enim antiquitus priùs imponebant pœnitentiã, & pœnitens illam explebat, deinde absoluebatur; quando ergo tunc habebat hunc effectum? Respondetur ab aliquibus, quòd ante absolutionem habebat hunc effectum ex opere operantis: post absolutionẽ habebat illum ex opere operato simul cum toto effectu. Sed hic modus dicendi non placet, quia aliud est meritum ex opere operantis, & aliud ex opere operato: ideò diuersus fructus vtrique respondere debet. Potest dici, quòd si tota pęna temporalis per satisfactionem impositam est exacta, in absolutione loco absolutionis pęnæ temporalis auget meritum: si verò satisfactio debita non est expleta, tunc in absolutione dimittitur.

An oĩs satisfactio habeat hũc effectum.

233 Est alia dubitatio, an omnis pęnitentia imposita à sacerdote pęnitenti habeat hunc effectum ex opere operato, siuè sit adæquata, siuè sit minor, siuè maior. Respondet Suarez vbi suprà, si sit adæquata habebit totum effectum, itaquòd totam pęnam, quam ex opere operato remisit, expiabit: si verò sit pęnitentia inadæquata habebit solùm ex parte effectum iuxta proportionem, quam cum ipsa pęna debita habebit. Mihi autem videtur hoc dici sinè fundamento, quia cum hic effectus ex opere operato conferatur pęnitenti in absolutione à peccatis, quæ vna, & eadem est semper, nec pendet à satisfactione, mihi videtur semper eundem effectum habere, siuè sacerdos imponat satisfactionem adæquatam, siuè inadæquatam: quia tunc pęnitens, qui non posset propter infirmitatem, vel aliquã rationabilem causam, pęnitentiam adæquatam implere, esset deterioris conditionis eo, qui posset adæquatam adimplere, etiam si pauciora peccata haberet. Deinde qui in articulo mortis absolueretur, si nullam aut exiguam pęnitentiam posset efficere, careret hoc beneficio; quod tamen est absurdum, cum effectus ex opere operato prouenions ex sacramento, semper consequatur sacramentum cuicunque conferatur: quia non pendet ex opere operantis.

An satisfactio conferat gratiã.

234 Aliud dubiũ est, an satisfactio ex opere operato cõferat gratiam aliquam gratum facientem. Soto in 4. dist. 17. quæst. 1. art. 2. circa finem cum D. Thoma 3. p. quæst. 92. art. 2. ad 2. & Caiet. ibidem asserunt, satisfactionem impositam vi clauium efficere gratiam ex opere operato, quando est digna satisfactio: ratio est, quia est peculiaris pars sacramenti nouæ legis, quæ causat gratiam ex opere operato. Secundò, quia si pęnitens, cum absoluitur, esset meliùs dispositus, maiorem gratiã reciperet ex opere operato: at cũ quis satisfacit, meliùs disponitur, quàm erat cũ absoluebatur, & satisfactio est pars coniuncta alijs partibus sacramenti; ergo videtur, quòd dum satisfacit, per satisfactionem ex opere operato ei augeatur gratia.

235 Hac in re Suarez disp. 38. est problematicus, magis tamen inclinat in hanc sententiam: opposita tamen mihi videtur verior, quæ tribuitur Palatio dist. 16. quæst. 1. quia penitentiæ sacramentum est verum, quod perficitur in absolutione sacramentali: in illa enim absolutione dicimus consistere essentiam sacramenti pęnitentiæ: ideò tota gratia, quæ per hoc sacramentum confertur, in absolutione confertur: satisfactio enim requiritur, vt actus pęnitentis in re, vel in voto, vt sacramentum, habeat efficaciam. Accedit, quòd vt alij arguunt tunc sola satisfactio posset iustificare hominem, sicut contritio, quod est contra naturã huius partis sacramenti, quæ tota respicit pęnam temporalem. Rationes autem adductæ nullius momenti sunt, quia satisfactio cum sit in gratia, & auget gratiam gratum faciẽtem, hoc facit ex opere operantis, non ex opere operato, vt alia opera meritoria: ideò licet sit pars sacramenti pęnitentiæ, tamen non est sacramentum ipsum: nec pars illa principalis, in qua cõsistit essentia sacramenti, & quę efficit gratiã. Ad secundum respondetur falsum esse gratiam ex opere operato esse maiorem in vno, quàm in alio secundum dispositionem suscipientis, quoniam valor ex opere operato non pendet ex dispositione operantis, sed semper habet ex se suum valorem: alioquin Missa sacerdotis melioris esset maioris meriti ex opere operato, quàm mali sacerdotis, & sic de alijs, quòd est absurdum. Quod ergo aliquis in susceptione vnius sacramenti recipiat maiorem gratiam, quàm alter, prouenit ratione operis operãtis, qui enim magis dispositus accedit ad sacramentum quodcunque, maiorem gratiam recipit non ratione sacramenti, quod idem, & æquale est in omnibus: ideo satisfactio ratione operis operantis maiorem gratiam conferret.

Ad rõnes pro priori opinione.

236 Secunda difficultas principalis est, an vnus pro alio satisfacere possit satisfactione imposita à sacerdote; circa quam est communis sententia Theologorum in 4. dist. 20. vnum posse satisfacere pro alio tam existente inter viuos, quàm in purgatorio: tamen est obseruandum, hanc quæstionem duobus modis intelligi posse. Vno modo, an pęnitens sinè consensu, & voluntate confessoris possit per alium adimplere pęnitentiam, e.g. alicui ẽ imposita pęnitentia ieiunij dierum decem, quæritur si alius pro ipso ieiunet, ipse pęnitens satisfecisse dicatur, & ipse ad illam pęnitentiam amplius non teneatur, vel requiratur voluntas, & consensus confessoris. Quantum ad primum sensum, omnes conueniunt, non posse pęnitentem per alium satisfacere, sed requiri voluntatem sacerdotis. Hoc disertè tradũt Alensis 4. p. quæst. 24. m. 4. art. 4. D. Bonauentura in 4. dist. 20. p. 2. art. 1. quæst. 1. & alij, vel hoc supponunt, vel explicant apertè, quos refert Suarez eadem disp. 38. sect. 9. nu. 1. In secundo verò sensu aiunt posse satisfacere; & ratio est, quia hæc satisfactio, & pęnitentia imponitur virtute clauium à sacerdote ipsi pęnitenti, qui sicut soluitur à pęna temporali debita culpæ, ita obligatur ad illam satisfactionem personaliter, quia præceptum, & impositio pęnitentiæ fit ipsi penitenti: ideo alius nomine ipsius satisfacere non potest sinè voluntate sacerdotis habentis claues.

An vnus pro alio satisfacere possit.

237 Sed adhuc est obseruandum, vt disertè D. Bonauentura, vbi suprà, & Richardus eadem distin. 20. art. 1. quæst. 3. & alij notarunt, quod adhuc pęnitentia duobus modis potest considerari. Vno modo, vt est prętium pro pęna, & obligatione ad pęnam temporalem debitam soluendum. Alio modo, vt est medicina ad cauendum in futurum peccata. Si consideretur secundo modo, nõ põt neque debet de consensu, & voluntate confessoris satisfacere vnus pro alio. Ratio est, quia morbus nõ recipit purgationem, & curam ex purgatione aliena (neque enim extinguitur in me concupiscentia si tu ieiunas.) Si verò cõsideretur primo modo, potest. Ratio est, quia vnus potest soluere pro alio pęnam: nam omnes fideles glutino claritatis Christi, cuius membra sunt, fiunt vnum: & sic vnus pro alio potest satisfacere. Vnde ad Galatas 6. Apostolus

Satisfactio est pretiũ, & medicina.

Vnus pro alio satisfacere potest.

stolus ait, *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi*. Quæ auctoritas cum non determinet de hoc, vel de illo onere, videtur intelligi de quocunque onere: at satisfactio est onus; ergo de illo quoque intelligitur.

Vnus potest mereri alteri primā gratiā.

Præterea vnus potest mereri alteri primam gratiam, quæ est longè quid maius, quàm satisfactio pro pœna temporali; ergo multò magis poterit pro illo satisfacere. Antecedēs patet Matth. 9. vbi dicitur, quod *Videns Iesus fidem illorum dixit paralytico. Confide fili remittuntur tibi peccata tua*. Cum autem dicitur, quòd quis potest mereri alteri primam gratiam, intelligitur de merito de congruo, non de condigno; & supposita gratia, & merito Christi. Nam solus Christus absolutè meruit primam gratiam omnib. qui illam recipiunt, vt cum Scoto aliàs diximus, & præsertim suprà in hoc 4. dist. 4. disp. 14. cap. 3.

238 Sed duæ conditiones hic sunt obseruandæ etiam secundùm omnes communiter. Prima, quòd pænitēs non possit per se satisfacere, sed sit impotens. Secunda, quod qui pro alio satisfacit sit dignior, i. sanctior. Præterea aduertendum est adhuc, vt hęc commutatio fiat iustè, & debito modo debet commutari in maiorem, quam sit pænitentia imposita pænitenti. Ratio est, quia plus facit pænitentia in propria persona, quàm in aliena, quia est magis voluntaria; ideò qui pro alio satisfacere vult, maiorem pænitentiam subire debet, & confessarius illi maiorem imponere debet. Non debet autem confessor sinè iusta causa, & necessaria hunc modum satisfaciēdi imponere: quia nec est in vsu in Ecclesia, neque est conueniens sacramento pœnitentiæ, quod mortificationem ipsius pænitentis requirit.

239 Vbi etiam est obseruandum satisfactionem, quæ fit per alium plenè satisfacere pro pænitente, si fiat debito modo, vt dictum est, quia est redditio æquiualentis pretij taxati, & quod exigitur à pænitente per pænitentiam impositam à sacerdote; pars autem illa pœnæ, quæ remittitur per sacerdotem virtute clauium, non remittitur per hanc satisfactionem alienam, sed illa iam dimissa est in absolutione pænitentis: ideò quęrere, an hæc satisfactio per alienam personam sufficiat ad satisfaciendum ex opere operato, est nullius momenti.

Quis possit satisfactionē impositā tollere, vel mutare.

240 Ad vltimum punctum .s. quis possit satisfactionem impositam tollere, vel mutare, breuiter respondetur, quòd mutatio, & ablatio pænitentiæ impositæ, duob. modis fieri potest; vno modo per interpretationē, quòd prior pænitentia imposita non teneat, & clauis errauerit in ipsa imponenda; vel quod pænitēs factus est impotens ad illā pænitentiam faciendam, vel quod actus non est conueniens, nec possibilis moraliter; secundo modo per solutionem ab obligatione illius, licèt illa obligatio teneat, & duret. Secundò cum quæritur, à quo fieri possit hæc mutatio, & ablatio pœnitentiæ potest fieri comparatio ad quatuor nimirum ad eundem sacerdotem, qui illam imposuit, vel ad alium: & hic, vel est æqualis cum priori, vel inferior, vel superior. Loquendo de interpretatione, nulli dubium est hanc posse fieri à quocunque horum; quoniā interpretatio non requirit potestatem, sed requirit scientiam; quicunque ergo habet scientiam conuenientē, qua potest cognoscere clauem priorem errasse, potest illam pęnitentiam commutare: quia non tenet ex se: hoc tamē nō potest facere, nisi audita confessione criminis, vt perpendat, an clauis errauerit nec ne: nam extra confessionē hoc nunquam licet, cum hic sit actus iudicialis, qui extra confessionem exerceri non potest, nisi in casu, quod sacerdos iam audierit cōfessionem, & eam memoria teneat rectè, & succurrat causa interpretandi pænitentiam valere, & pænitens ad eum intra hoc tempus recurrat: quod etiam docuit expresse Soto in 4. dist. 20. q. 2. a. 3. versus finem, & Suarez disput. 38. sect. 10. num. 3. affirmat loquendo de mutatione pænitentiæ, vt nunc dicam. Cum verò aduenit causa faciens impotentiam, non tenetur pęnitens ad petendum commutationem, quando nulla adest obligatio.

241 Sed quid si quis extra confessionem sacerdotalem dubitans pœnitentiam sibi iniunctam esse inualidā, eam recenseat alicui Doctori, vt intelligat, an teneatur. Respōdet Soto vbi suprà, quòd Doctor poterit respōdere, illam pænitentiam non esse validam, quia clauis errauit; & hoc est verum, quia interpretatio, quod sit valida, vel non, non requirit auctoritatem, sed scientiam, & doctrinam: non poterit tamen Doctor ille, si non sit sacerdos, eius validam pænitentiam imponere, sed debet ad sacerdotem propriū recurrere, qui validam imponat.

242 Loquendo ergo secundo modo, de quo propriè est dubitatio, à quo possit mutari satisfactio, & pænitētia, quæ tenet, dico quod faciendo comparationem ad eundē sacerdotem, qui pęnitentiam primò imposuit, ipsemet cōfessor potest eandem pęnitentiam mutare, eandem confessionem magis examinans, si causa mutandi iudiciū illi occurrat: potest etiam hoc facere iterando confessionem, & iudicium illius cognoscens adesse causam rationabilem mutandi pænitentiam prius impositam: tertiò potest illā mutare etiam extra confessionem, & sine iteratione confessionis, si tamen sacerdos memoriæ retineat totam confessionem, & pænitens ad eum recurrat intra tēpus adeò breue, vt moraliter existimari possit sacerdotem omnia peccata memoria rectè tenere, vt rectè docent Soto in 4. d. 20. q. 2. a. 3. Suarez disp. 38. sect. 10. num. 3. Verùm extra hoc tempus nunquam extra confessionem licet facere hanc mutationem; quoniam hoc est iudicium in foro illo sacramentali: ideò extra illud non potest ferri hæc sententia. In casu autem adducto intercedit adeò breue tempus, vt moraliter possit dici eadem causa, & diligentius iudicium de eadem causa.

Quid de alio Sacerdote ęquali

243 Loquendo verò in comparatione ad alium sacerdotem ab eo, qui imposuit pęnitentiam, & qui sit æqualis sacerdoti priori, non superior, nec inferior illo, Soto vbi suprà contra Syluestrum, & quosdam alios citatos à Syluestro tenet partem negatiuam: quia, inquit, par in parē non habet potestatem; ideò cum prior rectam imposuit pænitentiam, & clauis non errauit, non potest alter illam sententiam mutare, & confirmat, quia in foro exteriori vnus iudex æqualis non potest sententiam alterius irritare; ergo neque in foro interiori, ad quod adducit etiā cap. *Placuit, de Pænit. d. 6.* Nihilominus opinio Syluestri est communis, & eam omnes sequuntur: & certè si Soto eam intelligat absolutè, fallitur, nam patet, quòd si quis facta confessione alicui sacerdoti, & ab eo accepta pænitentia, quæ ipsi displiceat, quia iniusta sibi videtur, & accedat ad alium confessarium, & eidem eadem peccata confiteatur, quod poterit aliam pænitentiam ei imponere, si sibi rationabilis causa adesse videtur, quod sustinet Syluester ipse verbo *Confessio* 1. q. 27. Angelus *Confessio* 6. num. 4. Nauarrus in Man. cap. 26. num. 22. & alij, quos citat Suarez, & sequitur vbi suprà num. 4. & sequentibus. Ratio potissima est, quia potestas clauium data est sacerdotibus in fauorē pænitentium: ideò potest sæpius si velit de eadem causa iudicari, & à diuersis, & abiecto priori iudicio stare secūdo, neque fit vlla iniuria priori sacerdoti: quia ex illa antecessione iudicij nullum acquirit ius ille sacerdos prior; sed pænitens manet in sua libertate, sicut prius, vt alium iudicem adire possit, & nouum iudiciū expetere in causa sua: & per ista patet ad rationes Soto. Nam in casu nostro sacerdos mutans priorem pænitentiam, non mutat eā, quia habeat potestatem suprà priorem sacerdotē, sed quia pænitens habet libertatem committendi causam suam iterū iudicio nouo, & alterius iudicis; & hac ratione dicimus mutationem pænitentiæ non esse reuocationem prioris sententiæ, sed dicimus esse prolationem suæ sententiæ, quā pænitens simul potest acceptare; illud autem cap. *Placuit*, intelligitur in foro exteriori.

Quid faciē do comparationē ad superiorē.

244 Faciendo deinde comparationem ad alium sacerdotem, qui sit superior, licèt aliqui dicant, neque eum posse mutare pænitentiam iustè impositam, tamen communis sententia est posse, propter rationes superius adductas,

ctas, quę si velent de sacerdote æquali, multò magis de sacerdote superiori: & eò maximè, quia etsi quò ad potestatem ordinis sint æquales, tamen superior excedit inferiorem in potestate iurisdictionis, quæ maximè valet ad dimittendum satisfactionem debitam, & pęnitentiam debitam: ideò licet inferior potuerit pęnitentem absoluere, & iustè ei imponere pęnitentiam debitam: tamen hoc non impedit, quin superior possit de eodem pœnitente facere iudicium, & prouidere animabus suorum subditorũ, pro vt sibi videbitur oportunum. Hoc tamen non potest extra confessionem propter rationes suprà adductas, quia hoc iudicium est sacramẽtale, ideò requiritur confessio sacramentalis.

Supior habẽs potestatem concedẽdi indulgẽtias, pôt totam, vel partem pęnitentiæ relaxare.

245 Vbi adhuc obseruandum est, quod si superior nedum sit superior iurisdictione, sed etiam habeat facultatẽ concedendi indulgentijs, de quo suo loco, potest nedũ mutare pœnitentiam iam impositam ab alio sacerdote, sed eam potest, vel in totam tollere, concedendo indulgentiã plenariam, vel in parte, vt concedendo remissionem huius, vel illius partis pœnarum, quæ est sententia communis Theologorum in 4. dist. 20. D. Bonauentura ibidem p. 2. art. 1. quæst. 2. per totam, & ad vltimum. Richardi art. 3. quæst. 1. Alensis 4. p. quæst. 23. m. 1. art. 1. D. Thom. in 4. dist. 20. quæst. 1. art. 3. & 4. & recentiorum omnium quos refert, & sequitur Suarez disp. 38. sect. 10. num. 10. & ratio communiter adducta ab omnibus Doctoribus citatis, præsertim ab Alensi, & D. Bonauentura est, quia etsi omnem nostrum bonum sit per Christum Dominum, à quo omnis nostra salus, & bonum est: tamen solet distingui à Theologis in triplicẽ partem. Vndè prædicti Theologi locis citatis sic distinguunt. Obtinemus bonum ex triplici merito, scilicet ex merito proprio, ex merito Christi capitis, & ex merito Ecclesiæ. Ex merito proprio, scilicet per contritionem obtinemus liberationem à pœna æterna: hoc enim meritum non præsupponit gratiam gratum facientem, sed solùm auxilium gratuitum Dei, vt suprà agendo de contritione diximus. Ex merito Christi in spirituali obtinemus remissionem partis pœnæ per administrationem sacramentorum. Vnde virtute clauium, vt suprà dicebamus aliqua pars pœnæ temporalis debita nobis remittitur per absolutionem sacerdotis. Tertiò ex vnitate ecclesiastica, quia omnes sumus in eadem ecclesia, & vinculo charitatis aglutinati sumus, obtinemus remissionem adhuc iterum pœnitentiæ, vel totaliter residui, quod remanebat, vel partis illius: & hoc fit per concessionem indulgentiarum.

Per indulgentias remittitur pęnitentia iniuncta, inquãtum est satisfactoria, non inquãtum est medicina.

246 Cęterùm est obseruandum, quod cum per indulgentias remittitur satisfactio imposita, remittitur, vt satisfactoria est, non vt medicina est. Et ratio huius est, quia indulgentiæ non dantur in destructionem, sed in ædificationem animæ: tollere autem remedium, seu medicinam curatiuam animæ, esset magnum detrimentum animarũ. Vnde intentio concedentis indulgentias non est eas tollere inquantum sunt medicinæ, neque ad hoc habet potestatem, sed tantummodo in quantum sunt vindicatiuæ. Ex quo sequitur, quod cum pœnitentiæ, quæ hodiæ iniungũtur, sint valdè tenues, & vix sufficiant pro medicina, per susceptionem indulgentiarum, non licere illas omittere, vt optimè obseruauit Suarez loco citato. Et similiter si quis bona fide existimaret se satisfecisse sufficienter pro peccatis per alias pœnas, quas pro Christo tulit, non tamen liberaretur ab obligatione soluendi pœnitentias sibi impositas, quia etsi cessauit, vt supponimus ratio satisfaciendi: non tamen cessaret ratio medicinæ, & proinde ratione illius teneretur ad illas explendas.

Quid comparando ad inferiorem sacerdotẽ.

247 Vltimò faciendo comparationem ad inferiorem sacerdotem, breuiter respondetur, quod si loquamur de pœnitentia imposita à priore sacerdote de peccatis, quæ etiam ille potest absoluere, scilicet quia nulli sunt reseruata, idem est dicẽdum, quod de æquali sacerdote. Dictum est enim, quod omnes sacerdotes, vt sacerdotes sunt, æquales sunt in potestate absoluendi à peccatis, & ita vnus absoluit sicut alius: ideò sicut alius æqualis potest pœnitentiã impositam mutare, ita hic, licet sit inferior. At loquendo de pœnitentia imposita pro peccatis reseruatis est difficultas, communior tamen sententia est partem negatiuam esse veram, loquendo per se, & de iure ordinario: tamen ob necessitatem, & piam vtilitatem posse. Prima pars probatur maximè eo fundamento, quia inferior non potest absoluere à casibus reseruatis; ergo neque potest commutare pęnitentiam pro illis impositam à superiore, quia potestas commutandi pęnitentiam prouenit à potestate absoluendi à peccatis: impositio enim pęnitentiæ est pars iudicij sacramentalis; ideo qui non potest in primum neque in secundum. Secunda pars quoque probatur, quia in tali casu vbi intercedit necessitas, vel pia vtilitas, præsumitur superiorem licentiam concedere: & sic inferior tunc id facit ex concessione superioris: necessitas autem vera esse posset in casibus reseruatis, si v. g. pœnitens non possit de facili adire superiorem, vel prælatum, qui pęnitentiam imposuit: hæc enim causa solet explicari præsertim cap. *Latorem*, 33. quæst. 2. & in cap. *Antecedens*, 50. dist. & cap. *Tempora*, 16. quæst. 97. Propter hanc enim causam Papa concedit specialem auctoritatem Episcopo ad minuendam pęnitentiam à se impositam cuidam pęnitenti. Cum ergo adest necessitas, vel vtilitas secundùm iudicium viri prudentis, & aditus est difficilis ad prælatũ, tunc inferior potest commutare pęnitentiam à superiore impositam: aliàs non. Sic sentiunt Syluester verbo, *Confessio* 1. quæst. 27. & citat multos alios. Tabiena *Confessio* 2. num. 21. Angelus verbo *Confessio* 6. num. 4. & alij, quos adducit, & sequitur Suarez vbi suprà.

DE PVRGATORIO.

DISPVTATIO XXXVI.

An locus purgatorius sit, & vbi sit. Caput Primum.

1 QVoniam, vt dictum est in precedẽtibus, quod cum homo absoluitur à culpa mortali, pęna æterna commutatur in temporalem, & illa tollitur per satisfactionem impositam à sacerdote, de qua egimus disp. superiori; vel si non fit satisfactio in hac vita, tollitur per pęnas purgatorij in alia vita; vel denique tollitur per indulgentias in hac, vel alia vita: ideò cum Theologis Scholasticis in 4. Sent. dist. 20. vel 21. vel alijs, de duobus his vltimis est adhuc agendum, scilicet de purgatorio, & de indulgẽtijs, & priori loco de purgatorio, deinde de indulgentijs. Indulgentiæ enim valent ad tollendam pęnam debitam pro peccatis, tam viuorũ, quam defunctorum: ideò de illis vltimo loco agemus.

Quatuor disputãda de purgatorio

2 De purgatorio autem quatuor agemus. Primò disputabimus, an detur. Secundò de pęna eius. Tertiò de statu gratiæ animarum existentium in ipso. Et quartò de suffragijs. Quantum ad primum, ne de nomine sit contẽtio, per purgatorium intelligimus locum quendam, in quo tanquam in carcere post hanc vitam purgantur animæ, quæ in hac vita plenè purgatæ non fuerunt, vt sic purgatæ, in Cęlum introire possint, in quod nihil coinquinatum introibit. Modò, An huiusmodi locus detur apud Catholicos, nulla est dubitatio: hoc enim semper, vt certum creditum fuit in Ecclesia Christi, vt latè tradunt scribentes hodie contra hæreticos nostrorum temporum, qui hanc hæresim iamdiù damnatam contra Arium apud Epiphanium hæresi 75. & D. Aug. hæresi 53. & contra Valdenses apud Guidonem Carmelitam in Summa de hæreticis, & contra Apostolicos, & Petrobrusianos apud D. Bernardum, serm. 65. & 66. in Cantica Canticorum, & contra alios hæreticos suscitarunt. Et licèt Martinus Lutherus in principio suæ Apostasiæ ab ecclesia Catholica purgatoriũ minimè negauerit, sed apertissimè confessus fuerit, vt patet ex disputatione habita Lypsiæ, quæ adhuc extat, in

An purgatorium detur.

qua

qua habet hæc verba. *Ego qui credo fortiter, immò ausim dicere, scio purgatorium esse persuadeor in scripturis de eo mentionem fieri*: tamen cum hac assertione varios admisceuit errores: & tandem in lib. de abroganda missa priuata in totum negauit purgatorium, & in lib. ad Valdenses de eucharistia, habet hæc verba. *Cum negatis purgatoriũ damnatis Missas, Vigilias, Cœnobia, Monasteria, & quidquid per hanc imposturam erectum est, per omnia etiã probo*. Quem postea omnes hæretici in hoc, licèt in multis alijs sint discrepantes sequuti sunt. Contra quos latè scripserunt Ioan. Ekius lib. 4. de purgatorio, Iacobus Latomus in explicatione art. 7. Louanensiũ, Iodocus Clitoueus in lib. de purgatorio, Bellarm. lib. 1. de purgatorio qui citat alios.

3 Ad probandum autem dari purgatorium variæ adducuntur auctoritates ex Sacra scriptura, tàm noui, quàm veteris testamenti, vt est videre apud auctores prædictos, præsertim Bellarminum, responsa, & cauillationes hæreticorum reijcientem, quas omittere decreui ad vitandum prolixitatem, & nonnullas solùm claras adducere, vt veritas catholica clarè elucescat. Prima ergo auctoritas ex veteri testamento est illa celebris ex lib. 2. Machab. cap. 12.

Prima auctoritas pro purgatorio

Facta collatione duodecim millia drachmas argenti misit Hierosolymam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, benè, & Religiosè de resurrectione cogitans: (nisi enim eos, qui ceciderant resurrecturos speraret, superfluum videretur, & vanum orare pro mortuis) & quia considerabat, quod hi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam. Sancta ergo, & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur. Ex hac auctoritate tota doctrina Catholica de purgatorio habetur. Primò habemus mortuos post hãc vitam posse à peccatis solui, *vt à peccatis soluatur*. & proinde esse purgatorium: quod est propositum. Habemus secundò orationes, & sacrificia prodesse defunctis. *Duodecim millia drachmas argenti misit Hierosolymam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium*. Tertiò habemus non semper in morte expiari omnes reliquias peccatorum, scilicet pęnas temporales debitas, vt volunt Lutherani, & alij hæretici: nam si hoc esset verum non debuisset Iudas iubere, vt fierẽt orationes, & sacrificia pro illis defunctis, vt à peccatis soluerẽtur: quia iam in morte omnes reliquiæ peccatorum expiatæ fuissent. Quartò habetur hominem posse piè, & sanctè mori, & tamen habere aliquod debitum, scilicet vel soluẽdum, propter satisfactionem pro mortalibus nõ plenè expletam, vel propter peccata venialia. Nam scriptura hoc loco dicit eos, pro quorum peccatis Iudas iussit orari accepisse dormitionem cum pietate: mortui enim erant propter legem Dei seruandam. Quintò habetur, doctrinam hanc explicatam de purgatorio esse de fide: quia quidquid habetur in Sacra scriptura est de fide. Locum purgatorij dari habetur in Sacra scriptura, vt visum est; ergo est de fide.

Responsio hæreticorũ

4 Ad hanc auctoritatem variè respondent hæretici: eos enim miro modo torquet, quia est nimis expressa. Dimissis autem alijs, quas rectè confutat Bellarminus lib. primo de purgatorio cap. 5. hanc valdè exagerant, quod libri Machab. sint apocryphi, & quod recepti sint ab Ecclesia, & à D. Aug. in can. non eorum librorum sacrorum, qui valent ad confirmãda dogmata fidei, sed eorum, qui valent ad morum edificationem: & probãt, quia D. Aug. lib. 2. contra Epistolam Gaudentij capit. 23. ait, hunc librum non esse paris auctoritatis cum lege, Prophetis, & Psalmis, sed tamen esse vtilem, si sobriè legatur, & Brentius ait, librum hunc non esse Canonicum, quia auctor eius in fine libri veniam petit si qua in re errauerit. Si ergo errauit Auctor librorum Machabeorum non est Canonicus: quia Sacræ scripturæ libri nõ admittunt errores.

Reijcitur.

5 Hoc effugium esse vanum euidenter probatur ex Cathalogo lib. Canonicorum D. Aug. & totius Ecclesiæ antiquissimæ. Ex D. Aug. quia ipse lib. 2. de Doctrina Christiana capit. 8. Recenses libros Canonicos tàm veteris, quàm noui testamenti, habet hæc verba. *Totus autem Canon scripturarum, in quo istam considerationem versandã dicimus, his libris cõtinetur quinq. Moyseos, idest Genesi, Exodo*, &c. & infrà. *Sunt aliæ tanquam ex diuerso ordine, quæ neque huic ordini, neque inter se connectuntur, sicut est Iob, & Thobias, & Hester, & Iudith, & Machab lib. duo, & Esdræ duo*, &c. & infrà. *His quadraginta quatuor libris veteri testamenti terminatur auctoritas*. Liquet ergo ex D. Aug. hos duos libros Mach. esse libros Canonicos, & suo tempore in Canone librorũ Canonicorum habitos fuisse. Ex Concilijs idem patet, ex Conc. Cartag. III. celebrato sub Syricio Papa, qui creatus fuit anno Domini 384 canone 47. ex Pontificibus. Patet idem ex Epistola Innocentij Papæ, qui creatus fuit anno Domini 401. ad Exuperium Toletanum Episcopum capite vltimo. Rursus Diuus Augustinus vtitur auctoritate librorum Machab. ad probandum dogma illud fidei, orandum esse pro mortuis. Nam lib. de cura pro mortuis capit. 1. habet hæc verba. *Poterat inquisitioni tuæ sufficere mea breuis ista responsio: sed quia alia mouent, quibus respondendum existimo, parum per attende. In Machab. libris legimus oblatum pro mortuis sacrificium, sed etsi nusquam in scripturis veteribus omninò legeretur, non parua est vniuersæ ecclesię, quæ in hac cõsuetudine claret, auctoritas, vbi in præcibus sacerdotis, quæ Domino Deo ad eius altare funduntur, locum suum habet etiam commendatio mortuorum*. Ex quo confutatur illud effugium Petri Martyris, scilicet illos esse receptos in can. eorum librorum, qui non valent ad confirmanda dogmata, sed eorum qui valent ad morum ædificationẽ. Hoc inquam effugium miseri hęretici præcluditur, quia, vt vidimus, D. Aug. vtitur auctoritate huius libri ad probãdũ dogma fidei orandum esse pro mortuis, neque hæc distinctio librorum Canonis sacri habetur apud D. Aug. quod alij spectent ad fidem confirmandam, & alij sint vtiles ad mores cõponendos, sed de omnibus libris Canonicis enumeratis ab ipso lib. 2. de Doctrina Christiana cap. 8. habet hæc verba. *In his omnibus libris timentes Deum, & pietate mansueti quærunt voluntatem Dei: cuius operis, & laboris, prima obseruatio est, vt diximus, nosse istos libros, & si nondum ad intellectum, legendo tamen, vel mandare memoriæ, vel omnino incognitos non habere: deinde illa, quæ in eis apertè posita sunt, vel præcepta viuendi, vel regulæ credẽdi solertius, diligentiusque inuestiganda sunt*. Nota illa verba, *in omnibus his libris*, non ergo excipit libros Machab. Et rursus nota illa verba, *vel præcepta viuendi, vel regulæ credendi*. Ergo in omnibus illis libris enumeratis inter Canonicos reperiuntur regulæ credendi, & præcepta obseruanda. Impia ergo, & voluntaria est illa distinctio hæretici Petri Martiris.

6 Quod etiam adducit ex libro 2. aduersus Epistolam Gaudentij cap. 23. non minus coarguit hæreticum hominem mendacij. Nam non dicit D. Aug. quod libri Machab. non sint paris auctoritatis cum lege prophetis, & Psalmis, sed quod Hebrei non habent libros Machab. sicut libros legis Prophet. & Psal. verba D. August. sunt. *Et hanc quidem scripturam, quæ appellatur Machab. non habent Iudæi sicut legẽ, & Prophetas, & Psalmos, quibus Dominus testimonium perhibet, tanquam testibus suis, dicens. Oportebat impleri omnia, quæ scripta sunt in lege, & Prophetis, & Psalmis de me. Sed recepta est ab ecclesia nõ inutiliter si sobriè legatur, vel audiatur*. Dicit ergo D. Aug. quod Iudæi non habent in tanta veneratione libros Machabeorum, sicut legem, Prophetas, & Psalmos, quibus etiam Christus Dominus testimonium perhibet, Lucæ 24. tamen Ecclesia ipsos recipit: & hæc receptio non est inutilis, si sobriè legãtur, quod dicit, non quia in his libris sint aliqui errores, sed propter exemplum eorum, qui se occiderunt, quæ in hoc lib. narrantur, & imitanda non sunt. Quomodo etiam Genesis liber sobriè legẽdus est ne putemus imitandum esse factum Patriarchæ Iudę, qui incestum comisit. Vnde propter hoc eodem cap. paulò suprà dicit Diuus Augustinus. *Nostrum est autem, sicut Apostolus*

postolus admonet, omnia probare, quæ bona sunt tenere, ab omni specie mala nos abstinere. Eandem sententiã habet D. Aug. lib. 18. de Ciuitate Dei, cap. 36. dum inquit. *Ab hoc tempore apud Iudæos restituto templo, non Reges, sed Principes fuerunt vsque ad Aristobolum: quorum supputatio temporum non in scripturis sanctis, quæ canonicæ appellantur; sed in alijs inuenitur, in quibus sunt & Machab. lib. quos nõ Iudæi, sed Ecclesia pro canonicis habet,* &c. Hoc autem dixit D. Augustinus, quia ipse voluit sicut omnes alij Doctores etiam docent in libris canonicis ordinẽ esse seruandum, & alios alijs esse præponendos, nimirum eos, de quibus nullus vnquam dubitauit, an essent canonici præponendos esse ijs, de quibus aliqui aliquando dubitauerunt: attamen vult omnes illos libros, quos ipse in canonem recipit esse eiusdem auctoritatis. Nam lib. 2. de Doctrina Christiana, c. 8. suprà adducto antequã enumeret libros canonicos præponit hanc regulam in illis seruãdam esse. *Tenebit igitur hunc modum in scripturis canonicis, vt eas, quæ ab omnibus accipiuntur Ecclesijs catholicis, præponat eis, quas quædam non accipiunt. In eis verò, quæ non accipiuntur ab omnibus, præponat eas, quas plures, grauioresque accipiunt, eis quas pauciores, minorisque auctoritatis Ecclesiæ tenent. Si autem alias inuenerit à pluribus, alias à grauioribus haberi, quamquam hoc inueniri non possit, æqualis tamen auctoritatis eas habendas puto. Totus autem Canon scripturarum in quo istam considerationem versandam dicimus, his libris continetur quinque Moyseos,* &c. Apertissimè ergo fatetur D. August. hos libros Machab. esse Canonicos, & ab Ecclesia Catholica, vt tales haberi, licèt eis præponendi sint alij libri canonici, de quibus nec Iudæi, nec vllus alius dubitauit, quia istis Machab. Iudæi non habent tantam reuerentiam, sicut Legi, Prophetis, & Psalmis.

Ad obiectionẽ Brentij.

7 Ad obiectionem Brentij, respondetur, Auctorem librorum Machab. non petere veniam errorum, sed elocutionis, quomodo etiam D. Paulus se excusat de sermonis sui imperitia, quod patet euidenter ex textu ipso, cuius verba sunt hæc. *Igitur his erga Nicanorem gestis, & ex illis temporibus ab hebræis ciuitate possessa. Ego quoque in his faciam finem sermonis, & si quidem benè, & vt historiæ competit, hoc & ipse velim: si autem minus dignè concedendum est mihi. Sicut enim vinũ semper bibere, aut semper aquam, contrarium est, alternis autem vti delectabile, ita legentibus si semper exactus sit sermo, non erit gratus. Hic ergo erit consumatus.*

Secũda auctoritas ex nouo testã.

8 Ex nouo testamento quoque variæ auctoritates adduci solent, vt est videre apud Bellarminum lib. 1. de Purgatorio, capit. 4. & alios: ego hic vnicam adduco, quæ præ alijs ostendit propositum, nimirum illam 1. Corinth. 3. in qua Scotus in hoc 4. dist. 21. quæst. 1. l. A. inquit fundari totam assertionem de Purgatorio. Est autem hæc, *Si quis superædificat super fundamentum hoc, aurũ, argentũ, lapides pretiosos, ligna, fenum, stipulam vniuscuiusque opus manifestum erit: dies enim Domini declarabit, quia in igne reuelabitur, & vniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit. Si cuius opus manserit, quod superædificauit, mercedem accipiet. Si cuius opus arserit detrimentum patietur: ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem.* Hæc auctoritas est certè valde obscura, & variæ explicationes afferuntur, non solùm à diuersis Patribus, & Doctoribus, sed ab eodem Doctore, vt est videre in Diuo Augustino, qui hũc locum varijs modis interpretatur: & quidem quod sit locus valdè difficilis ipsemet Diuus Augustinus apertè asseruit lib. de fide, & operibus, capit. decimoquinto, vbi inquit. *Diligenter oportet attendere quomodo accipienda sit Apostoli Pauli illa sententia planè ad intelligendum difficilis; vbi ait. Si quis autem superædificat super fundamentum hoc, aurum, argentum,* &c. & infrà. *In his deputanda, quę Petrus dicit esse eius quædam difficilia intellectu, quæ non debent homines peruertere ad proprium suum interitum.* Et cap. decimosexto, inquit. *Fatcor hic me malè audire intelligentiores, atque doctiores,* &c. Ego autem prius ostendam ex Patribus hunc locum intelligi de purgatorij igne, quem nos Catholici ponimus, deinde expositionem eiusdem loci, quam magis accommodatam textui puto, adducam.

9 Quod ergo vetustissimi, & sanctissimi Patres pignẽ, de quo hic Paulus loquitur, cum inquit in vltimis verbis. *Si cuius opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem;* asserant intelligi ignem purgatorij: probatur. Nam in his verbis affirmat Diuus Paulus aliquos saluari per ignem, & quod aliqua opera fecerint igne digna non æterno, sed temporali. Hic autem ignis alius esse non potest, nisi ignis purgatorij. Vnde Diuus Ambrosius in Psalm. trigesimo octauo, inquit. *Etsi saluos faciet Dominus seruos suos, & salui erimus per fidem, sic tamen salui quasi per ignem, & si non exuremur, tamen vremur.* Gregorius Nissenus in oratione pro mortuis. *Non poterit à corpore egressus Diuinitatis particeps fieri, nisi maculas animo immixtas ignis Purgatorius abstulerit.* Diuus Augustinus Homil. 18. ex Homelijs 50. *Qui temporalibus pœnis digna gesserunt per ignem quendam purgatorium transibunt, de quo Apostolus ait, saluus erit. sic tamen quasi per ignem.* & in Psalm. 37. inquit, *Neque in ira tua corripies me, vt in hac vita purges me, & talem me reddas cui iam emendatorio igne opus non sit, propter illos, qui salui erunt, sic tamen quasi per ignem.* Et licet Diuus Augustinus aliquãdo per hunc ignem Pauli interpretetur tribulationes, per quas tàm iusti, & perfecti, quàm minus iusti, & imperfecti transeunt, tamen in locis allegatis intelligit ignem purgatorij. & rursus in Enchiridion, c. 69. inquit. *Tale aliquid etiam post hanc vitam fieri incredibile non est, & vtrũ ita sit, quæri põt. & aut inueniri, aut latere nonnullos fideles per ignem quendam purgatorium quantò magis, minùs vè bona præsentia dilexerunt, tantò tardius, citiusque saluari.* & lib. vigesimo primo, de Ciuitate Dei, capit. vigesimoquartto, inquit. *Pro defunctis quibusdam, vel vt dicitur pro mortuis, vel Ecclesiæ vel quorundam piorum exaudiri orationem eius, licèt qui in Christo renati, non adeò ita malè vixerint in corpore, vt tali misericordia habeantur indigni, nec ijdem sic benè, vt inueniantur tali misericordia non egere. Tales etiam constat ante iudicij diem per pœnas temporales, quas eorum spiritus patiuntur purgatos, receptis corporibus æterni ignis supplicijs non tradendos.* & eodem lib. capite vigesimo sexto, tractans hunc locum Pauli, inquit. *Post istius sanè corporis mortem, donec ad illum veniatur, qui post resurrectionem corporum futurus est damnationis, & remunerationis vltimus dies, si hoc temporis interuallo spiritus defunctorum eiusmodi ignem dicuntur perpeti, quem non sentiant illi, qui non habuerunt tales mores, & amores in huius corporis vita, vt eorum ligna, & fenum, & stipula consumentur. Alij verò sentiant, qui eiusmodi ædificia secum portauerunt (siue ibi tantùm, siue & hic, & ibi, siue ideo hic vt non ibi) secularia quamuis a damnatione venialia concremantem ignem transitoriæ tribulationis inueniant non redarguo, quia forsitan verum est.* Vbi obseruãdum est, quod cum D. Augustinus hic in vltimis verbis inquit, *Non redarguo, quia forsitan verum est.* Nõ hoc dicit, quia dubitet dari purgatorium ignem: hoc enim expresè semper sustinet, vt patet ex locis superius citatis, & alijs locis, vbi comẽdat, & docet orandum esse pro mortuis, & sacrificium mediatoris, & eleemosinas prodesse, vt patet lib. de cura ꝑ mortuis, cap. 1. & cap. 4. & in Enchyridion ad Laurẽtiũ cap. 109. & 110. lib. 9. Confessionum, capit. 13. serm. 17. & 34. de verbis Apostoli, & lib. de hęresibus, cap. 53. vbi Arrium vt hæreticum damnat, qui negabat esse orãdum pro mortuis, & alibi sæpissimè; sed hæc verba dicit de loco illo Apostoli, quem iam diximus esse obscurum, & ipsemet D. Augustinus, vt suprà diximus enumerat inter loca difficilia notata à Diuo Petro. Vnde est sensus. Si quis vult interpræterari hunc locum Apostoli de igne Purgatorij non redarguo, quia forsan verum est, quod Apostolus ibi de hoc igne loquitur.

Scotus.

D. Ambr.

Gregorius Nissenus.

D. August.

Quod

10 Quod autem D. Augustinus apertissimè admittat purgatorium, & nō sub dubitatione, ex multis adduco solùm locum ex Enchiridion cap. 109. & 110. *Tempus autē, inquit, quod inter hominis mortem, & vltimam resurrectionem interpositum est animas abditis receptaculis continet, sicut vnaquæq; digna est, vel requie, vel erumna, pro eo, quod sortita est in carne cum viueret: neque negandum est defunctorum animas pietate suorum viuentium releuari, cū pro illis sacrificium mediatoris offertur, vel eleemosinæ in Ecclesia fiunt; sed eis hæc prosunt, qui cum viuerent, vt hæc postea sibi prodesse possent, meruerunt. Est enim quidam viuendi modus, nec tam bonus, vt non requirat ista post mortem, nec tam malus, vt ei non prosint ista post mortem; est verò talis in bono, vt ista non requirat: & est rursus talis in malo, vt nec his valeat, cum hæc vita transierit adiuuari.*

D. Basilius.

D. Basilius in Isaiam cap. 9. inquit. *Non omnimodam internitionem, & exterminationem comminatur, sed innuit expurgationem iuxta Apostoli sententiam ipse autem saluus erit quasi per ignem.* & eundem sensum habet D. Basil. lib. de Spiritu sancto cap. 15.

D. Hieronymus.

D. Hieronymus in Amos capit. 4. ità scribit iuxta illud, quod in Apostolo legimus, *ipse autem saluus erit quasi per ipsum, qui ergo saluatur per ignem, quasi Turis de incendio rapitur.*

D. Gregorius.

Latè Diuus Gregorius Dialog. lib. 4. cap. 39. hoc tractat, inquit enim. *Constat, quia qualis hinc quisque egreditur, talis in iudicio Dei præsentatur; sed tamen de quibusdam leuibus culpis ante iudicium extremum purgatorius ignis credendus est.* & quibusdam huiusmodi leuioribus culpis enumeratis, ita pergit. *Nam cum Paulus dicat Christum esse fundamentum, atque subiungat. Si quis superædificauerit super hoc fundamentum aurum, argentum, lapides prætiosos, ligna, fænum, stipulas, &c. vsque ad illud ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem, quamuis,* inquit, *hoc de igne tribulationis in hac nobis vita adhibito possit intelligi; tamen si quis hoc de igne futuræ purgationis accipiat pensandum sollicitè est, quia illum dixit per ignem posse saluari, nō qui super hoc fundamentum ferum, æs, vel plumbum ædificat, idest peccata maiora, & idcircò duriora, atque tunc iam insolubilia: sed lignum fænum, stipulam, idest peccata minuta, atque leuissima, quæ ignis facilè consumat.* Hæc ille.

Origenes Theodoretus Oecumenius.

In eundem modum loquitur Origenes Hom. 6. in Exodo, citatis his verbis Apostoli. Sic Theodoretus, & Oecumenius in cōmentario eiusdem loci. Est ergo clarum hunc locum à Sanctis Patribus de igne purgatorij semper intellectum fuisse, quamuis aliquando aliqui dixerint posse aliam interpretationem pati: nunc videamus sensum verborum.

Qui sit sensus verborū D. Pauli.

11 Quò ad sensum, & intellectum verborum horum D. Pauli, diuersæ sunt expositiones, vt est videre apud Bellarminum loco citato, Thomam Stapletonum in Antidotis ad hunc locum. Suarez tom. de pœnitentia disp. 45. sect. 1. num. 14. & apud alios hunc locum tractantes. Hęc mihi videtur facilior, & magis accommodata textui, in quam ipse Suarez quoque inclinare videtur: verba, quæ faciunt difficultatem in hac sentētia Pauli, sunt illa. *Aurum, argentum, lapides prætiosos, ligna, fænum, & stipulam.* & rursus, quid intelligat per ignem: quò ad primum, per aurum argentum, & lapides prætiosos absque dubio Paulus intelligit bona opera in vniuersali, quæ complectuntur etiam prædicationem doctrinæ fructuosæ, & ducentis ad vitam æternam. Qui enim operantur opera bona superędificant super fundamēto posito à Paulo, qui est Christus, super quem fundantur omnia opera nostra bona. *Per ligna verò, fænum, & stipulam,* non intelligit peccata mortalia, vt aliqui putant, quia hæc non superædificantur super fundamento posito à Paulo, qui est Christus, sed destruunt illud fundamentum per fœnum; ergo ligna, & stipulam intelligit quædam opera mala, quæ tamen non tollunt fundamentū: ideò necesse est, quod intelligat peccata venialia, quæ manent cum gratia, & possunt dici esse superędificata in Christo fundamento, quia licèt illud nō promoueant, tamen illud non diruunt, & huiusmodi etiā sunt prædicationes non hæreticæ, & quæ destruunt fidē, sed quæ sunt minus prudentes, vanæ, & inutiles: hæc enim sunt veluti ligna, & stipula, & fœnum. Possumus etiam dicere, per ligna, & stipulam, & fœnum intelligi peccata mortalia: at non, vt talia, sed vt per pœnitentiam, quò ad culpam remissa, per pœnam autem temporalem purganda. Hæc ex primo habetur à D. Hier. lib. 2. contra Iouinianum, parum à principio, dum inquit, *cum viderit,* scilicet, *Dæmon nos super fundamentum Christi ędificare fęnum, ligna, stipulam,* idest venialia peccata. *Tunc supponit incendium,* idest tentationem ad mortalia peccata. Vnde subiungit, *ędificemus ergo aurum, argentum, lapides prætiosos, & tentare non audebit.*

Quid per ignem intelligatur.

12 Per ignem verò non est dubium vtroque loco intelligere ignem purgatorij verum, & realē. Hoc enim igne cum aduenerit dies Domini, qui est dies mortis vniuscuiusque, in quo particulare iudiciū fit opus vniuscuiusque, manifestabatur, quale fuerit, quia ignis probabit quale illud sit: ideò cuius opus fuerit aurum, argentum, &c. idest opera bona, & meritoria non patietur detrimentum, sed mercedem accipiet: cuius verò opera erunt sicut ligna, fęnum, stipula, idest peccata venialia, vel debita peccatorum mortalium non perfectè purgatorum igne detrimentum patiētur: qui verò illa operatus fuerit, saluus fiet, quasi sic per ignem. Dicit quasi, quia non absolutè per ignem saluabitur, sed per gratiam Dei absolutè, per ignem verò illum tā quam per instrumentum misericordiæ diuinę.

Sed contra hoc est dubiū, quia bona opera non cremabūtur igne, & tamē dicit Paulus. *Vniuscuiusque enim opus quale sit ignis probabit.* Respondetur, quod ignis ille purgatorij manifestabit qualia sint opera vniuscuiusq. nō quia opera bona, siue habens opera bona tantùm, igne comburatur, quia ignis ille actionem nullā habere poterit circa illa acta: tamen ex hoc, quod non poterit attingere illa opera, neque illa cūburere, siuè eos, qui & operati fuerint, manifestabit, qualia sint opera illa, scilicet quia digna sint mercede. Sicut ignis dicitur probare aurum, etsi illud non cōburat, quia ab igne non est consumptibile; alia verò mala sed non perfectè mala, vt sunt peccata venialia, & alia debita, ignis ille manifestabit, quia illa combure, & dissipabit, & ij, qui illa operati fuerint, salutem æternā consequentur; sed quasi per ignem istum. Nisi enim per illum purgati essent non possent vitam æternam consequi. Licèt ergo non absolutè consequantur vitam æternam per ignem illum, tamen consequentur vitam æternam quasi per illum, quia est instrumētum Dei, quo illa debita soluuntur, & sic vitam æternam quasi per ignem illum consequentur.

Confirmatur expositio catholica ex cōfutatione expositiōis hęreticorum.

13 Quod hoc loco D. Paulus loquatur de igne purgatorij, confirmatur adhuc ex confutatione expositionis Caluini, quam deinde cęteri hæretici sequuti sunt. Aperit Caluinus suam sententiam verborum allatorum D. Pauli in Cōmentario, ad eum locum his verbis. *Paulum de ijs loqui cōstat, qui retento semper fundamento, fęnum, auro stipulā, argento, lignum lapidibus prætiosis admiscent. Nempè qui in Christo ædificant, sed propter carnis imbecillitatem patiuntur aliquid humanum, aut per ignorantiam nōnihil ab exacta puritate deflectunt, quales etiam fuerunt multi ex Sanctis, Cyprianus, Augustinus Ambrosius, & similes. Adde etiam si libet ex Recentioribus Gregorium, & Bernardum aliosque eius notæ, qui cum haberent hoc propositum, vt in Christo ædificarent, à recta tamē ędificandi ratione, sæpè aberarunt. Tales dicit Paulus saluos fieri posse, sed hac lege si Dominus eorum ignorantiam absterserit, & repurgauerit eos ab omni sorde. Atque hic est sensus illius particulæ, quasi per ignem. Vult ergo innuere se illis non adimere spem salutis, modo, libenter faciant iacturam operis, & Dei misericordia repurgentur, quemadmodum aurum excoquitur in fornace.* Eandem sententiam repetit Institut. libr. 3. capit. quinto, numero nono. Vult ergo Caluinus, quod Apostolus loquatur de Doctoribus tantùm, atque de ijs, qui fundamento Doctrinæ Euangelicæ admiscent aliqua falsa. Et sic per aurum, argentum, lapides pretiosos intelli-

intelligit doctrinam sanam, & dogmata vera; per ligna, fęnum, & stipulam intelligit doctrinam, & dogmata falsa, aliena à fundamento veritatis, quæ à Doctoribus dogmatibus veris admiscentur, & huiusmodi Doctores asserit fuisse Diuum Cyprianum, Augustinum, Ambrosium, Gregorium, Bernardum, quos ait retentis primis fidei capitibus eisdem admiscuisse, ex ignorantia, & fragilitate humana multa commenta ex proprio cerebro, & multa falsa: per hæc autem falsa, & commenta intelligit articulos fidei Catholicæ, vt doctrinam de sacrificio Missæ, de Sacramentorum efficacia, de Ecclesiastica Hierarchia, &c. Hos Doctores sanctos (inquit Caluinus) Paulus ait posse saluari, hac tamen lege si iacturam eorum, quæ ipsi addiderunt faciant, ac repurgentur, sicut aurum repurgatur igne: iste autem ignis, quo hæc repurgantur est Spiritus sancti gratia, quæ illuxit, cum Lutherus, & cęteri Nouatores surrexerunt, & ista commenta à fundamento, & capitibus doctrinæ veræ excusserunt. Per diem enim Domini, Caluinus, & Beza intelligunt tempus, quo Deus manifestat veram doctrinam.

Reijcitur. 14 Quàm autem in primis aliena à sensu Diui Pauli sit, & noua hæc expositio, nemo est qui non videat; & patet ex dictis. Hoc lucidissimè ostendit Stapletonius in Antidotis ad hunc locum. Vbi ex textu Græco conuincit primò legi debere diem Domini. (Caluinus enim, & Beza negant verbum illud *Domini* in Græco textu haberi.) Vnde Patres Græci sapientiores in lingua Græca, quàm nostri hæretici, Theodoretus, Oecumenius in Commentarijs ad eadem verba exponunt diem Iuditij, & idem habet D. Basil. lib. de Spiritu sancto, capite decimoquinto. Quòd autem fictio sit per diem Domini, hic intelligere tempus, quo vniuscuiusque prædicatoris Euangelium manifestetur, an sit aurum, argentum, vel stipula, & fęnum, ex eo probatur, quia nullus est dies, nec tempus, in quo in hac vita manifestetur, quodnam sit verum Euangelium, & vera Doctrina, sed hæc solùm tunc reuelabitur, & manifestabitur clarè cum vnusquisque recipiet mercedem operum suorum: nunc in hac vita nostra cognitio est fides, non clara cognitio. Vnde Paulus mediatè sequenti cap. totum huius rei examen, & probationem ab hac vita remouet, & in alteram vitam, ac in solius Dei iudicium reijcit, dicens. *Qui me iudicat Dominus est, itaque nolite ante tempus iudicare quousque veniat Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium, & tunc laus erit vnicuique à Deo.* Ridiculum ergo est per diem, quo opus vniuscuiusque probabitur, & per diem Domini intelligere aliud quàm diem mortis vniuscuiusque, & etiam diem iuditij vniuersalis, quatenus in illo manifestabitur quicquid gestum fuerit in iudicio particulari vniuscuiusque. Similiter falsum est per aurum, & argentum intelligere solùm doctrinam bonam, & per fęnum, & stipulam intelligere doctrinam impuram. Verè enim per vtrumque intelliguntur opera, & actiones ipsę puræ, & impuræ.

15 Quàm autem sit absurda, & impia hæc hæreticorum expositio facilè ostenditur, in primis, dicere, quod Diuus Cyprianus, Augustinus, Ambrosius, Gregorius, Bernardus; & cæteri Episcopi celebrium Ecclesiarum celeberrimi in dogmatibus plurimis, quæ pariter cum vniuersa Ecclesia sui temporis, & in totius orbis communione tenuerunt errauerint, & quod ea dogmata, quæ omnes communiter, vt certa de fide tenebant, sint commenta in hominum cerebro fabricata, est viam aperire latissimam omnibus hæresibus, & aditum patefacere ad quæuis somnia. Nam sicut nunc Lutherus, Caluinus, & cæteri hæretici doctrinam de sacrificio Missæ, de efficacia Sacramentorum, de Hierarchia Ecclesiastica, de Cœlibatu Sacerdotum, de Monachorum votis, de Ieiunijs, de Sanctorum inuocatione, de Oratione pro Defunctis, de Bonorum operum iustitia, & necessitate, & alijs Dogmatibus Catholicis à veteribus illis sanctissimis, & doctissimis Patribus, Cypriano, Augustino, Ambrosio, Gregorio, Bernardo agnitam, & traditam pro *ligno, fęno, stipulis* habent, quę *dies Domini* (exoriente s. Luthero) *declarauit*. Sic eodem modo quilibet portentosus, & insanus hæreticus, quamlibet Christianæ fidei doctrinam, quæ ipsi displiceat, ad huiusmodi stipulas, ligna, & fęnum pertinere dicet: quæ dies Domini per os eius tunc reuelet. Præterea stante doctrina hæreticorum non possumus discernere, quæ sint ea, quæ pertinent ad fundamentum doctrinæ ad capita doctrinæ, circa quæ errare damnabile est; quæ verò sint ea, in quibus qui hallucinatur, tamen saluus esse potest per ignē; quia vnusquisque habebit pro fundamento, & capite doctrinæ illud à quo ipse recedere nolit. Exempli gratia, Caluinista, vt Beza, hodie aduersus nouos Arianos, & Tritheitas doctrinam de Christi Diuinitate, ac de Deo trino, & vno, sic ad ipsum fidei fundamentum pertinere volunt, vt iam istis capitibus errare vetus Ecclesia non potuerit: at qui contra noui isti Ariani, & Tritheitæ non secus pro fundamento haberi volunt dogmata de fidei iustitia, de Sacramentis, &c. Vnde colligunt, quòd sicut vetus Ecclesia (eorum iudicio) vetera Concilia errarunt, delirarunt, sic in alijs capitibus de Trinitate, & Diuinitate Christi pertinaciter sustinent errasse.

16 Præterea docere debent Caluinistæ nos, quando Cyprianus, Augustinus, Ambrosius, & alij Sancti Patres à Caluino nominati, qui secundùm eum à recta fide aberrarunt ab ista ignorantia abstersi, & purgati fuerint, & per ignem istum Spiritus sancti ab istis, iudicio eorum maculis, repurgati fuerint, & salui facti sint. An in hac vita? At certum est illos in fide illa defunctos fuisse, quàm in suis scriptis, & mouimentis reliquerunt. Si autem hoc non est verum doceant ipsi, vbi hos errores retractauerint, & correxerint. An in alia vita? ergo ignis iste pertinebit ad aliam vitam, & consequenter dies Domini in quo iste ignis operatur, non erit aliquod tempus huius vitæ: & sic destruitur eius assertio, quòd dies Domini sit aduentus hæreticorum illustrantium doctrinam Euangelicam. Hæc enim illustratio pertinet ad hanc vitam. Quòd si dicant, eos Patres, neque in hac, neque in alia vita correptos fuisse, nec purgatos, necesse est, vt dicant ipsos minimè saluatos esse, sed apud inferos damnatos iacere. Hoc autem de his Ecclesię sanctissimis, & clarissimis hominibus, nec ipsos Caluinistas asserere, audere puto.

17 Postremò vanissimum est asserere, quòd si quis Doctor, vel Pastor, vel quiuis alius doctrinæ fundamento, idest veritatis necessariæ ad salutem admisceat propter carnis imbecillitatem fęnum, stipulam, & lignum, idest aliqua falsa, sed non necessaria ad salutem, iste debeat per ignem purgari ab istis, vt saluus sit: quia nemo hac ignorantia in hac vita caret: & nullus habet perfectam sine vllo errore in rebus minoribus scientiam. Vnde D. Augustinus de Baptismo contra Donatistas libro 2. cap. quinto, verissimè scripsit, *In nullo aliter sapere, quàm res se habet angelica perfectio est*. Et proinde nemo posset vitare huiusmodi purgationem ignis; & omnes salui fieri deberent per ignem. Hoc autem falsum est, & contra Apostolum: quia inquit alios esse, qui ædificant aurum, argentum, lapides pretiosos, pro quibus mercedem accipient, nec detrimentum patientur. Alias absurditates huius expositionis hæreticorum omitto.

18 Pro hac veritate, quòd purgatorium detur, solet adduci illud Apostoli 1. Cor. 15. *Quid facient, qui baptizantur pro mortuis, si mortui non resurgunt?* Sensus enim est: quid faciunt, qui affliguntur, & pęnitentiam agunt pro iuuãdis mortuis, si mortui nõ resurgunt? supponit ergo Paulus affligi pro mortuis, nõ esse vanũ; sed illis esse vtile, atq. eis prodesse. Et confirmatur, quia si etiam per illud verbum, *Baptizantur pro mortuis*, intelligantur lauacra, & cęremoniæ Hebræorum, quæ ab illis fiebant pro mortuis, Tertia auctoritas pro purgatorio

vt

vt aliqui volunt, adhuc eundem ſenſum habent: nam iudæi faciebant illas aſperſiones legales pro mortuis, ad ſatisfaciendum, ſcilicet pro illis. Vnde Sanctus Ephrem colligit in ſuo teſtamento multò magis poſſe ſacerdotes noui teſtamenti pro mortuis offerre.

Quarta auctoritas, p purgatorio

19 Alius locus etiam efficax habetur Matth. 12. Vbi Dominus dicit eſſe quoddam peccatum, quòd non remittitur, neque in hoc, neque in futuro ſæculo. Ex hoc enim loco colligunt Sancti Patres quædam peccata remitti in futuro ſæculo per orationes, & ſuffragia Eccleſiæ, tunc ſic: at in cœlo nullum eſt peccatum, quod remittatur, quia nihil coinquinatum illuc ingreditur, neque in inferno vllum peccatum remittitur. Relinquitur ergo, quod detur aliquis locus, in quo aliquod peccatum remittatur poſt hanc vitam: hunc vocamus purgatorium; ergo. Quod autem ex his verbis, *Non remittitur, neque in hoc, neque in futuro ſæculo*, colligatur aliqua peccata dimitti poſt hanc vitam, patet, quia nemo ſic loquitur de re impoſſibili. Nemo enim dicet, non ducam vxorem, neque in hoc, neque in futuro ſæculo, quia in ſæculo futuro non ducuntur vxores. Neque refert, quod Diuus Marcus capit. 3. dicat. *Non habebit remiſſionem in æternum*. Quia D. Matth. explicatius, & pluribus hoc explicauit; ideò Diuus Marcus exponēdus eſt per Diuum Mattheum, qui rem explicatius narrauit. Significans, quod etſi alia peccata remittantur in alio ſæculo, tamen hoc peccatum blaſphemiæ in Spiritum ſanctum in alio ſæculo non remittetur. Pro hac eadem veritate faciunt auctoritates Sacræ ſcripturę adductę cap. ſequenti de loco purgatorij.

1. Ratio hæreticorũ reijcitur.

20 Confirmatur adhuc purgatorium dari ex confutatione rationum aduerſariorum. Duo fundamenta pro aduerſarijs ſolent afferri. Primum, quod peccatum veniale nullum datur, ſed omne peccatum eſt mortale. Secundum, quod cum dimittitur culpa mortalis ſemper dimittitur pœna temporalis. Ex his duobus deducunt non dari purgatorium: quoniam in illo per nos purgantur peccata venialia, & pœnæ culparum mortalium remiſſarum. At hæc duo fundamenta falſa ſunt, & quidem ſecundum, ſcilicet, quod dum Deus dimittit culpam, dimittat quoque omnem pœnam, eſſe falſum ex dictis ſuperiori diſputatione de ſatisfactione cap. primo, & ſecundo patet, vbi oſtendimus ex ſcripturis ſæpè Deum dimittere culpam, non autem totam pœnam temporalem. Primum verò ſimiliter eſſe falſum, ſcilicet peccatum veniale non differre à peccato mortali probatum eſt ſuprà, diſputatione 5. cap. 5. tamen adhuc probatur facilè. Nam D. Iacob. cap. 1. ſuæ Epiſtolę, ait. *Vnuſquiſque tentatur à concupiſcentia ſua: concupiſcentia cum conceperit, parit peccatum, peccatum cum conſumatum fuerit, generat mortem*. Hic Apoſtolus deſcribit proceſſum peccati ſecundùm ſe, ac docet poſt tentationem peccati, quæ poteſt eſſe ſine peccato vllo, continuo ſequi peccatum, ſi quis non caueat: nam ex concupiſcentia, quæ tentat, oritur delectatio in parte inferiori, quæ eſt aliquod peccatum, non tamen mortiferum eſt, ſi non adſit conſenſus plenus, & perfectus mentis. Hoc ergo eſt peccatum veniale. Si verò peccatum conſumatum fuerit, nimirum accedente conſenſu deliberato, & pleno generat mortē: & tunc eſt peccatum mortale. Habemus ergo hic diſtinctionem peccati mortalis, & venialis. Rurſus prima ad Corinth. 3. dum dixit alios ædificare ſuper fundamentum Chriſti ligna, ſtipulam, fœnum, diximus ſuprà deſcribi peccata venialia ex leuitate materiæ, & diximus illa remitti, & purgari in purgatorio igne: non autem peccata mortalia, quæ ſempiterno igne comburentur, neque vnquam, qui ea cōmiſit, ſaluus fit.

Falſum in morte tolli reliquias peccatorum.

Illud aliud dictum etiam Lutheri, & hæreticorum, quod in morte omnes reliquiæ peccatorum deleantur propter dolorem mortis in ijs, qui in fide moriuntur, eſt ſimiliter erroneum: nam nulla actio eſt meritoria niſi ſit volũtaria: mors autem eſt paſſio naturalis: naturalibus autem actionibus, neque meremur, neque demeremur. Verùm eſt, quod quatenus homines iuſti patienter ferunt eius dolores, & pœnas merentur, ſicut ſuſtinendo alias tribulationes humanas, vt ſuprà diximus; ſed nemo certus eſſe poteſt, an hæc tolleratio ſit æquiualens pęnis debitis pro peccatis: præterquamquòd multi, qui repentinè moriuntur, vel inuiti, vel dormientes non poſſunt purgari morte: quia in his nullo modo eſt actus voluntarius reſpectu mortis.

Aliud argumētũ hæreticorũ refellitur.

21 Secundum fundamentum principale aduerſariorum ſunt quædam auctoritates Sacræ ſcripturæ, quæ poſt mortem duo tantùm loca animarum ponunt, vt Eccleſiaſt. 11. *Si ceciderit lignum, ſiuè ad Auſtrum, ſiue ad Aquilonem vbicumque ceciderit ibi erit*, &c. & Matth. 25. *Venite benedicti*, &c. *ite maledicti*, &c. Dantur ergo duo loca poſt hanc vitam; ergo non datur tertius locus, qui eſt purgatorium. Reſpondetur ex his auctoritatibus concludi eſſe duo loca tantùm vltima, in quibus oēs vltimatè cōtineri debent, paradiſus ſcilicet, & infernus, & poſt iudicium vniuerſale omnes in hæc duo loca continebuntur. Non tamen ex hoc ſequitur, quod poſt mortem non detur alius locus temporalis, in quo ad tempus pęnæ debitæ peccatis purgentur, qui in die iudicij extremi vniuerſalis ſit ceſſaturus. Addunt quaſdam alias ſcripturas, quæ ſignificant, iuſtos poſt mortem ſtatim recta in cœlum euolare. Pſalm. 126. *Cum dederit dilectis ſuis ſomnum, ecce hæreditas Domini*. & 2. Corinth. 5. *Scimus quoniam ſi terreſtris Domus noſtra huius habitationis diſſoluatur habitationem ex Deo habemus, Domum non manufactam æternam in cœlis*. & Apocal. 14. *Beati mortui, qui in Domino moriuntur, a modo iam dicit Spiritus, vt requieſcant a laboribus ſuis: opera enim illorum ſequuntur illos*. Ad omnes has auctoritates, & ſimiles, dicitur, quod nunquam Scriptura ſacra dicit, ſtatim finita hac vita omnem hominem recipi in gloriam, ſi decedat in gratia: etſi qua inueniretur, quæ hoc ſignificaret, intelligenda eſſet ſubintellecta hac conditione, ſi homo inueniatur omni ex parte iuſtus, ſeù perfectè mundus & ſine impedimento, quæ conditio in alijs ſcripturis, vt viſum eſt ſuprà explicatur: ideò opus eſt vnā ſcripturam per aliam explicare.

Ratio cōis Catholicorũ pro purgatorio.

22 Vltimo loco eſt ratio communis omnium Catholicorum, quæ breuiter fundatur in tribus aſſertionibus euidentiſſimis, ex lumine naturæ, & ex fide. Prima eſt dari peccata venialia, quæ quidem digna ſunt pęna, ſed non æterna, vt nunc ſuprà docuimus. Secunda. Remiſſa culpa, non ſemper remitti totam pęnam temporalem. Quod etiam ſuprà oſtenſum eſt eſſe verum: & patet, neque enim pęna illis peccatis debita tollitur per mortem corporalem, quia non habemus de hoc alibi promiſſionem aliquam in Sacra ſcriptura. Tertia. Ad diuinæ iuſtitiæ æquitatem pertinet, vt nemini præmium beatitudinis concedatur niſi prius delictum peccatorum perfectè purgauerit. Quæ propoſitio eſt certa, quia videmus Deum perfectam iuſtitiam vindicatiuam exercere in ratione ſuæ prouidentiæ. Videmus enim quanta acerbitate penarum puniat damnatos: ex quibus ſic formatur ratio. Poteſt contingere, quod quis decedat ex hac vita ſinè culpa mortali, tamen cum obligatione ſatisfaciendi pro pęna temporali, & peccatis venialibus. In Paradiſum autem, & ad præmium beatitudinis, non poteſt peruenire, niſi qui plenè pro his culpis ſatisfecerit; ergo neceſſe eſt, quòd poſt hanc vitam detur locus purgatorij, in quo animæ iuſtorum perfectè purgentur, & ſic ſaluæ fiant quaſi per ignem.

De loco purgatorij. Caput Secundum.

23 Oſtenſo purgatorium dari, neceſſe eſt videre, vbi reperiatur, & licèt ex Sacra ſcriptura, & ab Eccleſiæ auctoritate nihil de loco ipſius ſit definitum, ſed hoc in diſputatione verſetur: tñ eſt certum, purgatoriũ eſſe aliquem

locum corporalem, in quo animæ detinentur, donec pęnas debitas perfectè luant. Cum enim animæ istæ, quæ purgantur, contineantur intra hunc mundum, necesse est, quod sint intra aliquem locum corporeum secundùm præsentiam substantialem. Vnde videmus diuinam Prouidentiam Angelis ipsis pro diuerso eorum statu determinatum locum determinasse (licèt ipsi possint esse non in loco, vt alibi diximus) Dęmonibus gehenam, & Infernum; Angelis bonis Cœlum empireum. Cum ergo animæ purgandæ in purgatorio non sint in Cœlo, quia ibi nihil coinquinatum est, nec ibi vlla est pœna, neque in inferno, quia ibi nulla est redemptio, neque egressus: sequitur, quod locus purgatorij sit in aliqua alia parte huius mundi; ideò hoc inquirendum est.

In quo loco sit purgatorium.

Licèt autem, vt dixi, nihil determinatum sit de loco purgatorij; tamen communior opinio Theologorum est, quòd sit sub terra versus centrum. Sic sentiunt Theol. in quarto Sententiarum, Diuo Bonauentura distinct. vigesima, parte prima, articulo primo, quæstione sexta. Richardus distinct. vigesima prima, art... quæstione 3. D. Thomas distinct. vigesima prima, quæstione prima, artic. primo quæst. 2. quos deinde alij sequuti sunt, nam præter opiniones, quas refert Bellarminus libro secundo, de Purgatorio, capite 6. tres opiniones referunt præsertim Diuus Bonauentura,

1. Opinio.

quarum prima erat, quòd aliqui existimabant purgatorium esse supra terram, & infrà cœlum, in quadam media regione: & ratio eorum videbatur esse: quia animæ purgatorij sunt erutæ de potestate tenebrarum, & sunt in loco tuto à malignis spiritibus; sed Diabolus est princeps aeris tenebrosi; ergo videtur, quòd animæ existentes in purgatorio sint in loco superiori ad aerem illum caliginosum.

Reijcitur.

Sed hæc opinio communiter reijcitur: quia auctoritates, & reuelationes sunt in cõtrarium: quia sæpè inuenti sunt, qui purgabant sua peccata in his locis inferioribus, vt videbimus infrà; & rationes pro parte vera, hanc eandem opinionem impugnabunt.

2. Opinio.

24 Secunda opinio fuit quorundam asserentium purgatorium non esse in vna parte, & loco determinato, sed varijs in locis animas ad purgandum deputari: pręsertim verò ijs locis in quibus peccauerunt: vult ergo esse in medio, i. in hoc mundo. Hanc sententiam sequutus est Hugo de Sancto Victore, libro secundo, de Sacramentis. p. 16. capite quarto: pro hac sententia faciunt, quæ habet Diuus Gregorius libro quarto Dialogorum, capite vigesimoquinto, vbi dixit animas purgandas detineri quibusdam mansiunculis. & capit. quadragesimo dicit, Paschasium virum sanctum in quibusdam balneis calidis, nimirum in Thermis Angulanis apparuisse Germano Episcopo Capuano, eique reuelasse in eum locum puniri, quia contra Symachum Papam cuidam Laurentio Antipapæ fuerat; à quo loco fuit ipse Paschasius liberatus adiutorio eiusdem Episcopi, qui fusis præcibus ad Deum pro eo, sicut Paschasius præcatus fuerat, rediens ad easdem Thermas Angulanas eum amplius non inuenit; quo signo cognouit eum liberatum esse, hoc enim signum dederat ei Paschasius.

Reijcitur.

Sed hæc opinio etiam reijcitur, quia peccata grauia solent peccatores non in vno loco, sed in diuersis perpetrare; non est autem verisimile, quòd per omnia illa loca anima pertrahatur, cum præsertim vno loco de omnibus peccatis vbique commissis possit puniri: & experientia, seu exemplis adductis ab ipsis conuincitur: nam Paschasius non perpetrauerat peccatum illud contra Symachum Papam in Thermis Angulanis: & tamen ibi puniebatur; ergo hæc opinio est improbabilis.

3. Opinio, ꝗ est vera.

25 Itaque remanet esse veram tertiam sententiam, quod purgatorium sit in vno loco determinato, & hic sit sub terra: loquendo secundùm legem communem, & ordinariam Dei. Loquendo verò secundùm legem particularem, seu dispensationem diuinam, quandoque aliquæ animæ in aliquo particulari loco purgantur. Prima pars varijs auctoritatibus probatur: in sacra enim Scriptura reperiuntur multæ auctoritates, quæ dicunt sub terra, & in inferno esse quasdam animas iustas, & quę laudant Deum, vt illud Pauli ad Philippenses secundo. *In nomine Iesu omne genuflectatur, Cœlestium, terrestrium, & Infernorum.* Quæ verba etsi possint habere alias expositiones, tamen certè etiam de animabus purgatorij intelligi possunt; cum animæ, quæ sunt in inferno, non genua flectant Christo, sed illum blasphement, iuxta illud. *Superbia eorum qui te aderunt ostendit semper*, eundem sensum habent illa verba Apocalyps. quinto, *Nemo inuentus est dignus aperire librum, neque in Cœlo, neque in terra, neque subtus terram*: quia hic non enumerat nisi iustos; ergo supponit subtus terram esse iustos, de quibus inferius subdit dixisse cum alijs iustis. *Sedenti in Throno, & Agno benedictio, & honor, & gloria, & potestas in sęcula sęculorum.* Hæc autem verba proculdubio non sunt damnatorum; ergo iustorum; ergo subtus terram est locus iustorum, qui laudant Deum. Hic non potest esse alius, quàm purgatorius; ergo. Adducitur alius locus ex Ecclesiast. capite vigesimo quarto. *Penetrabo inferiores partes terræ, & inspiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes sperantes in Domino.* Proprijssimus autem locus pro purgatorio est ille ex Psalm. 113. *Non mortui laudabunt te Domine, neque omnes, qui descedunt in infernum.* Si ergo non omnes qui descedunt in infernum laudant Dominum, certè aliqui, qui descendunt in infernum eum laudant: isti non sunt damnati, quia illi sunt mortui, nec laudant Dominum; ergo sunt alij: isti alij esse non possunt, nisi existentes in purgatorio. Tandem ecclesia orans pro existentibus in purgatorio inquit. *Libera Domine animas omnium fidelium defunctorum de pœnis inferni, & de profundo lacu.* Petit enim liberationem animarum à purgatorio non ab inferno; ergo purgatorium est locus propè centrum terræ.

26 Ratione eadem prima pars probatur, quia est multum conueniens: cum enim puniantur pęna satisfactoria pro culpis debita, debent relegari in loco, qui sit veluti carcer proportionatus: talis autem locus subterraneus, fętidus, & obscurus est eis proportionatus, præsertim verò propter eam rationem, quam adducit Diuus Gregorius quarto Dialog. quod eodem igne electus purgatur, & damnatus crematur. Cum ergo eodem igne inferni, qui sunt in purgatorio purgentur, quo damnati cremantur, & infernus damnatorum sit in centro terræ, sequitur purgatorium esse in centro terræ. 1. Ratio p eadẽ sui.

27 Quò ad secundam partem probatur nostra assertio per rationes adductas à secunda opinione, nã quod aliqñ aliquæ animæ in aliquib. particularibus locis, vt dictum est de anima Paschasij, purgatæ sint, hoc factum est ex speciali dispensatione diuina; vel propter eorum celeriorem liberationem; nimirum, vt possent alijs suam indigentiam manifestare, vt factum est de Paschasio: vel propter instructionem nostram, vt aliquando recogitemus magnam post hanc vitam pœnam infligi peccantibus: vel propter alicuius Sancti impetrationem ad aliquem bonum effectum: sicut legitur de Sancto Patritio, qui cuidam impetrauit, vt in quodam particulari loco in terra puniretur. Hæc est sententia Diui Bonauenturæ in quarto, distinctione vigesima, par. prima, articulo quarto, quæstione sexta, & consentiunt alij Theologi, & posteriores eos sequuti sunt, supplementum Gabrielis distinctione quadragesimaquinta, quæst. prima, artic. 1. Soto ibidem quæst. 1. art. 1. & 3. Cartusianus dialogo de iudicio, & lib. de quatuor nouissimis, cap. 48. & Suarez disput. 45. sect. 2. qui alios citat, & sequitur. Addit verò, & rectè aliquando aliquam reuelationem fieri in aliquo loco particulari, non quia ibi anima illa purgetur, sed ad significandum aliquid aliquibus, à quibus adiutorium aliquod recipiant, vel propter aliquam aliam, ex suprà dictis, causam.

De purgatorio particulari.

Quę ordine situs seruętad alia loca subterranea.

28 Cum autem subtus terram, vltra infernum, & purgatoriũ, sit ẽt limbus puerorum, qui cũ peccato originali decedunt ex hac vita, & fuerit iã sinus Abrahæ, seù limbus Sanctorum Patrum, solet quæri, quem ordinem seruent hæc loca inter se. Verùm quia in hac re nihil est certum, sed totum est sub disputatione, & diuersæ sententiæ sunt, hæc mihi sententia videtur probabilior, vt purgatorium sit propè infernum: infernus enim damnatorum secundùm omnes est in ipso centro terræ: & ratio est, quia D. August. suprà citatus, & adductus à D. Bonauent. vbi suprà eodem igne cremari animas damnatorum, & purgari animas iustorum, ait; probabile ergo est, quod locus purgatorij sit proximus inferno, siuè ad ripam inferni: non videtur tamẽ necessarium, quod purgatorium vndequaque circundet circulum inferni, necesse est enim cum infernus sit in centro terræ, quæ est orbiculata, sit circularis: non est ergo necessarium, quod purgatorij locus sit circulus circũdans ex omni parte locum inferni, sed potest existere ex vna parte, ne cogamur dicere, animas damnatorum prius transire per purgatorium, quàm proueniant ad infernũ: ad quod etiam facit auctoritas Euangelicus de Diuite Epulone, & Lazaro: nam ibi refertur, quod diues existens in tormentis eleuauit oculos ad Abraham, & quod Abraham ei dixit. *Inter vos, & nos magnum chaos positum est.* Ex hoc enim, quod eleuauit oculos significatur, quod limbus Patrum, in quo erat Abraham, erat distans, & remotus à centro, & consequenter propè terram erat. Non ergo limbus Patrum erat propè infernum, quo fit, vt chaos ille, quod dicit intercedere, sit locus purgatorij, & puerorum, qui sine baptismo, & cum originali decedunt. Vnde probabile puto, quod locus puerorum sit super purgatorium, & infra limbum Sanctorum Patrum: nam pueri non erant purgati à peccato originali, sed Sancti Patres erant omnino mundi; non ingrediebantur autem actu cęlum, quia ianua erat clausa, nec debebat aperiri, nisi per mortem Christi: pueri autem illi nunquam ingrediebantur paradisum, sed credibile est, vt habet Scotus, & multi alij in 2. Sent. quod post diẽ iudicij in superficie terræ habitabunt, & hac sensibili luce perfruẽtur, Deumque, vt auctorem nostræ cognoscent, amabunt, & laudabunt. Limbus vero Patrum sanctorum erat suprà alta loca, ac propè terram propter rationes adductas.

De pueris decedentibus in peccato originali.

An alius locus subterraneus præter dicta detur.

29 Adhuc est non leuis difficultas, an præter quatuor loca subterranea adducta, detur aliquis alius locus, in quo detineantur animæ, antequam ad regnum cęlorum perueniant. Nam Beda lib. 5. Hist. ca. 13. narrat historiam quãdam satis probabilem, cui ipse Beda fidẽ adhibuit, in qua fertur ostensum fuisse cuidam animæ, quæ ad corpus postea redijt præter infernum, purgatorium, & regnum cęlorum dari pratum quemdam florentissimum, lucidissimum, & amenum, in quo degebant animæ, quæ nihil patiebantur, sed tamen ibi manebant, quia nondum idoneæ erant visioni beatæ. Multa alia similia adducit Dionisius Cartusianus in Dialogo de iudicio particulari, & D. Gregorius lib. 4. Dial. cap. 36. Ad hoc est responsio Bellar. lib. 2. de purgatorio cap. 7. asserentis non esse improbabile dari huiusmodi locum, sed pertinere ad purgatorium, quia in eo etsi nõ sit pœna sensus, est tamen pœna damni, quæ ad animam purgandam spectat. Est ergo huiusmodi loci Purgatorium, sed mitissimum, & carcer honoratus. Sed in cõtrarium est, quod infrà ostendam, in purgatorio non dari pœnam damni, licèt plures Theologi illam admittant. Præterea Suarez disputatione 46. sect. 1. num. 8. & sequentibus, varias rationes adducit ad probandum illam Historiam à Beda lib. quinto Historiæ Anglicanæ recitatam esse suspectam. Primò adest communis sententia Theologorum, qui asserunt, animas in purgatorio purgari, & cruciari igne; non ergo datur hic locus in purgatorio, qui sit tantùm carcer honoratus, sine pœna ignis. Præterea, vel detinentur in illo carcere honorario propter peccata mortalia quorum pœnam temporalem debitam non expiarunt; vel propter peccata venialia; vel propter aliquam aliam causam. Non primum, quia peccato mortali non debetur carcer honorarius: si enim peccatum mortale purgaretur carcere honorario sine pœna ignis, quodnam esset pęccatum, quod igne purgaretur? Nec secundum, quia ex Apostolo peccata venialia purgantur igne 1. Corint. 3. *Qui autem superędificat ligna fænum, &c. saluus erit, sic tamen quasi per ignem.* Nec tertium, quia seclusa culpa, & reatu ex illa relicto, nihil est, quod retardare possit animas ab ingressu paradisi, iuxta diffinitionem Concilij Florentini, sessione vltima. Præterea in illa Historia dicitur animas illas detineri in illo loco ameno vsque ad diem iudicij, neque liberari nisi propter suffragia. Hoc enim de omnibus animabus existentibus in purgatorio est falsum, & contra communem sensum Theologorum: immò ecclesiæ, quæ asserit animas illas liberari satisfacta diuina iustitia, non autem solùm per suffragia. Præterea descriptio illius loci ameni non videtur congrua: nam ibi nulla esse dicitur obscuritas, sed magna lux, nulla tristitia, nulla culpa, vel macula, sed perfecta innocentia, & alia huiusmodi, quæ cum loco purgatorij, qui est locus pęnarum ad purgandum peccata, non congruant, videntur reddere suspectam illam historiam.

Responsio Bellarmini

Refellitur.

30 Nihilominus, quia Beda Vir Sanctissimus, & Doctissimus ei fidem adhibet, & circunstantiæ, quas refert, & effectus optimi ex illa visione orti suadent omnino illam historiam non esse repudiandam: ideo posset dici, visionem illam esse veram, sicut, & alias adductas à D. Gregorio lib. quarto, Dialog. capit. trigesimosexto, & à Dyonisio Cartusiano Dialog. de iudicio particulari capit. trigesimo primo, sed debere intelligi in sensu mistico, non litterali, itaquòd per diuersa illa loca non intelligantur diuersa loca purgatorij, sed diuersus status illarum animarum, & per locum amænum intelligantur consolationes spirituales, quibus aliquæ animæ iuuantur: non tamen velle omninò excludere ab illis pęnã sensus. Et ratio est, quia visiones illæ ostendunt ad hortãdos esse homines ad pęnitentiã, & nè illam differant in fine: ideò visiones proportionatæ huic fini illis animabus ostenduntur, non autem ad explicandum historicè, & simpliciter statum purgatorij: probabilissimum enim est, quod visiones illæ factæ sint per visionem imaginariam, & proinde res illę non in se, sed in imaginatione repræsentatę sint: etiam quia res spirituales à nobis pro hoc statu, dum anima vnita est corpori, non possunt intelligi, nisi per corporales imagines, & similitudines. Vnde sacra Scriptura describit Beatitudinem sub similitudine cęnæ, & magni conuiuij, vt hac similitudine gaudium, & lætitiam illius notificetur: ità in his visionibus, pœnæ, & supplicia inferni, & purgatorij ostenduntur sub similitudinibus corporalibus, vt sic veniamus aliquo modo in cognitionem acerbitatis earum pœnarum, quæ superant omnem pęnam huius mundi. Methaphoricè ergo debent intelligi huiusmodi visiones, & hoc modo respondet quoq. Suarez, vbi suprà.

Resolutio.

Si quis autem vult sequi Bellarm. potest dicere, quod etsi pęna principalis purgatorij, sicut & inferni, sit ignis; tamen ibi sunt aliæ quoque pęnæ maiores, vel minores, iuxta illud Tob. 24. *Transibunt ab aquis niuium ad nimium calorem.* Et proinde possunt adesse huiusmodi carceres honorarij, in quibus, qui minus peccauerunt, purgentur, & vbi deficit intensio pęnarum, suppleat carentia longa visionis diuinæ; denominatio autem pœnarum purgatorij fit ab igne, tanquam à principaliori; neque dicitur de omnibus animabus purgatorij, quod detineantur in eo loco vsque ad diem iudicij, sed de illis, quæ sunt in illo loco amęno; quod fortasse non est incredibile, quia Deus diuerso modo punit peccatores, & proportionaliter, iuxta illud Apocal. 18. *Quantum glorificauit se in delitijs, tantum date ei tormentum.* Neque de toto purgatorio dicitur, quod sit locus amęnus, &c. sed de illa parte; ideò probabiliter videtur posse sustineri.

An alæ ex eorum receptaculis exire possint.

An verò animæ defunctorum ex his eorum receptaculis exire possint, disputatur à Theol. in 4. dist. 45. vbi etiã de his receptaculis habetur copiosa disputatio. Pro nunc breuiter respõdetur duabus conclusionibus. Prima ex purgatorio, & limbo patrum proculdubio egrediebantur, & egrediuntur nunquam illuc reddituræ. Patres enim ibi exputabant Christum Redemptorem, & cum eo cœlum ascenderunt, ibique perpetuò fruituri beatitudine. Qui etiam existunt in purgatorio, completa satisfactione euolant in cœlum perpetuò illic in beatitudine mansuri. Secunda conclusio, est. De inferno, & limbo puerorum decedentium in originali nunquam exeunt, sed perpetuò in his carceribus manebunt: tamen ex omnibus his locis prçterquam ex limbo puerorum exeunt, ad aliquod tempus permissione, & voluntate diuina. Prima pars patet, ex illo Mat. 24. de damnatis. *Ite in ignem æternum*, &c. Si ergo ignis ille est æternus nunquam deficiet. Animæ etiã puerorum propter originale peccatum sunt exclusæ à Regno paradisi, vt dictum est in perpetuum; sed probabile est, quod post iudicium in hoc mundo naturali felicitate fruantur.

Quid sit dicendum de liberatione animæ Traiani.

31 Quod verò asseritur de liberatione animæ Traiani Imperatoris precibus D. Gregorij, fusè exagitatur à Theologis, vbi suprà, & à Bellarm. lib. 2. de purgatorio c. 8. & efficaciter, vt historia falsa reijcitur. Idem dicendum de ijs qui sunt in cçlo Beati propter eandem rationem. Secundam partem, verò contra hæreticos nostrorum temporum, præcipuè Magdeburgenses, qui omnes apparitiones animarum rident tanquam dçmonum illusiones, probat euidenter Bellarminus, vbi suprà: nam D. Aug. ab eodem citatus euidentissimè lib. de cura pro mortuis cap. 15. hoc asserit, & præsertim ex cœlo, & limbo Patrũ, inquit enim. *Mitti quoque ad viuos aliquos ex mortuis, sicut è contrariò Paulus ex viuis in Paradisum raptus est diuina scriptura testatur: nam Samuel Propheta defunctus viuo Sauli etiã Regi futura prædixit*. Et quia hoc nonnulli nolunt intelligi de anima Samuelis, infrà subiungit. *Sed si huic lib. ex Hebreorum, quia in eo non est, canone contradicitur, quid de Moyse dicturi sumus, qui certè, & in Deuter. mortuus, & in Euangelio cum Helia, qui mortuus non est, legitur apparuisse uiuentibus*, in cap. 16. *Hinc, & illa soluitur quæstio, quonam modo Martires ipsis beneficijs quæ dantur orantibus, indicant se interesse rebus humanis si nesciunt mortui, quid agant viui. Non solis beneficiorum effectibus, verùm etiam ipsis hominum affectibus confessorem apparuisse felicem, cuius inquilinatum piè diligis, cum à Barbaris Nola oppugnaretur audiuimus non incertis rumoribus, sed testibus certis*. Hic habes Samuelem ex limbo Patrũ, & felicem ex Paradiso redijsse ad viuos. Moyses etiã apparuit cum Helia in monte Thabor, patet autem, quod Moyses mortuus erat Deut. vltimo, & Iosue primo. Quod ex purgatorio etiam aliqui exeant ad tempus patet ex adductis locis ex lib. 4. Dial. D. Gregorij, & alijs auctoribus. Quod etiam ex inferno aliquando aliqui exeant ad tempus, præsertim conspicitur ex illa apparitione Doctoris Parisiensis in vita B. Brunonis, qui post triduum à morte dixit se condemnatum. Credibile est enim animam illam statim post mortem descendisse in infernum, sed tamen ter apparuisse, & primò manifestasse suam accusationem, secundò suum iudicium, tertiò suam damnationem, vt sic pluribus apparitionibus hoc horribile iudicium pluribus manifestaretur.

32 Adiungitur, certum esse aliquos ex purgatorio, & limbo Patrum reuocatos fuisse ad vitam hanc mortalem, vt patet de mortuis resuscitatis à Christo Domino, & à Sãctis in nouo testamento, & ab Helia, & Eliseo in veteri testamento, qui omnes cum fideles fuerint creduntur fuisse vel in purgatorio, vel in limbo Patrum. Quod si quis obijciat his factam esse iniuriam: quia illi prius, dum erant in purgatorio, vel limbo, erant certi de sua salute, dum verò reuocati fuerunt in hanc vitam per resurrectionem fiebant incerti. Respondet Abulensis quæst. 57. in 4. Regum omnes istos fuisse confirmatos in gratia, ne possent peccare; et propter hoc non est facta eis iniuria, sed mutatus est carcer et exilium.

An resuscitatis à morte facta sit iniuria.

Aliquos è cælo, & inferno ad vitam reuocatos fuisse.

33 Ex cœlo etiam, & inferno legimus aliquos ad vitã reuocatos fuisse, vt apud D. Gregorium lib. 1. Dial. cap. 9. de S. Fortunato, qui quendam Marcellum virum sanctũ suscitauit, & cap. 12. de Sancto Seuero, qui excitauit quendam virum pessimũ, qui à Dæmonibus ducebatur ad infernum. Et Egesipus lib. 3. cap. 2. scribit B. Petrum excitasse à Mortuis Etnicum quendam Cæsaris affinem; & Maximus ser. 2. de Sancta Agnete dicit ab ea excitatum fuisse filium præfecti, qui in peccato mortali obierat, quia occisus fuerat à Dçmone cum vellet sanctam Virginem stuprare, & Euodius lib. 1. de miraculis S. Stephani, dicit Puerulum mortuum ante baptismum ad reliquias S. Stephani excitatum fuisse. Verum est pro certo tenendum, eos, qui in cçlum, & infernum vltimata sententia sententiati sunt, illinc nullo modo posse exire ad vitam, quia est clara sententia Christi Domini. *Ite maledicti in ignem æternũ*, &c. *vitam æternã*, &c. Vnde D. Aug. lib. 21. de ciuitate Dei cap. 24. dicit nimis temerarium esse asserere eos non esse mansuros in igne perpetuo, quibus veritas dicit. Mat. 25. *Ite in ignem æternum*. Ad exempla adducta respondetur cum D. Bonauentura in 4. dist. 45. art. 1. quæst. 3. ad 2. & D. Thoma eadem dist. quæst. 2. art. 2. & alijs, quod qui resuscitati sunt sic ad vitam ex inferno, nondum erant damnati sententia vltimata, & diffinitiua, sed sic puniti erant tantùm secũdùm præsentem iniustitiam, & malum; ideo ad uitam reuocati fuerunt: at qui vltimata, & diffinitiua sententia damnati sunt, nunquam excitantur ad vitam: idem de iustis.

De pœnis animarum existentium in purgatorio.
Caput Tertium.

Animæ in purgatorio sunt certæ suæ salutis.

Errores Lutheri circa purgatorium.

34 CErtum est in primis inter pœnas purgatorij non esse enumerandam desperationem, & malum gehenę, vt Lutherus aliquando sensit, scilicet antequam pęnitus negaret purgatoriũ, vt suprà diximus. In primis enim annis suæ defectionis admittebat purgatorium, sed cum multis erroribus, quorum primus erat purgatorium, non posse probari ex Sacris scripturis. Secundus erat hic, quod animæ in purgatorio non essent securæ de sua salute, & eas metuere gehenam. Tertius animas in purgatorio sine intermissione peccare, dum horrent pœnas, & requiẽ quærunt. Quartus animas in purgatorio posse mereri, & demereri. Quintus animas, quæ liberantur per suffragia ecclesiæ, minus beari, quàm si per se satisfecissent. Horum errorum primum iam suprà reiecimus: reliquos in sequentibus explicando veram Doctrinam catholicam reffellemus. Quantum verò spectat ad hunc secundum errorem de pena desperationis, Lutherus omnem impurum vomitum falsarum Doctrinarum absorbuit cum à veritate catholica deficere cçpit. Quod animæ existentes in purgatorio nedum non sint securç suæ salutis, sed versentur in quadam animi anxietate, & perturbatione, & desperationis motibus, fuit quorundam antiquorum sentẽtia, quam referunt D. Bonau. in 4. dist. 20. p. p. art. 1. quæst. 4. & D. Thom. dist. 21. quæst. 1. art. 1. quæst. 4. & alij, sed ab omnibus confutatur tàm antiquis, quàm modernis. Lutherus autem statim pro sua superbia eam amplexus fuit, quam cum deinde cum alijs erroribus sustinere non posset, satius indicauit, pęnitus negare purgatorium quam sanam doctrinam de eo traditam ab ecclesia catholica completi. Hic ergo error, quẽ sequutus est quoque in parte Michael quidam Boius lib. 2. de meritis operum cap. 8. refutatur communiter à D. Bonau. à D. Thoma vbi suprà à Soto d. 19. quæst. 3. art. 2. à Caietano Tomo 1. Opusculorũ tract. 23. q. 2. à Bellarm. lib. 2. de purgatorio c. 4. à Rofense a. 38. & à Suarez disp. 47. sect. 3. qui varias rõnes adducũt, sed hæc est potissima, & principalis, quia sm cõem sniam Theol. i 4. d. 47. dat duplex iudiciũ s. vniuersale, & particulare.

culare. Vniuerſale fiet in die magno iudicij vniuerſalis. Particulare verò, in morte vniuſcuiuſque, per quod iudicium vnaquæque anima determinatur ad eum locum, in quo in æternum eſt manſura; & ad præmium, & pęnam quam eſt conſequutura. Per hoc ergo iudicium particulare vnaquæque anima, q̃ deſtinatur ad purgatoriũ, intelligit, quod finaliter eſt determinata ad æternam beatitudinem, & quod eſt in gratia Dei, ſed quod antequam ingrediatur beatitudinem debet in purgatorio luere pœnam pro tot peccatis ſoluendam: ſcit etiam, quod hæc ſententia Dei in hoc particulari iudicio eſt immutabilis, & ideo eſt ſecura, quod tranſacto illo tempore pœnarum euolabit in Paradiſum.

Iudiciũ particulare dari probatur

35 Quod autem hoc iudicium particulare detur præter vniuerſale, probatur præſertim per illud Eccleſiaſt. 11. *Facilè eſt coram Deo in die obitus retribuere vnicuique ſecundùm vias ſuas*, & rurſus. *In fine hominis denudatio operum illius*. Confirmatur, quia de fide eſt mox à morte impios deſcendere ad infernum, vt patet de diuite Epulone, Lucæ 16. & iuſtos nullius pœnę debitores aſcendere in Paradiſum, vt patet de latrone, Lucæ 23. *Hodie mecum eris in Paradiſo*. At hæc diſtributio pœnarum, & præmiorum æternorum non eſt credibile fieri ſine iudicio, & ſententia diffinitiua; ergo neceſſarium eſt dicere, dari iudicium particulare in morte vniuſcuiuſque. Ex his deducitur animas exiſtentes in purgatorio eſſe ſecuras de ſua ſalute, de gratia, & tempore, ac duratione ſuarum pœnarum.

Confirmatio.

36 Quod adhuc confirmatur, quia fundamentum aduerſæ opinionis nullius momenti eſt; dicere enim, quòd acerbitate pœnarum abſorbeatur iudicium illarum animarum, & proinde ignorent vbi ſint, & ſic dubitent nè ſint damnatæ ad inferuum, & prorumpant in deſperationis motus, eſt contrarium principijs fidei, & rationi principijs fidei; quia, vt videmus, de fide eſt, quod animæ in purgatorio non poſſunt peccare, ſicut nec mereri; deſperatio autem eſt maximum peccatum; ergo. Contra rationem, quia quod anima abſorbeatur à vehementi dolore, eſt paſſio conueniens animæ iuncta corpori; cum enim vtatur organis corporis per dolorem, poſſunt eadem organa ita lædi, vt perturbent iudicium rationis; cum enim intellectus dependeat à ſenſibus, errantibus ſenſibus, rationem errare quoque neceſſe eſt. At cum ſpiritus eſt ſeparatus à corpore, hoc non accidit: quia anima eſt immortalis; neque tunc in intelligendo pendet à corpore. Vndè Lucæ 16. videmus quod diues Epulo erat in inferno cuius pœnæ ſunt acerbiores, quã purgatorij, & tamen agnoſcebat ſtatum ſuum, & proinde rogabat Abraham, vt illi opem ferret; & D. Gregor. lib. 4. Dial. cap. 40. refert de quibuſdam exiſtentibus in purgatorio, qui petierunt adiutorium pro liberatione; ergo ſciebant ſe aliquando, & certo tempore liberandos eſſe. Hæc tamen ſcientia, & cognitio ſuæ futuræ beatitudinis, & præſentis gratiæ, non eſt ita certa, ſicut eſt certa cognitio, quam habent beati de ſua beatitudine, eſt tamen maior, quàm certitudo, quam habemus in via; eſt enim quodammodo media inter certitudinem, quam habent beati, & quam habent viatores. Poſſumus tamen dicere illam cognitionem animarum in purgatorio eſſe valdè certam: quia intuitiuè cognoſcunt gratiam habitualem in ſeipſis, & totum ſuum ſtatum: nam vt diximus in hoc 4. diſt. 10. cum Scoto. Anima ſeparata naturaliter cognoſcere poteſt intuitiuè myſteria gratiæ, vt exiſtentiam corporis Chriſti in Euchariſtia; ergo multò magis cognoſcere poſſunt gratiam habitualem, & dona ſupernaturalia exiſtentia in ſeipſa. Quod faſſus eſt Caietanus tom. 1. tract. 23. q. 2. & eum ſecutus eſt Bellarm. lib. 2. cap. 4. in fine, licèt Suarez diſp. 46. ſect. 3. reclamet. Certum eſt ergo, in Purgatorio non eſſe pœnam deſperationis.

An in purgatorio ſit pęna dãni.

37 Hac ergo pœna excluſa, dubium eſt, an in purgatorio ſit pœna damni, & quidem, quod ibi ſit carentia viſionis diuinæ, & beatitudinis, eſt certum. Nam beatitudo, & viſio beatifica non poteſt manere cum pœna. Sed difficultas eſt, an illa carentia viſionis diuinæ in exiſtentibus in purgatorio ſit vera pœna damni, ac talis dici debeat. Qua in re reperio duas opiniones. Prima eſt multorum, qui apertè dicunt, vel ſupponunt illam carentiam eſſe pęnam damni, vt D. Thomas in 4. d. 21. q. 1. a. 1. Richardus diſt. 20. a. 2. q. 1. Soto diſt. 19. q. 2. a. 2. Durandus in 3. d. 22. q. 4. Bellarminus vbi ſuprà, & alij quos citat, & ſequitur. Suarez diſp. 46. ſect. 4. Secunda eſt D. Bonau. in 4. d. 20. p. p. a. 1. q. 2. qui apertè aſſerere videtur in animabus exiſtentibus in purgatorio carentiam viſionis beatificæ non eſſe pœnam damni, ac oppoſitam ſententiam, & rationem eius oppugnat, cui poſſumus adiungere Caietanum tomo 1. Opuſc tract. 4. q. 4. in principio, vt infrà videbimus, atque cum hac ſententia videtur Scotus conuenire, prout ex eius explicatione quod ſit pœna damni elici poſſe videtur, vt nunc nunc explicabimus.

Opinio D. Thomæ.

Secunda opinio Diui Bonauent. Scoti, & aliorum.

Scotus.

Ratio prima pro prima opinione.

38 Ratio prima pro prima opinione adducta à Diuo Thoma, Richardo, Soto, & alijs eſt. Deſiderium rei concupitæ per ſe angit, & cruciat; ergo quanto maius eſt deſiderium, tãto maior eſt pœna, & cruciatus; ſed ſic eſt, quod illi, qui ſunt in purgatorio, multis rationibus habent magnum deſiderium videndi Deum; ergo in illis hoc deſiderium eſt magna pœna. Maiorem ſupponunt verum, & poteſt probari, per illud commune dictum, *ſpes quæ differtur cruciat animam*. Minor verò probatur. Primò, quia quod deſideratur eſt ſummum bonum; ergo conſequenter deſiderium illius debet eſſe maius. Secundò, quia ibi fides eſt robuſtior, & ſpes eſt certior, quàm in via, charitas etiam eſt confirmata, nec mole corporea ab hac dilectione impeditur, & conſequenter eſt intenſiſſima; ergo eſt maximum deſideriũ fruendi Deo, & conſequenter magna eſt pęna carẽtia illius: quia eſt carentia magni gaudij.

2. Ratio.

39 Secundò, & hæc ratio exageratur à Suarez. Animæ exiſtentes in purgatorio detinentur ab ingreſſu Paradiſi ratione culpæ commiſſæ; ſed hæc eſt pœna damni; ergo. Maior probatur, quia nulla alia ratione ab ingreſſu illo detinentur: non ratione ſtatus deberent frui beatitudine cum ſint extra ſtatum viæ; ſunt etiam aptæ natæ videre Deũ, quia exutæ ſunt corpore mortali; nulla ergo alia cauſa eas impedit; niſi culpa cõmiſſa nondum plenè purgata.

Refellitur opinio alla ta, & ſecunda ꝓbatur.

40 Pro ſecunda opinione videtur facere, quia D. Bonauentura ait, primam rationem non concludere, & ideo ſecundam opinionem eſſe tenendam. Quod autem ratio illa non concludat, probat: quia aliud eſt loqui de deſiderio rerum temporalium, & aliud loqui de deſiderio ſummi boni, quod eſt ſpirituale: quia deſiderium ſummi boni, quod eſt ſpirituale, ſecum fert fruitionem, & aliquam realem poſſeſſionem, & conſequenter parit gaudium, non triſtitiam. Vnde habentes maiorem charitatem non videmus triſtari, ſed gaudere magis. Econuerſo deſiderantes corporalia bona non habent vllam poſſeſſionem: ideò triſtantur, & ideò ſpes illorum affligit animam; & in hoc D. Bonau. adducit D. Auguſt. lib. 83. Quæſtionum, põnentem prędictam differentiam inter deſiderium rerum ſpiritualium, & temporalium, ſeu corporalium, & probat etiam ratione, quia per charitatẽ Deus inhabitat animã.

2. Ratio.

41 Secunda ratio eiuſdem D. Thomæ eſt, quod ſi carentia diuinæ viſionis, cum deſiderio illam habendi, eſſet tam maxima pœna, ſequeretur, quod Sancti Patres in limbo habuiſſent maximam pœnam, ſcilicet pęnam damni. Conſequens eſt falſum. Conſequentia probatur, quia Patres in limbo carebant viſione beata, & illam maximè expectabant, & deſiderabant. Falſitas conſequẽtis eſt euidens: quia Sancti Patres in limbo ſecundùm Sanctos non erant in pęna, ſed in requie.

3. Ratio.

42 Tertiò. Prædicta ratio non facit ad propoſitum: quia quando Sancti dicunt pęnam purgatorij eſſe maximam, non loquuntur de carentia viſionis diuinę, ſed de pęna afflictiua, & ſenſus. At ſi in purgatorio eſſet pęna dãni debuiſſent dicere, hanc pęnam damni eſſe maximam, quia communiter pęna damni dicitur eſſe maior, quàm pęna ſenſus.

Secun-

Secunda rō principalis refutatur.

43 Secunda ratio principalis etiam secundùm doctrinam Caietani loco citato non concludit, quia secundùm Thomistas,& communem eorum doctrinam in peccato est auersio à Deo,& cōuersio ad creaturam:auersio à Deo punitur pęna damni, conuersio ad creaturam punitur pęna sensus:in animabus existentibus in Purgatorio non est auersio à Deo,quia iam sunt reconciliatæ Deo, & sunt in gratia;ergo in illis non potest esse pœna damni,sed est solùm pœna sensus, propter conuersionem inordinatam, quam habuerunt ad creaturam, quæ nondum est plenè purgata.

Obiectio Suarez.

44 Verùm Suarez hanc rationem confutat, quia doctrina illa,quod auersioni à Deo competat pœna damni, & conuersioni ad creaturam competat pœna sensus, etsi videatur habere aliquam probabilitatem,tamen non habet in proposito aliquā necessitatem: quia in iustificatione remittitur,& tollitur tàm auersio à Deo, quàm cōuersio ad creaturam,nec est verum,quod maneat in animab. illis conuersio inordinata ad creaturam,quia illa habet rationem culpæ, quæ omnino nulla est in animabus illis. Præterea posset dici, quòd etsi auersio tollatur quò ad culpam,manet tamen quò ad pęnam,& sic debet purgari,& propter hoc detinetur ab ingressu Paradisi, & sic carentia illa est ei pœna damni.

Rō ex principijs Scoti principalis

45 Melius ergo possumus probare carentiam illam visionis beatificæ in animabus in purgatorio existentib. non esse pœnam damni ex Soto in 4.dist.50.q.4.§. *ad primam quæst.* Nam Scotus explicans,loco citato, quid sit pœna damni,ait,quod pœna damni non est sola carentia: quia simplex carentia non est pœna;sed carentia boni apti nati inesse, & conuenientis,quod debet inesse,est pęna:ideò pœna damni debet esse carentia boni apti nati inesse, & conuenientis,quod debet inesse, & boni propinqui, non remoti:adiungit,quod neque hęc sufficiunt ad perfectam rationem pœnæ damni:sed requiritur, quod illa carentia sit inuoluntaria:& in hac vltima particula maximè consistit ratio pęnæ. Vnde ad propositum pœna damni posita à Theologis,quæ communiter ponitur in damnatis,est carentia visionis beatificæ, quæ est bonum aptum natum inesse illis,& est conueniens illis, & est illis hæc carentia omnino inuoluntaria. Ex hoc videtur deduci intentum nostrum.s.quod carentia visionis beatificæ in animabus existentibus in purgatorio non sit verè, & propriè pęna dāni: nam etsi sit carentia boni apti nati inesse illis,& ratione status,& ratione denudationis à corpore, vt dicebat Suarez,& nullum aliud impedimentum adsit,nisi peccatum; tamen deficit hæc vltima conditio,quoniam hęc carentia visionis diuinæ in animabus illis non est inuoluntaria,sed voluntaria: non quidem perfectè volūtaria.s.eligibiliter electa,vel gratāter acceptata: quia hi modi voluntarij ibi non sunt; sed quia patienter tollerata, nec remurmurant contra Deum, neque propter illam carentiam blasphemant Deum, vt faciunt damnati, qui omninò carentiam illam odio habent;non sic animæ illæ existentes in Purgatorio,sed se complacent in illa carentia, quia sic Deus disposuit, & propter sua peccata gaudent sic puniri à Deo: non tamen his actibus bonis merentur,sicut nec alijs,quia sunt extra statum merendi,& demerendi,vt infrà dicam. Cum ergo hæc pęna illis non sit inuoluntaria modo prędicto,quomodo præsertim hæc carentia in damnatis est pęna maxima,hæc carentia in animabus purgatorij non videtur dicenda pęna damni: & per hoc satisfactum est ad rationem Suarez:quia procedit ex insufficienti enumeratione conditionum, quæ faciunt carentiam aliquam alicuius boni esse pęnam damni.

Quæ sit pęna dāni sm Scotum.

Ad rōnem Suarez.

Confirmatʳ 2.opinio.

46 Et re vera hæc secunda opinio videtur verior, præsertim propter vltimam rationem Sancti Bonauenturæ, quia sancti,cum loquuntur de acerbitate penarum Purgatorij,loquuntur de pęnis afflictiuis, non de pęna damni; ergo hæc in purgatorio non videtur ponenda.

De pena vermis conscientiæ.

46 Adhuc est dubitatio, an in animabus existentib. in purgatorio sit pęna vermis. Suarez disp. illa 46.sect.1.numero septimo,etiam hanc pęnam ponit in animabus existentibus in purgatorio;nullam tamen rationem adducit. Verùm loquendo consequenter ad nunc dicta, mihi hæc pęna non videtur esse ponenda in illis animabus existentibus in purgatorio. Nam pęna vermis, vt habet Scotus in quarto,distinct.50. & alij Theologi, est quædam tristitia, & remorsus continuus conscientiæ propter amissionē boni commodi, quòd est fęlicitas æterna: in illis autem animabus non erit remorsus conscientiæ continuus amissionis talis boni, sed desinet post completam satisfactionem;& quando existunt in illis flammis purgatorijs,& tristantur de carentia Beatitudinis, illa tristitia est propter affectionem iustitiæ, quæ est sancta, & pia tristitia, & est idem quod contritio,in qua certè est displicentia,& quodammodo remorsus conscientiæ,quod offenderint Deū, propter quam offensam consequenter amittunt bonum beatitudinis:tamen hæc tristitia non est propriè remorsus conscientiæ, & vermis, quæ est pęna damnatorum: quoniam illa propriè est tristitia nuda, & præcisè propter affectionem cōmodi,& nullo modo propter Dei offensam, & proinde non videtur propriè esse pęna vermis.

48 Hucusque exclusimus pęnas illas,quæ in animabus purgatorij non reperiuntur,videndum est modò, quæ sint pęnæ,quæ in ipsis reperiuntur: & quoniam pęnæ damnatorum sunt duplicis generis secundùm Theologos communiter,s.pęna damni,& pęna sensus,seù,vt loquitur Scotus in quarto,distinct.50.quæst.4. §. *ad primam quæst.* duplex est pœna damnatorum, scilicet spiritualis, & corporalis,& sub spirituali ponit pęnam damni, & pęnam vermis, & sub corporali ponit pœnam ignis,postquam vidimus in eis non reperiri pęnas spirituales,scilicet damni,& vermis, videndum est, an in eis sit pęna corporalis, seu sensus.

De pęna sensus.

49 Vbi in primis patet,malè illos Theologos vidisse Scotum, qui dicunt, eum negare pęnam sensus in damnatis,de qua re infrà agemus,disputando,quomodo ignis agat in animam. Negat quidem dolorem propriè dictum, at non negat pęnam hanc prouenientem ex igne, quæ est pęna corporalis in habentibus corpus: in non habentibus verò corpus est etiam pęna afflictiua eo modo, quo videbimus. In re ergo ponit Scotus hāc pęnam ignis in damnatis,& consequenter in animabus purgatorij.

Opin.falsò tributa Scoto.

50 Quod spectat autem ad significationem terminorum,Soto in 4.dist.50.q.1.ar.4.concl.2.vocat pęnam sensus quamcunque sensibilem læsionem, & quamcunque tristitiam,& afflictionem voluntariam,quæ ex apprehensione rei nocuæ,vel intellectuali, vel sensuali proficiscitur. Vnde hac ratione asserit, in anima separata esse pœnam sensus. Hic tamen modus explicandi pęnam sensus videtur improbabilis, quia sic pęna damni posset dici pœna sensus, quia apprehenditur ab intellectu animæ, vt quid disconueniens ipsi. Pęna ergo sensus est pęna corporalis, seù quæ est apta nata afficere pęna ipsum sensum; sicut sunt pęnæ prouenientes ab extrinsecis obiectis, vt sunt ignis, & si quæ sunt alia instrumenta diuinæ iustitiæ punientia damnatos in Inferno; & quærimus, an hæc sit in damnatis, & consequenter in animabus existentibus in purgatorio,& proinde quærimus,an illę crucientur igne, quod fiet capite sequenti.

Modus dicendi Soto de pęna sēsus,refellitur.

Modus loquendi proprius.

De pœna ignis. Caput Quartum.

51 CErtum est,animas purgatorij igne corporali affligi,& cruciari,atque hunc ignem esse corporeum: quia Paulus apertè 1.Cor.3. loquens de purgatorio, vt suprà diximus,ait,eos saluos fieri,*quasi per ignem.* Nec obest, quod dicat,*quasi per ignem*:nam illa particula nō est diminuens veritatem ignis; sed explicat modum, & viā, per quam illi saluantur,qui est mediante illo instrumento ignis,vt sit sensus,quod ille ignis est quasi causa salutis eorum; nam licèt non sit causa principalis, est tamen causa instrumentalis. Præterea hæc communis sententia Scolastico-

Animę purgatorij affligūtʳ igne corporeo.

laſticorum Theologorum. Inſuper viſiones, & reuelationes, quæ loquuntur de purgatorio, & inferno non diſtinguunt ignem inferni, ab igne purgatorij, niſi pœnes durationem, quia in inferno eſt æternus, in purgatorio eſt temporalis.

Sententia Græcorum de igne purgatorij.

52 Sed quia Græci, etſi admittant purgatorium, tamẽ non videntur in eo admittere pœnam ignis corporei, adducere operepretium eſt auctoritates Patrum Græcorum ad eos conuincendos. Primo loco itaque adduco pulchrã auctoritatem D. Cirilli Alexandrini penitus eos conuincentis. Hic in lib. 10. in Io. cap. 14. ſuper illa verba. *Omnem palmitem in me non ferentem fructũ*, &c. habet hæc verba. *Qui ergo per fidem Chriſto ſolummodo coniunguntur ſola illi confeſſione inhærentes, nec charitatis crimine ſe colligantes, palmites quidem ſunt, ſed non fructuoſi. Nam fides abſque operibus, mortua quædam res eſt. Huiuſmodi autem palmites agricolæ falx ſeueriſſimè amputat, & igni tradit*, &c. & infrà. *Nec multitudo ipſa Sanctorum hanc caſtigationem renuit immò potius optat, dicens. caſtiga nos Domine in iudicio. tamen non in furore. Namque deciſio infructuoſorum palmitum in furore fit, in iudicio autem, ideſt in conſideratione, atque menſura fructuoſi palmites depurgantur. Vnde aiunt in tribulatione parua Domine diſciplina tua nobis. Parua enim purgatoria eſt tribulatio, quę per ſuperiorem diſciplinam beatos homines efficit, quod benè Dauid ille intellexit. Beatus inquit homo, quem tu corripueris Domine, & de lege tua docueris eum, vt mitiges ei à diebus malis. Dies enim certè nefaſti, ac praui deciſis palmitibus illi ſunt, in quibus in ignem mittuntur æternum, quando correptis, & caſtigatis mitem ſe reddit Deus: non enim abſolutè tales damnantur, quoniam non omnino infructuoſi palmites fuerunt*. Pondera illa verba. *Dies nefaſti, ac praui deciſis palmitibus illi ſunt in quibus in ignem mittuntur æternum*, &c. *non enim abſolutè tales damnantur*, &c. Certè hic loquitur de his qui in purgatorio purgantur, atque igne æterno purgari ait, nõ tamen abſolutè damnari, quia non fuerunt penitus inutiles, ſicut damnati.

Ex D. Baſilio.

Secundo loco adduco Magnum Baſilium facilè inter Patres Gręcos celebriorem, qui in Iſaiam cap. 9. ſuper illa vrba. *Et erit populus ab igne aduſtus*. habet hæc verba. *nõ omnimodam internicionem, & exterminium cõminatur, ſed innuit expurgationem, iuxta Apoſtoli ſententiam. Quia ſi cuius opus arſerit, detrimentum patietur. Ipſe autem ſaluus fiet, ſic tamen, vt per ignem*. Eandem ſententiam habet ad cap. 4. Iſaiæ ſuper illa verba. *Quia abluit Dominus ſordes filiorum, & filiarum Syon*. & ad caput 6. ad illa verba. *Et in manu Abdiæ carbonem*, &c.

Ex Greg. Niſſeno.

53 Tertio loco adduco Gregorium Niſſenum. Hic in oratione, quod non ſit dolendum ob eorum obitum, qui in fide diſceſſerunt, ait, *vel in pręſenti vita precibus ſapientiæque ſtudio purgatus, vel poſt obitum per purgatorij ignis fornacem expiatus ad priſtinam vellet redire fælicitatem*. Hi tres teſtes ad conuincendum Græcos ſufficiunt.

54 Eſt autem obſeruandum, quod etſi non ſit determinatum de fide, animas purgatorij purgari igne corpòreo, vt docet Bellarm. lib. 2. de purgatorio cap. 11. & Suarez diſp. illa 44. ſect. 2. & alij eo quia diſputatum fuit in Concilio Florentino de igne iſto purgatorij, & Græci apertè tenuerunt in purgatorio, non eſſe ignem corporeum, ſed purgatorium eſſe locum quendam obſcurum, & laborum plenum, & tamen in definitione, & litteris Sanctæ vnionis non damnatur eorum opinio, ſed definitur tantùm dari purgatorium locum pœnarum, in quo animæ ſatiſfaciunt de peccatis omiſſionis, & commiſſionis: an verò in hoc loco ſit ignis corporeus purgans, & torquens animas, ne vllum quidem verbum; & tamẽ ſi iudicatum fuiſſet à Concilio Græcos in hoc erraſſe, debuiſſet definiri eos errare. Attamen tenendum eſt in purgatorio, eſſe ignem corporeum, atque oppoſitam ſententiam eſſe erroneam, pręſertim quia locus pręcipuus ex quo catholici deducunt purgatorium dari, eſt ille 1. Corint. 3. ibi autem patet per ignem non poſſe intelligi aliud genus pęnarum, niſi ignis corporei, vt viſum eſt ſuprà. At excludendo hanc expoſitionem non poteſt ex illo loco deduci dari purgatorij locum. Accedit, quod Pontifex eodem Concilio Florentino ſeſſ. 25. paulò ante litteras vnionis, cum vellent Græci in litteris vnionis mentionem fieri ſolius articuli de proceſſione Spiritus ſancti, Pontifex inſtaret, vt etiam de alijs fieret determinatio, & pręſertim de purgatorio habet hæc verba. *Cum pręſertim Ferrarię de purgatorio bene fuerit dictum*. Ferrariæ autem ante primam ſeſſionem, etſi Græci aliter interprebantur dictum illud Pauli 1. Corint. 3. & dixerint, ſe exiſtimare purgatorium eſſe non ignem, ſed obſcurum quemdam locum, ac laborum plenum; tamen non omnes Græci hoc ſenſerunt, ſed auditis rationibus Latinorum in varias partes ſecti ſunt: & alij conſenſerunt cum Latinis, & alij non. Vndè eodem loco habentur hæc verba. *Tum Græcorum, alij cum Latinis, alij contrà (vt ſupra dictum eſt) ſentientes partes in duas diuiſi fuere, quorum omnium ſententijs hinc inde litteris traditis conuentum ſoluerunt*. Nec amplius de hac quæſt. diſputauerũt. Et eodem loco in principio quæſtionis de purgatorio Latini proponunt quæſtiones ſub his verbis. *Nos ignem, Patres ampliſſimi, in hoc mũdo credimus eſſe, quo quidem animæ peccatis lenioribus, vel (vt vulgo dicitur) venialibus obnoxiæ condemnãtæ. Eccleſia*, &c. *expiantur*, & infrà. *Qui verò confeſſi ſacratiſſimum Chriſti corpus abſque tamen pęnæ pręuia ſatisfactione ſumunt, continuò que moriũtur, hi dubio procul in ſupradicto igne, quod purgatorium appellari ſolet, purgantur*. Græci verò reſponderunt in hæc verba. *Quæcunque, Patres ampliſſimi, protuliſtis, atque citaſtis, Orientalis Eccleſia profitetur, quamuis inter Græcos, & Latinos parua ſit differentia*. & ſeſſ. 25. & vltima paulò ante litteras vnionis, Papa loquens quatuor Pręſulibus Græcorum miſſis ad eum à Gręcis, & hortans eos, quòd poſtquam in principali quæſt. de ſpiratione Spiritus ſancti cõuenerant, etiam in reliquis conuenirent, ſcilicet de purgatorio igne, de Summi Pontificis poteſtate, de azimo pane &c. Reſponderunt pręd icti pręſules ad quæſt. de purgatorio. *Nos, Pater Sanctiſſimæ*, &c. *proferimus iuſtorum animas perfectam laureolam in cęlo iam conſequutas eſſe, ac impiorum perpetuas pęnas luere, medias verò in purgatorio eſſe: quod quidem ſiue ignis, ſiue obſcuritas, ſiue turbo, ſiue id genus aliud ſit non referre*. Ex his ergo conſpicitur, quod Græci conſtanter non negant in purgatorio eſſe ignem corporeum, licèt habeant aliquam dubitationem; quæ tamen eſt ſine ratione. Nec omnes diſſentiunt à Latinis, ſed aliqui. Vnde tanquam conuicti eſſent, dixit Pontifex de purgatorio bene eſſe dictum Ferrariæ; vbi non obſcurum eſt intelligere bene eſſe dictum à Latinis etiam iudicio Græcorum.

Auctoritates Latinorum Patrũ.

55 Inter Latinos verò certiſſimum eſt, ignem illum eſſe corporeum: nam ſupponunt ignem inferni, & purgatorij eſſe eundem, vt expreſsè tradit D. Aug. lib. 21. de ciuitate Dei cap. 26. & D. Gregor. 4. Dial. cap. 29. At ignis inferni ex eorundem Sanctorum ſententia eſt ignis corporeus: nam D. Auguſt. eodem lib. 21. de ciuitate Dei cap. 10. habet hæc verba. *Si autem quiſquam nulla habere corpora Dęmones aſſeuerat, non eſt de hac re, aut laborandum operoſa inquiſitione, aut contentioſa diſputatione certandum. Cur enim non dicamus, quamuis miris, tamen veris modis etiam ſpiritus incorporeos poſſe pęna corporalis ignis affligi*. & infrà. *Adherebunt ergo ſi eis nulla ſunt corpora ſpiritus Dæmonum, immo ſpiritus Dæmones, licèt incorporei corporeis ignibus cruciandi, non vt ignes ipſi quibus adhærebunt eorum iunctura inſpirentur, & animalia fiant, quæ conſtẽt ſpiritu, & corpore, ſed vt dixi miris, & ineffabilibus modis adhærẽdo accipientes ex ignibus pœnam, non dantes ignibus vitam*. Et D. Gregorius loco citato ait. *Ex igne viſibili ardor & dolor inuiſibilis traditur*. & infrà, *colligere ex dictis Euangelicis poſſumus, quia incendium anima non ſolùm videndo, ſed etiam experiendo patiatur*.

D. Auguſt.

D. Greg.

Lactãtius. D. Hieron. Ruffinus. Cyprian.

56 Lactantius lib. 7. Inſt. cap. 21. D. Hier. ad cap. 66. Iſaiæ. Ruffinus in Pſalm. 37. D. Ciprianus epiſtola 52. ad

Anto-

Antonianum, & omnes ferè alij, in purgatorio ponunt ignem corporeum, quo animæ ibi existentes affliguntur, & sic purgantur, quos omnes adducere superuacaneũ est.

Quomodo ignis agat in spiritũ.

57 Nunc videndum est, quomodo hic ignis cũ sit corporeus possit agere in spiritum, & cruciare animas exutas corpore, & spiritus Dęmonum, cum vulgata sit propositio corpus nequaquã agere posse in spiritum. Hic sunt varij modi dicendi antiquorum, & recentiorum qui licèt loquantur de igne inferni, tamen hic habent locum, cum etiam ignis iste sit corporeus, & cruciet spiritus, & animas damnatorum. Scotus in 4.d.45.q.2. refert primò opinionem D. Thomæ in eodem 4. dist. eadem 45. q. 1. Aegidij quolib. 11.q.9. & aliorum, qui dixerunt, ignem illum cruciare animas, & spiritus in quantum apprehendunt eum sub ratione disconuenientis: quæ sententia probatur per auctoritatem D. Greg. Dial. 4. vbi asserit. *Eo patitur quo videt, & quia cremari se respicit cruciatur.* Confirmatur ex doctrina Auicenæ 9. Met. cap. 7. ad finem vbi exemplificat de somnio. Nam aliquis aliquando magis cruciatur in somnio ex apprehensione fantastica alicuius rei disconuenientis, quàm affligeretur in vigilia ex præsentia reali eiusdem disconuenientis.

Opinio D. Tho. Aegidij, & aliorum.

Refellitur. 1. Ratio Scoti.

58 Hæc opinio refellitur à Scoto, & ab omnibus. Scotus aũt facit hanc rationem. Aut anima, seu spiritus apprehendit vera apprehensione ignem, vt sibi disconuenientem, aut falsa. Si vera, oporteret assignare modum illius disconueniẽtiæ, qui nullus adesse posse videtur, quia ignis ille, vt est obiectum intellectus, & voluntatis, nullam habet rationem discõuenientiæ; quoniam vt obiectum non est contrarium corruptiuum animæ, nec spiritus, sed conueniens: ideò verè non potest apprehendi vt disconueniens. Si falsa apprenhensione, sequitur primò, quod non ab igne, sed à sua existimatione crucietur, quod est inconueniens: quia sicut nullus est falsa opinione beatus, ita nullus est falsa opinione miser. Præterea quæro, à quo sit illa falsa existimatio; non à Deo, quia tunc Deus esset causa immediata deceptionis, quod est absurdum; non ab ipsa anima, & spiritu, quia secundùm Dionis. de diuinis nominibus naturalia sunt splendida in Dęmonibus, & hoc est certum in animabus purgatorij; ergo possunt naturaliter apprehendere, quod ignis non est disconueniens eis.

Opin. Henrici.

59 Secũda opinio tribuitur Hẽrico quolib. 8. q. 38. vel 34. qui asserit, quòd datur spiritui quidam habitus supernaturalis propter demeritum peccati, & per illum habitum subijcitur corporali agenti, vt possit ab eo pati. Hanc opinionem reijcit Scotus quia, vel ille habitus est corporalis, vel spiritualis: non corporalis, quia corporalis non minus repugnat animæ separatæ, & spiritui, quàm albedo & nigredo; sicut ergo Deus non potest facere Angelum album, sicut nec quod lapis sit sapiens, quia implicat repugnantiam; ita non potest facere quod Angelo inhæreat habitus corporalis: non spiritualis, quia non minus erit improportionatus ille habitus actioni ignis, quàm ipsa anima, & spiritus, cum ambo sint spirituales, & ignis sit corporeus. Adducit Scotus alia duo argumenta, quæ sunt facilia, vide in textu.

Reijcitur.

Opin. tertia tributa Soto.

60 Tertia sententia potest esse ea, quam refert Suarez eadem disp. 46. sec. 1. num. 7. & tribuit eam Soto in 4. dist. 50. art. 2. quæ asserit, quod ignis agit in animam separatam eo modo quo ageret in eam si esset carni vnita; & quod virtute diuina ignis causat in anima tristitiam, & dolorem illum, quem causaret si anima esset iuncta per informationem corpori. Sicut enim sensus tactus sentiret dolorem, seu doloriferam qualitatem illa prouenientem ex distemperamento corporis facto ab igne; ita anima separata ab igne corporeo sentit sibi infligi illam doloriferam qualitatem, & dolorem, quæ afficiebat sensum tactus; & sic cruciatur realiter ab igne virtute diuina. Hæc opinio duobus modis explicatur. Vno modo, vt anima realiter, & verè prædicto modo crucietur ab igne. Alio modo, quod crucietur quidem realiter, sed non quia realiter illa immutatio, & distemperamentum fit in anima separata à corpore: quia cum illa distemperantia nata sit fieri in corpore, & sensu, & anima separata non habeat corpus, non potest realiter in illa fieri, sed cruciatur realiter, quia virtute diuina fit, vt in anima separata absque sensu tactus sit in intellectu eadem apprehensio illius qualitatis, & eadem fuga in voluntate, quæ esse solet in anima coniuncta, & ita sentit eandem afflictionem, quàm in corpore sentit, cum corpus vritur.

Primũ fundamẽtũ opin. allatę.

61 Pro hac opinione esse potest, quod anima rationalis, etsi sit secundùm essentiam spiritualis, tamen includitur in hoc corpore, & dolor corporis redundat in animam; ergo etiam tunc virtute diuina poterit ignis alligari spiritibus, ita vt dolorem ex ipso igne percipiant: & secundùm hanc sententiam scripturæ facilè explicantur, vt illa. *Vt intingat linguam meam, quia crucior in hac flãma,* & similes.

Secundum fundamentum.

Ratione etiam confirmatur, quia potest Deus infundere talem apprehensionem animæ separatæ, quæ non sit minus efficax, quasi reuera corpus cremaretur; cum ergo sit hic modus possibilis, & sit consentaneus Sacris scripturis, videatur esse admittendus.

Refellitur.

62 Hæc sententia in secundo sensu refellitur à Suarez, vbi suprà, & rationabiliter: videtur enim coincidere cum prima opinione superius adducta, & reiecta à Scoto. Et Suarez vtitur ratione Scoti, quamuis Scotum non nominet. Nam huiusmodi apprehensio talis immutationis, vel est vera, vel falsa: vera esse non potest, quia in re non potest esse tale distemperamentum, & æqualitas dolorifica in anima separata à corpore; ergo iudicium, seu apprehensio talis dolorificæ qualitatis non est vera; sequitur ergo vt sit falsa: hoc autem est absurdum, quia non decet Deum decipere; neque tunc animæ ab igne tristitia afficerent, sed à propria imaginatione; & denique sicut nemo falsa opinione est beatus, ita nemo falsa opinione est miser, vt suprà cum Scoto arguebamus.

4. Sentẽtia Soto, & Suarez.

63 Sentẽtia verò illa in primo sensu explicata est eiusdem Soto in hoc 4. dist. 19. & eam sequitur Suarez vbi suprà nu. 11. quam confirmat præsertim ea ratione, quia ignis est in potentia obedientiali ad Deum, & ideò; vt instrumentum eius potest eleuari ad agendum in animam. At hæc sententia non videtur posse habere veritatẽ, quia repugnat ita spiritui accidens corporale illud calefactionis, & distemperationis sensibilis, sicut albedo, & color; & sicut lapidi esse sapiens. Deus autem non potest facere illud, quod implicat repugnantiam, nisi corrumpat naturas rerum; non enim potest facere, quod lapis sit sapiens, & maneat lapis, quamuis possit mutare lapidem in hominem sapientem; neque potest Deus facere, quod Angelus existens Angelus, & spiritus possit esse albus, vel coloratus; quamuis possit mutare Angelum in corpus. Ex hoc impugnatur fundamentum Suarez, nimirum, quod ignis, vt instrumentum Dei per potentiam obedientialem possit eleuari ad agendum in spiritum; quoniam potentia obedientialis non est ad agere, sed ad pati, idest res non dicuntur esse in potentia obedientiali ad Deum, vt manentes tales res efficiant quicquid vult Deus: quia hoc implicat repugnantiam. Lapis enim existens lapis nõ habet vim intelligendi: ideo Deus non potest eleuare lapidem ad actum intelligẽdi, quia hic actus illi repugnat; sed res dicuntur esse in potentia obedientiali passiua, scilicet: quia Deus de illis potest facere quicquid vult; nec vlla est res, quæ eius voluntati, & potentiæ resistere possit; sed omnia ei obediunt.

Refellitur.

Fundamentum Suarez impugnatur.

Responsio Suarez.

64 At responsio Suarez ibidem num. 13. falsum esse in reb. non esse illam potentiam obedientialem actiuam ad efficiendum id, quod vult Deus: inquit enim illam potentiam esse natiuam, & conaturalem rebus, licèt non exeat in actum, nisi quando ab agente supernaturali per concursum eleuatur: nam idem euenit in naturalibus instrumentis, quia ipsa quoque non producunt effectum suum, nisi cum à principali agente eleuantur ad effectum producendum per cõcursum eiusdem principalis agentis: & tamen

virtus

virtus illa concurrendi cum principali agente ad illum effectum, eſt illis natiua, & connaturalis.

Refellitur.

65 Hæc reſponſio ſupponit agens principale eleuare inſtrumentum ad producēdum effectum ſuper vires ſuas. Hanc autem opinionem Suarez, & Thomiſtarum quorundam fusè reieci in ſecundo Sent. in diſput. An creatura poſſit creare inſtrumentaliter, vbi totam hanc doctrinam Suarez confutaui: inſtrumentum enim concurrit per ſuam propriam formam, quam habet actu. Alioquin non magis faber lignarius vti poſſet ſerra ad ſecādum lignum, quam malco, & Deus poſſet ita vti frigore ad calefaciendum aliquem, ſicut igne. Quod autem ait Suarez hanc virtutem ad efficiendum aliquid ſuper vires ſuas eſſe natiuā, & connaturalem rebus, ſed non exire in actum, niſi cum concurrit cauſa principalis eſt deſtruere naturas rerum, & omnia confundere. Sic enim poſſemus dicere in lapidē eſſe potentiam natiuam, & connaturalem ad intelligendum, ſed non exire in actu, niſi quando Deus actuali concurſu cum ea concurreret ad actum, quo actu intelligeret, & ſic de alijs, quæ ſunt omnino abſurda. Quid autem ſit illa vis, quam agens principale prębet inſtrumento in actuali operatione, dixi vbi ſuprà.

Aliud dictū Suarez

66 Adiungit Suarez eadem ſect. effectum productum per actionem hanc ignis in animabus damnatis, & Dæmonibus eſſe qualitatem quandam non corporalem, ſed ſpiritualem, quæ eſt obiectum doloris, & triſtitiæ earundem animarum, & ſpirituum; ſed quomodo deinde illa qualitas cruciet ſpiritus malignos, & animas, inquit eſſe inexplicabile; atque eſſe verum illud Auguſtini, quod licèt miris, tamen veris modis ab illa qualitate ignis Dæmones, & animæ torquentur.

Reijcitur.
1. Ratio.

67 Hoc vltimum, quod adiungit Suarez multò magis reddit ſuam opinionem improbabilem: nam in primis. Si virtute ſupernaturali ignis producit qualitatem ſpiritualem affligentem, & cruciantem animas, & ſpiritus Dæmonum; non ergo actione corporea cruciantur, ſed ſpirituali. At hoc non ſaluat ignem corporeum, vt corporeum agere in ſpiritum, quòd nos ſaluare debemus ſuſtinendo propoſitiones Sacræ ſcripturæ, & Sanctorum eſſe veras in propria, & litterali ſignificatione.

2. Ratio.

Prętereа vri, & cremari eſt actio corporalis, & prouenit ex nimia calefactione ignis; ſi ergo animæ cremātur, & vruntur igne purgatorij, & inferni, neceſſe eſt, quod actio illa, qua formaliter cruciantur, ſit nimia calefactio, quæ eſt actio corporea.

3. Ratio.

Prętereа hæc opinio non ſaluat, quare potius Deus vtatur inſtrumenti ignis in cruciando illas animas, quàm aqua, vel alia re creata: quia ita omnibus alijs rebus creatis poſſet vti, vt inſtrumento ad producendum aliquam qualitatem ſpiritualem in anima ſeparata, & ſpiritibus, quibus illos modo ineffabili cruciaret.

4. Ratio.

68 Denique, ex hac opinione non habemus vllam deciſionem quæſiti, habemus enim ſolummodo, quod corpus agit in ſpiritum verè, & ipſum realiter cruciat. Sed de modo nihil habemus determinatū, ſed eſſe ineffabilem: at omnes Theologi fatentur ignem agere in animas, & ſpiritus virtute diuina, ſed difficultas eſt in explicando modo: & ideò de hoc eſt tota controuerſia, quam tamen totam inſolutam reliquit Suarez.

Opin. Scoti.

69 Oportet ergo adducere in medium opinionem Scoti, quæ hunc modum explicat. Scotus itaque in 4. d. 44. q. 2. Primò ſupponit duplicem eſſe pœnam creaturæ rationalis humanæ, ſcilicet dolorem, & triſtitiam.

Quid ſit dolor.

Dolor vt latè docuimus cum ipſo in 3. d. 15. & eodem loco in 4. repetit, eſt paſſio conſequens apprehēſionem ſenſitiuam, & in appetitu ſenſitiuo, quia generatur in anima ex offenſione carnis.

Quid ſit triſtitia.

Triſtitia verò eſt paſſio prouenienѕ in intellectum, vel voluntatem ex aliquibus rebus, quæ nobis nolentibus accidunt: quæ definitiones colliguntur ex Diuo Auguſtino lib. 14. de ciuitate Dei cap. 15.

In aīa ſeparata, & ſpiritibus nō ē dolor ſed triſtitia.

Ad propoſitum inquit Scotus in animabus ſeparatis, & ſpiritibus vanum eſt quærere dolorem propriè dictum; cum enim careant carne, & ſenſu in ipſis non poteſt poni appetitus ſenſitiuus, neque paſſiones conſequentes eum: quia iſtæ ſunt paſſiones totius coniuncti, ſcilicet compoſiti, non animæ ſolius. Vnde Ariſtot. 3. de anima tex. 64. dixit, quod nihil aliud eſt dicere animam triſtari, vel gaudere, quàm texere, vel ædificare. In anima ergo ſeparata, & ſpiritibus reperiri non poteſt dolor, ſed tantummodo triſtitia.

Quō ignis afferat triſtitiam aīæ ſeparatæ.

70 Suppoſito ergo hoc vt fundamēto veriſſimo, quod in animabus, & ſpiritibus ſit tantummodo triſtitia, oportet videre, quomodo ignis poſſit efficere hanc triſtitiam in anima, & ſpiritibus ſeparatis. Dictum eſt autem, quod triſtitia cauſatur ex his, quæ nobis nolentibus accidunt; oportet ergo videre, quomodo ignis ſit obiectum nolitum ab anima ſeparata, & ſpiritibus, & tamen poſitum, & conſequenter in illis cauſet triſtitiam: & quia vt dictum eſt contra alias opiniones hæc triſtitia animarum in purgatorio, & Dęmonum eſt realis non imaginaria, oportet videre, quomodo hoc obiectum ignis ſit realiter diſconueniens, & nolitum, vt ſic veræ, & realiter afferrat triſtitiam. Quod ergo ignis ſit hoc modo diſconueniens, & nolitum, & tamen poſitum ſit in eſſe, probat Scotus ex duplici cap. Primò, quia ignis detinet animam ſeparatam, & ſpiritum in ſeipſo diffinitiuè. Secundò, quia immutat intellectum ipſius animæ ſeparatæ, vt obiectum diſconueniens.

Quō ignis cauſet triſtitiam ex detentione.

71 Quò ad primum. Quomodo ignis afferat triſtitiam ex eo quod detinet diffinitiuè animam, & ſpiritum in ſeipſo, declarat, & probat ſic Scotus. In primis eſt certū, quod anima ſeparata, & ſpiritus ex ſe, nullam habet diſconuenientiam, vel conuenientiam cum aliquo corpore: quia ſicut nullū corpus eſt ſaluatiuum ipſius; ita nullum eſt corruptiuum illius. Vnde quod Angelus detineatur in aliquo corpore, vel in alio, nullam poteſt afferre triſtitiam ipſi Angelo. Et ſi Michael ex pręcepto diuino alicui corpori, etiam in æternum diffinitiuè coniungeretur, illud corpus nullam afferret triſtitiam ipſi Angelo. Solùm in corporibus reperitur hæc conuenientia, & diſconuenientia: quia vnum corpus eſt alteri conueniens, & alteri diſconueniēs: ideò ex locatione in hoc, vel illo loco habet diſconuenientiam, & conuenientiam, & conſequentur haberetur triſtitia, & lætitia, ſi eſſent illius capacia. Ex hoc habetur, quod ſimplex detētio, & alligatio animæ ſeparatæ, & Angeli in igne corporeo, nullam poteſt afferre triſtitiam ipſi animæ, vel ſpiritui, & proinde, licèt anima, & Angelus apprehenderet hanc ſimplicem detentionem ſui ipſius in igne, hæc non afferret aliquam triſtitiam ei.

72 Oportet ergo inuenire cauſam, propter quam hæc detentio in igne afferrat triſtitiam animæ ſeparatæ, & ſpiritui. Hæc autem nulla alia eſſe poteſt, niſi quia hæc detentio eſt nolita: dictum eſt enim ſuprà, quod triſtitia efficitur ab ijs rebus, quæ nobis nolentibus accidunt: quomodo autem ſit nolita, explicat Scotus pręſertim in Dæmonibus, & damnatis ſic. (nam de animabus purgatorij aliter eſt dicendum, vt infrà patebit) Angelus malus habet nolle detineri perpetuò ab igne, & ſpecialiter ſub iſta ratione, quod ex ſententia diuina, vel voluntate diuina illic effectiuè detineatur. Et ad iſtud nolle inclinat affectio cōmodi, ſecundùm quam apetit vſum liberum potentiæ, vt ſicut natura ſua eſt indifferens ad quodcunque corpus, ſic poſſet ſe facere pręſentem cuicunque corpori; promouet autem ſuperbia, propter quam apetit vti propria poteſtate; conſumat inuidia, propter quam numquam vellit determinare eſſe alicubi propter ſententiam, vel actionem diuinam. Detentio autem iſta in igne, & apprehenſio certa talis detentionis pręcedit iſtud nolle, ideo ex hac detentione certa, & apprehenſione certa talis detentioni ſequitur triſtitia.

An ignis cauſet triſtitiam effectiuè.

73 Si quæras, inquit Scotus, nunquid illam triſtitiam effectiuè cauſet ignis detinens. Reſpondit, quod ignis effectiuè formaliter, & inſtrumentaliter efficit illam triſtitiam; Deus autem efficit illā effectiuè principaliter, quod declarat ſic. Aliquid poteſt detinere aliud in loco dupliciter, ſcilicet effectiuè, vel formaliter. Illud detinet aliquē in loco effectiuè, quod locat illum in illo loco effectiuè,

vel

vel prohibet illum amoueri ab illo loco, ad alium locum. Et hoc modo locus, seu corpus non detinet aliquem effectiuè, vt e. g. Domus hæc non me detinet in seipsa effectiuè, quoniam effectiuè non locat me in seipsa, sed ego sum qui meipsum loco in ea; potest tamen dici Domum detinere me, inquãtum impedit me, dum in eam sum, ne sim in alio loco. Detinere verò formaliter est esse immediatè præsens, & quodammodo circunstare ipsum corpus; ita quòd ista detentio formalis non pertinet ad genus actionis, sed est tantummodo respectus extrinsecus aduenıens reducibilis ad genus vbi. Nullum corpus potest detinere animam separatam, vel Angelum effectiuè, scilicet locando illum in aliquo corpore, vel impediendo, ne ipse ab eo loco, in quo est, ad alium moueatur: quia Angelus est solutus à legibus corporis, neque in eo est circunscriptiuè, sed definitiuè. Tamen Angelus potest detineri ab aliquo corpore formaliter: quia potest ignis esse præsens immediatè substantiæ Angeli, & quodammodo circundare ipsum. Ad propositum, ignis non potest detinere spiritum, & animam effectiuè in seipso propter rationem prędictam; sed solùm potest eum detinere formaliter: quia potest esse diffinitiuè in ipso igne. Solus ergo Deus est, qui effectiuè detinet animas, & spiritus in igne; quia scilicet locat illas in igne diffinitiuè, & prohibet, ne ab igne ad aliud corpus, vel ad alium locum moueantur. Hinc patet, quomodo tristitia causetur in anima, & spiritibus ex detentione ipsa in igne. Nam spiritus odit detentionem actiuam Dei, & passiuam sui ipsius in igne à Deo; & rursus odit detentionem formalem, ab illo igne. Rursus non solum apprehendit detentionem actiuam Dei, & passiuam sui ipsius, sed etiam detentionem formalem, & per consequens de omnibus his detentionibus tristatur: quia omnes istæ detentiones sunt obiecta tristantia, quia sunt nolita, & tamen sunt posita in esse. Et sic patet intentum, quomodo ignis causet effectiuè formaliter tristitiam, & Deus solùm effectiuè: nam detentio illa formalis spiritus ab igne est obiectum causans tristitiam; ergo ignis efficit tristitiam formaliter in spiritum, quia formaliter ipsum detinet; Deus autem effectiuè causat tristitiam, quia solùm effectiuè detinet spiritum in igne, non autem formaliter. Rursus patet, quomodo Deus, vt agens principale, efficit tristitiam, ignis verò, vt agens instrumentale: nam Deus detinet spiritum in igne effectiuè; ignis autem formaliter detinet spiritum diuina virtute, & sic est instrumentum Dei in hac detentione, & proinde cum per hanc detentionem formalem cruciet spiritum, & animam, sequitur, quod vt instrumẽtum Dei cruciet animam, & causet tristitiam in ipsa anima, & spiritu separato.

Dat exemplum Scotus ad declarandum quomodo hęc detentio afficiat tristitia ipsum Angelum, de hominibus desiderantibus mori, quia eis tristis est vita. Isti enim odiunt animam in corpore suo, manere vsque ad instans mortis naturalis, propter aliquod odibile concomitans vitam mortalem, & tamen simul apprehendunt hoc odiũ poni in esse, scilicet animam manere in corpore, ideò sequitur tristitia de corpore detinente animam, non quod corpus effectiuè detineat animam, sed quia in eo detinetur absolutè. (neque enim curat quod hoc, vel illo modo detineatur) Vt enim sic corpus detinet animam est obiectum nolitum, & potest dici quod corpus efficiat illam tristitiam in odiente vitam per detentionem nõ effectiuam, sed formalem ipsius animæ; sic spiritus detentus ab igne formaliter, & odiens illam detentionem formalem ab igne, ab eodem igne dicitur tristari, & affici tristitia illa, quam ex illa detentione habet.

Quòd detẽtio formalis spiritus ĩ igne sit pęna Dæmonũ probat.

74 Quod autem hæc detentio formalis in igne sit pœna, quæ afficit spiritum, & animam separatam, probat Scotus duplici auctoritate efficacissima. Altera est Diui Gregorij 4. Dial. cap. trigesimo, vbi habet hæc verba. *Si viuentis hominis spiritus incorporeus tenetur in corpore, cur non post mortem incorporeus spiritus corporeo igne non detineatur?* Altera est Diui Augustini, vigesimoprimo, de Ciuitate Dei, cap. decimo, vbi habet hæc verba. *Si spiritus hominum profectò incorporei, & nunc potuerunt includi corporalibus membris, & tunc poterunt corporum suorum vinculis insolubiliter alligari.* Ex his patet equidem secundùm hos Sanctos Dæmones, & spiritus passuros esse pœnam ignis ex detentione ipsorum in igne corporeo; detentio ergo ipsa in igne formaliter nolita est obiectum causans tristitiam in animabus separatis, & spiritibus.

Qũo detentio in igne sit nolita ab animab. purgatorij, differẽter à damnatis.

75 Notandum est autem, quod etsi detentio ignis formalis afferrat tristitiam, etiam animabus existentibus in purgatorio, quia est nolita, tamen est nolita alio modo, quàm à damnatis. Nam damnati odio habent illam pręsertim, quia est à Deo effectiuè; Animæ verò purgatorij non habent illum odio sub hac ratione: quia hic est actus inordinatus, qui non potest cadere in animabus illis existentibus in gratia. Videtur ergo posse dici, quod sit nolita, tum quia est contra inclinationem proprij commodi, secundùm quam appetunt liberum vsum potentiæ suæ; tum quia sciunt, & hoc multò magis vrget, hic detineri à Deo in pœnam suorum peccatorum. Est ergo illa detentio nolita, non quia effectiuè sit à Deo, quoniam hoc eis placet, sed quia à Deo est volita effectiuè in pœnam suorum peccatorum, quod eis valde displicet.

Qũo ignis afferrat tristitiã, vt obiectũ disconueniẽs.

76 Altera causa, propter quam ignis est disconueniens ipsi potentiæ, scilicet quia immutat obiectiuè intellectum Angeli, & animæ separatæ, explicatur, & probatur à Scoto ex dictis in pręcedenti puncto. Nam in hoc est aliqua similitudo cum pręcedenti, & aliqua dissimilitudo. Est similitudo, quia in primo instanti, intellectus Angeli determinatur perpetuò ad intensè considerandum ignem in ratione obiecti, sicuti in priori puncto determinatur ad detineri formaliter ab igne. In secundo instanti apprehendit illam determinationem ad talem considerationem, sicut ibi apprehendebat determinationem ad illam tentionem in igne. Tertiò odit hanc determinationem sicut ibi, & sicut prius istud odium oritur ex affectione commodi, ex qua vult, quodcunque obiectum, prout sibi delectabile fuerit, considerare, nunc hoc, nunc illud; promouetur ex superbia, ex qua vult vti intellectione sua secundùm imperium voluntatis propriæ; & consumatur ex inuidia, propter quam odit determinari à Deo ad aliquam considerationem vnicam. Quartò sequitur apprehensio non nuda illius contemplationis sicut in secundo loco dictum est; sed apprehensio certa de euentu istius considerationis intensę, & perpetuæ. Et quintò sequitur tristitia.

Discrimen inter dãnatos, & aĩas purgatorij.

77 Hoc totum est verum respectu damnatorum: respectu verò animarum existentium in purgatorio est nolita illa apprehensio, sicut dicebamus esse nolitam detentionem, scilicet quia est contra inclinationem commodi talis potentiæ, & quia etiam est facta à Deo talis determinatio propter eorum peccata, vnde odiunt illam, nõ quia facta, & posita est à Deo, sed propter causam, propter quam posita est à Deo.

78 Quò ad aliquid verò est dissimilitudo in hoc puncto à præcedenti, quantum ad primum, scilicet quantum ad determinationem perpetuæ, & intensæ considerationis ignis in ratione obiecti. Nam ignis non detinet effectiuè Angelum in igne, vt suprà diximus, sed Deus solus: at respectu considerationis ignis, vt obiecti, ignis ipse effectiuè concurrit, non tamen propria virtute, nec vt agens principale, sed vt agens minus principale, & instrumentale; Deus verò concurrit, vt agens principale. Quod non sit ab igne principaliter, & propria virtute, probatur: quia posita tota virtute actiua ignis, Angelus sibi dimissus posset ignem, vel aliud corpus indifferenter considerare pro imperio suæ voluntatis. Oportet ergo dicere, quod detentio in consideratione perpetua, & intensa, ignis sit effectiuè à Deo principaliter; effectiuè verò ab igne: quia omne obiectum naturale naturalitèr mouet potentiam sibi proportionatam. Dat exemplum

Scotus

Scotus de intellectu agente, & phantasmate mouente intellectum possibilem: nam sicut intellectus agens simul cum phantasmate mouet intellectum possibilem, ita Deus cum igne illo mouet intellectum Angeli ad contemplandum ignem; esset verò exemplum omnino simile: si intellectus agens, & possibilis essent ambo formaliter liberi, & nihilominus intellectus agens determinaret intellectum possibilem ad contemplandum aliquod phantasma contra voluntatem ipsius intellectus possibilis. In tertio est etiam differentia, quia multò magis odit Angelus perpetuam detentionem intelligentię suę in intensa consideratione ignis, quàm detentionem formalem sui localiter diffinitiuè ab igne: quia perfectio ipsius multò magis consistit in libero vsu intelligentiæ suæ circa quodcunque obiectum, & hæc libertas multò magis desideratur, quàm liber vsus potestatis motiuæ suæ. Per illam detentionem in consideratione intensa ignis impeditur à perfecta contemplatione aliorum obiectorum: vnde etsi Dæmones, & damnati alia obiecta cognoscant, illa tamen imperfectè valdè cognoscunt, quia potentia creata non potest simul, & semel duo, vel plura obiecta perfectè considerare. Vnde quò perfectius, & intensius vnum speculatur, minus perfectè alia percipit, iuxta illud, *Pluribus intentus deficit ad singula sensus*. Ex hoc sequitur differētia in quinto, quod maior est tristitia, quam efficit ignis, vt obiectum disconueniens intellectui Angelici, quàm vt detinet formaliter localiter spiritum in seipso. Nam vbi est maior nolitio, ibi est maior tristitia, est autem maior nolitio in secundo, quàm in primo; ergo. Est alia aliqualis differentia quod secundo modo potest dici ignem magis effectiuè affligere spiritum, quàm priori modo; quoniam in priori affligit effectiuè tantùm sub vna ratione, scilicet quia illa detentio in igne affligit, vt obiectum nolitum. Hic vero ignis causat primam apprehensionem ignis, quæ est nolita, & ideò per se causat tristitiam. Deinde idem ignis apprehensus, vt obiectum detinens perpetuò intellectum in intensa consideratione sui, quæ similiter est nolita, & sic causat effectiuè tristitiam, quæ est maxima, sicut maxima est inclinatio ad nolle ignem hoc modo.

1. Obiectio contra opinioné Scoti. 79 Hæc est germana opinio Scoti. Verùm contra ipsam sunt variæ obiectiones. Primò, arguit ipse contra se ipsum. Primò. Quia tunc sequeretur, qd pœnæ omnium damnatorum essent æquales. Consequens est falsum, & contra Diuum Augustinum 21. de Ciuitate Dei, cap. 16. *Nequaquam negandum est ipsum æternum ignem alijs leniorem, alijs futurum esse grauiorem*. Consequentia est euidens, quia omnes æqualiter continentur in igne.

2. Ratio. Secundò. Quia si ignis non nisi intelligibiliter imprimit, & agit in intellectum, illa actio afferret delectationem non tristitiam: nam illa actio est conueniens potentiæ intellectiuæ.

3. Ratio. 80 Tertiò. Sequitur, quod cremari, & tristari sit in potestate Angeli, & damnati. Consequens est falsum; ergo. Consequentia probatur, quia si non nolit, vel non odiat se sic detineri, vel ab obiecto sic immutari non tristabitur: at est in potestate eorum illud nolle; ergo poterunt non habere illud nolle, nec illud odium, & sic poterunt non tristari. Assumptum patet, quia eorum voluntas est libera esse naturaliter; naturalia autem manserunt in illis integra, licèt vulnerata secundùm Dionisium.

4. Ratio. 81 Quartò. Est aliud argumentum Scoti, quod exagerant Soto, & Suarez vbi suprà. Si pœna ignis non est alia, nisi detentio in igne, & contemplatio ignis, sequitur quod æquè Dæmones possent affligi à lapide, vel à cęlo empireo, si detinerentur definitiuè ab illis, & immutarentur ab illis obiectiuè. Nulla enim est maior ratio de igne, quàm de illis, quia secundùm hanc opinionem Scoti, ignis non agit secundùm quod ignis, & vt vrens, & calefaciens, sed vt detinet, & obiectiuè immutat.

5. Ratio. 82 Quintò. Ex auctoritatibus Sanctorum habetur, quod ardor cruciabit eos; ergo non simplex detentio, vel immutatio obiectiua. Antecedens patet ex auctoritate Diui Augustini vigesimoprimo, de Ciuitate Dei, cap. decimosexto. *Nequaquam negandum est ipsum æternum ignem alijs leniorem, alijs futurum esse grauiorem, siuè ipsius ardor pro pœna cuiuscunque varietur, siuè æqualiter ipse ardeat; sed non æquali molestia sentiatur*, & Diuus Gregorius quarto Dialogo, inquit, *ex igne visibili ardor, ac dolor inuisibilis tradetur*, & infrà. *Colligere ex dictis Euangelicis possumus, quia incendium anima non solùm videndo, sed etiam experiendo patiatur.*

6. Ratio. 83 Sexto. Arguit Suarez, necessitas quidem intuendi illum ignem esset grauis pœna, si nihil aliud cogitare possent; tamen hoc dici non potest de Dæmonibus; nec de animabus damnatorum: quia experimur eos de alijs rebus agere, & tractare, & consequenter alia obiecta intelligere, & cognoscere; ergo hæc pœna non potest esse illis admodum grauis, & proinde non est dicendum solùm hoc modo, ignem cruciare animas purgatorij. Adsunt deinde argumenta principalia Scoti.

Ad primū. 84 Ad primum respondit ipsemet Scotus, negando consequentiã. Ad probationem, respondetur, quod etsi detentio formalis sit æqualis in omnibus, tamen nolitio illius detentionis non est æqualis, ideo non sequitur, quod tristitia sit æqualis.

Ad secūdū. 85 Ad secundum respondit, quod prima intellectio, seù impressio ignis ab intellectu esset delectabilis, nisi esset nolitio; sed quia habet nolitionem illius, & apprehendit euentum illius certò, propter hoc tristatur, & licèt prima intellectio sit prior naturaliter nolitione, & apprehensione obiecti illius noliti, & positi: quia tamen sunt simul eodē tempore, & id quod est pòsterius natura, scilicet tristitia causata ex illa nolitione, & positione obiecti noliti, est vehementior, quàm delectatio, quam haberet ex prima apprehensione illius obiecti, ideo excludit delectationem illam, quæ consequi posset ex illa apprehensione.

Ad tertiū. 86 Ad tertium negatur consequentia. Ad probationē respondit, quod non est in potestate damnatorum illud nolle, vel velle: quia non est in potestate eorum actus, nec modus actus; & hoc propter causam priorem semper concurrentem ad talem actum nolitionis, qua sic vniformiter concurrente, & agente, causa inferior, quæ est eorum voluntas non potest differenter ab illa agere. Vnde sicut beati in patria non possunt non frui, ita damnati propter eandem causam non possunt non pati.

Ad quartū, & quintū. 87 Ad quartum, & quintum, quæ sunt difficiliora argumenta, quæ fieri possent contra hanc opinionem Scoti, & aliorum Theologorum conuenientium cum eius opinione, Scotus non affert responsionem, & certè hic modus est difficilis: tamen ex dictis hic à Scoto, & Diuo Bonauentura in 4. d. 44. p. 2. a. 3. q. 2. possumus respondere.

Opin. Scoti cōfirmatur. Primò. Omnino prę̨ter rationem esse dicere, quod ignis causet dolorem in anima separata, & spiritibus, & modo quo inducit in corpus, scilicet causando distemperamentum, &c. vt dicebat Soto, & Suarez: quia vt diximus suprà in principio explicationis opinionis Scoti, aliud est dolor, & aliud tristitia; in spiritibus separatis non potest poni dolor, quia in illis non est caro, nec sensus; est ergo solùm tristitia: hæc enim est pęna, quæ eos affligit. Aliud etiam est certum in animabus, & spiritibus esse gaudium, & tristitiam causari ab obiecto intellectus, & voluntatis. Solis enim his duabus potentijs præditi sunt. Vnde gaudium beatificum oritur ex visione obiecti beatifici, qui est Deus volitus, & dilectus à voluntate, & apprehensus ab intellectu; ergo tota tristitia quoque necessariò oritur in illis ex obiecto nolito, & intellecto. Si ergo ignis affert tristitiam animabus separatis, nulla alia ratione potest eam afferre, nisi inquantum est obiectum eorum intellectus, & voluntatis, sed nolitum, & tamen apprehensum, vt optimè declarauit Scotus: & certè hæc est doctrina Theologica, firma, & communiter concessa, à qua non debemus recedere in explicatione pœne causatæ ab

igne in anima separata, & spiritibus; & debemus dicere, quod ideò ignis cruciat Dęmones, & animas: quia eos detinet formaliter localiter in se, & in contemplatione sui ipsius; & hæc vtraque detentio est nolita ab ipsis, & tamen vt ineuitabilis ab ipsis apprehensa.

Ad argũ.

88 Tunc ad rationem, quare magis in igne est hæc pęna illis inflicta, quàm in alio corpore, & quomodo ignis per hanc rationem dicitur cremare illos spiritus. Respondit S. Bonauentura, vbi suprà, ignis, & calor eius naturaliter immutat intellectum illorum; nam Dęmones cognoscunt ignem efficere caliditatem, & hæc actio est naturalis: supernaturaliter autem ex Diuinæ iustitiæ ordine habetur, quod spiritus, & Dęmones, etsi cognoscant eam caliditatem non posse eis nocere, tamen trepident timore, vbi non est timor, scilicet, vt ex illa afflictione, quam solet afferre ignis, quam optimè norunt, afficiantur, quasi ipsi tali afflictione cruciari debeant. Non est autem contra ordinem naturæ, vt spiritus huiusmodi timore trepident, vbi trepidandum non est, & quod concipiant horrorem illum combustionis in seipsis, licèt reuera non comburantur sensibiliter, sed solùm obiectiuè: quia videmus, vt dicebat D. Augustinus 21. de Ciuit. Dei, cap. 16. quod sicut anima, etsi sit spiritus, cum tamen iungitur corpori, afficitur passione ab illa coniunctione; ergo à pari non est inconueniens, quod spiritus alligatus igni per detentionem realem, localem, & obiectiuam in contemplatione illius percipiat horrorem, & tristitiam ipsius combustionis ignis in seipso: licèt ergo spiritus detineatur præcisè ab igne localiter, & obiectiuè, non est mirum, quod possit efficere illam tristitiam, & horrorem in ipsis, & sic verè, & realiter sentiat combustionem non sensitiuam, & materialem, sed intentionalem, veram tamen, & realem. Patet enim, quod etiam in dolore corporali immutatio intentionalis est, quæ causat dolorem, non materialis, & quando materialis causat dolorem, non causat sine intentionali, vt docet eleganter Scotus, eadem d. 44. quæst. 3. Et sic patet, quare in igne, non in Cœlo, vel alio corpore, vt obiectio torqueat spiritus Deus, scilicet, quia secundùm naturalem actionem est effectiuus combustionis, qui est effectus dolorosus valdè, & proinde in appręhensione illius, vt noliti, & tamen positi in esse cruciat illos. Patet etiam quomodo veræ sint authoritates Sanctorum asserentium, Angelos igne cruciari, & vri verè: vruntur enim non materialiter, sed obiectiuè, & per apprehensionem intentionalem.

Hic est pũctus in quo sistẽdũ est.

Ad sextũ.

89 Ad sextum respondetur, quòd etsi Dæmones, & damnati possint alia contemplari, & cognoscere, non tamen possunt ita perfectè cognoscere sicuti facerent, si non detinerentur in intensissima contemplatione ignis: nam cum eorum virtus sit finita, dum intensissimè contemplãtur ignem, vix possunt alia obiecta, vel exiguo modo contemplari: quo enim intensior est intellectio circa vnum, eò minus est intensa circa alia.

Ad rationẽ primã pro Soto, & Suarez sustinẽtes 4. opinionẽ.

90 Ad rationem pro opinione Soto, & Suarez, respondetur, quòd sustinendo ignem corporaliter agere in spiritum, & producere veram caliditatem, seu actionem aliquam aliam, præter quam per modum obiecti noliti, vt dictum est, opinio illa falsa est, vt ibi probauimus: neque est possibilis Deo, quia implicat repugnantiam, neque valet similitudo de anima rationali in hac vita, quæ est spiritualis, & tamen sentit dolorem ex corpore, quoniam anima rationalis iuncta corpori est forma informans corporis, & cum illo facit compositum, cuius sunt propriæ illæ actiones, & passiones, vt diximus in principio explicationis opinionis Scoti: dum ostendimus dolorem non posse esse in anima separata accipiẽdo dolorem propriè: at anima separata à corpore, vt à parte sua materiali, & vnita illi extrinsecè, & per assistentiam, non potest esse susceptiua talium passionum, quia illæ sunt totius compositi perfecti. Sustinendo verò, quòd ignis agat obiectiuè in intellectum, & voluntatem, & intentionaliter, vt diximus, concedimus, quòd virtute diuina potest imprimi ab illo obiecto terror, & horror qualitatis ignis comburentis optimè cognitæ ab Angelo, qua trepidet, & crucietur, ac si corporaliter, & materialiter combureretur. Ad quod forsan potest reduci id, quod vltimò addidit Suarez. s. quod ignis producit in spiritus illos qualitatem quandam spiritualem, quæ miris modis cruciet eos. Hæc enim qualitas spiritualis est species intelligibilis obiecti ignis cum illo horrore, & trepidatione ex diuina iustitia concomitante. Hoc enim modo non est inconueniens dicere, quòd spiritus possit cruciari à corpore, licèt sit incorporeus sicut anima rationalis incorporea est, & tamen à corpore afficitur, dum illud informat, licèt hæc afflictio fiat, quia etiam diuerso modo se habet anima, dum informat corpus, & dum detinetur ab illo localiter, & detinetur in cognitione sui ipsius. Per hoc patet ad secundam rationem, & ad auctoritates adductas: non est enim inconueniens, quod spiritus patiatur à corpore virtute diuina, attamen est inconueniens, vt illo modo patiatur, quia ille modus solùm est possibilis in anima coniuncta, vt forma informans. Hic verò modus assignatus à nobis est possibilis in spiritu separato à corpore ex se, illi tamen coniuncto per detentionem localem, & obiectiuam contemplationem, vt est expositum.

Ad secũdã fundm̃.

Quam sit acerba pœna purgatorij, & an sit voluntaria, ac illa anima mereatur. Caput Quintum.

91 QVi ponunt in animabus purgatorij pœnam damni, hac ratione dicunt esse maximam, & longè excedere pœnam omnem sensus. Verùm quia, vt suprà ostendimus reuera carentia visionis beatificæ non est ab illis nolita, sed volita; quia se conformat voluntati diuinę, quæ illam vult in satisfactionem suarum culparum, & tota tristitia pœnæ damni oritur ex nolitione, sequitur, quòd ex hac parte non sit admodum grauis illa pœna: potest tantummodo aliquo modo affligere ipsas, quia ipsæ sunt in causa, quod Deus nolit pro illo tempore dare illis beatitudinem: quia tamen sciunt hanc carentiam non esse æternam, & habent spem veram, & securitatem consequendi vitam æternam non multum grauantur, & maximè propter alias rationes suprà adductas.

De pœna damni.

92 De pœna verò sensus omnes conueniunt illam excedere omnem pęnam huius vitæ, quæcunque illa sit. Sic sentiunt Theologi in 4. Scotus d. 21. quæst. 2. in principio, & d. 20. & D. Thomas, Richardus, D. Bonauentura, Paludanus, & alij. D. Bonauentura tamen d. 20. p. p. art. 1. q. 2. hanc assertionem limitat, vt intelligatur esse maior, secundùm regulam Philosophi. *Si optimum in vno genere est melius optimo in alio genere, & hoc simpliciter illo melius.* Idest, est maior secundùm genus non in indiuiduo, ita quòd comparando maximam pœnam purgatorij cum maxima pœna huius vitæ: & comparando minimam pęnam purgatorij cum minima pęna huius vitæ, semper est maior pęna purgatorij: comparando autem maximam pęnam huius vitæ cum minima pęna purgatorij, inquit D. Bonauentura, dicendum est, pęnam huius vitæ esse maiorem illa purgatorij.

93 Prima pars, quòd pęna purgatorij secũdũ genus sit maior pęna huius vitæ, ex auctoritatib. Sanctorum potius pẽdet, quàm ex rõne, vt hẽt D. Bonau. ibidem, quia qualitas istarum pęnarũ purgatorij est supra naturã: ideò ex rationib. naturalib. non est possibile illuc peruenire: auctoritatibus ergo probatur à Mag. Sent. prædicta dist. 20. Istæ sufficiãt pp hæreticos. D. August. (omissis alijs locis) lib. de cura pro mortuis agenda, cap. 18. habet hęc verba, loquens de igne Purgatorij. *Etsi æternus non sit, miro tamẽ modo grauis est, exceditq. omnes pœnas, quas aliquis in hac vita passus est.* & in Psalm. 37. *Domine ne in furore tuo arguas me*, ait damnatos argui in furore Dei, iustos verò corrigi in purgatorio in ira Dei, quia purgãtur igne, qui grauior est omni pęna huius vitæ. Habet enim hæc verba, quæ planè conuincunt hæreticos, negantes ignem Purgatorij. *Hæc*

Maior ẽ pęna purgatorij quacũq. pęna huius vitæ.

D. August.

ista

ista grauiora formidans excepta vita ista in cuius malis plangit, & gemit, rogat, & dicit, Domine ne in indignatione tua arguas me, non sim inter illos quibus dicturus es. Ite in ignem æternum qui paratus est Diabolo, & Angelis eius; neque in ira tua emendes me, vt in hac vita purges me, & talem me reddas, cui iam emendatorio igne non opus sit propter illos, qui salui erunt sic tamen quasi per ignem, quare nisi, quia hic ædificant suprà fundamentum ligna, fenum, stipulam. Si ædificarent autem aurum, argentum, lapides pretiosos, & de vtroque igne securi essent non solùm de illo æterno qui in æternum cruciaturus est impios, sed etiam de illo, qui emendabit eos, qui per ignem salui erunt. Dicitur enim ipse autem saluus erit sic tamen quasi per ignem, & quia dicitur saluus erit contemnitur ille ignis. Ità plane quamuis salui per ignem, grauior tamen erit ille ignis, quam quiquid homo pati potest in hac vita. Hic habes sententiam Diui Augustini, & Diui Pauli in illa epistola 1. ad Corinth. cap. 3. Diuus Hilarius in Psal. 118. *Concupiuit anima mea desiderare iustificationes tuas*, &c. inquit. *Ille nobis est indefessus ignis addendus in quo subeunda sunt grauia illa expianda à peccatis animæ supplicia, quæ nos purgationem vocamus.* Idem habet Diuus Gregorius in Psalmo trigesimoseptimo, qui est tertio, de pęnitentia. Beda ibidem, & tertio, de Histor. Anglicana cap. decimonono, & lib. 9. cap. 13. & D. Ber. Serm. de obitu Humberti.

D. Hilar.

D. Gregor. Beda. Bernardus.

Cur pœna purgatorij sit grauior pœnis huius vitæ.

94 Rationabiliter, aut Deus ordinauit, quod pœna purgatorij sit grauior pœnis huius vitæ, quia homo in hac vita tempore sibi concesso, non est vsus ad benigniorem compensationem faciendam. Vnde meritò Deus acrioribus supplicijs, contemptores cruciat. Scotus tamen adducit, hanc rationem præter auctoritates Magistri, & Sanctorum: quia illa pœna est inuoluntaria, & quò magis est inuoluntaria, tantò minus est satisfactoria: ideò debet esse maior, quàm pœna huius vitæ, quæ potest esse aliquo modo voluntaria, vt suprà d. 14. q. 1. visum est.

95 Secunda pars, scilicet limitatio prædictæ sententiæ, quod intelligatur comparatione facta secundùm generis, non secundùm indiuiduum, probatur à Diuo Bonauentura auctoritate Diui Gregorij, qui ait, quibusdam reuelatum fuisse quasdam animas in vmbra punitas fuisse, & certè si sunt veræ reuelationes suprà relatæ, quod animæ aliquæ purgantur sine vlla pœna ignis, sequitur, quod aliquæ purgentur leuissima pœna. Confirmatur ratione: quia non videtur rationabile, quod si anima purgatorij habeat solum vnum peccatum veniale, debeat pro illo subire summos cruciatus huius vitæ, tamen meretur aliquam pœnam purgatorij; ergo non omnis illa est grauior pœna omnibus pęnis huius vitæ.

An aīæ purgatorij cruciētur à Dęmonibus.

96 Est alia dubitatio, an animæ existentes in purgatorio affligantur à Dæmonibus tanquam à Ministris diuinæ iustitiæ. Respondetur communiter. Theologos in quarto distinctione 20. & 21. & 19. tenere animas illas non affligi nec à Dæmonibus, nec ab Angelis, sed à solo igne, & alijs instrumentis diuinæ iustitiæ, si illic sunt, vt frigus, & huiusmodi. Ad hanc autem assertionē probandam, Theologi non adducunt nisi quasdam congruitates: nam, vt ait Diuus Bonauentura dist. 20. p. p. art. 1. q. 4. in hac materia, nihil temerè asserendum est, sed ea quæ probabilia magis videntur.

97 Vnde ad propositum non videtur probabile, quod Dæmones torqueant animas purgatorij, quia Dæmones ab illis animabus vsque ad vltimum conflictum victi fuerunt: ideo non videtur congruere diuinæ iustitiæ, vt animæ eis iterum tradantur, vt ab eis torqueantur. Neque etiam probabile videtur, quod Dæmones ex se ipsis permissione diuina illas torqueant: quia cognoscunt illas esse confirmatas in gratia, & proinde non sperant posse illas ad peccandum prouocare, & illas lucrari: immò vident vexationem illam potiùs profuturam illis animabus: quia citius ab illis pęnis soluentur, & ad cęlum euolabunt. Neque decet Angelos bonos, quia cognoscunt illas animas iustas esse, & esse conciues suos, ideò non est congruum, vt ipsi eas torqueant. Difficile etiam est explicare, quomodo Angeli boni, vel mali illas animas torquere possint, quia non videntur hoc posse facere per se, sed solùm applicando ignem, & alia instrumenta diuinæ iustitiæ, quibus cruciantur: hoc autem non est necessarium, quia vt dictum est, hoc fit à solo Deo applicante ignem ad illarum afflictionem; non videntur ergo alio modo posse affligere, nisi eas deducendo, & violenter detinendo in illo igne, & eas conuitijs, & aspectu suo horribile afficiendo. Sed licèt Dæmones in articulo mortis etiam animabus iustis adsint, vt legitur de Beato Martino; & similiter Angeli boni, tamen non est necessarium, quòd postea Dæmones eas ad purgatorium deducant, sed adstāt, vt videant si possint eas lucrari. Facta autem separatione animę à corpore, & lata sententia à Deo, si est iusta per se, ad locum destinatum voluntariè ascēdit; vel, vt ait Diuus Bonauentura credendum est deduci per Angelos bonos ad cęlum, vel ad purgatorium, non per Dæmones; & hoc honoris gratia. Si vero est mala, & iniusta per Dæmones deduci ad infernum, nec animæ in illis pœnis ab vllo detinentur, nisi à diuina iustitia, vt dictum est. Aspectus autem illi horribiles, & aliæ actiones pęnales non videntur competere animabus illis iustis; & sic videtur non esse necessarium ministerium Dæmonum ad illas cruciandas: & certè hæc omnia sunt probabilia. Attamen quia notitia status illarum animarum pendet ex reuelatione, & ex multis reuelationibus Sanctorum, habetur Dæmones illas animas cruciari, neque hoc est impossibile. Vndè Theologi non dicunt, hoc esse impossibile, sed non esse congruum; puto dicendum esse etiam per ministerium Dæmonum quandoque illas cruciari. Quod autem ex multis reuelationibus habeamus, Dæmones illas animas cruciare, patet apud multos Sanctos: nam in vita Diui Bernardi lib. 1. cap. 10. refertur, Religiosum quendam post mortem apparuisse Diuo Bernardo, qui quatuor dilacerandus se traditum esse, quærebatur à quibus affligebatur, qui postea precibus eiusdem Sancti liberatus est. Beda lib. 3. de Historia Anglicana cap. 19. Cartusianus lib. de Iudicio particulari multas huiusmodi visiones adducunt. Synesius qui vixit circa annum Domini 420. epistola 44. inquit. *Quod sunt in rebus publicis carnifices, nempè legum munus, eundem vsum naturæ Mundi pœnæ prębent. Dæmones sunt Purgatorij artem exercentes in animabus eam, quam fullones in sordidis vestimentis.* Alia multa adduci possent, quæ omitto, concludendo, quod cum hęc res obscura sit, nihil temerè est determinandum.

98 Quantum ad durationem pœnarum purgatorij aliqua sunt certa, aliqua incerta. Certum est, pęnam illam non esse æternam, sed temporalem. In hoc enim præsertim differt pęna purgatorij à pęna inferni, & hoc innuit D. Paulus 1. Corinth. 3. dum dixit. *Saluus erit sic tamen per ignem.* Ostēdit enim eos, qui leuioribus peccatis purgabūtur igne, tandē saluos, idest liberos ab illis pœnis euadere.

De duratione pęnarū purgatorij.

Secundò certum est pęnam hanc purgatorij, non esse duraturam vltra diem iudicij, quod colligitur ex Euang. Matth. 25. vbi dicitur, quod omnes adulti, qui potuerunt operari bonum, vel malum, iudicabuntur secundum opera eorum, & boni ad cęlestem beatitudinem, & mali ad infernum deputabuntur finaliter. Necesse est ergo, quod animæ iustorum tunc perfectè purgatæ sint & consequenter post diem iudicij nulla erit pęna purgatorij. Et confirmatur auctoritate D. August. lib. 21. de Ciuit. Dei cap. 16. vbi habet hæc verba. *Purgatorias pœnas nullus futuras opinetur, nisi ante illud vltimum tremendumque iudiciū.*

Tertiò, certum est durationem pœnarum purgatorij, non esse æqualem in omnibus animabus, quæ ibi purgantur; est cōis sententia Theologorum locis suprà citatis, & ratio est clara, quia non omnes decedunt ex hac vita cum æquali obligatione, & reatu ad pęnā pro peccatis remissis soluendam: ideò nō erunt æquali tempore puniendę: etsi quæ reuelationes inueniantur, quæ dicant oppositum,

vt illa Bedæ lib. 5. Hist. cap. decimotertio, quod omnes animæ purgandæ manere debent in purgatorio vsque ad diem Iudicij, sunt exponendæ, quod loquuntur in genere, quod pœna purgatorij debet durare vsque ad diem Iudicij, non autem, quod pœna cuiuscunque debeat durare vsque ad diem Iudicij.

Quid incertum sit.

99 Incerta verò sunt quanto tempore vnaquæque anima mãsura sit in illis pœnis. Soto in 4. d. 19. q. 3. art. 2. in fine putat nullam animam vltra viginti annos, immò vltra decem morari in purgatorio, quod ex quibusdam cõiecturis deducit: nam non est verisimile, quod Deus multo tempore velit carere societate suorum amicorum, ideò in ijs, qui magis peccauerunt diuturnitatem intensione pęnarum compensare credibile est; cum enim animæ illæ sint à corpore solutæ non sunt corruptibiles, ideò non est periculum eas corrumpendi per intensionem pęnarum. Pręterea accedunt suffragia Ecclesiæ, opera bona, quæ fecit, meritum Christi, quæ omnia eius satisfactionem adiuuant, ideò breuiter ab illis pœnis expediri est probabile. Suarez disput. 46. sect. vltima asserit multos hanc opinionem Soti grauiter reprehendere; & certè sententia illa est sine fundamento: nam coniecturæ illæ nõ magis probant de decem annis, quàm de quinque, vel viginti. Adsunt etiam reuelationes, quod animæ iustorum diutius morantur in illis pęnis, quàm decem annorum spatio; licèt huiusmodi reuelationes sint cautè considerandæ. Adest etiam vsus Ecclesiæ in contrarium, quæ pro eisdem animabus ad plures annos, quàm decem prosequitur suffragia, & orationes; licèt hæc consuetudo Ecclesiæ non fundetur magis in hoc, quàm in pietate fidelium, qui huiusmodi suffragia fieri pręceperunt, non solùm propter suam vtilitatem, sed etiam aliorum. Vnus etiam indulgentiarum ei aduersatur, quæ conceduntur plurium annorum, quàm decem, & viginti; ergo Ecclesia supponit animas plusquam decem, & viginti annis, illis pœnis posse detineri: ideò velle hoc tempus definire, cum ex reuelatione, cui tota hæc materia innititur, nihil certè habeatur, est parùm solidè Theologi.

An pœna purgatorij paulatĩ minuatur.

100 Vltimò solet dubitari, an pęna illa purgatorij paulatim per remissionem minuatur, vel semper eadem intensione duret donec tota simul finiatur. Pro vtraque parte sunt rationes: quod paulatim remittatur, suadetur ex aliquibus visionibus, in quibus aliquæ animæ per suffragia piorum ostendebant paulatim dolorem eorum mitigari: & similes habentur apud Bedam in Hist. & apud Cartusianum in Dialogo de Iudicio particul. cap. 31. Pro altera parte est, quia in principio cum damnatæ sunt animæ ad pœnam, damnatæ sunt ad certam pœnam, & tanto tempore; ergo videtur, quod toto eo tempore in eadem intensione ducere debeant; sicut qui damnatur ad triremes per quinquennium, ita flagellatur, & laborat vltimo die sicut primo. Atque hic modus dicendi, mihi probabilior videtur secundùm legem communem, & quod suffragia, & orationes pro ipsis eis iuuent non ad intensionem minuendam, sed ad diminutionem temporis. Ad visiones illas dicendum est, vt suprà diximus, illas intelligendas esse in sensu aliquo metaphorico, & esse interpretandas. Licèt etiam de lege speciali, Deus possit illis animabus minuere dolorem, & pœnam secundùm intensionem: nam, vt dixi, cum res hæc à reuelatione pendeat, & nihil de hoc ex reuelatione certi habeatur illi parti, quæ magis placet poterit quis adhærere, dummodo ad obiecta in contrarium satisfaciat, & principijs fidei certis non aduersetur.

Animas expleta pœna purgatorij, mox in cęlum euolare, & beatas fieri.

101 Certum adhuc est, animas in purgatorio finita solutione pœnæ debitæ recta ad cœlum euolare, & frui beatitudine, neque ampliùs in illo loco purgatorij, etiam extra pœnas morari. Hæc est communis sententia Theologorum, & est definita, vt de fide in Concilio Florentino sessione vltima, in Decreto Eugenij Papæ, sub his verbis. *Illorumque animas qui post baptismum susceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam, quæ post contractam peccati maculam, vel in suis corporibus, vel eisdem exutæ corporibus (prout superius dictum est) sunt purgata, in cęlum mox recipi, & intueri clarè ipsum Deum vinum, & vnum, sicuti est.* Et ratio est, quia cum plenè satisfecerint debitæ pœnæ, & soluerint, quod tenebantur iustitiæ diuinæ, non conuenit, vt debito pręmio frustentur. Et sic infantes, qui post baptismum ante ætatem adultam moriuntur ex D. Augustino lib. 21. de Ciuitate Dei, cap. 16. animæ Martyrum, ex priuilegio Martyrij, vt aliàs diximus, & denique omnes illi perfecti homines, qui ex hac vita discesserunt absque aliquo reatu, & obligatione soluendi pœnas, aliquas pro peccatis recta in cęlum ascendunt absque eo quod tendant in purgatorium. Etsi aliqui Sancti leguntur asserere animas iustorum etiã purissimorum ad purgatorium descendere, vt saltem eorum puritas probetur, intelligendæ sunt non de reali descensu ad purgatorium, & transitu per ignem ipsius, sed de examine, seu de iudicio Dei, per quod ab illo igne purgandas non esse iudicantur.

Quæ aĩę in celũ tẽdant sine pœnis purgatorij.

102 Certum est etiam, animas existentes in purgatorio non posse peccare, nec mereri, sed in instanti mortis, & separationis à corpore confirmari in gratia, & in bono, ita, vt amplius non possint peccare. Ratio tota est diuersitas status, quæ prouenit ex lege ordinaria Dei, qui ordinauit, quod homines, sicut & Angeli solùm pro statu viæ mereri, & peccare possint; qui status viæ in homine durat, vsque ad instans mortis. Quæ est communis sententia Theologorum, & Scoti in 2. distinct. 7. quæst. vnica §. *de secundo*, littera L. & sumitur expresè ex Sacra scriptura: nam Ecclesiast. 11. homo comparatur arbori, quæ quandiù viuit, crescere potest, abscissa verò, crescere cessat. *Si ceciderit*, inquit, *lignum ad Austrum, vel ad Aquilonem, in quo loco ceciderit, ibi erit.* Quem locum exponens Diuus Hieronimus, ait, nomine Austri intelligi iustorum causam, Aquilonis verò iniquorum: & *ideo neutri*, inquit, possunt amplius proficere, neque in malum, neque *in bonum, sed in pristinis sedibus*, ait, *manebunt*. Habetur hoc idem expressius in Euangelio Ioan. 9. dum Christus dixit. *Me oportet operari opera eius qui misit me donec dies est, venit nox quando nemo potest operari.* Hunc locum exponens Diuus Augustinus tractato quadragesimoquarto, in Ioan. ait. *Operetur ergo homo dum viuit ne illa nocte, scilicet mortis præueniatur, vbi nemo possit operari.* Eodem modo eum locum exponit Chrisostomus homilia quadragesimaquinta, hoc idem apertè testatur Apostolus, secundo ad Corinth. quinto, dum ait. *Oportet nos manifestari ante Tribunal Christi, vt reportet vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum.* ergo extra corpus anima non meretur, nec demeretur, & expressius Apostolus ad Galatas sexto, *Dum tempus habemus operemur bonum.* & Lucæ decimooctauo. *Facite vobis amicos de mamona iniquitatis, vt cum defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula.* In hac ergo vita mortali vsque ad mortem est tempus merendi, & demerendi. Post mortem nemo potest mereri, nec demereri. Ex hac ergo lege diuina animæ existentes in purgatorio, non possunt mereri, neque demerei, & proinde licèt illas pœnas voluntariè sustineant, non quidem simpliciter, sed quia patienter tollerant, & se conformant diuinæ, voluntati, quod genus voluntarij in hac vita est causa meriti; tamen propter diuersitatem prædictã status in illis non est voluntarium.

Animę purgatorij non possunt peccare, nec mereri.

103 Ex dictis patet, an animæ purgatorij dicendæ sint esse extra viam, & in termino, an in via. Respondetur enim breuiter non posse dici esse penitus in termino, & extra viam, quia nondum sunt in gloria, sed ad illam tendunt; tamen quia sunt extra statum merendi, & demerendi, qui communiter dicitur status viæ, & sunt extra corpus, potest dici, quod sunt extra statum viæ, absolutè loquendo.

An aĩæ purgatorij sint extra viã.

104 Solet etiam quæri, an animæ illæ saltem possint pro nobis orare, & aliquid de congruo nobis mereri, vel

An possint p nobis orare.

aliquid

aliquid impetrare, vt alij malunt loqui. Diuus Thomas 2. 2. quæst. 83. art. 11. ad 3. ait, eos esse magis in statu, vt oretur pro illis, quam vt ipse orent pro alijs. Sunt enim debitores, & in carcere propter debita propria, ait etiam, cum non videant Deum non posse cognoscere, quæ hic fiunt, ideo non esse orandos à nobis: quia non possunt cognoscere orationes nostras. Nam, vt ait D. Augustinus lib. de cura pro mortuis agenda cap. 13. mortui ignorant, quæ nos hic agimus. Alij impugnant hanc sententiam D. Thomæ, inquit Suarez disp. 42. sect. 2. num. 9. quia legimus aliquando Deum fecisse miracula propter Sanctos, adhuc in purgatorio existentes; & adducit pro probatione id quod de Paschasio refert Diuus Gregorius 4. Dial. cap. 40. Ego autem non inuenio Paschasium Diaconum existenem in purgatorio pro aliquo orasse, & Deum illum exaudiuisse; sed benè refert Diuus Gregorius eo loco, quod Paschasius ipse rogauit Episcopum, vt pro se ipso oraret, vt liberaretur ab illa pœna, quam ibi patiebatur, & obtinuit. Ideò hoc non facit ad rem. Quod si dicant, illa anima Paschasij non potuit obtinere miraculum illud, vt se post mortem manifestaret Episcopo, nisi per orationem à se factam Deo. Respondeo aliud est orare pro seipsis, aliud pro alijs, & exaudiri. Pro seipsa potuit illa anima orare, & forsan exaudiri; sed verius est quod Deus se complacuit, vt hoc modo liberaretur propter eleemosinas, & bona opera, quæ in vita fecerat, vt ibi dicit D. Gregorius in fine cap.

Mortui ignorãt quę nos hic agimus.

105 Possumus tamen dicere, non esse inconueniens animas illas orare aliquando pro nobis; non tamen hoc passim facere posse, nec ratione illius status sibi licere, & competere. Nam licèt anima separata à corpore possit naturaliter cognoscere res sibi prius ignotas, & acquirere cognitionem à rebus abstractiuam, & intuitiuam, vt docet Scotus in hoc 4. distin. 45. quæst. 2. tamen animæ existentes in Purgatorio, propter distantiam improportionatam, hoc ex seipsis non possunt: ideò hac ratione non possunt scire indigentiàs nostras, nec preces nostras intelligere: possunt tamen intelligere nostras indigentias, & preces ex relatione animarum, quæ ex viuis ad illas accedunt, vt docet D. Augustinus eodem loco, & ex Sanctis Angelis, qui sinè dubio res nostras cognoscunt; vt ibidem probat Diuus Augustinus, quæ tamen reuelatio fit secundum quod Deus permittit. Sicut ergo tunc nostras indigentias, & preces possunt cognoscere, sic etiam possunt pro nobis orare. Sicut etiam Onias, & Hieremias 2. Machab. vltimo orabant pro Sancta ciuitate, & tamen erant in limbo; non obest ergo quod ipse sint in carcere, & debitores, quia hoc non obstante sunt in gratia, & gratæ Deo, ideò possunt pro nobis orare.

Aiæ separatæ quõ res huius vitæ cognoscit.

Aiæ separatę cognoscunt naturaliter res sibi prius ignotas.

DE SVFFRAGIIS.

DISPVTATIO XXXVII.

An fideles per suffragia possint se inuicem iuuare, & vnum pro alio pœnam debitam persoluere.
Caput Trimum.

1 Vidimus, quomodo pœna temporalis debita pro culpis dimissis, possit, & debeat solui ab ijs, qui peccata ipsa perpetrarunt tam in hac vita, quàm in futura. Superest, vt videamus, an hæc pœna etiam solui possit per actionem, vel passionem alterius communicatam, & applicatam illi, qui est debitor talis pœnæ: ideò est agendum de suffragijs, quibus Christi fideles mutuò se iuuant. Suffragium enim, vt colligitur ex Theologis Scholasticis in quarto distinctione 10. 20. & 21. & Scoto in quolib. 20. est auxilium quodam, quod vnus fidelis præbet alteri fideli ad obtinendam à Deo remissionem pœnæ temporalis debitæ peccatis, vel ad obtinendum aliquid aliud huiusmodi.

Quid sit suffragiũ.

Fab. de Suffragijs.

2 Triplex autem est suffragium, quod potest vnus alteri communicare, & per quod potest illi iuuare. Primum est sacrificium Missæ. Secundum Indulgentiæ. Tertium sunt operationes propriæ pęnales, & satisfactoriæ, vt orationes, ieiunia, &c. Personæ fideles, etiam, quibus hæc suffragia applicantur sunt duplicis generis tantùm, scilicet viatores, & viuentes in hac Ecclesia militanti; & mortui existentes in purgatorio. Nam beati non egent nostris auxilijs, & suffragijs: quia nullum debitum habent, & sunt in termino. Damnati etiam sunt in termino, & incapaces alicuius gratiæ, & relaxationis, vt diximus disput. pręced. cap. vltimo, quia confirmati sunt in malo. De suffragio Sacrificij Missæ agemus in disput. de Sacrificio Missæ, & eius valore, ideo hic nihil remanet agendum. De Indulgentijs autem infrà agemus, postquam tractauerimus de suffragijs ex opere operantis; siue de suffragio bonorum operum, quæ fideles alijs communicant, & priori loco videndum est in communi, an fideles inuicem se per suffragia iuuare possint.

Triplex est suffragiũ.

Personæ quibus suffragia prosũt.

3 In primis autem, certum est inter fideles esse communionem bonorum operum, quibus mutuò se iuuant. Id enim habetur apertè in Symbolo Apostolorum, dum dicimus. Credo sanctorum communionem: nam sensus illius est inter sanctos, idest inter eos fideles, qui sunt viua Christi membra per gratiam gratum facientem esse communicationem aliquam in bonis operibus, quatenus vnusquisque suis bonis actionibus alios iuuare potest. Hæc assertio patet ex illo Iacobi 5. *Orate pro inuicem, vt saluemini.* & ad Rom. 15. *Obsecro ergo vos fratres per Dominum Iesum Christum, & charitatem Spiritus sancti, vt adiuuetis me in orationibus vestris pro me ad Deum*; ergo secundùm Paulum, & D. Iacobum fideles se adiuuare possunt mutuò orationibus, quas certum est esse bona opera, & Ephes. 4. comparat Apostolus Ecclesiam corpori humano, in quo certum est vnumquodque membrum non sibi soli, sed alijs inseruire; ergo membra Ecclesiæ quoque, qui sunt fideles in gratia Christi existentes non sibi solis, sed inuicem omnibus prodesse, & iuuare debent.

Inter fideles est communio bonorũ operũ contra hæreticos.

4 Hoc inquam est certum. Tamen hæretici in duobus à Catholicis dissentiunt. Primò, quia dicunt hanc communionem esse inter fideles viuos, & in hac vita existentes tantùm; non autem respectu mortuorum. Vnde nolunt nos posse iuuare, & suffragari animabus existentibus in purgatorio, de qua re infrà agemus. Neque volunt Sanctos regnantes in cœlis, quos passim impiè mortuos vocant, nobis suffragari posse. Secundum est neminem fidelem posse iuuare alium fidelem ad satisfaciendum pro pęnis temporalibus debitis peccatis; negant enim nos posse facere opera satisfactoria, vt suprà vidimus agendo de satisfactione. Quod si pro nobis ipsis non possumus satisfacere, multò minus pro alijs satisfacere poterimus. Tractabimus prius hanc secundam quæst. deinde priorem. Fundamenta autem hæreticorum, propter quæ asserunt vnum fidelem non posse satisfacere pro alio, sumuntur ab ipsis ex triplici cap. Primò, quod culpa dimissa non remanet aliqua pœna temporalis soluenda. Hoc fundamentum suprà agendo de satisfactione cap. 2. reiecimus. Secundò arguunt ex eo, quod Christus sufficienter pro nobis omnibus satisfecit, ideò inanis est nostra satisfactio. Tertiò, quia nemo potest ita meritis abundare, vt supersit aliquid, quod alijs prębere possit ad satisfaciendum: hæc autem duo fundamenta ex dicendis euertentur.

Hæretici negãt fideles posse satisfacere p viuis, & iuuare mortuos.

Fundamenta hæreticorum.

5 Quod ergo fideles possint se inuicem iuuare ad satisfaciendum pro pœnis temporalibus debitis pro peccatis, tradunt Theologi communiter in 4. D. Bonau. d. 20. p. 2. a. 1. q. 1. D. Thomas q. 1. a. 2. q. 3. Richardus art. 1. q. 5. Alensis 4. p. q. 24. m. 4. a. 4. Durandus q. 2. & alij ex Recentioribus, & Scotus hoc, vt certum, supponit quolib. 20. a. 1. Probatur autem primò per auctoritates superius adductas, quæ hoc probãt de oratione. Si autem se se fideles iuuant orationibus, cur non ad satisfaciendum, & liberandum à pœnis.

Fideles posse se inuicẽ iuuare ad satisfaciẽdũ.

Secundo Auctoritate D. Pauli ad Coloss. 1. *Gaudeo in passionibus pro vobis, & adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi in carne mea pro corpore eius, quod est Ecclesia. cuius factus sum ego minister secundum dispensationem Dei.* Cuius auctoritatis sensus etsi obscurus sit, non tamen est ille, quòd pœnæ Christi non fuerint sufficientes ad remissionem peccatorum hominum, & quòd sanctorum satisfactiones requirantur, & quod ideò Paulus ex sua parte suppleat id, quod desit: hic enim sensus derogat infinito merito Christi: ideò est omninò erroneus; sed vnus sensus est, quòd etsi meritum Christi sit ex se infinitum pro omnibus: tamen ad hoc, vt efficax nobis sit, requiritur nostra cooperatio, & sic Paulus cooperando adimplebat, quæ desunt passionum Christi, i. illam passionem faciebat sibi efficacem. Verior tamen sensus est, quod etsi meritū Christi fuerit infinitum, tamen Christus Dominus voluit sanctorum satisfactiones suæ satisfactioni coniungi; non propter indigentiam, sed ad sanctorum maiorem perfectionem, & charitatis communionem, voluit vt nos quoq. nostris operibus satisfaciamus: & sic opera nostra satisfactoria iungamus operibus Christi, & his impleatur thesaurus Ecclesiæ. Cum enim Ecclesia sit corpus Christi misticum, & fideles sint membra eius, passiones membrorum voluit Christus esse passiones suas; & sic misticè patitur in suis membris vsque ad diem Iuditij. Vnde sensus est, adimpleo eas passiones, quæ desunt passionibus Christi, non ex indigentia, & insufficientia passionum Christi, sed quæ ex decreto, & voluntate Christi desunt, & requiruntur ad implendum thesaurum Ecclesiæ, quæ est corpus Christi, ex quo ipse se complacuit misticè pati in fidelib. suis, tanq̃ in membris sui corporis, quæ est Ecclesia, cuius Christus est caput. Et hunc esse germanum sensum horum verborum probatur ex D. Augustino in Psalm. 61. vbi inquit. *Patitur Christus in membris suis, i. in nobis ipsis ad communem hanc quasi Rempublicam: nam quisque pro modulo nostro exoluimus quod debemus, & pro posse virium nostrarum quasi canonem passionū inserimus paritoria plenaria.* Paritoria enim secūdùm D. Thomam ibidem est vas, vel domus, vbi pariter multa inferuntur.

2. Ratio. 6 Secundò. Possumus adducere ad idem probandum alium locum ex Epistola 2. ad Corinth. capite primo, vbi Diuus Paulus habet hæc verba, *Deus de tantis periculis nos eripuit, & eruit, in quem speramus, quoniam, & adhuc eripiet, adiuuantibus, & vobis in oratione pro nobis, vt ex multarum personis facierum, eius quæ in nobis est donationis, per multos gratiæ agantur pro nobis.* Nam in hoc loco petit Paulus adiuuari à Corint. vt intercedant apud Deum suis orationibus liberationem de tantis periculis: ergo sentiebat D. Paulus fideles mutuò iuuare se posse, & impetrare posse vnum pro alio aliquid apud Deum; ergo sicut possunt intercedere liberationem à periculis, ita possunt intercedere liberationem à pœnis debitis pro peccatis.

Fundamēta hæreticorum diluūtur. 7 Deinde habemus fundamenta vltima duo hæreticorū omninò conuelli. s. quòd rogādo, & recurrendo ad suffragia fidelium adhuc viuentium, vel sanctorum iniuriā faciamus Christi satisfactioni infinitæ, & diffidentiā ostēdere de diuina prouidentia circa nos, quæ sunt continuæ cauillationes, & obiectiones contra nos: nam Paulus ait. Deum hac mutua intercessione glorificari, *Vt per multos gratiæ agantur pro nobis.* Neque etiam abijcimus fiduciā, & spem in Deum adiutorem, immò maximè cōfirmatur hæc spes, & fiducia in illo: nam subiungit Paulus. *Deus de tantis periculis nos eripuit, in quem speramus, quoniam, & adhuc eripiet.* Ruit ergo secundum fundamentum hæreticorum. Ruit quoque tertium, quoniam dum Paulus rogat Corinthios, vt pro ipso orent ad Deum supponit eos habere aliquid, per quod possint exorare, & impetrare aliquid apud Deum; & licèt omnia nostra bona sint debita Deo, tamen cum hoc stare, quòd liberalitate Dei, eisdem nostris bonis debitis possimus alijs fidelibus, & nobis inuicem suffragari, & auxilium ferre apud eundē ipsū Deū.

8 Tertiò. Est locus Epistolæ 2. ad Corint. c. 2. vbi Paulus loquens de illo fornicario excommunicato, quem absoluerat, & liberauerat à pœnitentijs, & satisfactionibus debitis, vt infrà agendo de indulg. patebit, inquit. *Cui autem aliquid donastis & ego, nam & ego quod donaui, si quid donaui propter vos in persona Christi, vt non circumueniamur à Sathana.* Nam licèt hic locus propriè pertineat ad potestatem Præpositorum Ecclesiæ concedendi indulgentias, & relaxandi censuras, & pœnas impositas ab ipsis Prælatis pro disciplina conseruanda: tamen etiam ex eo habetur suffragium fidelium, quo se inuicem iuuant. Rogant enim Paulum, vt illi fornicario remittat pœnam, & condonant quoque ipsi pœnam quam debebat; ergo simili modo non est inconueniens fideles rogare Deum, vt peccatoribus aliquas pœnas condonet per preces, & bona opera fidelium oblata, tāquam precium pœnarum debitarum ipsi Deo. 3. Ratio.

9 Posset quis rñdere has oēs auctoritates concludere, fideles, & Ecclesiā posse per modū intercessionis, & impetrationis iuuare, & suffragari alijs fidelibus: at non per modū rigorosæ satisfactionis, vt intendimus: rñ hæc responsio non potest accommodari auctoritati primæ ex D. Paulo ad Colossenses 1. quia apertè inquit se adimplere, quæ desunt passionum Christi: inquit enim, *In carne mea adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi.* Protestatur ergo se ponere in thesauro Ecclesiæ aliqua merita cum meritis Christi ad satisfaciendum pro fidelibus. Ex alijs autem auctoritatibus elicitur Deum solere alijs propter alios gratificari, vt ait D. Chrysost. hom. 41. in 1. ad Corinth. gratificatio autē propter alium supponit exhibitionem alicuius obsequij, vel satisfactionis pro eo, pro quo impetrat. Præterea testimonia adducta indicant absolutè fideles se inuicem iuuare, & sibi suffragari: non autem descendunt ad aliquem particularem modum communicādi auxilium, & suffragium; ergo debemus illa intelligere de omni modo possibili, & congruo suffragationis, & auxilij, & maximè cum Ecclesia sit vnum corpus, in quo anima membra vnita in charitate omni possibili modo debent se adiuuare: ideò cum modus suffragandi per satisfactionem sit possibilis, vt ostendimus agēdo de satisfactione, omninò est dicendum etiam hunc modum extēdi ad satisfactionem non solùm pro proprijs peccatis, sed etiam aliorum. Obiectio tacita diluitur.

10 Quartò. Ratio efficacissima est articulus Symbol. Apostolorum, *Credo Sanctorum communionem*, adiuncta perpetua praxi, & intellectu Ecclesiæ Catholicæ, quæ semper hunc articulum intellexit, ita vt significet fideles, & sanctos suffragijs sibi inuicem iuuare, & pro se inuicem satisfacere. Vnde antiqua Ecclesiæ consuetudo fuit, vt Præpositi Ecclesiarum publicis pœnitentibus aliquid de pœna, seu satisfactione debita relaxarent propter aliorum iustorū intercessiones, & satisfactiones, vt colligitur ex Tertull. lib. ad martyres, cap. 1. & ex Cypriano epist. 11. nam ibi legitur, quòd ad petitionem martyrum dabant pacem lapsis: quæ pax non erat aliud, quàm eos in ecclesiam introducere, & dimittere pœnas debitas illis, vt colligitur ex illa epistola D. Cypriani, & ex Parnelio in annotationib. 4. Ratio.

11 Quintò. Certùm est, vt vidimus per auctoritates allatas, aliquem fidelem posse suffragari alicui per modum impetrationis, & intercessionis præcisè, non exibendo aliquid pro satisfactione; ergo multò magis potest quis suffragari per modum satisfactionis. Consequentia probatur, quia maius est impetrare remissionem pœnæ alicui absque exhibitione meæ pœnæ voluntariæ pro illo, quàm exhibendo, & actualiter soluendo pœnam meam voluntariam pro pœna illius debita. Nam petendo liberationē liberalem, peto dispensationem iustitiæ sine causa: exhibendo autem satisfactionem propriam seruo modum iustitiæ, & consequenter conspicuum est, quòd maior gratia est admittere ad simplices preces meas sine satisfactione pro illo, quàm cum satisfactione. 5. Ratio.

12 Sextò. Adest auctoritas D. Pauli ad Galatas sexto. *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Xpi.* 6. Ratio.

Quem

Quem locum exponit D. August. de consensu Euangelist. cap. 30. de oneribus participandæ infirmitatis: at certè nō parua participatio infirmitatis est pęnam pro alio portandam, & soluendam suscipere.

Dubitatio, quod nō detur suffragiū p modū satisfactionis.

13 At contra hanc sentētiā obijcitur, quia conceditur, quidem posse fideles seinuicem iuuare, & suffragari: at hoc videtur posse fieri solùm impetrando, & merendo de congruo, vt Deus remittat talem pœnam, siuè immediatè gratis illam relaxando propter orationem alterius, seù dando aliquod auxilium illi, propter quod benè operetur ad huiusmodi remissionem obtinendam; & fundamentum huius dubitationis est, quia debitum pœnæ est debitū personale non reale; ergo non potest per alium solui, sicut debitum reale; sed solùm per eum qui peccauit. Præterea meritum, & opus bonum est personale, nec potest alteri communicari, vt illo gloriam cōsequatur; ergo neque potest ita illum ei communicare, vt pœnam pro eo debitam soluat.

14 Vltimò Sacra scriptura videtur dicere, quod vnusquisque peccator in propria persona debet sustinere hanc pœnam, ad Gal. 6. *Vnusquisque portabit onus suum*, 2. Corinth. 5. *Vnusquisque recipiet prout gessit i corpore suo*. Psalm. 61. *Tu reddes vnicuique secundùm opera sua*. & similia.

Solutio. In ope bono est triplex grad⁹ meriti ex Scoto.

15 Respondetur ex doctrina Theol. superius assignata, & præsertim ex Scoto quol. 20. art. 1. litera B. fideles posse suffragari alijs, nedum per modum impetrationis, & meriti de cōgruo, sed etiam per modum satisfactionis: nam, vt ait Scotus, vbi suprà in opere meritorio, vt est oratio, est triplex gradus meriti. Primus appellat à Scoto gradus specialissimus, & hic est gradus meriti, qui valet ipsi oranti, & operanti opus meritorium. Hic communiter dicitur meritum essentiale. Iste gradus est ita proprius oranti, & operanti, vt nullo modo prosit alijs, neque ab ipso fideli possit alijs applicari, & si applicaret, forsan peccaret secundùm Scotum ibi. Et ratio est, quia vnusquisque magis tenetur diligere seipsum, quàm aliùm ordinata charitate: ideò meritum proprium, quod sibi conuenit, & vtile est ad beatitudinem, non debet alteri conferre. Secundus gradus, & ratio meriti est gradus, & ratio generalis, scilicet quo opus illud valet pro tota Ecclesia: tota enim Ecclesia participat de vtilitate boni operis facti à quolibet fideli propter charitatem, quæ est vinculum, & vnio totius ecclesiæ. Vnde nullus orans, & faciens opus bonum debet excludere aliquem de ecclesia à participatione illius meriti. Tertius gradus meriti in opere bono est gradus quidam medius, quo opus illud bonum prodest, & valet pro eo, cui orans, vel faciens opus bonum, vult illud applicare; quod probat, quia in Ecclesia fiunt speciales orationes: aliæ pro viuis: aliæ pro mortuis: aliæ pro benefactoribus: aliæ pro parentibus, &c. si autem non valerent orationes illæ pro illis essent frustra positæ; non valent autem pro eis primo, nec secundo modo; ergo tertio modo.

Ad obiectionem allatam.

16 Ad obiectionem allatam respondetur, orationes fidelium valere pro alijs fidelibus, non solùm ad impetrandum, & per modum meriti de congruo, sed per modū satisfactionis: valent enim etsi non primo modo, tamen secundo, & tertio, vt explicatum est. Si enim opera bona sunt meritoria pro alijs, necessariò sequitur, quod sint quoque satisfactoria pro illis, quia meritum est pretium, quo vita æterna comparatur, & pœna soluitur; ergo potest esse satisfactorium pro alijs si est meritū pro illis.

Ad primā.

Ad primā rationem respondetur, quod etsi pœna sit debitum personale, negatur tamen non nisi à propria persona posse solui: nam hoc modo Christus Dominus non potuisset satisfacere pro hominibus, quia ipse non peccauit, nec passio illa fuit punitio in Christo, sed meritum, & satisfactio pro alijs. Cum ergo tota ratio satisfactionis pro pœnis peccatorum pendeat ex statuto, & lege Christi Domini, & videamus Ecclesiam ex Sacris scripturis sentire, quod vnus fidelis potest satisfacere pro alio, dicendum est falsum esse vnum non posse satisfacere pro alio.

Ad secūdā.

Ad aliud conceditur opus bonum esse meritū personale quòad gradum specialissimum, & meritum essentiale, quo sibi meretur gloriam: opus enim bonum secundùm hanc rationem est alteri incommunicabile, vt dictum est. Negatur tamen secundùm alios duos gradus esse personale, & non posse cōmunicari: hoc enim est falsum, vt visum est: ideò non est par ratio.

Ad tertiā.

Ad tertiam, respondetur, quod auctoritates illæ intelliguntur, & loquuntur de retributione finali facienda post hanc vitam: & sensus est, quod in illo extremo iudicio nullus punietur pro peccatis alienis, sed pro proprijs tantùm, & rursus subintelligitur hæc conditio nisi satisfecerit prius pro illis per se, vel per alios. Vnde nihil nobis officiunt.

An satisfaciēs p alio amittat fructum satisfactionis p se ipso.

17 Ex doctrina Scoti soluitur aliud dubium, quod tractant Medina tract. 3. de satisfactione quæst. 2. & 3. Corduba lib. de Indulg. quæst. 5. ad octauum, Suarez disp. 47. sect. 2. & 3. & Doctores ab eo citati ibidē. An scilicet quoties vnus pro alio efficaciter satisfacit, priuet seipsum fructu illius satisfactionis, quantum ad remissionem pœnæ. Ad quod respondet Suarez vbi suprà sect. 2. profectò amittere fructum quò ad satisfactionem pro propria pœna, licèt quò ad meritum essentiale pro ipso satisfaciente augeatur, quo supposito, cum eisdem Doctoribus. Deinde sect. 3. quærit, an opus satisfactorium pro alijs, tantùm valeat pro alijs, quantum valeret pro seipso, alijs asserentibus minus valere, alijs magis, & alijs æqualiter. Istę enim dubitationes mihi vanæ videntur. Falsum est enim, quod satisfaciens pro alio amittat satisfactionem pro seipso ratione pęnæ quèm ipsemet debet. Nam dictū est iam ex Scoto, quod in opere meritorio, quod aliquis facit pro alio, est triplex meritum, scilicet personæ operantis, & pro Ecclesia & meritum illius pro quo orat, vel cui illud applicat. Meritum] proprium operantis nunquam alijs communicatur, quia fieret contra rectum ordinem charitatis: ideò siuè illud meritum sit ratione beatitudinis consequendæ, siuè pęnæ debitæ soluendæ, nunquam illud amittitur operanti nec alteri communicatur; sed communicatur solùm gradus meriti tertius, vt dictum est, qui tanti valoris, meriti, & satisfactionis est, quanta est intensio actus, & charitatis, quæ inest operanti.

Ad rationē Suarez.

18 Ratio autem adducta à Suarez, quia operatio illa est finiti valoris: ideo non potest valere, & pro operante; & pro eo, cui applicatur, nullius est momenti, quia nō est idem gradus meriti, & valoris, qui valeat pro orante, & pro eo, pro quo oratur, & satisfit. Sed sunt diuersi gradus meriti in eodem opere, quorum aliquis valet pro orante, aliquis pro eo, pro quo oratur, & satisfit.

19 At aliquis dicet, melius ergo est orare pro alijs, quā pro seipso, quia illa oratio prodest sibi, & alijs absque diminutione, quod si oret pro se ipso, solùm illi prodest non alijs. Respondetur, quod sicut dictum est, omnis oratio est opus bonum, & meritorium, & continet in se illum triplicem gradum meriti, scilicet specialissimum, & essentiale, quo valet pro seipso orante, & operante bonum, quod est inseparabile ab ipso. Secundus gradus actu alijs omnibus communicatur, scilicet ecclesiæ. Tertius quando non communicatur alicui, quia scilicet orans suam orationē, vel opus bonum non applicat alicui actu, reponitur in thesauro ecclesiæ, & à dispensatore illius thesauri applicatur indigentibus secundùm beneplacitum Dei, & illis, qui nō habēt qui pro seipsis rogent, & tamen indigent. Siue ergo fidelis applicet suam orationē, vel opus bonum alicui, siue non, semper idem est meritum, quia sequitur opus, & ab illo est inseparabile: licèt applicatio quandoque actu fiat alicui, quandoque non, sed habitualiter tantùm, vt dictum est. Potest tamē dici, quod opus illud quatenus actu applicatur ab ipso satisfaciente, nonnihil meriti in ipso augeat ratione actus charitatis erga proximū. Nam præter opus ipsum satisfactoriū, & meritorium adest actus applicationis ad proximum, qui est actus extra opus ipsum meritorium, & consequenter habet suam bonitatem, & meritū: & sicut opus illud est magis meritorium, quod habet plu-

res

res circunstantias bona: ita hoc opus, ratione huius circunstantiæ, quæ est applicatio, habet aliquid amplius meriti, sed in se, vt dictum est, semper est idem, & eiusdem valoris.

An suffragia prosint ex iustitia, & infallibiliter viuentibus.

20 Ex dictis à Scoto ibidem soluitur aliud dubium cómuniter à Theologis citatis tractatum. An hęc satisfactio pro alio prosit illi de iustitia, & infallibiliter: & loquendo de viuis alij sustinent esse satisfactionem secundùm iustitiam, & de condigno; & hanc sententiam tenent aliqui Theologi, vt Gabriel Biel d. 16. q. 2. ar. 3. Caietanus tom. 1. opusc. 16. q. 1. & 5. Soto in 4. d. 19. q. 2. ar. 4. in fine, & alij multi citati à Suarez, vbi suprà, & ratio est, quia iam dictum est vnum satisfacere posse pro alio ex lege diuina, & ex symbolo docente communionem Sanctorum esse in Ecclesia: ergo cum satisfaciens habet códitiones requisitas, & facit aliquod opus pęnale satisfactorium pro alio, necessariò sequitur illam esse solutioně debiti ex iustitia, & cődigno, & debere acceptari à Deo. Alij verò tenent illam satisfactionem non esse de condigno, nec ex iustitia, sed ex liberalitate Dei, & proinde non esse infallibilem: & pro hac sententia citantur Med. tract. 3. de satisfactione, q. 2. & 3. & Corduba lib. 5. de indulg. q. 5. ad 8. & alij. Fundamentum eorum est, quia secundùm iustitiam punitiuam reus est punibilis personaliter propter offensam personalem: ideò iustitia punitiua habet pro obiecto proprio rei personam non aliam: ideò secundùm iustitiá vindicatio cadit super reum, non super alium: ideò secundùm iustitiam nő cogitur iudex acceptare satisfactionem personalem vnius pro satisfactione personali alterius.

Solutio Suarez recta.

21 Distinguit Suarez, & rectè, quod satisfactionő aliquam esse de iustitia, & de condigno, contingit duob. modis; vno modo, quia sit secundùm æqualitatem quandam rei, ad rem; alio modo, quia non solum est secűdùm ęqualitatem, sed quia iudex, & persona offensa tenetur accipere talem solutionem, nec potest amplius ab illo debitore talem pœnam exigere. Primo modo certum est satisfactionem debere esse secundùm iustitiam, & condignam, & proinde nemo eodě merito potest satisfacere pro duobus æqualiter debitoribus pœnæ respondentis illi merito, vt latè Scotus eodem quolib. probat: quia meritum nostrű est finitum, & ideò tantæ pęnæ respondet tantum meritű; nec minus satisfacit de condigno, & secundùm iustitiam: nec quò ad hoc video esse controuersiam inter Doctores allatos. Secundo modo verò res est aliqualiter dubia, tamen communior opinio est etiam hoc modo satisfactionem pro alio esse de condigno, & Deum teneri ad acceptandam illam: & hæc est opinio Scoti in quolib. 20. vt dicam cap. sequenti, vbi rationem eius quoque adducá. Probatur autem pro nunc, quia si iam Deus ordinauit cómunionem Sanctorum in Ecclesia, vt visum est, certè sequitur in casu, quo hæc communio per suffragia fiat, Deum teneri ad illam acceptandam: alioquin statutum, & lex illa communicationis meritorum esset frustra: quod non est dicendum. Accedit, ꝙ existente æqualitate satisfactionis, contra piam volůtatem Dei, & suam iustitiam, videtur esse asserere, ꝙ illá posset non acceptare: sequeretur. n. Deum posse esse impium, & infidelem, quod est nephas. Neque hæc assertio infert aliquam iniuriam Deo, vel aliquo modo derogat excellentiæ diuinæ: quia hoc totum non facit Deus coactè, sed quia sic suæ voluntati placuit ordinare, & statuere; quam suam voluntatem sic esse, ex dictis suprà ostendimus. Et per hoc satisfactum est fundamento opinionis cőtrariæ: nam licèt iustitia vindicatiua habeat pro obiecto personam rei; tamen decreuit Deus alium pro ipso satisfacere posse.

Ad fundm̄ opin. contrariæ.

Vtrùm suffragia viuentium prosint defunctis, & quo modo. Caput Secundum.

22 TRia sunt genera defunctorum fidelium. Sancti, qui regnant in beatitudině cum Christo. Damnati in Inferno priuati æterna beatitudine, & existentes in Purgatorio. Certum est Beatis nostra sufficientia minimè prodesse, & proinde pro ipsis non esse rogandum, nec pro eis offerenda esse suffragia. Hæc est communis sententia Theologorum in 4. d. 45. & traditur ab Innocentio III. cap. *Cum Marthæ*, & à Diuo Aug. lib. de cura pro mortuis agenda, cap. 1. & tractatu 84. in Ioan. & alibi sæpè: & ratio est, quia in beatis nulla est pęna de summa gloria: ideò non egent nostris suffragijs, vt à pœnis liberentur, neque egent ijs, vt illis impetremus aliquod bonum, cum sint fęlicissimi, & beatissimi. Damnatis etiam finaliter in inferno certum est suffragia fidelium minimè prodesse: & ideò pro illis non esse offerenda, est communis opinio Theologorum; est enim clara definitio, & sententia Christi, Matth. 25. *Ite in ignem æternum*, &c. cum ergo damnati sint ad pœnam æternam, nulla suffragia eis prodesse possunt; & proinde pro eis frustra offerentur, et fieret contra ordinationem diuinam, vt abundè docet inter alios D. Aug. lib. 21. de Ciuit. Dei, cap. 13. et sequentib. et c. 24. concludit ecclesiam nunquam orare pro eo, quem scit esse damnatum: et de hac re extant multa decreta Patrum 13. q. 2. cap. *Quibus*, cap. *Cum gratia*, cap. *Nő æstimemus*, cap. *Pro obeuntibus*, cum duobus sequentibus.

23 His ergo dimissis. Suffragia fidelium solùm defunctis existentibus in purgatorio prodesse possunt. Veritas hæc inter Catholicos est certa. Cőtra Hęreticos autě probatur ex his auctoritatibus, quas suprà adduximus probádo dari purgatorium. In speciali autem suffragia prodesse illis probatur adhuc. Et primò ex sacra Scriptura, vulgata est illa auctoritas 2. Machab. cap. 12. *Sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur.* Quam auctoritatem suprà expendimus contra hæreticos: fauet etiam illud Ecc. 7. *Gratia datur in conspectu omnis viuentis, & mortuo non prohibens gratiam.* Quorű verborum sensus est; non tantùm viuis, sed etiam defunctis præstandam esse gratiam; sub gratia autem intelligi omne auxilium, & suffragium, est clarum.

Suffragia prosűt existentib. in purgatorio contra hæreticos.

24 Probatur secundò ex vsu ecclesiæ perpetuo: nam in oībus Liturgijs oīum ecclesiarű videmus offerri sacrificiű pro animabus existentibus in purgatorio. Nam Liturgia ecclesiæ Hierosolymitanæ, auctore Iacobo Apost. habetur sic. *Fac Domine vt oblatio nostra* grata, & accepta sit *per spiritum mortificata in propitiationem peccatorum nostrorum, & eorum, quæ populus per ignorantiam admisit, & in requiem animarum eorum, qui ante nos obdormierűt.* Liturgia ecclesiæ Alexandrinæ primò à B. Marco scripta. *Animabus patrum, & fratrum nostrorum, qui antea in Christi fide obdormierunt, dona requiem Domine Dominus noster.* Liturgia ecclesiæ Æthiopicæ primum à Beato Matthæo scripta. *Memento Domine dormientium Principum, Pontificum, Regum nostrorum, & omnium in recta fide quiescentium.* Liturgia ecclesiæ Syriæ auctore Basilio Magno. *Sublata voce Sacerdos orat Deum, vt meminerit Deus omnium, qui transierunt ex Mundo, recreet eos in tabernaculo suo traducat per mansiones horridas, & in tabernaculis luculentis collocet, eruat ex densissimis tenebris tribulatione, & dolore ne intret cum ijs in iuditium, si quid, vt homines carne vestiti peccauerunt ijs remittat.* Liturgia ecclesiæ Constantinopolitanæ auctoribus Andrea Apostolo, & Ioan. Chrysost. *Memento Domine, vt bonus seruorum tuorum, & quæcunque in vita deliquerunt ignosce, nemo enim sine peccato nisi tu Domine, qui potes migrantibus dare requiem.* Liturgia Mozarabum à D. Leandro Hispalensi Episcopo peculianter vsitata, qua & D. Isidorus, & plures alij post eum in Hyspanijs vsi sunt. *Mox fit secundum memento pro defunctis, quo peracto, recipit corpus, & sanguině Domini.* Liturgia ecclesiæ Armeniorum. *Memento Domine miserere, & fac gratiam animabus requiescentibus pacifica illumina eas, & associa eas ad sáctos tuos in Regno Cælorum, & fac eas dignas amore tuo.* Tandem Liturgia ecclesiæ Romanæ primum à D. Petro scripta. *Memento Domine famulorum, famularumque tuarű, qui nos præcesserunt cum signo fidei, & dormiunt in somno pacis:*

Probatur ex varijs liturgijs.

pacis: ipſis Domine, & omnibus in Chriſto quieſcentibus, locum refrigerij lucis, & Pacis indulgeas deprecamur.

Probatur ex Concilijs. 25 Tertio loco probatur ex Conc. nam in ijs, vel approbatur oratio pro defunctis, vt in Cartaginenſi 3. cap. 29. Cartaginenſi 4. cap. 79. Toletano 11. cap. 12. & alijs, quibus pro his, qui in pœnitentia moriuntur, offerendum, & orandum eſſe dicitur, vel prohibent orare publicè, aut offerri pro his, quos in peccato mortuos eſſe conſtat, quæ ſuprà adduximus 13. quæſt. 2. in Concilio Vaſenſi 2. cap. 4. ſtatuitur in miſſis defunctorum dicendum eſſe. *Sanctus Sanctus Sãctus*, ſicut in cęteris Miſſis. In Concilio Bracharenſi 1. cap. 39. fit mentio de collectis, quæ in Miſſis defunctorum fiebant. Alia ſimilia colligi poſſunt ex Cõcilio Gabilonenſi 2. cap. 39. Aurelianenſi 2. cap. 15. ex Conc. Lateranenſi ſub Innocentio III. cap. 66. Tandem ex Concilio Florentino in litteris vnionis cum Græcis, & ex Tridentino ſeſſ. 25. decreto 2. apertiſſimè. Verba enim Conc. Tridentini ſunt hæc. *Animas in purgatorio fidelium ſuffragijs, potiſſimum verò acceptabile altari ſacrificio iuuari.*

Probatur ex Patrib. 26 Tandem ex Patribus multa ſuprà adduximus, quæ non oportet repetere. Hæc tantùm addo. Dionyſius A- Dion. Areopagita. reopagita, qui circa annum 110. floruit poſt Chriſtũ Dominum de Eccleſiaſtica Hierarchia cap. 7. part. 2. habet hæc verba. *Poſtea accedens venerabilis præſul precem ſuper defuncto ſacratiſſimam peragit, & poſt orationem ipſe quoque Pontifex defunctum ſalutat, & poſt illum, qui adſtant omnes. Ubi verò cuncti conſalutauerunt ſuper defuncto, fundit oleum Pontifex, & oratione pro omnibus facta, honeſto in loco ponit corpus cum æqualibus alijs corporibus ſanctis.* Euſeb. Alexandrinus. Euſebius Alexandrinus, qui circa annum 260. vixit, Homil. de Dominica. *Memento in oblatione parentum, & fratrum, qui iam è vita exceſſerunt. Hoc enim faciendo magnam requiem defunctis concilias, comple tuas preces.* Euſebius Ceſarieñſis. Euſebius Ceſarienſis Vitæ Conſtantini lib. 4. cap. 60. *His igitur in oportunum vẽturæ mortis diem hic locum ſibi prouida diſpenſatione deſſignauit incredibili fidei propenſione prouidens cum iam corpus ſuum communem cum Apoſtolis appellationem poſt mortẽ participaret fore, vt defunctus quoque pracationum quæ ibidem eſſent ad Apoſtolorum gloriam offerendæ particeps efficeretur.* D. Athanaſius. D. Athanaſius quæſt. 34. *Quid ergo? num ſentiunt aliqua beneficia etiam peccatorum animæ cum ſuper illis fiunt conuentus, & per actiones bonorum operum, & oblationum? Si non aliqua beneficia participarent ex illo, non vtique in cura, & exequijs fieret commemoratio. At ſicut vitis floreſcit erba in agro, & odorem eius ſentit in vaſe vinum recluſum, ſicque conſloreſcit etiam ipſum, ita intelligimus peccatorum animas participare aliqua beneficia ab exangui imolatione pro ipſis facta, ſicut ſolus ordinat, & præcipit, qui viuorum, & mortuorum poteſtatem gerit Deus noſter.* S. Ephren. Sanctus Ephren circa 370. annum, in teſtamento ſuo. *En ego Ephren morior, &c. vt in orationibus mei memoriam faciatis, ſcientes, & cognoſcentes me, &c. & nunc volens, fratres mei admonere vos, & firmiter ſtabilire, & poſt tranſitum meum, aſſiduè in veſtris orationibus mei memoriam faciatis, accedentes nunc mihi, claudite oculos, &c.* Cyrillus Hieroſolimitanus. Cyrillus Hieroſolimitanus, qui etiam circa annum 370. floruit Cathecheſi, ſcilicet miſtagogica. *Deinde verò poſtquam confectum eſt illud ſpirituale ſacrificium, & ille cultus incruentus ſuper ipſa propitiationis hoſtia obſecramus Deum pro communi Eccleſiarum pace, pro tranquilitate mundi, pro Regibus, pro militibus, & poſtea facimus mentionem eorum, qui ante nos obdormierunt. Primum Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorũ Martirum, vt Deus orationibus eorum ſuſcipiat preces noſtras. Deinde pro defunctis Sanctis Patribus, Epiſcopis, denique pro omnibus oramus, qui inter nos vita functi ſunt maximũ eſſe credentes animarum iuuamen, pro quibus offertur obſecratio, Sancti illius, & tremendi, quod in altari poſitum eſt ſacrificij.* Habemus hic interceſſionem Sanctorum, habemus Miſſam eſſe ſacrificium incruentum, habemus ſuffragium pro mortuis. Epiphan. Epiphanius hæreſi 75. qui floruit circa annum 380. patet quantum inuehatur in Arium hæreticum, qui negabat ſuffragia pro defunctis eſſe offerenda. D. Io. Chriſ. hom. 6. de ſacerdotio cap 4. *Eum verò qui pro tota ciuitate, quid ?ico ciuitate? pro tota terrarum orbe intercedit, exprecatur Deum, vt omnibus peccatis ſit propitius nõ viuentium ſolùm, ſed etiam defunctorum qualem eſſe oportet?* Omitto alios, & latinos Patres, de quibus non eſt dubium. Eſt ergo certiſſimum eccleſiam Catholicam ſemper habuiſſe in vſu orare pro defunctis, & pro illis ſacrificium altaris offerre. D. Io. Chr.

27 Vltimò adeſt ratio. Animæ defunctorum in gratia cuiuſmodi ſunt, quæ ſunt in purgatorio, nobis vnitæ sũt in Charitate, & ſunt membra eiuſdem eccleſiæ, cuius caput eſt Chriſtus. Vnde D. Aug. lib. 20. de Ciuit. Dei cap. 9. inquit. *Neque enim piorum animæ defunctorum ab eccleſia ſeparantur, quæ eſt regnum Chriſti.* Cum ergo membra eiuſdem corporis poſſint ſeinuicem iuuare, cum alterum eſt in aliqua neceſſitate, poteſt ad aliũ recurrere, & ab eo petere ſuffragium, & adiutorium, & illi poteſt ei illud præſtare. Animæ quæ ſunt in purgatorio ſunt in carcere, & pęnis propter debitas ſatisfactiones; ergo poſſunt petere adiutorium ab ijs, qui poſſunt illas adiuuare. Ratione eadem veritas ꝓbatur.

28 Verùm difficultas non leuis eſt, de modo, quo fideles poſſunt ſuis ſuffragijs animabus purgatorij prodeſſe. Quo modo fideles per ſuffragia iuuẽt animas purgatorij. Communiter à Theologis aſſignatur duplex modus iuuãdi, & ſuffragandi, inter fideles, vt patet ex dictis ſuprà, & ex Theologis in 4. diſt. 19. 20. & 21. & ex Scoto in quol. 20 art. 1. ſcilicet per modum ſatisfactionis, & per modum impetrationis. Suffragari per modum ſatisfactionis eſt ſoluere aliquam pœnam pro pęna, quam alter fidelis ſoluere debet. Suffragari per modum impetrationis eſt precibus abſque ſolutione aliqua pro debito impetrare liberationẽ ab illa pœna, vel debito, quo obligabatur. Ad propoſitũ eſt difficultas, quomodo ſuffragia fidelium proſint animabus purgatorij, An per modum ſatisfactionis, & iuſtitiæ, an etiam per modum impetrationis, ideſt an requiratur, quod ſemper fidelis ſoluat pęnam, quam debet anima in purgatorio ad hoc, vt eam liberet, vel aliquando ex ſimplici prece fidelis alicuius Deus liberet animam ex purgatorio abſque ſolutione illius per ſe, vel per alium, ſed eam liberaliter ei remittat.

29 Hic ſunt duæ opiniones. Aliqui aſſerunt ſuffragia fi- Due opin. delium vtroque modo prodeſſe, & per modũ ſatisfactionis, & per modum impetrationis. Alij dicũt, quod proſint ſolum per modũ ſatisfactionis, non per modũ impetrationis; & quidẽ, ꝙ proſint per modũ ſatisfactionis, eſt certũ. Difficultas ergo eſt de modo per impetrationẽ. Partem ergo affirmatiuam tenent, & ſupponere pro vera videntur Opin. prima, ꝙ vtraque modo proſint. Caiet. t. 1. Opuſc. tract. 16. q. 5. Nauarrus in Commentario de Iubileo not. 22. num. 15. & eiuſdem ſententiæ expreſsè eſt Durandus in 4. diſt. 45. q. 1. n. 6. tribuitur etiam Soto in eadem diſtinct. quæſt. 3. art. 2. ſed ibi in fine tenet oppoſitum.

30 Prima ratio eſt, quia Sancti, & Beati in Patria orãt 1. Ratio. pro animabus purgatorij, & tamen non poſſunt illas iuuare ſatisfaciendo pro illis, quia ipſi nullam pęnam pati poſſunt; ergo ſequitur, vt eorum orationes proſint per modũ impetrationis abſque vlla ſatisfactione, & per puram gratiam.

31 Secundò. Eccleſia orat pro animabus defunctorũ, 2. Ratio. vt Deus per ſuam pijſſimam miſericordiam eas liberet ab illis pœnis; ergo videtur intendere, vt Deus gratis remittat illas pœnas.

32 Tertiò. Theologi diſtinguunt genera ſuffragiorum 3. Ratio. in tria, ſcilicet in ſacrificium Miſſæ, in orationem, & tertio in opera pęnalia. At oratio non poteſt diſtingui ab operibus pœnalibus, niſi hac ratione, quod ipſa ſit ſuffragiũ impetratorium abſque ſolutione æquiualentis.

33 Quartò. Quia non videtur eſſe aliqua repugnantia, 4. Ratio. & hoc videtur eſſe conſentaneum auctoritatibus Sacræ ſcripturæ, loquentibus de oratione, & liberalitate diuina. *Quicquid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis.* & ſimilibus.

Alia

2. Opinio. quod prosit solũ p modum satisfactionis.

34 Alia opinio asserit, suffragia prodesse solùm per modum satisfactionis. Hanc apertè tenet Soto in 4.d.45.q.3. ar.2.in fine.& hac ratione tenet Beatos non orare pro animab. existentibus in purgatorio, quia inquit, suffragia existentibus in purgatorio non prosunt nisi per modum satisfactionis: at Sancti non possunt satisfacere, quia non possunt pati, ideò nec possunt orare pro illis.

Opin. Scoti.

Scotus quoque quol.20.ar.1.lit.C.idem supponere videtur, licèt nullam adducat rationem; nam probando ibi, quod oratio facta pro pluribus, non valet ita vnicuique illorum, sicut si fieret pro vno solo, facit hoc argumẽtum, quòd si vera esset illa opinio, sequeretur, quòd qui vellet orare pro omnibus animabus Purgatorij, intendẽs, quòd singulis valeret, æquę valeret cuilibet, sicut si oraret pro vna sola: & tunc secundùm ordinatam charitatem deberet quilibet orare pro quacunque, quia deberet impetrare bonum pluribus, dum tamen posset per eundẽ actum sine diminutione boni alicuius eorum. Ad hoc argumentum adducit hanc responsionem, quod oratio per modũ satisfactionis non tantùm valet pro plurib. quantum pro vno solo; quia pęna debita nõ relaxatur nisi aliquid ęquiualens soluatur. Scotus arguens contra primam assertionem non impugnat hanc responsionem, immò illã concedit, & arguit, quòd saltem per modum impetrationis aliquis posset impetrare primam gratiam quotcunq. peccatoribus sicut vni; ergo videtur supponere, quod oratio, quæ fit pro animabus purgatorij, solùm valeat per modũ satisfactionis, non per modum impetrationis. Eandem sententiam sequitur Suarez disp.48. sect.5. nu.5. licèt dicat priorẽm esse probabilem, piam, & fortasse veram.

1. Fundamentũ huius opin.

35 Fundamenta huius opinionis esse possunt, quia nõ videtur conuenire diuinæ iustitiæ remittere pœnam pro peccato alicui debitam, nisi facta debita satisfactione, licèt enim Deus sit misericors, tamen est etiam iustus, ideò iustitia vindicatiua suum locum habere debet. Et confirmatur, quia tunc posset quis orare Deum, vt remitteret alicui pœnam gratis, & sine debita solutione, licèt illa solui possit. Hic autem modus orandi non videtur satis rationabilis; ergo nec modus ille remittendi pęnam est satis rationabilis.

2. Fundm.

Præterea rationes pro altera sententia non cogunt, vt patebit eas soluendo.

Opinio auctoris.

36 Ego in hac re satis obscura, & difficilis, puto dicendum secundùm legem ordinariam suffragia prodesse solùm per modum satisfactionis; tamen secundùm legẽ extraordinariam non esse inconueniens remittere quandoque pęnam per modum impetrationis sine vlla solutione. Ratio est, quia in hoc mundo videmus, quod etsi via ordinaria pœna non remittitur, nisi per solutionem illius: tamen via extraordinaria etiam Principes pęnam quandoque ad instantiam charorum solent dimittere gratis ex liberalitate. Cur ergo hunc modum volumus negare ipsi Deo? Quod autem via ordinaria non fiat remissio nisi per satisfactionem æquiualentem, ex illo colligitur maximè: quia Sancti Patres loquentes de animabus illis, & liberatione illarum, dicunt orationibus, ieiunijs, & eleemosinis esse subleuandas. Ista autem sunt opera pœnalia, & satisfactoria. Præterea sunt extra statum viæ, in quo misericordia exercetur, & in statu, in quo iustitia habet maximè suum locum.

Ad primã rationẽ pro opposita sẽtentia.

37. Ad primam rationẽ pro altera opinione, rñdetur, quòd Sancti orant pro animabus illis, non vt gratis illa pęna illis remittatur, sed vt Deus exaudiat preces, & satisfactiones fidelium pro animabus illis; vel vt Deus disponat fideles, vt orent, & satisfaciant pro illis. Et hunc esse modũ orandi Sanctorum expresse asserunt Cyrillus Hierosol. suprà adductus Cathechesi 5. Mistagogica illis verbis, *Vt Deus orationibus eorum*, idest Sanctorum, *suscipiat preces nostras*.

Ad secũdã

38 Ad secundam respondent Scholastici communiter D.Thom.d.45.q.3.ar.3.D.Bonauent. ibidem a.2.q.1.ad vltimum, & alij, quòd suffragia in tantum soluunt mortuos à pœna, in quantum sunt satisfactiones quædam vice illarum, & maximè D. Bonauentura quatenus dicit, etsi peccata dimittantur per suffragia, tamen non manere impunita, quia puniuntur etsi non in se, tamen in alijs.

Ad tertiã.

39 Ad tertiam respõdetur ex dictis supra patere Theologos enumerare inter opera pœnalia, & satisfactoria, ẽt orationem: dicunt enim opera satisfactoria reduci ad tria præcipua, quæ sunt oratio, ieiunium, & eleemosinam; licèt ergo aliquando oratio, vt proprium genus distinctum ab alijs satisfactorijs enumeretur, hoc non prouenit, quia oratio non sit satisfactoria; sed quia est præcipuum genus operum satisfactoriarum, & sub se continet omnes actus Religionis, & pietatis in Deum.

Ad quartã.

40 Ad quartam iam ostensum est adesse repugnãtiam aliquam, quia non videtur congruere diuinæ iustitiæ, quæ pro statu post hanc vitam maximè habet locum, & auctoritates Sacrę Scipturę, q̃ asserunt nos per orationem exaudiri, intelligunt nos per illam exaudiri, & impetrare debito, & congruenti modo; modus autem congruus est per modum satisfactionis, vt dictum est.

An suffragia prosint defũctis ex iustitia.

41 Aliud dubium occurrit, An suffragia fidelium prosint animabus Purgatorij ex iustitia. Respondetur hanc dubitationem duobus modis posse intelligi, sicut dicebamus de viuis suprà. Primus est, an sit ex iustitia quò ad æqualitatem, itaquòd suffragium debeat esse æquale debito secundùm compensationem, & de dubio in hoc sensu nulla est difficultas, sed dicendum est debere esse secundũ æqualitatem, quia est solutio secundùm satisfactionẽ; debet ergo esse æqualis ad hoc, vt sit iusta, itaquòd tantum de pœna remittatur; quantum valet suffragium oblatum. Alter sensus est, an hęc satisfactio sit de iustitia, etiam quò ad acceptationem Dei, ita vt teneatur ex iustitia illam acceptare, vel solùm id faciat ex misericordia.

1. Opinio.

42 In hac difficultate sunt duæ opiniones oppositæ. Aliqui tenent hanc satisfactionem fidelium pro animabus purgatorij esse ex misericordia, non ex iustitia, itaquòd non tenetur Deus ex iustitia illam acceptare, si nolit. Hanc sententiam tenent multi ex recentioribus. Caietanus to.1. opusc.tract.15.q.5. apertè enim tenet, quod indulgentię, & suffragia perueniant ad animas purgatorij, non per modum iustitiæ, sed misericordiæ, & gratiæ. Cano lib.12. de locis cap.13. ad 9. ferè in fine eandem sententiam paucis verbis innuit. Soto in 4.d.19.q.2.a.4. in fin.& lib.3. de natura, & gratia, cap.6. & nonnulli alij citati à Suarez disp. 48.sect.6.

Prima ratio, q̃ adducit Caiet. est, quia pœnæ nostræ, & pęnę animarũ separatarum, vt eorum, quæ sunt in purgatorio, sunt alterius rationis, iuxta doctrinam D.Tho.3. p. q.46.ar.6.ad 3. deficiunt enim à pœnis purgatorij, quia sunt minus acerbæ, & sunt pœnæ diuersorum statuum: ideò sicut pœna pecuniaria est alterius rationis, & deficiẽtis à pœna seruitutis, & propterea seruitus ex iustitia non redimitur ex pecunia, sed ex gratia acceptantis; ita cũ pœnæ fidelium viatorum sint deficientes, & alterius rationis à pœna purgatorij, ex iustitia non potest redimi pœna purgatorij per pœnas viatorum satisfactorias; ergo redimuntur solùm per modum acceptationis, & gratiæ.

2. Ratio.

43 Secundò. Nos viatores, & animæ purgatorij sumus in diuerso foro, & forus noster est valdè mitis, ille verò est valdè durus, & seuerus; & proinde pœnæ huius fori cum sint valdè mites non possunt satisfacere secundùm iustitiã pro pęnis illius fori; sicut pœnæ fori ciuilis non possunt esse satisfactoriæ apud nos pro pęnis debitis in foro criminali, quia istæ sunt seueriores illis.

3. Ratio.

44 Tertiò. Adiungit Suarez pro eadem opinione nullum extat pactum, vel promissio diuina, quod nostra suffragia satisfaciant secundùm iustitiam pro pęnis illarum animarum, & videmus ecclesiam, & sanctos orare Deum, vt acceptet preces nostras pro defunctis; ergo videtur, quod non per iustitiam, sed per solam gratiam, & ex acceptatione illis prosint.

4. Ratio.

45 Quartò. Arguit Caiet. argõ ad oppositum. *Sequeretur* ꝙ Papa ꝑ indulgentias posset expoliare purgatoriũ.

Asse-

Afferunt tamen Caietanus,& alij huius sententiæ, suffragia aliquibus infallibiliter prodesse, scilicet ijs, qui bonis operibus meruerunt in hac vita, vt sibi prodessent. Alij verò, qui in vita suis operibus hoc nõ meruerunt, nõ prosunt infallibiliter, sed forsan aliquãdo ex diuina misericordia.

2. Opinio opposita priori.

46 Alia sentẽtia est in alio extremo, & asserit, suffragia fidelium viatorum in hac vita prodesse animabus purgatorij ex iustitia, atque illam animam pro qua offeruntur suffragia infallibiliter liberari. Hanc mordicus defendit Nauarrus contra Caietanum Commentario de Iubileo not. 22. num. 16. & sequentibus. Soto quoque in 4. dist. 21. quæst. 2. art. 3. concl. 3. aduersus Caiet. inuehitur, & tenet (contra id, quod prius senserat) suffragia viuorum valere per modum iustitiæ, & de condigno, licèt hoc asserat cum formidine, & dicat esse magis piam hanc sententiam, quã sententia Caietani. Suarez verò eadem disp. 48. sect. 6. enixè hanc sententiã sequitur, & Nauarrus, & ipse dicunt esse opinionem antiquorum Scholasticorum, & opinionẽ Caietani, & sectatorum esse nouam.

Opinio auctoris.

47 Hæc opinio mihi quoque placet. Nã antiqui Scholastici, dum distinguũt, quod satisfactio potest duobus modis considerari, vno modo vt est medicina, alio modo, vt est solutio pretij debiti, & asserunt neminem primo modo satisfacere posse pro alio, sed solùm secundo modo, cõsequenter inferunt satisfactionem pro alio fieri per modum iustitię, non per modum gratiæ, & Richardus in 4. d. 20. art. 1. quæst. 3 hanc opinionem apertè sustinet, licèt de alijs posset esse aliqua contentio.

Opin. Scoti.

48 Hanc autem sententiam expressè sustinet Scotus in quol. 20. art. 1. principali, 2. puncto, §. *De secundo autem in isto articulo*. Disputat enim ibi, an sacerdos pro libito possit distribuere bonum debitũ virtute sacrificij, itaquod bonum illud specialiter reddatur illi, cui ipse specialiter applicat virtute sacrificij, & adducit responsionem quorundam, qui tenerent partem negatiuam, ac dicerent oportere, vt sacerdos se conformet in applicatione illa voluntati Dei, quia ipse solus est dator illius boni. Et deinde Scotus hanc responsionem, & modum dicendi confutat hac ratione, quia tũc videretur, quod sacerdos nullam haberet auctoritatem applicandi, vel assignãdi ijs, quibus assignat, quod est falsum. Consequentia probatur, quia ille non habet facultatem applicandi, vel assignandi aliquod bonum alicui, si requiretur, vt illa applicatio, & assignatio fiat secundùm voluntatem alterius, de qua regulariter iste non potest habere certitudinem. Hæc propositio est euidens, quia non potest applicare nisi se conformet alterius voluntati: illa autem est sibi ignota; ergo applicatio est impossibilis. Tũc subinfertur minor. Sed sacerdos celebrãs (& eadem est ratio de quolibet fideli applicanti aliquod suffragium defuncto alicui) non potest habere certitudinem determinatam de voluntate diuina, cui velit dare bonum reddẽdum virtute sacrificij, quia nec regulariter hoc Deus reuelat in speciali, nec ex Sacra scriptura habetur Doctrina de hoc, nisi multum remota, & in vniuersali, quæ non sufficit ad sciendum voluntatem diuinam in speciali respectu huius personę vel illius; ergo neq. sacerdos, neque fidelis aliquis haberet auctoritatem applicandi aliquod bonum, & aliquam satisfactionem pro alio. Falsitas autem consequentis est contra auctoritates sanctorum, & sensum ecclesiæ rogantis, & applicantis suffragia viuis, & defunctis, quod suprà ostendimus probãdo in ecclesia dare suffragia pro viuis, & defunctis. Patet autem, quod Scotus loquitur, & cuius ratio concludit tam de fidelibus viuis, quàm defunctis; ergo secundùm Doctrinam Scoti videtur dicendum, quod suffragia fidelium prosint defunctis per modum satisfactionis ex iustitia, itaquod ipsi fideles habent ius applicandi suffragia defunctis, & Deus tenetur illa acceptare pro ijs pro quibus offeruntur. Quando autem non valeant pro certis personis suffragia, dicam infra, tractando de ijs quibus suffragia prosunt.

49 Cõfirmatur per rationes factas in calce capitis præcedentis ad probandum, quod satisfactio per suffragia facta pro viuis valet per modum iustitiæ, itaquod tenetur illa acceptare, dummodo adsint reliquæ conditiones, respectu personæ offerentis, & satisfacientis, & respectu personæ pro qua fit satisfactio, de qua cap. sequenti. Nam eadem est ratio de viuis, & defunctis in gratia existentibus in purgatorio, omnes enim sunt in charitate, & sunt membra eiusdem ecclesiæ, neque sunt in termino omninò, & indigent. Ex parte Dei quoque congruum est, cum illis vti eadem liberalitate, qua vtitur cum viuis, & hanc esse voluntatem eius, patet ex auctoritatibus sanctorum superius adductis, & multis alijs relatis 13. quæst. 2. cap. *Tempus*, & alibi, & ex praxi continua ecclesiæ, quæ suffragia offert pro defunctis particularibus credẽs ea illis prodesse.

Ad primã rõnẽ ex Caietano.

50 Ad primam rationem Caiet. respõdetur, quod etsi pœnæ purgatorii, & pęnæ fidelium viuorum sint diuersarum rationum quò ad esse substantiale proprium, & illæ sint acerbiores, tamen quantum ad valorem, & rationem pretij sunt proportionatæ, & pœnæ viuorum sunt pretiosiores, quia sunt voluntariæ, & proindè Deus libenter illas acceptat, & ipsæ de se sunt digniores illis, propter quod minor pœna viuorum æquiualet magnæ pęnę purgatorii.

Ad secũdã

51 Ad secundam respondetur, quod forus nostro, & forus Dei purgatorij est distinctus quò ad iurisdictionem ecclesiæ, vt infra videbimus, non quò ad vinculum charitatis: ideò manet communicatio bonorum. Quod autẽ ille forus sit iustitiæ, & pęnæ illæ sint acerbiores, quàm nostræ, hoc non impedit satisfactionem hanc esse secundùm iustitiam, quia nostræ pœnales operationes sunt in valore proportionatę illis, & vt dicebamus, sunt digniores illis, quia voluntariæ: ideò sunt maximè accommodatę ad satisfaciendum pro illis secundùm iustitiam.

Ad tertiã.

52 Ad tertiam respondetur satis constare, pactum diuinum de valore suffragiorum pro aliis, & de communicatione bonorum, dum ex scriptura, ex Sanctis Patribus, & ex ecclesia constat suffragia ipsa esse offerenda pro defunctis: si enim non valerent ex libito offerentium, nulla esset hæc ordinatio, & institutio, vt probabat argm̃ Scoti.

53 Ad aliud quod ecclesia orat, vt preces suæ, & fidelium exaudiantur, respondetur, quod eodem modo oramus, & Ecclesia docet orare pro viuis, & vnoquoque nostrum, & nostras pœnas nobis dimittat, & tamen scimus Deum non posse non acceptare satisfactiones nostras pro nobis. Rogat ergo ecclesia, & sancti, & docunt rogare, quia etsi nostrę satisfactiones sint satisfactoriæ de iustitia, non tamen sunt satisfactoriæ de rigore iustitiæ excludendo gratiam, & acceptationem diuinam: sic enim nullum est nostrum meritum, vt aliàs dixi agẽdo de merito Christi; sed sunt satisfactoriæ de iustitia supposita gratia, & acceptatione, seu pacto diuino. Propter hoc ecclesia, & fideles offerendo, & applicando satisfactiones debent applicare, & offerre rogando, & obseruando, non autem in toto rigore, exclusis precibus.

Ad quartã.

54 Ad quartam patebit infra ex dicendis de indulgentiis. Pro nunc, respondetur cum D. Bonauentura in 4. dist. 20. p. 2. art. 1. quæst. 5. ad vltimum, quod potestas Pontificis liberandi animas purgat. à pœnis debitis, non est per modum absolutionis, & potestatis iudiciariæ, sed per modum suffragii: ideò sicut Deus per seipsum sic miseretur, vt semper velit, iustitiam habere suum locum, multò fortius Dei minister hoc seruare debet. Dispẽsatio autem bonorum ecclesiæ debet fieri discretè, & cum moderatione. Vndè si hæc dispensatio fieret indiscretè, clauis erraret, & non acceptaretur à Deo. Liberatio autem animarum omnium à purgatorio esset tollere purgatorium, quod est contra voluntatem Dei, qui illum statuit, vt actu maneret, licèt sibi placeat eos, qui ibi purgantur auxilijs piorum sublevari.

Quæ

Quæ conditiones requirantur ex parte illius, pro quo offeruntur suffragia, & ex parte offerentis.
Caput Tertium.

55 Vidimus in ecclesia esse suffragia, per quæ viuis, & defunctis opem, & auxilium ferre possumus. Vidimus etiam modum, quo hæc suffragia prosint. Nunc superest, vt videamus, quæ conditiones requirantur in persona, pro qua offeruntùr, vt illi prosint. Secundò quæ conditiones requirantur in persona, quæ illa offert, ad hoc, vt valeant.

Conditiones requisitæ in eo, pro quo suffragium offertur.

Opin. aliorum.

56 Quò ad primum Doctores extra Scholam Scoti asserunt duas conditiones requiri in eo, pro quo suffragium offertur, vt illud ei prosit. Prima est, vt ei iam sit dimissa culpa, & sit in gratia. Istæ enim duæ conditiones nõ sunt diuersæ, vt putat Suarez vbi suprà sect. 7. sed vna tantùm, quia secundùm legem ordinariam nemini remittitur culpa, nisi ei detur gratia gratum faciens. Ille ergo secundùm hanc sententiam est capax valoris, & vtilitatis suffragiorũ, qui est in gratia, & ei iam culpa est dimissa. Atque adeò hæc conditio est necessaria, quod siquis oraret, & offerret suffragium pro existenti in culpa mortali, peccaret, quia non esset oblatio suffragij ordinata. Et ratio fundamentalis est, quia qui est in peccato mortali, est inimicus Dei, & est indignus, vt ei remittatur pœna, stante illa culpa: culpa enim est causa intrinseca, propter quam homo manet obligatus pœnæ, & proinde non potest dimitti pœna nisi remissa culpa. Et confirmatur, quia communicatio suffragiorum inter fideles viuos, & mortuos est charitas, propter quam fideles sunt membra viua corporis ecclesię, cuius caput est Christus: existens autem in peccato mortali est membrum mortuum: ideò suffragia ei prodesse non possunt.

Opin. Scoti.

57 Cœterùm cum Scoto suprà agendo de satisfactione ostendimus hanc conditionem non esse necessariam simpliciter, quia homo existens in peccato potest adimplere pœnitentiã sibi iniunctã à sacerdote pro peccatis prius confessis, & ex dictis, ibi manent solutæ omnes obiectiones hic motæ. Aliud est enim mereri, aliud satisfacere. Verum est, quod existens in peccato mortali non potest mereri vitam æternam, quia est extra charitatem, secus de satisfacere. Vnde cum existens in peccato mortali possit satisfacere pro pœna debita suis peccatis, etiam satisfactio oblata pro ipso, valere, & acceptari poterit pro solutione pœnæ debitæ suis peccatis iam dimissis quò ad culpam, vt ibi diximus. Hinc apud nos cessat illud dubium, quo solet quæri, An suffragium oblatum pro aliquo existente in peccato mortali, saltem acceptetur à Deo, vt si postea resurgat à culpa valeat pro eo. Ad quod aliqui ex auctoribus contrarijs respondent affirmatiuè; sed certè non loquuntur consequenter: quia si existens in peccato mortali est indignus actuali satisfactione; ergo est etiam indignus, vt illam Deus acceptet pro tempore quo culpa erit dimissa, quia hic est actus amicitiæ, quæ non est inter Deũ & peccatorem tunc. Vnde Suarez negatiuam partem sustinet, in quo consequenter loquitur: at secundùm nos satisfactio acceptatur pro illo tunc, pro quo offertur, licèt sit in peccato mortali, vt dictum est: ideo apud nos non habet locum talis dubitatio.

An suffragium oblatũ pro aliquo existẽte in peccato mortali valeat ꝑ eo si resurgat à peccato.

Secũda cõditio.

58 Secunda conditio est, quod illi, pro quibus suffragia fiunt, indigeant illis, idest sunt debitores. Probatur, quia suprà diximus hac ratione nõ esse offerenda suffragia pro Beatis, quia illis non egent. Si autem sit aliquis fidelis, qui sit adeò innocens, vt non sit debitor alicuius pœnæ, neque illi illa suffragia prosunt, quia non indiget illis. Et hæc sunt communiter à Theologis concessa. Quid verò valeant huiusmodi suffragia, quando non prosunt ijs, pro quibus offeruntur, patebit infrà. Quod si quis quærat, vt suprà, an saltem acceptentur à Deo, vt si quando peccet, & à culpa liberetur, tunc suffragia valeant pro pœna temporali ei dimittenda. Respondetur negatiuè, nam hoc est contra rationem debitam, vt quis sit prius dignus remissione pœnæ, quàm culpam contrahat. Manet ergo in thesauro ecclesiæ, vel acceptatur pro alijs fidelibus, qui illo indigent secundùm dispositionem diuinam, vt infrà dicemus.

59 Quòd verò aliqui asserunt requiri, quod ille, pro quo offeruntur suffragia, sit impotens ad satisfaciendum, est omninò falsum, quia tunc neque existentibus in purgatorio, neque fidelibus viuis prodessent suffragia, quia illi possunt satisfacere satispatiendo, & isti satisfaciendo. Neque requiritur acceptatio ex parte illius, pro quo fit oblatio suffragiorum, quoniam sufficit generalis voluntas, quam vnusquisque iustus habet, vt soluatur à pena. Vnde videmus sæpè ecclesiam orare pro multis fidelibus, & fideles pro amicis suis offerre suas satisfactiones illis ignorantibus, ac nescientibus.

Conditiones ex parte ꝑsone offerentis requisitæ.

Tres cõditiones requisitę in offerente.

An necessarium sit, vt offerens sit in gratia.

60 Maior difficultas est de conditionibus requisitis in persona offerentis suffragia. Tres autem solent assignari. Prima est, quod offerens sit in gratia, quando efficit opus. Secunda, quod opus in se habeat valorem satisfaciendi. Tertia, quod offerens suffragium habeat intentionem offerendi suffragium illi, pro quo illud offert. Verùm circa primam conditionem est grauis difficultas. Ex vna parte enim multi tenent hanc conditionem esse simpliciter necessariam, vt D. Tho. in 4. dist. 45. quæst. 2. art. 1. quæst. 3. & 3. p. quæst. 82. art. 6. Soto eadem dist. quæst. 2. concl. 5. Suarez disp. 48. sect. 8. qui alios citat, & inquit, hanc esse communem sent. Theologorum. Distinguunt tamen prædicti auctores presertim Soto, & Suarez, quod suffragia tribus modis considerari possunt. Vno modo, vt offeruntur à priuatis personis nomine proprio. Secundo modo, vt offeruntur à priuatis personis, at non nomine proprio, sed alieno, & tanquam instrumentis alterius. Tertio modo, vt offeruntur à publicis ministris Ecclesiæ: & est sermo de orationibus, & publicis officijs, quæ fiunt ab ipsis ministris Ecclesiæ, non autem de sacrificio Missę, quia illud habet efficaciam ex opere operato, de quo infrà. Hic enim loquimur de efficacia suffragiorum ex opere operantis. Ad propositum loquendo de suffragijs oblatis à personis priuatis proprio nomine omnes cõueniunt requiri prædictam conditionem, scilicet quod sit in gratia. Loquendo verò de suffragijs factis à persona priuata non nomine proprio, sed nomine alterius, tenent non esse necessarium, vt sit in gratia; sed sufficere, vt agẽs principale sit in gratia. In hoc tamen puncto Suarez ab alijs discrepat. Loquendo verò de suffragijs factis à ministris ecclesiæ publicis, differunt, quia D. Thomas, & Soto locis citatis tenent non esse necessariam prædictam conditionem, sed orationes, & suffragia horum ministrorum existentium in peccato mortali valere. Consentit etiam Nauarrus in tract. de oratione cap. 19. concl. 4. num. 59. & sequentibus, & in Manuali ca. 20. num. 39. & sequentibus, sed diuerso fundamento, ait enim has orationes habere effectum non ex opere operantis, sed ex opere operato ex institutione Christi, vel Ecclesiæ, & citat Gabrielem in can. lect. 57. & Gersonem. Suarez verò ibidem, tenet etiam in his ministris requiri predictam conditionem, quod sint in gratia: & proinde asserit, quod existentium in peccato mortali suffragia non valent per modum satisfactionis; tenet tamen valere per modum impetrationis.

De suffragijs à persona priuata noĩe ꝓprio oblatis.

De suffragijs à persona priuata noĩe alteri' oblatis.

De suffragijs factis à ministris ecclesię publicis.

Opin. Scoti.

61 Ex altera parte secundùm principia Doctrinę Scoti, dicendum est hanc conditionem, vt satisfaciens sit in gratia, nequaquam esse necessariam. Opinio Scoti fundatur in illis rationibus, quas longo sermone suprà disp. 35. cap. 5. agendo de satisfactione, quæ est tertia pars pœnitẽtię adduximus, & contrariam sententiam reiecimus quas non oportet hic repetere. Quod autem sit eadẽ ratio hic, quæ ibi patet, quia si peccator existens in peccato mortali potest satisfacere pro pœna temporali debita suis peccatis, quæ iam prius dimissa erant quò ad culpam, nulla videtur ratio, propter quam non possit etiam satisfacere pro

alio

alio, ratione solutionis pœnæ debitæ, offerendo ęquiualentem pœnam.

Rõnes aliæ pro opinione Scoti.

62 Præter illas rationes autem adhuc hoc probo ex doctrina Aduersariorum partim concessa, partim ducta ad oppositum. In primis D. Thom. & Soto locis citatis apertè fatentur peccatum mortale ministrorum Ecclesiæ in publicis suffragijs (non loquor de sacrifitio Missæ, in quo est opus operatum) non impedire quò minùs effectum suum sortiantur in animabus, pro quibus offeruntur, sed esse satisfactoria: ratio autem adducta ab eis est: quia quando aliquis operatur nomine alterius, valor operis non pensatur ex dignitate operantis proximè, & instrumentaliter, siue illius, qui nomine alterius operatur; sed ex dignitate principalis, cuius nomine fit operatio. Vt si Rex per Nuntium aliquid petat, dignitas petitionis non consideratur ex persona, & dignitate Nuntij, sed Regis, cuius nomine fit. Vnde hac ratione sacrifitium Missæ oblatum à malo ministro, nihilominus operatur, quàm si à bono: quia minister non in sua, sed in Christi persona illud offert: ergo licèt ministri Ecclesiæ sint in peccato mortali, nihil obest, quin suffragia habeant suum effectum.

63 Verùm conclusio illa D. Th. vt postea ostendam est vera: tamen ratio hæc non est valida, quod efficaciter probatur per rationem, q̄ ibidem Suarez facit cõtra hanc opinionem, quæ est, ꝙ suffragia illa ministrorum Ecclesię sunt satisfactoria tm̃, in quãtum sunt opera ministrorum Ecclesię, & vt sunt opera operantium: opus autem habens vim ex opere operantis est opus personale: ergo opera illa habent esse satisfactorium, & vim suam, vt sunt opera personalia talium ministrorum; non aũt vt habent relationẽ ad ipsam Ecclesiam: quia sub hac relatione, vt referuntur ad Ecclesiam non habent esse pęnale, nec personale: quia ecclesia non patitur, nec agit; sed ministri illius, ex hoc ego infero; ergo si vera est sententia Aduersariorum, ꝙ requiratur in satisfaciente gratia, gratum faciens suffragia illa non iuuabunt defunctos, nec viuentes, pro quibus offeruntur: propter hanc rationem tenet ibi Suarez falsam esse assertionem D. Th. & aliorum, quod suffragia facta à ministris ecclesiæ publicis existentibus in peccato mortali sint satisfactoria; ergo ex hac ratione sequitur non esse necessarium, vt satisfaciens sit in gratia, quod est propositum, & intentum nostrum.

64 Et quia aliquis posset dicere fiunt nomine ecclesiæ, quæ est pura, & sancta. Respondet Suarez ibidem, quod ecclesia non solet satisfacere pro aliquo; solùm orat: ideò potest prodesse per impetrationẽ, non aũt per satisfactionem: nam ecclesia, quę est aggregatio fidelium per vnum, vel plures ministros potest loqui, & orare Dñm, & sic loquitur, & sępè orat, & oratio suscipit dignitatem ab ipsa ecclesia. At satisfactio non põt fundari in ecclesia: quia satisfactio est opus pęnale, & personale: ideò sumit valorẽ suum à persona particulari, quæ facit opus pęnale; cuius signum est: quia nulla alia opera pęnalia, vel satisfactoria fieri solent ab ecclesia per ministros ad satisfaciendũ Deo noĩe totius ecclesiæ; sed tm̃ orationes, vel sacrifitia, vel alia signa religiosi cultus. Et deniq; ministri ipsi, qñ iusti sunt, & offerunt illa suffragia, ipsi sunt Domini oblationis illorum suffragiorum, & possunt ipsi offerre ad libitum, nisi aliundè impediantur, vt suo loco agendo de sacrifitio missæ dicam. Non ergo illa suffragia sunt ecclesię, quasi ab ipsa emanãtia; sed sunt personalia, & illorum ministrorum in particulari. Ratio ergo vera, pp quam ecclesię suffragia valent pro defunctis, & pro ijs viuis, pro quibus offerũtur, est: quia verè sunt satisfactoria. At offeruntur, & fiunt quandoque à ministris existentibus in culpa: ergo culpa non impedit rationem satisfactionis, neque est conditio necessaria simpliciter ad personam satisfacientem.

Suffragia ecclesiæ esse satisfactoria malè negat Suarez.

65 Negare autem, quod suffragia publica facta à ministris ecclesiæ, vt certæ preces ordinatæ ab ecclesia pro defunctis, non prosint defunctis per modum satisfactionis, sed solùm per modum impetrationis, est contra communem sensum ecclesiæ, & fidelium, qui ordinant in suis testamentis illas fieri pro ipsis, vt liberentur à pœnis Purgatorij: signum est ergo, quod putant valere per modum satisfactionis, non præcisè ratione impetrationis.

66 Præterea superiori capit. cum ipso Suarez ostendimus esse irrationabile petere liberationem à pœna temporali, sine solutione debitæ pœnæ, neque ecclesiam petere liberationem à pœna temporali gratis. At si suffragia ecclesiæ valerent solùm per modum impetrationis, & nõ satisfactionis esset petere liberationem à pœnis temporalibus absque satisfactione; ergo. Tandem maius inconueniens videtur esse asserere, quod suffragia publica per ministros ecclesiæ non sint satisfactoria, quàm dicere non esse necessarium, vt satisfaciens sit in gratia: nam primum contrarium est cõi vsui ecclesiæ, & fidelium, qui tam bonorum, quàm malorum ministrorum orationibus, & suffragijs se commendant. Secundum verò est contrarium opinioni Doctorum quorundam, quorum rationes sunt solubiles, vt vidimus suprà, agendo de satisfactione. Aliud. n. est suffragia nõ mereri gratiam, & gloriam, aliud non esse satisfactoria pro pœna temporali. Verum est opera existentis in peccato mortali non prodesse ad gloriam, & ad augendam gratiam habitualem; non aũt est verũ, & non prodesse ꝑ modũ satisfactionis, vt ibi fusè ostendimus.

67 Quod verò ait Nauarrus illas orationes habere rationem operis operati; reijcitur etiam à Suarez, & meo iudicio rationabiliter: quia propriè loquendo, nõ habemus aliquod opus satisfactorium ex institutione Christi, nisi sacrifitium missæ, & sacramenta; Ecclesia autem non potest dare alicui operi vim, vt sit satisfactorium ex opere operato, sed hoc est munus potentiæ diuinæ.

68 Confirmatur adhuc partim ex concessis, partim ex adductis ad oppositum eorum, quæ dicunt Aduersarij, quò ad secundum membrum, scilicet, de oblatis suffragijs à persona priuata alterius nomine. Etenim circa hunc pũctum etiam discrepat Suarez ab opinione D. Thomæ, & aliorum eam sequentium, quia D. Thom. & sequaces dicunt suffragia oblata à persona priuata nomine alterius valere, licèt persona illa, quæ vt instrumentum offert, & nomine alterius offert, sit in peccato mortali, dummodo principalis. i. ille, in cuius persona offeruntur, sit in gratia. Pro hac opinione non videtur adduci alia ratio, nisi ea, quæ ad præcedentem assertionem de ministris Ecclesiæ adducebatur, scilicet quia operis valor pensatur ex dignitate principalis agentis non instrumentarij. Suarez autẽ ibidem impugnat hanc opinionem ex eodem ferè medio superius adducto. Nam opus satisfactorium factum ab aliquo, nomine alterius, non habet vt sit satisfactorium ab illo, cuius nomine fit, sed ab eo, qui immediatè, & proximè illud facit: ideò si iste sit in peccato mortali, consequenter est dicẽdum, illud opus nullum habere valorem. Antecedens probatur, quia opus satisfactorium debet esse actus humanus, & pęnalis; at potest contingere, quod cũ quis facit opus satisfactorium nomine alterius, tunc ille sit defunctus, vt contingit in continuis suffragijs pro mortuis; ergo opus illud satisfactorium non potest esse à voluntate defuncti formaliter; neque defunctus in actione illius aliquid patitur; sed tota actio est à persona operante noĩe illius: ille. n. est, qui voluntariè facit illud opus, & patitur faciendo illud; ergo ratio satisfactionis inest illi operi ab agente proximo, & ab eo, qui operatur nomine alterius; non autem illius, cuius nomine operatur.

Quid de suffrag. oblatis nomine alterius à pſona priuata.

69 Quod si dicas opus illud non solũ procedere à proxima voluntate ministri operãtis, sed ẽt à voluntate defuncti mãdantis, quæ voluntas bona fuit, & satisfactoria. Cõtra hoc arguit: nã verũ est quidem, quod opus illud pẽdet quoque à voluntate mãdantis, sed non pendet ab illa quatenus est actio humana, & pęnalis, sed tanquam effectus illius voluntatis mandantis: at ratio satisfactionis in opere formaliter consistit in opere, quatenus est actio humana, & pęnalis, nõ quatenus est effectus voluntatis mandantis, quod probat exemplis. Nã si quis, verbi gratia, voluntariè

sumpsit potionem amaram in pœnitentiam, quamuis postea patiatur grauissimos dolores per illos, non habet nouam satisfactionem (si circa illos nullam postea habeat voluntatem, vt puta si fingamus eum non habere vsum rationis) & similiter si quis præcipiat famulo facere eleemosinam ex suis bonis, si postea quando famulus elargitur eleemosinam ipse dormit, vel nihil de illa cogitat, nullam nouam satisfactionem habet propter illam externam largitionem, quia respectu illius non est opus humanum: ergo ita in proposito. Cum mandans actu non habeat aliquam actionem in opere satisfactorio facto nomine suo, illud opus non potest habere rationem satisfactionis ab illo, licèt de suo mandato fiat.

Opin. singularis Suarez.

70 Propter hanc rationem tenet Suarez num. 18. contra opinionem D. Th. & aliorum eandem opinionem sequentium, quod opera facta nomine alterius nihil prosint illi, cuius nomine fiunt in ratione satisfactionis, sed vult, quòd tota satisfactio, & valor, quem principale mandans potest habere ex illis operibus præceptis, & mandatis, habeat tūc quando præcipit, & mandat, non autem quando actu ab altero executioni mandantur. Asserit tamen talia opera prodesse posse principalibus per accidens, & remotè. Quatenus, v. g. qui accipit eleemosinam excitatur ad orādum, vel satisfaciēdum pro illo principali, vt pro defuncto, qui dare præcepit. Rursus possunt conferre ad impetrandum aliquod beneficium à Deo ex misericordia. Atque hac ratione, ait, eos, qui legata pia defunctorum nō implent, vel differunt præter peccatum infidelitatis, & iniustitiæ, si eleemosinas detinent, nocere defunctis. Et propter has causas melius esse in vita hęc opera facere, q̃ pręcipere, vt post mortem fiant, quia non solū est securius: & citius prodest, sed etiam, quia magis meritorium, & satisfactorium est.

Rō applicatur ad propositum.

71 Ex hac ergo ratione Suarez ad propositum nostrū habemus, quod si opera facta ab aliquo nomine alterius sunt satisfactoria, sunt satisfactoria quatenus præcedunt, & fiūt ab illa persona, quæ nomine alterius operatur. Tūc sic arguo. At sæpissimè contingit, quod sic satisfaciens in persona alterius, vt adimplens legata pro defunctis sit in peccato mortali; ergo tunc illæ satisfactiones non essent validæ; hoc autem videtur inconueniens; ergo dicendum est, quod non est necessaria conditio, quod satisfaciens ad hoc, vt valeat satisfactio, sit in gratia. Antecedēs patet. Neque enim videmus esse consuetudinem in ecclesia, quod quando aliquis vult, facere eleemosinam pro defunctis, vel vult adimplere legata, faciat confessionem sacramentalem: neque de hoc vllum præceptum habetur in aliquo canone in quibus tamen præcipitur acriter, vt huiusmodi legata adimpleantur, vt patet 13. quæst. 2. certum est autē homines communiter non multum manere sine peccatis; ergo verisimillimum est, satisfacientes sic esse in peccato mortali. Consequentia est clara stante opinione aduersariorum, quod esse in gratia sit conditio simpliciter necessaria satisfacienti. Absurditas consequentis quoque mihi videtur clara, quia sic vt plurimum frustrarentur mentes testatorum, qui certè esset error magnus, & vniuersalis in Ecclesia, quem deberent Pastores, & Doctores corrigere, & aliquo decreto Pōtificio, vt dicebam, debuisset insinuari. Dicere autem cum Suarez, quod opera facta in persona alterius non prosint ad satisfactionem pro principali, mihi videtur valde noua, & contra communem sensum Doctorum, & Ecclesiæ: nam tunc hæredes adimplendo legata testatorū nihil in ratione satisfactionis prodessent ipsis defunctis. Vnde licèt per accidens, & remotè, vt ait, illis prodessent, hoc tamen non sufficit, quia ipsi testatores intendunt, quod illis per se, & ad satisfactionem iuuēt: non autem tantùm per accidens, & remotè: & est contra communem sensum fidelium, & multa decreta Pontificū, quæ habentur 13. quæst. 2. & præsertim cap. *Qui oblationes* 2. ex Conc. Vasense 1. cap. 4. quibus per hoc adiutorium remotum, & per accidens minimè satisfit. Melius ergo cum Scoto dicere possumus, huiusmodi suffragia prodesse per modum satisfactionis, etiā si sint in peccato mor-

Conclusio rationis, pro opin. Scoti

tali, quia alia est ratio merendi gloriam, & augendi gratiam: alia est ratio satisfaciendi. Ad primum requiritur, idest in merente gratiam: in secundo, scilicet satisfaciente nequaquam.

Ad rōnem pro opinione D. Th.

72 Ad rationem pro opinione D. Th. quod opus pensatur ex dignitate persone mandantis, &c. Respondetur esse veram illam maiorem, quando persona operans nomine alterius non est causa per se, & propria operationis illius, quam facit, sed per accidens, vt cum seruus facit eleemosinam ex rebus, & de mandato Domini, puta accipiendo eleemosinam à Domino, & illam defferendo pauperi: nam in hoc casu seruus non habet actionem humanā circa elargitionem eleemosinæ, sed se habet veluti instrumētum inanime, eo modo quo si Dominus per fune porrigeret cibum alicui existēti in carcere profundo, funis esset instrumentum quoque delationis eleemosinæ: ita seruus in proposito: ideò actio serui in proposito nihil conferre, vel obesse potest eleemosinæ. Secus est in casu nostro vbi vidimus opus satisfactorium esse opus humanum personę, & ministri operantis, nomine alterius. Idem est de nuntio regis delato per seruum: nihil enim humanum efficit seruus circa illud nuntium, sed est simplex delator.

An obligatus ad restitutionē maneat in purgatorio donec restitutio fiat ab hæredibus.

73 Est hic dubium ferè ab omnibus tractatum, An qui decessit ex hac vita cum obligatione restituendi aliquid ablatum, quam restitutionem præcepit fieri à suis hæredibus, tamdiù maneat in pęna purgatorij quamdiù non fit restitutio. In hoc dubio hoc est certum, quod qui in vita sua fuit obligatus ad faciendam restitutionem, etiam si culpabiliter illam omisit posse in articulo mortis à tali culpa iustificari, si eum de tali culpa pęniteat, & præcipiat restitutionem fieri post mortem. Sæpè enim accidit, quod qui tenetur ad restitutionem sæpius potuerit restituere, sed tamen semper distulerit, vsque ad articulum mortis, in quo postea non potest restituere. Si ergo tunc habeat pęnitentiam de dilatione culpabili, & præcipiat fieri restitutionē post mortem iustificatur à culpa, remanet tamen obligatus ad pœnam temporalem sibi debitam pro illa culpabili dilatione. Ex hoc sequitur quod ille non debet puniri in æternum pro ista culpabili negligentia, quia punitio æterna infligitur solùm pro culpa, hic autem est dimissa culpa; debet ergo solùm puniri pro vt requirit illa pœna temporalis debita. Ex quo adhuc sequitur, quod nisi restitutio illius rei nunquam fieret, non tamē propter hoc debet semper manere defunctus in pęna: quia, vt dixi, culpa est iam sibi dimissa, & remanet obligatus solùm pro pęna temporali. Est ergo dubium. An dilatio illius restitutionis saltē impediat liberationem animæ defuncti à purgatorio, & illi noceat aliquo modo, an non.

Opin. Richardi.

74 Respondent Richardus in 4. dist. 45. art. 5. quæst. 4. quem sequutus est Gabriel Biel, & fauent nonnullæ reuelationes animarum defunctorum, quæ viuis apparuerunt, & petierunt restitutionem suorum debitorum fieri, vt valerent à purgatorio liberari. Et S. Brigita lib. 6. Reuelationum cap. 66. affirmat tādiù animam cruciari donec restituatur ablatum. Soto ex altera parte in 4. distinct. 45. quæst. 2. art. 3. in principio absolutè negat dilationem illam restitutionis obesse animæ defuncti, ac propter illam diutius detineri in illis: aitque eam esse opinionem vulgi falsissimam, sed animam defuncti, siue fiat restitutio, siue non, soluta illa pœna temporali debita euolare ad Paradisum. Ratio autem Soto, & quam etiam adducit Bellarminus lib. 2. de purgatorio cap. 16. & desumpsit ex Soto, licèt Suarez vbi suprà num. 21. dicat esse diuersam, est hæc: quia satisfactio, & restitutio multum differunt, licèt ab aliquibus sæpius pro eodem accipiantur: nam restitutio non est opus satisfactorium, sed est actus iustitiæ, quo vnicuique redditur ablatum, etiam si illud sine iniustitia ei fuerit ablatum: at satisfactio est opus, quo satisfit iniuriæ illatæ Deo. Bellarminus magis declarat, quia inquit satisfactio est opus bonum pęnale: pœnale aūt est dare suū, nō restituere alienū. Vnde ad propositū, animæ quæ sūt in purgatorio, tenētur ad satisfactionē i. ad dādū suū, non ad re-

Opin. opposita Soto.

ad restituendum, i. ad restituendum alienum. Hæc ratio nō placet Suarez, quia inquit, & rectè in hoc, omnis actus virtutis est satisfactorius: vnde cum restitutio sit actus virtutis iustitiæ, sequitur, quod quoque sit satisfactorius. Respondet deinde ipse Suarez, quod vel est dicendū cum communiori sententia supra ab eo confutata, quod actio facta per personam aliquam nomine alterius est satisfactoria; & tūc dicendum est restitutionem factam prodesse, & alleuiare tempus pœnarum, vel est dicendum vt ipse sentit, quod non sit satisfactoria, & nullius virtutis, & tunc dicendum, quod nec nocet, nec per se iuuat, sed solùm per accidens. s. excitando creditorem, vel alios ad orandum pro defuncto, & ex hoc capit. posse interdum diuturniorem fieri pœnam purgatorij propter dilationem restitutionis.

Opinio auctoris.

75 Ego in hac re in primis puto distinctionem allatā à Soto, & Bellarmino de distinctione satisfactionis à restitutione esse vanam: nam licèt adesse possit aliqua differentia nominalis in proposito in idem coincidunt. Nam satisfactio est solutio debitæ pœnæ: soluere autem debitum, & restituere alienum, mihi videtur idem: ideò, qui criminaliter punitur, dicitur soluere debitum, sicuti qui ciuiliter soluit debitum: ideò hę subtilitates hic nihil iuuāt. Similiter dicere, quòd restituere est alienum restituere, satisfacere est suum dare, est subtilitas nullius momenti: quia qui pœnam luit, & satisfacit, dat quidem suum, sed loco illius boni, quod abstulerat. Certum est enim, quòd qui alium offendit peccat in virtutem iustitiæ, & committit inæqualitatem lucrando aliquid suprà alterum, vt dictum est suprà disputat. 1. & 4. ideò non potest corrigi nisi reducatur ad æqualitatem, quæ reductio fit per aliquam actionem satisfacientis, per quam restituitur ablatum: & sic patet, quod solutio, etsi det suum, est tamen restitutio quædam ablati. Opinio autem Suarez, quod actio personæ operantis nomine alterius non sit alicuius valoris, superius reiecta est.

76 Remanet ergo dicendum cum Richardo, & Gabriele, quod dilatio restitutionis obest animæ in Purgatorio, & videtur esse causa longioris detentionis in illis pęnis, licèt non possit esse causa, vt in æternū ibi detineatur: quia, vt suprà benè in hoc dictum est, pęna æterna solùm debetur culpæ, quæ hic non est remissa. Ratio autem vera, quam ipsi non tangunt, est, quia ipsa actualis restitutio est opus bonum, & per se satisfactorium, vt ex dictis suprà contra Suarez apparet: ideò cum restitutio fit, accedit hoc opus satisfactorium ad satisfactionem, quam faciunt animæ per se in illis pœnis; & sic citius absoluitur: si autem non fit restitutio, coguntur animæ illæ per se satisfacere integrè illis pœnis debitis, & sic in longius protrahuntur illæ pœnæ, nec absoluuntur, donec soluant per se vsque ad minimum quadrantem, & per hoc satisfit reuelationibus.

2. Cōditio in satisfaciente secū dum alios, secūdū nos prima.

77 Secunda conditio requisita in satisfaciente, ad hoc vt suffragium oblatum prosit secundùm alios, secundùm nos verò prima, est quod satisfaciens faciat opus quod ex se sit aptum natum satisfacere, idest habeat in se valorem, & pretium ad soluendum debitum illius pro quo satisfacit. Hmōi autem opus reducitur ad illa tria superius sæpè enumerata, orationem, ieiuniū, & eleemosinam, sub quib. comprehenduntur omnes aliæ operationes pęnales, vt peregrinationes, macerationes, &c. Ratio huius conditionis est, quia nemo potest soluere debitum, nisi soluendo pretium: debet ergo quod datur alicui in pretium habere in se prius valorem pretij, & tunc datio illius pro debito est vera solutio, & compensatio. De hac nulla est dubitatio.

3. Cōditio secūdū alios, 2. secundū nos.

78 Tertia conditio secundùm alios, secunda verò secundùm nos, est intentio satisfaciendi pro illo alio, pro quo offertur suffragium: quam omnes Theologi etiam necessariam esse asserunt, & ratio est manifesta, quia voluntas est domina actuum suorum, ideò nisi ipsa ea alteri donet, proculdubio sibi manent. Necessaria est ergo intentio, vt tale opus pœnale applicetur, & valeat pro eo, pro quo offertur.

An opus p vno oblatū prosit alijs.

79 Dubia, quæ circa hanc conditionem solent excitari, vt an opus pro vno tantùm oblatum prosit alijs, fusè tractantur à Scoto in quolib. 20. & nos in disp. de Sacrifitio missæ, in qua explicamus totam quæstionem illam, quę est necessarijssima, & doctissima, agemus. Pro nunc dicendum est, illud esse certissimum valorem, & pretium nostrorum suffragiorum esse finitum, & proinde oblatum pro pluribus non tantùm singulis prodesse, quantum si pro vno solo offerretur, & hoc verum est non solùm quò ad rationem satisfactionis, sed etiam quò ad rationem impetrationis. Vnde videmus in ecclesia esse ordinatas diuersas orationes pro diuersis generibus personarū, quòd non esset necessarium si oratio, & suffragium æqualiter prodesset omnibus, nec applicatio eius magis ad vnum, q̄ ad alium aliquid faceret. Quam sententiam contra Pręposítinum omnes Theologi probant, sed præsertim Scotus in quolib. illo 20. ar. 1. Quantū verò ad fructum, & iuuamen indirectè, quòd ex suffragijs prouenit, quòd solet appellari à Theologis gaudium, quòd sentiunt omnes boni ex operibus bonis cuiuslibet iusti, nihil impedit quin omnibus æqualiter aduenire possit: quia ad hoc non requiritur intentio ipsius offerentis, seù eius applicatio. Sed opus bonum ex se cum sit obiectum afferens gaudium ordinatæ voluntati nihil impedit omnes æqualiter gaudere; vel si plus vnus alio gaudet, non prouenit ex intentione facientis, sed aliundè. Huiusmodi autem fructus, vel iuuamen non est propriè suffragium. Similiter quòd Deus per opus bonum iusti alicuius eius amicis, vel socijs conferatur aliquod bonum nihil cogitante eo, qui satisfacit, non est inconueniens, sed hoc potius prouenit ex merito de congruo eorum, quibus à Deo hoc bonum confertur, quàm ex intentione operantis. An tandem opus satisfactorium vnius possit ab alio, vt à superiore applicari alteri, inuito, vel nesciente ipso operante, patebit ex dicendis de oblatione sacrifitij Missæ.

DE INDVLGENTIIS.

DISPVTATIO XXXVIII.

An sit in Ecclesia potestas concedendi Indulgentias. Caput Primum.

1 Remanet vt agamus de Indulgentijs, quæ sunt tertium genus suffragiorum, quæ viuis, & defunctis fideles prosunt ad soluendū pęnas tēporales debitas peccatis eorum. De his agunt Doctores Scholastici in 4. d. 20. & 21. D. Bonau. Richard. & alij. Alensis 4. p. q. 23. memb. 1. & seqq. & fusiùs tractantes contra hæreticos. Nos de his acturi, quinque tractabimus. Primò, an in Ecclesia sit potestas cōcedendi Indulgētias. Secundò, quæ sit causa efficiens Indulgentiarum, siuè quis possit illas concedere. Tertiò, de fine propter quem concedi habent. Quartò, de fructu, & personis, quib. prosunt. Quintò, de forma seruanda in concedendis Indulgentijs, & duratione, ac reuocatione earum.

Quinque d̄ indulgētijs tractanda.

2 Quantùm ad primum dimissa disputatione de vocabulo isto, *Indulgentia*, an rectè sit impositum huic suffragio, quòd nos per indulgentiam significamus, nec ne: quia de vocibus non est curandum cum de re conuenimus; sufficiat vsus Sanctorum, & Ecclesiæ, quæ hoc suffragium noīe indulgentiæ appellat. Cū aūt duplex sit definitio vniuscuiusq. rei. s. *quid nominis*, & *quid rei*, quò ad diffinitionē *quid nominis*, nulla vr̄ esse inter Catholicos discrepātia: cōiter enim per *Indulgentiam* omnes intelligūt specialē remissionē, seu relaxationē pęnæ debitæ pro peccatis iā remissis quò ad culpā, q̄ fit à Pastore Ecclesiæ habente ad hoc potestatem. Circa definitionem verò quid rei sunt aliquæ dissensiones: nam cum diffinitio quiddita-

Diffinitio quid nominis indulg.

De diffinitione, quid rei indulgētiæ.

tiua constet ex genere, & differentia, circa vtrumque sunt difficultates. Alij volunt, quod genus sub quo indulgentia continetur sit absolutio. Alij, quod sit solutio. Alij, quod indulgentiæ in communi nullum genus possit assignari, quia indulgētiæ pro viuis, & defunctis asserunt esse diuersorum generum. Alij volunt, quod genus sit actus spiritualis iurisdictionis, & alij aliquid aliud. Circa differentiā specificam eam distinguētem ab alijs suffragijs, sunt quoque diuersæ opiniones. Verùm quia ista sunt parui momenti, & ex dicendis facilè apparebit, quid sit tenēdum, cum de thesauro indulgentiarum egerimus, hoc dubium expediemus. Interim priùs explicabimus mēdacia hæreticorum, quæ nobis tribuunt, deinde obiectiones eorundem adducemus, & reiiciemus, & postremò probabimus indulgentias dari in ecclesia accipiendo indulgentiam pro vt explicauimus, scilicet pro vt indulgentia est specialis, & essētialis remissio, seù relaxatio pęnæ debitę pro peccatis iā remissis quò ad culpam, quæ fit à Pastore Ecclesiæ habente ad hoc potestatem; in hoc enim sensu ecclesia Catholica sustinet dari indulgentias.

Mendacia hereticorū.

3 Licèt ergo Hæretici nostrorum tèmporum noscant, quid Catholici per indulgentias intelligant, & præsertim Lutherus, qui ab hoc articulo incepit suam Apostasiam à fide Catholica, & à Romana ecclesia: tamē Caluinus pluribus in locis, sed præsertim in Comment. in Epist. priorē ad Corinth. ad illa verba. *Nunquid pro vobis Crucifixus est Paulus*, ausus est catholicis imponere sententiam, quā nos omninò falsā esse asserimus: inquit enim, nos Catholicos asserere esse in Ecclesia thesaurū, per quem indulgentias dispensari docemus cōstructum ex sanguine Christi, & Martirum, hucusque rectè subiungit, deinde nos asserere Martires promeruisse nobis aliquid coram Deo morte sua. *Vt inde ad obtinendam peccatorum remissionē aliquid petamus*. Hoc autem postremum est putum mendacium: quoniam nos Catholici nō dicimus Martires meruisse aliquid coram Deo morte sua, ad obtinendum vllam peccatorum remissionem: scimus enim Christū Dñm solum morte sua meruisse remissionem peccatorū omnium; sed dicimus Martires aliquid meruisse nobis corā Deo ad obtinēdā remissionem pęnę temporalis debitę peccatis iā remissis per Christum mediante penitentia, aut eius sacramento quò ad culpam, & pęnam æternam. Ideò dicimus in definitione, *quid nominis* indulgentiæ. *Indulgentia est remissio pœnæ debitæ pro peccatis iam remissis quò ad culpam*.

Mendacia Caluini de indulgētijs.

Alia mēdacia Caluini

4 Vlteriùs deducens disputationem cōtra Catholicos Caluinus inquit ex assertione prędicta sequi, quod nos asseramus Martires esse redemptores nostros. Probat aūt hoc sequi, quia inquit. *Agitur de peccatoribus cum Deo reconciliandis: agitur de impetranda venia: agitur de placanda ira Domini*. Dicit ergo Caluinus secundū Catholicos cū agitur de indulgentijs: agi de reconciliandis peccatoribus cum Deo: agi de impetranda venia: agi de placanda ira Dei: quasi indulgentiæ reconcilient homines Deo quò ad culpam, & placent iram eius, & obtineant veniam peccatorum quò ad culpam. Omnia autem ista sunt putida mendacia, quæ proueniunt, vel ex ignorantia Caluini, qui impugnat id, quod non intelligit, vel ex malitia eius, vt reddat sententiam Catholicorum de indulgentijs odiosam, & sibi fingat aliquid, quod impugnet. Ista esse mendacia patet ex definitione allata indulgentiæ; non enim indulgentia reconciliat hominem Deo, sed iam supponit reconciliatum; supraponit eum iam veniam obtinuisse, & iram Dei placasse, & liberationem à pœna æterna obtinuisse per penitentiam, scilicet vel per contritionem, vel per sacramentum pęnitentiæ. Vndè diximus indulgentiam esse remissionem pœnæ debitæ pro peccatis iam remissis quò ad culpam. Quòd autem res sic se habeat, patet ex stylo concedendi indulgentias. Dicitur enim semper in literis Apostolicis eas concedi contritis, & confessis aut saltem confitendi suo loco, & tempore votum, & propositum habentibus. In quo significatur eos, qui volunt frui indulgentijs debere habere contritionem suorum peccatorum, quæ includit in voto confessionem, per quam cōtritionem, & cōfessionem deletur culpa, vt suprà diximus in proprijs disput.

5 Adiungit infrà Caluinus nos tribuere hanc vim partim Christi, partim Martirum Sanguinem, & sic nos facere Martires Socios Christi in recuperanda salute. Hoc etiam est mendacium, quia nos Catholici omnes fortiter negamus cum Paulo alium à Christo pro nobis, idest pro salute nostra recuperanda crucifixum esse, & nos à culpis morte, & pœna æterna, ac temporali liberasse. Cum hoc tamen dicimus cum eodem Paulo Martires ipsos, & Sanctos multa passos fuisse, & habere multa merita supererogationis, quæ Christus ipse voluit poni in thesauro ecclesię cum meritis ipsius Christi non ex indigentia, quia meritum Christi fuit infinitum, sed ex beneplacito suo, & ex his cum merito Christi infinito constitui thesaurum ecclesiæ, ex quo indulgentiæ habent suum valorem. Hoc enim est, quod Paulus dixit. *Adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi in carne mea pro corpore eius, quod est ecclesia*, quòd fusius explicabimus agendo de hoc thesauro. Coloss. 1.

Obiectio hæreticorū cōtra verū sensum indulgētiarū

6 Nunc obiectiones Lutheri, & aliorum contra verū sensum Doctrinæ indulgentiarum adducamus. Lutherus in articulis condemnatis à Leone X. multa cōtra indulgētias protulit. Primò, art. 5. negauit esse tres partes pœnitentiæ. s. contritionem, confessionem, & satisfactionem: præsertim verò negauit satisfactionem. Art. 17. negauit thesaurum ecclesiæ, ex quo deducuntur indulgentiæ esse merita Christi, & Sanctorum, ac merita Christi, & Sanctorum posse per indulgentias dispensari. In art. verò 18. & tribus sequentibus multas blasphemias euomit in easdem indulgentias, ex quibus hæc argumenta ad summum deduci possunt ad tria capita. Primum. Cuicunque qui recipitur in gratiam Christi, & ei dimittitur culpa, simul etiam dimittitur omnis pœna, & satisfactio, itaquod non eget alia satisfactione propria, sed per passionem Christi omne debitum ei dimittitur, & non est opus vlla alia satisfactione, quæ per indulgentias dimittatur. Confirmatur, Deus est supremus iudex, & eius voluntas est immutabilis; ergo nemo potest auferre, & tollere pęnam, quam ipse Deus pro peccatis statuit: ait enim Psal. 88. David in persona Dei. *Si peccauerint visitabo in virga iniquitates eorum*. Quam auctoritatem maximè vrget Lutherus art. 28. & alijs; ergo impossibiles sunt istæ indulgentiæ. Adhuc confirmatur, quia istæ indulgentiæ, si dentur, videntur esse perniciosæ: prædicatores enim bullarum indulgentiarum sunt quæstuarij, & concedentes indulgentias videntur esse Simoniaci, quia res spirituales pecunijs venundantur, faciunt etiam homines pigros, & segnes ad opera satisfactoria exercenda: nā mediantibus his indulgentijs præsertim plenarijs, pęnæ purgatorij redduntur irritæ, & iustitia Dei eneruatur. Tandem additur à Catholicis ad rem magis dilucidandam, non videntur necessariæ, quia absque indulgentijs in ecclesia sunt media efficacissima ad remissionem pęnarum temporalium peccatorum, vt sunt sacramenta, & sacrificium missæ; ergo superfluæ sunt indulgentiæ.

Primum argūm Lutheri.

1. Confirmatio.

2. Confirmatio.

Vltima cōfirmatio.

Secundum argūm principale.

7 Secundum argumentum principale. Dato, quod satisfactiones pro peccatis essent faciendæ, & quod Deus dimittendo culpam, non simul dimitteret pęnam totā, sed pęna temporalis remaneret, ad huc inquit Lutherus, ecclesiam nullam habere auctoritatem dimittendi huiusmodi satisfactiones, sed hoc totum pertinere ad Deum ipsum, qui solus est exactor illarum pęnarum in hoc sęculo, vel in futuro, iuxta illud Psal 88. assignatum. *Si peccauerint visitabo eos in virga*.

1. Confirmatio.

8 Confirmatur, quia etsi aliquando legimus Pastores Ecclesiæ solitos fuisse indulgere peccatoribus remmittendo eis pęnas temporales, ad quod adduci solet illud 2. Corinth. 2. *Nam, & ego donaui siquid donaui propter vos in persona Christi*. Illa omnia intelligi debent quò ad pęnas debitas in foro ecclesiæ, non in conspectu Dei.

Con-

2. Confirmatio.

9 Confirmatur secundò, quia nulla est potestas soluendi, cui non correspondeat potestas ligandi, sed in ecclesia nulla est potestas ligandi homines, quò ad pęnas, sed solus est Deus, qui remittẽdo culpam obligat, & ligat homines propter illa peccata ad talem pęnam; ergo in ecclesia non est facultas soluendi à pęnis, & sic non est potestas concedendi indulgentias.

3. Confirmatio.

10 Confirmatur adhuc, quia omnis potestas ligandi, aut soluendi est ordinis, aut iurisdictionis; hæc potestas cõcedendi indulgentias non est ordinis, vt supponimus, & infrà videbimus; ergo iurisdictionis. Sed potestas iurisdictionis, vel est potestas in foro interiori; & hæc non exercetur nisi medio Sacramẽto Pęnitentiæ. Hæc autem potestas concedendi indulgentias est extra Sacramentum, vt patet; vel est potestas iurisdictionis in foro exteriori, & hæc spectat ad regimen ecclesiæ externum, & politicum; non ergo extenditur ad forum animæ, & ad remissionem pœnarum in foro conscientiæ; ergo in ecclesia non est huiusmodi potestas concedendi indulgentias.

3. Rō principalis.

11 Tertiò principaliter potestas hæc concedendi indulgentias non habet fundamentum in sacra Scriptura, nec in SS. PP. Ambrosio, Hieronymo, Augustino, & alijs. Sed in illa bulla (inquit Lutherus) Clem. VI. *Vnigenitus*, quæ inserta est in Extrauaganti *Dudum, de pœnit. & remiss.* ergo indulgentiæ nihil sunt, nisi inuentiones hominum. Antecedens probatur: quia auctoritates, quæ ad hoc adduci solent, sunt illud Io. 20. *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis*, &c. At hæc auctoritas propriè intelligitur de potestate absoluendi à peccatis per Sacramentum Pœnitentiæ, vt suprà fusè ostendimus, & illud Matt. 16. & 18. *Quæcunque ligaueritis super terram erunt ligata in Cælis*, &c. At hic est sermo de potestate ligandi per leges, & censuras, & ab illis absoluendi; ergo non faciunt pro potestate concedendi indulgentias.

Opinio hæreticorũ refellitur.

12 Ex altera parte fides Catholica, & Ecclesia vniuersalis apertissimè tenet, in ipsa esse, & semper fuisse pt̃atem concedendi indulgentias, & relaxandi pęnas debitas pro peccatis extra Sacramenta per simplicem relaxationẽ ipsarum pœnarum factam à Pastoribus ecclesiæ: de qua re non est dubium cum nouissimè in Conc. Trid. sess. 25. in Decreto de Indulgentijs, cuius initium est. *Cum potestas concedendi indulgentias ecclesiæ à Christo concessa sit*, &c. Hoc tanquam de fide definiatur, & anathematizentur ij, qui dixerint, vel indulgentias inutiles esse, vel eas concedendi in ecclesia potestatem esse negant. Tota difficultas est explicare, vnde fundamentum habeant: ad quod inuestigandum primò videbimus, quòd in sacra Scriptura de Indulgentijs habeamus, deinde quid apud Sanctos Patres, & Ecclesiam.

Quid in sacra Scriptura de indulgentijs habeatur.

13 Quò ad primum. Etsi primis temporibus, quib. hęretici, præsertim Lutherus excitauit hanc hæresim, indulgentias ecclesiasticas nihil esse, Catholici Doctores nõ ita in promptu haberent loca scripturæ, ex quibus euidenter veritas indulgentiarum deducitur, vt patet ex his, quæ habent Rofensis art. 18. aduersus Lutherum. Caiet. tomo 1. opusc. tract. 15. ad Iulium Medicem cap. 1. Suarez in tom. de Pœnit. disput. 49. sect. 2. & alij, qui dicunt, vsum indulgentiarum eo modo, quo nunc est in Ecclesia. s. remissionem pœnæ temporalis coram Deo, & in conscientia esse antiquum non posse conuinci, sed ad summum, indulgentias antiquas fuisse remissiones pœnarum ecclesiasticarũ, & censurarum coram ecclesia. Tamen inquietudo hæreticorum fecit, vt Catholici vigilantius sacram Scripturã scrutantes, clarum fundamentum ipsarum indulgentiarũ inuenerint in ipsis Scripturis. Hæc enim est vna ex pręcipuis vtilitatibus hæresis. Hoc enim in multis alijs, seu dogmatibus, seu textibus diuinarum Scripturarum propter veteres hæreses accidisse dicit D. Aug. epist. 105. & lib. de vera Religione c. 8. & in Psal. 67.

Vtilitas q̃ affert hr̃sis

1. Locus p̃ indulgẽtijs

14 Priori ergo loco ostendemus, in quo loco fundetur potestas concedendi indulgentias prędictas, deinde ostendemus vsum illarum in sacra Scriptura. Quod ergo Christus Dominus concesserit ecclesiæ suæ potestatem concedendi indulgentias elicitur ex verbis Christi Matth. 16. *Tibi dabo claues Regni Cælorum, & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in Cælis, & quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in Cælis.* Quæ tamen verba non restringuntur in particulari ad significandum, Christum dedisse Petro in his specialiter potestatem concedendi Indulgentias, vt aliqui contendunt: illa enim verba sunt generalia, & in illis dat Petro primatum ecclesię, & supremam, ac vniuersalem potestatem super ecclesiam suam; non ergo in speciali dat auctoritatem solùm concedendi indulgentias: est ergo dicendũ in eo loco, Christum Dominum Petro concessisse supremam potestatem in ecclesia sua, quæ ad actus cęlestes se extendit, & inter alios ad actum concedendi indulgentias, & proinde potestas concedendi indulgentias in hoc loco fundatur.

Quod probatur, quia verba illa sunt vniuersalissima, q̃ ex vi sua omnem actum, qui ad aperiendum Regnum Cęlorum possit accommodari, includunt; & propterea includunt potestatem faciendi leges, & præcepta, & soluendi, ac dispensandi in illis. Includunt ergo potestatem absoluendi ab omnibus impedimentis, quæ possunt impedire ingressum Regni Cœlorum. Vnde non dixit Christus, *quemcunque solueris*, sed *quodcunque solueris*: vt hoc generali verbo comprehenderet oẽ vinculũ, & impedimẽtum Regni Cęlorum; hic est ergo p̃cipuus, & optimus locus.

15 Secundo loco adducitur locus Matth. 18. *Amen dico vobis, quæcunque ligaueritis super terram, erunt ligata in cęlis, & quæcunque solueritis super terram, erunt soluta in cælis.* Hæc enim verba Christus Dominus dixit omnibus Apostolis, & sunt vniuersalia sicut illa 16. dicta Petro, & proinde extenduntur ad omnem actum, qui pertineat ad aperiendum, vel claudendum Regnum cęlorũ: & licèt ibi Christus Dominus videatur loqui de potestate ferrẽdi cẽsuras ecclesiasticas, excõicandi, &c. quia ibi loquebatur de correctione fraterna, & eis præceperat, quod eum, qui ter admonitus, & ecclesiæ obedire nollet, excõicarent; & vt hoc facere possent, concessit eis auctoritatem, dicendo. *Amen dico vobis, quæcunque* &c. tñ non ob hoc sequitur, quod in illis verbis Christus dederit Apostolis tantam auctoritatem, quantã dedit Petro supra Matt. 16. quia nedũ Petro dixit verba illa generalia, *Quodcunq. ligaueris*, &c. sed illa alia, *Tibi dabo claues Regni cælorum*. In methaphora aũt clauis, suprema p̃tãs significatur. Cũ ergo Petro eadem verba vniuersalia, quæ Apostolis, dixerit; sed insuper ei promiserit claues Regni, quas sub hoc amplissimo noĩe non promisit Apostolis, clarè sequitur per hæc verba, etsi sint amplissima, nõ concedi Apostolis tantã auctoritatem, quantã Petro: & proinde dicendũ est in his verbis Matth. 18. Christũ Apostolis concessisse potestatẽ vniuersalem ligandi, & soluendi, sed cum debita subordinatione ad Petrum, quem constituerat caput ecclesię. Vnde etsi episcopi qui succedunt Apostolis habeant facultatem concedendi indulgentias, vt postea videbimus, habent tamen illam subordinatam Petro, & Pontifici Romano successori Petri: In his ergo duobus locis præsertim habet fundamentũ suum potestas concedendi indulgentias. 2. Locus.

16 Nunc ex ipsamet sacra Scriptura ostẽdamus vsum ipsarum indulgentiarum, & tunc obtinebimus totum, q̃ spectat ad veritatem indulgentiarum. Vsus potestatis concedendi indulgentias habetur expressè 2. Corinth. 2. vbi Paulus Apostolus concessit indulgentiam alicuius partis pęnæ debitæ illi incestuoso, quem prius grauiter punierat. 1. Corinth. 15. nam inquit Paulus, *Sufficit illi, qui eiusmodi est obiurgatio hæc quæ fit à pluribus*, &c. & infrà. *Nam & ego quod donaui si quid donaui propter vos in p̃sona Xp̃i.* In quibus verbis significat D. Paulus se ad instantiam Corinthiorum, q per Titum, & Timotheum rogauerũt Paulum (& hoc sensu donasse dicuntur, quia donandum censuerunt, ac vt donaretur petiuerunt) donasse, & gratis relaxasse residuum pœnæ, ad quã tenebatur fornicator ille: & inquit se fecisse hoc in p̃sona Xp̃i, atq. ex misericordia,

Vsus indulgentiarum ex Sac. Scriptura.

ne nimio rigore anima illius fornicarij tabesceret, & sic propter austeritatem pœnarum animam illius perderet. *Ne fortè abundantiori tristitia absorbeatur, qui huiusmodi est*, inquit Paulus. Vbi est obseruandum, Paulum illi incestuoso iniungisse pęnitentiam faciendam, quod non fecisset, nisi prius culpam dimisisset; nec dimisisset, nisi prius pœnitentem, & dolentem eum agnouisset; ergo tunc absoluit Paulus eum à culpa, & ligauit ad pęnam temporalē certam, deinde illum absoluit ab iniuncta pęna temporali, quæ soluenda remanebat: neque enim totam peregit, sed inspecta obedientia illius à Corinthijs, ipsi misericordia moti rogauerunt Paulum, vt eam pęnam illi dimitteret, qui & propter salutem illius incestuosi, & ad instantiā Corinth. pœnam illam dimisit, & dimisit gratis. Inquit *donaui*. Relaxauit ergo gratis: non potuit autem Paulus ita gratis dimittere, vt respectu Dei aliquid non solueret pro illa pęna, quia diuinæ iustitiæ non satisfactum fuisset. Obtulit ergo pro illa pœna debita merita Christi, & Sanctorum, quæ in thesauro ecclesiæ sunt: vnde licèt respectu fornicarij pęna illa fuit gratis dimissa, tamen non fuit absolutè dimissa sine debita compensatione: quia hęc dimissio non potest fieri sine æquiualenti satisfactione, & recōpensatione, vt infrà videbimus, loquendo de Thesauro Indulgentiarum. Et denique, quod punctus est, hanc relaxationem fecit in persona Christi: ergo hæc remissio facta fuit coram Deo, & in foro conscientiæ: non autem solùm in foro Ecclesię, & ad gratiam quandam humanam, aut ad pacem quandam externam, atque politicam, vt volunt hæretici, quos mirum in modum torquet verbum illud Pauli, *In persona Christi*.

Prima obiectio ex catholicis. 17 Verùm hic sunt obiectiones ex duplici cap. ex vna parte sunt obiectiones Catholicorum, ex alia obiectiones hæreticorum. Catholici, vt Suarez prædicta disp. 49. sect. 2. nu. 4. & sequentib. asserit, difficile sibi videri ex eo loco Pauli elicere vsum indulgentiarum eo modo, quo nūc est in ecclesia Catholica. Concedit quidem hanc remissionem factam à Paulo pęnę impositæ huic incestuoso fuisse extra Sacramentum Pęnitentiæ, atque solitos fuisse Patres in primitiua Ecclesia remittere sic extra Sacramentum Pęnitentiæ aliquas pęnas impositas ab ipsis Prælatis; sed negat, remissionem huiusmodi pęnæ tunc valuisse corā Deo; inquit remissa tunc fuisse solùm coram Ecclesia, non corā Deo, nec per illam remissionem liberari, ne in Purgatorio deberet illam pęnam purgare; sed erat necessariū, vt peccator ille alio modo satisfaceret Deo, vel in Purgatorio illam solueret. Ad quod, hanc probationem tantū innuit; quòd cum Paulus inquit, *In persona Christi* eum absoluisse, voluit significare solùm, actum illum fuisse actum iurisdictionis à Christo acceptæ; vultque duplicem esse solutionem. s. Ecclesiasticam, & coram Deo, & hāc esse diuersam ab illa, quę sententia videtur coincidere cum responsione, & doctrina hæreticorum, qui dicunt, solutionem, & ligationem ecclesiasticam esse quandam pacem externā pertinentem ad politicam, & gratiam humanam, non corā Deo, & in vtilitatem animæ.

Refellitur 18 At hæc obiectio, seu responsio confutatur euidēter ex verbis D. Pauli ibidem, *Quod donaui, in persona Christi donaui*. Quod autem fit in persona Christi, ad forum conscientiæ fit, & coram Deo: neque enim Deus dedit suā potestatem hominibus ad efficiendum effectus humanos, & politicos puros, sed ad efficiendum effectus supernaturales, & coram ipso Deo. Propterea, vt vidimus suprà cum dedit potestatem suam Apostolis, dixit, *Quæcunque solueritis super terram, erunt soluta in Cœlis*. Actiones ergo Prælatorum ecclesiæ, & maximè ipsius Apostoli registrabantur, & habebant suum valorem in Cęlo coram Deo: & quando aliqua pęna imponitur, vel fit aliqua absolutio, quæ valet in foro exteriori Ecclesiæ, & non in interiori, prouenit ex aliquo defectu, vel ex parte patientis, qui ponit obicem, vel ex parte agentis iniustè, vel quid simile. Cùm ergo Paulus ligauit hunc incestuosum, & imposuit illi pęnam excommunicationis, & alias pęnas, illæ pęnæ illi erant debitæ, nedum in foro Ecclesiæ, sed in foro Dei; & sicut cùm Sacerdotes pro peccatis confessis imponunt pęnitentias satisfactorias ipsis pęnitentibus, ad illas tenentur coram Deo. Ita cum ab illis absoluuntur à Pręlatis, absolutio valet coram Deo, nec amplius ad illas tenentur, nō solùm in foro ecclesiæ, sed neque etiam in foro Dei. Cum ergo Paulus dicat se donasse illi incestuoso partem pęnæ soluendæ, atque in persona Christi, omninò irrationabile est, velle hoc intelligere in foro ecclesiæ spirituali: & tamē non valere coram Deo, & in foro conscientiæ. Firmum ergo manet, quod cum Paulus dicat se condonasse illi incestuoso pęnam debitam, ne tristitia nimia absorberetur, & in gratiam Corinthiorum, & hoc fecisse in persona Christi, verè coram Christo, & in conscientia pęnam illam sibi iniunctam dimisisse; itaquòd amplius non remansit obligatus ad satisfaciendum Deo pro illa, neque in hac vita, nec in purgatorio.

Obiectiones hęreticorum. 19 Hæretici verò intelligentes, quòd si admittant Paulum fecisse hanc relaxationem, & condonationem in persona Christi, apertissimè sequitur hanc dimissionem quoque factam esse coram Deo: & proinde hic valde stabiliri auctoritatem Prælatorum in concedendis indulgētijs, ligandis, faciendis pręceptis, & similib. in disciplina catholica esse à Deo: atque tunc eos gerere vicem Christi laborant quantum possunt, vt verba illa *in persona Christi* ad extorum, & alienum sensum detorqueant: & proinde varias expositiones afferunt. Caluinus in Commentario ad illum locum, legi vult, in *conspectu Christi*, non in *persona Christi*. Et sensum esse, *Quod sincerè, & absque simulatione remittere se tenetur: solet enim*, inquit, *hac locutione exprimere puram, & minimè fucatam rectitudinem*. Sed Thomas Stapletonus in Antidotis ad illum locum hanc corruptelam Caluini vanam ostendit, quia phrasis, qua vtitur ibi Paulus, est eadem, qua vtitur idem Paulus infrà eadem Epistola cap. 4. ad illa verba, *Ad illuminationem sententiæ claritatis Dei in facie Iesu Christi*. Nam Caluinus eo loco *in facie* exponit *in persona Christi*. Vnde Caluinus huius suę deprauationis conscius, aliam viam tentat. Vnde inqt, *Si cui tamen prior sensus arrideat Paulum in illa reconciliatione Christi vices obisse, & personam quodammodo sustinuisse, notādum erit Christi personam in medium statui quiā nihil est, quod magis ad misericordiam flectere nos valeat*. Vnde vult, quod sensus sit. Paulum per misericordiā Christi condonasse pęnam illam. At quis non videat, quàm extortus sensus sit ille, vt persona Christi, pro misericordia Christi accipiatur. Sensus obuius clarus, & fluēs est, vt persona Christi significet vicem, potestatem, dignitatē Christi, vt sensus sit, *in persona Christi*, idest vice Christi, potestate Christi, dignitate accepta à Christo. Alias corruptelas omitto. Manet ergo firmum, Apostolum dimisisse pęnā debitam, & à se iniunctam illi incestuoso in persona Christi, & consequenter illi dimisisse coram Christo: vt pro illa amplius nullibi debitor extiterit: & certè, si illam pęnam solùm coram Ecclesia, vt volebat Suarez, dimisisset nō coram Deo paruam consolationem attulisset illi: remittere enim aliquem ad duriorem pęnam, non est illi aliquid donare; sed magis onerare: durior autem est pęna purgatorij, quàm huius vitæ; ergo.

Caluini cauillatio.

Vsus indulgentiarū pbat ex Patribus. D. Cypr. 20 Vsum adhuc Indulgentiarum probare possumus ex Patribus. Hi sufficiant. D. Cyprian. epist. 14. dicit, vt obseruauit etiam ipsemet Suarez, solitum fuisse fieri remissiones per intercessiones Martyrum, vel aliorum fidelium, *Quia auxilio eorum adiuuari apud Dominum in delictis suis possunt*. Indicans satisfactiones illorum per modū suffragij prodesse lapsis ad remissionem apud Deum, ideoque eorum intercessione merito fieri remissionem apud ecclesiam.

Rursus ipsemet Cyprianus epist. 30. remissionem illā, quæ fieri solebat ad instantiam Martyrum, & appellabatur pax, quæ dabatur lapsis, Cyprianus appellat indulgentiam, & remissionem etiam coram Deo, & dicit esse factam per communicationem Euangelicam, quam suprà

diximus

dicimus esse in Ecclesia, iuxta illud Symboli, *Communionem Sanctorum*; ergo illæ remissiones erant Indulgentiæ prorsus in ea significatione, quam nos catholici nunc vsurpamus. Verba D. Cipriani sunt hæc. *Cæterùm quo pacto Euangelicam poterit præstare communicationem, quod contra Euangelicam videtur decretum veritatem? Nam cum omnis prærogatiua ita demum ad indulgentiæ priuilegium spectet, si ab eo, cui sociari quærit, non discrepet, quia Deo, cui sociari quærit, non discrepet, necesse est indulgentiam & priuilegium societatis amittat*. Idem habet epistola 21.

Præterea pœnitentiæ publicæ, quæ antiquitus imponebantur ab Episcopis, & sacerdotibus, vt plurimum oriebantur, & imponebantur propter confessiones publicas peccatorum. Illæ autem confessiones publicæ fiebant ex consilio sacerdotum, qui audientes illa crimina in confessione sacramentali secreta hortabantur eos ad faciendam confessionem publicam, & acceptare ab Ecclesia publicam pœnitentiam, vt suprà, agendo de sacramentali confessione, ostenditur pœnitentiæ, quæ imponebantur pro peccatis detectis in confessione, imponebantur pœnitenti, nedum ad satisfaciendum coram Ecclesia, sed etiam coram Deo, & in salute animæ, vt patet; ergo remissiones, & indulgentiæ illarum erant quoque, nedum coram Ecclesia, sed etiam coram Deo.

Ex Concil. Nice. vsus idem probatur.

21 Vsus idem probatur per Concilia. Primò in Niceno Can. 11. habetur sic. *De his qui prævaricati sunt sine vlla necessitate, sine ablatione patrimonij, vel sine periculo, aut aliqua tali re, quæ accidit in nouissima Tyrannide Licinij, placuit Sanctæ Synodo, licèt indigni sint misercordia, tamē aliquid circa eos humanitatis ostendi*. Et alia versio habet *Clementia tamen, & benignitate in eos vti*. Idem habet Concilium Carthag. quartum cap. 75. Neocesariēse cap. 3. Agatense cap. 60. Laodicense Can. 1. & 2. In his canonibus videmus Episcopos, & Concilium non imponere pœnam adæquatam pro peccatis ipsorum, sed vti velle misericordia cū illis, vtique condonando illis partē pęnitentiæ debitæ; ergo indulgentiam illis concedebant eo modo, quo nunc Pontifex indulgentiam concedit viuis pœnarum, quas peccatores pro suis peccatis mererentur, & digni sunt.

Responsio Suarez.

22 At inquit Suarez ex his canonibus habetur licuisse Episcopis remittere aliquid pœnitentibus ex canonicis pęnitentijs publicis, sed non habetur clarè ex illis, quod illa remissio se extenderet vsque ad ablationem, vel diminutionem reatus pœnæ apud Deum.

Refellitur.

23 Hæc responsio est omninò vana. Supponit enim, quod obligationes, & solutiones factæ à prælatis Ecclesiæ in foro exteriori ad disciplinam Ecclesiasticam conseruādam, & manutenendam non valeant coram Deo, quod est error; sic enim leges, & præcepta prælatorum publica non haberēt vim coram Deo, sed solùm coram Ecclesia, quod est hæresis nostrorum hæreticorum. Antecedens probatur, quia si solutio ab illis pęnis non est coram Deo, neque impositio illarum erat valida coram Deo; & sic tota auctoritas Ecclesiastica ruit. Neque enim aliquid est facienda si solùm valet coram hominibus, & ad humanam quandam pacem, & politicam seruandam, non autem ad salutem animę. Est ergo certum, quod sicuti prælati habent auctoritatem imponendi pœnas, & absoluendi ab illis à Deo, ità hęc ligatio, & solutio est coram Deo.

Vsus idem ꝓbatᷣ ex traditione antiquissima.

24 Vsus isdem indulgentiarum maximè confirmatur ex traditione antiquissima indulgentiarum, quæ sunt concessæ Ecclesijs Romæ, quarum initium ignoratur, sed esse multo antiquiorem D. Gregorio Magno Papa constat ex lib. Actorum Damasi Papę, & ex Anastasio bibliotecario in vita Hilarij Papæ: nam auctor Actorum Damasi Papæ de Stationibus Ecclesiarum Romæ inquit. *Populus Romanus per Cymiteria Martyrum stationes sine clericis celebrabat*. & paulò infrà. *Felix vrbem irrumpit, & stationem in Iuli Basilicam Transtiberim dare pręsumit*. & Bibliothecarius ait vbi suprà. *Hic constituit in vrbe ministeriales, qui circumirent constitutas stationes, fecitque Sciphū aureū Ansatum, vel Stationarium librarum octo pro vsu stationum*. D. Gregorius postea eas stationes certo sub numero limitauit, & ordinauit, vt patet ex Ioan. Diacono lib. 2. de vita Sancti Greg. Vide Onuphrium Panuinium de stationibus vrbis Romæ.

Ex Concilijs posterioribus, & consuetudine Ecclesię q̄ errare nō potest.

25 Vltimò probatur ex alijs Cōcilijs, vt ex Viēnensi, vt habetur in Clementina *de Reliquijs, & veneratione Sanctorum*, & à Clem. VI. in Extrauag. *Vnigenitus, de pœnitentia, & remissione*, & nouissimè ex Tridentino sess. 25. vt suprà retulimus. Cum autem Ecclesia Romana sit Ecclesia vniuersalis, & Catholica, & à Spiritu sancto recta, & non possit errare, sequitur neque in hoc principali capite fidei Christianæ errare potuisse.

Ad primā rōnem hæreticorum.

26 Ad rationes hæreticorum contra indulgentias ex dictis hic, & suprà facilè est respondere. Ad primam respondetur, falsum esse, quod cum dimittitur culpa propter passionem Christi, dimittatur quoque omnis pœna temporalis. Suprà enim agendo de satisfactione ostendimus, ex Sacra scriptura, & Patribus sæpè Deū remisisse culpam, & reliquisse pęnam temporalem pro illa soluendam, vt patet de Dauide, & alijs ibi adductis.

Ad primā confirmationem.

27 Ad confirmationem primam respondetur procedere ex magna ignorantia, & ineptissimè confirmari, auctoritate illa Psalmi. Nam in primis, quod dicitur in antecedenti Deum esse supremum Iudicem, & eius voluntatem esse immutabilem, est verum, sed obseruare debebat stultus homo, quòd etsi voluntas Dei sit in se immutabilis, quia in Deo est vnicus actus, quo cuncta creata, & ad extra producit, qui est infinitus, eodem actu tamen diuersos, & oppositos effectus in rebus ad extra absque sui mutatione producit, iuxta illud, *Immobilis manens dat cunta moueri*, ideò non est inconueniens, quod sit immutabilis, & tamen quandoque cum hominibus exerceat actus iustitiæ, quandoque misericordiæ. Quando ergo statuit pęnas pro peccatis, si de perpetuo obstinatis loquamur illæ sunt immutabiles, quia sic decreuit: at si loquamur de pęnis deputatis peccatis pro hac vita, non sunt immutabiles, sed mutabiles: quia si homo ipse de culpis illis pœniteat, Deus remittit pęnam; vel per se immediatè, vt quando maxima est contritio; vel per sacramenta; vel per ministros suos Ecclesiæ. Vnde Paulus dicebat. *Si nos prius iudicaremus, non iudicaremur à Domino*. & in Psal. illo adducto, postquam minatus est visitare iniquitates eorum virga ferrea, infrà subdit, misericordia vti cum illis peccatum esse si resipuerint. *Misericordiam autem meam*, inquit, *non dispergam ab eis*. Vbi siuè D. Hieronymus is fuerit, siuè alius quispiam interpres, subijcit in hunc modum, *sicut diuina sæueritas terret arguente iustitia, ita pietas reparat moderante clementia*. Cum ergo dicit, *visitabo in virga iniquitates eorum*, intelligitur de ijs, quos minimè pœnitet, & quos vult voluntate vltimata punire propter eorum iniquitates. Nemo enim potest hanc pęnam ab eis auferre; at loquendo de pœnis statutis à Deo pro peccatis eorum, qui resci piscere volunt, potest hæc pœna auferri de manibus eius per indulgentias, per pœnalia opera facta, & per sacramenta, quia sic ipse Deus ordinauit instituendo potestatem Ecclesiasticam in Ecclesia, cui hanc vim contulit, vt suprà visum est. Et hoc ex sua misericordia. Non ergo sunt impossibiles indulgentiæ istarum pœnarum temporalium pro peccatis.

Ad secūdā confirmationem.

28 Ad secundam confirmationem. Ad primam respondetur, quod si abusus interueniunt vitio Quæstuariorum, illi sunt tollendi, & corrigendi, non tollendæ indulgentiæ quæ veræ, & salutares sunt. Quod autem erogatio eleemosinæ pro lucrandis indulgentijs non sit simonia, patet, quia eleemosina est opus pium, pœnale, sicut oratio, & ieiunium; non est emptio rei sacræ, vt infrà videbimus. Ad aliud, quod indulgentiæ faciunt homines pigros, respondetur hoc esse falsum, quoniam Ecclesia concedit indulgentias peccatoribus, vt animentur ad pęnitentiam, & ne tristitia pęnarum subeundarum pro peccatis absorbeantur, vt dicit D. Paulus 2. ad Corint. 2. suprà

addu-

adductus: & ex hoc patet ad vltimum, quod non sunt redundantes, quia licèt sint alia media ad tollendum illas pęnas, hoc etiam Deus voluit adhibere ad maiorem consolationem fidelium, & ad suam misericordiam ostendendam. Accedit quod populus Christianus amore, & desiderio lucrandi has indulgentias accenditur ad pęnitentiam ad frequentandum sacramenta, & ad opera pia, & religio crescit, & deuotio, & proinde Sathan procurauit illas exterminare ad hunc fructum impediendum.

Ad secūdū argūm principale.

29 Ad secundum argumentum principale patet ex dictis superius: ostendimus enim in ecclesia esse hāc potestatem relaxandi pœnas temporales, & concedendi indulgētias, quia Christus Dominus dedit hanc auctoritatem Petro, & Episcopis, atque vsum huius potestatis vidimus in Paulo, & in antiqua Ecclesia semper viguisse, licèt temporibus sequentibus magis fuerint in vsu.

Ad primā cōfirmationem.

30 Ad primam confirmationem iam probatum est, peccatum, quam remisit Paulus illi incestuoso, fuisse nedū coram ecclesia, sed etiam corā Christo, & in foro animæ.

Ad secūdā cōfirmationem.

31 Ad secundam confirmationem respondetur, illam propositionem æqualem esse debere potestatem ligandi, & soluendi, esse veram in habente potestatem independētem, vt est potestas Principis, sicut enim habet potestatem faciendi leges, ita habet potestatem soluendi à pœnis debitis illis. At in habentibus potestatem dependentem videtur esse amplior potestas soluendi, quàm ligandi: nam regulariter iudices delegati à principibus, non possunt facere leges, sed solùm aliqua præcepta, tamen possunt sæpè soluere, nedum à pœnis impositis à seipsis per sua præcepta, sed etiam à pœnis impositis à legibus Principis secundùm diuersas constitutiones, & ordinationes ipsorum principum, qui etsi faciant leges, tamen concedunt, vt plurimū interpretationem eorum iudicibus, & in aliquibus casibus dispensationem. Sed quidquid sit de legibus humanis, hoc certum est in lege Christi dedisse sacerdotibus facultatem pœnas temporales debitas peccatis absoluendi, & indulgendi, vt visum est. Et licèt non habeant potestatem ligandi positiuè, sed negatiuè, idest retinendo absolutionem, &c. tamen habent facultatem positiuè absoluēdi.

Ad tertiam cōfirmationem.

32 Ad tertiam confirmationem dicimus pertinere ad potestatem iurisdictionis, & esse extra sacramentum, & in foro exteriori; sed obseruandum est, quod forum exterius duobus modis potest intelligi: vno modo, quod forum exterius idem sit quod coram ecclesia tātùm, & non coram Deo, & hoc modo est falsum: alio modo, quod sit idem quod extra sacramētum: tñ valeat coram Deo; & hoc modo dicimus indulgentias pertinere ad forū exterius, quia regimen ecclesiasticum visibile pertingit ad animam quoque; neque est propter bonum humanum purum, & temporalem, sed propter animam præcipuè. Vnde prælati in disciplina Ecclesiastica gerūt vicem Christi, sicut in sacramentis administrandis.

Ad tertiū argūm principale.

33 Ad tertium argumentum principale patet ex dictis suprà, qualiter istæ indulgentiæ habent fundamentum in Sacra scriptura, in Patribus, & Concilijs. Quod autem D. Hieronymus, Ambrosius, Augustinus de his non sit locuti, respondetur, quod hoc non fecerunt, quia non se se prębuit occasio. Locus ab auctoritate negatiuus nihil valet, satis est, quod D. Gregorius, & reliqui sancti Patres de his mentionem fecerint, vt vidimus.

An potestas concedendi indulgentias, sit ordinis, vel iurisdictionis. Caput Secundum.

Opin. quorundam, quod sit potestas ordinis.

34 DVrandus in 4. dist. 20. quæst. 5. refert duas opiniones, quarum altera asserebat potestatem concedēdi indulgentias esse potestatem ordinis, & simul potestatem regendi ecclesiam, seu curam Ecclesiæ. Quid verò illa opinio intelligat per curam Ecclesiæ, siuè per potestatē dispensandi thesaurum Ecclesiæ, vt ipse loquitur, an scilicet potestatem quandam tertiam distinctam à potestate ordinis, & iurisdictionis, vel potestatem iurisdictionis, nō explicat clarè Durandus: tamen vt elicitur ex responsione ad vltimum argumentum, videtur intelligere idem, quod potestatem iurisdictionis: hęc opinio videtur dicere, quod potestas concedendi indulgentias sit simul ordinis, & iurisdictionis, atque in hanc sententiam Durandus quoque propendet, licèt cum aliqua dubitatione: videntur quoque veteres Scholastici inclinare. Nam D. Bonauentura in 4. dist. 20. p. 2. art. 1. quæst. 3. Alensis 4. p. quæst. 23. m. 3. respondentes ad primum argumentum principale, quod probat concedere indulgentias pertinere ad sacerdotem, dicunt, quod tota virtus faciendi indulgentias est clauis, sed requiritur quoque potestas clauis cum iurisdictione.

Altera opinio, quod sit ptās iurisdictionis.

35 Altera opinio, quam ibi adducit Durandus, est, hāc potestatem esse non ordinis, sed iurisdictionis, quæ est cōmunior, quam omnes Theologi tenent, & vsus ecclesiæ comprobat.

1. Ratio pro prima opinione.

36 Pro prima opinione ex Durando, & alijs colliguntur hæc argumenta. Sacerdos simplex sine iurisdictionis potestate potest indulgentias concedere; ergo. Antecedens probatur. Omnibus sacerdotibus data est potestas remittendi peccata; ergo ea possunt remittere non solùm, quò ad culpam, sed etiam quò ad pęnam: vtrumque enim includitur in potestate remittendi peccata, scilicet culpam & pęnam: at remissio pęnæ est indulgentiam concedere; ergo sacerdos potest indulgentiam concedere.

2. Ratio.

37 Secundò. Nemo potest remittere pęnā nisi iudex, qui eam imposuit, sed in indulgentijs remittitur etiam pęna imposita à sacerdote, vt patet ex stillo concedendi indulgentias; ergo sacerdos simplex potest indulgentias concedere.

3. Ratio.

38 Tertiò. Nemo habet potestatem remittendi pęnam in foro interiori, nisi qui habet potestatem remittendi culpam, cui annexa est pęna; sed sic est, quod per indulgentiam remittitur pęna in foro interiori; ergo spectat ad sacerdotem indulgentias conferre, quia ad ipsum spectat absoluere à culpa, cui est pęna annexa.

4. Ratio.

39 Quartò. Quòd non sit potestas iurisdictionis, probatur, quia si esset actus iurisdictionis, posset exerceri etiā in inuitum, quod de indulgentia dici non potest. Consequentia patet, quia potestas iurisdictionis continet potestatem coactiuam.

5. Ratio.

40 Quintò. Si esset actus iurisdictionis, sequeretur, quod concedens indulgentias non posset illis frui: at videmus hoc esse falsum, quia indulgentiæ ita prosunt concedenti, sicut alijs; ergo. Consequentia probatur, quia nemo potest exercere iurisdictionis actum in seipsum.

6. Ratio.

41 Sextò. Videmus ecclesiam concedere indulgentias defunctis, & tamen certum est, quod ecclesia non habet potestatem iurisdictionis in defunctos; ergo non videtur hæc potestas pertinere ad iurisdictionem.

Vera sententia.

42 Hæc sententia est falsa, & opposita est vera, quam omnes Doctores Veteres, & Recentiores tenent: præsertim Recentiores agentes de indulgentijs, & Canonistę, vt Calderinus, & Panormitanus, quos refert, & sequitur Syluester, verbo *Indulgentiæ*, num. 13. & alij ab eo ibidem citati. Neque D. Bonauentura, & Alexander Alensis oppositum docent, quia apertè dicunt prædictis locis ad solos Episcopos, & præsertim ad Summum Pontificem pertinere dispensare thesaurum ecclesiæ, quia ipsi sunt sponsi ecclesiæ, & habent, ac generant filios spirituales: hæc autem desponsatio, & generatio filiorum fit per potestatem iurisdictionis, per quam acquiruntur subditi, non autem per potestatem ordinis, vt ex dictis suprà patet.

43 Est ergo dicendum, potestatem concedendi indulgentias per se, non consistere in potestate ordinis, neque eam necessariò præsupponere, nec requirere, sed consistere in potestate iurisdictionis. Prima pars probatur, quia nullus potest concedere indulgentias, nisi suis subditis, vt habetur cap. *Quod autem, de pœnitentia, & remissione.* Per potestatem autem ordinis nullus habet subditos. Vnde videmus, quod simplex sacerdos non habens aliquam parochiam, vel non admissus ab Episcopo, & simplex Episcopus,

Prima pars probatur 1. ratio.

pus, idest consecratus, sed non designatus ad aliquem Episcopatum, non possunt validè peccata remittere, nec quoque aliquo modo ligare, vel soluere, vt patet ex dictis suprà; & ratio est, quia non habent potestatem iurisdictionis; ergo potestas ordinis non est potestas concedendi indulgentias. Confirmatur, quia potestas ordinis non potest augeri, vel minui; hæc autem potestas potest augeri, vel minui, iuxta cap. *Cum ex eo, de pœnit. & remiss.* & cap. *Romana*, eodem tit. in 6. Quod autem potestas indulgentiæ non supponat potestatem ordinis, neque illa requiratur, patet ex vsu Ecclesiæ: quia sæpè Diaconi Cardinales, & alij ex concessione Papæ indulgentias concedunt, & ipse etiam Summus Pontifex, antequam sit consecratus, vel ordinatus in sacerdotem potest indulgentias concedere, sicut, & à censuris absoluere. Differentia autem inter potestatem ordinis, & iurisdictionis, ostensa est suprà agendo de clauibus Ecclesiæ.

Confirmatur.

2. pars probatur quod sit potestas iurisdictionis. 44 Secunda verò pars patet ex dictis præcedenti cap. vbi ostendimus, hanc potestatem datam fuisse in Petro Matth. 16. & Ioan. 21. quibus in locis dedit Ecclesiæ potestatem iurisdictionis, non ordinis; & confirmatur, quia in Ecclesia est tantùm duplex potestas, scilicet ordinis, & iurisdictionis: at hæc non est potestas ordinis, & vidimus; ergo iurisdictionis. Et confirmatur adhuc ex cap. allegato *Quod autem, de pœnit. & remiss.* vbi consultus Alexander, an indulgentiæ concessæ ab Episcopis in dedicationibus Ecclesiarum, &c. prosint alijs, quàm eorum subditis: respondet negatiuè, & rationem affert, quia sicut nemo potest à non suo iudice ligari, ita neque solui. Supponit ergo remissionē pœnæ, quæ per indulgentiā datur, esse actū iudicis, & cōsequenter pertinere ad actū iurisdōnis.

Ad primā rōnem pro opin. primā. 45 Ad primam rōnē pro priori opinione respōdetur, in sacerdote esse potestatem remittendi culpam, & etiam pœnam; sed pœna est duplex, scilicet altera, quæ est annexa culpæ, & cum culpa dimittitur; & remissio istius pertinet ad potestatem ordinis, & hanc dimittit simul cum dimittit culpam: altera est pęna, quæ non est annexa culpæ, sed supponit culpam dimissam, & hæc non requirit potestatem ordinis, quia iam culpa est dimissa, quæ spectat ad potestatem ordinis; sunt enim diuersæ istæ potestates, & diuersarum rationum, vt suprà diximus.

Alia respōsio melior. 46 Vel dicitur, quod falsum est sacerdotem habere potestatem dimittendi peccata, quò ad omnem pœnam temporalem. Nam licèt verum sit, quod ministerialiter dimittit culpam simul, & pœnam æternam, & aliquam portionem pęnæ temporalis, non tamen potest dimittere pęnam temporalem omnem, in quam æterna pœna commutatur: immò tenetur imponere satisfactionem condignam, & æqualem: alioquin si deficiat, pœnitens tenetur adimplere adæquatè illam in purgatorio; non extenditur ergo potestas ordinis ad pœnam temporalem omnem dimittendam.

Ad secūdā. 47 Ad secundam respondetur, pęna imposita ab inferiori iudice, potest auferri à iudice habente maiorem potestatem; potestas autem ordinis, & si sit maior potestate iurisdictionis quò ad dimissionem culpæ; tamen potestas iurisdictionis est maior ratione dimissionis pœnarum, quia est amplior. Vel dicas, & melius, quod potestas ordi-

Alia solutio melior.

[illegible] pœnam pęnitenti, nō ratione potestatis ordinis, [illegible] sed ratione iurisdictionis spiritualis, quam habet sacerdos: ideò non inconuenit, quod qui habet eandem potestatem iurisdictionis, etiam si non habeat potestatem ordinis, possit eam pœnam absoluere. Immò videmus, quod etsi sacerdos possit iniungere pœnitentiam pęnitenti; tamen non potest deinde illam condonare, sed pœnitens tenetur illam in purgatorio satisfacere; & hoc euenit, quia conferens sacerdoti potestatem iurisdictionis, confert eam illi ad soluendum à culpa, & ad ligādum ad pęnam; non autem ad soluendum à pœna; quod si concederet illi potestatem soluendi à pœna temporali, etiam posset; ergo potestas dimittendi pœnam est solius potestatis iurisdictionis.

48 Ad tertiam iam dictum est, pœnam, quæ est annexa culpæ, non posse dimitti, nisi dimissa culpa: ideo dimissio huius pœnæ, requirit potestatem ordinis, propter culpam: at indulgentia conceditur de pœna temporali, quæ restat dimissa culpa, ideo non pręsupponit, nec requirit potestatem ordinis. Ad tertiā.

49 Ad quartam respondetur, quod potestas iurisdictionis datur ad puniendum, & gratificandum; ratione punitionis habet vim coactiuam; ratione gratificationis nequaquam, sed habet solùm vim collatiuam beneficij, & gratiæ: quia gratia, & beneficium, non confertur inuito, præsertim beneficium, & gratia spectans ad salutem animæ, quia Deus nemini inuito confert sua dona: ideo licèt indulgentia non conferatur inuitis, non ob hoc sequitur, quin sit actus iurisdictionis. Ad quartā.

50 Ad quintam respondetur, quod concedens indulgentiam duobus modis considerari potest; vno modo, vt est superior, & dispensator indulgentiarum; alio modo, vt est persona priuata. Primo modo non potest exercere iurisdictionem in seipso; tamen secundo modo potest exercere: quia sic habet rationem duplicis personæ; nam quatenus superior, vt Vicarius Christi concedit sibi indulgentiam, vt est homo peccator. Ad quintā.

51 Ad sextam respondetur, quod Ecclesia concedit indulgentias defunctis alio modo, quàm viuis. Circa viuos habet actum iurisdictionis; circa mortuos nequaquam: ideò illas defunctis concedit per modum suffragij, de quo infrà proprio loco agemus. Ad sextā.

Vtrùm in Ecclesia sit thesaurus spiritualis, qui per indulgentias dispensari valeat Caput Tertium.

52 QVoniam dictum est suprà sæpius indulgentiarum concessionem, esse applicationem, seu dispensationem thesauri meritorū Christi, & Sanctorū. Videndū est, an huiusmodi thesaurus sit in Ecclesia, & quomodo per indulgentias dispensetur. In hac autem re nedum hæretici negant in Ecclesia esse hunc thesaurum, sed aliqui Catholici differenter tamen ab hæreticis. Nam hæretici negant meritum Christi, quidem facere ad liberandum nos à pœna temporali; quoniam volunt nobis per illud simul pœnam, & culpam dimitti; nunquam verò dimitti culpam sine dimissione pœnę temporalis. Inquiunt enim merita Christi ad iustificationem nostram prodesse, non ad hoc opus remissionis pęnarum, & satisfactionem, quod appellant sordidum opus, quasi nos vilificemus meritum Christi, vt patet ex art. 17. Lutheri à Leone X. condemnato; & multò minus volunt merita Sanctorum nobis ad hoc prodesse, quæ omninò negant: & dicunt nos, qui ea admittimus facere Sanctos Redemptores nostros cum Christo, vt vidimus hac disput. cap. 1. Ex Catholicis verò vnus est Franciscus Mayronus, qui in 4. dist. 19. q. 2. fuit huius singularis opinionis, quod huiusmodi thesaurus meritorum Christi, & Sanctorum, non sit in Ecclesia Christi, ex quo indulgentiæ desumantur, sed putauit Summum Pontificem indulgentias, & relaxationes pęnarum temporalium concedere, non per modum solutionis, sed per modum absolutæ potestatis, eo modo, quo Princeps habens plenitudinem potestatis in aliqua politia (inquit) omne debitū in illo Regno dimittere potest. Ait autem Pontificem Rom. factum fuisse sicut Principem habentem iurisdictionem plenariam in Ecclesia. Matthæi 16. cum dixit Petro. *Quodcunque ligaueris*, &c. Quod autem thesaurus meritorum Christi non sit in Ecclesia probat ex leuissimo fundamento, & doctrina de merito Christi malè intellecto. Inquit enim, quod Christus de omni merito suo fuit remuneratus abūdanter per nominis sui exaltationem, Philip. 2. *Humiliauit semetipsum*, &c. *propter quod, & Deus exaltauit illum* &c. Adiungit Suarez disp. 51. sect. 1. Opinionem Mayronis iuuari opinione Scoti, & aliorum qui asserunt meritum Christi esse valoris finiti. Qua in re non possum non satis mirari, cum sit merum menda-

Hæretici quō negāt thesaurum Ecclesiæ.

Opinio Mayronis.

Suarez falsò accōmodat opinionē Scoti et rons Mayronis.

mendacium Scotum negare Christi meritum esse infinitum, siquidem vt in 3. lib. suo loco diximus. Asserit Scotus meritum Christi esse infinitum, sed discrepat ab alijs in modo, & ratione, qua est infinitum. Siquidem alij volunt, quod sit infinitum seclusa acceptatione diuina, Scotus nequaquam, quod tandem fassus est idem Suarez. Quod autem Scotus admittat hunc thesaurum, infrà dicemus.

Opin. Durandi. 1. Ratio Durandi.

53 Durandus etiam ab omnibus adductus in 4. d. 20. q. 3. ausus est negare hunc thesaurum Ecclesiæ constare vltra meritum Christi, ex meritis Sanctorum. Ad quod adducit duo argumenta. Primum coincidit cum argumēto Mayronis, quod etsi non valeat de Christo, tamen videtur valere de Sanctis, & est omnes Sācti, B. Virgo, Apostoli, & alij omnes vltra condignum præmiati sunt, iuxtà illud Lucæ 6. *Mensuram bonā, & coagmentatam, & supereffluentem dabunt in sinum vestrum*, & illud Apostoli. *Nō sunt cōdigne passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis*; ergo quamuis multa, & maxima merita habuerint Sancti, tamen nihil redundat, quod in thesauro Ecclesiæ reponi possit.

2. Ratio.

54 Secunda ratio Durandi. Nullum opus vnius cedit in vtilitatem alterius, nisi à merente illi applicetur, & pro eo satisfacere proponat: at nobis non constat, quod Sancti habuerint intentionem applicandi eorum opera bona nobis, & pro nobis satisfaciendi, sicut constat de Christo, quem certi sumus voluisse pro nobis pati, & satisfacere, sed potius habemus, quod ipsi Sancti intenderint satisfacere, & mereri pro seipsis; ergo ex eorum meritis nihil superflui fuit, quod reponeretur in thesauro Ecclesiæ. Ex hac ratione infertur, quod dato casu, quòd Sancti aliquid meriti superflui habuerint, illud non potest poni in thesauro Ecclesiæ, vt nobis prosit, quia requiritur eorum voluntaria applicatio. Maior enim est euidens, quia quod est vnius proprium non potest fieri alterius nisi per actum voluntatis Domini conferentis, & dantis illam alteri.

3. Ratio.

55 Tertiò. Pro eadem opinione arguitur ab alijs; si esset verum, quod opera bona Sāctorum constituerint thesaurum hunc Ecclesiæ, sequeretur, quod in lege veteri, & ante Christi aduentum fuisset hic thesaurus in Ecclesia, & sine meritis Christi. Consequens videtur absurdum; ergo. Probatur consequentia, quia etiam tunc temporis Sancti, vt Abel, & alij potuerunt facere maiora opera bona pœnalia quàm essent debita, iuxta illud Iob. *Vtinam appenderentur peccata mea, & calamitas, quam patior in statera, quasi arena maris hæc grauior appareret*. Falsitas consequentis probatur: quia sequeretur etiam tunc temporis fuisse in Ecclesia potestatem dispensandi indulgentias: nam iam aderat thesaurus, & nisi dispensatus fuisset, inutilis extitisset, iuxta illud Ecclesiast. 20. & 21. *In thesauro abscondito, & inuiso nulla est vtilitas*.

4. Ratio.

56 Quartò. Hic thesaurus ex Sanctorum satisfactionibus, aut Christi dignitati derogat, aut nobis non est vtilis; ergo non est ponendus. Antecedens probatur, nam vel thesaurus ex meritis Christi est finitus, & tunc derogatur merito Christi, quod est infinitum; vel thesaurus hic Christi est infinitus; & tunc nihil ei addi potest, quia infinitum augeri non potest, vel saltem non est nobis vtilis illa additio, quia in Christo satisfactio est sufficientissima, cum sit infinita, & nihil valoris, aut efficaciæ ex aliorum meritis accipiat.

5. Ratio.

57 Quintò. Vel Christus sufficienter nos redemit à culpa, & pœna; vel non. Secundum non potest dici, quia est contra dignitatem satisfactionis Christi, & contra illud, *neque aliud nomen datum est hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri*. Si primum; ergo merita Sanctorum non possunt nobis prodesse ad redemptionem minimi peccati nedum quò ad culpam, sed neque quò ad pœnam per indulgentiam: quia illa solutio per indulgentiam esset quædam redemptio; ergo satisfactiones Sanctorum inutiles sunt in thesauro Ecclesiæ.

6. Ratio.

58 Sextò. Adest auctoritas D. Leonis Papæ epistola 83. & 97. cap. 2. quam omnes hæretici nostrorum temporum adducunt. *Mortui quidem (inquit) sunt Martires in bonum nostrum, sed vt constantia exemplum ederent, non vt donum iustitiæ nobis aquirerent*; ergo ex Sācto Leone merita Martirum nihil nobis prosunt, nisi exemplo.

59 Septimò. Si propter meritum Christi infinitum hic thesaurus est ponendus in Ecclesia, sequitur, quod hic thesaurus est infinitus; si est infinitus, sequitur, quod post diem Iudicij sit permansurus, & in æternum, & sequitur rursus, quod manebit sinè condigno præmio, quod repugnat excellentiæ diuinæ iustitiæ. Immò adhuc sequitur Deum non posse illum thesaurum exhaurire, aut condignè remunerare: quia post iudicium non erit vlla pœna pro qua satisfieri possit, & pro qua solutio fieri debeat. 7. Ratio.

60 Octauò. Caietanus tom. 1. Opusc. 16. q. p. adducit multa argumenta contra thesaurum hunc, quorum aliqua in adductis continentur; sed pręter hæc adducit alia, quæ alias dubitationes tangunt, in quarum enodatione illa dissolui habent: tamen ea hic ponere volui, & soluere, vt omnes obiectiones contra hunc thesaurum, saltem potiores hoc vno loco habeantur. Potest ergo esse octauum argumentum hoc.

61 Si admittatur hic thesaurus, ex quo indulgentiæ soluantur, sequitur, quod indulgentia non sit indulgentia, seu remissio, sed satisfactio, & persolutio, vsque ad nouissimum quadrantem: hoc autem repugnat significationi indulgentiæ, quæ videtur esse absolutio gratis facta. Confirmatur, quia dictum est, quod potestas hæc concedendi indulgentias data est à Christo, in illis verbis. *Tibi dabo claues*, &c. ergo cum innitatur virtuti clauium debet esse absolutio, non satisfactio; si autem fiat ex hoc thesauro indulgentia, erit translatio operum vnius ad aliud, non solutio; & sic virtute clauium nihil fieret, quod est contra verbum Dei. 8. Ratio.

62 Nonò. Si opera Sanctorum essent in thesauro Ecclesiæ, Spiritus sanctus non permitteret ibi illa manere otiosa, sed de facto succurrerent, quibus possent; ergo claues in hac re id efficerent, quod iam factum est, & sic eorum actio nulla est. 9. Ratio.

63 Decimò. Nullus Sanctorum sufficienter impleuit in hac vita mandata Dei; ergo non habent aliquod meritum redundans, & superfluum, ex quo hic thesaurus constituatur. Antecedens probatur. Primò. Per illud Christi, *Cum feceritis hæc omnia, quæ scripta sunt, dicite serui inutiles sumus*. Secundò. Quia sapientes Virgines Matth. 25. noluerunt communicare de oleo, timentes ne ipsis deficeret. Tertiò. Omnis Sanctus est debitor diligendi Deum quantum potest, immò vltra quam potest, sed nullus id facit, aut facere potuit; ergo. Quartò. Sancti per martirium (quod est opus perfectissimum) non faciunt vltra quam debent, immò vix faciunt, quod debent; ergo multò minus in alijs operibus plus fecerunt, quàm deberent. 10. Ratio.

64 Vndecimò. Hoc repugnat auctoritatibus Sanctorum; ergo. Antecedens probatur, quia D. August. asserit, omnibus Sanctis conuenire illud, *Dimitte nobis debita nostra*, sed qui confitetur debita non habent merita superabundantia; ergo. Et confirmatur ex illa prima Ioan. 1. *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est*; ergo Sancti non habent merita superabundantia. 11. Ratio.

65 Duodecimò. Omne opus bonum optimè factum est veniale peccatum, iuxta D. August. vbi suprà; ergo in quolibet opere semper peccauerunt, & semper minus fecerunt, & faciunt, quàm debeant; ergo nullum est meritum superabundans. 12. Ratio.

66 Tertiodecimò. Insignis iniuria fit meritis Christi si solùm pro pęnæ relaxatione expendantur. 13. Ratio.

Quartodecimò. Doctores dicunt merita Christi expēdi per indulgentias, & tamen dicunt opera nostra bona esse meliora, quàm indulgentiæ. Hæc pugnant. Aut ergo indulgentiæ non sunt merita Christi; aut omissis omnibus operibus nostris bonis sectandæ sunt indulgentiæ. 14. Ratio.

67 Quintodecimò. Doctores consulunt communiter, 15. Ratio.

ter, quod post indulgentias nihilominus est ieiunandum, &c. quia nemo scit an odio, vel amore dignus sit. Tunc sic. Aut ista sententia est impia in Deum, & Ecclesiam: aut merita Christi non sunt thesaurus indulgentiarum. Consequentia probatur, quia hæc sententia, & consultus videtur admittere, quod Ecclesia conferendo indulgentias nihil certi faciat. Hoc autem infert iniuriam ipsis clauibus; & etiam meritis Christi fit iniuria, quia videtur quod eorum applicatio sit innanis, & incerta, quod est blasphemia impia. Si autem illa sententia, & consultus Doctorum est falsus, post indulgentias susceptas non est amplius aliquod bonum faciendum, quia fit iniuria clauibus, & meritis Christi, quod si hoc est absurdũ, absurdum est quoque dicere, quod per indulgentiam applicentur merita Christi.

16. Ratio.

68 Sextodecimò. Si merita Christi sunt indulgentiarum thesaurus; ergo dispensans hunc thesaurum poterit remittere mortem, eiusque pęnas: hoc est absurdum; ergo. Consequentia probatur: quia alioquin merita Christi essent infirma.

17. Ratio.

69 Septimodecimò. Si absoluere in indulgentijs est dispensare thesaurum Christi; ergo etiam aliæ absolutiones dispensabunt thesaurum Christi; ergo absolutio ab excommunicatione dispensabit merita Christi, quod tamen non conceditur.

Opin. allata reijcitur, & opposita videt esse d fide.

70 Hæc opinio omnino est falsa, & reijcienda, & non solùm est falsa, sed erronea, & penè contra fidem. Nam in primis est contra Theologos in 4. d. 20. vel 21. vbi quærunt, An indulgentiæ sint. D. Bonau. d. 20. p. 2. a. p. q. 2. & alij eisdem locis in eodem quæsito. Alensis 4. p. q. 23. m. 1. Scotus quolibet 20. ar. 1. in solutione cuiusdam dubitationis hunc thesaurum Ecclesię supponit. Supponit enim relaxationem pęnarum purgatorij, quæ fit per indulgentias, fieri per modum solutionis, vt suprà ostendimus agendo de suffragijs. Recentiores omnes deinde conueniunt. Caietanus t. 1. opus. 15. de indulg. cap. 1. 2. & 3. Soto d. 21. q. 1. a. 2. Paludanus dist. 20. q. 4. Suarez disp. 51. sect. 1. qui alios citat. Pro hac sententia maximè facit Extrauagans Clementis VI. *Vnigenitus, de pęnitentia, & remis.* Asserit enim ibi Pontifex Christum Dominum in redemptione nostra voluisse effundere totum sanguinem, cum vna gutta sufficeret, sed vt ex eo in Ecclesia fieret thesaurus, ex quo pęnæ peccatorũ soluerentur. Habet enim hæc verba. *Quem in ara Crucis innocens immolatus, non guttam sanguinis modicam, quæ tamen propter vnionem ad verbum pro redemptione totius mundi generis suffecisset; sed copiosè velut quodam profluuium noscitur effudisse, &c. Quantum ergo exinde, vt nec superuacua, nec inanis, aut superflua tantæ effusionis miseratio redderetur thesaurum militanti Ecclesiæ acquisiuit, volens suis thesaurizare filiis pius pater, vt sic sit infinitus thesaurus hominibus, quo qui vsi sunt Dei amicitiæ participes sunt effecti, quem quidem thesaurum non in sudario repositum, non in agro absconditum, sed per Beatum Petrum cęli clauigerum eiusque successores suos in terris Vicarios commisit fidelibus salubriter dispensandum.*

Probat ex Sacra scriptura.

71 Thesaurus autem hic habet fundamentum in Sacra scriptura. Nam Ephes. 2. Paulus dicit. *Quod Deus qui diues est in misericordia propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, cum essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Christo Iesu,* &c. & infrà. *Vt ostenderet in sæculis superuenientibus abundantes diuitias gratiæ suæ in bonitate super nos in Christo Iesu.* & cap. 3. *Mihi enim omnium Sanctorum minimo data est gratia, hæc in gentibus Euangelizare inuestigabiles diuitias Christi, & illuminare omnes, quæ sit dispensatio sacramenti absconditi in sæculo à Deo.* His verbis methaphoricis. *Abundantes diuitias gratiæ, inuestigabiles diuitias Christi.* Certè docet Paulus esse in Ecclesia thesaurum spiritualem meritorum, & gratiarum Christi, & hunc thesaurum esse dispensandum nobis, & pro nobis. Thesaurus enim materialis fit ex diuitijs materialibus ad vtilitatem illorum pro quibus dispensatur; ergo proportionaliter merita, & gratiæ Christi, quibus Regnum cęleste adipiscimur certè dicitur thesaurus Ecclesiæ, & fidelium. Et cum istæ diuitiæ facientes thesaurum hunc sint *abundantes super nos, & inuestigabiles,* sequitur necessariò illas nobis prodesse nedum ad gratiam consequendam, & culpam delendam, sed etiam ad dimittendam pœnam, & quidem eo modo, quo dispensator diuitiarum huius thesauri ab ipso Christo constitutus iudicauerit expedire. Vnde cum sæpè dimittatur sola culpa ipsis fidelibus, & remaneat aliqua pœna temporalis rationabiliter ex diuitijs huius thesauri per dispensatorem illarum, istæ pœnæ dimitti possunt, quod est indulgentias dispensare.

72 Ex his facilè intelligitur ineptissimam esse hæreticorum petitionem, vbi sit thesaurus iste Ecclesiæ, ex quo sumuntur indulgentiæ, quasi hic thesaurus sit res aliqua materialis, quæ requirat aliquem locum materialem, in quo merita Christi custodiantur. Thesaurus hic est cumulus meritorum, & gratiæ Christi exististens in diuina acceptatione, & pręsentia propter oblationem, & passionem Christi, ibi manens ad vtilitatem nostram cuius claues habent ministri, quos Ecclesiæ suæ pręfecit; & propter hoc dicitur thesaurus Ecclesiæ: quia est propter Ecclesiæ vtilitatem, & eius dispensatio est in potestate Ecclesiæ.

Hæreticorũ vana interrogatio vbi sit thesaurus Ecclesiæ refellitur.

73 Secundo loco euidentissimè facit pro thesauro hoc Ecclesiæ locus Pauli ad Coloss. primo, suprà in disp. de suffragijs adductus, & explicatus. *Gaudeo in passionibus pro vobis, & adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi in carne mea pro corpore eius, quod est Ecclesia, cuius factus sum ego minister secundum dispensationem Dei.* Nam eo loco habetur non solùm Christum Dominum passum esse pro Ecclesia; sed etiam Paulum, & Paulum addidisse sua merita meritis Christi pro Ecclesia. *Adimpleo ea,* inquit, *quæ desunt passionum Christi.* Non quod meritis Christi aliquid deesset, sed ad maiorem Sanctorum perfectionem, & charitatis communicationem voluit Sanctorum satisfactiones, & merita suis coniungi. Coniunctio ergo hæc satisfactionum cum satisfactionibus Christi implent thesaurum Ecclesiæ pręedictum.

Alius locus pro thesauro.

3. Locus.

74 Tertio loco facit pro hoc thesauro illud, quod habet Paulus 2. Corinth. cap. 12. *Non quæro quæ vestra sunt, sed vos, nec enim debent filij parentibus thesaurizare, sed parentes filij; ego autem libentissimè impendam, & semper impẽdar ego ipse pro animabus vestris.* In his enim verbis D. Paulus significat se Patrem spiritualem thesaurizare filijs suis, quos per Euangelium in Christo genuerat, & in hunc finem se esse paratum ad vitam pro illis tradendam. Signum est ergo merita, & labores Pauli cessisse in vtilitatem Corinth. ac thesaurum pro illis constituere, & 2. ad Corinth. 8. idem significat dum ait. *In pręsenti tempore vestra abundantia illorum inopiam suppleat, vt & illorum abundantia vestræ inopiæ sit supplemẽtum.* Hortatur enim eos, vt suis bonis temporalibus suppleãt inopiam eorum, qui egent, vt participent bonis spiritualibus, qui illorum abundant. Quod etiam significauit Christus Dominus, Lucæ. 16. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, qui vos recipiant in æterna tabernacula.* Significat enim bona temporalia elargienda esse Sanctis, vt ab illis pro commutatione recipiant bona spiritualia, & illis diseratur: Sanctorum ergo merita ditant illos, qui minus abundantes illorum sunt; ergo sunt veræ diuitiæ spirituales fidelium; ergo verè constituunt thesaurum Ecclesiæ.

4. Locus.

5. Locus.

75 Tandem confirmatur rationibus, quibus agendo de suffragijs probauimus communionem Sanctorum: communicatio enim suffragiorum esse nõ potest, nisi adsit thesaurus aliquis in quo omnia illa constituta sint, & pro necessitate cuiusque educantur.

Confirmatio.

76 Omitto Patres, quos adducere longum esset. Sufficiat hic D. August. locus 21. de Ciuitate Dei, cap. 27. *Est enim quædam* (inquit) *fidelium vita non tam bona, vt ad Beatitudinem celestem adipiscendam eis ipsa sufficiat, nisi eorum meritis, quos amicos per eleemosinam fecerunt misericordiam consequãtur.* Merita ergo iustorum ingrediuntur

Ex D. August.

tur

tur thesaurum Ecclesiæ, vt alijs fidelibus prosint; istæ sunt diuitiæ spirituales.

Quo merita Sāctorū reponātur ī thesauro ecclesiæ.

77 Quantum verò ad modum, quo merita Sāctorum reponantur in thesauro Ecclesiæ, & alijs applicari possint, non eodem modo explicatur à Doctoribus. Aliqui enim dicunt opera meritoria Sanctorum esse ita propria ipsius iusti merentis, vt non possit ea alijs applicare, & donare, seu per illa pro alio aliquid soluere, vel satisfacere; & ita hac ratione, non posse poni in thesauro Ecclesię: quia non sunt aliquid redundans, neque superabundans necessitatibus Sanctorum; sed quia ista opera meritoria Sanctorum etiam habent vim impetrandi aliquid alijs merendo illud de congruo eis. Cum enim iustus facit aliquod opus bonum vltra pręmium proprium essentiale ad gloriam, & satisfactionem pro proprijs pœnis, habet etiam quandam congruitatem, vt Deus illis operibus adiuuet alios, & eis beneficia conferat, & hac ratione ista merita dicuntur esse superabundantia illi iusto, qui facit illa, & hac ratione ponuntur in thesauro Ecclesiæ.

Opin. Scoti malè intellecta à Suarez.

78 Hanc sententiam tribuit Suarez, Scoto 3. par. t. 3. disput. 79. sect. 9. versus finem, vbi agit de valore sacrificij Missæ. Inquit enim ibi Suarez, Scotum quolib. 20. a. 1. & Gabrielem negare sacerdotem offerentem sacrificium Missæ posse alijs applicare fructum proprium illius sacrifiuij, ex hoc autem sequi videtur vnum non posse pro alijs satisfacere, inquit Suarez; & ratio eius est, quia satisfacere pro alio est merito, seu opere pœnali pro se satisfactorio, seipsum ex charitate spoliare, & alteri donare; neque enim eodem opere, & pretio potest quis sibi, & alijs prodesse per modum satisfactionis, & solutionis.

Allatus modus ponēdi thesaurum Ecclesiæ reijcit à Suarez.

79 Hunc modum constituendi thesaurum Ecclesiæ reijcit deinde Suarez, quia videtur excludere satisfactiones Sanctorum ab hoc thesauro, & supponere, vnum fidelem non posse satisfacere pro alio, & pœnam soluere, quæ ambo sunt falsa, & repugnant modo loquendo Pontificum, Leonis X. in Decreto relato à Caietano 3. par. q. 28. a. 5. quo ipse Pontifex docet, Papam posse concedere indulgentiam ad remittendas temporales pœnas. *Ex superabundantia meritorum Christi & Sanctorum*, & Bullæ Clem. VI. *Vnigenitus*, suprà nunc relatæ, in qua Pontifex asserit thesaurum Ecclesiæ constare ex meritis B. Mariæ, & omnium electorum.

Opin. Suarez.

80 Propter has rationes, Suarez asserit thesaurum Ecclesiæ constitui ex meritis Sanctorum hoc modo. Primò. Supponendum est, vnum iustum posse satisfacere pro alio propter vnionem charitatis. Secundò. Supponendum est multos homines Sanctos fecisse multa opera pœnalia, quæ valeant pro satisfactione pœnæ temporalis peccatis debitæ, qui, vel nullum peccatum mortale commiserunt, vt constat, de B. Virgine, Ioanne Baptista, & alijs, vel paucissima, vt alij Sancti. Et tamen ieiunijs, orationibus, & maximis operibus pœnalibus longo tempore se se afflixerunt. Huiusmodi ergo opera pœnalia, cum sint satisfactoria, & pro ipsis operantibus sint redundantes, ponuntur in thesauro Ecclesiæ, & sic ex istis fit thesaurus, & cumulus meritorum, ex quo eliciuntur indulgentiæ, & ait hanc esse communem sententiam Theologorum.

Opi. auctoris ex Scoto.

81 Res ista, meo iudicio, est difficilis, & licèt hic modus explicatus à Suarez videatur modus communis explicādi hūc thesaurum Ecclesię, quem apertè vt communem tradit, & explicat Caiet. to. 1. tract. 16. qui est de indulgentijs q. 1. in corpore, tamen non est mihi certum, hanc explicationē esse cōmunē omnib. Doctoribus: immò hūc modū explicandi puto repugnare modo loquendi Summorum Pontificum, & antiquis Doctoribus; præsertim autē hunc modum explicandi non esse ad mentem Scoti, quam maximè mihi videtur, sed modum constituendi hunc thesaurum ex meritis Sāctorum (quò ad hoc enim est difficultas nō de meritis Christi) puto ex Scoto esse istum, salua veritate, & meliori iudicio in omni opere bono, quod facit iustus, est triplex meritum, & valor, seu pretium. Est meritum personale illius, qui facit opus bonum pęnale; præter autem hoc meritum personale, & pretium, ac valorē quo valet ipsi operanti est aliud duplex meritum, valor, & pretium; nimirum meritum Ecclesię: nam faciens bonū opus nō solùm meretur, & aquirit aliquod meritum sibi, & valorem, sed acquirit etiam merita ipsi Ecclesiæ vniuersali propter communionem Sanctorum; omnes enim fideles per vnionem charitatis participant de meritis aliorum. Tertium est pretium, & meritum, quo alteri particulari ad libitum suum potest prodesse; de quo nunc nō loquar, sed dixi in disp. de sacrificij Missæ valore. Cum enim quis facit opus bonum in eo est portio, quam potest applicare alijs ad libitum; & hic valor, & meritum est distinctum à reliquis duobus, de quo suo loco. Pręter ergo meritum personale, & meritum hoc, quod alteri applicare quis potest, est meritum generalis Ecclesiæ, & sic vnumquodque opus bonum valet nedum operanti, sed toti Ecclesiæ; & merita Ecclesiæ cumulantur ex huiusmodi meritis. Vnde mihi videtur, quod thesaurus Ecclesiæ quò ad merita Sāctorum constituatur ex meritis eorundem Sanctorum, prędicto modo. Adeo quòd ego non puto, quod merita Sanctorum, quæ recipiuntur in thesauro Ecclesiæ, & quæ dispensantur per indulgentias sint merita personalia operantium, quibus ipsi satisfaciunt pro pœnis suorum peccatorum si illa habent, quæ quando non habent debitum soluendi huiusmodi pœnas redundent, & superflua sint, ac vt sic reponatur in thesauro Ecclesiæ, & illum cum meritis Christi constituant; sed puto, quòd quodlibet opus meritorium pœnale satisfactorium cuiusque iusti etiam si teneatur multum pro seipso satisfacere habeat portionem valoris, & pretij, & satisfactionis, quæ ponatur in thesauro Ecclesiæ, ac ex illis cumulus, & thesaurus Ecclesiæ constituatur, & ille valor, & pretium sit meritum secundi, & tertij generis, & hoc meritum sit illud, quod superabundans dicitur.

Allatā opinionē esse Scoti.

82 Quod autem hæc sit opinio Scoti, & quod sit vera, probandum est. Et quidem quod sit opinio Scoti, & vera, elicitur ex Scoto quolib. illo 20. a. 1. Nam Scotus, ibi apertè dicit, quod meritū potest intelligi valere alicui, vel pro alio in triplici gradu: vno modo specialissimè, & sic semper valet oranti, quando est in gratia: alio modo generalissimè, & sic valet soli Ecclesiæ: tertio modo valet illi, cui per orantem specialiter applicatur; quod probat, quia Ecclesia ordinatur, speciales orationes in Missali Romano pro hoc, & illo, quod nihil esset, si oratio, & opus bonum non possint applicari ab orante, & faciente opus bonum huic, & illi. Probat deinde Scotus, meritum, & valorem personalem alteri minimè applicare posse ab ipso merente, hac ratione: quia operans opus bonum producit, & efficit opus illud bonum ex bono motu animi sui, & proinde ille motus, & opus bonum non sic est alterius pro quo orat, vel cui applicat, sicut orantis. Ex hoc infert Scotus, quod iste sic operans hoc suum meritum personale, & proprium non potest alteri dare, & seipsum spoliare sic, quod non sit suum meritum ordinata voluntate, quia magis tenetur ex charitate diligere seipsum, quàm alium. *Immo*, inquit Scotus, *forte nō posset dare alteri sic quin istud esset peccatum*. Hæc est ratio Scoti, quæ probat totum illud pretium, & valorem, qui in opere satisfactorio, & pęnali iuuare, & valere potest pro operante, quod est meritum personale ex ordinata voluntate, non posse alteri applicari.

Ratio Scoti explicat. & corroboratur.

Distinctio Caietani & Suarez refellitur.

83 Ex quo ego vlterius deduco, quod distinctio illa adducta à Caietano, à Suarez, & alijs, quod meritorium opus potest cōsiderare, vt meritorium, & vt satisfactoriū, & quod vt meritorium valet oranti, vt satisfactorium potest alij applicari, non rectè intelligitur, nec rectè explicatur. Nam ratio meritorij, & satisfactorij sic distinguuntur in opere meritorio, vt ex parte subiecti, scilicet operis sint duæ distinctæ rationes, quarum vna sit satisfactoria, altera meritoria, sed tota distinctio est penes effectum: nam idem valor, & pretium, & meritum operis quatenus placet Deo, & illius intuitu confert, vel auget gratiam, & glo-

gloriam, dicitur meritorium, & meritum essentiale: quatenus verò Deus ex intuitu eiusdem valoris dimittit, & relaxat pœnam temporalem debitam, dicitur satisfactorium, & habet rationem solutionis. Ex quo deducitur vlterius, quod cum quis est debitor magnæ pœnæ temporalis propter multa peccata commissa iam dimissa sibi, opere illo pœnali auget sibi quidem gratiam, & gloriam, & simul satisfacit pro pœna sua. Non puto tamen sibi augeri tantã gratiam, & gloriam, quantam sibi augeretur, si non esset debitor pœnæ temporalis: nam valor ille cũ sit finitus, partim valeret pro pœna soluenda, partim pro gratia, & gloria augenda, si autem non esset debitor pœnæ temporalis totum valeret pro augmento gratiæ, & gloriæ.

84 Ex hoc habet euidentiam ratio Scoti, per quam probat neminem posse dare alteri meritum suum personale, neque etiam in ratione satisfactionis, quia meritum illud personale semper est vtile ipsi operanti, quia si est debitor pœnæ, illam delet, & auget gratiam, & gloriam: si verò nõ est debitor alicuius pœnæ temporalis multo magis auget gratiam, & gloriam ipsius orantis, & operantis: ordinata autem voluntas, & charitas vult, quod magis diligat, & velit sibi augmentum gratiæ, & gloriæ, quàm alteri solutionem pœnæ debitæ, quia bona supernaturalia, cum sint bona suprema, & maximè nos coniungentia vltimo fini, & maximè actus charitatis, & gloriæ ex charitate sunt nobis omni conatu perquirenda: nec debemus merita, ad hoc vtilia alijs dare, quia esset negligere tantum bonum.

Suarez explicat malè quid sit satisfacere pro alio.

85 Ex his patet opinionem Suarez, & aliorum esse falsam, dum dicunt satisfacere pro alio esse expoliare se opere satisfactorio ex charitate, & alteri tribuere. Hoc.n. est falsum, quia actus iste esset inordinatus, sed satisfacere est applicare meritum secundi, & tertij generis, vt dictum est: hoc enim est meritum redundans, & superabundans. Et ex hoc etiam infertur falsum esse aliud assertum Suarez ibidem, scilicet quòd aliquando potest contingere, vt homo peccet donando, & tamen donatio teneat, hoc enim est falsum in proposito nostro, quia ideò opus pœnale est satisfactorium, quia est bonum, & rectè circunstantionatum: at cum opus est contra charitatem, & inordinatum non est bonũ; ergo nec meritoriũ, nec vilius valoris, & consequenter non est satisfactorium pro illo alio.

1. Confirmatio.

86 Confirmatur prædictus modus thesauri, & eadem ratio Scoti. Ex ordinata charitate teneor prius diligere animam meam, quàm proximi, & consequenter magis gloriam meam, & intensionem gloriæ meæ, quàm gloriam proximi, & intensionem, & accellerationem illius: at merita mea, secundùm quod personalia sunt, & mihi valent, valent ad hanc gratiam, & gloriam, nedum consequendam, sed augendam; ergo contra charitatem est, vt ea etiam in quantum satisfactoria alteri donem.

2. Confirmatio.

87 Confirmatur à simili, si quis debeat alicui centum, & non habeat nisi centum, non potest illa centum donare alteri, vt suo debito satisfaciat; sed tenetur suum debitum satisfacere; ergo à simili si quis tenetur ad pœnam temporalem pro suis peccatis, & non habet nisi tot merita, quæ sufficiant ad soluendum illam pœnam, non potest illas satisfactiones, & merita alteri donare, vt ille pro suis pœnis satisfaciat, & ipse debitor maneat: hoc enim videtur esse contra rationem rectam, & videtur esse cõtemptus sui creditoris, prius pro se soluere debet, deinde pro alijs, si põt.

3. Confirmatio.

88 Confirmatur adhuc vtrunque, & distinctio allata Caietani, & Suarez impugnatur. Si qui meretur opere bono pœnali posset sibi eodem opere mereri præmium essentiale, scilicet augmentum gratiæ, & gloriæ, & alteri satisfactionem, & solutionem pœnæ debitæ, sequeretur, ꝙ tã qui est debitor magnæ pœnę propter multa peccata sibi dimissa, quàm qui nullius pœnæ est debitor, & tamen faceret eadem opera pęnalia, haberet idem præmium essentiale, & augmentum gratiæ, & gloriæ. Consequens videtur esse falsum; ergo. Consequentia probatur, quia faciunt æqualia opera bona meritoria; ergo præmium ęquale essentiale illis respondere debet. Absurditas consequentis probatur, quia est contra cõem sñiam fidelium, ꝙ qui pauciora peccata cõmittit, & plura opera bona facit maiorem gratiam, & gloriam nõ consequatur. Qui ergo hñt debita soluenda non merentur tantam gr͞am, & gloriã, quantã non debitores, q͞a etsi habeant ęqualia opera meritoria, aliqua pars illorũ cõsumitur in satisfactionibus ꝓ pęnis proprijs.

2. Rõ principalis.

89 Secundò principaliter. Modus constituendi thesaurum ecclesiæ assignatus ex doctrina Scoti videtur esse cõformis modo loquendi Pontificum; & modus Caietani, & Suarez, & aliorum nequaquam; ergo. Antecedens probatur Clem. VI. in Extr. *Vnigenitus* adducta, hēt hęc verba. *Ad cuius quidē thesauri cumulum B. Dei Genitricis oĩũ electorum à primo iusto vsque ad vltimum merita adminiculum præstare noscuntur, de cuius consumptione, seu minutione non est aliquatenus formidandum: tum propter Christi (vt prædictum est) merita, quàm pro eò, quod quanto plures ex eius applicatione trahuntur ad iustitiam tanto magis accrescit ipsorũ cumulus meritorum.* Ex his habemus, ꝙ oẽs iusti à primo vsq. ad vltimũ, suis meritis augent hũc thesaurum ecclesiæ: at est certissimũ, ꝙ non oẽs electi, & iusti hñt satisfactiones superfluas, & redundantes: tolleretur enim purgatorium, in quo tam multi electi post hanc vitam satisfaciunt pro proprijs pœnis debitis; ergo thesaurus ecclesiæ non constituitur ex satisfactionibus, quæ ipsis operantibus nõ sunt necessariæ, & alijs donantur ex charitate, q͞a istæ nõ sunt in oĩbus electis: sed est necesse asserere in quolibet opere meritorio iusti esse portionem quandã alijs applicabilem absq. diminutione proprij meriti personalis, q̃ portio est meritum illud, ꝙ Scotus appellat meritum generalissimũ, ꝙ ecclesiæ valet: & certè verba illius Extrau. hũc sensũ ferrunt, & alię Extrau. Leonis X. & aliorũ eodē modo se hñt, & hic est sensus verus harũ Decretaliũ, nõ aũt recurrere ad meritum impetrationis, vt facit Suarez.

Confirmatur.

90 Confirmatur quia diximus suprà agendo de suffragijs, quod est articulus fidei in ecclesia esse *cõionem Sanctorũ*: hæc aũt cõio, est participatio suffragiorum, & meritorũ ad inuicē in ecclesia Christi, iuxta illud, *Alter alterius onera portate*. At hæc cõicatio meritorum nõ põt esse solùm ex operibus supererrogationis, & superabundantibus ad nr͞as satisfactiones: quia certè hæc suffragia essent valde pauca, cũ certum sit plura esse peccata, quæ cõmittimus, q̃ opera bona. Est ergo dicendum, hanc cõicationē fieri in oĩbus operibus bonis, & proinde in quolibet opere bono, vt dicebat Scotus, esse præter valorem personalem valorē vniuersalem, qui valet pro tota ecclesia.

Ad primã rationē cõtra thesaurum.

91 Ad rationes adductas cõtra hũc thesaurum ad primam resp. ꝙ quò ad meritũ, & valorem personalē de condigno, & suprà condignũ remunerati sunt, & nihil est in eis redundans: at nõ sequitur pp hoc, ꝙ in meritis iustorũ non sit meritum, & valor gn̄alis, seù vt est opus vnius mēbri ecclesiæ, q̃ valeat ꝓ tota ecclesia, & constituat thesaurũ ecclesiæ, vt dictũ est, quia hoc meritũ non ptinet ad ꝑsonã merentis, vt est particularis persona, sed vt est mēbrũ ecclesię vniuersalis: ideò beatitudo particularis nõ est illi ꝓmiũ.

Ad secũdã

92 Ad II. ꝙ etsi Sancti hoc meritũ actu nobis nõ applicauerint, applicauerunt tñ virtute quatenus sunt mēbra ecclesiæ vniuersalis: merita .n. illa nõ sunt illius particularis, sed ecclesiæ, quò ad illã portionem: constat aũt ecclesiã velle huiusmodi merita nobis valere, tũ propter articulum cõmunionis sanctorum tum propter auctoritates Sanctorũ, tũ denique pp vsum ecclesiæ, quæ est vera interpres vocis sui sponsi Christi, cui in Apostolis dixit Io. ca. 16. *Habeo vobis multa dicere. sed non potestis portare modò, cum autem venerit Spiritus veritatis docebit vos omnia.*

Ad tertiã.

93 Ad III. cõceditr thesaurũ ecclesiæ inchoatũ fuisse in lege naturę ab Abel. Id .n. aptè docet Extr. Clem. 6. negatr tñ pro illo tpe ante Xp̄i aduentũ, & mortē debuisse dispēsari, vt nũc fit per indulgentias: quia etsi esset inchoatus, non tñ erat consumatus, sed consumari debebat per Xp̄m Dñm nostrum, & per eum dispēsari, qui ab eo constitutus fuisset dispensator eius, cuiusmodi est Sũmus Pontifex, & alij prælati, vt suprà visum est, & videbimus infrà.

Ad quartũ. 93 Ad IV. resp. proculdubio merita Sanctorũ nõ fuisse, nec esse necessaria ad constituendũ hunc thesaurũ, quia meritum Xp̃i est de se infinitum, & sufficientissimum omnibus modis, & merita ipsa Sanctorum hñt vim ex meritis Xp̃i; sed Dñs voluit hæc merita Sanctorum suorũ addi suis pp honorem ipsorum Sanctorum, & gloriã suiipsius, qui sic mereri voluit, vt non solùm ipse, sed sui filij etiam pro alijs mereri valerent; ac vt in Ecclesia esset hoc vinculum charitatis, vt vnus alij prodesset. Infinito ergo eius merito fit additio ex his alijs meritis non intensiuè, quia sic infinito non potest fieri additio, sed extẽsiuè per additionem horum diuersorum meritorum: & hanc esse voluntatem Christi, cognoscimus ex articulo communionis Sãctorum nobis ab ipso proposito, & imposito, & alijs rationibus superius adductis.

Ad quintũ. 94 Ad V. Christus fuit perfectissimus Redemptor, & quò ad culpã, & quò ad pęnã; neq. Sancti pñt dici nostri Redẽptores, neq. in toto, neq. in parte; quia ad hoc, vt quis sit Redemptor dẽt hr̃e proprium meritum per se independens ab alio. At merita Sanctorum fundantur in merito Xp̃i; non ergo prosunt merita Sanctorum ad redẽptionẽ à culpa, vel pęna, sed ad satisfaciendum pro nostris pęnis, supposita Redẽptione facta à Xp̃o, & ordinatione ipsius, vt sic iusti iouent apud ipsum alios minus iustos, & peccatores; & per hoc occluditur os hr̃ticis, qui sp Catholicis obijciunt hæc merita Sanctorũ, & orõnes eorũdẽ derogare dignitati meriti Xp̃i. Nõ derogat aũt, qa nõ addimus illa ex indigẽtia, & insufficiẽtia valoris meriti Xp̃i; sed quia sic Xp̃s voluit ad nutriẽdã charitatẽ in ecclesia sua inter fideles, vt mutuò sibi subuenirẽt: & pp honorẽ ipsorũ Sãctorũ quos voluit socios, & iudices aliorũ secum constituere.

Os hæreticis occluditur.

Ad sextã. 95 Ad VI. respond. quod totus locus B. Leonis est hic. *Quãuis multorum Sanctorum in conspectu Domini pretiosa mors fuerit, nullius tamen insontis occisio propitiatio mũdi fuit. Accipere iusti, non dedere coronas, & de fortitudine fideliũ exẽpla sunt nata patientiæ non dona iustitiæ. Singulares quippè in singulis mortes fuere, nec alteri quispiam debitum suo fine persoluit. Cum inter filios hominum vnus solus Dominus noster Iesus Christus extiterit, in quo omnes crucifixi, oẽs sepulti omnes sunt etiam suscitati.* Hæc S. Leo, in quibus nihil adest contra merita Sanctorum, nec contra Indulgentias. Negat B. Leo passiones Martyrum fuisse propitiationem mundi, & salutem vniuersalem attulisse, vel alicui aliquod donũ iustitiæ contulisse: quia hęc omnia propria sunt Xp̃i: non aũt negat Martyres per passiones suas aliquo modo nobis meruisse, & eorum merita nobis prodesse, nimirum per beneplacitum Dei, & ex charitate, sicut nos sustinemus, vt explicauimus.

Ad septimã 96 Ad VII. Concedit Suarez disp. 51. sect. 1. in fi. hunc thesaurum duraturum vltra diem Iuditij, & perpetuò, & in eo futuras esse satisfactiones sufficienter ad infinita peccata remittenda, & indulgentias in infinitum concedendas, neq. tamen esse otiosum, licèt nulla exhiberetur: sicut nec potentia Dei est otiosa etiam si infinita operari possit, quæ non operatur; quia est attributum connaturale ipsi Deo pertinens ad perfectionem eius.

Reijcitur responsio Suarez. 97 Verùm licèt verissimum sit, thesaurum hunc esse infinitum, & pro infinitis peccatis, & pęnis in infinitum si dari possent valere: tamen dicere, quod hic thesaurus debeat permanere post diem Iuditij, videtur omninò absurdum; quoniam hic thesaurus est constitutus voluntate Dei pro ecclesia militante, nõ pro triumphante: ideò durabit pro tempore illius, nõ post: ideò post diem Iuditij etiam si valor meritorum Christi permanebit, tñ non hẽbit amplius rõnem thesauri, & pretij ad soluendum debita; & merita Sanctorũ non amplius valebunt, quia hæc cõio ordinata est à Christo Domino pro ecclesia militanti; tunc autẽ omnes creaturæ ad suum finem erunt perductæ, & sic nulla amplius erit suffragiorum cõmunicatio, neq. satisfactio.

Ad octauũ. 98 Ad argumenta sumpta ex Caiet. ipse diffusè rñdet, breuiter dico. Ad VIII. resp. ꝙ indulgentia secũdũ diuersos actus diuersis nominibus appellatur: ideò indulgentia quatenus respicit eum cui conceditur, dr̃ relaxatio, & absolutio: quatenus respicit diuinam iustitiam, dicitur solutio, & vsque ad minimum quadrantem: voluit enim Deus tanto vinculo iustitiam, & misericordiam necti, vt simul voluerit parcere peccatis nostris, & iustitiæ satisfacere per merita sui filij, & amicorum Christi, qui sunt Sancti.

99 Ad confirmationem respondetur, quòd, etsi applicatio indulgentiarum sit solutio, seù trãslatio operum, tñ non sequitur, quòd claues nihil efficiant: applicant enim illi merita Christi, & Sanctorum, & liberant eum ab obligatione reddendi illam pęnam, & hęc est absolutio. Ad confirmationem.

100 Ad IX. respond. ꝙ opera Christi, & Sanctorũ, vt constituunt hunc thesaurum ante applicationem ipsorũ, etsi nulli valeant, non sunt tamen otiosa; quia vt dictũ est à Deo ordinata sunt sic, vt pro ecclesia valeant, & ab eius ministris dispensentur, non aũt vt pro aliquo particulari sinè applicatione valeant: ideò non sunt otiosa, quia non ad alium finem, nisi ad hunc constituta sunt secundùm illã portionem, secundùm quam constituunt thesaurum ecclesiæ: secundùm alias rationes verò efficiunt suos effectus, vt est augmentum gratiæ, & gloriæ in Sanctis, & merita Christi dimittunt culpas, & pęnam æternam alijs, & efficiunt reliquos alios effectus. Ad nonam

101 Ad X. resp. ꝙ Sancti duob. modis cõsiderari pñt: vno mõ in suis iurib. naturalib. præcisè: alio mõ simul cũ gratia Dei, & auxilijs diuinis: primo mõ nullus Sanctorũ impleuit mandata Dei, & hoc est, ꝙ dicit auctoritas *cum hæc omnia feceritis*, &c. qm̃ etsi mandata impleuerint, non tamen ex suis solis uirib. fecerunt, sed ex gratia Dei: secundo modo falsum est, illos non adimpleuisse mãdata Dei, & non meruisse etiam alijs: quia Deus ordinauit, ꝙ q gratia sua operantur bonũ, nõ solũ sibi prosint, sed ẽt alijs per cõicationem, vt visum est. Ad illud de Virginib. rñdet, ꝙ oleum, ꝙ Virgines dare timuerunt fatuis Virginib. significat meritũ personalem, ꝙ nemo alteri dare dẽt, sed sp cũ timore, & tremore operari salutẽ suam, iudicans se nunq̃ satis, & sufficienter operari. Hoc aũt non obest merito generali, ꝙ constituit thesaurum ecclesiæ, vt dictum est. Ad tertiã probationem falsum est, ꝙ pręceptum dilectionis ꝓ hac vita obliget quantum põt, & vltra quam põt, qa Deus non præcipit impossibilia. Illæ enim condõnes *ex tota mẽte*, &c. nõ cadunt sub præcepto in hac vita, vt patet: sed illud præceptũ obligat solũ ad non hñdum actũ cõtrarium diuinæ dilectioni. Intelligendo aũt absolutè, quod Sãcti, & oẽs teneantur quidquid faciũt ad Deum rõne Creationis, Redemptionis, &c. Rñdetur, ꝙ etsi hoc verũ sit, tamẽ Deus ex sua magna misericordia liberauit nos ab hac stricta obligatione, & cõtentus est, vt sola præcepta eius obseruemus. Vndè dando præcepta relaxauit nos ab alijs obligationib. & hac rõne Sancti pñt hr̃e plura opera supererogationis, vt diximus suprà agẽdo de satisfactione. Ad IV. rñdetur, ꝙ etsi martyres in martyrio faciunt quod debẽt, tñ ẽt simul maximè merentur pro se, & pro ecclesia, quia opus illud pp suã difficultatem hẽt maximum priuilegiũ ex Christi institutione, vt simul & pro martyre, & pro alijs maximè valeat; & sicut illud opus maximè pro martyre, & pro ecclesia valet, sic alia opera proportionaliter valent pro operante, & pro ecclesia: nam ratio præcepti nõ facit, quin opus sit meritorium duplici illo merito personali, & pro ecclesia, vt dictum est. Ad decimũ

102 Ad XI. resp. ex eadem dist. ꝙ Sancti, & eorũ opa duob. modis cõsiderari pñt: vno mõ sm̃ vires suas naturales, & vt proueniunt ab illis; alio mõ, vt sunt in gratia Dei, & opa eorũ proueniũt à gratia Dei: primo mõ oẽs Sancti sunt pctõres, & peccãt qñq. & pp hoc necesse est eos orare *dimitte nobis debita*, &c. sunt debitores, & dãnabiles, iuxta illud Isaię. *Vniuersæ iustitiæ nostræ quasi pãnus mẽstruatæ.* secũdo mõ Sãcti implent mãdata Dei, nõ sunt debitores, sed creditores, & digni vita æterna; & opera eorũ sunt meritoria, iuxta illud 1. Io. 3. *Oĩs qui natus est ex Deo, non facit peccatũ.* & illud Apostoli ad Ro. 8. *Nihil dãnationis est his, qui sunt in Christo Iesu.* & illud eiusdem ad Titum. Ad vndecimam.

Bonum

Bonum certamẽ certaui, cursum consumaui, fidẽ seruaui, in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex. & per hoc patet ad illas duas auctoritates: intelliguntur enim secundùm primam considerationem non secundùm postrema.

Ad duodecimam.

103 Per hoc idem patet ad XII. dicere enim ꝙ omne opus bonum, & optimè factum sit peccatum veniale, quatenus prouenit ab homine cum gr̃a Dei, est impia blasphemia: nam vt suprà visum est D. Paulus opera sua reputabat digna vita æterna ex iustitia; ergo nõ erant peccata venialia, sed merita magna: nempe digna, vt illis retribuatur vita æterna, q̃ appellat *coronam iustitiæ*; ergo non erant peccata venialia; ergo illud dictum intelligitur, sicut & illud Isaiæ, scilicet quatenus prouenit ex virib. nostris: nus enim sine gratia nihil possumus nisi malum.

Ad decimã tertiam.

104 Ad XIII. resp. quod ecclesia Christi agnoscit optimè merita Xp̃i, non valere solũ pro pœnis remittẽdis, sed q̃ maximè, & præcipuè valere ꝓ culpis. Vnde ipsũ agnoscit Redẽptorẽ, & Dñm suũ; tñ ẽt hoc alio modo agnoscit ipsa merita Christi valere, & expendi posse, & debere ex Christi institutione, qui voluit merita sua filijs suis vario modo prodesse, & præsertim per modum satisfactionis pro illis, vt suprà probatum est. Ideò licẽt remissio pœnæ temporalis in comparatione ad dona gr̃æ sit vile donum, est tamẽ proportionatum iuxta ordinationem Dei.

Ad decimã quartam.

105 Ad XIV. resp. ꝙ merita Christi posũt duobus modis accipi. Vno modo in se quò ad esse suũ, & dignitatem, ac valorem propriũ, & sic nulli dubiũ est, ꝙ excedũt nostra merita in infinitũ; sed hoc modo indulgentię non dicũtur esse merita Christi. Alio modo pro aliquo particulari effectu ipsorũ meritorũ Christi, & hoc modo indulgẽtiæ dicũtur merita Christi. Hoc aũt modo ẽt merita nr̃a possunt dici merita Christi, quia eius gratiæ innituntur. Accipiendo aũt merita Christi in hoc sensu, non est inconueniẽs dicere, ꝙ merita nr̃a sint meliora meritis Xp̃i .i. indulgẽtijs; sicut non est inconueniẽs dicere, ꝙ vnus effectus meritorũ Christi sit melior alio effectu eorũdẽ meritorũ Xp̃i. Cõcedimus ergo, ꝙ merita nr̃a sũt meliora ipsis indulgẽtijs, q̃a vt infrà dicã merita nr̃a nobis iuuãt, & quò ad gr̃ã, & gloriam, & quò ad satisfactionem pœnæ temporalis: indulgẽtiæ solùm valent quò ad relaxationem pœnæ temporalis.

Ad decimã quintam.

106 Ad XV. resp. ꝙ claues ecclesiæ in dispensando indulgentias se hñt sicut, & sacramenta ecclesiæ quò ad certitudinem, & incertitudinẽ collationis effectus: sicut ergo sacramenta fm se, & ex parte sua semper hñt certitudinẽ, & conferant effectũ suũ .s. gr̃am: tñ ex parte subiecti põt esse incertitudo rõne dispositionis .s. quia subiectũ nõ sit rectè dispositum, & ponat obicẽ: ita in proposito ex parte clauiũ est certitudo infallibilis, sed ex parte suscipiẽtis indulgẽtias põt esse indispositio, & tũc effectus indulgẽtiarũ impedit, & pp hoc Doctores cõsulunt, vt post susceptas indulgẽtias ẽt opa bona faciamus: & ideò nulla iniuria fit meritis Xp̃i quia incertitudo hæc nõ prouenit ex parte meritorũ Xp̃i, sed ex parte indispositionis suscipientium. Ad tollendũ aũt indispositionem, indulgentiæ conceduntur solũ confessis, & cõtritis, & sic moraliter adest certitudo sufficiens, nec est illusio, licẽt hẽat admixtam aliq̃ dubitationem, q̃a illa dubitatio est sancta: prouenit .n. ex humilitate, iuxta illud Petri. *Cum timore, & tremore operamini salutem vestram*.

Ad decimã sextam.

107 Ad XVI. resp. non esse parem rõnem de morte, & alijs pęnalitatibus consequentibus natũram ex peccato originali, vel statum eius naturalem, quia diuina sapiẽtia nõ ordinauit thesaurum ecclesiæ ad remittendũ mortẽ, & pęnas peccati originalis, sed illa oĩa in resurrectione ob merita Christi destruentur in renouatione hominis; sed constitutus est ad tollẽdũ pęnas, debitas pro peccatis actualibus.

Ad decimã septimam.

108 Ad XVII. resp. ꝙ non est par ratio de absolutione quæ fit per indulgentias, & de absolutione à cẽsuris: nã absolutio à cẽsuris absoluit à pęnis tm̃ debitis in hac vita: ideò solus Papa sinè dispensatione thesauri Christi põt ab illis absoluere: at absolutio per indulgentias est absolutio pœnatum debitarum apud diuinam iustitiã: ideò præter auctoritatẽ clauium requiritur dispositio in subiecto, & dispẽsatio meritorum Christi: ideò non sequitur, ꝙ si in absolutione per indulgentias dispensetur thesaurus Christi, ẽt in absolutione ab excõicatione isdem thesaurus dispensetur.

An indulgentiæ concedi possint solùm ex thesauro ecclesiæ, & an aliter thesaurus hic dispensetur, & an applicetur, per modum solutionis, vel absolutionis, ex quo desinitio quid rei *indulgentiæ deducitur. Caput Quartum*.

109 SVperest, vt quædam dubia explicemus ad perfectã intelligentiã huius thesauri, & definitionis quidditatiuæ indulgentiæ. Est ergo dubiũ, an indulgentiæ ex solo thesauro ecclesię educantur, & concedantur, an aliunde ẽt concedi possint. Qua in re Soto in 4. d. 21. q. 1. ar. 2. refert quatuor opinion. Suarez disp. illa 51. sec. 3. tres alias diuersas adducit; breuiter tñ omnes posũt reduci ad tria capita vel .n. asserunt indulgentias non cõcedi ex thesauro ecclesiæ, vel concedi tm̃ ex thesauro ecclesiæ, vel quandoq. concedi ex thesauro ecclesiæ, & quandoque non, sed extra. Primam opin. tenent illi, qui vel asserunt indulgentias nõ cõferri ex meritis, & satisfactionibus alienis, sed tm̃ p merita illorum, quibus conceduntur, quæ fuit quorũdã opinio adducta ab Hẽrico quolib. 15. q. 2. sed est oĩnò falsa, quia sic exponere indulgentiarum concessionẽ est negare veritatẽ indulgentiarum, non earũ concessionem declarare. Eãdẽ tenẽt, qui negant thesaurum ecclesiæ, vt Mayronus, & alij eius sententiæ, qui dicunt concessionem indulgentiarũ fieri per gratuitam remissionem pęnæ absq. vlla solutione, et compensatione illius; sed quia fundamẽtum huius opinionis est reiectum, sequitur, quòd hæc opinio quoque, & modus hic dicendi sit reprobandus.

An aliũde, quã ex thesauro ĩdulgentiæ cõcedi posſit.

Opin. ad tria capita reducũtur.

Primũ caput opinionũ reijcitur.

140 Tertiam opinionem tribuit Suarez Medinæ disp. 8. de indulg. præsertim cap. 40. 41. & 42. & Caiet. in opusc. de indulg. ad Iuliũ, licẽt deinde excusat Caiet. qui certè est valdè ambiguus. Hæc ergo opinio asserit indulgentias nõ semper fuisse cõcessas in ecclesia per dispensationẽ thesauri, sed in principio solitũ fuisse illas concedi per liberalẽ remissionem factam virtute clauiũ, absq. vlla absolutione, vel applicatione thesauri: postea verò q̃n vsus indulgentiarũ percrebuit, præsertim à tp̃e Bonif. 8. introductã esse cõsuetudinem non concedendi indulgentias, nisi ex thesauro. Et rõ huius diuersitatis est, quia nunc conceduntur indulgentiæ facta parua, vel vix nulla satisfactione, tũc temporis aũt, non: ideò oportuit nunc adhibere satisfactiones aliunde, & propter hoc ex thesauro ecclesiæ desumuntur.

Tertiũ caput opinionum reijcitur.

111 Quidquid sit de mente auctorũ huius opinionis si ipsi intelligant, ꝙ indulgentiæ aliq̃n ita liberaliter cõcederentur, ꝙ merita Christi, q̃ constituunt thesaurum ecclesię nihil cõferrent, est oĩnò erronea: quia certũ est, & est principale fundamentũ fidei Christianæ, ꝙ oĩs remissio culpę, & pœnæ hominibus pp peccata debita fit virtute meritorum Christi: solus enim Christus est Redemptor, iuxta illud Pauli ad Rom. 3. *iustificat gratis per gratiã ipsius, per redẽptionẽ, quæ est in Christo Iesu quẽ proposuit propitiatorem*.

Reijcitur.

102 Remanet ergo secunda opinio, quæ est sñia cõis Theologorũ antiquorum & recentiorũ, quæ asserit indulgentias semper cõcessas fuisse ex thesauro ecclesiæ, neque posse cõcedi, nisi ex illo, loquẽdo ď lege ordinaria Dei: nã de absoluta nulli est dubiũ. Hanc expresè tenent D. Bon. in 4. d. 20. p. 2. a. 1. q. 2. & 3. D. Th. eadẽ d. q. 3. a. 3. q. 1. Richard. eadem d. a. 3. q. 1. quos deinde sequuti sunt alij Recentiores, vt Soto d. 21. q. 1. a. 2. & alij quos Suarez citat disp. illa 51. sect. 1. & sequitur. Hæc sñia probatur p rõnes superiori c. adductas, quib. probauimus in ecclesia esse hunc thesaurũ meritorũ Christi, & illis .n. simùl constat q̃s sit finis constõnis illius, ille .n. ad nullũ aliũ finẽ constitutus est nisi ad vtilitatẽ nr̃am, quæ consistit in dimissione pęnarũ.

Opin. secũda approbatur.

1. Ratio.

113 Confirmatur ex rõne, qua præcedentes duas opiniones reiecimus. Et tertiò hac ratione põt probari: nã oĩs remissio culpæ, vel pœnæ coram Deo fit ex iustitia secundùm ordinariam legẽ. Vnde propter suam iustitiam ser-

2. Ratio.

3. Ratio.

uandam cum posset dimittere peccata hominibus gratis noluit, sed voluit mittere filium suum, vt per viam redemptionis saluaret credentes in eum; liberatio autē per modum redemptionis, nulli dubium est, quod est per modum iustitiæ. Stante hoc fundamento certo de fide subinferorat actus concedendi indulgentias est actus dimittendi pœnam temporalem; ergo etiam in hoc actu debet interuenire actus iustitiæ: non potest autem esse actus iustitiæ nisi fiat debita solutio; requiritur ergo debita solutio. Hęc vel fieri debet ex meritis proprijs illius cui dimittitur pœna, vel alterius pro eo; ergo quando non interueniunt merita propria illius, cui dimittitur pœna temporalis, vt accidit in proposito, cum conceduntur indulgentiæ, necessariò debent interuenire merita Christi; alioquin hæc relaxatio pœnæ non esset ex iustitia.

114 Obseruandum autem est de facto etiam ex meritis Sanctorum, indulgentias concedi nunc de facto: quia de facto merita Sanctorum sunt quoque in hoc thesauro ex ordinatione, & acceptatione Dei, vt suprà diximus, tamen merita Sanctorum non sunt simpliciter necessaria ad concessionem indulgentiarum, sicut merita Christi, quæ, vt dixi, sunt simpliciter necessaria, illis enim ablatis nulla indulgentia cōcedi posset, & illis solis positis posset; tamen de facto cum adsint, vt dictum est, merita Sāctorū quoque ex illis quoque indulgentiarū concessiones fiunt.

Differētia inter merita Christi, & Sāctorū.

115 Quod verò aliqui quærunt, quæ merita applicentur cum indulgentiæ conceduntur, an Christi, vel Sanctorum, vel vtrorumque mihi videtur nimis curiosa quæstio, & parum sapiētis velle hoc distinguere; cum enim ex meritis Christi, & Sanctorum fiat vnus thesaurus, ac indistinctè concurrant satisfactiones Christi, & Sanctorum, certè ratio suadet, vt diximus etiam ex illis omnibus fieri solutionem, & satisfactionem per modum vnius, non per modum distinctorum.

Quæ sit diffinitio quo ad quid rei indulgētiæ.

116 Ex hucusque dictis facilè deduci potest, quid sit indulgentia, quò ad quid rei, in qua assignanda non tamen omnes cōueniunt. Et ratio difficultatis pręcipua est: quia vt suprà diximus, concessio indulgētiarum est actus clauium; actus clauium est absoluere, & sententiare; ergo actus concedendi indulgentias videtur esse absolutio. Ex altera parte concessio indulgentiarum est dispensatio thesauri Ecclesiæ, & solutio pœnæ temporalis pro alijs; ergo videtur, quod indulgentiæ actus sit solutio. Propter has, & similes alias dubitationes sunt variæ sententiæ de definitione indulgentiæ quidditatiua. Et cum ad diffinitionem quidditatiuam requiratur genus, & differentia, est difficultas inter Doctores de genere, & differentia, ex quibus constituitur definitio indulgentiæ. Et primum, quò ad genus, sub quo ponitur indulgentia, sunt quatuor opiniones. Prima asserit indulgentiam esse sub genere absolutionis, vel remissionis pęnæ temporalis. Vnde definiunt indulgentiam esse absolutionem, vel remissionem pęnæ temporalis, &c. Et in hac opinione conueniunt Sūma Angelica, Rosella, Armilla in definitione indulgentiæ. Et Caietanus in tractatu de indulgentijs ad Iulium cap. 1. & 2. Soto in 4. d. 21. q. 1. a. 2. concl. 2. & alij. Secunda opinio asserit genus sub quo reponitur indulgentia nō esse absolutionem, sed solutionem: quia existimant indulgentiam esse solutionem quandam debitæ pęnæ, quæ per se non requirit iurisdictionem, sed æqualem debiti solutionem. Et hæc opinio est Durandi in 4. d. 20. q. 3. num. 5. & 6. Paludani ibidem q. 4. Syluestri verb. indulgentia §. 3. & 4. & aliorū quorundam, qui dicunt indulgentiā esse distributionē thesauri Ecclesiæ: qui autem liberat aliū ab aliqua pęna, vt à morte, ex solutione alicuius quātitatis pecuniæ, nō dicit᷑ absoluisse illū à morte, sed soluisse pro eo, vt liberaretur à morte. Tertia opinio distinguit indulgentias in duas partes; aliæ enim conceduntur per modū absolutionis, vt indulgentiæ, quæ conceduntur viuis, in quibus Pontifex, & ministri Ecclesię habent iurisdictionem; aliæ conceduntur defunctis, in quibus Pontifex nō habet iurisdictionem. Et hæc est Bellarm. lib. 1. de indulgentijs c. 5. Quarta opinio denique asserit, genus vniuocum sub quo reponitur indulgentia non esse solutionem, neque absolutionem propter rationē adductam à tertia opinione; ideò aliud esse reperiendum, & illud esse actū spūalis iurisdōnis. Et hæc est Suarez disp. illa 49. sect. 4. nam actus spūalis iurisdōnis est genus vniuocum. Indulgentia enim pro viuis, & defunctis est quid vniuocū, non æquiuocum; & ideò sub hoc actu tanquam sub genere cōtinetur vtraque species indulgentiæ, scilicet quæ conceditur pro viuis, & quæ pro defunctis.

Quatuor opinio. sub quo genere sit indulgētia.

117 Quantum ad differentias specificas variæ solent quoque assignari à diuersis secundùm quod diuersæ diffinitiones assignantur, quas vnusquisque videre potest in diffinitionibus varijs ab auctoribus adductis, quarum celebriores sunt illæ. Alensis 4. p. q. 23. m. 1. ait. Indulgentia propriè sumpta, seu *relaxatio est pœnitentiæ iniunctæ pro peccatis ex virtute clauium diminutio, imposita pœna eiusdem generis.* Caietanus opusculo citato de indulgentijs ad Iulianum cap. 2. ait. *Ecclesiastica indulgentia est absolutio ab iniuncta pœnitentia in foro pœnitentiali.* quæ est per omnia similis definitioni Alexandri Alensis. Soto in 4. d. 21. q. 1. a. 2. concl. 2. ait. *Indulgentiarum concessio est vera absolutio, & remissio pœnæ quæ fit virtute passionis Christi, & Sanctorum,* & eadem q. a. 1. assignans definitionem indulgentiæ ex propria intentione, ait. *Indulgentia Ecclesiastica est relaxatio pęnæ peccato debitæ.* Nauarrus in Commētario de indulg. notabili 20. n. 1. ait, rectè diffiniri. *Indulgentiam esse remissionem pœnę temporariæ debitæ actuali peccato pœnitentis extra sacramentalem absolutionem factam à pręlato Ecclesiæ ob rationabilem causam eā de thesauro satisfactionum Ecclesiæ compensantem.* Suarez vbi suprà omnibus consideratis iudicat hanc definitionem esse accommodatissimam. *Indulgentia Ecclesiastica est actus quidam spiritualis iurisdictionis, quo peccator in foro Dei liberetur à reatu pęnæ temporalis extra sacramentum.*

Diffinitio Alensis.

Caietanus.

Soto.

Nauarrus.

Suarez.

118 In hac ergo re (dimissis, quæ non rectè dicta sunt in his diffinitionibus, vt in definitione Caietani, de qua re infrà,) vt ego quoque dicam, quod sentio. Quantum ad genus Suarez assignat genus quidem vniuocum, sed nimis remotum. Actus enim iurisdōnis spiritualis est genus valdè cōe, vt patet. Si aūt accipiatur cum illis conditionib. restringētibus, quo peccator in foro Dei liberatur à reatu pęnæ tēporalis, est idē, ac relaxatio pęnæ tēporalis, & sic melius, vel saltē clarius genus proximū, sub quo indulgentia continetur, explicant alij Doctores dicētes, indulgētiā esse relaxationē pęnę tēporalis. Quod aūt hoc sit genus verū, & proximū patet, qa tā indulgētia pro viuis, quàm pro defunctis est relaxatio pęnę tēporalis, licèt diuerso modo; qa indulgentia pro viuis est relaxatio pęnæ tēporalis per modū absolutionis; indulgentia verò pro mortuis est relaxatio pęnę temporalis per modum suffragij.

Opinio auctoris.

119 Quantū verò ad differentias specificas, pręter illā vnicam, quā ponit Suarez, quæ est extra sacramentū, requiruntur aliæ. Nam, vt ait Arist. 4. Phis. Definitio est oratio perfecta, qua habita satisfieri potest omni quæstioni de re illa proposita. Ad tollēdū aūt omnia dubia circa indulgentiam, debent aliæ particulæ in definitione apponi, quæ si nō apponātur, cognitio indulgētiæ est imperfecta.

120 Prima ergo differentia specifica, & quidditatiua est *pro peccato debitæ,* necessitas huius particulę patet, quia indulgentia Ecclesiastica est relaxatio pœnę tēporalis, sed non cuiuscunque, sed *debitæ pro peccato dimisso, quò ad culpam*; quam tamen Suarez omisit, licèt eam subintelligat. Altera differentia est *corā Deo.* Ad differentiam erroris illorum, qui dixerunt indulgentiam Ecclesiasticam esse remissionē pęnæ tēporalis corā Ecclesia tantū, de qua suprà egimus. Hanc particulā ponit Suarez, sed illā ponit ad partē gn̄is, vel ad declarandū genus, qđ est ordinē definitionis pręuertere. Altera particula est *virtute clauium.* Hæc est necessaria: quia ponitur ad differentiā illius pęnæ, quā Deus in dimissione culpæ, & comutatione pęnæ æternæ, in tēporalē per se ipsum facit. Vltima differentia est *extra*

sacra-

ſacramentum, quæ ponitur à Suarez, & eſt neceſſaria, quia ponitur ad differentiã relaxationis pęnæ tẽporalis debitæ peccato, quę fit in ſacramẽto pęnitentiæ, vt diximus ſuprà. Vltima eſt. *Ex ſatisfactionibus theſauri Eccleſiæ recompenſata.* Hæc differentia ponitur à Nauarro, & eſt neceſſaria, quia ſignificat iſtam relaxationem nõ eſſe gratis factã, ſed per ſolutionem compenſantẽ debitum: quod omninò pertinet ad ſignificandum, eſſentiam, & quidditatẽ huius relaxationis, quæ eſt indulgentia eccleſiaſtica. Adeoquod hæc erit diffinitio quidditatiua integra, & perfecta indulgentiæ. *Indulgentia Eccleſiaſtica eſt relaxatio, ſeù dimiſſio pœnæ temporalis debitæ peccato, iam dimiſſo quò ad culpam, coram Deo, virtute clauium extra ſacramentum ex ſatisfactionibus theſauri eccleſiæ recõpenſata.* Nauarrus addit hanc particulam factam à prælatis eccleſiæ; ſed hæc videtur contineri in illa particula *virtute clauium*. Ideò videtur redundans. Iſtę particulæ, ſeù differentiæ ex dictis ſuprà ſunt euidentes, & ab omnibus conceſſę, exceptis quibuſdã, vt dixi de Caiet. & infrà magis ſęper declarabũtur.

Diffinitio quidditatiua indulgẽtiæ.

121 Non appoſuimus in hac definitione particulam illam, *abſolutio*, quia non omnis indulgẽtia eſt abſolutio, licèt omnis indulgentia fiat virtute clauiũ, & poteſtatis iuriſdictionis, vt ſuprà diximus, quia indulgentia, quidẽ pro viuis eſt abſolutio, vt infrà videbimus, ſed indulgentia pro defunctis nequaquam; ſed eſt ſolutio per modum ſuffragij. Vndè propter iſtam particulam poſſumus aſſerere eſſe duas ſpecies indulgentiæ eccleſiaſticæ. Alia enim eſt pro viuis, & alia pro defunctis: & pro viuis ſic poteſt definiri. *Indulgentia eccleſiaſtica pro viuis eſt relaxatio pœnæ temporalis debitæ pro peccato iam dimiſſo quò ad culpam coram Deo virtute clauium extra ſacramentum, & ſatisfactionibus theſauri eccleſiæ recompenſata facta per modum abſolutionis.* Indulgentia verò pro defunctis ſic poterit definiri. *Indulgentia eccleſiaſtica pro defunctis eſt relaxatio pœnæ temporalis debitæ pro peccatis dimiſſis quò ad culpam coram Deo, virtute clauium extra ſacramentum, ex ſatisfactionibus eccleſiæ recõpẽſata, facta per modũ ſuffragij.* Differentię aũt iſtę per quas diſtinguuntur infrà declarabũt.

An eccleſię theſaur⁹ ſolùm per indulgentias diſpẽſetur.

122 Aliud dubium remanet diſcutiendum de theſauro eccleſiæ iam adducto, & probato, an ſcilicet eccleſiæ theſaurus ſolùm per indulgentias diſpẽſetur, ad quod breuiter reſpondetur ab omnibus affirmatiuè: certum eſt enim diſpenſari per ſacramenta, & per ſacrificium Miſſæ, & etiam per alia opera fidelium. Omnia enim opera bona, fidelium habent valorem, & meritum ſuum ex meritis Chriſti Redẽpt. & Sal. noſtri, & illo ſecluſo nullius valoris ſunt. Quoties enim culpa, vel pęna remittitur, vel aliquod gratiæ beneficium nobis præſtatur, ſemper theſaurus meritorũ Chriſti nobis applicatur, & diſtribuitur. Hęc autem diſtributio meritorum Chriſti fit duobus modis: vno modo immediatè à Chriſto ipſo, nimirum cum aliqđ donum gratiæ, vel aliquod beneficium immediatè nobis confert, vel miniſterio hominũ. Vt cũ per ſacramenta gratiam eandem cõfert, & per alia opera fideliũ, vt dictũ eſt.

Differẽtia inter merita Chriſti, & ſanctorũ in theſauro eccleſiæ.

123 Tamen hic eſt diſtinguendum: nam aliud eſt loqui de theſauro eccleſiæ, vt conſtat ex meritis Chriſti præciſè, & aliud eſt loqui de eo, vt conſtat ex meritis ſanctorum. Diſtributio, de qua nunc ſuprà loquuti ſumus, intelligitur de theſauro eccleſiæ, vt cõſtat pręciſè ex meritis Chriſti, non autem ſanctorum, quia merita ſanctorũ non præbent aliquam vim ſacramentis, nec ſacrifitio Miſſę, neque opera fidelium habent vim, & valorem ex meritis ſanctorum, ſed ſolũ ex meritis Chriſti, immò ipſa merita ſanctorum hñt totã ſuam vim ex meritis Chriſti, vt dictũ eſt. Et hoc rectè obſeruant Doctores, & præſertim Suarez vbi ſuprà contra Marſilium in 4. q. 12. qui putauit, vt ei tribuitur diſtributionem prædictam fieri etiam ex meritis ſanctorum, quod eſt erroneum, propter rationem dictam. Sacramenta enim, & ſacrifitium Miſſę, & bona opera fidelium habent ſuam dignitatẽ, & valorem ſolùm ex meritis Chriſti, qui ſolùm pro nobis crucifixus eſt. Merita ergo ſanctorum habent locum ſolùm in diſtributione per indulgentias, itaquod conſiderando theſaurum eccleſiæ, vt conſtat ex meritis Chriſti, & ſanctorum ſimùl, ſolùm diſtribuitur per indulgentias, nõ alio modo. Ratio diſcriminis eſt, q̃a merita Chriſti ſunt fundamentum ſacramentorum, & ſacrifitijs eccleſiæ, & omnis dignitatis, & valoris operum noſtrorum, quia ex ſe ſunt digna, & efficacia: merita ſanctorum verò habent ſuam dignitatem, & valorem proprium ex meritis Chriſti, quod verò valeant pro alijs, habent ex ſpeciali lege Xp̃i, qua ſtatuit, & voluit ĩ eccleſia ſua eſſe cõmunicationẽ bonorũ operũ, & ſic mutuò fideles ſe ſe iuuare. Iuxta articulum *cõionem ſanctorũ*, vt ſuprà abundè declarauimus probando merita ſanctorũ includi in theſauro eccleſiæ. A quo aũt fiat hęc diſtributio, & applicatio, vel fieri poſſit, nõ eſt ambigendũ, quia cũ ſit actus clauiũ, pertinet ad ſolos prælatos eccleſiæ, de qua re infrà.

A quo fiat hęc applicatio.

Quæ ſit cauſa efficiens indulgentiarum. Cap. Quintum.

124 EX dictis cap. 1. de indulgẽtijs vbi probauimus poteſtatem concedendi indulgentias datam eſſe à Xp̃o eccleſiæ ſuæ in illis verbis Mat. 16. *Tibi dabo claues regni cœlorum*, facilè conſpicitur poteſtatem concedẽdi indulgentias datam eſſe Petro, & ſucceſſoribus eius Pontificibus Romanis (de Xp̃o .n. Dñ̃o hic nõ eſt ſermo, quia certum eſt ipſum eſſe principalem cauſam,) & proinde Pontificem Rom. eſſe cauſam efficientem concedendi indulgẽtias in vniuerſa eccleſia, quia in ipſo eſt plenitudo poteſtatis iuriſdictionis ſp̃ualis, ad q̃ diximus ſpectare hanc p̃tatẽ concedendi indulgentias, & de hoc nulla eſt difficultas inter Theologos, ſed oẽs tractantes, qui poſſit indulgentias concedere cõueniunt. Alenſis p. 4. q. 23. m. 3. D. Bon. d. 20. p. 2. a. 1. q. 3. D. Th. eadẽ d. q. 1. a. 4. Rich. eadem d. a. 5. q. 3. Dur. ibidem q. 5. Palud. q. 4. a. 3. & reliqui poſteriores. Soto d. 21. q. 1. a. 4. & Suarez diſp. 55. ſect. 1.

125 Difficultas aũt eſt, an ſolus Papa poſſit indulgentiã cõcedere ĩ tota eccleſia, an alius à Papa hoc poſſit; & p̃ſertim hoc poſſit Conc. generale. In qua re multi exiſtimãt hanc poteſtatem competere ipſi Conc. generali; & ſunt illi auctores, qui ſuſtinent Conc. generale eſſe ſuprà Papã, vt Panormitanus in Clem. 2. de pęnit. & remiſſ. & in tract. ſuper Conc. Baſilienſe, qui egregium lumen in hoc fundamento deceptus fuit, vt alibi diximus. Gerſon tñ lib. de poteſtate eccleſiæ conſideratione 11. attingens hanc quęſtionem in terminis nihil determinare auſus fuit, ſed reliquit hoc conſiderandum Lectori. Panormitanum deinde aliqui alij ſecuti ſunt, vt Felinus tract. de indulg. nu. 44 & Soto vbi ſuprà, in eandẽ ſñiam inclinare videtur, ẽt Nauarrus Com. de Iubileo, & indulgentijs notab. 31. n. 2. & nõnulli alij Recentiores.

An Conciliũ generale poſſit cõcedere ĩdulgẽtias in tota eccleſia.

126 Pro hac opin. argumẽtor primò ſic. Conc. hẽt p̃tatẽ ferẽdi leges in vniuerſa eccleſia, & excõmunicãdi; ergo & indulgentias concedendi. Antecedens patet de facto. Cõſequẽtia probat̃, quia ferre leges, &c. pertinet ad p̃tatẽ iuriſdictionis; cum ergo hẽat p̃tatẽ iuriſdictionis vniuerſalem, hẽt quoq. p̃tatẽ concedendi indulgentias, quia illa cõtinetur ſub poteſtate iuriſdictionis, vt ſuprà vidimus.

1. Ratio, q̃ Cõciliũ cõcedere poſſit indulgẽtias.

127 Secundò. Diſpenſatio theſauri alicuius cõitatis, ad totam cõitatẽ ſpectat, vt patet in oĩ Rep. ergo à ſimili p̃tãs diſpenſandi theſaurum totius eccleſiæ pertinet ad Conc. gñale, quod repreſentat eccleſiam vniuerſalem, vt docuit Martinus, ſcilicet in Conc. Conſtantienſi in fine.

2. Ratio.

128 Tertiò. In Concilio generali ſunt oẽs Paſtores, & ſpirituales iudices eccleſiæ; ergo ad illos pertinet vniuerſalis diſpenſatio, vel remiſſio per indulgentias.

3. Ratio.

129 Hæc opinio eſt oĩnò reijcienda. Primò, quia innititur fundamento falſo, quod Conc. generale ſit ſuprà Papã, & quod habeat tantam p̃tatẽ, quantam habet Papa, vt alibi diximus fusè. Nã etſi claues datę ſint à Xp̃o eccleſię Mat. 16. non tñ datæ ſunt eccleſiæ. i. vniuerſalitati fideliũ, & Paſtorũ immediatè, & primo; ſed mediatè, & per Petrũ ac Pontificem Romanum. Verba enim illa, & *Tibi dabo claues regni cœlorum*, dicta ſunt perſonę Petri immediatè:

Refellitur 1. Ratio.

& illi datæ Ioan. 20. *Pasce oues meas.* Pro tanto autem datæ sunt ecclesiæ, quia non sunt datæ Petro pro persona Petri, sed quatenus gerebat personam ecclesiæ, & in suis successoribus erant permansuræ ad vtilitatem ecclesiæ. Ex hoc autem deducitur, quod ecclesia sinè capite nullam habet auctoritatem, nec potestatem clauium. Proinde falsū est Concilium virtute clauium posse cōcedere indulgētias.

Conciliū sinè Papa nō pōt cōcedere indulgētias.

130 Hoc autem intelligendū est de Conc. sinè capite, seù de Conc. contradistincto contra Pontificem, & sinè Pontifice: nam loquendo de Conc. cum capite .i. Pontifice nulla est dubitatio, quia si Papa solus potest concedere indulgētias, nihil impedit, quin etiam in Conc. sed tunc nō est Conc. idest membra, quæ concedant indulgentias, sed Papa, qui est caput. Vnde si caput, scilicet Papa vellet in Conc. concedere indulgentias, & renueret Conc. nihilominus posset illis inuitis illas concedere: & è conuerso si vellet Conc. concedere indulgentias renuente capite ipso Pontifice, nihil faceret. Et confirmatur, quia Conc. sinè Pontifice potest esse duobus modis: vno modo, quod Pontifex ipse non sit pręsens Conc. sed tamen miserit Legatos suos: alio modo, quia Papa mortuus est, & nullus est Papa. Primo modo poterit quidem habere facultatem concedendi indulgentias ex concessione Papæ, sed sinè illa nequaquam: ex quo sequitur, quod tunc concessio illa indulgentiarum non est à Conc. sed à Papa, vt de Conc. pręsente Papa dicebamus. Secundo modo Conc. non habet auctoritatem concedēdi indulgentias, quia vt ibi dictum est, facultas ista clauiū concessa est personæ Pontificis, non Conc. ipso immediatè. Habet ergo Concilium ius eligendi Pontificem, sicut populus eligendi sibi regem, non tamen habet potestatem illam, quam deinde habet Papa; sicut nec populus habet potestatem eam, quam deinde habet Rex. Et proinde Concilium debet, & tenetur eligere Pontificem, quo facto, & persona Pontificis declarata statim à Deo immediatè habet potestatem indulgentias conferendi, sicut, & reliqua alia faciēdi, quæ ad summam suā potestatem gubernandi ecclesiam Christi pertinent: quæ dicta sunt de Conc. sinè Papæ præsentia, multò magis cōcludunt de Conc. sinè auctoritate Papæ congregato: illud enim nō est Concilium, sed Schisma, & Conciliabulum, quia solus Papa habet auctoritatem congregandi, & confirmandi Concilium generale, vt alibi fusius contra hæreticos est probatum.

Confirmatur.

131 Confirmatur allata sentētia, quia Theologi antiqui suprà hoc cap. adducti vnanimiter dicunt ad Episcopos pertinere prædictum thesaurum Ecclesiæ dispensare, quia ipsi sunt sponsi ecclesiæ; præsertim verò ad Summum Pontificem, quia est totius ecclesiæ sponsus, & rector, & curam habet de tota ecclesia, & omnibus eius filijs: ipse enim est pater omnium fidelium, & omnes fideles sunt filij eius.

Ad primā rationem ī oppositū.

132 Hinc ad rationes in oppositum facilis est solutio. Ad primam negatur cōsequentia. Ad probationem respōdetur potestatem iurisdictionis condendi leges, & alia faciendi in Conc. generali pendere ab auctoritate Pontificis eidem expressè concessa. Vnde decreta Conciliorum nisi confirmentur à Summo Pontifice, vel si ab eo imitentur, nulla sunt. Potestas autem Concilij sede vacante est tāta quanta ex Canonibus confirmatis à Pontificibus est sibi concessa. Solùm iure diuino habet potestatem eligendi Pontificem, nisi modus eligendi esset præscriptus à Pontifice: & hoc ex naturali consecutione: nam quia Deus voluit in ecclesia sua esse vnū Caput vniuersale, neque ipse immediatè vult illū semper eligere, & declarare, consequitur vt ipsi ecclesiæ dederit ius eum sibi eligendi.

Ad secūdā

133 Ad secundam respondetur, quod dispensare thesaurum alicuius communitatis pertinet non ad totam cōmunitatem, sed ad Principem, vel ad illum, qui habet summam potestatem in Republica, vel communitate illa. Vnde si sit regimen Aristocraticū pertinet ad optimates: si est Monarchicum ad Monarcham, &c. In proposito ecclesiasticæ Republicæ Christianæ regimen est Monarchicū, & Monarcha visibilis, ad quem hoc visibile regimen spirituale pertinet, est Pōtifex Summus ex institutione diuina: ideò pertinet ad ipsum hæc distributio non ad communitatem ecclesiæ.

Ad tertiā.

134 Ad tertiam respondetur, quod in Conc. vbi est pręsens Pontifex sunt omnes Pastores, & iudices spirituales: in eo verò, in quo non est Summus Pontifex, non est Pastor primus, & vniuersalis neque primarius iudex: ideò Conc. sinè Pontifice non potest exercere hunc actum iurisdictionis concedendi indulgentias. Concilium verò, in quo est Pontifex, pōt, sed non virtute Concilij seiunctim à Papa, sed solùm virtute ipsius Pontificis, cuius est propriū munus hunc actū dispensandi thesaurū ecclesiæ exercere.

An Episcopi possint īdulgentias concedere.

135 Secundum dubium est, An Episcopi possint indulgentias concedere. Circa quod certum est Episcopos omnes posse indulgentias concedere. Hoc enim omnes Scholastici antiqui, & Recentiores suprà citati eisdem locis asserunt, ea ratione, quia omnes sunt sponsi ecclesiæ; ad sponsum autem spectat dispensare bona, quæ pertinent ad vtilitatem filiorū, in quæ ipse succedit, & habetur clarè in multis canonibus præsertim in cap. *Cum ex eo.* & in cap. *Nostro.* & in cap. *Quod autem,* de pęnitent. & remiss. Difficultas est de modo, quo ipsis competat talis potestas, & præsertim, an iure diuino, an iure ecclesiastico. In hac re sunt duæ opiniones. Prima asserit Episcopis iure diuino competere hanc potestatem concedendi indulgentias: & hæc est præsertim Soto in 4. d. 21. quęst. 1. art. 4. concl. 2. & Petrus Soto lect. 3. de Indulgentijs, & Medinæ lib. de indulgentijs disp. 5. & 6. præsertim cap. 27. & 30. atque in eandem sententiam alij citantur. Fundamentum huius sententiæ est, quia putant Episcopum habere suam iurisdictionē immediatè à Deo, quod probat Soto, q̄a inquit Episcopi succedunt Apostolis iure diuino; ergo eo ipso, quod creati sunt Episcopi habent iurisdictionis potestatem in suos subditos, & sunt Pastores in sua Dięcesi, sicut Papa in tota ecclesia: ideò cum potestas concedendi indulgentias sit potestas iurisdictionis, & hanc Episcopus habeat immediatè à Deo, sequitur, quod iure diuino hæc potestas competat Episcopis. Et ex hoc deducit Soto hanc potestatem concedendi indulgentias non competere parochis, quia ipsi nō succedunt Apostolis, vt prælati, & Pastores ecclesiarum: ideò non possunt dispensare thesaurum ecclesiæ ex sua institutione, & iure diuino, sed solùm Episcopi.

An Episcopi iure diuino possint conferre indulgētias.

Opinio tenēs partē affirmatiuā.

2. Ratio.

136 Secundò ad idem arguunt. Episcopatus est institutus ex iure diuino, & ex eodem habet esse perfectam prælationem quamuis non supremam; ergo omnes actus, qui ad Episcopatum pertinēt, ex eodem iure diuino pertinēt, sed inter actus Episcopales vnus est conferre indulgētias; ergo de iure diuino cōpetit Episcopo cōferre indulgētias.

3. Ratio.

137 Tertiò. Vnusquisque Episcopus est sponsus suæ Ecclesiæ; sponsus autem vi sui status, & muneris habet potestatem dispensandi de bonis suæ sponsę; ergo vnusquisque Episcopus bona suæ Ecclesiæ, per indulgentias dispensare potest.

Opinio tenēs partem negatiuam

138 Ex altera parte alij tenent hanc potestatem competere Episcopis, solùm de iure Ecclesiastico, & ex Sedis Apostolicæ priuilegio. Hanc sententiam expressè tenent Richardus dist. 20. a. 5. q. 3. Asserit enim Papæ à Christo concessam esse potestatis plenitudinem: ideò posse dare tantas, quantas sibi placuerit in Ecclesia tota militanti, dū adsit rationabilis causa. Alios autem tantùm habere de hac potestate, quantum eis à Vicario Christi concessum est. Durandus eadem distinct. quæst. 5. ad 2. in eandem sententiam citantur Augustinus de Ancona in Summa de potestate Ecclesiastica q. 29. a. 5. Paludanus dicta q. 4. a. 2. licèt ambiguè loqui videatur. Immò Suarez disp. illa 55. sec. 2. putat D. Thomam eadem d. 20. esse huius sententie, quem tamen Soto vult stare pro ipso. Reliqui Doctores, vt Diuus Bonauētura vbi suprà, Alensis, Nauarrus, & alij non explicant hunc punctum, solùm asserunt hanc potestatem competere Episcopis ordinariè, alijs verò ab Episcopis ex concessione delegata à Sede Apostolica, vbi

Richardus

Durandus.

Aug. d Ancona.

Paludanus

Suarez.

Alensis.

D. Thom.

Nauarrus.

viden-

videntur conuenire cum hac ſecunda opinione. Videntur enim velle, quòd cum poteſtas iuriſdictionis eccleſiaſtica ſit duplex, ſcilicet ordinaria, & delegata; & poteſtas ordinaria ſit, quæ cõſequitur munus, & officium aliquod, vt poteſtas, quæ conſequitur epiſcopatum, vel parochum; & delegata, quam habent legati, & ab ordinarijs delegati: ita poteſtas iuriſdictionis concedendi indulgentias conceſſa à Sede Apoſtolica Epiſcopis ſit ordinaria: poteſtas verò conceſſa à Papa Legatis, & alijs Prælatis inferiorib. ſit delegata.

2. Opinio approbatur

139 Hæc opinio quoque mihi probatur, præſertim pp dicta primo cap. de hac materia: probando enim in eccleſia eſſe poteſtatem concedendi indulgentias, diximus illã fundari in illo Matth. 16. *tibi dabo claues, &c.* patet autem claues datas eſſe Petro immediatè à Chriſto, & à Petro eccleſiæ, & alijs Prælatis: ideò licèt Apoſtoli non acceperint claues à Petro, ſed à Chriſto ipſo immediatè: quia ab eo facti ſunt Apoſtoli: tamen ſucceſſores Apoſtolorũ neceſſariò auctoritatem ſuam habuerunt à Petro, & à Pontificibus Romanis ſucceſſoribus Petri: quoniam ſoli Petro dictum eſt, *Paſce oues meas*, & illi ſoli dictum eſt, *tibi dabo claues*. Ideò ille ſolus conſtitutus fuit Paſtor ordinarius totius Eccleſiæ, Apoſtoli verò reliqui habuerunt quidem poteſtatem ſuam à Chriſto immediatè, ſed cum ipſi quoque eſſent ſubiecti Petro morientes non potuerunt conſtituere ſucceſſores independentes à Petro, qui fuerat conſtitutus Paſtor vniuerſalis ſuper omnes alios Paſtores; neque poteſtas iuriſdictionis amplius à Chriſto immediatè erat deſcenſura in alios Paſtores, ſed neceſſariò per Petrum; ideò licèt ſit probabilis opinio aliorum, qui aſſerunt auctoritatem iuriſdictionis Epiſcoporum immediatè cõferri à Chriſto cum ſubordinatione tamen ad Papã: tamen hæc ſecunda eſt probabilior, quòd omnis iuriſdictio emanet immediatè à Chriſto in Papam; à Papa verò in omnes alios Prælatos, præſertim propter hanc rationem, quia Petrus, & ſucceſſores eius conſtituti ſunt Paſtores ordinarij, & ſupremi totius eccleſiæ i illis verbis, *paſce oues meas*, & proinde à Papa emanet iuriſdictio in omnes alios.

Petrus ſolus cõſtitutus fuit Paſtor ordinarius totius eccleſiæ.

Confirmat

140 Hęc ſententia cõfirmatur ex Richardo, & ab alijs ſectatorib. huius opinionis ex Bulla Clem. VI. *Vnigenitus*, ait enim in illa Chriſtum reliquiſſe eccleſiæ ſuæ theſaurũ ſuorum meritorum, quem per B. Petrum Cęli clauigerũ, eiuſq. ſucceſſores ſuos in terris Vicarios commiſit fidelib. ſalubriter diſpenſari, verba eius ſuprà adduximus: non facit mentionem de Epiſcopis, ſed de ſolis ſucceſſoribus Diui Petri.

Confirmatur 2.

141 Confirmatur adhuc, quia videmus facultatẽ concedendi indulgentias limitari, vel augeri ad beneplacitũ Pontificis; ergo ſignum eſt iuriſdictionem illam manare à Pontifice, non à Chriſto immediatè: quia ſi eſſet à Chriſto immediatè, & de iure diuino non poſſet ſaltem tota auferri; nemo ait (puto) dicet Papam non poſſe totam poteſtatem hanc auferre ab Epiſcopis: neque enim eſt par ratio de poteſtate concedendi indulgentias in epiſcopo, & de poteſtate iuriſdictionis ad reliquas ſuas functiones exercendum; quoniam illa etſi non ſit à Chriſto immediatè, vt ſuprà diximus, ſed à Papa: tamen Papa tenetur ſub debitis limitationibus eam illis concedere: neque poteſt eam in totum illis auferre in tota eccleſia: quia Chriſtus Dominus decreuit, quod munus Epiſcopale ſit in eccleſia, neque à Papa poteſt auferri: at poteſtatem hanc concedẽdi indulgentias non obligatur Papa concedere Epiſcopis; quod probatur, vt viſum eſt: quia iure diuino ei non competit, neque adeſt præceptum vllum, quo obligetur Papa hanc facultatem eis concedere, neque ex munere epiſcopale neceſſariò ſequitur; quia eſt ſolùm ad bene eſſe, & ad vtilitatem fidelium, ac ad decorem, & maiorem decentiã dignitatis epiſcopalis, & de congruo. Hanc ſentẽtiam defendit Suarez diſp. 55. ſect. 2. num. quinto, & mihi probabiliſſima videtur.

Munus epiſcopale nõ põt auferri à Papa.

Suarez.

Ad 1. rõnẽ oppoſitę ſẽtentiæ.

142 Ad rationes contrariæ partis. Ad primam, fundamentum illud eſt falſum, quod poteſtas iuriſdictionis immediatè emanet à Deo in Epiſcopum, & præſertim poteſtas concedendi indulgentias, vt viſum eſt. Et cum dicitur, quod Epiſcopi ſuccedant Apoſtolis. Reſpondetur, Epiſcopos ſuccedere Apoſtolis in munere paſtorali, & in poteſtate Apoſtolica ordinaria, non tamen ſuccedere eis in modo habendi poteſtatem Apoſtolicam. Succedunt Epiſcopi Apoſtolis in munere paſtorali, quia funguntur eodem officio, quo fungebantur Apoſtoli in eccleſia, excepto munere proprio Apoſtolatus, quod ceſſauit in ipſis Apoſtolis, vt alibi fusè dixi. Non ſuccedunt verò quò ad modum habendi hoc munus: quia Apoſtoli illud immediatè habuerunt à Chriſto, Epiſcopi illud habent à Papa immediatè, à Chriſto verò mediante Papa.

Quõ Epi ſuccedãt Apoſtolis.

Munus Apoſtolatus ceſſauit in ipſis Apoſtolis.

Ad ſecũdã

143 Ad ſecundam negatur conferre indulgentias eſſe actum intrinſecum ipſius muneris epiſcopatus ex iure diuino: diximus enim Pontificem poſſe auferre epiſcopis hanc poteſtatem, quia illa immediatè data eſt Petro, & Pontifici Romano.

Ad tertiam

144 Ad tertiam reſpondetur, quòd etſi epiſcopus ſit ſponſus eccleſiæ, tamen hæc metaphora non valet in omnibus: alioquin poteſtas epiſcopi non deberet ita limitari, & maximè in collatione indulgentiarum ad 40. dies, & ad ſumum ad annum: quomodo tamẽ ex Canonibus ſacris videmus eſſe limitatam. Deinde negatur vnamquãq. Eccleſiam particularem habere proprium theſaurũ. Vnus eſt theſaurus totius eccleſiæ vniuerſalis, qui conſtat præcipuè ex meritis Chriſti; merita autem Sanctorum non poſſunt per ſe conſtituere hũc theſaurum, ſed ſolùm cum meritis Chriſti: ideò licèt in aliqua eccleſia particulari ſint aliqua particularia merita Sanctorum, hoc nõ facit, vt illius epiſcopus poſſit diſpenſare theſaurum eccleſiæ, quia non cõſtituitur ex illis ſimpliciter, nec principaliter, ſed ex meritis Chriſti: ideò ſolus Papa, qui eſt ſponſus vniuerſalis eccleſię habẽt hanc poteſtatem ex iure diuino: ex iure eccleſiaſtico deinde conceſſum eſt epiſcopis ex eodem theſauro aliquas indulgentias concedere, cum ipſi ſint membra huius eccleſiæ vniuerſalis, & ſint præpoſiti membris particularibus huius eccleſiæ vniuerſalis, quæ ex illis coaleſcit. Itaquòd Papa eſt primarius, & adæquatus diſpenſator; epiſcopi ſunt diſpenſatores eiuſdem theſauri inadęquatè, ſed dependenter ab ipſo ſummo Pontifice.

Epiſc. hñt ptãtẽ limitatã dupliciter.

145 Habent ergo Epiſcopi poteſtatem concedendi indulgentias à iure eccleſiaſtico, ſed habẽt illam limitatam dupliciter. Prima limitatio eſt quò ad quantitatem. Secunda quò ad perſonas: quò ad quantitatem, quia epiſcopus poteſt concedere ſolùm annum indulgentię in dedicatione alicuius eccleſiæ, & in anniuerſario talis dedicationis poteſt concedere 40. dies indulgentiæ; quam etiam indulgentiam 40. dierum poteſt concedere in quocunque caſu, quo adſit occaſio concedendi indulgentias, vt habetur in cap. *Cum ex eo, de pæn. & rem.* Ratio autem tantæ limitationis videtur fuiſſe ad impediendum ſuperfluas, & indiſcretas indulgentias, vt inſinuatur in d. cap.

Circa autem hunc punctum variæ excitantur dubitationes, quæ videri poſſunt apud Hoſtienſem in Summa, lib. 5. tit. de remiſſ. §. *Quid ergo.* Syluestrum verbo *Indulgentia.* Nauarrum in Commentario de Indulgen. not. 31. num. 12. & Suarez prædicta diſp. 55. ſect. 3. & alios, quos breuitatis cauſa omitto, cum ſint pauci momenti.

2. Limitatio quò ad perſonas.

146 Secunda limitatio eſt quò ad perſonas: nam epiſcopus poteſt indulgentias concedere ſolùm ſuis ſubditis, quæ limitatio deducitur ex cap. *Quod autem*, de pęn. & remiſ. & patet ex ſe. Cum enim concedere indulgentias ſit actus iuriſdictionis, & epiſcopus quilibet habeat iuriſdictionem limitatam, ſequitur, quòd non poſſit concedere indulgentias quibuſcunque, ſed ſolùm ſuis ſubditis.

Eps nõ põt cõcedere indulgentias defunctis.

147 Ex hoc autem ſequitur, epiſcopum non poſſe concedere indulgentias defunctis: nam defuncti nõ ſunt ſubditi epiſcopis particularibus, neque etiam Pontifici. Vnde ſummus Pontifex concedit indulgentias eis ſolùm per modum ſuffragij. Quod autem epiſcopus non poſſit eas concedere defunctis per modũ ſuffragij, patet ex vſu, & pra-

xi ce-

xi ecclesiæ, quæ est optima legum interpres: nunquam enim leguntur episcopi concedere indulgẽtias pro defunctis. Et hanc sententiam supponunt vt veram Theologi antiqui. D. Bonau. vbi suprà q. 5. & alij, qui potestatẽ concedendi indulgentias nunquam alij tribuũt nisi Summo Pontifici. Eam quoque tenent Nauarrus Com. de Iubilæo, & Indulgent. not. 22. num. 4. qui citat alios, & Suarez vbi suprà.

Quid possint alij prçlati inferiores episcopis circa indulgentias

148 Superest videndum, quid possint alij Prçlati inferiores episcopis tàm habentes iurisdictionem episcopalẽ, quàm non habentes, & sacerdotes simplices circa concessionem Indulgentiarum. Ad quod breuiter omnes respõdent Theologi, & Canonistæ citati, nullum Prælatum inferiorem episcopo, & à fortiori nullum Parochum, neque sacerdotem habere auctoritatem concedendi indulgentias: & hoc loquendo de potestate ordinaria. Ratio est, qa supponitur ex dictis suprà, quòd hæc potestas concedendi indulgentias non pertinet ad potestatem ordinis, sed iurisdictionis, licèt aliqui id tenuerint. Certum est autem auctoritatem iurisdictionis hos prælatos, & sacerdotes nõ habere de iure diuino: & rationes, quæ id probant de episcopis, multò magis concludunt de alijs prælatis inferioribus, & sacerdotibus simplicibus, neque illam habent de iure ecclesiastico, quia intra superiùs adducta, in quib. Pontifex dat potestatem concedendi indulgentias, loquuntur de episcopis, non de alijs. Et hæc sententia sumitur ex cap. *Accedentib. de excessu Prælatorum*, vbi reprehenduntur quidam Abbates, qui hoc munus vsurpant inter alia, quæ ad episcopalem dignitatem specialiter pertinent. Glossæ autem, & Auctores, qui ab Angelo verb. *Indulgentia*. n. 5. & à Summa Rosella adducuntur, non loquũtur de indulgentia propriè dicta, quæ fit extra sacramentum, sed de remissione pœnæ, quæ fit à sacerdote per impositionem pœnitentiæ, de qua suprà agendo de impositione pçnitentię tractauimus.

Quid de prçlatis Regularium.

149 Quòd dictum est de prçlatis inferiorib. episcopis, dicendum est quoque de prælatis, & superioribus Regularium Generalibus, Prouincialibus, & alijs inferioribus, licèt Medina in d. libro de Indulg. cap. 29. tribuat his prçlatis potestatem concedendi Indulgentiam de iure diuino. Rationes enim superiùs factæ de alijs prælatis æquè cõcludunt dictis, vnde Medina ab omnibus impugnatur.

Difficultas de suffrag. concessis à prælatis regularium.

150 Sed adest specialis difficultas de prælatis Regularium, quoniam habent specialem facultatem applicandi suffragia suarum Religionum fidelibus, aggregando eos speciali quadam vnione cum suis Religionibus, vt patet ex vsu ecclesiæ. Huiusmodi autem concessio suffragiorum videtur esse quædam concessio Indulgentiarum, quoniã concedere videntur remissionem pœnarum per applicationem satisfactionum suarum Religionũ, quòd est quodam genus Indulgentiarum. De hoc dubio tractant Soto in 4. dist. 21. quæst. 1. ar. 4. & Suarez vbi suprà sect. quinta; breuiter tamen dicendum est cum omnib. Doctoribus, quòd communicatio prædicta suffragiorum suarum Religionum facta à prçlatis Regularium non est alicuius indulgentiæ concessio: sed simplex suffragiorum applicatio, seù communicatio, & donatio. Hæc enim duo valdè diuersa sunt: nam Indulgentiarum concessio, vt vidimus est dispensatio thesauri ecclesiæ, qui constat maximè ex meritis Christi; quæ dispensatio concessa est Vicario Christi in collatione clauium ecclesiæ: applicatio autem, seù communicatio suffragiorum facta à prælatis non est distributio meritorum Christi, quia ipsi non habent hanc facultatẽ, neque per talem communicationem intendunt ipsi prçlati dispensare merita Christi, sed solùm communicare vtilitatem, & gratias, quas sui subditi suis rationibus, & operibus bonis merentur apud Deum, eo modo, quo priuatæ personæ suas bonas operationes applicant, & communicant alijs fidelibus ex charitate. Vndè sicut illæ priuatæ applicationes, & communicationes non habent rationẽ indulgentiæ alicuius concessę, neque verè sunt indulgentiæ: ita neq. cõicationes operum bonorum religiosorũ habẽt, nec sunt verè indulgentiæ; præsertim verò communicant illa suffragia, quæ Religiosi communiter faciũt pro benefactoribus, & propinquis, & eiusdem congregationis fidelibus, quia per aggregationem factam à superioribus fiunt de numero illius Congregationis, & Religionis.

Communicatio suffragiorũ, seù aggregatio regularib. facta ab eorum prælatis quid sit.

151 Distinguunt verò Soto, & Suarez vbi suprà, quòd suffragia sunt in duplici discrimine: quædam enim offeruntur per modum impetrationis, aut meriti de cõgruo: alia verò per modum satisfactionis, priora suffragia manifestè distinguuntur ab indulgentiarum cõcessione, quia cum quis orat pro alio, vel ieiunat, vt illi Deus parcat peccata, vel conferat gratiam, non intendit soluere aliquid ꝓ illo, sed solùm rogat Deum, vt illis precibus moueatur ad conferendum beneficium petitum, neque semper consequitur effectum: & sic patet apertùm discrimen ab indulgentiarum concessione, quia in hac fit solutio pœnæ, & quidem ad æqualitatẽ, & infallibiliter, vt infra dicemus. De suffragijs secundo modo non apparet ita facilè discrimen inter ipsa, & indulgentias, quia etiam in his fit solutio adæquata, & ex iustitia, & est infallibilis. Vt autem hęc differentia innotescat distinguunt adhuc Soto, & Suarez, quod ista suffragia per modum solutionis possunt duobus modis applicari alijs: vno modo dum fiunt, & sic habent propriam rationem satisfactionis, vel pro eo, qui illa facit, vel pro alijs, quibus applicat: alio modo quatenus iam facta sunt, & non fuerunt alicui applicata: & hoc modo dicunt non habere rationem satisfactionis, neque amplius à priuata persona, quæ illa fecit, nec à prælatis posse alijs applicari, sed reponi in thesauro ecclesiæ, & solùm à Pastore vniuersalis ecclesiæ dispensari posse, & hoc fieri per concessionem indulgentiarum, & sic volũt prælatos Religionum applicare posse tantùm futura suffragia non præterita, & sic communicatio suffragiorum distinguitur à concessione indulgentiarum.

Reijcitur distinctio Soto, & Suarez.

Hoc verò vltimum discrimen mihi videtur esse sinè fundamento, nam si orans, vel opus bonum faciens est dominus valoris illius, siue actum illum applicet dum orat, & illud efficit, siue non, sed remaneat in thesauro ecclesię, idest in præsentia Dei, nulla est ratio, quin etiam tempore posteriori possit eundem valorem, & pretium alteri dare, & applicare ad satisfaciendum pro illo; neque enim videtur rationabile dicere, quod amittat orans ius suum, quod habebat super illud opus, eo quod actu non applicauerit, nec dispensauerit quando actu illud effecit. Est ergo dicendum, vt suprà diximus de suffrágijs agendo cum Scoto ex quolib. 20. quod in quolibet opere bono præter meritum, & valorem personalem, quòd prodest ipsi operanti; & præter meritum, & valorem quo prodest vniuersali ecclesiæ, adest meritum, & valor, quem vnusquisque potest applicare, & communicare alteri propter communionẽ Sanctorum: & hic vel applicatur actu alteri ab ipso operante, vel si ab ipso actu non applicatur, vel applicatur à Deo indigenti secundùm dispositionem diuinam, vel reseruatur in thesauro ecclesiæ, idest corã Deo, pro illo cui Deus prænoscit ab operante applicandum fore. Quòd si dicas; ergo melius esset semper orare pro alio quàm absolutè. Respondetur totum concedendo, opus enim, quo pluribus titulis fit, tanto excellentius est; ideò cum quis orando etiã orat pro alijs, plus meretur; quia addit actum charitatis erga proximum, non tamẽ sequitur, quòd quis semper debeat orare pro alijs, & facere hanc applicationem: quia non tenemur semper ad opera meliora, & magis satisfactoria, sed est consilium tantùm. Sufficit ergo ad dubium soluendum, quod collatio, & communicatio bonorum Religionis in Prælatis non est concessio indulgentiarum, quia est suffragiorum communicatio, quæ fit per modum impetrationis, & per modum satisfactionis simplicis, non autem per communicationem thesauri ecclesiæ, idest meritorum Christi, sed solùm propriorum meritorum subditorum illius Religionis, eo modo quo priuatæ personæ suas satisfactiones pñt alteri applicare, ad satisfaciendum pro illis, quos tamen certum est indulgentias nõ cõferre.

Mouent

An ſuperiores poſſint applicare ſacrificia, & orõnes ſub ditorũ alijs

152 Mouent etiam Soto, & Suarez locis citatis dubiũ, an ſuperiores regularium poſſint applicare ſacrificia, orationes, & labores ſubditorum alijs. Et Soto tenet partem affirmatiuam hac ratione: quia ſubditus poteſt ſe priuare illa ſatisfactione, etiam ſi illa indigeat, & ex charitate alteri elargiri; ergo etiam ſuperior poteſt priuare ſubditum illa, & alij applicare, & maximè in aliqua graui neceſſitate: quia non priuat ſubditum præmio eſſentiali, ſed temporali comodo. Addunt aliqui ſuperior eſt Dominus voluntatis, & omnium actionum, & fructuum ſui ſubditi; ergo ſola voluntate poteſt actiones eius, & fructum earum alteri applicare, & voluntatem ſubditi ſi aliter applicet irritare.

Opin. Scoti cõtraria.

153 Contrariam ſententiam tenet Scotus in quol. 20. art. 2. minus principale vbi diſputat, an ſacerdos pro libito poſſit aplicare ſacrificium miſſæ. Tenet enim Scotus partem affirmatiuam; quod autem dicit de Miſſa valet multo magis de alijs operibus bonis ipſius ſacerdotis, & ſubditi; & hanc ſententiam ſequitur Suarez vbi ſuprà, licèt opinionem Scoti non rectè obſeruauerit, vt nunc dicam; & Scotus adducit hanc rationem, quæ certè eſt efficax, quia ſuperior non eſt directè Dominus actionis ſubditi, ſed indirectè. Prima pars patet, quia non eſt in poteſtate prelati, vt voluntas ſubditi exeat in actum, & operationem illam, vel non; v.g. vt oret. Vnde licèt prelatis præcipiat ſubdito, vt oret pro aliquo, ſi ille non vult orare certè dominium prelati non faciet vt actu oret, & exeat in actum. Eſt ergo ſemper in poteſtate ſubditi facere vel non facere. Secunda pars probatur quia poteſt prelatus præcipere ſubdito, vt oret, & applicet actionem illam ei, qui ſibi placet, & ſubditus tenetur applicare, & ſe conformare voluntati ſuperioris; neque hoc negat Scotus ſed diſertè affirmat. Et in hoc malè Suarez refert opinionem Scoti hoc loco, vbi agit de indulg. & to. 3. in tertiam partem diſp. 79. ſect. 9. vbi agit de applicatione ſacrificij Miſſę, vt nos obſeruauimus, & cõfutauimus in diſp. de ſacrifitio Miſſæ. Cum ergo prelatus habeat poteſtatem præcipiendi ſubditis, vt hoc vel illo modo applicent ſuas orationes, & regulariter ſubditi intẽdant implicitè orare, & opera ſua facere modo competenti, & debito, hinc fit, quod implicitè applicare dicuntur ſatisfactiones ſuas pro voluntate ſuperiorum; quando actu non habent voluntatem oppoſitã vt dixi; quod raro contingit, & cum contingit ex licentia ſuperioris, tacita vel expreſſa contingit.

In quibus eẽ poſſit poteſtas delegata cõcedẽdi indulgentias.

154 Vltimo loco remanet dubium, an poteſtas concedendi indulgentias poſſit alicui delegari, & cui. Ad quod breuiter reſpondetur ſine dubio poſſe delegari ab his, qui ex iure ordinario habent eam vt à Papa, qui habet illam ex iure diuino; & ab Epiſcopis qui habent illa ex iure ordinario Eccleſiaſtico: poteſtas enim iuriſdictionis ſinè dubio poteſt aliquibus delegari, vt omnes fatentur, & vſus docet; poteſtas autem concedendi indulgentias eſt poteſtas iuriſdictionis ordinaria; ergo poteſt delegari: neque de hoc eſt vlla controuerſia. Cui verò poſſit delegari eſt aliqualis dubitatio, quia aliqui dixerunt ſolis ſacerdotibus; ſed hæc ſententia refellitur communiter: quia, vt ſuprà vidimus, ordo ſacerdotalis nõ eſt neceſſarius per ſe ad hunc effectum; quia extra ſacramentum fit hęc collatio: neque alij ordines requiruntur propter eandem rationem: quia hęc poteſtas non eſt ordinis, ſed iuriſdictionis. Et videmus de facto hanc poteſtatem eſſe delegatã Cardinalibus qui quandoque nullum ordinem ſacrum habent. An verò poſſit illam Summus Pontifex concedere laico ſimplici; Eſt quæſtio generalis de iuriſdictione Eccleſiaſtica, de qua aliàs. Pro nunc breuiter cum alijs communiter dico, de poteſtate abſoluta poſſe, quia nulla eſt repugnantia, vt ex dictis deduci poteſt: de iure verò ordinario non poſſe, eadem ratione, multo minus Epiſcopus: vnde ſequitur quod cum Epiſcopus eam concedit Vicario ſuo debeat ſaltem eſſe clericus.

De effectu, & ſpeciebus indulgentiarum.
Caput Sextum.

155 EX dictis ſuprà præſertim explicando poteſtatem concedendi indulgentias, & diffinitionem eiuſdem facilè deducitur, qui ſit effectus indulgentiarum: immò iam penè eſt expoſitum; breuiter ergo qui ſint iſti effectus per duas concluſiones explicatur. Prima eſt, indulgentiæ non ſe extendunt ad dimittendum culpam mortalem, neque pęnam eternam, neque peccatum veniale. Concluſio hęc quò ad primam partem eſt certa de fide; quia, vt ſuprà vidimus, culpa eſt duplex originalis, & actualis. Originalis remittitur per baptiſmum; actualis per Sacramentũ pœnitentiæ, vel per contritionem includentẽ in voto confeſſionem, & ſacramentum pœnitentiæ; nulla alia via habetur dimittendi culpam mortalem contractam poſt baptiſmum, vt patet ex dictis ſuprà in materia de iuſtificatione, præſertim in Concil. Trident. nam ſeſſ. 7. can. 4. de ſacramentis in genere habet ſic. *Siquis dixerit, ſacramenta noua legis non eſſe ad ſalutem neceſſaria, ſed ſuperflua, & ſine eis, aut eorum voto per ſolam fidem homines à Deo gratiam iuſtificationis adipiſci, licèt omnia ſingulis neceſſaria non ſint, anathema ſit.* Eſt ergo certum ſinè ſacracramentis actu, vel (exiſtente impedimento) ſine eorum voto neminem poſſe obtinere remiſſionem culpæ. Conceſſio autem indulgentiarum eſt actio extra ſacramentum; ergo. 1. Aſſertio.

Confirmatur.

156 Confirmatur, quia formulæ omnes, quibus vtitur Eccleſia in concedendis indulgentijs ſemper explicant cõcedi hominibus contritis, vel confeſſis, vel aliquid ſimile per quod oſtenditur ſupponendam eſſe deletionem culpæ mortalis factã eſſe ad hoc, vt quis indulgentiam conſequatur, non autem per indulgentiam ipſam obtineri. Denique eſt communis ſententia Theologorũ in 4. vbi agentes de indulgentijs dicunt eas eſſe relaxationem pęnarum pro culpis iam dimiſſis debitarum, non ergo extenduntur ad dimiſſionem culpæ mortalis.

An per modũ impetrationis, vel meriti valeant ad dimittẽdum mortale.

157 At nonnulli quærunt, an ſaltem indulgentiæ valeant illis, qui ſunt in peccato mortali per modum meriti de congruo, ſeu per modum impetrationis: ita quod concedens indulgentias fidelibus, & eis applicãs merita Chriſti, & Sãctorum illa applicatio mereatur de congruo deletionem peccati mortalis quò ad culpam. Breuiter reſpondetur hoc dubium eſſe impertinens, nã aliud eſt orare, & per bona opera mereri alicui bonum motum, & primam gratiam de congruo, & aliud concedere indulgentias. In conceſſione indulgentiarum propriè loquendo eſt relaxatio penæ temporalis debitæ; non eſt autẽ oratio, & ſupplicatio vt Deus liberet fideles à peccatis. Nam licèt etiam hęc ſupplicatio poſſit eſſe in Pontifice, & poſſit explicari in bulla indulgentiæ, dum hortatur omnes ad ſuſceptionem indulgentiarum, & rogat, vt diſponãtur ad ſuſceptionem tanti theſauri, & roget aliquando Deum, vt eis gratiam dignè ſuſcipiendi concedat; tamen hoc non propriè pertinet ad rationem conceſſionis indulgentiæ, ſed pertinet ad ſuffragia, & interceſſiones Eccleſiæ, quas ſolet pro ſuis fidelibus fundere. Effectus ergo propriùs indulgentiæ non ſe extendit ad aliquem effectum poſitiuum, ſed ſolùm ad ablatiuum, ſcilicet ad relaxationem pœnæ debitæ.

Quid dicẽdũ cum in bullis cõceditur ĩdulgẽtia à culpa, & pęna.

158 Sed hic adeſt difficultas, quia quandoque in bullis Iubileorum vel aliorum priuilegiorum quibus indulgentiæ conceduntur, ſimpliciter conceditur remiſſio peccatorum; nomine autem peccati ſimpliciter intelligitur culpa non pęna; pęna enim non eſt propriè peccatum, ſed pęna peccati. Præterea ſæpè in predictis bullis præſertim antiquis ponitur illa particula, quod Papa concedit indulgentiam, & abſolutionem integram à culpa, & à pœna; ergo vtrumque per indulgentiam poteſt dimitti.

159 Reſpondetur quod vſitato vocabulo in ſcriptura per peccatum etiam intelligitur pęna ſola, vt Macab. lib. 1. cap. 12. *vt à peccatis ſoluantur*, ideo Pontifices accipiunt in indulgentijs peccatum in eadem ſignificatione, ſcilicet

pro

pro pœnis, non pro culpis. Ad illud verò quando expresſè ponitur à culpa, & pœna, multi Doctores reprehendunt hunc modum loquendi, vt D. Antoninus 1.p. tit. 10. c. 13. §.4.& 5. Syluester verbo *Indulgentia*.q.10. Supplemētum Gabrielis in 4.d.45.q.3.ar.1. neque videtur hic modus loquendi probari in iure, vt patet in Clem. 1. *de Priuilegijs*. Suarez disp.50.sect.1.num.15. dicit, quod Glossa in Clement.1.§.1. de pęnit.& remiſſ. dicit, aliquando Pontifices in suis bullis vti hoc loquendi modo, quod absoluunt à culpa, & pœna, seu quod concedunt indulgentiam à culpa, & à pœna, & præsertim hunc modum loquendi haberi in concessione Anni Iubilæi in Extrauag. *Antiquorum*, de pęnit.& remiſſ. Ego autem non reperio ista, neque in Clement. assignata, neque in Glossa, neque in Extrauag. *Antiquorum*, sed solùm in Clem. 1. *de Priuilegijs*, vbi hic modus loquendi non approbatur. Syluester etiam verbo *Indulgentia*, q.10. dicit, quòd ille modus loquendi à culpa, & à pœna, est quidā modus loquendi vulgaris, & ipsum reijcit vt falsum; quia solus Deus remittit culpam (intelligit extra sacramentum) non autem dicit hunc modum loquēdi fuisse in vsu apud Pontifices. Est ergo modus dicendi quidam à vulgarib. malè introductus. Si tamen reperiretur, esset intelligendus, vt etiam concedit Suarez, & aliqui alij, quod ex vi illorum verborum concederetur nedum indulgentia pęnarum peccatorum, sed etiam facultas, vt quis posset absolui sacramentaliter ab omnibus peccatis etiam reseruatis; qui modus concedendi Iubilęum, & indulgentias plenarias in forma Iubilęi nunc est in vsu. Pontifices enim vt accidius, & diligentius homines animentur ad lucrandum indulgentias plenarias adiungunt facultatem, vt possint eligere confessarium ex admissis ab ordinario, qui eos ab omnibus peccatis quantumuis enormibus, & à censuris etiam Sedi Apostolicæ reseruatis, &c. absoluere possint. Culpa ergo non relaxatur per indulgentiam, sed p sacramentum; deleta deinde culpa, indulgentia habet locum suum circa dimissionem pœnæ totam, vel partē, prout in ipsa indulgentia explicatur.

Nō dimittitur per indulgētiam pęna æterna.

160 Ex eodem fundamento deducitur Indulgentiam non posse delere pœnam æternam, quæ est secunda pars conclusionis: nam pœna æterna non relaxatur, nisi cum relaxatur culpa, vt patet ex dictis suprà; & cū culpa simùl dimittitur: ideò cum per sacramentum dimittitur culpa, dimittitur quoque pœna æterna.

Nō dimittitur per indulgētiam culpa ve nialis.

161 Ex eodem fundamento deducitur indulgentiam propriè loquendo non debere culpam venialem (quæ est tertia pars conclusionis) vt culpa est, licèt probabile sit per sacramentalia, venialem culpam deleri; quoniam iam dictum est in definitione indulgentiæ, quòd indulgentia est relaxatio pœnæ debitæ, &c. ergo ex sua natura non extenditur per se loquendo ad dimissionem culpæ, sed requiritur bonus motus, vel sacramētum. Sic sentit Nauar. Com. de Iubilęo, not.10.n.12.& sequentib.& alij citati à Suarez vbi suprà.

2. Assertio.

162 Secunda assertio est per indulgentiam remittitur pœna temporalis debita peccato, culpa iam dimissā, nedū iniuncta, sed iniungenda, & hoc apud Deum. Hæc cōclusio est certa de fide, & probata manet ex his auctoritatib. & rationibus, quibus suprà probauimus in ecclesia esse potestatem concedendi indulgentias, & est communis sententia Scholasticorum in 4. locis suprà adductis: & habetur expresſè ex bullis Pontificum. Neque hæc relaxatio temporalis pœnæ dependet à voluntate confessoris, vt ali qui dixerunt asserentes indulgentiam non relaxare pęnitentiam peccatorum sacramentalem, nisi sub hac cōditione, quòd voluntas confessoris, qui illam imponit, sit, vt per indulgentiam remittatur. Hæc enim opinio est omnino vana, quia confessor velit nolit non potest impedire quò minus Prælatus ecclesiasticus concedat indulgentiā illius pœnæ validè. Neque necessarium est, vt alij dixerunt, ꝙ ad hoc, vt indulgentia valeat, prius fiat condigna satisfactio: nam tunc indulgentia nihil operaretur. Neque est necesse, quòd concedens indulgentias aliquibus pro illis satisfaciet oratione, vel eleemosinis, vel obliget se satisfacturum, vt alij dixerunt: quia concedens indulgentias nō facit hoc ex meritis suis, sed ex meritis Christi, & ecclesiæ: quia habet potestatem dispensandi illa, & ea illis applicare: frustra enim data esset hæc potestas Pontifici, si cogeretur per se pro illis satisfacere. Vana ergo est hæc opinio, & sine fundamento. Neque remittitur per indulgentiam pęna temporalis tunc tantùm, quando quis ex negligētia, vel inaduertentia omisit satisfacere, vt alij dixerunt, sed etiam si ipse lucrans indulgentias directa voluntate omittat satisfactiones iniunctas, & nolit aliter satisfacere, quā per indulgentiam: frustra enim concederentur indulgentiæ si obligaretur directa voluntate ad satisfactiones debitas, quæ omnia ex dictis sunt euidentissima.

Quorundā opinio refellitur.

Aliorū quorundā opinio refellit'

Aliorū quorundā opinio refellit'

Aliorū opinio refellit'

163 Obseruandum est etiam relaxationem pœnarū, quæ fit per indulgentias nullam relationem habere ad forum sacramentale, i. non est necessarium, quòd prius illæ pœnæ teneantur à confessore, vel iniungantur ab illo; & denique non est necesse, vt prius deferantur ad forum sacramentale, neque est verum per indulgentias non remitti nisi pœnas iniunctas prius per sacramentalem absolutionem: quam opinionem tenuerunt Durandus, & Paludanus in 4.d.20.q.4.& Alensis supponere videtur 4. part. q.23. memb.2.& enixè sustinet Cajetanus in opusc. de Indulgentijs ad Iulianum, cap. præsertim 7. & alij quidam; qui etsi teneant Papam posse concedere indulgentiam de iniungendis, seu absolutè debitis; tamen de facto tenent solùm Pontifices concedere indulgentiam de pœnitentijs iniunctis in foro sacramentali, & fundantur maximè in forma, qua vtuntur Pontifices in concedendo indulgentias, qui vtuntur his verbis, *De iniunctis pœnitentijs*, vt patet ex cap. *cum ex eo*, de pœn.& remiſſ.& ex cap. *Romana*, eodem tit.& ex Clem. vnica, *de Reliquijs, & veneratione Sanctorum*. Addunt Pontifices solere concedere indulgētias septem annorum, quadraginta dierum, vel tot quadragenarum, quibus formulis videntur alludere ad pœnitentias sacramentales, quas antiqui Canones imponebāt, & quæ secundùm rigorem imponi deberent in adæquatis satisfactionibus: & hoc intelligunt etiam quando Papa concedit indulgentiam plenariam: dicit enim Caietanus intelligi de indulgentia plenaria pœnitentiæ iniunctæ nō totalis pœnæ debitę pro peccatis quocunque modo etiam non iniunctæ.

Durādi, Paludani, Caietani, & aliorum opinio refellitur.

1. Ratio p hac secūda assertione.

164 Assertio secunda proposita probatur, & opinio allata reijcitur. Primò, quia dictum est, quòd potestas concedendi indulgentias fundatur in illis verbis Matth. 16. *Quodcunque solueris*, &c. quæ est potestas amplissima, neque arctatur, neque limitatur ad pœnam quatenus est iniuncta per sacramentum sinè fundamento; ergo dicitur, quod indulgentia absoluat solùm illam pęnam, quæ est iniuncta in foro pęnitentiali, vel ab illo taxata.

Quod si quis dicat, pœna temporalis non potest dimitti, nisi prius culpa remittatur: remittitur autem per sacramentum confessionis; ergo pęna debet prius deferri, & taxari à confessario. Respondetur ex hoc nos pro nostra sententia deducere validissimum argumentum: nam verum est, quòd pęna debita peccatis non potest per indulgentiam tolli, nisi prius culpa dimittatur; sed verum est ēt, quod culpam non solùm remittitur per sacramentalem absolutionem in re, sed etiam per absolutionem sacramētalem in voto, siuè per cōtritionem; ergo tunc habita contritione antequam quis accedat ad confessionem actu poterit consequi indulgentiam pęnæ debitæ pro peccatis, & tamen nulla erit iniuncta pęnitentia à confessario, neque illorum peccatorum pęnæ deductæ erunt ad sacramentale forum. Et confirmatur, quia Pontifices concedunt indulgentias contritis, & confessis, tunc quæro posito casu, ꝙ quis habita contritione, & factis operib. propter quę indulgentiam lucratur, moriatur, an illi pęnæ relaxentur, & indulgentiam lucretur. Si dicas quòd non, est contra expressam concessionem bullæ, quæ illam indulgentiā concedit contritis: & contra communem vsum, & sensum ecclesię.

clesiæ. Si sic, habeo intentum: quia sequitur falsum esse, quod pęnæ iniunctæ tantùm, & delatæ ad forum sacramentale relaxentur per indulgentias.

Est ergo dicendum per indulgentias tolli pœnam debitam pro peccatis, tam iniunctam, quàm nō iniunctam, sed debitam. Tollitur autem iuxta quantitatem indulgentiæ; si indulgentia sit plenaria, tota pœna dimittitur; si sit ex parte, vt puta decem annorum, & pœnitentia debita sit viginti, solùm decem anni remittuntur, & reliqua remanent soluenda. Obseruandum est autem, eum, cui conceditur indulgentia, posse per ipsam indulgentiam liberari à pœna iniuncta, tamen non liberari ab obligatione faciendi iniunctam pœnitentiam, donec lucratus est indulgentiam; habita enim indulgentia, manet liber ab obligatione faciendi iniunctam pœnitentiam. Et ratio est: quia oblato debito pęnæ, seu soluta pęna, tollitur obligatio soluendi ipsam pœnam. Pręceptum sacerdotis de pœna iniuncta obligabat, quando aderat debitum pœnæ temporalis: at per pœnitentiam illa aufertur; ergo cessat etiam obligatio pręcepti sacerdotis, faciendi iniunctam pœnitentiam.

Pœnitētia iniūcta post adeptā Idulgētiā est per agenda ratione medicinæ.

165 Obseruandum est tamen in pœnitentia iniuncta quandoque esse duplicem rationem, scilicet satisfactionis, & medicinæ; per indulgentiam aufertur prima ratio, non secunda: ideo licèt lucrans indulgentiam maneat solutus ab obligatione adimplendi eam, quatenus est satisfactoria, tamen non manet solutus ab obligatione adimplendi eam quatenus est medicina; & ratio est, quia indulgentia aufert obligationem satisfaciendi, non per modum dispensationis pœnitentiæ iniunctæ, sed per modum satisfactionis, & solutionis: ideo etsi prima obligatio tollatur, non tamen tollitur secunda, sed manet in suo vigore obligatio faciendi pœnitentiam iniunctam. Et hac ratione satisfactiones sacramentales, non eneruantur per indulgentias: quia etsi homo liberetur à quacunque obligatione soluendi pœnam illam iniunctam per sacramentum, vel debitam aliquo alio modo, tamen remanet semper obligatio faciendi illam propter rationem medicinæ.

Quid si Papa concederet indulgē tiā sub forma de iniūctis.

166 Difficultas est tamen, si Pontifex concederet indulgentiam sub hac forma pręcisè. *De pœnitentijs iniunctis*, an relaxarentur per illam etiam pœnæ non iniunctę, sed debitæ, & iniungendæ. Suarez disp. illa 50. sect. 3. n. 14. & sequentibus tenet, quod etiam si tenor indulgentiæ sit *de iniunctis pęnitentijs*, nihilominus valeat ad remittendum pœnas peccatorum, etiam si pro illis nullæ pęnitentiæ iniunctæ sint, atque in hanc sententiam citat D. Tho. in 4. dist. 20. q. 7. art. 3. q. 1. Paludanum in 4. dist. 20. q. 4. a. 1. num. 78. D. Antoninum 1. p. titul. 10. cap. 3. §. 3. & quosdam alios. Fundamentum eius est, quia illa particula *de iniunctis*, non est restrictiua, sed potius ampliatiua, quia maius quid videtur remittere pœnas, pro quibus sacramentalis pœnitentia iam iniuncta est, quàm reliquas pœnas: est enim duplex vinculum; ergo cui conceditur indulgentia de pœnis iniunctis, non negatur de non iniunctis. Addit nonnullas rationes, quæ sunt potius persuasiones, quàm rationes efficaces.

Opin. Suarez, & quorundā aliorum.

Opinio auctoris.

Hac in re mihi placet opinio asserentium, quod cum Pontifex concedit indulgentiam cum limitatione, & cum illa adiectione *de iniunctis*, indulgentia intelligatur de solis pœnis iniunctis in sacramentali absolutione. Quando verò Papa concedit indulgentiam sinè limitatione, & sinè adiectione illa *de iniunctis*, vt cum cōcedit plenariam indulgentiam, vel tot annorum absolutè, tunc se extendat ad iniunctas, & non iniunctas, secundùm proportionatam quantitatem. Quam sententiam sequuntur Nauarrus in Com. de iubileo, & indulgentijs, not. ij. num. 15. Soto dist. 21. q. 2. a. 1. & alij ex Recentioribus. Fundamentum est axioma illud vulgatum, indulgentiæ tantum valeant, quantum sonant. Clarum est autem, quod apponendo illam particulam *de iniunctis*, non ampliat, sed restringit indulgentiam: quia specificat de quibus pœnis intelligat: particula autem specificatiua non est ampliatiua, sed restrictiua, vt de se patet; & velle oppositum hic sustinere non est aliud, quàm diuinare, vt in hac parte rectè dicit Caietanus, cum res hæc sit de facto, vbi mens Pontificis esset perscrutanda.

167 Sed de hac re non est opus modò litigare, quia Pontifices his temporibus, satis apertè indicant mentem suam cum in concessione indulgentiarum, & iubileorum absolutè dicunt se concedere indulgentiam omnium peccatorum, (quando plenarias indulgentias concedunt) vel tot annorum, cum illas limitatas concedent absque illa particula *de iniunctis, vel de iniungendis*. Ex quo modo cōcedendi indulgentias euidenter patet, eos intelligere se concedere indulgentiam pœnarum debitarum pro peccatis, siuè sint iniunctæ, & delatę ad forum sacramentale, siuè non; & per hoc soluta manet fundamenta Caietani: illa enim procedunt tantùm, quando adest illa particula *de iniunctis*: at quando illa non adest, impertinens est velle illam interpretari *de iniunctis*, & restringere, & maximè quando conceditur indulgentia plenaria: patet enim mentem Pontificum esse, concedere indulgentiam plenissimam omnium pœnarum, & sinè limitatione omnium peccatorum.

Ad fundamentū Caietani.

168 Fundamentum quoque Suarez, & aliorum est nullum: quia obligatio ad satisfaciendum ex præcepto sacramentalis absolutionis, non est alia secundùm substantiam ob obligationē, ad quam iure diuino tenetur ad satisfaciendum pro pœna debita peccatis, sed est eadem à ministro Christi explicata, & declarata: vnde potens dimittere illam obligationem coram Deo, nullam habet difficultatem remittendi illam coram ministro eiusdem Dei, vt est euidens ex se: ideò falsum est esse difficilius soluere hoc duplex vinculum, quàm prius solum, scilicet obligationem satisfaciendi coram Deo.

Ad fundamentū Suarez.

169 Tandem conclusio eadem patet quò ad illam particulam *coram Deo*, quæ ponitur contra quosdam adductos à D. Thoma, & à D. Bonau. vbi suprà, qui asseruerunt per indulgentias, quæ de facto conceduntur non remitti reatum, seu obligationem pœnæ temporalis, debitæ pro peccatis apud Deum; sed solùm remitti obligationem exequendi sacramentalem pœnitentiam. Hæc enim opinio communiter ab omnibus Theologis, tam antiquis, quàm Recentioribus reijcitur. Sequeretur enim stante hac opinione, quod Ecclesia concedendo indulgentias, potius damnificaret, quàm prodesset fidelibus; quod est absurdum. Consequentia verò probatur, quia absolueret fideles à pœnis sibi iniunctis in foro sacramentali, quæ sunt leuiores, & remitteret ad pœnas purgatorij, quæ sunt grauiores absque dubio. Differunt enim pœnæ impositæ in sacramento confessionis à pœnis impositis in foro exteriori ab Ecclesia: quia illæ imponuntur ad satisfaciendum pro pœnis coram Deo, & ad tollendum pœnas purgatorij, istæ verò præsertim ad satisfaciendum coram Ecclesia. Vnde patet, sæpe aliquem satisfacere Ecclesiæ in foro exteriori, & tamen non satisfacere in foro Dei; sunt enim distincti fori, vt patet.

Quod Idulgētia remittat coram Deo pœnā.

170 De speciebus indulgentiarum propriè loquendo, nullam diuisionem indulgētiarum facere possumus: quia omnes sunt vnius speciei: omnes enim sunt relaxationes pœnæ temporalis, debitæ peccato coram Deo, dimissa culpa; & nulla est, cui huiusmodi diffinitio cum omnibus illis differentijs non conueniat. Vnde cum quæ specie differunt, differant per differentias specificas, & hic nullæ diuersæ differentiæ specificæ adsint; nulla quoque est distinctio specifica. Tamen communiter variæ diuisiones afferuntur de indulgentijs pœnes effectum ipsarum, qui est remissio pęnæ temporalis. Circa autem hanc diuisionem multa dicunt Doctores: nam in aliquibus canonibus inuenitur hæc diuisio; indulgentia plenaria, plenior, seu largior, plenissima, seu largissima, vt patet, ex Bonifac. VIII. in Extrauaganti *Antiquorum*, de pœnitentijs, & remissionibus. Additur etiam iubileus, qui videtur significare aliquam indulgentiam pleniorem. De significatione, &

De speciebus indulgētiarum.

diffi-

diffinitione harum indulgentiarum multa differunt Paludanus in 4.distin.20.q.4.S.Antoninus 3.par.tit.10.cap.3. Adrianus de indulgentijs, & Maior d.20.q.2.copiosè autem Nauarrus commentario de iubileo,notabili 9.per totum. Cæterùm Soto in 4.dist.21.quæst.1.a.2.laborem horum virorum irridere videtur, & hanc diligentiam negligunt Suarez, & alij : nam re vera cum intellectus illorum terminorum pendeat ex intellectu Pontificum, qui illis vsi sunt, & illis non se explicauerint, videtur esse diuinare veritatē velle illorum significationes explicare. Mihi placet opinio Soto, vbi suprà, quòd Bonifac. VIII. per illas distinctiones,plenam,pleniorem,seu largiorem, & plenissimam,seu largissimam,non voluerit varias species, vt ita dicam,indulgentiarum intelligere,sed quod illi termini diuersi sint additi ad magis explicandum se in illa concessione indulgentiarum concedere plenissimam, & omninò totalem remissionem omnium peccatorum ; & ad abstulendum omnem scrupulum,qui accidère posset.

Solum duplex indulgentia totalis, & partialis.

171 Videtur ergo dicendum cum Recentioribus, Soto,Suarez, & alijs, quod duplex est indulgentia tantùm, scilicet totalis,& partialis,seu plenaria, & non plenaria. Totalis,& plenaria dicitur, quæ totam pęnam remittit ei, cui applicatur:partialis verò,& non plenaria ea, quæ tantùm remittit partem pœnæ. Quæ diuisio habet fundamētum in Extrauaganti *Vnigenitus*,de pœnitentijs, & remissionibus, Vbi Papa dicit *Thesauri Ecclesiastici dispensationem Petro esse commissam,nunc pro totali nunc pro partiali remissione pænæ temporalis pro peccatis debitæ applicanda.* Quæ diuisio est pœnes effectum, vt patet ; & plenaria est æqualis in omnibus quantum est ex se, licèt ex accidenti sit maior in vno,quàm in alio : nam qui lucratur indulgentiam plenariam, & habet plura peccata, quàm alter, habet maiorem indulgentiam. Sed hæc maioritas est ex accidenti ; sicut etiam, quòd quis lucrando indulgentiam plura opera satisfactoria faciat, & magis laboret, vt qui verbi gratia multum peregrinatur,& ieiunat,vt indulgentiam plenariam consequatur, plus meretur, quàm qui nō tantum laborat; sed hæc maioritas est per accidens ; quoniam non est maior remissio peccatorum, quàm illius, qui minus laborauit, sed est æqualis : quia vtrique omnia peccata dimittuntur, (licèt sit maior in eo, qui plura peccata habet, vt dictum est) sed est maior ratione operis operantis, & meriti : qui enim in lucrando indulgentiam plus laborat alio, licèt ambo lucrentur indulgentiam plenariam ; tamen qui plus laborat,acquirit maius meritum recompensandum in gloria æterna.

Qūo quis plus laborādo in acquirēda indulgentia plus mereatur.

172 Ex quo obiter patet quàm sint reprehendēdi quidam,qui indulgentias euulgātes dicere audent,indulgentiam suscipere soluendo duos argenteos esse tantum meritum,quantum si personaliter iret Romam,vel Ierusalem ad illas indulgentias cōsequendas; verum est enim, quod ità ille consequitur indulgentiam sicut iste:non tamen ità meretur ille,sicut iste, qui maximè se affligit : distinguenda enim est indulgentia à merito, quod habetur ex opere operantis.

De iubileo

173 De Iubileo etiam quid significet multa scribuntur à Doctoribus, vt patet apud Nauarrum in comm. de Iubileo,notabili 1.2.3.& 4.Bellarm. lib.1. cap.1. & ex antiquioribus apud Diuum Antoninum, Syluestrum,& alios. Sed hęc est summa. Iubileum ex prima impositione significasse annum remissionis, qui apud Hebreos erat annus quinquagesimus,in quo agrorum cultura cessabat,& omnes possessiones venditæ, prioribus Dominis restituebantur,vt habetur in Leuit.cap. 25. & 27. & in Numeris cap. vltimo. Hinc vsurpata est eadem vox ad significandum annum illum, in quo maximæ indulgentiæ Romæ conceduntur, qui prius fuit centesimus; nunc autem est vigesimusquintus. Hinc etiam factum est, vt hæc vox, vsurpetur ad significandum indulgentiam, quæ in plenissima forma conceditur. Obseruandum tamen est cum Recentioribus,vt sunt Corduba,quæst.11.ex D. Antonino, Syluestro,& Suarez eadem disp.50. sect. 4. num.8. per Iubileum non intelligi solùm indulgentiam plenariam, immò plenissimam, sed etiam multa priuilegia, & fauores, in ordine ad lucrandum indulgentiam, vt est concessio absolutionis à casibus reseruatis,& à censuris, & commutationis votorum, &c. Vndè per Iubileum communiter intelligitur indulgentia plenissima;sed simul cum his priuilegijs, ideò lata est differentia inter indulgentiam plenariam,& Iubileum. At dices in Bulla cruciatæ cum indulgentia plenaria ijdem fauores conceduntur, & tamen nō censetur communiter ibi concedi Iubileus.

174 Respondetur cum Suarez vbi suprà, quòd ad Iubileum, vltra prædicta requiritur, quod speciali indulto concesso ad hunc finem, indulgentiam lucrandi, specialiter,& pro determinato tempore,& loco,& cum grauioribus circunstantijs proponatur,& concedatur. Vnde qui denuntiant indulgentias debent animaduertere, nè indulgentiam plenariam simplicem nomine Iubilei pronuncient,nè fortasse aliqui decipiantur, putantes, nedum indulgentiam ; sed alios fauores eis concedi, quamuis, vt verum fatear, parum his temporibus de hoc sit dubitandum,cum Bullæ indulgentiarum, & Iubileorum sint satis claræ,& satis euidenter per summarios plebi explicentur.

175 Sed quidam obijciunt. Si indulgentia plenaria totalis est, cur aliquando vltra indulgentiam plenariam conceduntur aliquot dies,& quadragenæ indulgentiarū? Variæ afferuntur responsiones. Hæc mihi placet, quam affert inter alias Suarez. Illam formam concedendi indulgentias non inueniri in aliquo decreto iuris, nec in vlla bulla autentica,quæ ad manum eius peruenerit,& proinde nos non debere esse sollicitos, de germana significatione illorum verborum. Quod si aliquando talis forma inueniatur,potest dici cum eodem Suarez, illos Pontifices intendisse per illam additionem, concedere vltra indulgentiam plenariam illos dies,& quadragenas, vt per modum suffragij alijs possent applicare, licèt in rescripto hoc expresè non declaretur ; nullus enim alius modus occurrit, quò additio illa possit esse vtilis.

Cur vltra indulgētiā plenariā cōcedūtur aliquot dies& quadragenæ.

176 Ex dictis patet,quæ sit indulgentia totalis, & plenaria; patet etiam, quæ sit partialis, & non plenaria : illa enim,in qua ponitur aliqua cōditio restrictiua, est partialis:quæ enim nō est plenaria,& totalis,necessariò est partialis. In speciali autem longas disputationes formant Doctores de formis quarundam indulgentiarum,an sint particulares, vt si concedatur indulgentia sub hac forma,*de iniunctis*. Certum enim esse videtur, hanc esse partialem, licèt Suarez teneat oppositum,vbi suprà sect. 5. quia,vt supra vidimus illa particula *de iniunctis* est restrictiua, quia est specificatiua. Si etiā concedatur sub hac forma de *peccatis contritis, & confessis*, videtur esse partialis:nam illa particula,de contritis, & confessis, potest habere duplicē sensū. Primus est,vt cadat super peccata,& sensus sit,quòd conceditur indulgentia de peccatis, de quibus homo habet cōtritionem,& confessionem tantùm; & tunc est partialis, quia potest contingere, quod homo habeat aliqua peccata, de quibus actu non habeat contritionem, nec illa confessus sit inculpabiliter, vt si de eis sit oblitus facta diligenti indagine,quæ excusat:tunc enim cum Bulla tantum valeat, quantum sonat, videtur esse de illis peccatis, quæ tantùm confessus est : aliqui tamen volunt, illam particulam *de contritis, & confessis* non esse restrictiuam, sed explicatiuam, vt sit sensus, concedi indulgentiam de omnibus peccatis remissis per contritionem, & confessionem : qui sensus potest admitti, quia omnia peccata, quæ per obliuionem excusantem omittuntur in confessione, & contritione actuali, se habent, ac si confessa essent, iuxta illud Concilij Tridentini sessione decimaquarta, cap. quinto,reliqua peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt in vniuersum eadem confessione inclusa, esse intelliguntur, & proinde non datur casus, in quo aliquis possit lucrari indulgentiam peccatorum aliquorum, eo quia ea confessus sit,& non omnium, eo quia non omnia sit confessus : quia, vt dictum est, omnia habentur vt confessa,

De indulgentijs partialibus.

fessa, tum non adest culpa. Alius sensus est, vt particula illa cadat super hominem contritum, & confessum, vt sensus sit. Indulgentiam concedi de peccatis confessis, & contritis, idest hominibus contritis, & confessis de peccatis suis. Et tunc nulli dubium est, quod est totalis, non partialis indulgentia, vt dictum est in membro superiori.

Peccatorũ venialiũ pęnę dimittũtur cũ pęnę mortalium dimittunt.

177 Eadem ratione dicitur totalis etiam respectu venialium peccatorum; nam sicut dimissis per cõtritionem, & confessionem culpis mortalibus, intelliguntur dimitti culpæ veniales: ità dum dimittitur totalis pœna mortalium, dimittitur etiam venialium; licèt de ipsis non sit facta actualis confessio, vel contritio specialis sit habita, quia ipsa non sunt necessàriò cõfitenda: ideò non est verisimile, quod Papa nolit cõcedere indulgentiam pęnarum pro illis debitarum, nisi sint confessa, & de illis in speciali sit habita contritio: quia regulariter hęc non cadunt sub pręcepto confessionis, nec contritionis, sed in confessione, & contrione de mortalibus includuntur generaliter, seù habitualiter.

178 Sunt deinde quædam indulgentiæ partiales explicitè, de quibus nõ est dubitatio, an sint partiales nec ne, vt cum conceditur indulgentia decem annorum, tot quadragenarum, tertiæ partis peccatorum, Carena, quæ erat pęnitentia quadraginta dierum in pane & aqua cum aliqua pęnitentia septem annorum, vt constat ex cap. *Accusasti* de accusationibus, & cap. 2. *de sponsa duorum*, & huius modi: est tamen difficultas quid per dies istos, annos, & quadragenas intelligatur, & quomodo computãdi sunt? Quidam enim putant intelligi de diebus, & annis purgatorij, idest vt tot anni ex pęna purgatorij remittãtur, quot in indulgentia exprimuntur; quem intellectum accipiunt hæretici, & tribuunt catholicis, vt indulgentias irrideant, quæ id remittant, quod numquam futurum est. Sed hæc sententia est falsa; tum quia sępe conceduntur mille, & decem mille anni indulgentiarum; & tamen pęnas purgatorij ordinariè non creditur tanto tẽpore duraturas; mensurantur enim nedum duratione, sed acerbitate, & proinde non se possunt extendere ad tantam durationem. Certum est ergo per diem, & annũ in huiusmodi indulgentijs significari diem, & annum satisfactionis pęnitentialis in hac vita impositæ pro peccatis; itaquod sensus est, tantam pęnam per indulgentiam decẽ annorum dimitti, quanta dimitteretur per decem annos pęnitentiæ factę in hac vita. Quod expresè videtur significari per verba illa *Quadragena, septena*, & similia: constat enim nomina illa significare antiquas pęnas, quæ olim imponebantur in in Ecclesia, de quibus suprà diximus.

Concessio annorũ, & dierũ in indulgentijs qũo intelligatur.

179 Quanta verò remissio pęnę in purgatorio respondeat diei vni pęnitentiæ huius vitæ, & quanta vni anno; an scilicet vni diei huius vitæ correspondeat vnus dies purgatorij eiusdẽ durationis cum nostro die, & vni anno correspondeat pęnitentia vnius anni purgatorij, vel quid minus, litigant inter se Soto in 4. d. 21. q. 2. art. 1. & Corduba q. 11. sed quia res est incerta, & est de re facti, quæ non potest certò sciri, nisi ex reuelatione, hæc lis mihi videtur superflua; satis nobis esse debet, Ecclesiam vti illa mensura dierum, annorum, quadragenarum, & similium ad significandum nobis remittere per indulgentiam illam pęnam, quæ responderet tot diebus, vel annis, vel quadragenis, & similibus quantacumque sit illa pęna, & quomodocunque numeretur.

Sed difficultas est adhuc, quia pęnitentiæ septenæ, & decennæ dierum, & annorum non erant apud veterem Ecclesiam æquales, sed aliqui septem annis cogebantur ieiunare in pane & aqua, & manere sequestrati ab hominibus. Alij solùm tribus diebus in hebdomada septem annis cogebantur ieiunare, & sic de alijs, vt patet ex dictis suprà de huiusmodi pęnitentijs. Rursus in vno actu pęnitentiæ, vnus potest plus mereri, quàm alius; ergo adhuc remanet incertum quanta sit pęna, quæ remittitur per hos dies, annos, quadragenas, & huiusmodi. Respondetur, quod cum e. g. conceditur indulgentia vnius anni, conceditur remissio tantæ pęnæ, quanta per pęnitentiã vnius anni adæquatam redimeretur, quod est notum apud Deum: scit enim Deus quot annorum, vel dierum pęnitentiæ adæquatè, & iustè in hac vita respõdeat peccatis vniuscuiusque pensatis omnibus: & ideò per indulgẽtiam vnius anni dimittitur tanta pęna, quanta redimeretur, si secundùm iustitiam, & adæquatè, & claue non errante ageret pęnitentiam in hac vita pro suis peccatis omnibus pensatis vno anno: & sic de alijs. Et verisimile est cum primũ cęperunt concedi indulgẽtiæ septenarum, quadragenarum, &c. intellexisse de pęnitentijs iniungendis claue non errante, & adæquatè secũdùm iustitiam; alioquin creuisset, vel diminuta fuisset indulgentia secundùm impositionem pęnitentiæ factæ à confessore, quem certum est potuisse errare in imponenda debita pęnitentia, & adæquata, vt suprà diximus. Quando tamen adiungebant concedere indulgentiam tot dierum de iniunctis; verisimile est eos intellexisse de pęnis respondentibus in purgatorio illis pęnis iniunctis pensatis omnibus, quas optimè nouit Dominus.

180 Rursus assignari solet alia diuisio indulgentiæ, scilicet in personalem, localem, & realem; vbi statim est notandum, quod solùm homines viatores, & baptizati, sunt capaces indulgentiæ; & illi solùm, qui post baptismum aliquod peccatum mortale comiserunt, nec condignam pęnitentiam fecerunt, vt patet ex dictis suprà: ideò licèt aliquando, & sæpe indulgentiæ concedantur locis, & alijs rebus ab hominibus, non tamen re vera conceduntur illis rebus, sed hominibus mediantibus illis locis, & rebus: quia scilicet conceditur hominibus in illis locis orantibus, vel aliquod opus ibi exercentibus.

Diuisio indulgẽtię, ĩ personalẽ, localem, & realem.

181 Indulgẽtia personalis est, quæ directè conceditur personæ, ità vt talis fauor inhæreat, vt ità dicam ipsi personę, vt illam secum deferat quocunque pergat; vt sunt indulgentiæ concessæ religiosis certorum ordinum. Indulgentia localis est, quæ inhæret alicui loco stabili, & firmo, in ordine ad personas in tali loco orãtes, vel aliquod pium opus exercentes; vt indulgentiæ concessæ Ecclesijs Romæ. Indulgentia realis est idem quod localis, solùm differt ab ea, quod hæc conceditur alicui mobili rei in ordine ad homines; cuiusmodi sunt indulgentiæ concessæ imaginibus, granis, rosarijs, & similibus.

Indulgẽtia localis, & personalis.

182 Circa autem has indulgẽtias occurrunt quædam dubia, & primò. Quid requiratur ad lucrandum aliquam indulgentiam alicui pio loco concessam; an scilicet sit necessariũ ingredi illum locum, vel aliquid aliud facere. Ad quod breuiter respõdetur cũ Adriano in 4. vbi agit de indulgentia, quod est cõsideranda forma cõcessionis indulgẽtiæ, & si in ea expresè postulatur aliquod opus, vt puta, quod in tali loco oret, &c. ad lucrãdũ indulgentiã, necessè est illud opus facere, est enim conditio necessaria, qua adimpleta obtinetur indulgentia, & sine qua nequaquã, vel nullũ opus speciale postulatur; sed solũmodo dicitur visitãtibus huiusmodi locũ cõcedi talem indulgẽtiã; & tunc, vt ait Adrianus, vbi suprà, requiritur ad lucrandum indulgentiam, quod talis visitatio sit visitatio religiosa, & deuota, quæ fiat in honorem Dei, & Sanctorum eius, quæ inseparabilis videtur esse ab aliqua oratione, quæ in tali loco fiat. Vnde si visitatio illa esset quidam ingressus communis, vt ad alia loca, vel conspiciendi gratia locum, vel ratione deambulationis, & similium non lucraretur indulgentiam.

Quid requiratur ad lucrãdũ ĩ indulgẽtiã alicui pio loco cõcessam.

183 An verò quoties visitat quis toties lucretur indulgentiam, dicetur infrà cap. vltimo, agendo de duratione indulgentiæ. Quæritur etiam, An quando conceditur indulgentia visitantibus talem Ecclesiam, vel in illa orantibus, necessarium sit ingredi Ecclesiam? Respondetur. Aliqui asserunt quod sic, vt Glosa in Clementina prima, de Reliquijs, & veneratione Sanctorum. Contrarium tenent Summa Rosella verbo *Indulgentia*, numero 22. & Corduba q. 31. Suarez disp. 52. sect. 1. pro vtraque parte varias rationes adducit, & tandem cum Nauarro in Comment. de indulgentijs, & alijs citatis ab eo tenet standum

An necessariũ sit ĩgredi ecclesiã.

esse verbis concessionis, & eorum proprietati; si enim illa secundùm proprietatem non adimpleantur, non lucratur quis indulgentiam. Vndè si verba requirant expresſè ingressum Eccesiæ, vel quòd oretur in Ecclesia, si quis hęc faciat extra, sed propè Ecclesiam, etiam ex necessitate, vel impotētia, quia scilicet impeditur propter multitudinem populi, iste non lucrabitur indulgentiam: quia impotēntia implendi conditionem expressam in forma indulgentiæ non facit, vt quis lucretur indulgentiam: quæ opinio certè est tuta. Cum verò in forma concessionis dicitur tantùm, *Quicumque visitauerit talem Ecclesiam*, &c. difficultas est, An qui propter populi multitudinem non potest ingredi Ecclesiam, sed orat ante illam lucretur indulgentiam. Ad quod respondet Suarez, quod sic: quia moraliter potest dici istum visitare illam ecclesiam, licèt eam non ingrediatur corporaliter. Quæ responsio etiam mihi probatur: quia secundùm modum loquendi talis intelligitur visitare Ecclesiam. Si etiam pręcipiatur orare in ecclesia, & sacrificare in ecclesia, idem auctor asserit, si oretur, & sacrificetur in cemeterio adimpleri pręceptum: quia in fauorabilibus verba sunt amplianda, non restringenda. Quæ opinio, etsi sit dubia, est tamen valdè probabilis, cum adest impedimentum, ne possit orare, vel sacrificare intra Ecclesiam: tutius tamen est ingredi, & orare, & sacrificare in ecclesia, quia opus est adimplere conditionem propositam in forma: ideò illius verba sunt diligenter consideranda.

An diruta ecclesia extinguatur indulgētia illi concessa.

184 Aliud dubium est, An diruto templo extinguatur indulgentia illi concessa. Ad quod respondetur communiter, quod si ecclesia non totaliter destruatur, sed tantum per partes, & reædificetur, indulgentias illi concessas manere: quia censetur eadem ecclesia manere. Si verò ecclesia totaliter destruatur, & alia omninò de nouo ædificetur, sunt opiniones: nam Paludanus in 4. dicta q. 4. dicit extingui: quia indulgentia fuit concessa priori ecclesiæ: hæc autem est diuersa ab illa. Alij dicunt, quod si destruitur de iure, & reædificetur de consensu superioris, vel alio, de consensu eiusdem transferatur, quod maneat eadem indulgentia; si verò de facto destruatur, & sine licentia superioris, non manere eandem indulgentiam; quæ est opinio Canonistarum, quam affert Ludouicus Bonanius in tractatu de Indulgentijs adductus, & impugnatus à Suarez vbi suprà, num. 8. Quæ opinio mihi placet, quidquid dicat Suarez; quoniam cum ecclesia de iure destruitur, & reædificatur cum consensu superioris sub eodem titulo, & ijsdem respectibus, quos prius habebat, moraliter censeri debet eadem ecclesia; neque enim vnitas materialis facit vnitatem ecclesiæ; sed vnitas formalis, quæ in diuersa materia manere eadem videtur, cum ex intentione superioris illa ecclesia destruitur, & reædificatur, siuè eodem loco, siuè alio, & sub eadem dedicatione, & cum eisdem respectibus.

Cur certis tēplis, & rebus cōferatur indulgentia.

185 Sed quid ad pietatem, vt indulgentiæ potius concedantur huic templo, quàm alijs, vel his granis, quàm alijs, cum determinatio hæc locorum, & rerum nihil conferat ad pietatem? Respondetur maximè, hæc determinatio pertinere ad pietatem; & quidem de templis est manifestum: nam determinatio, & concessio indulgentiæ tali templo dicato in honorem Dei, vel alicuius Sancti, auget deuotionem, pietatem, & reuerentiam erga Deum, & illum Sanctum; & sicut Deus benedictus in diuersis templis, & sanctis, & diuersis sacris imaginibus facit diuersa miracula, vt illa templa, & sancti in maiori veneratione habeantur; sic etiam concessio indulgentiarum huiusmodi diuersis templis, & imaginibus auget pietatem, & reuerētiam erga Deum, & illarum sacrarum imaginum prototypum. Sicuti etiam grana, rosaria, & huiusmodi sunt instrumenta, quibus honoratur Deus, & colitur; sic etiam concessio indulgentiarum illis granis, Rosarijs, & huiusmodi excitat homines magis ad illis instrumentis honorandum Deum, & illum laudandum; homines enim, vt lucrentur illas indulgētias, sæpius recitant orationem dominicam, vel angelicam significatam per illa grana, & Rosaria, quam facerent; & sic cultus Dei augetur magis, ac magis.

Cū cōceditur īdulgētia generaliter, an includātur religiosi.

186 Solet etiam dubitari, an cum indulgentia conceditur alicui Oppido generaliter comprehēdantur etiam personæ Ecclesiasticæ, & Regulares. Respondetur affirmatiuè, quia gratiæ, & fauores sunt ampliandi, ideò nisi apponatur aliqua clausula, quæ præcisè laicos designet, certè comprehenduntur: tum quia sunt de populo christiano, & fideles: tum quia ipsi quoque indigent huiusmodi indulgentijs, cum sint peccatores.

An indulgētia personalis generalis se extendat ad concedētē.

187 Denique dubitatur, an indulgentia personalis generalis se extendat ad ipsum concedentem. Ad quod respondetur proculdubio extendi; est enim communior sententia Theologorum in 4. Richardi dist. 20. art. 4. q. 3. D. Tho. q. 1. art. 5. q. 4. Supplem. Gabrielis d. 45. a. 2. concl. 7. Summistarum communiter verbo *Indulgentia*; & vsu, ac experientia est certum: quia videmus, quod Summi Pontifices lucrantur indulgentias, quas ipsi concedunt in Iubileis; & ratio est clara: quia prelati non sunt deterioris conditionis, quàm inferiores; ergo sicut alij possunt lucrari indulgentias, & participare de thesauro Ecclesiæ, ita ipsi prælati.

188 Difficultas est de modo, quo possit sibi concedere indulgentias. Circa quod sunt contentiones propter has rationes. Primò, quia nemo potest secum vti actu iurisdictionis: concessio autem indulgentiæ est actus iurisdictionis; ergo. Secundò. Indulgentia est absolutio quædam: at nemo potest absoluere seipsum; ergo. Tertiò. Prelatus non potest secum dispensare in lege; ergo non potest sibi concedere indulgentiam.

Prima obiectio. Secunda obiectio. Tertia obiectio.

Solutio.

189 At respondetur, varijs modis posse sibi concedere indulgentias. Primò, concedendo alteri facultatem concedendi sibi indulgentias, prout expedire iudicabit, sic respondet D. Thom. vbi suprà ad primum, & Richardus vbi suprà ad primum in oppositum: inquit enim D. Thomas, quod etsi prelatus non possit exercere actum iurisdictionis in seipsum, tamen potest vti illis, quæ alijs auctoritate iurisdictionis dispensat: & consequenter, licèt non possit seipsum absoluere, potest tamen concedere alijs auctoritatem, vt eum absoluant. Et ad tertium conceditur, non posse secum directè dispensare, potest tamen indirectè.

Responsio D. Thom.

190 Alius modus dicendi est facilior, quod prelatus duobus modis potest considerari, vel vt prelatus, vel vt vnus de communitate. Primo modo non potest exercere actum iurisdictionis in seipso, nec se absoluere, nec dispēsare legem, sed secundo modo; sicut cum alijs dispensat, alios absoluit, & exercet in eos actum iurisdictionis. In hac enim absolutione, & concessione indulgentiæ non requiritur, vt concedens, & ille, cui conceditur, sit distinctio personalis, sicut in absolutione sacramentali. Pontifex ergo vt Papa est superior, vt homo est subditus: ideò per se potest seipsum absoluere, & sibi indulgentiam concedere, & in lege secum dispensare potestate suprema collata sibi à Deo in omnibus, circa quæ cū alijs dispēsat.

Quomodo indulgentiæ prosint viuis. Cap. Septimum.

191 Diximus indulgentias competere solùm hominibus, & hominibus viatoribus: ex quo fit, quòd cū solùm viuentes sint propriè rationes, & defuncti in purgatorio quoque sint aliquo modo in via indulgentiæ, competant solùm viuis, & defunctis existentibus in purgatorio. Agemus in hoc capite de viuis; in secundo de defunctis. Tota autem tractatio hæc circa illud versabitur, quomodo indulgētiæ prodesse possunt, & quid requiratur ad hoc vt dignè suscipiātur. Quantū ergo ad hoc obseruādū est, duplicē dispositionē requiri ad dignè suscipiēdū indulgentiā. Altera dicitur habitualis. Altera dicitur actualis. Dispositio habitualis est habere in se habitus requisitos ad suscipiēdū indulgētiā. Dispositio actualis est aliquòd opus

Duplex dispositio necessaria ad suscipiēdū indulgētiā.

bonum

Requiritur habitus fidei.

bonum ad fructum indulgentię suscipiendum, de quo infrà. Quò ad dispositionem habitualem duo sunt habitus supernaturales necessariò requisiti, scilicet fides, & gratia habitualis gratum faciens: & quidem quod habitus fidei requiratur est certum. Primò, quia indulgentiæ non competunt nisi fidelibus, vt patet in forma concedendi indulgentias. Secundò, quia indulgentiæ fundantur in articulo communionis Sanctorum: qui autem sunt extra Ecclesiam, vt sunt infideles, non possunt participare communionem Sanctorum, quia sunt membra præcisa, & mortua vt patet; ergo &c. Ex quo statim apparet, quod hęreticus, & apostata à fide, etiam occulti, non sunt capaces indulgentiæ: quia sunt membra præcisa. Est verò dubitatio, an excommunicatus excommunicatione maiori sit capax indulgentiæ. Et breuiter patet veram esse negatiuam partem, quia excommunicatus etiam si post excommunicationem reddiderit in gratiam, ab excommunicatione tamen non sit absolutus, est priuatus omni communione Ecclesiastica, vt infrà dicemus, & bonis omnibus Ecclesiæ; ergo etiam indulgentia. Et de his nulla est dubitatio.

An lucrãs indulgẽtiã necessariò debeat eẽ in gratia.

Opinio falsò ascripta Scoto refellitur.

192 De altero verò habitu, scilicet charitatis est maior difficultas. Soto in 4. d. 21. q. 2. a. 3. post conclusionem primam, Suarez disp. 52. sect. 2. & alij ex eo quod Scotus eodem 4. d. 25. q. 1. a. 4. tenet hominem existentem in peccato mortali posse satisfacere pro pœnitentia sibi imposita pro peccatis prius sibi dimissis quò ad culpã, inferunt iuxta eadem principia Scoti esse dicendum, quod existens in peccato mortali possit sibi lucrari indulgentiam. Nam inquiunt magis est efficax meritum Christi, & Sanctorum, quã satisfactio peccatoris; & simpliciter efficacior est applicatio facta à Vicario Christi, quàm facta à priuata persona. Atque deinde illam impugnant ex eodem fundamento, quo primam assertionem confutare nituntur.

193 Cęterùm hęc opinio malè ascribitur Scoto, neque ex priori illa assertione deducitur: quoniam lata est differentia inter solutionem pœnæ, quã quis facit adimplendo per se pœnitentiã impositã sibi à confessario in sacramento pœnitentiæ, & inter solutionẽ pœnæ, quã quis facit per lucrationem indulgentię: nam in prima nihil miscetur de gratia, seu priuilegio, sed totum ibi fit ex iustitia. Satisfaciens enim in peccato mortali pro pœnis deletis peccatis aliàs dimissis, adimplet præceptum confessarij, & soluit pœnã impositam sibi ex iustitia: quia reddit pœnã taxatã; nõ tñ recõciliatur Deo, cui satisfacit, nec aliquid gratię meretur ex illa operatione pœnali apud Deũ. At in solutione pęnæ p lucrationẽ indulgentiæ intercedit, seu meretur gratia, & supponitur reconciliatio, & amicitia cum Deo: quia non præsumimr, Deum suos fauores, & gr̃as quò ad deletionẽ pęnæ cõicare inimicis, sed potius illos quò ad pęnas onerare, licèt quò ad culpam dimittendam nõ cesset illos adimare: ideò non sequitur, quod si Deus acceptet satisfactionem impositã à suo ministro pro peccato aliàs deleto quò ad culpam ab eo, qui in peccato mortali existit, etiam eidem in peccato existenti velit indulgere pœnam debitã pro peccatis aliàs deletã: quia hoc esset dimittere pęnã debitam peccatis sinè pęnitentia, quod nõ fit à Deo secundũ legem suam ordinariam. Quod tandẽ nouit quoque Soto vbi suprà, dum dixit, quod admissa illa opinione Scoti, nõ sequitur, quod thesaurus ecclesiæ possit applicari existenti in peccato mortali, quia auctores illius, scilicet Christus, & Sancti, & Pontifex non intendunt applicare illam existenti in peccato mortali, & inimicis, sed amicis tantùm existentibus in gratia.

Quo tẽpore sit necessaria gratia

194 Supposito ergo gratiã habitualẽ requiri in lucrãte indulgentiã, dubiũ est de tẽpore, in quo necessaria sit gratia ad hoc vt lucretur indulgẽtiã. Nã possunt distingui duo tempora in indulgentia acquirenda: vnum in quo fiunt opera requisita ad talem indulgentiam lucrandam: aliud est punctum illud temporis, in quo consumatur indulgentia, & effectus illius confertur. Exemplũ. Cõceditur indulgentia ieiunanti tali die. Contingit autem quempiam illo die ieiunãrem ad effectum lucrandi illam indulgentiam, vel in illo peccare mortaliter, vel permanere in peccato prius commisso; tandem verò in fine diei conteri, vel confiteri, & gratiam obtinere; dubium est, an sufficiat, quod in vltima parte diei, in quo consumatur indulgentia, & effectus eius confertur, sit in gratia; vel requiratur, vt in tali tempore sit semper in gratia.

195 Respõdetur saltem esse necessariam gratiam pro illo tempore, quo indulgentia consumatur, & effectus eius confertur: hoc patet, quia hæc dispositio, quod homo sit in gratia requiritur propter suscipiendum effectum indulgentiæ: ideò si pro illo tempore non sit in gratia, certum est non consequi effectum indulgentiæ.

Quodnã sit instans, in quo effect⁹ indulgẽtiæ confertur.

196 At rursus dubiũ est, quodnã sit illud instãs, in quo effectus indulgentiæ conceditur. Pro intelligentia est notandũ posse quidẽ cõcedi indulgentiã sub tali forma, vt p partes quis eam lucretur, & non totã simul, v. g. si recitanti Psalmũ conceditur indulgentia vnius anni, ita tamen vt q dimidiũ dixerit, dimidiũ etiã annũ lucretur, & sic de alijs partibus cũ proportione; tũc inchoata recitatione psalmi, inchoabitur effectus indulgẽtiæ, & successiuè cũ ipsa recitatione continuabitur; hic lucrabitur hanc indulgẽtiã per partes, & in fine recitationis dicetur totã indulgẽtiã vnius anni lucratus esse. Et hoc modo in operibus merẽtibus ex opere operantis acquirimus augumentũ gratiæ: immò, & deletio pęnæ, quæ fit per satisfactionẽ sacramẽtalem, quæ habet vim ex opere operato, videtur sic p partes fieri, quia ille satisfaciens nõ totã simul facit pœnitentiã, sed per partes; licèt ergo indulgẽtia possit hoc modo cõcedi, & forsã aliquãdo de facto sub hac forma sint aliquæ cõcessæ; tñ regulariter nõ est in vsu, sed absolutè requiritur, & postulat aliquod totũ opus vt conditio necessaria ad acquirẽdã indulgentiam, quo cõpleto indulgentia cõferatur, & nõ ante, vt patet in iubileis ordinarijs, in quibus dicitur, quod tribus diebus ieiunetur, & visitẽtur tales ecclesiæ, &c. solũ .n. indulgentia confertur in fine adimpletionis operis, vel operum prędictarũ. Necessariũ est ergo, vt in illo vltimo instãti, quo cõpletur opus, lucrãs indulgentiã sit in gratia; siuè illud instãs sit vltimũ phisicè, i. sm̃ rem: siuè sit vltimũ moraliter, i. sm̃ existimationẽ humanã. Hæc .n. speculatio parũ refert: quia quodnam illorũ sit, est incertũ. Loquẽdo verò de altero tẽpore est aliqua cõtrouersia, an requiratur gr̃a: sed dicẽdũ est nõ requiri, sed sufficere, qđ sit in gr̃a in vltimo instãti prædicto, ꝙ magis patebit ex dicẽdis infrà.

An impedito effectu indulgẽtiæ ꝑpter fictionem, ablata fictione recuperetur.

197 At rursus est dubiũ, an impedito effectu indulgẽtiæ pp defectũ gratiæ, recedente fictione, & impedimẽto recuperetur effectus indulgẽtiæ ad eũ modũ, quo de Baptismo tractari solet; recedẽte enim fictione reddit gratia baptismalis. Respondetur negatiuè, quãuis Palud. ascribatur opinio affirmatiua. Ratio est, quia etsi indulgentia habeat effectum suũ ad modũ operis operati, non operãtis: quia ex concessione pręlati habet suum effectum: tñ hoc non sufficit, quia sacramentũ baptismi, cuius effectus redit recedente fictione, nõ habet hoc, quia conferat gratiã ex opere operato: quia tunc hoc cõpeteret oĩbus sacramẽtis nouæ legis, cũ oĩa eã cõferant ex opere operato; sed rõ est, quia de facto cõfertur sacramentũ baptismi ẽt ipsi ponenti obicẽ, dũmodo habeat intentionẽ suscipiendi sacramentũ; licèt ergo tunc non habeat effectũ pp impedimẽtum positum, illo recedẽte habet: quia in anima baptizati impressit characterẽ, & ibi manet. Indulgẽtia verò, vel applicatio nõ manet transacto instãti in quo ipsa cõsumatur. Patet, quia de facto conceditur indulgentia à Pontifice facienti tale opus bonũ. Opere illo completo indulgentia cõsumatur; ergo transacto illo instanti nõ est amplius indulgentia, & sic effectus eius haberi non potest: etiã ex hoc sequitur non esse in ecclesia potestatem concedendi indulgentiam sub hac forma, vt recedente fictione habeat effectum, quia hoc repugnat conditioni indulgentiæ, quia ipsa non est quid permanens in anima secundùm essentiam, quod etsi nunc propter aliquod impedimentum non habeat effectũ, recedẽte illo habere possit. Vnde si Papa cõcederet indulgẽtiã sub hac forma, vt q recitaret psalmũ vnũ

cũ primũ fuerit in gratia habeat talem indulgentiam, illa indulgentia nõ haberet effectum suum cum est in gratia; quia tunc recesserit fictio, & impedimentũ, sed potius quia pro illo tunc consumatur indulgentia, & applicatio thesauri fit à Papa. Huiusmodi etiã forma concedendi nõ est vtilis, nec esset ad ędificationem Ecclesiæ, sed potius ad detrimentum: quia nutriret hominum inertiam, & perseuerantiam in peccato. Ideò nulla est ratio, quæ suadeat hanc potestatem esse in Ecclesia sub hac forma.

An confessio sit necessaria ad effectũ indulgentiæ cõsequẽdũ.

198 Loquẽdo de dispositione actuali requisita, occurrit dubitatio principaliter de confessione, & contritione, an scilicet cõfessio, & contritio actualis requiratur ad effectum indulgentiæ consequendum. Ad quam breuiter respondetur, quod vel confessio consideratur vt postulatur tanquam opus necessarium ad effectũ indulgentię consequẽdũ vel consideratur quatenus est necessaria ad gratiã. Si confessio in forma cõcedendi indulgentiã postuletur vt opus, & conditio ad consequendũ indulgentiã, proculdubio est simpliciter necessaria: sicut alia opera, vt cum Papa concedit indulgentiã confessis, & cõtritis visitantibus talẽ Ecclesiã. Si verò non postuletur vt opus, & conditio ad lucrandũ indulgentiã, vt cũ Papa cõcedit indulgentiam sub hac forma præcisè *verè contritis* faciẽtibus hoc, &c. vel cũ hac disiunctione *contritis, vel confessis*, nec vlla fit mentio de contritione, vel confessione, sed absolutè cõceditur indulgentia ieiunantibus, vel orantibus, &c. dicẽdũ est non esse necessarium si homo sit in statu gratię: nam tunc confessio non est necessaria, neque ad lucrãdum indulgentiæ effectum: quia illa non postulatur in forma, neque ad obtinendam gratiam, quia iam illa habetur; ergo nullo modo est necessaria: idem dicendum est de contritione.

199 Nec obest extrauagans *Vnigenitus*, in qua dicitur Petro esse relictã potestatẽ dispensandi thesaurũ verè pœnitẽtibus, & confessis, & similia: quia ibi Papa per cõtritos & cõfessos nihil aliud vult significare, nisi homines in gratia constitutos, qui veniam suarum culparũ iam consecuti sunt: ideò cum quis iam est in gratia, non est opus nulla confessione, vel contritione ad lucrandam indulgentiam.

200 Est tamen obseruandum doctores non conuenire, an cum indulgentia conceditur sub illa forma *concedimus omnibus verè pœnitentibus, & confessis*, &c. quæ forma habetur sępè in iure, vt in Extrauaganti *de pœnit. & remissione*, ibi cõfessio postuletur vt opus requisitũ ad lucrandum indulgentiam, & proinde necessariò in actu sit præmittenda. Aliqui enim affirmant, vt Durandus in 4. d. 20. q. 4. n. ij. Adrianus in 4. in materia de indulgentia. Caiet. opusculo de indulgẽtijs ad Iulium, c. 9. alij dicunt sufficere quòd tẽpore debito, scilicet in quadragesima sit cõfessus, quòd si deinde peccauit, sufficit, vt habeat contritionẽ, & votũ cõfitendi tẽpore debito in quadragesima, & hæc tribuitur D. Anton. 1. p. tit. 10. c. 3. §. 5. & supplemento Gabrielis in 4. d. 45. q. 3. a. 3. dub. 1. Alij verò volunt nõ requiri ex vi illorũ verborũ confessionẽ sacramentalẽ in re ad lucrãdũ indulgentiã, neque esse opus postulatũ vt conditio necessaria ad consequendũ indulgentiã sed tunc quãdo interior pœnitentia non attingit gradũ contritionis perfectæ, quando autẽ attingit gradũ contritionis perfectę non esse necessariã, quã tenet Paludan. in 4. d. 20. q. 4. a. 3. & Canonistæ cũ Glosa in Clem. *vnica*, de Reliquijs, & veneratione Sanctorũ, & latè Felinus de indulgẽtijs, n. 25. & hãc sequitur quoque Suarez disp. 52. sec. 3. n. 13. Alij vt Nauar. in Com. de Iubileo, notabili 18. dicit si cõfessio bona fide omittatur, vel ex impotẽtia omittatur, sufficere cõtritionẽ.

Opinio auctoris.

201 Ego puto Pontificẽ in huiusmodi forma concedẽdi indulgentiã, nõ postulare confessionẽ vt opus cõditionatũ ad consequẽdũ indulgentiã, sed vt necessariũ mediũ ad habẽdũ gratiã, & ad statũ gratiæ: nam sine gratia non potest quis cõsequi indulgentiã; ideò propter hoc cõfessio requiritur. Ex quo sequitur, quod si quis re vera sit contritus, non egeat confessione actuali ad lucrandũ indulgentiam, & maximè cũ confessio nõ omittitur voluntariè, vt dicebat Nauarrus; tamen tutius est, & in praxi cõsulendũ mihi videtur, necessariam esse in re cõfessionem, vt dicebat prima opinio: quia indulgentiæ tantũ valent, quantũ sonant. Papa autẽ dicit, se cõcedere indulgentiã verè penitẽtibus, & cõfessis; ergo videtur velle cõfessionẽ esse opus conditionatũ, & necessariũ ad indulgentiam lucrandam, & alio modo exponere est periculosum, vel minus tutum.

De alijs operibus postulatis in forma concessionis.

202 Vlterius ad actualem dispositionem pro lucranda indulgentia requiritur, vt cętera opera postulata in forma concessionis indulgentiæ adimpleantur. Verùm circa ista primò dubitatur, an necessarium sit ad indulgentiam concedendam semper exigere, & postulare aliquod opus pium, ita vt non possit Pontifex alio modo indulgentiam concedere. Respondetur simpliciter, & absolutè loquẽdo non esse necessarium exigere aliquod opus pium: interdũ verò aliquo modo esse necessarium. Prima pars probatur, quia communiter secundùm Theologos omnes ad valorem, & fructum indulgentię tria requiruntur. Primum potestas in concedẽte; gratia in recipiente; & pia causa, propter quam concedatur indulgentia. At hæc tria possunt reperiri in indulgentia absque eo quod nouum opus exigatur; ergo &c. Minor quò ad duas priores partes est euidẽs. Quò ad tertiam probatur, quia causa sufficiens concessionis indulgentiæ potest præcessisse, vt si conferatur propter aliqua obsequia iam præstita Ecclesiæ. Hæc enim possunt esse multa, & grauia, & superare opus, quod de nouo exigeretur: ideò sicut opus de nouo postulatum est causa sufficiens, sic opus præteritum æquiualens, vel superans. Rursus indulgentia potest concedi ad consolandum peccatorem, & ad erigendam eius spem, ne propter grauitatem pœnarum suis peccatis debitarum peccator tabescat, & absorbeatur tristitia, quomodo Paulus 2. ad Corinthios 2. condonauit illi fornicatori pęnam reliquam, quã debebat: ideò in tali casu nullũ postulatur opus, sed liberaliter conceditur indulgentia pœnæ debitæ: illa enim est pia, & sufficiẽs causa, ne tristitia absorbeatur. Rursus potest concedi indulgentia per modum cuiusdam liberalis donationis occasione alicuius magnę festiuitatis; ad quem modum ferè solent Episcopi concedere indulgentiam 40. dierum benedicendo, & Papa in die cęnæ Domini præsentibus suæ benedictioni solet concedere indulgentiam plenariam, in quo etiam adest pia causa absque aliquo opere de nouo postulato, scilicet solemnitas illius festiuitatis, vel consecrationis Ecclesię. Sicut enim Principes in die Natalis sui, vel coronationis solent thesauros suos effundere, ità pręlati Ecclesiæ in festiuitatibus Ecclesię, vel in suis assumptionibus habent piam causam indulgentias cõcedendi. Denique ad simplicem intercessionem alterius viri pij, & Sancti potest cõcedi indulgentia absque postulatione noui operis pij, ad eum modũ, quo ex D. Cipriano, & Tertulliano diximus suprà solitũ fuisse in veteri ecclesia lapsis indulgẽtiã præstari de pęnis, quas propter lapsũ merebãtur.

Tria requirũtur ad valorẽ indulgentiæ ex cõi sẽtẽtia Theologorum.

203 Secunda pars quoque probatur, quia causa, propter quã indulgentia conceditur, quandoque est vt à Deo impetremus aliquod beneficiũ, vel vitemus aliquod malũ: indulgentia autẽ non potest applicari ad hunc finẽ obtinẽdũ, nisi mediantibus aliquibus operibus pijs: ideò tũc necessariũ est postulare aliquod opus piũ. Vnde quia frequentius cõceduntur indulgentiæ ad huiusmodi bonos fines obtinẽdos; & quia etiã hic modus cõcedendi indulgẽtias per postulationẽ boni operis est securior, & fidelibus vtilior: ideò regulariter hic est in vsu. Et sic patet piam causam adesse posse absque opere nouo; tamen regulariter piam causam esse opus bonum de nouo postulatũ; & tunc esse necessarium non absolutè, sed ratione finis, & ex impositione concedentis, non simpliciter.

Quõ opus postulatũ prestari possit, vt fructus obtineatur

204 Remanet modò sciendum quomodo opus postulatum in forma indulgentiæ sit pręstandum, vt fructus indulgentię obtineatur. Ad quod breuiter respõdetur, communem sententiam Theologorum esse quam specialiter tradit D. Bonauentura in 4. distinct. 20. p. 2. art. 1. quæst. 4. in responsione ad vltimum. Et Diuus Thomas quodlibeto secundo art. 16. quoties indulgentia conceditur sub

tali

tali forma, vt certum aliquod opus fiat, nemo lucratur indulgentiam, nisi tale opus exequatur. Vnde licèt vel per impotẽtiam, vel naturalem obliuionem, vel ob aliquam aliam causam, quantumuis inuoluntariã omittatur opus, effectus indulgentiæ impeditur; neque sic omittens lucratur indulgentiam, nisi in ipsamet forma concessionis declaretur talis exceptio; & personis impeditis eadem indulgentia sub alia forma, & sub conditione adimplendi alia opera concedatur, & ratio est, quia indulgentia non plus valet, quam sonat, nec valet nisi secundùm intentionem concedentis, quæ in forma concessionis exprimitur: in concessione autem indulgentiæ postulatur hæc conditio, vt tale, & tale opus fiat; ergo non operatur, nisi adimpleta conditione: quia conditionalis concessio, non operatur, nisi adimpleta conditione: conditionalis enim non impleta conditione nihil ponit in esse. Voluntas quidem faciendi opus postulatum, quando adest impotentia meretur aliquam deletionem pœnæ temporalis, secundùm suam propositionem: non tamen sufficit ad lucrandum indulgentiam, quia deficit opus postulatum in re, sed solùm ex opere operantis habet prędictum valorem.

205 Atque obseruandum est non sufficere partem iniuncti, seu postulati operis adimplere ad totam, vel partẽ indulgentiæ consequendam. Vnde si in forma indulgentiæ postuletur, vt quis tribus diebus ieiunet, ad hoc vt plenariam indulgentiam consequatur, si vna die ieiunet tantùm, non lucrabitur totam indulgentiam plenariam; sed neque etiam partem, vt puta remissionẽ tertiæ partis peccatorum, quæ est pars proportionata. Ratio est, quia hæc forma requirit totum opus, vt conditionem ad indulgentiam cõsequendam. Verum est, quod si ex opere iniuncto pars minima omittatur, hoc non impediret effectum indulgẽtiæ, quia in moralibus parum pro nihilo reputatur. Res tamen est dubia, & ideò vitanda est quantumlacunque pars minima, & maximè quãdo opus postulatum est leue, & parui momenti: nam si conceditur indulgentia recitanti quinquies orationẽ dominicam, & quater tãtùm recitaret, profectò nõ obtineretur indulgentia: quia licèt id, quod omittitur, sit parua materia, tamen respectu operis, quòd est valdè paruum, est magna pars.

206 Obseruãda itaque semper est forma cõcessionis, & verba in ea contenta; nam aliquando sunt omninò determinata ad tale opus, & in tanta quãtitate, vel ad plura opera copulatiuè, vel disiunctiuè; aliquando etiã non exigitur totius operis perfectio, sed inchoatio, & propositum efficax; & tũc obtinebitur indulgẽtia per inchoationẽ operis, licèt nõ sit pfecta, & sic de alijs; & hæc est certa regula, iuxta illud axioma, bulla tantum valet, quantum sonat.

An op⁹ postulatũ necessariò debeat exeq. ĩ statu gratię

207 Aliud dubiũ graue hic oritur, an sit necesse opus postulatũ adimplere in statu gratię, ad effectũ indulgẽtiæ obtinendum. Hic sunt duæ opiniones oppositæ. Prima, & affirmatiua, & est Caietani in opusc. de indulgẽtijs ad Iulium c. 9. & in alio opusc. de indulgentijs q. vlt. Nauar. in Com. de indulgentijs, notabili 19. n. 7. & sequẽtib. & Soto dicit esse probabilẽ fortè, licèt oppositã magis probabilẽ asserat, vt postea videbimus. Fundamẽtũ huius opinionis est, quia Pontifices in concessione indulgentiarum solent innuere hanc formam, *Omnibus contritis, & confessis, hoc, vel illud facientibus, talem indulgentiam concedimus*; ergo videtur requiri, vt opus postulatum fiat in gratia, & sic ad consequendã indulgẽtiam necessarium, esse prius habere contritionẽ, & pręmittere cõfessionem, deinde ieiunare, & alia opera facere, quæ postulantur, siuè iniunguntur in concessione indulgẽtiæ. Confirmatur, quia postulatur aliquod opus pium ad indulgentiam consequẽdam, vt illud opus pium iuuet ad consequendum finem, propter quem indulgentia conceditur: at opus factũ in peccato mortali, est opus mortuum, non est gratum Deo; ergo non potest iuuare apud Deum ad consequendum finem, propter quem indulgentia conceditur.

Fundamentũ huius opinionis.

Confirmatio.

Opinio negatiua, quæ est vera.

208 Alia opinio, & cõior est, quod non sit necessariũ ex vi consequẽdæ indulgentiæ, vt opus postulatum fiat in gratia; & hoc loquendo, iuxta ordinariã, & cõmunẽ formã concedendi indulgentias. Nã si Papa peteret, vt opus, quod postulatur, fiat in gratia, proculdubio necessariũ esset illud facere in gratia propter rationes suprà adductas; sed stante forma ordinaria concessionis indulgentiarum hæc opinio asserit, non esse necessariũ, vt opus fiat in statu gratiæ. Hæc opinio est communis, & in praxi seruatur, vt experientia patet: quia cum Papa concedit iubileum visitantibus tot Basilicas, & ieiunantibus tribus ferijs, vt 4. 6. & Sabbatho; multi cõfitentur sua peccata feria 6. vel Sabbatho, & sic feria 4. cum ieiunãt, & visitant Ecclesias, non sunt in gratia, & tamen censentur lucrari indulgentiam. Et hoc optimè nouerunt Pontifices; ergo signum est, eos suam concessionẽ in hoc sensu intelligere. Hanc opinionẽ ex antiquioribus, tenent Palud. in 4. d. 20. q. 4. a. 3. D. Ant. 1. p. tit. 10. c. 3. §. 4. & 5. Syluester verbo *Indulgentia*, n. 32. Sũma Tabiena, & alij Sumistæ citantes Arcidiacon. Ex Recentiorib. Soto in 4. d. 21. q. 2. a. 3. ante secundã conclusionem: & tandẽ Suarez disp. 52. sect. 5. qui alios citat, & sequitur, quæ etiã mihi est vera; quia, vt dixi, seruatur in praxi, & scientibus Pontificibus. Accedit, quòd potest Põtifex concedere indulgentiã, & iubileũ facienti tale opus, nulla habita consideratione, quod illud faciat in gratia, vel extra gratiam; ergo cum Papa expresè non ponit in forma, vt illud opus fiat in gratia, non cogimur intelligere, quòd opus illud intendat fieri debere in gratia.

209 Quod si quis dicat, vt opinio pręcedens dicebat, Papa cõcedit indulgentiã propter tale opus, vt illud opus vtile sit ad finem suum consequẽdum; hæc autem vtilitas non adest cũ opus fit in peccato. Respondetur falsum esse in opere illo non esse vtilitatem desideratam, etiam si fiat in peccato mortali, quoniã vtilitas, quæ desiderari potest à Pontifice, & cõiter desideratur, est, vt sit impetratoriũ apud Deum gratiæ, & finis, quem desiderat. Opus aũt factum in peccato mortali est impetratorium: nam eleemosina facta in peccato mortali est impetratoria auxilij diuini ad vitandam tentationem: & ieiunium confert ad impetrandam veniã culparum. Potest etiam, saltem remotè, disponere hominem ad relinquenda vitia, & gratiam impetrandam; sic ergo põt iuuare ad impetrandum finẽ desideratũ à Pontifice in cõcessione indulgentiæ; & cõfirmatur, quia gr̃a nihil aliud addit operi bono, nisi ꝙ facit ipsum meritorium vitæ eternæ apud Deum: at hic non est finis, qui in indulgẽtia proximè requiritur, sed vel cõcordia Principum Christianorum, extirpatio hæresum, exaltatio Sanctæ matris ecclesiæ, & huiusmodi: immò videnť sæpè concedi indulgentiæ, & iubilei, vt homines amore ipsarũ disponantur ad opera bona facienda, quibus paulatim ad iustitiã se disponãt. Et per hoc patet ad confirmationẽ pro opinione allata. Ad primã ẽt rationem ex experientia cõmuni, & vsu ecclesiæ habemus illã expositionem Caietani mentis Pontificum nõ esse rectè assignatam; sed esse hãc, vt omnibus faciẽtibus hoc, & illud opus contritis, & cõfessis concedi indulgentiam, &c. contritio enim, & confessio non requiritur propter opus faciendum, sed pp indulgentiam consequendam, quã diximus requirere statũ gratiæ.

Ad secũdã rõnẽ pro opinione allata.

210 Rursus aliud dubium nõ minus difficilè hic occurrit, an requiratur, vt opus postulatum prolucrãda indulgẽtia benè fiat moraliter, idest sit in se honestũ, & moraliter bonum. In hoc dubio inuenio duas opin. Aliqui dicunt necessariũ esse, vt benè moraliter fiat, vt Adrianus in 4. q. de indulgentijs, concl. 4. quem sequitur Nauarrus in Com. de iubileo, & indulgentijs, notab. 19. nu. 6. vbi ait esse adeò necessarium, vt benè moraliter fiat, quod si in eo efficiendo venialiter quis peccet, non consequitur indulgentiam. Suarez autem disp. 52. sect. 6. contrariam sententiam putat probabiliorem, nimirum non esse necessarium, vt opus requisitum, & iniunctum ad indulgentiam lucrandam benè fiat non peccando nedũ venialiter, sed nec etiam mortaliter. Fundamentum ipsius est, quia sufficit, quod opus impositum à Pontifice sit ex suo genere bonũ: ideò nõ est necessarium, vt intendat illud opus ẽt in indiuiduo debere

An necessariũ sit, vt opus postulatum benè fiat moraliter.

fieri benè moraliter, & cum omnibus circunstantijs requisitus ad hoc, vt sit moraliter bonum. Hoc posterius probat. 1. Ratio. Primò, quia nimis difficile, et lubricam redderet indulgētiā, vel consecutionē fructus eius. 2. Ratio. Secundò, quia frequentius intentio Pontificis nō sistit in illo opere postulato, sed vlterius tendit in altiorem finem, vt ad pacem Christianæ Reipublicę, & ad spiritualem fructum ecclesiæ, & similia: ad quos fines opus ex suo genere bonum, etiam si omninò non fiat benè, potest conferre: quia inquit opus ex suo genere bonum secundùm bonitatem hanc placet Deo, & solet præmiari à Deo, non obstante defectu accidentali ex parte operantis, vt docet D. Augustinus de operibus gentilium Romanorum lib. 5. de Ciuitate Dei, cap. 12. & 15. Vndè multo maiori ratione dicēdum est opera Christianorum ex genere suo bona, cum sint facta ex fide, & quodammodo nomine ecclesiæ cum fiant ex intentione Pontificis, esse aliquo modo impetratoria, & meritoria alicuius premij. 3. Ratio. Tertiò, aliquando ex operibus iniunctis promanat aliquod bonum, quod confert ad bonum ecclesię: vt e.g. opus postulatum est eleemosina ad ædificandū templum, vel pugna contra inimicos ecclesiæ, ex qua paritur victoria: aut est congregatio pecuniæ ad stipendia militibus danda contra infideles. Hæc autem licèt videant' temporalia, tamen ex relatione, quam habent ad diuinū cultum, sunt spiritualia, & propter illa potest concedi indulgentia, vt docent Richardus in 4. d. 20. art. 3. D. Thomas q. 1. ar. 3. & D. Bonauent. citata q. 4. dicere autem hæc opera necessariò debere fieri benè moraliter, & Pontificē debere intendere, vt hæc opera fiant benè moraliter, non videtur esse necessarium. Quò fit, quòd cum non sit necessarium, Pontificem requirere in opere iniuncto, vt illud benefiat, sed sufficiat, quòd sit bonū opus ex genere, nos non posse adiungere onus, quòd dispensator non explicauit; & proinde homines posse lucrari indulgentiam, faciendo illud opus non benè, & nedum venialiter, sed etiam mortaliter peccando: neque nos posse interpretari mentē Pontificis requirere, vt benè fiat, nisi ipse in forma concessionis explicet: & maximè cum concessio sit fauorabilis, & proinde amplianda, non restringenda.

4. Ratio. 211 Quartò confirmatur, quia præceptum impletur per opus ex suo genere bonum, etiam si malè fiat, vt supponit ex materia de legibus; ergo etiam poterit sufficere pro indulgentia. Consequentia probatur, quia sicut indulgentia ordinatur ad causam piam, ita præceptum ecclesiasticum refertur ad pietatem, & bonos mores cōponēdos.

5. Ratio. 212 Quintò confirmatur, quia quando tale opus postulatum est publicum, & successiuè per magnam morā perficitur, vt est concio, &c. difficile est in discursu eius non misceri aliquas circunstantias, quæ maculent bonitatem operis; ergo non est credibile Pontificem exigere in homine tam exactam rectitudinem.

Opinio auctoris. 213 Vtraque istarum opinionum mihi videtur nimis extrema, & quidem opinio prior est nimis rigorosa, quò Prior opinio minus rigorosa. ad illam partem, quòd si quis in adimplendo opere peccet venialiter, ille non lucretur indulgentiam: nam contra hanc partem rationes Suarez concludunt, & re vera cum peccatum veniale non impediat, nec tollat gratiam apud Deum, nulla est ratio, propter quam possit impedire effectum indulgentiæ, & concessionem ipsam indulgentiæ: nec est verisimile, quòd Papa obligare velit ad faciēdum opus postulatum cum tanto rigore.

Opinio 2. minus laxa, & nullo modo probanda. 214 Opinio verò secunda est nimis laxa, & nullo modo possum eam probare quò ad eam partem, qua ait, q si opus iniunctum malè fiat moraliter, etiam cum peccato mortali valere ad indulgentiam lucrandam, & fundamētum meum est, quod Papa non potest in indulgentia concedenda postulare, vel iniungere opus, quod sit peccatum mortale, quod est clarum, & communiter concessum; cū data sit illi potestas in ædificationem, non in destructionem: hoc autem esset in destructionem, quia contra pietatem, & iustitiam, vt per se patet. Subinfero, sed peccatum moraliter malum mortaliter est huiusmodi; ergo nō pōt illud postulare, nec iniungere in indulgentia concedēda. Ex hoc autem deduco vlterius; ergo opus moraliter malū mortaliter non est opus postulatum à Pontifice, & impositum ad indulgentiam consequendam; ergo per illud nō potest quis consequi Indulgentiam. Hæc vltima cōsequentia patet, quia indulgentia acquiritur per opus postulatū, non per opus non postulatum. Aliud verò assumptum s. quod opus moraliter malum, mortaliter non sit opus postulatum à Pontifice, probatur: quia non potest postulare opus, quod in indiuiduo sit peccatum mortale, vt iam probatum est: hoc autem est peccatum mortale; ergo &c. Vnde cum Papa postulat opus eleemosinæ ad lucrandum indulgentiam, non postulat illam eleemosinam, quæ est peccatum mortale, vt puta, quæ fieret ab aliquo alicui pauperi virgini hoc fine vt illam stupraret, & similia; sed illā, quæ non est peccatum mortale.

215 Confirmatur, quia bonum est ex integra, & tota causa: ideò actus bonus ex genere si non habeat bonitatē circunstantiarum vt finis &c. nō est bonus, sed malus: ideò non potest esse opus postulatum à Pontifice in concessione indulgentiæ, & consequenter est impossibile per illud lucrari indulgentiam. 1. Confirmatio.

Et adhuc confirmatur, quia Deus in opere sibi placito non requirit solùm bonitatem ex genere, sed etiam bonitatem moralem, & quod benè fiat: nā in Amos 5. ipsemet Deus dicit *Festiuitates vestras odiuit anima mea*. Festiuitates autem certum est fuisse bonas ex genere, quia tamen non benè fiebant, neque erant circunstantionatæ moraliter, Deo displicebant; ergo licèt opus sit bonum ex genere, si desint circunstantiæ, non valet. 2. Confirmatio.

216 Tandem lucrans indulgentiam non debet esse actualiter offendens Deum, sed potius laudans, & reconcilians; at peccatum mortale actualiter offendit Deum; ergo non potest esse medium ad impetrandam indulgentiam. 3. Confirmatio.

217 Ad rationes autem Suarez facilis est solutio. Ad primam negatur sequela illa, quod si postulet Pontifex opus moraliter benè circunstantionatum, ita quod nō sit peccatum mortale, redderet indulgentiam, vel consecutionem fructus eius valdè difficilem, & lubricam: nam nō esset in hoc opere maior difficultas, quàm in alijs operib. bonis: sicuti ergo alia opera bona propter gratiam, & auxilium Dei sunt facilia. Sic istud, iuxta illud *iugum meum suaue est, & onus meum leue*. Ad 1. rōnē Suarez.

218 Ad secundam respondetur, quòd opus malū moraliter, quòd est peccatum mortale, non potest ordinari ad aliquem vllum bonum finem, quia non est mediū proportionatum ad finem vllum bonum consequendū: quoniam *non facienda sunt mala, vt indè eueniant bona*, secundùm Apostolum Rom. 3. At si opus moraliter malū posset esse opus postulatum in indulgentia, posset esse mediū ad finem bonum consequendum, quod est contra Apostolum: & cum dicitur, quod opus bonum ex genere solet placere Deo, & pręmiari, non obstante malitia accidentali ex persona operante. Respondeo hoc esse falsissimū, quia opus ex genere bonum propter circunstantiam malam fit malum, nec vllam habet bonitatem, propter quā debeat esse gratum, & pręmiari à Deo. Eleemosina enim facta propter finem malum, quod sit peccatum mortale, facit hominem peccatorem, & dignum pœna æterna: ergo nulla adest bonitas in ea, digna præmio. Et cum probat ex operibus bonis gentilium Romanorum, quæ secundùm D. Augustinum erant grata Deo, & præmiabantur ab eo pro illis, licèt essent deficientes à perfecta rectitudine morali, quia ordinabantur ad finem laudis humanæ, non ad gloriam Dei. Respondeo, quod illa opera non erant moraliter mala, nec carebant circunstantijs debitis, vnde D. Augustinus appellat ea actus virtutum, & dicit propter eorum virtutem ad tantam gloriam temporalem eos peruenisse, ac illam gloriam temporalem fuisse mercedem virtutum illarum. Dico ergo, quod actus illi Romanorū habebant finem bonum moraliter, s. operari propter ipsā

virtutem,

virtutem,& propter salutem,& exaltationem Patriæ, quē esse finem bonum,& debitum est certum: non erant autē bona bonitate supernaturali,quæ est meritoria vitæ æternæ,quia non erant facta explicitè ex charitate, & propter amorem Dei,quod requiritur in operibus meritorijs vitæ æternæ: atque in hoc ponit differentiam ibi D. Aug. inter opera bona gentilium Romanorum, & Sanctorum legis Christianæ,quia illa etsi essent bona moraliter, non tamē habebant pro mercede vitam æternam,quia non erant facta propter Deum: opera verò bona Christianorum nedum sunt bona moraliter, sed sunt facta propter Deum. Opera ergo illa Romanorum erant secūdùm D. Aug. bona moraliter, non autem mala moraliter, licèt non essent moraliter bona, vt fides Christianorum requirit, scilicet quia non erant facta propter Deum explicitè,tanquam finem vltimum,& ex charitate.

Ad tertiā.

219 Ad tertiam respondetur rectè dicere Richardū, & alios Doctores operationes temporales esse spirituales ratione relationis ad spiritualia. Cum autem dicitur non videri necessarium, vt hæ operationes fiant benè moraliter ad lucrandum indulgentiam, negatur hoc: nam cum fiunt malè moraliter, ita quòd sint peccata mortalia, si ex illis sequitur effectus bonus, est ex accidenti, nō per se: ideò licèt ex eleemosinis factis ad malum finem, qui sit peccatum mortale, sequatur edificatio templi, & ex alijs operibus malefactis sequatur aliquod bonum, non propter hoc sequitur, quod sint opera apta nata ad faciendum consequi indulgentiam, quia non sunt opera postulata à Papa, sed longe diuersa, scilicet peccata mortalia, cuiusmodi nō sunt opera, quæ postulātur à Papa, vt dictum est. Ex quo sequitur, falsum esse quod additur in argumento, Papam non exigere opus, quod non sit perfectè circunstantionatum moraliter, & proinde nos non posse illud onus addere: dicimus enim, Papam exigere necessariò opus moraliter, bonum vt explicatum est.

Ad quartā.

220 Ad quartam respondetur, quod aliud est loqui de opere satisfactorio, & aliud loqui de opere requisito ad lucrandū indulgentiā: ad primum non requiritur, ꝙ operās reconciliet, vel supponat recōciliationē: quia vt suprà vidimus ēt existens in peccato mortali pōt satisfacere. Vnde Suarez hoc argō vr approbare opinionē Scoti de eo, qui satisfacit in peccato mortali, quam tamē alibi impugnat, vt suo loco agendo de satisfactione vidimus: in impetratione autem indulgentiæ opus requisitum, vel supponit reconciliationem, vel illam facit. Deinde respondetur falsū esse opus peccati mortalis esse satisfactorium: actus enim actualiter offendens non potest esse satisfactorius: aliud enim est opus esse peccatum, & aliud hominem existentē in peccato facere opus bonum: primū nō est satisfactoriū, sed offendens: secundum verò est satisfactorium: ideò sequitur oppositum, quod sicut actus peccati non satisfactorium, sic non est medium, & conditio ad consequendum indulgentiam.

Ad quintā.

221 Ad quintam respondetur esse difficile non intercedere aliquas circunstantias, quæ sint veniales, vt aliquę distractiones, & similia; non esse autem difficile vitare circūstantias peccati mortalis, sicut non est difficile vitare alia peccata mortalia eo modo, quo dictum est.

An inter viuentes possit indulgētia ab vno per opus ab alio factum comparari.

222 Alia dubia occurrentia ex dictis solui possunt, vt verbi gratia, an quis possit lucrari indulgentiam, licèt ipse non faciat opus postulatum in forma concessionis indulgētiæ, sed faciat illud exequi per alium, vt putà, si faciat, vt alius pro ipso ieiunet. Item an aliquis possit facere opus postulatum pro alio, atque lucrari indulgentiā pro illo. Rursus, an aliquis possit indulgentiam sibi cōcessam alteri cōdonare, illi etiam committendo, vt opus postulatū faciat.

223 Ad hæc enim omnia respondetur inspiciendā esse formam concessionis: si enim hæc in forma concessionis habentur, fieri possunt: si verò in forma concessionis non habentur, fieri non possunt. Quomodo autem, & qualiter se habere debeāt personæ, quæ sic pro alio facerēt opus iniunctum, vel pro illo lucrarētur indulgentiam, dato quod in forma concessionis hæc potestas daretur, dicam infrà agendo de indulgentijs pro defunctis.

An oēs faciētes opus ad indulgētiā requisitum, æqualiter fructū eius ꝑcipiāt statim.

224 Quæritur adhuc, an omnes faciētes opus ad indulgentiam requisitam, seu postulatum, statim, & æqualiter consequātur fructum eius. Ratio dubitationis est, quia fieri potest, vt idem opus inæqualiter fiat à diuersis hominibus: nam vnus poterit tres dies impositos ieiunij ieiunare in pane, & aqua, alter modo communi. Vnus potest lōgiorem, & attentiorem orationem facere, quā alter; poterit maiorem eleemosinam facere, quàm alter; ergo videtur, quod cum opus iniunctum inequaliter fiat à suscipiētibus indulgentiam etiam fructus indulgentiæ inæqualiter participetur.

225 Respondetur tamen esse dicendum, ęqualiter fructum ab omnibus participari ratione operis operati, scilicet ratione fructus ex ipsa indulgentia prouenientis, dummodo ab omnibus fiat opus integrum, quod requiritur in concessione. Ratione verò operis operantis, vnus plus meretur, quàm alius: exemplum. Concēditur Iubilæus, & plenaria indulgentia ieiunantibus tribus diebus, & semel visitantibus talem Basilicam, & illic orantibus pro extirpatione hęresum, &c. Vnus ieiunat tribus diebus ieiunio cōmuni, & visitat semel illam Basilicam illic orando horę dimidio. Alter ieiunat in pane, & aqua, & visitat ter illā Basilicā vna hora integra orando in illa Basilica ꝓ extirpatione hæresum, &c. Quamuis hæc opera sint inæqualia, oēs æqualiter consequuntur Iubilęum, & indulgentiam plenariam, & sic est æqualis fructus in omnibus illis ex opere operato, scilicet indulgentia plenaria; tamen ex opere operantis, qui plus orat, & arctiori ieiunio ieiunat, magis meretur quò ad vitam æternam consequendam. Ratio est, quia qui minus orat, & minus facit, etsi minus faciat, quàm alter; tamen facit opus, quod Papa requirit, & ideò consequitur fructum indulgentiæ. Illud plus, quod facit qui magis orat, etsi sit bonum, tamen non est requisitū à Papa: ideò non pertinet ad consequendam indulgentiā, sed ad aliud, scilicet ad gloriæ eternæ plures gradus consequendos. Et hoc modo intelligēdus est Bonifatius VIII. in Extrauaganti, *Antiquorum*, in cuius fine habet hæc verba, *Vnusquisque autem plus merebitur, & indulgentiam efficacius consequetur, qui Basilicas ipsas amplius, & deuotius frequentabit.* Non vult enim, quod plus merebitur de indulgentia, cum iam ibi plenissimam indulgentiam concedat omnibus, sed vult dicere, quod quò ad opus operantis plus merebitur, & quod certius, & magis in effectu adimplebit opus iniunctum, propter quod concedit indulgentiam, & sic directus illi indulgentia applicabitur.

An eodem opere possit quis lucrari diuersas indulgētias diuersis vijs sibi cō cessas.

226 Sed hic occurrit dubium illud vulgare, an eodem opere possit quis lucrari diuersas indulgentias, diuersis vijs sibi concessas, v.g. habet quis multa grana benedicta, & in singulorum benedictionibus concessus est annus indulgentiæ recitanti semel orationem dominicam. Quæri ergo solet, an semel dicendo orationem dominicam, lucretur plures illas indulgentias diuersis illis granis concessas. Idem dicendum est de similibus, vt cum conceditur visitanti talem ecclesiam, vt tot annos indulgentiæ lucretur, & pręterea, vt lucretur omnes indulgentias, quas consequuntur ij, qui illo tempore visitant tales, vel tales Basilicas Romæ existentes, in quibus sunt aliæ, vel similes indulgentiæ: quæritur ergo, an vno actu, & eadem oratione omnes illas indulgentias lucretur. In hoc dubio difficili sunt rationes pro vtraque parte, nihilominus res pendet ex forma indulgentiæ: ideò illa est semper diligenter inspicienda, & vbi ex inspectione potest haberi solutio, non est aliud quærendum: quia vt dictum est, bullæ, & concessiones tantum valent, quantum sonant. Regulariter tamen loquendo, vbi in concessione aliter non explicatur res, videtur mihi dicendum cum Recentioribus, non sufficere vnum actum, ad omnes illas indulgentias consequendas, sed vnumquamque requirere proprium opus postulatum: nam cum Papa concedit habenti vnum granum benedictum indulgentiam vnius anni, si semel

recitet

recitet orationem dominicam, opus postulatum ad indul gentiam consequendam illius anni, est recitatio illa dominicæ orationis, facta semel: ideò si vult lucrari indulgentiam concessam alteri grano, debet facere opus postu latum in concessione indulgentiæ illius alterius grani; & ideò iterum recitare orationem dominicam. Si autem in forma indulgentiæ exprimatur per vnum, & eundem actum plures aliquas indulgentias lucrari, vt omnes, quæ sunt in ecclesijs Romæ existentibus, tunc est certum non requiri plures actus, sed vnum sufficere. Obseruandum est autem, hoc esse verum de indulgentijs non plenarijs, nam si singulis illis granis concessa sit indulgentia plenaria reci tanti orationem dominicam semel, & habeat quatuor grana; non est dicendum, eum simul eadem recitatione orationis consequi quater indulgentiam plenariam, quia hoc implicat repugnantiam, semel enim habita indulgen tia plenaria sufficit: ideò non est verisimile, Pontifices in concessione similium indulgentiarum, intelligere de plenarijs, sed de diuersis indulgentijs terminatis.

Vtrum voluntas non satisfaciēdi pro pęna temporali, vel negligētia, impediat fructum indulgentiæ.

227 Vltimò quæritur, vtrum præter gratiam, & opus postulatum requiratur in lucrante indulgētiam quędam animi præparatio ad satisfaciendum pro pęnis temporalibus per propria opera, ita vt si quis habeat animum nunquam exercendi opera pœnalia, vt pro suis peccatis satisfaciat, vel in hoc sit negligens, non consequatur indulgentiam, licèt aliæ conditiones omnes requisitæ adsint. Hanc quæstionem ex professo tractat Caietanus in Opusculis tomo primo, tract. 10. q. 1. & sustinet partem affirmatiuam, quem secutus est Nauar. in Com. de Iubilæo, & Indulgen tijs, notab. 21. Fundamentum principale Caietani est, quia qui est negligens in satisfaciendo pro proprijs pęnis, cum possit, indignus est, vt alius pro illo satisfaciat: esset enim il la indiscreta dispensatio thesauri, & quædam prodigalitas, nec redundaret in vtilitatem, sed in destructionē, quia esset fouere fidelium negligentiam. Præterea dum forma concessionis dicit, *verè contritis*, videtur insinuare, suscipientes indulgentias debere esse diligentes ad satisfaciendum.

Opposita opinio verior.

228 Contrariam opinionem tenent Soto in 4. dis. 21. q. 2. a. 3. & multi alij, quos refert, & sequitur Suarez disp. illa 52. sect. 9. & ea mihi quoque placet: nam & Caietanus suam opinionem asserit esse nouam, & eam cum formidi ne tenet. Fundamentum est, quia illa tria sufficiunt ad indulgentiam consequendam, potestas in dante, pia causa, & gratia in recipiente.

Confirmatur, quia conditio illa vt lucrans indulgētiam debeat esse diligens, & curans satisfacere, nunquam ponitur in formis concessionum, nunquam enim dicitur *volentibus, aut curantibus satisfacere*, sicut dicitur *contritis*, & *confessis*. Præterea voluntas satisfaciendi pro pœnis temporalibus in hac vita, non est necessaria ad pęnitentiā: potest enim quis velle satisfacere in Purgatorio, vt suprà diximus: saltem si quis sit negligens circa satisfactionem pro pęnis temporalibus, (exclusa pęnitentia imposita in sacramento pœnitentiæ, & acceptata) si non sit tanta, vt sit quidam contemptus, & sit peccatum mortale, (tunc enim lucrans indulgentiam non esset in statu gratiæ, sed peccati) non impedit veram pęnitentiam; ergo non est obex sufficiens, propter quem effectus indulgētiæ impediatur. Denique sicut in dispensatione voti, aut legis non fit aliquis indignus illa, eo quod cupiat leuari tali debito, si habeat li citam causam dispensationis.

229 Vltimò in re fauorabili non sunt addendæ conditiones restringentes nimis fauorem, qualis est in proposito ista, nam ferè omnes homines negligentes sunt in satisfaciendo pro peccatis, ideò paucissimi essent, qui indulgentias consequerentur. Et per hæc patet ad rationes Caietani. Ad primam dicitur, quòd negligentia non est tāta indignitas, vt eam reddat incapacem fructus indulgentię, immò Soto, & Suarez dicunt ex eo, quod hic est negligēs, esse indigentem indulgentia, & esse opus amicitiæ, & charitatis illi per eā subuenire. Ad secundam patet, quòd contritio, & pęnitentia vera non includit voluntatem, & curam satisfaciendi pro pœna temporali, sed vera pœnitentia, & contritio respicit culpam.

Ad rationes Caietani.

Ad secūdā.

An expediat sumere indulgētias.

230 Dubitant Soto in 4. d. 21. q. 2. art. 1. in fine, Suarez disp. 49. sect. vlt. num. 4. & alij, an sit consillum abstinere à susceptione indulgētiarum, & potius velle satisfacere hìc, & in Purgatorio pro proprijs peccatis, quàm indulgentias lucrari. Respondet Soto aliquando sibi visum fuisse expedire magis velle subire pœnas debitas in Purgatorio, quā indulgentias sumere: sed tamen meditatius rem considerando mutasse sententiam, & iudicare magis expedire sumere indulgentiam: adducit autem rationem, quia in Purgatorio est duplex pœna damni, & sensus; quo fit (inquit) vt ratione quidem pœnæ sensus videatur melius subire pœnas, quàm sumere indulgentiam: hìc enim videtur esse magnus actus charitatis: attamen ratione pœnæ damni, quæ aufert visionem Dei, velle manere in Purgatorio, & in illa pęna non esse actum ęquè bonum, ac charitatis.

231 Suarez vbi suprà commendat sententiam Soto; sed reprehendit eius rationem, & rectè: ratio enim primò peccat, quia in purgatorio, vt suprà dixi agendo de Purga torio, non est pęna damni. Secundò, quò ad pęnam sensus non potest pertinere ad charitatem velle potius pati illas pœnas, quàm per aliam satisfactionem soluere illud debi tum: quoniam in patiendo illas pœnas non augetur charitas, neque magis conformatur Christo; ergo nulla adest ratio, propter quam quis debeat magis eligere pati illas pęnas quàm suscipere indulgentias; quia nulla est maior vtilitas. Accedit, quod lucrari indulgentias est actus per se bonus, neque propter hoc impeditur quis ab alijs operibus bonis erga Deum. Potest enim, qui lucratus est indul gentiam, nihilominus exercere se in eisdem actibus charitatis, & operibus bonis, & satisfactorijs, & non ad satisfaciendum, sed ad augendum in se charitatem, & meritum sicut prius, immò magis: quia soluto debito per indul gentias, opera bona, quæ deinde fiunt ad maiorē gloriā obtinendam, valent, cum iam pœna tota soluta sit. Neque satisfactio per indulgentiam est satisfactio imperfecta: sicut nec remissio, nec satisfactio per sacramenta est imperfecta; quia omnia illa propter meritum Christi habēt vim, & valorem.

An religiosis expediat lucrari indulgētias.

232 Vltimò dubitant Doctores Scolastici, an expediat Religiosis lucrari indulgentias; susceperunt enim statum perfectionis, & laboriosum: ideò non videtur congruere illis relaxatio pœnarum per indulgentiam. Respondetur tamen communiter etiam illis expedire sumere indulgentias, quia etiam possunt illis ęgere: quia etsi aggressi sint statum perfectionis, possunt tamen esse in via, & nondum attigisse perfectionem, & habere pœnas peccatorū purgandas. Cum ergo lucrari indulgentias sit opus bonū, & vtile, & non repugnet statui Religionis, certum est eas lucrari expedire.

Quomodo Indulgentiæ prosint Defunctis.
Caput Octauum.

233 QVæ Heretici dicunt contra indulgentias pro defunctis suprà confutata sunt agendo de purgato rio, & de suffragijs: ideò hic nihil de nouo occurrit cum illis pertractandum. Inter Catholicos verò adest obiectio communis, propter quam videtur, quòd indulgentiæ non valeant pro mortuis, quam explicare necesse est ad rem hanc declarandam. Obiectio autem est, quia Christus dando auctoritatem supremam in ecclesia Petro Matth. 16. & in Petro omnibus successoribus eius, vsus est his verbis, *Tibi dabo claues, &c.* & *quodcunque ligaueris super terram, ligatum erit in cœlis, & quodcunque solueris super terram erit solutum & in cęlis*. Obseruanda est illa particula, *super terram*; nam ex ea habetur, datam esse potesta tem Petro, & Pontificibus Romanis super terram. i. ligandi, & soluendi homines super terram; at animę defuncto-

Obiectio quòd indulgētię non prosint defunctis.

tum

rum non sunt super terram, sed iam exutæ sunt corpore, & non sunt amplius in terra; ergo Pontifex non potest per indulgentias eas soluere à pœnis purgatorij: quibus à Deo adiudicatæ sunt.

Et confirmatur, quia actus concedendi indulgētias est actus iurisdictionis, vt diximus suprà; sed Pontifex non habet iurisdictionem in purgatorium, vt patet tum ex eisdē verbis Matth. ca. 16. quia habet auctoritatem tantùm super terram; tum quia iam non est iudex animarum illarū, sed à Christo immediatæ iudicatæ sunt, & ad illas pœnas alligatæ; ergo cum Papa non sit iudex illarum, non potest illas ab illis pœnis soluere.

Quorundā catholicorum opin.

234 Propter has duas rationes, quæ reuera reducuntur ad vnam: nonnulli Catholici dixerunt indulgentias non prodesse defunctis. vt Hostiēsis in summa lib. 5. sub titulo de Remissionibus §. *Quibus prosint*, & §. *Vbi operantur*. & Gabriel lect. 57. in Canonem, qui tamen mutauit sententiam in additione ad lectionem 57. in Canonem vbi retractat priorem opinionem Gerson, Apha. 60. litera B. seu in 4 tomo serm. 2. de defunctis tenuit quoque partem negatiuam, sed retractauit tractans de indulgentijs, consideratione ij, & alibi.

Opin. Catholica.

Communiter tamen hæc sententia reijcitur, & tanquā erronea derelinquitur. Omnes enim antiqui Theologi in 4. dist. 20. 21. & 45. tenent indulgentiæ fructus posse applicari defunctis. Idem tenent Canonistæ, vt patet ex Felino tractatu de indulgentijs, nu. 30. & Recentiores apertè ostēdunt. Caietanus in Opusculo T. 7. tract. 16. q. 5. & 6. Nauarrus in Comm. de iubileo, & indulgentijs, not. 22. Suarez disp. 53. sect. 1. qui alios citat, & sequitur atque hæc sententia est adeò certa, vt sinè errore non possit negari: tum propter euidentes concessiones factas à Pontificibus, & vsum ecclesiæ: tum propter vnanimem consensum catholicorum scriptorum.

Fundamentū huius Catholicæ.

235 Fundamentum autem huius sententiæ communis est præsertim communis consensus, & traditio ecclesiæ, quæ in re tanti momenti non potest errare. Præterea hæc veritas ex præcedentibus deducitur. Ostēdimus enim suprà agēdo de purgatorio aliquas defunctorum aīas ex hac vita discedere liberas quidem à culpis, sed tamen obnoxias pœnis temporalibus debitis suis peccatis quas luere coguntur in purgatorio. Ostendimus etiam de suffragijs agendo inter viuentes, & defunctos in gratia posse esse communicationem suffragiorum, ac viuentes posse defunctis suis suffragijs prodesse. Ex his autem sequitur indulgentias posse valere pro defunctis. Nam indulgentia est quoddam suffragium, nimirum applicatio satisfactionum, & meritorum Christi, & sanctorum, quæ quantum est ex se non minus valent pro defunctis, quàm pro viuis; ergo potest illis applicari, sicut alia suffragia, orationes, ieiunia, &c.

236 Ad hoc autem, vt indulgentiæ prodesse possint defunctis, necesse est, vt in bulla explicetur, indulgentiam posse applicari defunctis: vsus enim ecclesiæ habet, quod nisi specificetur valere pro defunctis, etiam si concedatur omnibus fidelibus, illis valere non intelliguntur. Vnde Pōtifices cum volunt valere pro defunctis in forma indulgētiæ explicant.

Obiectio adducta facit difficultatem.

Aliquorū responsio, q Papa habet iurisdictionē sup aīas purgatorij.

1. Ratio.

Verùm difficultatem facit obiectio proposita nunc suprà, quia non videtur Papa posse applicare indulgentiam illis animabus, quia non sunt sub eius iurisdictione. Aliqui ad hoc dubium respondent, quòd Papa habet auctoritatē super animas purgatorij, non absolutè, sed quò ad actus, quorum sunt capaces, cuiusmodi est actus conferendi indulgentias. Quæ opinio videtur posse probari ex hoc fundamento, quia Christus tradendo claues Petro tradidit illi plenitudinem potestatis quantum homini puro concedi conuenieter oportebat, & ad ecclesiæ vtilitatē spectare potest; sed sub hac amplitudine videtur cadere iurisdictio in animas purgatorij quò ad solutionem pœnæ; ergo. Minor probatur. Concessio enim huius potestatis nullam includit repugnantiam, aut indecentiam, & pertinet ad vtilitatem fidelium, & est consentanea diuinæ misericordiæ, à qua non sunt exclusæ animæ purgatorij: alioquin essent etiam exclusæ à participatione suffragiorum; ergo videtur esse dicendum animas purgatorij esse sub iurisdictione Papæ.

237 Ad rationem autem adductam, quæ innititur illi particulæ *super terram*. responderi posse videtur, quod in auctoritate illa Matt. 16. particula illa *super terram*. cōmodè videtur posse referri non ad eum, qui soluitur, sed ad eū qui soluit, vt non sit sensus, quod auctoritas illi data se extendat tantùm ad eos, qui sunt in terra viuentes, sed quod concedat auctoritatem eam Petro, & successoribus existētibus in terra, & dum existūt in terra: vel potest referri ad actum soluendi, vt sensus sit actum soluendi fieri debere super terram, ad differentiam solutionum Christi, & Sanctorum, per quas fiunt indulgentiæ, quæ non fiunt super terram, sed in acceptatione diuina. Denique non cogimur intelligere per *super terram* superficiē terræ, sed possumus intelligere totam terram: at animæ purgatorij sunt super terram hoc modo, quia sunt in purgatorio, quod est infrà terram, vt suprà agendo de purgatorio diximus.

Confirmatur, quia animæ purgatorij nondum peruenerunt in terminum, scilicet ad beatitudinem: ideò videntur pertinere ad viam aliquo modo. Præterea delinquēs 2. Ratio.
acquirit forum, vbi delinquit, sed animæ purgatorij pecca 3. Ratio.
uerunt in terra, & dum erant sub potestate ecclesiæ; ergo adhuc sunt sub iurisdictione ecclesiæ, & Papæ quò ad pœnas pro illis culpis debitas. Præterea, in alijs casibus eccle 4. Ratio.
sia soluit defunctos exeundo verum actum iurisdictionis, scilicet dum absoluit aliquos defunctos ab excommunicatione; ergo pari ratione potest absoluere à pœnis purgatorij debitis culpis. Quod confirmatur ex Innocentio III. in 5. Ratio.
cap. *A nobis*. §. *neque obstat*.

Opin. vera, q Papa non hēt iurisdōnē in purgatorio

Verùm hæc opinio omninò reijcitur à Sacris Theologis, & Canonistis, qui communiter distinguunt Pontificē concedere posse indulgētias defunctis intelligi posse duobus modis: vno modo per modum absolutionis: alio modo per modum suffragij, & deprecationis. Primo modo negant communiter. Secundo modo affirmant. Patet autem, quod si Papa haberet potestatem iurisdictionis in defunctos, posset illis concedere indulgentiam per modum absolutionis, non autem tantùm per modum suffragij.

238 Quod autem ista sit communis sententia Theologorum patet. Alex. Alensis 4. p. q. 25. m. 5. D. Bonau. in 4. dist. 20. p. 2. art. 1. quæst. 5. Richardus eadem dist. 20. art. 3. q. 3. Gabriel, Caietanus locis citatis. Soto dist. 21. quæst. 2. art. 3. concl. 3. & alij in illis dist. 20. 21. & 45. vbi D. Th. inquit Suarez 2. 3. quæst. 2. idem innuit, licèt non citatur his verbis, sed alijs, scilicet *principaliter*, *& secundario*. At certè ibi D. Th. per principaliter, & secundario aliud intēdit, vt patet inspicienti tex. immò videtur D. Th. sentire cum priori sententia, quia argumento 3. illius quæstiunculæ ait, quod illi, qui sunt in purgatorio, sunt de foro ecclesiæ, & quod hac ratione illis prosunt indulgentiæ; neque hoc argumentum soluit: & in solutione illius quæstiunculæ dicit, quod nulla adest ratio, propter quam ecclesia possit transferre merita communia, quibus indulgentiæ innituntur in viuos, & non in mortuos. Videtur ergo sentire cum priori opinione. Secundam opinionem sequuntur etiam Cannonistæ, quos refert, & sequitur Nauarrus in Comm. de Iubilæo, & indulgentijs, notabili 22. Bellarm. lib. 2. de purgatorio, cap. 16. & cæteri Recentiores, qui de hac materia scripserunt.

Opinio D. Th. quęaā.

Fundamentū opinionis communis.

239 Fundamentum huius communis sententiæ sunt verba illa Matthæi 16. *Quodcunque solueris* &c. diximus enim suprà ibi dari Petro, & successoribus facultatem cōcedendi indulgentias: illa autem particula *super terram*, manifestè significat datam esse potestatem Petro ligandi, & soluendi homines, qui solummodo sunt super terram viuentes: illa enim verba limitant, & ponunt fines, & terminos iurisdictionis datæ Petro; & velle alium sensum illis verbis tribuere, est omninò impertinens; quod exemplo pa-

pio patet. Si Rex Hispaniarum mitteret gubernatorem in Belgium, atque ei diceret, *quidquid in Belgio iudicaueris, aut statueris validum erit*. Certum est per illam particulã *in Belgio* non solùm dare potestatem illi gubernatori exercendi iurisdictionis potestatem in Belgio, sed etiam præscribere terminos illius potestati, nimirum, vt intra terminos Belgij possit auctoritatem sibi datam exercere, & nõ extra. 3. Confirmatio. Confirmatur, quia cum Christus dedit actu Petro potestatem illi promissam Matth. 16. Ioannis 21. dixit illi, *Pasce oues meas*: at nemo dixerit illa verba, *Pasce oues meas*, extendi ad homines extra hanc vitam mortalem existentes: illi enim non possunt amplius pasci, nec regi à Pastore, cum nec sint visibiles, nec capaces præceptorum, & regularum pro rectè viuere, vt decet oues Christi. Est ergo clarissimum potestatem iurisdictionis Pontificis summi non se extendere ad animas extra hanc vitam mortalẽ degentes, cuiusmodi sunt animæ purgatorij.

4. Confirmatio. 240 Confirmatur adhuc, quia Papa nullum actum iurisdictionis propriæ exercet in animas purgatorij directè, & in se, vt patebit soluendo rationes alterius opinionis; ergo.

Ad primã rõnem pro prima opinione. 241 Vnde ad primam rationem pro priori opinione respondetur, patere ex dictis illam non concludere, quia Christus Dominus concessit Petro potestatem limitatam, & terminatam quò ad obiectum, scilicet super homines degentes, & viuentes in terram: ideò repugnat Sacræ scripturæ, illam extra viuentes super terram extendere.

Ad secũdã tertiam, & quartam. 242 Ad secundam, tertiam, & quartam patet ex dictis, quod verba illa *super terram* nullam aliam patiuntur expositionem, quàm quod hæc potestas se extendit ad homines viuentes super terram; ideò licèt animæ defunctorũ nondum perfectè sint in termino, & peccauerint super terram, nihilominus, quia amplius non sunt viuentes super terram, non subsunt iurisdictioni Papæ.

Ad quintã. 243 Ad quintam respondetur Papam non exercere actum vllum veræ, & propriæ iurisdictionis directè, & in se in animas purgatorij: nam cum Papa excõmunicat defunctos, vel absoluit defunctos ab excommunicatione, nõ propriè excommunicat defunctos, vel eos absoluit, sed declarat eos excõmunicatos, & sic directè prohibet viuis ne orent pro ipsis. Vnde actus iurisdictionis directè cadit in viuentes, indirectè verò in defunctos: similiter cũ absoluit defunctos ab excommunicatione, liberat viuentes ab onere, ne pro defunctis illis orent. Iurisdictionis itaque actus cadit directè super viuentes, & indirectè super defunctos.

Responsio cõis, quòd Papa concedit indulgentias defunctis modũ suffragij. 244 Alio modo ergo respondẽdũ est ad rationem adductam: & ideò communiter distinguitur, quod concedere Indulgentiam alicui contingit duobus modis: vno modo per modum absolutionis: alio modo per modum suffragij. Papa concedere potest viuis indulgentiam per modum absolutionis: defunctis verò solùm per modum suffragij. Quæ responsio est verissima, & communiter approbata, & euidenter concluditur ex dictis: nam Papa potest concedere indulgentias defunctis: non potest autem concedere illas, vt ita dicam auctoritatiuè illos absoluendo; ergo potest concedere illas per modum suffragij: quia non datur alius modus, nec ab illo alius modus hucusque est assignatus.

Papa põt concedere indulgentias defunctis. 245 Quod autem Papa possit concedere indulgentias defunctis hoc modo, scilicet per modum suffragij, probatur, quia vnusquisque fidelis auctoritate propria potest succurrere per modum suffragij de suis proprijs satisfactionibus animabus purgatorij; ergo etiam Summus Pontifex potest auctoritate publica succurrere eisdem animabus per modum suffragij ex cõmuni thesauro satisfactionum ecclesiæ.

246 Confirmatur. Concessa est Petro, & successoribus potestas dispensandi thesaurum ecclesiæ in vtilitatem fidelium omnibus modis conuenientibus, & non repugnantibus, & iuxta illorum status; sed sic est, quod applicare merita Christi, & ecclesiæ, quorum Pontifex est dispensator per modum suffragij ipsi Deo pro animabus purgatorij, quæ sunt nobis in charitate coniunctę, est vtilis modus; immò à Christo est ordinatus per articulum communionis Sanctorum; nec vllam dicit repugnantiam: nam illa verba *super terram* non obstant, quia etsi ex illis habeatur, vt deductum est Papam non habere iurisdictionem super illas animas, & proinde auctoritate propria non posse illas ab illis pœnis absoluere: tamen non habetur ex illis verbis, quin possit per modum suffragij merita Christi, & Sanctorum Christo ipsi pro illis offerre, & rogare, vt hæc loco suarum satisfactionum accipiat.

247 Verùm hic est dubitatio quid sit concedere indulgentiam per modum suffragij, & quomodo differat à concessione indulgentiarum per modum absolutionis. Quid sit cõcedere indulgẽtiam p modũ suffragij. Aliqui, vt Caietanus in Opusculo 16. tom. 1. de indulgentijs, quæst. 5. & 6. Cano lib. 12. de locis cap. 13. ad 9. & alij Recentiores, dicunt, quod differunt isti duo modi, quia concessio per modum suffragij non habet annexum effectum infallibiliter, quia est concessio per modum suffragij, & auxilij, supposita misericordia, & gratia Dei: modò quod gratia fiat, pendet ex libera voluntate Dei, an illud suffragium, & meritum exhibitum per Papam velit acceptare, vel non. Opinio Caietani, Cano, & aliorum. Concessio verò indulgentiæ per modum absolutionis est infallibilis: quia est actus per modum iustitię: habet enim Papa potestatem iurisdictionis super viuos, ideò potest pro illis actu soluere pœnam debitam ex meritis ecclesiæ, & de facto eos liberare; non sic existẽtes in purgatorio, quia etsi possit soluere pœnam pro illis dando satisfactiones æquiualentes ex meritis Christi pro eis; tamen nõ potest actu auctoritatiuo eos à pœna liberare, sed hoc est in potestate Dei, & pendet ex gratia eius. Non est ergo ita certum indulgẽtiam habere effectum suum in defunctis, sicut in viuis. Præterea hæc opinio innititur ipsi significationi vocum suffragij, & absolutionis, quæ hanc differentiam importare videntur. Præterea si non adsit hæc differentia, nulla alia excogitari posse videtur: si enim tam infallibiliter indulgentia prodest viuis, quibus per modum absolutionis conceditur, quàm mortuis, cur indulgentia viuentibus dicitur conferri per modum absolutionis, & defunctis dicitur per modum suffragij? Præterea. Papa nõ habet auctoritatem iurisdictionis super defunctos, sicut super viuos, ideo nõ potest de facto defunctos liberare, sicut viuos: ideò non est ita infallibilis effectus quò ad defunctos, sicut quò ad viuos. Denique si adesset hæc infallibilitas, sequeretur quod Papa posset expoliare purgatoriũ, quod videtur absurdum. Hanc opinionem declarant Caietanus, & alij eo exemplo. Sint duo debitores ob æs alienum carceribus mancipati, sed vnus intra regnum proprij Domini, alius in regno alterius Principis; tunc certum est, quod proprius Dominus potest soluere debitorem existẽtem in carceribus in suo regno soluendo pro eo pecuniam debitam, & simul liberando è carceribus. At pro eo, qui est in alieno regno detentus, potest solùm exhibere pecuniam pro soluendo debito, & satisfacere pro eo; at non potest de facto eum è carcere illo liberare, sed requiritur cõsensus, & acceptatio Regis illius regni, qui ad hanc liberationem faciendam non tenetur; sed si facit, est ex gratia. Ita in proposito animæ fidelium propter peccata sunt debitrices pœnarum temporalium, sed aliquæ sunt in hac vita degentes, aliæ iam obierunt, & non sunt amplius sub iurisdictione Papæ, vt suprà vidimus, & in purgatorio captiuæ detinentur ob pœnam prædictam; Papa potest pro vtrisque soluere pœnam debitam applicando satisfactiones ex thesauro ecclesiæ, sed diuerso modo, quia pro viuẽtibus non solùm potest satisfacere, sed de facto eas è carcere liberare; sed pro eis, qui sunt in purgatorio potest quidem satisfacere, sed non potest eos liberare, sed requiritur consensus, & gratia Dei; ideò non videtur adesse tanta certitudo de illis, sicut de viuentibus.

248 Ex altera parte Soto in 4. dist. 21. q. 2. ar. 3. post 3. concl. Nauarrus Comm. de Iubilæo, & Indulgent. notab. 22. num. 18. & sequentibus, & Suarez disp. 53. sect. 3. qui Reij[illegible]ur,

alios

alios citat, etſi forſan eius ſententiæ non ſint, præſertim Nauarrus, & Suarez enixè contra Caietanum ſuſtinent hanc differentiam ratione infallibilitatis eſſe nullam, ſed æquè infallibilem eſſe indulgentiam conceſſam viuis, & defunctis. Fundamentum principale huius ſententiæ eſt, quia nulla adeſt cauſa, propter quam dubitari poſſit indulgentiam in defunctis non habere effectum ſuum, ſicut in viuis: nam ſuppoſito, quod omnia alia requiſita ad Indulgentiam adſint in indulgentia conceſſa defunctis. ſ. quod ſit ab habente poteſtatem, & adſit pia cauſa ſufficiens, & opus iniunctum ad conſequendam indulgentiam ſit plenè adimpletum, nihil remanet, quod faciat dubitationē, niſi ſtatus perſonarum defunctorum, quæ videntur incapaces: hoc verò minimè obſtat, quia etſi ſint extra forum Eccleſiæ quò ad auctoritatē iuriſdictionis, propter quod non poſſunt iuditialiter à Papa abſolui ab illis pœnis; tamen ſunt in ſtatu gratiæ, & nobis coniunctæ in charitate, ideò auxilij, & ſuffragij indulgentiarum ſunt capaces.

249 Quod ſi dicas incertitudinem eſſe ex parte Dei, quia requiritur gratia, & voluntas Dei exaudiendi deprecationem eccleſiæ, & acceptandi hanc ſatisfactionem oblatam à Papa pro illis: Deus autem non ſemper exaudit, & acceptat ſuffragia priuata pro defunctis, vt aliqui putant. Contrà, de voluntate diuina non eſt dubitandū, quia habemus promiſſionem certam Chriſti factam Petro, *Quodcunque ſolueris ſuper terram*, &c. vbi dat ei facultatē plenariam, ſub qua continetur etiam facultas diſpenſandi theſaurum Eccleſiæ dignis per modum ſuffragij; quod apertè habetur in bulla Leonis X. ad Caietanum, in qua habetur Papam habere auctoritatem à Chriſto diſpenſandi Theſaurum Eccleſiæ *per modum abſolutionis indulgentiam ipſam concedendo, vel per modum ſuffragij ipſam transferendo*: At ſi non vellet acceptare ſatiſfactionem illam oblatam pro defunctis, deficeret ſuæ promiſſioni; adeſt ergo pactum acceptandi omnem diſtributionem theſauri eccleſiæ applicatam perſonæ dignæ, & ſic ex hac parte nulla adeſſe poteſt dubitatio.

250 Verùm auctores contrariæ opinionis dicerēt promiſſionem Chriſti eſſe factam quò ad eos, qui ſunt in terra viuentes, ſuper quos dedit ibi auctoritatem iuriſdictionis Petro, & ſucceſſoribus, non de ijs, qui ex hac vita deceſſerunt: nec video, quòd hęc ratio cogat. Accedit quòd D. Bonauentura diſt. illa 20. p. 2. arti. 1. q. 5. explicat illam particulam p *modum ſuffragij*, per *modum deprecationis*. & Alexander Alenſis 4. parte, q. 23. memb. 5. exponit modum ſuffragij per modum impetrationis: habet enim hæc verba. *Vnde conuenienter poteſt dici, quod illis, qui ſunt in in Purgatorio poteſt fieri relaxatio per modum ſuffragij, ſeu impetrationis, & non per modum iuditiariæ abſolutionis, ſiue commutationis*. Richardus de hac re nihil certi tradit, ſed eandem ſententiam Alenſis iudicare videtur.

Opinio Suarez.

Suarez deinde vbi ſuprà num. 15. ponit ſuam opinionem, & modum explicandi, quomodo differat conceſſio indulgentiæ per modum ſuffragij, & per modum abſolutionis, & inquit modum concedendi indulgentiā per modum ſuffragij, & per modum abſolutionis non differre, vel in quantitate effectus, vel in eius infallibilitate, ſed in modo cauſandi moraliter illum effectum. Nam quando, inquit, indulgentia eſt per modum abſolutionis, qui eam concedit proximè, & immediatè remittit pœnam tanquā miniſter Dei, & vt iudex, locum eius tenens. Quando verò ſolùm eſt per modum ſuffragij, concedens non remittit pęnam, ſed offert Deo pretium æquiualens, vt ipſe remittat. Vnde ſubiungit ipſe Suarez in vtraque conceſſione intercedit iuſtitia, ſed diuerſo modo. In primo intercedit iuſtitia quaſi vindicatiua ex parte abſoluentis. In poſteriori verò interuenit iuſtitia ſolùm per modum cuiuſdam æquiualentis commutationis fundatæ in pacto, & promiſſione diuina.

Reijcitur in parte.

251 Hic modus mihi diſplicet in hoc, quod videtur ſequi ex eo, quod Papa habeat iuriſdictionem in animab. Purgatorij dimittendis: nam licèt immediatè non poſſit Papa per ſe liberare animas, tamen ex Suarez habet poteſtatem liberandi illas mediatè. ſ. mediante perſona Chriſti. Habet enim hoc ius vt cum illi offert ſatisfactionē pro animabus Purgatorij, cogatur ex pacto illas liberare: diximus autem ſuprà Papam non habere iuriſdictionem in animabus Purgatorij. Rurſus Suarez ponit infallibilitatem effectus indulgentiarum in defunctis prouenire ex poteſtate concedendi indulgentias data Papæ: ſed hoc videtur falſum, quia poteſtas concedendi indulgentias fundatur in illis verbis Matth. 16. *Quodcunque ſolueris ſuper terram*, &c. at diximus ſuprà hanc poteſtatem non ſe extendere extra viuentes in terra; ergo ex vi huius poteſtatis non poteſt haberi infallibilitas effectus indulgentiarū pro defunctis. Aliunde ergo hæc infallibilitas eſt petenda, & alio modo res hæc eſt declaranda.

Opinio auctoris.

252 Ideò etſi hoc ſit difficile, vt omnes obſeruant: tamen vt ipſe quoque dicam, quod ſentio, melius mihi videtur explicari quid ſit cōceſſio indulgentiæ per modum ſuffragij, & quomodo differat à conceſſione per modum abſolutionis, dicendo, quod conceſſio per modum ſuffragij nil aliud eſt niſi conceſſio Indulgentiæ, non per modū iuriſdictionis, & poteſtatis iudiciariæ, ſed ad eum modū, quo ſuffragia priuata fidelium applicantur animabus purgatorij. Certum eſt autem, quòd ſuffragia priuata fideliū non applicantur illis per modum iuriſdictionis, cum certum ſit fideles priuatos nullam habere poteſtatem iuriſdictionis ſuper illas animas. Collatio indulgentiæ per modum abſolutionis eſt collatio per modum iuriſdictionis, & poteſtatis iuditiariæ: ideò Pontifices tàm diſertè, & explicitè proteſtantur ſe concedere indulgentiam defunctis non per modum abſolutionis, ſed per modum ſuffragij, vt notificent ſe non præſumere auctoritatem iuriſdictionis in animabus illis, ſed ſolùm intendere applicare illis theſaurum eccleſiæ, quomodo fideles priuati applicant eis ſua ſuffragia priuata.

253 Ex quo vlterius deducitur, quod ſicut ſuffragia ſunt ſatisfactoria pro animabus illis defunctorum, ſic etiā indulgentiæ pro eiſdem ſunt ſatisfactoriæ. Dictum eſt autem ſuprà agendo de ſuffragijs, quod ſunt ſatisfactoria ex iuſtitia contra Caietanum, & alios; ergo eodem modo indulgentiæ ſunt ſatisfactoriæ ex iuſtitia pro defunctis. At dictum eſt ibi, quod ſuffragia non ſunt ſatisfactoria ex iuſtitia, eo quia fideles habeant aliquam iuriſdictionem in animabus purgatorij, ſed ratione communionis Sanctorum: quia inter fideles bona ſpiritualiter communicantur, & hoc ex promiſſione, & decreto Chriſti: ideò cum animæ exiſtentes in Purgatorio ſint nobis coniunctæ per charitatem, & egeant auxilio fidelium, & illi poſſint eos adiuuare, debent illis ſuffragari, & Deus tenetur ea ſuffragia acceptare, non alia de cauſa niſi quia ſtatuit in eccleſia eſſe communionem Sanctorum. Hæc eſt iuſtitia, quæ in hac applicatione interuenit, quia. ſ. ſi Deus nō acceptaret, promiſſis ſuis, & decretis deeſſet: & ſic eſſet iniuſtus, & infidelis. Ita dicendum eſt de Indulgentijs, ſunt enim ſatisfactoriæ pro peccatis de iuſtitia, non quia Papa virtute poteſtatis Papalis habeat aliquod ius immediatè, vel mediatè in defunctos per quod poſſit illis Indulgentias iuditiariè applicare, ſed quia in eccleſia eſt communicatio Sāctorum, & ipſe Papa poteſt communicare, & applicare theſaurum eccleſiæ indigentibus fidelibus; & Deus ex decreto huius communionis tenetur illas ſatisfactiones acceptare: ideò dum Papa applicat illas ſatisfactiones, ſic per modum, quo alia ſuffragia Eccleſiæ applicantur illis animabus, Deus tenetur acceptare eaſdem indulgentias, & ſatisfactiones: & ſic cum acceptet ſuffragia ex iuſtitia, vt dictum eſt, ſic etiam acceptat Indulgentias ex iuſtitia modo explicato. ſ. non ex iuſtitia proueniente ex iuriſdictionis Papalis poteſtate, ſed ex debito ſeruandi decretum de communione fidelium,

Et ſic patet, quæ differentia ſit inter Indulgentiam per modum abſolutionis, & per modum ſuffragij: neq. enim differunt quò ad quantitatem effectus, nec quò ad certitu

dinem,

dinem, quia vterque modus innititur promissionibus certissimis Christi: sed solùm quò ad modum applicandi, quia cum Papa concedit Indulgentias viuis, applicat illis per modum absolutionis. i. iurisdictionis, vt minister Dei: cum concedit illas per modum suffragij, applicat illas eo modo, quo suffragia applicantur animabus purgatorij. s. non per iurisdictionis potestatem, sed per potestatem applicandi illis thesaurum ecclesiæ, & in virtute articuli, & decreti communionis Sanctorum. Et hoc modo prior sententia Caietani potest aliquo modo habere locum, quatenus scilicet satisfactio per suffragia includit Dei misericordiam, & gratiam, non nouam, sed inclusam in articulo, & pacto de communicatione Sanctorum. Hæc enim stat simul cum iustitia modo supra nunc explicato.

Ad fundamentũ Caietani.

254 Et ex hoc patet ad fundamentum Caietani, licèt enim acceptatio Indulgentiæ pendeat ex gratia Christi, non ex auctoritate immediatè iurisdictionis ministerialis Papæ: tamen certi sumus de illa acceptatione, & articulo de communione Sanctorum, & decreto Dei de acceptandis satisfactionibus, & auxilijs mutuis fidelium.

255 Ad aliud ex significatione horum vocabulorum suffragij, & absolutionis ex dictis patet, quod *per modum suffragij*, non significat per modum gratiæ, & simplicis deprecationis, sed etiam simul per modum satisfactionis in virtute articuli de communione Sanctorum, & decreti diuini, de acceptatione huiusmodi auxiliorum pro fidelibus existentibus in charitate, & per hoc patet ad alia, scilicet quod adest alia ratio diuersitatis concessionis indulgentiarum per modum absolutionis, & suffragij.

Ad exemplum illud Caiet. respondetur illud deficere. Primò, quia Papa, & Deus non se habet, vt duo Principes omninò diuersi, quia Papa est Vicarius Dei, Deus autẽ est Princeps absolutus, & primarius. Secundò, quod facit ad rem, est, quia inter illos duos Principes diuersos nõ ponitur aliquod pactum, quod si afferatur pecunia à Principe naturali pro liberando debitore suo Principi alteri suũ subditum captiuum detinenti, teneatur eam acceptare, & eum liberare è carcere: at in casu nostro adest pactum ex statuto articuli communionis Sanctorum, quod suffragia oblata indigenti, & capaci illius, Deus illa accepter, & liberet eum, pro quo offeruntur: ideo licèt sit forus diuersus, hoc non obstat, quin teneatur Deus acceptare huiusmodi indulgentiam pro illis, cum sint indigentes, & capaces illius. Reliqua pro opinione Nauarri, & Suarez explicata sunt.

Quæ cõditiones requirãtur, vt valeant indulgentiæ pro defunctis.

256 Vltimò ad complementum huius capitis remanet videndum, quæ conditiones requirantur ad hoc, vt indulgentia concessa defunctis habeat effectum suum. Ad hoc breuiter respondetur, quod difficultas quò ad conditiones requisitas põt esse vel ex parte lucrantis indulgentiã pro defunctis, vel ex parte ipsorum defunctorum (reliqua enim necessaria ad concessionem indulgẽtiæ supponimus adesse, vt potestatem in concedente; causã proportionatã, &c.) ex parte lucrantis indulgentias requiritur primò, ꝙ perficiat opus postulatum, seu iniunctum à Papa in forma concessionis indulgẽtiarum eo modo, & ꝑ easdem rationes, quas suprà adduximus: opus enim illud est conditio requisita ad verbum indulgentiæ, ideò illo omisso indulgentia nullum effectum habet; & de hac conditione non est dubitatio vlla. Secundò requiritur, vt lucrans hanc indulgentiam intendat eam lucrari pro defuncto, vel defunctis; nisi enim fiat illa applicatio, opus illud, quo lucratur indulgentiam, non erit factum pro defuncto, ꝙ tamen requiritur. Vbi noto esse obseruandam formam concessionis Indulgentiæ: nam opus illud postulatum totum debet applicari defunctis: si verò aliquid amplius lucrans faciat, quod non pertineat ad opus postulatum, certum est non esse necessarium illud defunctis applicari: quia iã per adimpletionem operis postulati fecit id totum, quod requiritur pro effectu indulgentiæ obtinendo. Tertiò, est dubium, an requiratur, vt lucrans sit in gratia, saltem in illo instanti quo consumato opere iniuncto effectus indulgentiæ est habendus, quomodo suprà diximus de viuente lucrante indulgentiam pro se ipso. Angelus verbo *Indulgentia*, num. 21. cum Cardinali in Clement. 2. de pęnit. & remiss. affirmat: tamen communiter opposita sententia tenetur. s. non requiri, vt lucrans Indulgentiam pro defunctis sit in gratia. Hanc sententiam expresè tenet Gabriel Biel in additione ad lectionem 57. quam adducit cum Diuo Thoma, Richardo, & sequitur Suarez disputat. 54. sect. 4. num. 6. & enixè Nauarrus cõm. de Iubilæo, & Indulgent. notab. 22. nu. 30. & hoc multo magis teneret Scotus, qui asserit etiam viuum existentem in peccato mortali posse pro se ipso satisfacere, quòd cæteri negant; & rationes ibi adductæ, hic multo magis concludunt. Ratio autem assignatur communiter, quia requiritur status gratiæ ad hoc, vt indulgentia habeat effectum suum, & tollat obicẽ in suscipiente: at qui lucratur indulgentiam pro alio, non recipit effectum indulgentiæ in se ipso; ideò non requiritur vt sit in gratia. Præterea, qui lucratur indulgentiam pro alio adimplet opus postulatum à Pontifice pro defuncto, & sic operatur nomine alterius, & vt minister alterius: dictum est autem, quod sic operans nomine alterius vt seruus faciens eleemosinam nomine Domini, non tenetur esse in statu gratiæ ad hoc, vt illa eleemosina habeat suum effectum.

An req̃rat, vt lucrans indulgenciã sit i grã

Cõditiões ex pacto defunctorum lucrantium indulgẽtiã.

257 Quantum autem ad conditiones requisitas ex parte defuncti, cui applicatur indulgẽtia, certum est requiri statum gratiæ, & debitum pęnæ temporalis pro culpa iã dimissa: nam suprà diximus indulgentias non valere, neq. pro damnatis, neque pro beatis. Defuncti ergo, qui sunt in purgatorio tantùm, sunt capaces indulgentiarum, quia sunt in gratiæ statu, & habent debitum pœnæ temporalis soluendum pro culpa iam dimissa.

An indulgentię possit cathecumenis.

258 Dubitant verò aliqui, an necessarium sit vt charactere baptismali sint insigniti, adeò quod cathecumeni decedentes sine baptismo aquæ, quod est lauacrum, non sint capaces indulgentiarum, & Suarez vbi supra sect. 4. dicit nihil esse certum apud Doctores, quorum pauci hoc attingant: ipse vtranque partem putat esse probabilẽ; esse tamen magis probabile, quod requiratur character baptismalis: quia inquit, qui non est insignitus charactere baptismali, est extra ecclesiam, & proinde Papa nõ habet ptãtem super illum iam defunctum, cum non habuerit potestatem super illum viuentem. Accedit, quod vsus indulgentiarum non habet vt non baptizatis concedatur; ergo signum est hanc potestatem non esse in Papa.

Opinio opposita magis probãl.

259 Mihi autem videtur valde irrationabile excludere ab hoc beneficio animas illas cathecumenorum, quæ propter impotentiam, & inculpabiliter decesserunt ex hac vita sine sacr̃o baptismi: nã etsi non habeant characterem baptismalẽ, sunt tñ in ecclesia, quia voto illud susceperũt, & sunt capaces beatitudinis, & sunt verè fideles. Vnde cũ Papa concedat indulgentiam omnibus fidelib. defunctis, mihi videtur ad illos quos se extendere: & cõfirmatur, q a cõcedit ipse Suarez suffragia priuata valere huiusmodi cathecumenis: at indulgentia conceditur à Papa per modũ suffragij defunctis; ergo ad illos quoque se extendit indulgentia. Ad retionem illam, quod sunt extra ecclesiam, & ecclesia nõ habeat auctoritatẽ super eos, qui extra eã sunt. Respondeo hos non esse extra ecclesiam, cum sint fideles coniuncti Christo per gratiam, licèt actu charactere Christi non fuerint insigniti. Ex vsu aũt indulgentiarum non potest haberi aliquid certi in hac re, quia de hac re nulla nulla habetur consideratio; sed cum concedatur indulgentia fidelibus defunctis, potius habemus vsum se extendere ẽt ad hos cathecumenos, cũ illi ẽt sint fideles, vt dictũ est.

An requiratur in defũcto, vt in vita se capacẽ indulgentiarum fecerit.

260 Quod etiã ait Caietanus, requiri in defuncto meritum de congruo. s. vt existens in vita meruerit per bona opera, vt post mortem indulgentiæ sibi prodessent, est falsum, vt suprà ostendimus agendo de indulgentijs pro viuis in fine capitis præcedentis. Eadem enim est ratio de indulgentijs pro viuis, & defunctis: & rationes ibi adductę hic quoque habent vim, & multo minus necessaria est altera

tera conditio, quod defunctus, pro quo lucramur indulgẽtiam, habeat notitiam de indulgentia, quam pro ipſo lucramur: atque quod ille illud beneficium acceptet: & alia conditio quas Hoſtienſis in capite, *ex eo*, de pœnit. & rem. num. 5. requirit: nam ad effectum indulgentiæ conſequendum non requiritur eius acceptatio ſpecialis: certum eſt, ſi generaliter illas animas expetere, & deſiderare ſibi ſubueniri per indulgẽtias, & alia beneficia, ſed eſt acceptatio diuina, quæ eſt neceſſaria: illa autem adeſt, etiam ſi de hac ſit inſcia ipſa anima defuncti: ſæpè. n. quis liberatur à carcere per aliquod beneficiũ ſibi celatum, quod tamẽ ignorabat, & tunc ſolùm cognoſcit cum actu è carcere liberat'.

De cauſa finali Indulgentiarum conceſſionis.
Caput Nonum.

An requiratur cã aliqua ad concedendũ indulgentiã.

261 INter alias difficultates, quę circa conceſſionem Indulgentiarum accidunt, illa non eſt parui momenti, an requiratur aliqua cauſa extra effectum indulgentiarum, propter quam moueatur Pontifex ad concedendum indulgentiam; vel an potius ex libito, & nulla exiſtente cã poſſit concedere indulgentias, ita vt ſola voluntas, vt aliqs liberetur à pęna illa debita peccato, quæ appellatur ab aliquib. finis internus, & eſt effectus indulgentiæ, ſufficiat. In hac difficultate breuiter eſt dicendum procul dubio Pontificem non poſſe indulgentias concedere ad libitum, & ſinè honeſta, & rationabili cauſa. Hæc eſt communis ſententia omnium Theologorũ, qui de hac materia loquuntur. Soto tamen in 4. diſt. 21. quæſt. 1. ar. 2. in principio tribuit oppoſitam ſententiam D. Thomæ in 4. diſt. 20. art. 3. vbi dicit, duas eſſe opiniones extremas de indulgentiarum lucratione: alteram Altiſiodorẽſis, qui q. 1. de relationib. poſuit ſeptem conditiones requiri neceſſariò ad valorem indulgentiarum. Quarum prima eſt poteſtas in concedente. Secunda, neceſſitas loci in cuius fabricam indulgentiã conceduntur. Tertia, neceſſitas perſonæ, quia. ſ. non poteſt aliter ſatisfacere, vt puta, quia non põt ieiunare, &c. Quarta, deuotio fidei. ſ. vt credat per indulgentias poſſe relaxationem fieri. Quinta, vt recipiens ſit in charitate. Sexta, diſcretio vt diſcernat quanta ex parte vellet à ſatisfactionib. exonerari: nam quod ipſe facere volet, non põt per indulgentias ei relaxari. Septima, iuſta æſtimatio, vt ſecundũ ꝙ ei dimittitur ipſe recompenſet. Alteram verò eſt D. Tho. vbi ſuprà, qui in alterum extremum iuit. ſ. nullam prorſus requiri conditionem præter auctoritatem conferrentis, et ſuſcipientis charitatem. Ego tamen non video D. Thomã in hoc differre ab alijs Theologis, quoniam in eo loco q. 2. apertè dicit requiri præter auctoritatem in dante, & charitatem in ſuſcipiente, & cauſam piam, quæ reſpicit honorem Dei, & vtilitatem eccleſiæ. Sed tandem Soto ibidẽ fatetur D. Tho. non fuiſſe illius opinionis, nec ab alijs differre. Omnes ergo Theologi, & Canoniſtæ media via incedunt, & dicunt ex illis conditionib. adductis ab Altiſiodorenſe tres tantum requiri. ſ. auctoritatem in concedẽte, charitatem in ſuſcipiente, de quib. ſuprà diximus, & tertiò piam, & honeſtam cãm: ſic ſentiunt D. Bonau. in 4. diſ. 20. p. 2. a. 1. q. 4. Richardus, Albertus, ibidem Caietan. in opuſculis de indulgentijs, & Suarez diſp. 54. & alij, qui de his ſcribunt. Quarta autem conditio ſuprà enumerata, ſi accipiatur in hoc ſenſu, vt recipiens indulgentias credat auctoritatem relaxationis eſſe in eccleſia, eſt neceſſaria, quia qui hoc non crederet, eſſet hæreticus; ſed accipiendo eam, vt accipiebat Altiſiodorenſis, nimirum quod nõ dubitet, an tñ valeat, quantum ſonat, quia dubitat de cauſa, an fuerit legitima, hoc modo non eſt conditio neceſſaria, quia etiã ſtante hac dubitatione ſi ſuſcipiat indulgentiam ſeruatis reliquis obtinebit fructum, vt notauit Soto vbi ſuprà.

1. Ratio. 262 Hæc ſententia probatur. Primò, quia ſi nõ eſſet neceſſarius huiuſmodi finis honeſtus: ſequeretur, quod Pontifex pro ſuo libito expoliare poſſet purgatorium, quod eſt abſurdum. Et hæc ratio valet à poſteriori.

2. Ratio. 263 Secundò, poteſtas concedendi indulgentias data eſt eccleſiæ à Deo in ædificationem, non in deſtructionẽ. Hoc enim modo ſe habet omnis ptãs conceſſa à Chriſto ſuæ eccleſiæ, iuxtà illud 1. Corint. 4. *Sic nos exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores miniſteriorum Dei.* At ſi concedi poſſet ſinè cauſa aliqua externa, pia, & honeſta, ſed tantummodo pp ſe ipſum. ſ. vt ille lucraretur illam indulgentiam, hæc conceſſio eſſet in deſtructionem, & perniciem fidelium: ſic enim, neq. in purgatorio timerent pœnas: quia ſcirent iuſtè, & ſanctè poſſe illis cõdonari per indulgentias, & ſic ſatisfactiones negligerentur, & daretur anſa peccandi.

264 Tertiò, Pontifex non eſt Dñs theſauri eccleſię, ſed diſpẽſator; ergo in illo diſpenſando tenet' ſe cõfirmare voluntati diuinæ: at voluntas diuina licèt ſit infinitè miſericors, & liberalis, non tñ ſtatim remittit omnem pœnã temporalem, ſed in hoc ſeruat iuſtitiæ ordinem; ergo multo magis Pontifex eundem ordinem iuſtitiæ in diſpenſando hoc theſauro ſeruare tenetur. Quod ſi quis dicat, videtur ſufficere voluntas liberandi proximum à miſeria pœnæ talis. Hoc enim motiuum eſt honeſtum: deinde in conceſſione illius poteſtatis Matthæi 16. non habetur talis reſtrictio, ſed abſolutè dicitur, *Quodcunque ſolueris*, &c. Reſpondetur, quod etſi ſubleuare indigentiam, & miſeriam proximi honeſtum ſit, fieri tamen debet ſeruato ordine iuſtitiæ ad imitationem Dei, vt dictum eſt, & præſertim, quia Pontifex, vt dixi, non eſt Dominus, ſed diſpenſator, & miniſter Dei in conceſſione indulgentiarum: & licèt Matth. 16. illam limitationem non appoſuerit, eam tamẽ debere ſubintelligi alibi declarauit in ſacra Scriptura; vt, cum per Paulum dixit vbi ſuprà, auctoritatem eccleſiæ Prælatis datam eſſe in ædificationem, non in deſtructionem. 3. Ratio. Solutio.

265 Sed aliud dubium eſt, an iſta cauſa finalis pia exterior ſit ita neceſſaria ad indulgentiam, vt ſinè illa ſit nulla: nam certum eſt, quod multa illicitè fiunt, quæ tamen facta tenent; vt diſpenſatio in ieiunio, & alia ſimili lege, quæ facta ſine legitima cauſa valet, etſi illicita ſit: videtur ergo, quod etſi requiratur talis cauſa: attamen ſi illa non adſit, & proinde ſit illicitè conceſſa, tamen valeat. An ſine cã legitima indulgẽtia ſit nulla.

266 Reſpondetur proculdubio hanc tertiam conditionem, ſcilicet piam cauſam eſſe ita neceſſariam, quod ſi deſit indulgentia, non ſolùm eſt illicita, ſed eſt nulla: & hæc eſt ſententia communis Theologorum omnium, & Canoniſtarum, quos ſuprà adduximus: & rationes ibi adductæ hoc concludunt. Diximus enim ibi poteſtatem datam eccleſiæ, eſſe datam in ædificationem, non in deſtructionem: adeò quod finis per ſe, & principalis poteſtatis eccleſiæ eſt vtilitas eccleſiæ, & ædificatio fidelium. Manifeſtum eſt autem ex terminis, ablato fine, per quem poteſtas conceditur, actum talis poteſtatis tolli, quoniam de ſubſtantia talis poteſtatis eſt finis, & conditio intrinſeca finis, propter quam talis poteſtas conceditur. Poteſtas enim conceſſa alicui ad iudicandum ciuilia non extenditur ad criminalia: & ſic de alijs: quia finis poteſtatis ciuilis, eſt iudicare ciuilia, non criminalia. Poteſtas autem conceſſa eccleſiæ eſt ad vtilitatem, & ædificationem eccleſiæ; ſi ergo Papa pro libito vellet vti hac poteſtate extra hanc vtilitatem, actus illi eſſent nulli: concedere autem indulgentias ſinè pia, & honeſta cauſa, eſſet eneruare eccleſiaſticam diſciplinam, & fouere peccata, & negligentiam fidelium, vt ſuprà diximus; ergo.

267 Ad rationem autem in contrarium tactam, quod multa illicitè fiunt, quæ tamen facta tenent, vt de diſpenſatione in ieiunio, & ſimilibus. Reſpondetur non deeſſe, qui aſſerant huiuſmodi diſpenſationes eſſe nullas propter eandem rationem: quia procedunt ex poteſtate eccleſiaſtica, quæ data eſt in ædificationem, non in deſtructionem. Sed dimiſſa illa opinione, quæ videtur nimis rigoroſa concedendo, quod illa diſpenſatio ſit valida. Reſpondetur tamen aliud eſſe loqui de diſpenſatione in lege diuina, & aliud in lege humana. Diſpenſatio in ieiunio, eſt diſpenſatio in lege humana: at conceſſio in- Ad rõnem in oppoſitum.

dulgentiarum sinè pia causa esset dispensatio in lege diuina. Potestas enim concedendi indulgentias, vt visum est, à Deo est, & includit hanc conditionem, vt detur pp piam causam, & non aliter. Quod aūt aliud sit dispēsatio in lege diuina, & aliud in lege humana ostēditur ex hoc, quia lex humana pendet à superiore humano, & est veluti res propria ministri humani: ideò sine causa vlla pōt illam abrogare. At lex diuina non est lex propria ministri humani, sed Dei, qui est superior: ideò non pōt abrogari, vel dispensari nisi ex volūtate Dei: hæc aūt voluntas innotescit, quādo adest causa rationabilis dispensandi: tunc.n. præsumitur, quod Deus, & superior in tali casu non intendebat legem obligare: & ideò cum adest pia, & rationabilis causa, valet illa dispensatio: at quando non adest pia causa non valet: ideo in proposito cum concessio indulgentiæ fit sine rationabili, & pia causa, est dispensare in lege diuina cōtra voluntatem Dei: & ideò actus ille est nullus: in dispēsatione verò legis humanę valida est dispensatio, quia lex illa pendet à voluntate ipsius ministri tanquā res sua: ideò pōt illam dispensare, ēt si non adsit rationabilis causa, quia procedit à plenaria voluntate ipsius, qui eā omninò hēt in potestate sua: licèt peccet illam ferendo, vel dispensando sinè rationabili causa, quia sic abutitur potestate sibi data; tamen abusus non tollit potestatem.

Cur dispensatio legis humanę sine iusta cā valeat.

268 At dubitatur, an postquam indulgentia concessa ex non pia causa est inualida; an ēt concessio priuilegiorū qui cum ea sæpè concedi solent, vt facultas eligendi confessorem particularem posse absolui à casibus reseruatis, etiā nulla sit? Respondetur cum Suarez disp. 53. sect. 2. num. 17. negatiuè. Ratio est, quia non est par ratio de concessione indulgentiæ, & aliorum priuilegiorum; quoniam cōcessio indulgentiæ, vt dictum est, est dispensatio in iure diuino, quæ requirit piam, & rationabilē causam ad hoc, vt sit valida, sicut dictum est. At concessio aliorū priuilegiorum, vt eligendi sibi confessariū, absoluendi à reseruatis, dispensare in votis sunt de iure humano, & sunt in potestate Pontificis, vt res proprię, & ideò pōt illas concedere p libito, quod.n. hic sacerdos audiat confessionem nō ille, quod isti sint casus reseruati, nō illi, &c. pendet ex iure humano, qui est in ptāte ipsius Pontificis; nō ergo est par rō.

An cum indulgentia ē nulla, ēt priuilegia cū illa cōcessa sint nulla.

269 Verùm ad rem magis declarandam opus est videre quænam causa sit causa pia, & iusta, quæ requiritur ad concessionem indulgentiæ. Respondetur, auctores in hac parte, vt mihi videtur in æquiuocatione magna laborare: nam pro causa pia quandoq. intelligere videntur opus postulatū in concessione indulgentiæ, vt cum conceditur indulgentia plenaria ieiunanti tribus diebus, & visitanti talē ecclesiam, ac ibi oranti, &c. hoc opus postulatū ieiunij visitationis templi, oratio, &c. vocatur ab eis causa pia pp q̄ cōceditur indulgentia. Quandoque verò pro causa pia non intelligitur opus postulatum, sed finis, & causa pp quam Pontifex mouetur ad postulandum illud opus, & vt illum finem obtineat, postulat illud opus, & illud efficienti cōcedit indulgentiam. Huiusmodi finis est bonum publicum, vt puta extirpatio hæresum, concordia Principū Christianorum exaltatio Sanctæ Matris Ecclesiæ. Ad rem ergo rectè intelligendam de vtroque seiunctim est agendum.

Quæ nā sit causa pia cōcedēdi īdulgentias.

270 Loquendo ergo de causa pia secundo modo .s. de causa pp quā Pontifex moueri debet ad concedendum indulgētias, est difficultas, an illa sēper esse debeat publica, & cōis vtilitas, & bonum ecclesiæ, an bonū priuatū, vel necessitas particularis alicuius psonę fidelis sufficiat. Addūt Doctores, an hæc vtilitas, & bonū dēat eē bonū spirituale, vel temporale sufficiat: rursus, an hoc bonum debeat esse extraordinariū, vt puta ad repellendum aliquod malū imminens, vel sufficiat ratio promouēdi bonū ipsius ecclesię.

An causa īdulgētię debeat esse publicū bonū ecclesiæ

271 In hac difficultate duæ sunt opiniones; quidam dixerunt necessarium esse, causam esse pp publicum bonū, nō aūt bonum priuatæ personæ, videlicet propter deuotionem alicuius personæ particularis, vel propter cōmoditatē alicuius priuatæ personæ, quæ rogat, vt alicui sacello particulari indulgentia cōcedatur, & similia, & hæc opinio tribuitur Alberto in 4. d. 20. a. 17. eā verò expressè tenet Soto in 4. d. 21. q. 2. a. 2. concl. 2. cuius verba adducit Suarez disp. 54. sect. 4. in principio. Fundamentum huius opinionis est, quia thesaurus ecclesiæ est bonum commune, ideò non nisi pro bono communi dispensandum est. Cōfirmatur, quia hic videtur esse mos antiquæ ecclesiæ, vt colligere licet ex decretis, & canonibus, quæ de indulgentijs loquuntur.

Opin. prima Alberti, & Soto.

Fundm̄ huius opin.

272 Alij vero dicunt sufficere causam priuatam, dummodo pia sit. Addunt verò aliqui, quod sit ēt proportionata indulgentiæ, quæ conceditur, de qua proportione infrà loquemur: hanc opinionem maximè defendit Suarez, vbi suprà, & dicit esse communem oīum aliorum Doctorum, quod probat, quia cęteri Doctores cum loquuntur de causa concessionis indulgentiæ, dicunt debere esse piā, & honestam, & ad summum proportionatam, & nihil aliud requirunt: & quamuis dicant interdum esse debere in vtilitatem ecclesiæ, tamen non declarauerūt quomodo. Vnde cū bonum priuatæ personæ reducatur ēt ad bonum ecclesiæ, cum persona priuata sit membrum ecclesiæ, non est necessarium, vt interpretemur eos de bono ecclesiæ in cōi tm̄: & hæc sententia proculdubio est approbāda eò maximè, quia bonum priuatum est causa sufficiens, vt infrà videbimus, & ecclesiæ vsus hoc habet, vt etiam pro vtilitate spirituali priuata concedatur.

Altera opinio, q bonū priuatū sit cā sufficiens.

273 Pro cuius clariori intelligentia obseruandum est cum Recentioribus, & vt ex dictis colligitur, quod indulgētiæ præsertim quatuor modis, seu quatuor generibus personarum conceduntur. Primò cum immediatè, & generaliter conceduntur toti ecclesię, seu omnibus fidelibus, vt in iubileis vniuersalibus, in quibus dicitur omnibus facientibus hoc, vel illud conceditur indulgentia plenaria, &c. qui modus adhuc est duplex, quia vel indulgentia conceditur immediatè fidelibus omnibus, vt in iubileo modo nunc supradicto; vel conceditur immediatè alicui loco propter fideles ipsos, vt cum conceditur indulgentia omnibus orantibus in tali basilica, &c. Secundò indulgentiæ quandoq. conceduntur non toti ecclesiæ, neque omnibus fidelibus, sed alicui communitati particulari, vt vni Religioni Regularium, vel vni prouinciæ orbis Christiani. Tertiò possunt concedi, & de facto conceduntur quandoque vni personę particulari priuatæ, vt si Papa concedit indulgentiam aliq alicui personæ priuatæ, quia sperat, quod ratione indulgētiæ maiori deuotione confessionem sit facturæ, & à peccatis multis, in quibus iam diù uixit, & pp quorū pęnas tristitia absorbetur, sit recessura. Quartò quandoque pōt concedi indulgentia vni personæ priuatę, non pro illa tm̄, sed ēt pro alijs, quod est potius concedere illā multis, sed ad petitionem vnius; vt cum Pontifex ad instantiam alicuius personę priuatæ insignis concedit aliquam indulgentiam pluribus, vt cum ad instātiam eius calculos, vel in magumulas, vel aliquid tale benedicit, & habentibus aliquam illarum indulgentiam talem concedit.

Indulgētiæ quatuor generibus personarū conceduntur.

274 Cum indulgentia est primi generis, & conceditur toti ecclesiæ, causa, & bonū, seu vtilitas debet esse bonū publicum totius ecclesiæ, vel certè alicuius partis principalis ecclesiæ. Ratio est, quia causa debet esse proportionata effectui, & hoc vsu ecclesiæ patet: nam cum conceditur iubileus omnibus fidelibus, conceditur pp extirpationem hęresum, concordiam Principum christianorū, & exaltationem ecclesiæ catholicæ. Aliquando ēt causa est bonū particulare alicuius partis ecclesiæ, vt cū conceditur in Conc. Later. indulgentia plenaria pro recuperāda terra sancta. Et ratio est, quia bonum vnius partis principalis redundat in bonum cōe, & totius ecclesiæ. Denique sufficientissima causa est non solū repulsio mali, & damni cōis ecclesiæ, sed ēt vtilitas maior ecclesiæ, vt reformatio populi Christiani, & spirituale augumentū, quæ causa his temporibus est maximè in vsu, quoniam populus fidelis propter lucrādas indulgentias maximè mouetur ad frequentādū sacramēta, & ad pietatē. Vnde optimè faciunt Pontifices has, moderatè tn̄, cōcedēdo, ne vilescant, & fructus illarū impediat.

Obser-

Non esse necessariũ, vt vtilitas sp sit spiritualis immediatè.

275 Obseruandum est aũt, hanc vtilitatem, & bonum cõe non esse necessarium, vt semper immediatè, & proximè sit bonum spirituale: aliquando n. potest esse bonum temporale, quod tamen refertur, & ordinatur ad bonum spirituale, vt sunt defensio Ecclesiæ ab hostibus eius: expulsio famis, aut pestis à Deo impetranda, & similia: quod patet ex vsu ecclesiæ, quæ sæpè propter hæc bona, & similia concedit indulgentias. Ratio est, quia sicut piũ est petere hæc bona à Deo: ita pium est adiungere fauorẽ indulgentiæ, vt deuotius, & frequentius hæc oratio fiat. Hac ẽt rõne aliquando conceduntur indulgentiæ in celebritate alicuius festi, vt maiori cum deuotione celebretur. Idem dicendum de oratione, vel restauratione alicuius tẽpli: nã licèt hæc opera sint proximè materialia, & corporalia, tamen ordinantur ad finem, & vtilitatem spiritualem.

276 Quando verò conceditur omnibus fidelib. indulgentia, sed mediante aliquo loco, vt indulgentia, quæ conceditur visitantib. limina Apostolorum, causa talis indulgentiæ potest esse vtilitas, & bonum illius particularis loci, vel reuerentię, & cultus alicuius Sancti, qui in illo loco colitur; quæ etiam potest dici vtilitas, & bonum publicum: quia honor cuiuslibet Sancti, & etiam diuinus honor, qui ex his locis, præsertim celebrioribus publicè, & apud multos resultat, meritò dicitur bonum, & vtilitas cõis ecclesiæ; quia in totam ecclesiam redundat.

Quę causa requirat̃ ad alia tria genera indulgentiarum

Quando autem indulgentia est secundi generis, quia nimirum conceditur alicui cõmunitati particulari, vt vni Prouincię, vel Religioni, causa concessionis debet esse vtilitas, & bonum illius communitatis: quod bonum, & vtilitas deinde redundat in vtilitatem totius ecclesiæ vniuersalis: & huiusmodi sunt indulgentiæ concessæ Confraternitatibus, Religionibus, populis particularibus, de quibus proportionaliter dicendum est; sicut diximus de indulgentijs concessis ecclesię vniuersali: sicut enim illa Religio, vel confraternitas, vel populus est membrum ecclesiæ vniuersalis, sic eius vtilitas, & bonum spirituale redundat in totam ecclesiam vniuersalem.

277 Quando ẽt indulgentia conceditur personæ particulari, causa concessionis debet esse vtilitas, & bonum spirituale illius personæ particularis, q bonum, & vtilitas eadem rõne redundat in bonũ vniuersalis ecclesiæ. Hæc aũt cã aliqñ sumitur ex pietate, vel officijs exhibitis ecclesiæ à tali persona; & hoc mõ solet Pontifex concedere indulgẽtiam plenariam iam iam morienti absq. noua causa. s. quia vel in seruitijs ecclesiæ, vel honestate vitæ excellit: & hoc modo vr̃ fuisse indulgentia, quam Martinus V. concessit omnibus, qui in Concilio Constantiensi interfuerũt. Hæc enim est causa sufficiens, quia est honesta, & in præmium virtutis, & laborũ pro ecclesia, & in exemplo aliorum, vt spe similis beneficij ad virtutem, & beneficia pręstanda ecclesiæ animentur. Aliquando hæc causa sumitur ex vtilitate, vel necessitate spirituali talis personæ, cui conceditur, vel illius, in gratiam cuius alijs conceditur, (v.g.) si habeatur spes, vt suprà dicebamus, quod amore lucrandi hanc indulgentiam deuotius confessionem faciet, sacramenta magis frequentabit, vel à peccatis, quibus detinetur multo tempore, & timore pœnarum absorbetur, resurgẽt, cuius exemplum habemus apud D. Paulum 2. Corinth. 2. de quo suprà plura diximus.

278 Tandẽ cã indulgentię particularis quarto mõ concessæ, sumi põt ex excellentia, & virtute illius personæ particularis, vt est salus Regis, vel Prælati alicuius magnæ vtilitatis ecclesiæ, vel Reipublicæ: nam etsi salus Regis &c. sit proximè bonum, & vtilitas illius personæ particularis, tamen vltimatè tendit in bonum commune Ecclesiæ, & Reipublicæ Christianę: intercessio etiam alicuius personę priuatæ potest esse rationabilis causa, non tamen sola, & simplex, sed iuncta cum aliqua pia causa, vt puta, quia illa persona est insignis sanctitatis, vel vtilitatis ecclesiæ, & similium: tunc enim adest vtilitas ecclesiæ, quia in concedendo huiusmodi fauores personis pijs, & benemeritis de ecclesia animantur alij ad eorum imitationem, & hoc modo legimus Paulum vbi suprà ad intercessionem Corinthiorum concessisse indulgentiam adultero illi; & apud D. Cyprianum sæpissimè legimus præsertim Epistola 15. ad intercessionem, & petitionem martyrum solitos fuisse dare veniam lapsis.

279 Ex his sequitur non esse obmurmurandum aduersus Prælatos, qui alicui sacello concedunt indulgentiã aliquam propter particularem suam affectionem erga illud. Hic enim adesse potest causa pia: ea. s. quæ est in concessione indulgentiæ erga alias ecclesias, & Sanctos: nimirum vt maiori cultu, & deuotione in illo sacello fiat oratio, vel etiam ad excitandum se ipsum, vel alios ad frequentius orandum in eo. Similiter quod Prælatus aliquando cõcedat indulgentiam ad exaltandã suam auctoritatem: ęquidem si hoc faceret propter ambitionem, & exaltationem personæ particularis, esset elatio ambitiosa, non pia causa, nec valida: sed si faciat propter exaltationem suæ auctoritatis, & ad aliciendum populos magis ad sui obedientiã, & amorem in rebus spiritualibus, esse potest honesta causa, vt ipsemet Suarez vbi suprà ostendit.

280 Fundamentũ autem opinionis Soto nihil obstat: quia vt visum est, indulgentiæ concessæ ob particularẽ vtilitatem etiam redundant in vtilitatem boni cõis ecclesiæ: & licèt thesaurus sit communis, tamen dispensatio fit per applicationem ad particulares personas: neque est necesse, vt fiat per applicationem illã in vniuersali præcisè: qm̃ hoc est in potestate Pontificis, neq. vllibi cauetur, vt hęc applicatio fieri debeat tantùm in cõi. Ad confirmationem respondetur non repugnare hanc doctrinam antiquis canonibus, immò esse illis conformem; & si tunc non fuerit sic distinctè explicata, neq. in vsu ita frequenter posita. Ad fundãm Soto.

281 Accipiendo verò pro causa concedendi indulgentias opus ipsum postulatum. Primò, certum est opus postulatũ debere esse opus pium, i. ad honorem Dei, & ecclesiæ vtilitatem. Vndè si Papa vellet concedere indulgentiã audientib. Histriones, vel huiusmodi, patet, quod hæc indulgentia nulla esset, quia non concederetur pro opere, & cã pia, sed vel impia, vel non pia. Secundò, magna dubitatio est, an opus postulatum debeat esse proportionatũ indulgentiæ. In hac re sunt tres sententiæ: prima est, omnem indulgentiam, quæ conceditur ex causa pia, quæcunque illa sit, esse omninò validam, etiam si opus postulatum sit omninò improportionatum, vt si concedatur indulgentia plenaria dicenti vnum Pater noster extra articulum mortis, & in tempore quo posset plures operationes pœnales facere. Hæc videtur esse opinio Diui Thomæ in 4. dist. 20. q. 4. ar. 3. quæst. 2. vbi dicere videtur quantitatem effectus indulgentiæ non commensurari quantitati, seu grauitati causæ: nimirum operis postulati, sed quantacunque sit indulgentia totam esse validam, secundùm quod sonat, si causa sit pia, etiam si sit minor. Eadem sententia tribuitur D. Bonauenturæ dist. 20. par. 2. art. 1. q. 6. sed re vera hæc non est opinio Diui Bonauenturæ, immò hanc ibi adducit, & reijcit. Richardus d. eadem 20. ar. 3. est obscurus, tamen in hanc opinionem inclinare videtur: eam tenent Durandus dist. 20. q. 4. Paludanus q. 4. ar. 1. concl. 1. Angelus verbo *Indulgentia*, nu. 2. Syluester verbo *Indulgentia*, nu. 3. & nonnulli alij.

An opus postulatũ debeat esse piũ, & proportionatũ

Tres opin.

1. Opinio.

282 Fundamentum huius opinionis ex D. Thom. vbi suprà est, quia si causa, seu opus postulatum semper deberet esse ęquale relaxationi, & indulgentiæ pœnæ, quæ remittitur indulgentia, non esset indulgentia, sed commutatio, quod non est dicendum. Prętérea in cõcessione indulgentiæ non attenditur deuotio, vel labor, vel opus factum à lucrante indulgentiam, sed merita ecclesiæ, quæ sunt cã remissionis pęnæ in indulgentijs. Prætérea videmus vsum ecclesiæ esse, quod pro eodem opere postulato modò maiorem, modò minorem indulgentiam concedit; ergo videtur, quod proportio operis postulati non requiratur ad valorem indulgentiæ.

1. Ratio.

2. Ratio.

3. Ratio.

283 Hæc sententia adducitur à D. Bonau. vbi suprà, & reijcitur pp illã rationem, quia hęc positio, vt verbis illius Reijcitur.

vtar, videtur nimis magnum forũ facere de indulgentijs: ac per hoc facit potius ad vilificationem ipsarum, quã ad laudem. Respondet D. Th. vbi suprà hanc rationem non valere, quia sic dicendo, *non fit magnum forum de indulgẽtia, siue de misericordia Dei, nec diuinæ iustitiæ derogatur, quia inquit nihil de pœna dimittitur, sed vnius pœna alteri computatur.*

Reijcitur.

284 Ceterùm hæc responsio D. Thomæ à Recentioribus, etiã Thomistis reijcitur propter rationes adductas in principio huius capitis, quæ contra opinionem allatam habent maximam vim. Nam licèt per concessionem indulgentiæ nihil de pœna dimittatur; sed vnius pęna alteri computetur, tamen hæc computatio debet fieri modo debito conuenienti, nimirum iustè: quoniam fit per dispensationem pœnarum, & meritorum Christi, & Sanctorũ, quæ sunt in thesauro ecclesiæ; Pontifex autem faciens hãc dispensationem, non est Dominus illius thesauri, sed dispẽsator; dispensator aũt fidelis esse debet, non dilapidator, quia hæc potestas data est illi in ędificationem, non in destructionem. Vnde sicut non potest validè facere hanc dispensationem sinè causa pia, vt suprà diximus, ita videtur dicendum non posse validè has indulgentias dispensare, nisi postulet opus proportionatum indulgentiæ, q̃ cõcedit quia si non esset dispensator fidelis, sed prodigus, & dilapidator; neq. hæc dispensatio esset conformis legi diuinæ, & sic esset nulla, vt suprà dicebamus; vilescerẽt ẽt indulgẽtię, & suo fructu, & effectu carerent. Cõtra eandẽ opinionẽ faciunt rationes, quæ infrà pro opinione vera adducentur.

2. Opinio.

285 Secunda opinio fuit quorundam, qui dixerunt limitando pręcedentẽ opin. ꝙ sola causa pia non est semper sufficiens, vt quis lucretur totam indulgentiã, seu indulgentiam, vt sonat: quia potest contingere, ꝙ causa, seu opus postulatum decrescat; sed aiunt tunc posse suppleri defectum illius causæ ex deuotione lucrantis: probatur, quia indulgẽtia concessa per quãcũque causam, dummodo sit pia, semper obtinet aliquem effectum. Si causa est proportionata obtinet totum effectum, qui in forma cõcessionis explicatur. Si causa, & opus postulatum sit deficiẽs, & non proportionatum, adhuc obtinet aliquem effectum, licèt non totũ quia obtinet effectum proportionatum operi postulato, vt (v.g.) si concedat indulgentiam decem annorum, & causa non sit proportionata tãto effectui; sed solũ quinq. annis; faciens tale opus, lucrabitur indulgentiam solũ quinq. annorũ: põt aũt contingere, ꝙ ex parte lucrantis tanta deuotione fiat illud opus, vt ratione illius deuotionis augeatur effectus ad decem annos: & sic licèt causa per se non sit sufficiens ad lucrandum totum effectum significatũ in indulgentia; tamen ratione deuotionis sit sufficiens.

Reijcitur.

286 Hæc opin. cõiter reijcitur, quia deuotio, seu fides, seu gratia lucrantis, nõ est causa indulgentiæ, nec ratio pp q̃ recipitur: immò neque est dispositio requisita ad effectũ indulgentiæ consequendam: licèt alia ratione deuotio illa augeat merita ipsius lucrantis, sicut oẽ opus bonum quãto maius est, & maiori deuotione factum, tanto maius meritum merenti parit: sufficit.n. vt suprà diximus ex parte recipientis indulgentiam, quod non sit in peccato mortali.

3. Opinio, quæ est vera.

287 Tertia opinio, quã puto veram, est, ꝙ ad hoc vt indulgentia sit valida, necesse est, ꝙ causa, & opus postulatũ, non solùm sit pium, sed proportionatum indulgẽtiæ, quia tunc est ẽt iustum, & est iusta causa concessionis indulgentiæ. Hanc sententiam tenet D. Bonau. vbi suprà q. 6. tribuitur Alberto Magno in 4. d. 20. a. 17. Adriano ĩ materia de indulgẽtijs, conc. 1. Aug. de Anchona lib. de potestate Papæ q. 30. a. 5. eam tenent Recentiores, Caiet. Opusculo 15. de indulgentijs ad Iulianũ c. 8. Soto in 4. d. 21. q. 2. a. 2. Suarez disp. 53. sect. 3. & alij ab eo citati. Anteq̃ aũt eã probemus, oportet eam declarare, sic.n. facilius patebit veritas. Obseruandũ est ergo, ꝙ opus postulatũ põt tribus modis habere proportionem ad indulgentiæ effectum; vel.n. est ęquale, ita qđ tantum est opus, quãtus est effectus indulgẽtiæ; vel excedit; vel exceditur: pportio, q̃ requiritur in proposito, est proportio æqualitatis, qñ ergo opus tm̃ est, quantus est effectus indulgentiæ, procul dubio valet indulgẽtia. Si verò opus, & causa sit inæqualis, sed excedat effectũ indulgentiæ, nõ est dubiũ ẽt tunc valere, qa adest ęqualitas, & aliquid amplius ex parte causæ, & operis postulati. Si verò sit inæquale, sed ẽm defectum; sic dicimus non sufficere ad valorem indulgentiæ, vt totaliter effectũ, ꝙ explicatur, lucretur, sed lucrabitur effectum sibi proportionatũ ẽm æqualitatem, vt si indulgentia sit decem annorum, & opus postulatum valeat tantùm quinque annorum, lucrabitur tantùm quinque annos, quod cõmuniter cõceditur.

Obiectio.

288 Quod si quis obijciat dictũ est suprà, quod qui facit tm̃ partem operis postulati, nõ lucratur indulgentiã; ergo si causa non est proportionata effectui secundùm æqualitatem, sed solùm ẽm partem, nõ lucrabitur aliquid indulgentiæ, quia vel tota, vel nihil est lucranda: quia effectus indulgentiæ est indiuisibilis.

Solutio.

Respondetur, non esse parem rationem, quia in primo casu non exequitur totum opus postulatum in concessione: intentio autem cõcedentis est vt totum opus completè fiat; ideò indulgentiæ effectus nõ obtinetur. In secundo verò casu totũ opus impletur: ideò producit effectum suum: producit autem tantùm sibi proportionatum: ideò cum sit decrescens non potest producere totum effectum, sed producit partem sibi æqualem.

Quænam pportio sit hęc inter causam, & effectum indulgentiæ.

289 Vbi pro vera intelligentia hujus opinionis est obseruandum, quænam sit hæc proportio æqualitatis, & inæqualitatis inter opus postulatum, & effectum indulgentię: hoc enim causat obscuritatem; ideò est dicendum, quod hæc proportio nõ est meriti, & præmij, vel satisfactionis, & remissionis, itaqđ in re opus tm̃ debeat esse meritorium quantus est effectus; vel quod debeat esse in re tm̃ satisfactorium, quanta est remissio pęnæ, quia sic procedit ratio D. Th. ꝙ hæc tunc non esset indulgentia, sed commutatio, ꝙ tolleret rationem indulgentiæ; sed est proportio æqualitatis ẽm prudentem existimationem concedentis indulgẽtiam: adeo quod illa causa, & opus est sufficiens, & adęquatum valori, & effectui totali indulgentiæ, ꝙ cõcedens pensatis hinc inde omnibus circũstantijs videtur sufficiẽs causa concessionis tãntæ indulgentiæ. Vnde hęc adęquatio, & æqualitas non cõsistit in indiuisibili, sed habet latitudinẽ: sicut medium ad consequendũ finem habet latitudinẽ boni melioris, & optimi: pp quod fit, vt quandoq. pro eodem opere maior, vel minor indulgentia concedatur: ẽm enim diuersam, & prudentem existimationem concedentis pp diuersas circũstantias idem opus crescit, & discrescit in valore. Quod non est inconueniens in concessione indulgẽtiæ: sicut non est inconueniens hęc latitudo in impositione satisfactionis in sacro pęnitentiæ, vt diximus suprà cũ Scoto, q̃ opinionem Recentiores ẽt sequuntur, Corduba q. 6. de indulgentijs, & q. 22. Suarez vbi suprà disp. 53. nu. 10. & hoc est, quod aliqui Doctores dicunt causam debere esse piam, & iustam secundùm æstimationem.

1. Ratio p allata opin.

290 Hæc opinio probatur. Primò p rationes adductas nunc suprà contra opin. D. Th. Secundò confirmatur validè ex bullis Summorum Pontificum, qui asserunt in indulgentijs concedendis requiri non solùm causam piam, sed etiam iustam, & rationabilem, vt patet in Extrau. Clemẽtis VI. *Vnigenitus*, de pęn. & remiss. & Epistola Leonis X. ad Caiet. qui vtũtur illa voce, *rationabilibus causis*. Et Martinus V. in Conc. Constant. sess. vltima coniungit illa duo verba *ex causa pia & iusta*. Et Innocẽtius III. in cap. *cum ex eo*, de pęnitentijs, & remiss. superfluas indulgentias vocat indiscretas, idest irrationabiles, easque vt perniciosas damnat. Illæ autem indulgentiæ sunt superfluæ, quæ largius conceduntur, quàm causa postulat, quantum vis pia sit; ergo causa pia vltra pietatem, requirit adæquationem, & proportionem; sed nulla alia assignari potest, nisi prædicto modo, vt patet ex dictis, quia hic non attenditur æqualitas secundùm meritum in re; ergo secundùm prudentem æstimationem concedentis intelligitur.

2. Ratio.

3. Ratio.

291 Tertiò. Quantũ excessio indulgentiæ excedit causam, tm̃ in illa cõcedit' sinè causa, & volũtariè; ergo quò ad totũ illũ excessũ indulgẽtia nõ ẽ valida. Antecedẽs ẽ clarũ,

quia

qua quod non conceditur ex iusta causa ex propria volūtate conceditur. Consequentia verò probatur, quia omnis concessio facta pro voluntate sine pia causa secundùm omnes est nulla.

4. Ratio. 292 Quartò. Si sufficeret pia causa sine proportione debit., & iusta, vt dictum est, sequeretur, quod satis esset effectus misericordiæ v.g. ad animas purgatorij: nam hic per se est pius, & honestus. Item esset valida, si quis concederet alicui, vt semel recitando pater noster liberaret decem animas, vel etiam omnes ex purgatorio, quia etiam ista est pia causa. Hæc tamen absurda sunt, & inconuenientia; ergo vltimò hæc opinio maximè confirmatur ex solutione rationum pro opinione contraria, ad quas facilis est responsio.

Ad primā rōnem pro priori snīa. 293 Ad primam rationem pro priori opinione respondetur, rationem illam probare causam, seù opus postulatū pro consequenda indulgentia non debere esse adęquatū in ratione meriti ad indulgentiam; quia tunc rectè sequitur, quod indulgentia concessa propter illud, non esset indulgentia, sed commutatio: at non probat illa ratio, quod opus postulatum non debeat esse proportionatum indulgentiæ secundùm prudentem ęstimationem concedentis, vt diximus.

Ad secūdā. 294 Ad secundam respondetur thesaurum quidem ecclesiæ esse causā principalē effectus indulgentię, sed est causa effectus indulgentię in suo genere, nimirum efficiens: at non excludit necessitatem aliarū causarū, præsertim finalē. Opus aūt postulatum est finis mouens concedentem indulgentiam: nam Pontifex concedit indulgentiā sub illa conditione, vt opus postulatum fiat; opus ergo postulatum est causa finalis, & ratio pp q̄ indulgentia lucranti applicatur: & hāc nos dicimus dēe esse proportionatā indulgētię.

Ad tertiā. 295 Ad tertiam respondeo idē opus diuersis circunstātijs circunstantionatū esse maioris, & minoris valoris, quę circunstantiæ diuersæ diuerso modo mouēt aīum concedentis indulgentiā, vt diximus, explicando opin. hanc. Vnde non est mirum, quod diuersi Pontifices pp idem opus diuersas indulgentias modo maiores, modo minores concesserint, quia etsi opus illud idem materialiter sit, tamen moraliter, & secundùm diuersas considerationes, & circūstantias potest esse maioris, & minoris valoris.

De forma concedendi, & applicandi indulgentiam. Caput Decimum.

296 DVobus modis solet concedi indulgentia à Pontificibus, & alijs habentibus ptātē illas cōcedēdi. Aliquando enim Papa concedit indulgentiā alicui eo ipso, φ ille fecerit tale, vel tale opus, & sit in gratia, habeat v. g. indulgentiam plenariam, & hæc indulgentia dicitur ipso iure, seu facto concessa. Aliqn̄ Pontifex nō concedit ipse de facto indulgentiam, sed concedit alteri facultatem, vt tali tempore, &c. possit absolui ab oī culpa, & pœna, vt concedere alicui indulgentiam plenariā in articulo mortis. Isti duo modi sunt diuersi, quia in primo in concessionē factā à Pontifice nō requiritur actus alterius hominis, vt indulgentia effectum sortiatur, sed eo ipso, φ homo moritur in illo statu, qui requiritur in indulgētia, ex cui illius cōcessionis absoluitur actu à tota pęna, & obtinet effectū indulgētiæ. In secundo modo verò pręter primariā concessionē factam à Pontifice, requiritur actus alterius hominis, qui de facto absoluat, vt effectus indulgētiæ sequatur. Nā in priori modo indulgentia dat ipsam remissionem pęnæ: in secūdo verò indulgentia dat ptātem delegatam remittendi pęnam immediatè: actū verò, seù remissionē pęnæ, remotè, & mediatè. Cum ergo isti modi diuersū effectū habeāt, & sint diuersi, necesse est, φ hæc diuersitas proueniat à diuersitate formæ seruatæ in illis, iuxta vulgatā propositionē cōmuniter acceptā. Indulgentię tm̄ valent, q̄tū sonant, q̄ oēs admittunt; in qua significatur habendam esse rōnē ad formam, licèt auctores antiqui de illa deinde non multū loquuti fuerint. Quod aūt diuersitas horū modorum proueniat ex formis eorū diuersis, patet ex eo, quia non pōt aliūde prouenire. Non. n. à ptāte efficientis, seu concedentis indulgētias prouenit: quia hæc indifferenter respicit vtrumq. modū, neque interior voluntas inter homines aliquid operatur, nisi verbis explicatur, vt aliquo signo (suppono enim aliquā formā sensibilē requiri in cōcessione indulgentiæ, quia etsi potestas ecclesiastica sit spiritualis, est tamen sensibilis, & sensibiliter, & humano more fit, & ministratur licèt spiritualiter operetur) indulgentia aūt est absolutio, & relaxatio à pęnis, quæ fit inter homines; ergo certis verbis, & forma fieri debet. Deinde forma est, q̄ dat esse, & quidditatem, & consequenter omnem virtutē, & effectum rei: ideò rationabiliter hæc differentia ascribitur formæ: ideò de forma vtriusque est breuiter disserendum.

Fab. de Indulgentijs.

297 Quantum ergo ad primum modum concedēdi indulgentias, non requiritur alia forma præter eā, quæ habetur in concessione indulgentię, quæ diligenter est obseruāda, quia iuxta significationē verborū est eius valor, & effectus. In secundo modo verò duplex forma est necessaria. Primò in cōcessione facta à Pōtifice. Secundò requiritur alia forma in absolutione actuali, quę ab eo tūc profertur, quando actu indulgētia ei, qui eam lucratur, cōfertur. Cū enim (v.g.) Pontifex in concessione indulgentię dicit oībus contritis, & confessis, & ieiunantibus tot diebus, &c. concedimus indulgentiam plenariam, statim peractis his operibus postulatis indulgentia habet suum effectum in sic operāte, absque vlla alia absolutione facta ab aliqua persona & hæc forma spectat ad primum modum. Quando verò Pontifex in concessione indulgētię (v.g.) dicit oībus existētibus in tali confraternitate, & faciētibus talia, & talia opera concedimus facultatē, vt in articulo mortis possint absolui ab omni culpa, & pęna; tunc præter formā hanc, qua Papa concedit hanc indulgentiam, requiritur alia forma, qua ab alio actu, & de facto illi applicetur indulgentia, & actu ei relaxetur pœna, & obtineat liberationem ab omni pœna debita sus culpis remissis in purgatorio. Papa enim in concessione hoc secundo modo non absoluit de facto, sed dat potestatem alij absoluēdi factis illis operibus: ideò requiritur duplex forma. In priori modo verò concedendi indulgentiam Papa actu absoluit, licèt statim nō operetur, nec habeat effectum, quia est conditionata, sed tunc solùm quando conditio est adimpleta, nimirum cum opus postulatum est adimpletum.

298 Quantum ad formā concessionis indulgentiæ in priori modo non potest certa regula verborum præscribi, quia pendet ex stylo, & vsu curiæ, qui solet interdum variari: & ideò semper verba sunt diligenter inspicienda, vt dictum est. Tamen est obseruandum, quandoque cum concessione indulgentię concedi etiā alios fauores, & gratias; vt fit in concessione Iubilæi; vbi non solùm conceditur indulgentia, idest absolutio à pęna tēporali debita pro culpis remissis, quæ est propriè indulgentia, sed ēt conceditur facultas, vt possint à culpis reseruatis, & censuris absolui: quæ tota concessio solet sumi pro forma indulgentiæ Iubilęi, licèt diuersa sit forma indulgentiæ à forma concessionis aliarum gratiarum. Aliquando verò sola, & simplex indulgentia conceditur, sinè vllis alijs fauoribus. De forma cōcessionis indulgētiæ primo modo.

299 In primo modo nimirum cum indulgentia, & fauores ac priuilegia simul concedūtur actu, & de facto obtinenda, obseruandum est, an alij fauores concedantur in ordine ad indulgentiam, vel absolutè per se. Si per se concedantur, neque ordinentur ad indulgentiam, nihil occurrit hic dicendum, sed obseruanda sunt concessionis verba pro vt sonant. Si verò habent ordinem ad indulgentiam, hoc potest tribus modis contingere. Nam vel fauor antecedit indulgentiam, & in ordine ad indulgentiam consequendam conceditur, vt cum conceditur in Iubilæis facultas absoluendi à casibus reseruatis: & tunc hæc concessio absolutionis à casibus, & similibus potest habere effectum suum, etiam si indulgentiam actu quis non consequatur. Sufficit enim, quod dum actu confitetur reseruata, & absoluitur à censuris, habeat intentionem lucrandi

indulgentiam. Quod si deinde sequatur impedimentum, vel malitiosè nolit lucrari indulgentiam, hoc nihil obest effectui prædicto, quia prior effectus non potest pendere ex futuro euentu, sed tunc habuit esse suum. Vel fauor subsequitur ad indulgentiam, & ab indulgentia pendet tanquam à conditione prærequisita, vt si forma concessionis sit hæc. *Quicunque talẽ indulgentiam consecutus fuerit possit tpe interdicti in loco sacro sepeliri*, & hmôi: & tunc impedita indulgentia quacunque causa, vel culpabili, vel nõ culpabili, hoc priuilegium, & fauor non habet effectum, quia pendet ab indulgentia de facto obtenta tanquam à conditione necessariò requisita: ideo illa non adimpleta, nihil ponitur in esse. Aliquando indulgentia, & priuilegium simul concurrunt, licèt vnum propter aliud concedatur, vt v.g. si in concessione indulgentiæ postulentur ieiunium, visitationes certæ ecclesiarum, confessio, & tandem communio, qua habita, statim detur indulgentia: & propter hoc concedatur, vt in loco interdicto possit sumi communio: tunc dicendum est, quod cum reliqua opera postulata, vt ieiunium, visitationes, &c. sunt adimpleta, simul, & semel habent effectum suum indulgentia, & priuilegium, idest simul potest communicari in loco interdicto, & lucrari indulgentiam: at si aliquod opus ex postulatis sit ommissum non potest priuilegium de communicari in loco interdicto habere locum: neque sufficit animus adimplendi, neque bona fides, quia adimpletio operum postulatorum est conditio requisita ad effectum obtinendi priuilegium illud; conceditur enim illud priuilegium pro eo casu.

De forma solutionis Ise.

300 Loquendo verò de forma sola ipsius indulgentiæ (licèt, vt dixi, forma variari possit) communiter est conditionata, & aliqua verba spectant ad postulationem operis, quod tanquam conditio requiritur: & alia ad ipsam concessionem indulgentiæ. Priora sunt huiusmodi. *Qui hoc, vel illud fecerit*, &c. Posteriora sunt huiusmodi, *hoc vel illud consequatur*: & similia. Priora pertinent ad disputationẽ, seu ad conditionem requisitam ad consequendũ indulgentiam, & ad declarandum tempus, quo conceditur. Posteriora pertinent propriè ad essentiam concessionis indulgentiæ. In prioribus est obseruandum, an illa præcisè pertineant ad opus postulatum, quod tanquam dispositio prærequiritur, an verò limitent indulgentiam: in illis enim quandoque ambiguitas contingere potest. Datur exemplum. Vt cum in forma concessionis indulgentię ponuntur illa verba *contritis, & confessis*: nam possunt referri ad personas: & sic pertinent ad opus postulatum, scilicet ad dispositionem personarum ad recipiendum indulgentiam: sensus enim est, quod qui volunt lucrari, & consequi effectum indulgentiæ sint confessi, & contriti: possunt etiã referri ad peccata de quibus habetur contritio, & facta est confessio. Et tunc est conditio limitans indulgentiam secundùm aliquos: & sensus est, quod conceditur indulgentia non de omnibus peccatis, sed de illis, de quibus ille habet contritionem, & quæ confessus est. Sed hæc expositio verborum illorum, *contritis, & confessis*, licèt aliquando posset habere locum, quia verba illa possent habere hunc sensum; tamen regulariter in concessionibus indulgentiarum adeò clarè ponuntur, vt nulla sit ambiguitas, sed disertè apparet ea referri ad personas.

301 Quò ad verba verò, quæ pertinent propriè ad essentiam formæ concessionis, hoc est obseruandum, quod illa debent esse determinata; ita quod significent indulgẽtiam, vel totalem omnium pœnarum debitarum, quæ plenaria dicitur, vel significent aliquam partem determinatam, vt tot annorum, vel dierum: nisi enim determinetur nihil efficit secundùm omnes; vt si Pontifex diceret, qui fecerit hoc, vel illud *consequatur indulgentiam*, & nihil aliud, nihil concederet: quia effectus omnis in re est determinatus, & nullus indeterminatus datur, nec est dabilis: ideò talis forma indeterminata nullum effectum indulgẽtiæ producere potest. Vnde sunt in vsu varij termini quãtitatem indulgentiæ declarantes, vt quarantenæ, septenæ, plenariæ, &c. de quibus dictum est suprà capite.

De forma concessionis indulgentiæ in futurũ obtinenda.

302 Loquendo verò de forma concessionis indulgentiæ posteriori modo, idest in futurum per alium actu concedendæ, in qua diximus esse duas formas: alteram qua concedens concedit indulgentiam: alteram qua vtitur ille, qui exequitur potestatem sibi concessam concedendi indulgẽtiam actu, si sit sermo de prima, forma ea obseruãda sunt, quæ superius nunc in alio modo concedend indulgentiam dicta sunt: si verò sit sermo de secunda forma, qua nimirum actu confertur indulgẽtia, quæ per priorem concessionem actu non fuit data, sed solùm fuit concessa potestas eam concedendi. Respondeo, eandem formam esse seruãdam, quam seruat ipse Summus Pontifex, quando cõcedit indulgentiam de facto. Solùm adest hæc differentia, quod quando Pontifex concedit actu indulgẽtiam, solet apponere semper conditionem, qua adimpleta indulgentia habet effectum, e.g. solet esse talis, *Si feceris hoc, vel illud, concedo tibi tot annos indulgentiæ*. Cum autẽ fuit data prius potestas concedendi indulgentiam, & actu aliquis exequitur illam potestatem, iam supponitur adimpleta conditio: ideò forma debet esse absoluta, vt e.g. *Concedo tibi tot annos indulgentiæ*. Vel quid simile, iuxta tenorem priuilegij; & ista verba sufficiunt, vt obseruarunt Nauarrus comm. de Iubileo, & indulgentijs, notabili 30. & alij citati ibi ab ipso, vbi asserit hanc esse formam huius actualis concessionis. *Auctoritate sedis Apostolicæ mihi pro nunc concessa, concedo tibi plenariam remissionem peccatorum tuorum, de quibus es corde contritus, & ore confessus, exceptis ijs, quæ ex confidentia huius indulti cõmisisti*. Dicit tamen non omnia, quæ posita sunt in hac forma esse necessaria, neque quod absoluens vtatur his verbis: quia nullibi cauetur, quod absoluens debeat vti his verbis: idẽ tradit Suarez disp. 56. sect. 1. num. 5. & alij, quos ibi citat. Vnde licèt in bullis longissimæ formæ apponi soleant ad has indulgentias concedendas: tamen vt omnes Doctores obseruant, non est necessarium, omnes illas proferre: nec ordinariè à Pontifice ponuntur, sed à Cõmissarijs, qui Bullas transcribunt. Addit verò Suarez illam particulam absoluo te à peccatis, *exceptis his, quæ confidentia huius indulti commisisti*, quæ ex D. Antonino sumpta est, non solùm non esse necessariam, sed potius posse nocere, si indultum id non habet, etsi habet, non est necessaria, nec prodest. Et idem est de omnibus verbis similibus, iuxta prædictos Doctores.

An verbũ absolutio à peccatis in hac forma rectè ponatur.

303 Dubium tamen occurrit, an in hac forma sufficiat vti verbo absoluo te à peccatis, an verò requiratur declaratio, quod absoluit à pœna, non à culpa: & an requiratur specificatio tantæ indulgentiæ. Ad hoc respondent multi, absoluentem debere vti forma indulti: aiunt enim ministrum delegatum debere exequi mãdatum ea forma, qua concedens indulgentiam vsus est: & consequenter aiunt esse necessarium, vt saltem determinet formam hanc per relationem ad indultum, vt v.g. dicendo sic *Cõcedo tibi indulgentiam iuxta tale indultũ*. Et Nauarrus vbi suprà nu. 8. videtur requirere formam in qua hæc relatio ad indultum explicetur, licèt vt dixi, teneat nullam formã verborum esse præscriptam, sed sufficere quæcunque verba, quæ illam significant. Suarez tamen, cuius opinio etiam mihi probatur, loco citato tenet nihil horum esse simpliciter necessarium, sed sufficere quodcunque verbum significans remissionem de præsenti, seu indicatiui modi huic personæ concessã, vt *remitto tibi*, vel *absoluo te*. Adeò quod duo sunt necessaria simpliciter. Primum verbum absoluo, vel remitto, vel aliud idem significans. Secundum illud pronomen, te, vel tibi, vel ęquiualens: reliqua verò verba pertinentia ad declarationem materiæ, quam remittit, seù à qua absoluit, an sint peccata, vel pœnæ, vel quantitas pœnæ, vt tot annorum, &c. nequaquam esse necessaria. Ratio est, quò ad primam partem, quia sinè illo verbo, vel æquiualenti, nulla habetur absolutio, vel relaxatio: cum enim in ipso formaliter consistat significatio absolutionis; illud verbũ pronomẽ, te, vel tibi, vel æquiualens, est necessarium, quia

sinè

sinè illo non habetur completa significatio; neque practica, quæ debet esse circa singularia, & determinatam personam, vt dictum est in simili circa formam sacramentorum, vt baptismi, & aliorum. Secūda pars probatur: quia satis est, quod determinatio materiæ, à qua quis absoluitur, vel quantitas eius mente concipiatur, & intendatur simul cum alijs circunstātijs, sicut est relatio ad indultum; etiam si in forma non exprimantur. Ex quo colligitur, quod cū quis in articulo mortis absoluitur à peccatis per confessionem sacramentalem per idem verbum *absoluo*, quo absoluit à peccatis, posse etiam illi applicare indulgentiam, & eum liberare à pœna, quæ per indulgentiam relaxatur. Ratio est, quia verbum absoluo potest esse commune ad peccata, & ad pœnas debitas peccatis: ideò sufficit intentio in sacerdote, absoluendi eum à peccatorum culpis sacramentaliter, & à pœnis temporalibus debitis per indultum indulgentiæ sibi concessæ.

Nō est necessariū, vt cui cōcedit indulgētia ītelligat sibi concedi.

304 Neque est necessarium, quod is, cui conceditur indulgentia, intelligat sibi concedi indulgentiam; quoniam absoluitur à peccatis, etiam is, qui nihil intelligit de absolutione à peccatis; ergo idem in proposito est dicendum. Differunt verò in hoc absolutio à peccatis, & absolutio indulgentiæ, quod prior non potest conferri nisi habita confessione peccatorum verbis, vel nutibus, vel saltem petitione ipsius absolutionis. Absolutio verò indulgentiæ potest concedi nulla facta petitione eius absolutionis, sed sufficit, quod aliquo signo, & aliquibus coniecturis constet illum esse in gratia, licèt non fuerit absolutus sacramentaliter propter v. g. repentinum morbum, quo amisit omnem sensum; sufficit enim virtualis voluntas, quam in eo casu præsumitur habere.

Indulgētię absolutio pōt cōferri nō cōfesso, dūmodo ad sint signa, quod sit in gratia.

Etiā si confessarius ignoret pęnitētē hr̄e tale indultū, pōt illā ei concedere.

305 Additur, confessorem posse in confessione sacramentali per verba absolutionis ipsum absoluere, ne dum à culpis, sed etiam talem indulgentiam concedere, etiam si confessarius ignoret illum habere tale indultum indulgentiæ, neque ipse pœnitens illam petat, vel propter obliuionem, vel ob aliam aliquam caussam; dummodo in absolutione intendat absoluere pœnitentem ne solùm à culpa, sed etiam à pœna quantum potest quocunque titulo, idest nedum per virtutem sacramenti, sed virtute cuiuscunque alterius indulti. Vnde est optimum consilium, vt sacerdos in absolutione à peccatis in sacramentali absolutione habeat hanc intentionem absoluendi pœnitentem ab omni vinculo, quo detineatur, quocunque titulo, & modo possit. Hæc enim intentio de se est bona, & verba sufficienter illam explicant, & nullum est periculum sacrilegij, quia est conditionata, intendit enim absoluere ab omni eo, à quo potest. An verò requiratur, quod minister absolutionis indulgentiæ sit sacerdos, dictum est suprà agendo de causa efficiente indulgentiam, vbi diximus non requiri, vt sit sacerdos, quia hæc potestas non est ordinis, sed iurisdictionis: ideò nisi specialiter in indulto præscribatur, non est necessarium, vt sit sacerdos. Vnde si pœnitens iam sit confessus sacramentaliter, & præsumitur in statu gratiæ, poterit per non sacerdotem obtinere absolutionem indulgentiæ à non sacerdote. Reliqua vide vbi suprà.

Absolutio indulgētiæ pōt cōcedi à non sacerdote.

De forma delegationis potestatis cōcedendi indulgētiam.

306 Quæ dicta sunt valent de forma, qua vtitur concedens indulgentiam, quando ipsam actu lucrandam cōcedit sinè actu alterius personæ; & quando eam concedit lucrandam mediante actu, & absolutione faciēda ab alia persona. Restat dubium de forma quando Papa, vel habens facultatem concedendi indulgentiam, ipse actu non concedit indulgentiam, sed concedit alicui potestatem concedendi indulgentiam, quæ est potestas delegata, de qua suprà diximus, agendo de causa efficiente indulgentiæ, quæ forma verborum sufficiat. Respondetur, quod in delegatione potestatis cōcedēdi indulgentias, cōcedēs potest vti verbis generalibus, vel determinatis. Verba generalia possunt esse duplicis generis. Primum est, quod sint communia tam indulgentijs, quàm absolutioni sacramētali à peccatis, vt v. g. *Concedo tibi facultatem meam ad remittenda peccata*, & ista non sufficiunt. Ratio est, quia similia sunt verba Christi dicta Apostolis, *quorum remiseritis peccata*, &c. & tamen non dicimus, quod per talia verba concesserit Christus Apostolis facultatem concedēdi indulgentias; sed per illa dicta Petro Matthæi 16. *Tibi dabo claues*, &c. deinde est illud principium Iuristarum, *quod sub concessione generali non veniunt ea, quæ non esset quis verissimiliter concessurus in specie* in cap. 2. de pœnit. & remiss. in 6. Secundo modo, quod sint communia indulgentijs tantùm, & intra latitudinem indulgentiarum contineantur, vt si quis dicat concedo tibi facultatem concedendi indulgentias, vel quid simile: & ista quidem sufficiunt ad concedendum indulgentiam: quia clarè significant concessionem potestatis indulgentiæ. Tamen adhuc potest esse difficultas, quæ, & quanta indulgentia in tali forma concedatur. Ad quod dicitur, quod si in hac forma generali addat signum distributiuum, *Quoscunque*, vel quid simile; clarum est, vt ait Suarez, Pontificem, seu concedentem, illi concedere totam suam potestatem; sed huiusmodi concessio non est in vsu apud Pontificem; esset enim indiscreta. Si verò non apponatur signum distributiuum, sed indefinitè dicat, concedo tibi facultatem indulgentias largendi; inquit Suarez in hoc casu esse distinguēdum: nam vel concedens est Episcopus, vel Summus Pontifex. Si est Episcopus, ait æquipollere vniuersali, & sēsum esse concedere totam suam potestatem, quam habet concedendi indulgentias. Ratio est, quia potestas Episcopi concedendi indulgentias est satis limitata, & proinde est verisimile, quod in tali modo loquendi intendat concedere totam suam potestatem; & deinde si non intenderet concedere totam, sed partem, esset impossibile intelligere quam partem, & sic non haberet effectum. Si verò sit Pōtifex non est præsumendum æquipollere vniuersali: quia esset indiscreta concessio, quod Papa absolutè concederet totam suam potestatem concedendi indulgentias alteri. Et ad hoc facit principium Iuristarum, nunc suprà adductum ex cap. 2. de pœniten. & remiss. in 6. & hæc sunt quidem probabiliter vera. Si verò verba concessionis sunt specialia, cessat omnis ambiguitas: inspicienda enim sunt, & ponderanda, quia tantum valent, quantum sonant.

Quādo verba sunt ambigua quō interpretāda.

307 Cęterùm hoc loco occurrit grauis difficultas, an quando verba formæ sunt ambigua, vt puta circa opus postulatum ad consequendum indulgentiam, vel circa quantitatem indulgentiæ, vel circa priuilegia, & fauores, quæ cum indulgentia sæpè concedi solent, vt diximus suprà, debeant interpretari fauorabiliter, vel stricto modo. Respondeo, hic sunt tres opiniones. Aliqui dicunt stricto iure esse intelligenda; sic Nauarrus comm. de Iubileo, & Indulgentijs, num. 8. & 9. & auctores ab eo citati, & citati à Suarez disp. 56. sect. 2. num. 1. Fundamentum est, quia indulgētia etsi videatur res fauorabilis respectu personæ, cui conceditur, tamen loquendo absolutè est res odiosa; & propter hoc restringenda. Antecedens probatur per vsum Ecclesiæ, quæ in cap. *Cum ex eo*, de pœnit. & remiss. fecit magnam restrictionem indulgentiæ, addens hanc rationem, quia per nimias indulgentias pęnitentialis satisfactio eneruatur. Pręterea, omnis dispensatio in iure communi est odiosa, multo magis in iure diuino; sed indulgentia continet dispensationem in iure diuino; ergo addunt alias rationes Nauarrus vbi suprà, & alij pro ea, sed istæ sunt potiores.

1. Opinio.

308 Secunda sentētia est in alio extremo. Asserit enim esse interpretanda iure fauorabili. Hanc tenet Syluester verbo *Indulgentia*, num. 8. in fine, & num. 20. & 21. Angelus num. 2. & alij auctores citati à Suarez pro hac opinione vbi suprà num. 3. Fundamentum huius opinionis est, quia indulgentia est beneficium Principis, & ideò latissimè interpretandum, quando sine præiudicio tertij fieri potest, iuxta cap. *Olim*, de verborum significatione. Pręterea est opus charitatis, & misericordiæ afferens commodum ei, cui conceditur factum ex potestate à Deo concessa de thesauro Ecclesiæ, qui ob hoc non minuitur, cum sit

2. Opinio.

infinitus:

infinitus: neque Ecclesia leditur, sed potius per remissionem pœnarum purior fit in suis membris..

3. Opinio. 309 Tertia opinio est Suarez vbi suprà, n. 4. & sequentibus, qui media via inter has duas extremas opiniones incedere nititur. Distinguit enim quod indulgentia duobus modis cõsiderari potest, vel respectu potestatis concedendi, vel respectu concessionis actualis indulgentiæ. Si consideretur primo modo, inquit indulgentiam esse materiam odiosam, & esse restringendam: atque hoc modo procedere rationes pro priori opinione adductas. Si secundo modo consideretur est iure fauorabili interpretanda; & hoc modo procedere rationes pro secũda opinione.

Iudiciũ de hac opinione. 310 Quidquid sit de re. Hæc distinctio mihi non satis apta videtur: nam quomodo potestas concedendi indulgentias sit res odiosa, non intelligo. Potestas enim faciendi beneficium, & misericordiam non est ex se res odiosa, sed aprimè fauorabilis; abusus quidem illius, & indiscreta dispensatio est res odiosa, idest mala: at non potestas ipsa, sicut euenit de omnibus potestatibus. Aliud enim est loqui de potestate, aliud loqui de vsu potestatis. Limitationes factæ ab Ecclesia ex Summis Pontificibus circa cõcessionem indulgentiarum non sunt, quia potestas sit res odiosa, sed ad tollendum abusus, & indiscretam dispensationem: punitio, seu inflictio pęnæ est res odiosa, non concessio indulgentiæ. Similiter potestas concedendi priuilegia non est res odiosa, sed fauorabilis, & ad virtutem alendam inuenta. Dispensatio enim in iure communi cum aliquo non fit, nisi aliqua rationabili causa, vt ad honorandam virtutem specialem alicuius propter bonum allatum Reipublicę, vel aliquod aliud bonum publicum; ergo non est res odiosa; licèt hæc potestas semper sit regulanda secundùm rectam rationem, & causas rationabiles, & iustas, & cum magna moderatione, ne in contemptum veniat propter abusum. Hac de causa in canonibus Sacris, & præsertim in Concilio Tridentino sess. 25. in fine post commendatam potestatem indulgentias concedendi subdit, *in his tamen concedendis moderationem iuxta veterem, & probatam Ecclesiæ consuetudinem adhiberi cupit*, (scilicet Sancta Synodus) *ne nimia facilitate Ecclesiastica disciplina eneruetur*. Et ex his patet ad rationes pro prima opinione.

311 Tandem hic non dubitatur de potestate concedendi indulgentiam, sed supponitur indulgentiam quò ad potestatem concedentis esse certam, & ex parte potestatis nullam esse dubitationem, sed de indulgentia iam concessa continente in forma ambiguitatem. Quantum autem ad hãc partem tenet ipsemet Suarez ibidem num. 8. & sequentibus esse materiam fauorabilem, & esse amplissimè, & latissimè interpretanda, quantum veritas, & proprietas verborum patitur. Vnde videtur coincidere cum secunda opinione. Nihilominus mihi obseruanda videtur regula generalis, quam tradit ibidem, nimirũ, quod vel ambiguitas, & dubitatio est circa potestatem, & valorem indulgentiæ ex parte concedentis; vel dubitatio, & ambiguitas est ex parte quantitatis, aut durationis, aut cõditionum requisitarum in illa indulgentia. Ad hęc enim duo vel tria capita omnis ambiguitas in indulgentijs necessariò reducitur. Si ambiguitas accidat primo modo, verba sunt interpretanda stricto modo: at non ea ratione, quam affert Suarez, scilicet quia potestas concedendi indulgentias sit res odiosa, sed quia ad valorem indulgentię requiritur iusta, pia, & proportionata causa, vt suprà vidimus; & sinè ista non est valida indulgẽtia. Cum ergo adest dubitatio, an indulgẽtia concessa sit propter piam causam, & cum debita moderatione, debet interpretatio fieri strictè, ne vilescant indulgentiæ, & satisfactiones Ecclesię eneruentur, vt asserũt supradicti Sacri Canones. Quando verò est dubitatio de quantitate conditionibus, aut duratione, quia est res fauorabilis, latè est interpretanda iuxta proprietatem, & veritatem verborum, quia nimis excedere, esset additio, non interpretatio.

Corrolariũ Suarez reijcitur. Ex hoc deducit ibi Suarez corrolarium hoc, quod cum in qualibet indulgentia duo contineantur, scilicet impositio alicuis oneris, nempè opus postulatum ad consequendum indulgentiam, & alicuius pœnæ relaxatio, prior pars debet strictè interpretari, posterior largè; adducit rationem, quia prior pars pendet à posteriori, & cum posterior largè sit interpretanda, sequitur quod prior strictè sit interpretanda, quia sic maior fit concessio indulgentię: nam eadem remissio maior est respectu eius, qui minorem, quàm alterius, qui maiorem exhibet satisfactionem. Ego autem puto priorem partem in rigore maiori, quàm verba patiantur esse interpretandam: quia cum sit conditio requisita ad lucrandum indulgentiam sinè cuius adimpletione indulgentia non habet effectum, tutius est eam interpretari in rigore maiori, quàm laxiori. Ratio autem ab eo adducta non video quid concludat: cõcedens enim indulgẽtiam, non intendit facere relaxationem, & indulgentiam respectu oneris postulati, sed respectu pœnæ, quam dimittit, & onus postulatum est conditio requisita ab eo ad effectum indulgentiæ: ideò falsum est quod limitatio oneris sit amplificatio remissionis, quia hoc non intendit concedens indulgentiam.

Vtrum forma indulgentiæ tantum valeat, quantum sonat, & de duratione & reuocatione indulgentiarum. Caput Vndecimum.

Duplex sẽsus quæstionis propositæ. 312 Obseruandum est hanc propositionem. Forma indulgentiæ tantum valet, quantum sonat, seu indulgentiæ tantum valent, quantum sonant, posse habere duplicem sensum. Primus est, quod tanta est indulgentia, & tales, & tot sunt fauores, & priuilegia per indulgẽtiam concessa, quantum verba formæ significant, qui sensus est verus, & nos hunc suprà hucusque intelleximus, cum aliquando diximus indulgentiam tantum valere, quantum sonat; & proinde formę verba diligenter esse inspicienda, licèt coincidat ferè cum secundo sensu. Alter ergo sensus, est, quod indulgentia, seu forma indulgentiæ conferat suscipienti totum illum effectum, quem ipsa forma ex vi significationis verborum promittit; & hic est sensus in quo doctores hanc quæstionem pertractant, cum quærunt, Vtrum forma indulgentiæ, seu, Vtrum indulgẽtia tantum valeat, quantum sonat. Est enim sensus, Vtrum indulgentia conferat totum illum effectum, quem verba formæ significant, & promittunt; & hoc duplex significatum est obseruandum ad fugiendam æquiuocationem in hac disputatione, licèt, vt dixi, parum distent.

1. Opinio. 313 Agendo ergo de hac q. in secundo sensu cum alijs doctoribus hic sunt varij modi dicendi, vt est videre apud D. Bonauenturam in 4. dist. 20. quæst. vltima. Sed multis dimissis, duę sunt extremę opiniones. Aliqui asserunt semper indulgentiam conferre totum effectum, quem verba formæ promittunt, & significant absque vlla ambiguitate, & dubitatione. Hanc opinionem sustinent ij, qui dicunt ad concessionem indulgentiæ nullam requiri causam piam. Sed hoc fundamentũ suprà reiectum est. Eandem opinionem sustinent ij, qui asserunt quidem causam piam requiri, sed eam esse semper quam Papa exprimit in forma concessionis: ideò qui adimplet formam concessionis, infallibiliter consequi totam indulgentiam.

Fũdamẽtũ huius opinionis. 314 Fundamentum huius opinionis est, quia alioquin Pontifices deciperent fideles, promittendo eis effectum, quem non possent, aut certè temerè agerent promittendo vt certum, quod tamen est valdè incertum. Hoc autem repugnat potestati Pontificum, & communi sensui fidelium.

2. Opinio. 315 Altera opinio est in alio extremo, asserit enim nõ esse infallibile, sed solùm probabile, & bonam fidem esse in Ecclesia, quod indulgentia quæcunque etiam discretissima, & ex pijssima causa concessa totum suum effectum conferat: & hæc tribuitur à Suarez disp. illa 56. sect. 3. n. 4. Gersono multis in locis in tractatu de indulgentijs, 2. par. consideratione 8. & 10. & Alphabeto. 33. lit. K. Fundamẽtum huius opinionis est, quia in concessione indulgentiæ semper

ſemper requiritur legitima cauſa, & quod clauis nõ erret; & rurſus, quod Chriſtus eam indulgẽtiam non reprobet. Vnde dato, quod adſit cauſa legitima, & clauis non erret, tamen ſi Chriſtus eam indulgentiam non acceptet, indulgentia non confert effectum promiſſum; de hac autem acceptatione Chriſti non poſſumus eſſe infallibiliter certi, ſed habemus ſolùm bonam fidem.

1. Opinio reijcitur.

316 Ambę iſtæ duæ opiniones ſunt extremæ, & proinde reijciendæ. Prima, quia eſt nimis ampla, nam certum eſt, vt ſuprà diximus ad valorem indulgentiæ requiri cauſam piam, vt contra illam opinionem ſuprà oſtendimus; quia Papa nõ eſt Dominus theſauri eccleſiaſtici, ſed diſpenſator, qui debet eſſe fidelis, & ideo non ſinè rationabili, & pia cauſa debet illum diſpenſare; & ſi hac deficiente attentet, nihil facit: quia poteſtas data eſt illi in ædificationem, non in deſtructionem, vt ſuprà vidimus: & propter alias rationes ibi adductas, ſolet confirmari, quia Papa poteſt diſpenſare vota, ſed requiritur legitima cauſa. Vnde ſi faciat diſpenſationem, & non adſit legitima cauſa, non valet diſpenſatio; & licèt Papa in conceſſione indulgentię adeſſe iuſtam, & piam cauſam exiſtimet, non ſequitur, quod in re ſemper debeat eſſe talis: quia poteſt contingere, quod ipſe decipiatur quantacunque diligentia prudenti habita. Vnde licèt ſit de fide indulgentiam conferre totum ſuum effectum, quem promittit exiſtente cauſa pia; ſicut eſt de fide, quod Papa poteſt diſpenſare in votis exiſtente cauſa legitima; tamẽ non eſt de fide, quod hæc vel illa indulgentia ſit valida, & conferat totum ſuum effectum propter prędictam cauſam: quia potuit Papa in hac re decipi: quia non habet infallibilem aſſiſtentiam Spiritus ſancti, niſi in definitione aſſertionum de fide, & pertinẽtibus ad mores; ſicut eſt de fide, quod Papa poteſt diſpenſare in voto rationabili de cauſa; tamen non eſt de fide, quod hæc vel illa diſpenſatio in voto ſit valida propter eandem cauſam.

Ad diſpenſationẽ votorũ requiritur legitima cauſa.

1. Opinio reijcitur.

317 Secunda opinio quoque eſt reijcienda, quia derogat auctoritati Summi Pontificis, & doctrinæ catholicæ, de indulgentijs: illa enim conditio, quam requirit Gerſon ſcilicet ſi Chriſtus acceptet, eſt omnino irrationabilis, vt ſuprà vidimus, agendo de poteſtate cõcedendi indulgẽtias: fruſtra enim data eſſet talis poteſtas Eccleſiæ ſi exiſtente cauſa legitima, & pia, & diſpoſitione debita in recipiente, adhuc eſſet dubium, an Chriſtus illam acceptaret necne; & propter alias rationes ſuprà aſſignatas contra hæreticos.

3. Opinio media, & vera.

318 Ideò eſt tertia opinio, quam tenent Recentiores citati cap. 9. & Suarez vbi ſuprà, & mihi quoque probatur, quæ inter illas duas extremas eſt media, & aſſerit primò omnem indulgentiam abſolutè loquendo, & in vniuerſali, quando adſunt illæ tres conditiones, poteſtas in concedente, diſpoſitio in recipiente, & pia, ac iuſta cauſa, totum effectum, quem ſignificat, & promittit infallibiliter conferre. Hæc pars patet ex dictis contra ſecundam opinionem.

319 Secundò. In particulari loquendo de hac vel illa indulgentia particulari, non eſt certum, & infallibile ſemper conferre effectum, quem forma ſignificat, & promittit. Hæc patet ex dictis contra primam opinionem: nam non ſumus certi certitudine infallibili, quod Papa in conceſſione talis indulgentiæ particularis moueatur ex pia, iuſta, & proportionata cauſa: poteſt enim in hoc decipi.

Quãdo quis nõ cõſequatur totũ effectũ in indulgẽtia ſignificatũ.

320 Vbi eſt obſeruandum, vt ſuprà agendo de cauſa indulgentiæ, quòd duplex eſt cauſa, propter quam conceditur indulgentia. Altera eſt cauſa finalis, propter quam Papa mouetur, ad elargendũ indulgentias, & hęc, vt dixi, debet eſſe pia, honeſta, & proportionata; ſed hæc vt plurimum non exprimitur tota in formis indulgentiarum, ſed ſolùm vel innuitur, vel in generali ſignificatur; & ſæpè intra mentem Pontificis, aliqua cauſa principalis retinetur, quæ non explicatur apertè in forma. Alia eſt cauſa indulgentiæ, vt conditio requiſita, nimirum opus poſtulatum ad conſequendum effectum indulgentiæ; & quò ad hoc nonnulli commouentur, quòd pro leui opere ſæpè magna remiſſio, & indulgentia concedatur, vt pro vna recitatione orationis dominicæ, vel ſalutationis angelicę, indulgentia plenaria concedatur. Sed ad hoc dubium diximus ſuprà hac diſp. cap. 9. quòd hæc cauſa debet eſſe pia, & proportionata, non in re, ſed ſecundùm prudẽtem exiſtimationem concedentis. Vnde quando opus poſtulatum non eſt proportionatum indulgentiæ, ſed ſecundùm defectum eſt improportionatum, tunc non confert totam indulgentiam, ſeu totum effectum ſignificatum, ſed partem illi proportionaliter reſpondẽtem, vt dictum eſt eodem capite 9. & hoc eſt valdè obſeruandum, quia in hoc puncto ferè conſiſtit reſolutio huius difficultatis. Quando verò opus poſtulatum eſt proportionatum, ſiuè vnus feruentiori modo illud exequatur, quàm alter, ſiuè minus feruenter, hoc nihil refert ad conſequendum effectum indulgentiæ: nam vterque æquè conſequitur effectum indulgẽtiæ, dummodo vterque exequatur opus poſtulatum debito modo, & ordinariè requiſito, & intellecto, qui tamen feruentiori modo illud exequitur, licèt ratione indulgentiæ plus nõ lucretur, tamen alio titulo plus lucratur, ſcilicet quia plus meretur reſpectu vitæ æternæ, vt prędicto loco oſtendimus.

Querella de immunitatiũ, quod pro vnica recitatione orationis dominicę cõcedatur indulgentia plenaria.

321 Tertiò. Hæc opinio aſſerit. Vbi euidenter non conſtiterit indulgentiam ſine legitima cauſa, & proportionata eſſe conceſſam, non eſſe contemnendam, neque minoris valoris exiſtimandam, quàm verba formæ ſonent. Ratio eſt, quia ſuperioris factum ſemper præſumendum eſt eſſe legitimè factum, & validum, quando euidenter, & expreſsè non conſtat oppoſitum; quod maximè habet locum in Summo Pontifice de cuius iudicio dicit Gratianus nemini licere diſputare 17. q. 4. in cap. *Si quis. §. qui autem*, vbi gloſa iura quædam congerit, & d. 40. cap. *Non nos*, & diſt. 93. cap. 1. Accedit quod vix contingere poteſt, vt indulgentiæ concedantur ſine reſpectu aliquo ad piam cauſam. Hoc enim non poteſt fieri, niſi ex aperta malitia, vel ignorantia iuris diuini, quod de Summo Pontifice nephas eſt exiſtimare, cum non conſtat euidenter. Quicunque etiam priuatus homo quantumuis doctus ſibi videatur difficile poteſt facere iudicium, cauſam non eſſe proportionatam cõceſſioni indulgẽtiæ propter ea, quæ diximus ſuprà cap. 9. de proportione cauſæ indulgentiæ cum ipſa indulgentia: quia non requiritur æqualitas ſecũdùm meritum: quia tunc eſſet commutatio non indulgentiæ, ſed proportio ſecundùm æſtimationem prudentem concedentis indulgentiam. Sufficit ergo ad hoc vt valida ſit indulgentia, & totum effectum cõcedat, quod ſecundùm iuditium practicum probabile ſit eſſe proportionata.

Superioris factũ ſẽper iudicãdum eſt eſſe legitime factum.

322 Quartò. Adiungit Suarez diſp. 56. ſect. 3. num. 8. quod licèt aliquando aliqua particularis indulgentia contineret errorem intollerabilem, & manifeſtum, in quantitate, vel in cauſa indulgentiæ, nunquam eſt publicè ſpernenda, aut liberè reprehendenda; Sed hoc, vt obſeruauit idem Suarez, pertinet ad prudentiam potius, quàm ad doctrinam. Quò ad hoc nihil mihi occurrit dicendum, niſi quod ſemper eam reuerentiam differre Sedi Apoſtolicæ debemus, quæ maximè eam decet; & cauere ne communicemus cum hæreticis etiam apparenter. Huiuſmodi autem reprehenſio publica, non poteſt niſi ſcandalum populo afferre, & nullam vtilitatem: proinde prudentia maxima tunc eſt vtendum, & occurrendum eſt malo meliori modo quo expedire videatur doctrinam veram de indulgentijs pręidicando, pręſertim verò benè ponderare oportet rem, quia iſti exceſſus, ſi aliquando adeſſe videantur, regulariter oriuntur à pręidicatoribus, vel à rudi populo non rectè formam conceſſionis intelligente; circa, quod ſi ſeruentur quæ tradit Concilium Tridentinũ ſeſſ. 21. cap. 9. & ſeſſ. 25. poſt caput 21. nullum accidet huiuſmodi periculum.

Ad fundamentũ primæ opin.

323 Ad fundamentum primæ opinionis. Aliqui dixerunt cum Altiſiodorenſe amplas indulgentias eſſe pias fraudes fidelium, dummodo fraus nõ in malam partem,

neque

Indulgētię malę appellantur pię fraudes fidelium.

neque cū deformitate accipiatur; sed hic modus loquendi est omninò repellendus, quia, vt diximus, indulgentia in communi requirit illas tres conditiones, auctoritatem in concedente, pietatem in suscipiēte, & proportionatam causam; & quando ista adsunt semper indulgentia consequitur totum suum effectum: ideò absolutè loquendo falsissimum est indulgentias esse fraudes fidelium: quia nullam deceptionem, nec fraudem continēt: asserere etiam, quod aliqua indulgentia particularis concessa à Sede Apostolica non contineat causam piam, & proportionatam est valdè temerarium: quia licèt ea non appareat semper, tamen potest reperiri in mente Pontificis concedentis. Deinde hæc causa non debet esse æquiualens secundùm valorem, quia non esset indulgentia, sed commutatio, sed esse debet proportionata secundùm existimationem prudentem concedentis, quæ semper regulariter adest, vt suprà cap. 9. diximus. Denique dato, quod in casu aliquo particulari aliquando accidat, vt nō adsit proportionata causa, non tamen propter hoc non decipiuntur fideles, quia inducuntur ad faciendum bonum opus, quod illis prodest ad vitam ęternam, & est meritoriū, & semper aliquā partem indulgentiæ lucrantur, vt suprà dictum est. Propter enim aliquem casum qui vix aliquando accidere poterit, non est dicendum, indulgentias esse fraudes; nec ad hoc vitandum est dicendum semper conferre absolutè effectum promissum, etiam si causa proportionata non adsit, vt dicebat illa opinio.

Ad fundamentum secundæ opinionis.

324 Fundamentum secundæ opinionis iam reiectum est. Illa enim tertia conditio, quod Christus indulgentiam acceptet, dicimus requiri; sed cum ait de hoc, Ecclesiam esse dubiam, & nos non posse esse certos. Respondeo, hoc esse falsum. Ita certissumus Christum acceptare relaxationem, & indulgentiam concessam à Pontifice pro ijs, quibus eam concedit, sicut sumus certi de alijs articulis fidei, vt quod Papa habeat potestatem supremam in Ecclesia, quod sacramenta conferant gratiam &c. de his enim habemus certitudinem fidei, qui habetur in Sacra scriptura, Christum dedisse hanc auctoritatem Summo Pontifici, & subintelligitur cum alijs conditionibus assignatis; ergo quando illæ adsunt, effectum infallibilem sequi minimè est ambigendum.

De duratione potestatis cōcedendi indulgētiam.

325 Agendo tandem de duratione indulgentiæ, distinguendum est primò, vel enim est sermo de potestate concedendi indulgentiam, vel de duratione indulgentiæ concessæ. Loquendo primo modo iam dictum est suprà, quod potestas concedendi indulgentiam est duplex, scilicet vel ordinaria, vel delegata. Ordinaria est potestas Sūmi Pontificis, & Episcoporum, vt suprà vidimus. Hęc potestas cum consequatur munera ipsa Pontificatus, & Episcopatus, tandiu durat in personis habentibus has dignitates, quandiu in illis dignitatibus manent: ideò potestas hæc durat in Pontifice semper dum viuit, nisi renunciet Pontificatui; vel ab eo per manifestam hęresim cadat. His enim duobus modis solùm quis potest amittere dignitatē Pontificatus. Persona etiam Episcopi tandiu retinet potestatem concedendi eas indulgentias, quas conferre potest, quandiu retinet Episcopatum, vel non suspenditur ab officio per censuras, vel nisi fieret à Pontifice aliquod ius, & statutum nouum, quo Episcopis hæc facultas concedendi indulgentias adimeretur. Potestas autem delegata cum procedat ex voluntate concedentis, quæ explicatur in forma rescripti spectanda est forma ipsius: manifestum est enim eam potestatem tantum durare quantū voluit concedens illam potestatem. Rursus hæc potestas delegata potest ad nutum concedentis sine causa reuocari, vt contingit in omni potestate delegata ad differentiam potestatis ordinariæ, quæ saltem licitè non potest tolli sinè causa.

Duob⁹ modis Papa potest amittere potestatē Papalē.

De duratione indulgētiæ cōcessę.

326 Loquendo verò de indulgentia, iam concessa, adhuc distinguendum est; vel enim iam effectum suum obtinuit, & lucrans, illam comparauit; vel nondum est comparata. Si Primo modo consideretur est perpetua, idest effectus ille remissionis talis pęnæ est perpetuus, & irreuocabilis, nedum ab homine, sed nec à Deo ipso: quia dona Dei sunt sinè pęnitentia: & pęna semel remissa nunquam amplius infligitur ex decreto Dei.

327 Remanet ergo dicendum de indulgentia concessa, quæ nondum effectum suum consecuta est, de qua propriè est sermo. Hæc tribus modis solet concedi; aliquando expresśè in perpetuum; aliquando ad tempus certum; aliquando indefinitè, nulla facta mentione temporis, aut durationis. Quando indulgentia conceditur duobus prioribus modis, clarum est eam durare tantùm pro tempore assignato expresśè in forma indulgentiæ. Ratio est, quia vt toties dictum est: indulgentia tantum valet, quantum forma concessionis, & Bullæ valet. Concessio enim illa pendet ex voluntate concedentis, quæ in Bulla explicatur: ideò illa est obseruanda. Intelligendum est tamen, hoc esse verum nulla interueniente reuocatione facta à concedente, vel à superiore concedentis, si habeat superiorem; semper enim in potestate illorum est eam reuocare antequam sit comparata.

Indulgētia ppetua ad tēpus, & indefinita.

328 Difficultas verò occurrit circa quædam verba solita apponi in Bullis indulgentiarum, quæ explicitè non sonant indulgentiam concedi in perpetuum, vt cum dicitur, *vsque ad beneplacitum huius Sedis*. Respondet Suarez disp. illa 57. sect. 1. num. 4. ista verba æquiualere illis, quæ expresśè sonant concedi in perpetuum. Ratio est, quia in his verbis nullus terminus pręfigitur; & licèt dicatur vsq; ad beneplacitum huius Sedis, nulla fit specialis limitatio, quia omnes indulgentiæ sub illa clausula comprehenduntur, quia licèt sint perpetuæ, tamen possunt semper per Sedem Apostolicam reuocari. Si verò apponantur verba illa *vsque ad beneplacitum nostrum*, tenet Suarez vbi suprà sect. 2. num. 2. illa esse verba limitantia, & proinde talem indulgentiam extingui cum morte concedentis. Nauarrus tamen in Comm. de Iubileo notabili, 28. num. 28. tenet per illa verba non extingui, sed requiri reuocationem expressam successoris, quod probat ex capite, *Si gratiosè*, de rescriptis, in 6.

329 Indulgentiæ etiam concessę indefinitè, sed sinè limitatione temporali, formali, vel virtuali, intelliguntur perpetuæ, vt indulgentiæ concessę Religionibus Regularium, vel familijs, quæ successione continua permanent; quæ est conclusio communis Scholasticorum in 4. distin. 20. & Summistarum verbo *Indulgentia*, Syluester num. 16. qui refert alios, Angelus ibidem, & alij; & ratio est, quia cum Pontifex nullam apposuerit limitationem temporis, nullus alius eo inferior potest illam apponere. Hoc autem est verum, nisi adsit aliqua lex, & Regula Apostolica limitans, vel declarans, & terminans huiusmodi indulgentias indefinitas; quia si adsit, supponendum est, Pōtifices secundùm eas regulas indulgentias illas concedere nisi, se explicent speciali declaratione.

Limitatio ad tempus ē formalis, vel virtualis.

330 Circa indulgentias limitatas ad tempus, notandum est limitationem fieri posse duobus modis, scilicet formaliter, & virtualiter. Fit formaliter, quando expresśè apponitur limitatio temporis, vt ad annum, vel ad septem annos; & huiusmodi fit verò limitatio virtualis, quando indulgentia limitatur ad certos actus, vel ad tales actus certo tempore perficiendos: limitatur enim quoque ad illud tempus (e.g.) datur indulgentia recitanti rosarium tot dierum, hæc indulgentia virtualiter limitatur ad illud tempus, quo recitatur rosarium. Item datur indulgentia aliquibus ita vt bis eam in vita obtinere possint: hæc virtualiter limitatur ad totum tempus vitæ: similiter, quæ conceduntur visitantibus certa loca, & Ecclesias videntur intelligi donec illæ Ecclesiæ durent. Cum enim sint res corruptibiles, certè etiam temporales sunt; & ita indulgētiæ illis concessæ limitātur ad durationem illarū.

An visitās aliquē locū cui cōcessa sit indulgētia toties, quoties lucretur.

331 Est verò dubium, an visitans aliquem locum, vel Ecclesiam, cui sit concessa, verbi gratia, indulgentia plenaria pluries, semper qualibet vice consequatur indulgentiam. Respondetur secundùm Doctores communiter, Felinum tractatu de indulgentijs, numero 37. qui plures

alios

alios refert, & Nauarrum in Comm. de indulgentijs, notabili 31. nu. 37. & alios citatos ab eis toties quoties quis huiuſmodi locum viſitat conſequi indulgentiam. Eſt tamen obſeruandum, quod aliud eſt loqui de indulgentia perpetua, & aliud de temporali, vt puta, de indulgentia alicui Eccleſiæ, pro v.g. tota octaua ſuæ dedicationis, & ſimilibus: nã in priori nulli dubium eſt, quòd quoties quis talem eccleſiam, vel locum viſitat, toties lucratur indulgentiam. Et ratio eſt, quia conſuetudo ſic habet, & ideo ipſa interpretatur mentem concedentium tales indulgentias fuiſſe talem, quod patet de indulgentijs conceſſis Baſilicis Romæ. Vnde ſi quis illas nedum ſingulis hebdomadis, ſed ſingulis diebus viſitaret pluries, & certè ſemper, & toties, quoties conſequeretur indulgentiam.

An quis eodẽ die pluries lucrari poſſit ĩdulgentiã plenariam.

332 Et quod obijcitur hoc videri abſurdum, quia eſſet ſuperfluum, immò, & ridiculum, vt vnus homo eodem die, decies, & pluries conſequatur indulgentiam plenariã; & ſi ſit indulgentia partialis, vt decem annorum, poſſit toties eodem die eandem Eccleſiam viſitare, vt eo die lucraretur 200. annos, & plus indulgentiæ. Reſpondetur hoc non eſſe abſurdum, neque ridiculum, niſi malè intelligẽtibus. Eſt quidem ſuperfluum, & ridiculum, quod qui ſemel obtinuit plenariam indulgentiam ſuorum peccatorum, illam iterum obtineat: quia amplius nõ indiget illa, attamen ſi indigeret, nõ eſſet ſuperfluum, nec ridiculum, vt e.g. ſi quis de mane confeſſus viſitaret locum indulgentiæ, & illam lucraretur; ſed hinc ad horam cõmitteret aliquod, vel aliqua peccata mortalia, & ſtatim eum pœniteret; & rurſus viſitaret eandem Eccleſiam ad lucrandum indulgentiam plenariam, certè hoc non eſſet ſuperfluum, nec ridiculum; & ſi adhuc eodem die iterum peccaret pluries, & pluries poſſet verè pœnitere, & obtinere veniam de culpis, ac viſitaret Eccleſiam illam, pluries obtineret indulgentiam plenariam; licèt iſti caſus de facto nunquam, vel rariſſimè accidant. Pontifices autem intendunt concedere indulgentiam illam viſitantibus egentibus, non autem non egentibus. Vnde qui ſemel obtinuit ſi iterum viſiter, non obtinet de nouo: quia non eget; meretur tamen amplius: & ſi fortè fortuna prima vice non obtinuit, obtinet ſecunda vice. Et idem puto dicendum tam de indulgentijs perpetuis, quàm temporalibus, vt de indulgentia conceſſa vno die, vel per totam aliquam octauam alicui Eccleſiæ, vel loco: quia eſt eadem ratio, quidquid dicat Suarez vbi ſuprà, & alij. Conſuetudo autem, quod in conceſſionibus indulgentiarum ad vnum diem, vel totam octauã, & paucos dies intelligatur pro vna vice in illo die, vel octaua, non eſt, quia credatur, quòd ſi quis pluribus vicibus viſitet, & ea indigeat, non poſſit pluries illam indulgentiam lucrari; ſed quia non præſumitur, quod cum quis ſemel obtinuit indulgentiam plenariam, tam breui tempore ceciderit, & iterum illa indigeat; quod ſi caſus occurrat, vt indigeat, hæc conſuetudo illi non poteſt præiudicare, ſi in conceſſione indulgentiæ non apponatur ſpecificatio pro vna vice tantùm.

Quib. modis poſſit ĩdulgentia ceſſare.

333 Ex dictis patere poteſt, quando indulgẽtia ceſſet, quæ enim definito, & limitato tempore conceditur, ſiuè ſit perpetua, ſiuè temporalis tranſacto illo tempore ceſſat; & durante illo tempore, durat, vt diximus: tamen ad pleniorem rei intelligentiam, & præſertim indulgentiæ, quæ definito tempore non conceditur, aliquæ regulæ cum Recentioribus notandæ ſunt. Obſeruandum eſt ergo, quod ſicut indulgẽtia ex tribus capitibus habet valorem ſuum, ſcilicet ex poteſtate concedentis, & ex parte cauſæ propter quam conceditur; & tertiò ex parte perſonæ, cui conceditur: ſic etiam ex eiſdem tribus capitibus poteſt extingui, ſcilicet ex parte concedentis, & ex parte cauſæ propter quã conceditur, & ex parte illius cui conceditur.

Qūo ex parte concedẽtis extiguatur.

334 Quò ad primum caput diſputatur cõmuniter, an per mortem concedentis, indulgentia expiret. Sed omnes Theologi, & Summiſtæ conueniunt in parte negatiua, niſi adſit ſpecialis conditio in forma conceſſionis, quod in morte cõcedentis extinguatur. Hanc opinionem tenet Nauarrus in Comm. de indulgentijs, notabili 31. num. 26. & ante eum plures alij ab ipſo ibidem citati, vt Paludanus diſt. 20. q. 4. a. 1. Syluester verbo *Indulgentia*, num. 16. Angelus num. 7. Innocentius in cap. *Quod translationes*, de off. legati, & Recentiores, vt Suarez vbi ſuprà ſect. 2. Ratio eſt, quia gratia non expiret per mortem concedentis, quæ ſumitur ex capite, *Si ſuper gratia*, de officijs delegati in 6. Indulgentia autem eſt gratia, vt patet ex ſe; ergo & hoc verum eſt de omni indulgentia ſecundùm ius ordinarium à quocunque concedatur, ſiuè ordinario, ſiuè delegato, niſi aliter in conceſſione poteſtatis in delegato, vel in forma ipſa indulgentiæ caueatur.

335 Relinquitur ergo, vt ex parte concedentis ſolùm extingui poſſit per reuocationem factam ab eodem concedente, vel à ſuo ſucceſſore, vel à ſuperiore. Hæc aſſertio eſt prædictorum auctorum vbi ſuprà, & colligitur ex multis canonibus, præſertim ex Clementina *Dudum*, §. *Nos autem*, de ſepulturis. Et vſus, & conſuetudo Eccleſiæ hoc continuò comprobat: quia videmus Pontifices multas indulgentias reuocare, & limitare, ad quam reuocationem faciendam licitè, licèt non requiratur ſpecialis cauſa, quæ eſt gratia merè dependens à voluntate cõcedentis, quam ſicut à principio potuit non concedere ſinè iniuria vlla, ita poteſt non conſeruare ſinè vlla iniuria; tamen requiritur ſaltem aliquis finis honeſtus, vt in quacunque honeſta actione, vt licitè fiat; ſi tamen ſinè iuſta cauſa, & tali fine fiat, de facto tenet.

Extinguit per reuocationem.

An verò ſtatim ceſſet cum reuocatur Romæ? Reſpondeo ſecũdùm Doctores ſuprà allegatos non habere effectum ſtatim, ſed tantummodo quando peruenit ad notitiam eorum, quibus prædicta indulgentia conceſſa erat. Ratio eſt, quia hæc videtur eſſe intentio Pontificis; quod ex eo elicitur, quia præſumendum eſt intentionem Pontificis eſſe prudentem; prudentia autem requirit, vt reuocatio non noceat priuſquam de illa conſtet: alioquin fideles poſſent facere aliqua opera putantes acquirere indulgentiam, & fraudarentur, quod poſſet non leue detrimentum aliquando afferre.

336 Hanc tamen ſententiam rectè limitat Suarez vbi ſuprà, diſtinguendo quod vel hæc opinio intelligit, quod reuocatio non habeat effectum donec ſit ſufficienter promulgata: ita vt per ſe loquendo poſſit peruenire ad aures eorũ, quibus eſt cõceſſa. Et hoc modo hæc opinio eſt vera, & rationi cõſentanea, iuxta ea, quæ diximus ſuprà in hoc 4. agẽdo de tempore, quo ceſſarunt legalia, & cœpit obligatio legis Euangelicæ. Alio modo, quod reuocatio non valeat, done perſonæ particulari, cui conceditur, ſufficienter innoteſcat, & hoc pacto cupit Suarez eſſe veram. Dubitat tamen, & rationabiliter pp rationem ſuprà adductã: quia lex pœnalis poſt ſufficientem promulgationem obligat quemcunque licèt eam ignoret; ergo reuocatio indulgentiæ, cum ſit quædam lex, & decretum, nec inducat tanta incommoda, debet obligare facta ſufficienti promulgatione. Verum eſt, quod bona fides videtur illi prodeſſe.

337 Vnde opinio iſta communis eſt ſatis pia propter ignorantiam inuincibilem, quæ excuſat ab obſeruatione legis latæ, & promulgatæ; ergo multo magis in hoc caſu, & maximè, ſi quis ſtante bona fide abſolutus fuiſſet à caſibus reſeruatis: nam dicere quod ille iterum obligaretur ad ea confitenda, eſſet valdè periculoſum: ideo præſumendum eſt mentem Pontificis eſſe eam, quam prædicta opinio communis eſſe aſſerit, ac interpretatur.

338 An verò Pontifex poſſit per ſolum actum interiorem abſque externa promulgatione tollere indulgentiã. Reſpondet Suarez vbi ſuprà ſect. 2. num. 10. eſſe communem ſententiam, poſſe; quoniam hoc pendet ex voluntate ipſius Papæ, quæ ſi deſit, certum eſt indulgentiam non valere: pauciora enim requiruntur ad deſtruendum, quã ad ædificandum; vnde licèt conceſſio indulgentiæ requirat actum internum, & externum: quia bonum eſt ex integra cauſa; tamen ad tollendum eam ſufficit reuocatio interna. In hoc tamen ait, quòd Pontifex grauiter peccaret,

An Pontifex ſolo actu interno poſſit reuocare indulgentiam.

caret, quia magnum incommodum induceret in ecclesiã, de qua nõ est dubitandum. Esset enim illusio, & deceptio magna in ecclesia; sed sicut praua intentio ministri in collatione sacramentorum non nocet fidelibus manente bona fide, vt suprà diximus agendo de intentione ministri; sic reuocatio hæc interna forsan non pręiudicaret fidelibus innocentibus apud Deum. De facto etiam videmus Pontifices nolle, quod tales reuocationes habeant effectũ, donec sufficienter non publicentur.

Ex parte rei pp quã indulgẽtia cõceditur, quõ indulgentia cessat.

339 Ex secundo capite nimirum ex parte rei, cui, vel propter quam conceditur indulgentia, ipsamet indulgentia tolli, & cessare potest. Hoc patet: nam vt suprà dicebamus, indulgentia vel est personalis, vel localis. Si est localis, scilicet quia conceditur alicui loco, vt alicui Basilicæ, licèt non propriè propter illam, quia illa eius nõ est capax, sed propter homines illam visitantes, vt suprà diximus agẽdo de indulgentijs localibus, patet, quod destructo illo loco, & Basilica, cessat indulgentia. Ratio est, quia homines amplius eam lucrari non possunt, cum ille locus amplius non sit, in quo concessum erat hominibus eam lucrari: & hæc est sententia communis. Si verò indulgentia est personalis, idest concessa personis, mortuis illis personis, quibus conceditur, tollitur. Si est concessa personæ particulari, illa destructa tollitur. Si alicui communitati durat, & tollitur, durante, & corrupta illa communitate: & hoc etiam est clarum.

340 Solùm est obseruandum, vt obseruauit Suarez vbi suprà, quod aliud est loqui de persona cui conceditur indulgentia, & de persona ad cuius instantiam conceditur indulgentia: nam pereunte persona ad cuius instantiam conceditur indulgentia, non propter hoc tollitur indulgentia, quia non est concessa illi, sed ijs, qui eam sunt lucraturi. Quò verò ad causam, & finem propter quem conceditur, dicendum est, quod etsi illæ cessent, non tamen propter hoc indulgentia cessat. Ratio est, quia à principio potuit esse causa sufficiens, vt perpetuo, vel ad certum tempus indulgentia concederetur; licèt semper maneat etiam aliquis finis honestus, dum manet indulgentia, vt colligi potest ex dictis suprà de fine, & causa propter quam est concedenda indulgentia.

Ex parte illius, qui eã lucratur, an tolli possit.

341 Ex tertio capite, scilicet ex parte illius, cui conceditur, & eam lucratur, licèt alicui videri possit indulgentiam cessare posse, vt puta per renunciationem illius, cui conceditur; sicut enim aliquis renuntiare potest priuilegio, & facta renuntiatione priuilegiũ cessat: quia ad habentem priuilegium spectat renunciare; iuxta caput *Nuper*, de decimis, & communem opinionem Doctorum ibi, ita videtur de indulgentia, quia est priuilegium quoddam. Nihilominus hoc falsum est: quia indulgentia non est sicut alia priuilegia, quia ipsa conferunt ius aliquod ei, cui concedũtur, cui renuntiare potest: at indulgentia nullum ius confert, sed semper permanet in libera voluntate concedentis illã conseruare, vel tollere, vt suprà diximus, neque renuntiatio facta ab eo, cui conceditur, mutare potest voluntatem concedentis: quapropter potest quidem renuntiare vsui indulgentiæ, & eam non lucrari; attamen non potest eam tollere. Vnde si mutaret deinde voluntatem, & vellet illam lucrari, non obstante renuntiatione, adhuc eam lucraretur; quod si Papa acceptaret renuntiationem, tunc indulgentia non diceretur cessare per renuntiationem, sed per voluntatem Pontificis eam reuocantis.

Epilogus resolutionis.

342 Ex his summariè habetur, quod indulgentia tantummodo duobus modis tolli potest, scilicet per reuocationem, & destructionem rei cui conceditur: ideò de his duobus modis solùm fit mentio apud Doctores communiter. Et hæc de indulgentijs.

DISTINCTIO XX.

Quæstio Vnica.

DISPVTATIO XXXIX.

Vtrùm pœnitentia in extremis valeat ad salutem.

Explicatur quæstio Scoti, & reijcitur opinio asserentium quosdam peccatores interdum ad talem statum peruenire vt non possint pœnitere.
Caput Primum.



N hac quæstione nullam inuenio difficultatem. Scotus est clarus, & doctrina est communis: nihilominus quia doctrina, quam hic tradit Scotus est valdè vtilis, & necessaria eam breuiter explicare, necesse est. Inquit ergo Scotus in hac quæstione esse duas conclusiones satis certas, quarum prima est. Pœnitentia vera, siue interior sola, siue exterior cũ susceptione sacramenti pœnitentiæ sufficit ad salutem alicuius in extremis vitæ. Secunda conclusio. Pęnitentia, quæ videtur haberi in extremis vix est vera pęnitẽtia sufficiẽs ad salutẽ, quia difficile tunc est habere veram pęnitentiã. 1

1. Conclusio.

2. Conclusio.

1. Cõclusio probatur.

2 Quò ad primam conclusionem nulla est difficultas: est enim de fide certa, & probatur per rationes, & fundamenta suprà adducta ad probandum pęnitentiam internam solam quando actu confessio sacramentalis haberi non potest, vel sacramentum pœnitentię, valere ad delendum peccata omnia, & ad conferendum salutem æternam. Nihilominus probatur à Scoto auctoritate, & ratione. Auctoritas est Diui Augustini in Psalmo 140. adducta quoque à Magistro Sententiarum hac dist. 20. in primo cap. qui ait, quod Deus cum semper sit potens, potest etiam fructuosam pœnitentiam in morte inspirare. Verba eius sunt relata à Magistro. *Sed quoniam Deus semper potens est, semper etiam in morte iuuare valet, quibus placet; cum ergo opus sit non hominis sed Dei fructifera pœnitentia, inspirare eam potest quandocunque vult sua misericordia & remunerare ex misericordia quos damnare potest ex iustitia.*

3 Ratione etiam probatur. Eadem est ratio de agẽte pęnitentiam in extremis, ac de agente pœnitentiam quocunque alio tempore; ergo agens pœnitentiam in extremis, ita consequitur veniam tunc, sicut alius agens pœnitentiam extra extremum vitæ. Antecedens probatur. Cõtritio, seu pœnitenia virtus, & sacramentum pœnitentiæ sunt causa gratię eo modo, quo suprà explicauimus agendo de contritione, & sacramento pęnitentię; ergo in quocũque sint in eo eodem modo causant gratiam, & delent peccata; ergo sicuti peccata delent quando sunt in pœnitente extra extremum vitæ; ita cum sunt in pœnitente in extremo vitæ in eo delent peccata, & conferunt gratiam habitualem iustificantem.

4 Addere possumus aliam auctoritatem Sacræ scripturæ adductam à Scoto in argumentis ad oppositum Ezecchielis 18. & 33. *Quacunque hora ingemuerit peccator iniquitatum eius amplius non recordabor.* Et alteram Diui Augustini de vera, & falsa pœnitentia cap. 17. relatam à Magistro in eadem dist. 20. qua ait. *Pœnitentia si in extremo hiatu vitæ aduenerit sanat, & liberat.* Quod probat subdens, *multum sera fuit latronis pœnitentia, sed non fuit sera indulgentia.*

Possibilis ẽ fructuosa pœnitẽtia ĩ extremo vitæ.

Ex hac conclusione, & responsionibus ad argumenta, & reliquis, quæ dicit Scotus in hac quæstione habetur quod nedum pœnitentia vera si habeatur in extremis est valida; sed etiam quod potest haberi, quod maximè deducitur ex illa auctoritate Diui August. superius adducta,

multum

multum sera fuit latronis pœnitentia, sed non fuit sera indulgentia. & per auctoritatem Ezechielis 33. *Quacunque die ingemuerit peccator*, &c. idest quacunque hora pœnituerit; ergo quacunque hora potest pœnitere.

Opin. quorundam, quod homo propter cumulum peccatorum non possit pœnitere.

Vnde sequitur supponere falsam esse opinionem illorum, qui dicũt interdum aliquos in hac vita peruenire ad eum statum, & cumulum peccatorum, vt iam non valeant sufficientem pœnitentiam facere, qua exeant à statu peccati. Quæ opinio tribuitur Henrico quolib. 8. quæst. 1. Abulensi in Exodum cap. 4. quæst. 12. & in Deuteronomio cap. 2. quæst. 10. & Medinæ lib. 3. de recta in Deum fide cap. 1. Catherino Opusculo de prædestinatione, & reprobatione, Roffenso art. 36. contra Lutherum, & alijs; cuius sententiæ fundamentum est; non quia liberũ arbitrium amittatur, quia hæc est hæresis; neque quia negent virtutem Dei habere potentiam ad vincendum omnia peccata, & inspirandum fructuosam pęnitẽtiam, quia hoc esset negare omnipotentiam Dei, quod est pariter hęresis; sed alio duplici modo, nimirum, vel quia Deus decreuerit, cum quis tale peccatum cõmiserit, vel ad talem statum, & multitudinem peccatorum peruenerit amplius illi nolle dare gratiam, qua surgere possit à peccato, & pęnitentiam agere, vel quia Deus respectu aliquorum personarum ita se habeat, vt eis deneget talia auxilia propter sua peccata, quamuis alijs habentibus similia, vel maiora non deneget.

Duplex modus sustinẽdi hic opinionem.

Fundũ huius opin. ex auctoritatibus.

Quæ sententia fundatur in quibusdam auctoritatibuss Sacræ scripturæ, vt est illud Rom. 9. *Cuius vult, miseretur, & quem vult indurat*. & Ecclesiast. 7. *Considera opera Dei, quia nullus potest corrigere, quem ipse despexit*. & Psalm. 80. *Dimisi eos secundum desideria cordis eorum ibunt in adinuentionibus suis*. & Hierem. 16. *Curauimus Babilonẽ, & non est curata derelinquamus eam*, & alia similia, quæ in materia de reprobatione adducuntur. Similes auctoritates sanctorum Patrum habentur. Præsertim verò hæc opinio tribuitur D. Augustino multis in locis, sed præcipuè in expositione Epistolę ad Romanos propositione 62. vbi ait fuisse desertum Pharaonem, vt iam impœnitentia non imputaretur ei ad culpam, sed ad pœnam.

Sũ fundũ ex ratione.
2. Ratio.

5 Fundatur etiam in hac ratione: quia videmus Deum aliquando punire aliquem peccatorem actualiter peccantem, & aliquando viuum demergere in infernum, vt Dathan, & Abiron. Videmus etiam Deum aliquos confirmare in bono, ne amplius possint peccare; ergo expedit etiam aliquando aliquos deserere in impęnitentia finali, vt iustitia non minus reluceat, quàm misericordia.

Reijcitur.

Hæc opinio in materia de auxilijs, & de reprobatione confutabitur, vbi ostendemus Deum nemini denegare auxilia vera sufficientia ad salutem consequendam: & in materia, an Deus sit causa peccati, ostendimus peccatum esse pęnam alterius peccati, non quia Deus propter peccatum derelinquat peccatorem sinè auxilijs necessarijs, quibus verè, & propriè possit potentia reducibili ad actum exurgere à peccato, & saluari; sed quia per peccatum homo spoliatur multis bonis spiritualibus, & proinde redditur minus potens ad surgendum à peccato, quantum est ex parte sua, non quantum ex parte Dei, quia suum auxilium sufficiens, & necessarium nunquam denegat.

6 Pro nunc autem satis sit communem opinionem esse, non solùm veram pœnitentiam esse sufficientẽ ad omnia peccata tollenda, sed etiam in hac vita semper hominibus esse paratam sufficientem gratiam ad talem pœnitentiam agendam: nullamque esse admittendam exceptionem, vel in culpis, vel hominibus quantumuis peccauerint. Hanc opinionem tenent vltra Scotum hic D. Thomas 3. p. quæst. 86. a. 1. & summitur ex Alexandro Alensi 4. p. quæst. 13. memb. 4. art. 2. & quæst. 14. memb. 5. art. 2. & sequentibus. Richardus in 4. disputat. 14. art. 9. quæst. 2. Diuus Bonauentura in 4. distinct. 14. par. 2. artic. 1. quæstione 2. & 3. tenent enim apertè, quod donec in hac vita mortali degunt peccatores quantuncunque grauiter peccent, possunt pœnitere, & saluari. Eandem sententiam tenent Recentiores apertè. Soto in 4. dist. 15. quæst. 1. a. 2. & primo de natura, & gratia cap. 8. Suarez tomo 4. in 3. p. disp. 8. sect. 2. Fundamenta huius opinionis sunt destructiua alterius. Sunt autem auctoritates præcipuè Sacre Scripturæ. Ezechielis 18. & 33. *Nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur, & viuat*. & rursus. *Nunquid voluntatis meæ est mors impij?* Ieremiæ 3. *Reuertere auersatrix Israel dicit Dominus, & non auertam faciem meam à vobis, quia sanctus sum ego, dicit Dominus, & non irascar in perpetuum*. Matthæi 9. *Non veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam*. Item. *Deus vult omnes homines saluos fieri*. Præterea apertius Petrus loquens de maximis peccatoribus 2. Epistola capit. 3. habet. *Non tardat Dominus promissionem suam, sicut quidam existimant, sed patienter agit propter vos nolens aliquos perire, sed omnes ad pęnitentiam reuerti*. Ioannis 1. *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundũ*. & Apoc. 3. *Ecce sto ad ostium, & pulso, si quis aperuerit, intrabo*. Hic nullam habes exceptionem. & Rom. 2. *Ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit. Secundum autem duritiam tuam, & impęnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei*. Est ergo apertè contra Sacram scripturam asserere, quod aliquando Deus aliquos ita deserat, vt non possint facere fructuosam pęnitentiam, & saluari potentia vera, & reducibili ad actum.

Fundũ huius opin.

1. Ratio.

Ratione etiam conuincitur falsa, siuè illam sustineant in primo sensu, vel in secũdo. In primo sensu, seu modo est falsa, quia ex Sacra scriptura constat Deum ex omnibus peccatoribus quantumcunque grauissimis aliquos ad se cõuertisse, vt latronem, & Magdalenam, & Filium prodigũ, & similes. Si sustineat secundum sensum, & modum, illè apertè repugnat misericordiæ Dei: cum enim necessariũ sit Dei auxilium ad surgendum à peccatis ad pœnitentiã, si Deus illud denegaret aliquibus illi de peccatis inde commissis excusationem haberent: quia non possent, non peccare, cum auxilio Dei necessariò ad vitandum peccatum, & surgendum ab illo, essent destituti. Denique ratio potissima est, quia statui viæ repugnat, vt viator in aliqua parte illius non possit mereri: lex enim diuina secundùm fidẽ catholicam statuit, vt homo vsque ad instans mortis possit merẽri, & non mereri; ergo necessariò dicendum est Deũ nemini quantũcunque graui peccatori negare pro hac vita vsque ad extremum auxilia necessaria ad faciendã veram, & fructuosam pęnitentiam.

2. Ratio.

Ad fundaméta oppositæ sententiæ.

7 Ad fundamenta contrariæ sententiæ respondeo ex illis auctoritatibus nihil aliud haberi, nisi quod postquam Deus dedit illis sufficientia auxilia, quibus quidem verè, & actu saluari possent, & videt eos illis abuti, permittere vult, vt labantur in finalem impœnitentiam: neque vult illis vberiora illa, & plusquam sufficientia auxilia, tribuere, quæ aliquibus quandoque maximis peccatoribus dedit; quia hoc non expedit uniuersali Ecclesiæ, & iustitiæ diuinæ: sic enim homines vitijs se traderent: fiderent enim tandem Deum auxilijs efficacissimis, & plurimis sufficiẽtibus illos adiuuaturum fore, atque quodãmodo impulsiturum ad pœnitentiam fructuosam. Nunc autem diximus omnes, debere nostram salutem iuxta Apostolum cum timore, & tremore operari donec possumus, quia si auxilia illa sufficientia despicimus, quis scit, si Deus sit daturus plusquam sufficientia, licèt illa aliquando aliquibus, vt latroni concesserit; sic ergo indurat negatiuè non positiuè, scilicet non conferendo auxilium plusquam sufficiens: nõ autem denegando auxilia necessaria, & verè sufficientia. Sic nemo potest corrigere eum, qui auxilia sufficientia despicit, & Deus maiora, & plusquam sufficientia ei conferre non vult. Sic Deus dimittit hos peccatores secundùm desideria cordis eorum. Sic Dominus curauit Babilonem auxilijs sufficientibus, & non est curata, quia noluit illis benè vti: ideò Deus eam dereliquit, non conferendo maiora, & plusquam sufficientia, sed permittendo illam damnari.

Ad auctoritates in oppositum.
Ad auctoritatem Apostoli.
Qũo Deus iduret peccatorem.
Ad illud Ecclef.
Ad illud Psalmi.
Ad illud Hierem.

Ad primã rationem.

8 Ad primam rationem, concedimus, quòd Deus aliquãdo interficit homines corporaliter; quia hoc sæpè expedit ad commune bonum, vt alij peccare timeant: tamen Deus tunc cum illis ita se gerit, quod si in illo puncto mortis vellent pœnitentiam agere, illis non deesset auxilium necessarium: sicut alijs hominibus in fine vitæ non deest Deus suo auxilio.

Ad secũdã.

9 Ad secundam respondeo, quod non est par ratio de confirmatione in bono, & de negatione auxilij necessarij ad bonum in hac vita: nam de ratione viæ essentialiter est posse tendere ad terminum: hoc enim ablato, via non est amplius via. Hæc potestas autem tendendi ad terminum viæ, qui est patria, & beatitudo, non tollitur per confirmationem in gratia: immò magis, ac magis viator adiuuatur ad tendendum ad terminum. At destitutus auxilijs diuinis necessarijs ad veram pœnitentiam simpliciter priuatur potestate tendendi ad terminum vltimum, qui est patria, & beatitudo, & ponitur extra viam, ideò non est par ratio.

2. Cõclusio Scoti, quod pœnitentia in extremis est difficilis, ꝓbatur.

10 Hac ergo opinione dimissa, secunda conclusio Scoti in hac quæstione, quæ est pœnitentia, quæ videtur haberi in extremis vix est vera pœnitentia, probatur à Scoto pluribus rationibus. Primò, quia tunc impeditur vsus liberi arbitrij, idest vsus liber rationis, & voluntatis, ex dolore, vel timore inhærentibus animæ sensitiuæ. Vtraque enim passio vehemens est nata impedire liberum vsum rationis, & voluntatis. Passiones autem causatæ ab obiectis tristantibus, vel tristibus plus mouent, quàm passiones causatæ ab obiectis delectabilibus, secundùm Diuum Augustinum lib. 83. quæstionum, q. 36. Passio autem causata à vehementi delectabili quandoque impedit totaliter, vel ferè vsum rationis, vt docet Diuus Augustinus lib. 14. de Ciuitate Dei, cap. decimoquinto; ergo multò magis passio causata ab obiecto tristabili vehementi: in extremis autem est vehemens dolor, vel tristitia, ac timor: nam ille dicitur esse in extremis, non qui grauatur morbo secundùm communem legem curabili, vt febre tertiana, vel huiusmodi, nec qui subito moritur, cum mortis adhuc nulla apparet causa, sed qui ex inferioribus causis euidentibus operantibus vt plurimum iam positis in esse iudicatur proximus morti, & attingit gradum desperatum iudicio medicorum, vel in alijs periculis, vt in submersione, & huiusmodi, cum statim imminet mors. Ad pęnitentiam autem veram, & fructuosam, siuè internam, quæ est contritio, siuè externam, quæ est susceptio sacramenti, requiritur liber vsus rationis, & voluntatis: ideò in extremo vitæ difficile est habere hanc libertatem vsus in ratione, & voluntate.

11 Quod si quis dicat, dolor, vel timor, qui tunc temporis inest, non tollit totaliter vsum liberum intellectus, & voluntatis; quia non impedit ista potentia absolutè. Hoc concedit Scotus, sed tamen negari non potest, quin multũ impediantur; & per consequens sequitur, quod tunc remissior, & imperfectior est vsus rationis, & voluntatis. Vndè vix videtur habere posse talem displicentiam, quæ sufficiat ad requisitam, & sufficientem pęnitentiam. Quæ ratio confirmat ad contritionem, & attritionem requiri certam intensionem, & non quamcunque sufficere, vt suprà diximus agendo de contritione cõtra Sotum, Suarez, & recentiores, qui ad contritionem negant requiri certã intensionem doloris, & displicentiæ: nam si quæcunque displicentia sufficeret, sequeretur non esse difficile habere veram pęnitentiam in extremis, quia non est difficile habere vix leuem aliquam displicentiam, & tamen Soto in 4. dist. 19. quæst. 2. ar. 6. & alij aduersarij conueniunt cum Scoto in hac conclusione. Hanc rationem confirmat Scotus auctoritate Diui Augustini de vera, & falsa pœnitentia suprà adducta ex Magistro in hac distinctione qua ait, *Cum sera venit pęnitentia, aliquando cruciatus ligat membra, & dolor sensum opprimit, vt vix homo aliquid cognoscere valeat.*

Ad contritione requiri certã intensionem.

Cõtra Soto

2. Rõ Scoti

12 Secunda ratio Scoti pro eadem conclusione, ad hoc vt displicentia de peccato sit ordinata, & valeat, oportet quòd sit debitè circunstantionata, & maximè circunstantia finis, idest vt fiat propter Deum. Debet etiam habere circunstantiam principij actiui principalis, quæ est voluntas. i. vt eliciatur liberè, sed in extremis difficile est habere displicentiam sic debitè circũstantionatam, quia qui vsque ad extremum vitæ fuit impęnitens, videtur extorquere à seipso illam displicentiam peccati, non propter Deum, sed solùm propter timorem imminentis periculi mortis, & gehennæ: & sic non videtur habere debitã circunstantiam finis. Causa etiam productiua istius displicentiæ non videtur esse aliquid voluntarium, sed inuoluntarium simpliciter, scilicet expectatio mortis, quæ est simpliciter inuoluntaria: quod autem non fit nisi ex suppositione alicuius inuoluntarij, non est simpliciter voluntarium. Dat exemplum de proijciente merces in mari præcisè propter timorem periclitationis: actus enim ille est inuoluntarius simpliciter.

Verùm in hoc Scotus sibi contradicere videtur: nam alibi, nimirum in 2. dist. 6. agens de peccato Luciferi, & in 3. dist. 15. in materia de dolore Christi. Voluntas proijciendi merces in mari appellata est ab eo volitio simpliciter: & nolitio proijciendi, nolitio secundùm quid. Respondetur, quod hic non negat quod ibi asseruit; sed hic per simpliciter voluntarium intelligit omninò voluntarium, quod nihil habet admixtum de inuoluntario, ibi autem faciebat comparationem inter nolitionem proiectionis mercium, & volitionem proiectionis mercium, & rectè dixit volitionem proiectionis mercium esse volitionem simpliciter, nolitionem verò proiectionis merciũ esse nolitionem secundùm quid non proijciendi merces.

Solutio cõtradictiõis apparentis de voluntario simpliciter in ꝓijciẽte merces ĩ mare.

Ad propositum ergo displicentia de peccato volito pręcisè propter periculum mortis, quæ est omninò inuoluntaria, videtur simpliciter inuoluntaria, & sic caret debita circunstantia principij actiui, quæ est, quòd sit voluntariè elicita.

13 Subiungit Scotus, dato quod sit voluntaria, non tamen est ita voluntaria, sicut esset, si esset volita præcisè propter Deum; & sic non est ita grata sicut esset si esset volita propter Deum: quod enim non est volitum nisi propter aliud, non est ita acceptum illi, sicuti si esset volitum solùm propter illum. Quam rationem confirmat auctoritate eiusdem Diui Augustini adducta à Magistro in littera, asserentis. *Oportet non solùm timere iudicem, sed diligere; arbitrij libertatem quærit vt delere possit commissa, non necessitate: charitate non timore: non igitur timeat pœnam qui pœnitet, sed anxietur pro gloria.*

14 Tertiò principaliter probat Scotus eandem conclusionem ex habitu malo. Nam habitus malus in diligendis rebus huius mundi inordinatè retrahit multum ab actu pœnitentiæ; ergo qui continuanit huiusmodi habitum vsque ad extremum vitæ, difficillimè potest habere actum verę pœnitentiæ. Consequentia est euidens. Antecedens quoque, quia habitus valdè retrahit ab actibus sibi oppositis: displicentia verò de rebus humanis illicitè dilectis est actus contrarius habitui malo; ergo. Antecedens illud confirmatur ex auctoritatibus Diui Augustini adducta à Magistro in littera in Psalmo decimoquarto, vbi ait, *Cum filij quos illicitè dilexit sint præsentes vxor, & mundus ad se aduocet multos solet serotina pęnitentia decipere.* Hæc autem præsentia delectabilium possunt esse præsentia dupliciter: primo modo in se: secundo modo in phantasmatibus vehementer impressis: & siuè sic, siuè sic, ex vehementia habitus continuati multum inclinant ad se inordinatè amanda, & per consequens magnam faciunt difficultatem ad habendum magnam displicentiam de eis ad hoc, vt sit sufficiens dispositio ad deletionem culpæ.

3. Rõ principalis.

15 Quatta ratio. Quantò aliquis est minus dominus sui actus, tãtò requiritur intensior displicentia ad hoc, quod illa displicentia sit sufficiens pœnitentiã, & detestatio peccati, seu contritio, quæ valeat ad delendum culpam;

4. Ratio.

pam;

pam; sed qui est in extremis est minus Dominus sui actus, quam sanus; ergo requireretur secundùm strictam iustitiam intensior motus displicentiæ ad iustificationem illius, quàm sani: at vix potest habere actum æquè intensum ac sanus; ergo pœnitentia in extremis est valdè difficilis. Maior est euidens, quia displicentia illa debet esse voluntaria; vbi ergo est parum de voluntario ex se debet per intensionem actus suppleri, & intendi. Minor patet, quia qui est in extremis non est Dominus actus sui exterioris ad peccandum; ergo est minus Dominus sano, qui est Dominus interioris, & exterioris actus. Hanc rationem confirmat per auctoritatem Diui Augustini lib. 50. Hom. hom. 41. de verè penitentibus, qui ait. Age *pœnitentiam dum sanus es, si sic agis, seruus es, quia pœnitentiam egisti, quando peccare potuisti, si vis agere pœnitentiam quando iam peccare non potes, peccata te dimittunt non tu illa*. Ex hac ergo ratione adminus habemus non tam liberè existentiam in extremis dimittere peccata sicut sanum, & ideò quantum ei deficit de libertate, tantum requiri secundùm rigorem, de intensione in actu, quod existens in extremis, vix, vel nunquam poterit habere.

5. Ratio. 16 Vltimò confirmatur auctoritate D. Augustini vbi suprà adducta à Magistro. *Magnum est cui Deus in extremis inspirat, si quis est veram pœnitentiam*. Adducit rationem Scotus, quia vix, vel nunquam est aliquis, qui cum gratia sufficiente habeat dispositionem de congruo, vt ei inquiretur, idest uix reperitur aliquis qui sic distulerit pœnitentiam, & toties gratiæ præuenienti restiterit, qui in eo tempore consentiat, & sic se disponat ad veram contritionem, vel ad dignè faciendum confessionem, & sic se disponat de congruo ad gratiam gratum facientem.

Duo corrolaria seruãda in praxi. 17 Ex hac doctrina Scotus elicit duo corrolaria seruanda in praxi. Primum persuadendum esse sano, vt sanus pœniteat immittendo sibi timorem quam periculosum sit expectare serotinam pœnitentiam propter rationes prædictas: & sæpius est illi inculcanda auctoritas illa D. Aug. vbi suprà. *Si quis positus in vltima necessitate ægritudinis suæ voluerit accipere pœnitentiã, etsi accipit, & mox reconciliabitur, & hic vadit, fateor vobis non illi negamus, quod petit, sed non præsumimus, quia hinc benè exit. Si securus hinc exierit nescio: pœnitentiam dare possumus, seueritatem non. Nunquid dico damnabitur; sed nec dico liberabitur. Vis ergo à dubio liberari, age pœnitentiam dum sanus es.*

18 Secundum corrolarium, est, quod infirmo ad extremum iam deducto suadendum est, vt secundùm suam possibilitatem laboret habere pœnitentiam ordinatam, vt scilicet non obstante dolore vel timore vtatur ratione quantum potest, & nitatur habere displicentiam voluntariam propter finem debitum, scilicet propter Deum, & renitatur malè inclinationi habitus, & delectationum præsentium, & laboret ad habendum displicentiam quãtum poterit habere, licèt breuem, & ne in disperationem mittatur extollenda est sibi misericordia Dei, proponendum sibi exemplum de latrone illo, cuius fuit pœnitentia sera; sed non sera indulgentia.

Rationes in oppositum, & argumenta principalia Scoti adducuntur, & soluuntur. Caput Secundum.

19 Contra doctrinam traditam capite superiori sunt nõnullæ rationes, & dubitationes quas oportet soluere. Scotus ergo in eadem quæstione adducit hæc argu-
1. Ratio. menta principalia. Primò ergo arguit Scotus contra primam conclusionem probãs, quod differens pœnitentiam vsque ad extremum vitæ nõ possit saluari, nec fructuosam habere pœnitentiam, sic D. Aug. lib. quinquaginta Hom. homil. 4. de verè pœnitentibus, superiori capite adducta, loquens de his, qui pœnitentiam differunt vsque ad extremum vitæ, habet hæc verba. *Non præsumimus, quod*

bene hinc exit. & idem habetur de pœnitentia dist. 7. cap. 1. vbi dicitur. *Periculosum est, & interitui vicinum vsque ad mortem procrastinare pœnitentia remedium*. Ex hac auctoritate sic arguitur. Ille peccat mortaliter, qui se exponit periculo peccati mortalis; sed huiusmodi est, qui protrahit suam pœnitentiam vsque ad extremum vitæ; ergo peccat mortaliter, & sic non saluatur.

20 Et confirmatur per illud D. Aug. in sermone Innocentum. *Hac animaduersione percutitur peccator, vt moriẽs obliuiscatur sui, qui dum viueret oblitus est Dei*. Hæc ergo est pœna inflicta, à Deo differentibus pœnitentiam, vt obliuiscantur sui; ergo non possunt pœnitere.

21 Respondet Scotus primò ad auctoritatem D. Aug. Solutio. quod præsumptio est secundùm ea, quæ eueniũt, vt in pluribus, & magis consona apparent rationi rectæ. Ad propositum, quia vt in pluribus impossibile est, vel saltem difficile, vt qui differt pœnitentiam ad extremum dignè pœniteat, propter rationes superius adductas, hic dicit D. August. irrationabiliter nos non præsumere, quod huiusmodi differens pœnitentiã benè exeat: attamen præsumptio ista non concludit de necessitate, talem non benè exire de hac vita: quia possibile est oppositum euenire, licèt in paucioribus, & difficile. Vnde subiungit Diuus Augustinus. *Non dico, quod saluabitur, sed nec dico, quod damnabitur*, quia neutro modo homo potest esse certus. Ad secundam auctoritatem, & rationem ex illa confectam, respõdit, quod aliquem exponere se periculo peccati mortalis, contingit duobus modis: vno modo scienter: alio modo ignoranter. De secundo modo non est sermo, quia non est peccatum cum ignorantia tollat voluntarium. Primo modo ergo conceditur esse peccatum mortale: & sic qui determinaret aliquo actu elicito, nunquam facere pœnitentiam, nisi in extremis, iste peccaret mortaliter, quia se exponeret periculo non obseruandi præceptum de pœnitentia facienda, & moriendi in peccato mortali: attamen non sequitur ex hoc, quod non possit iste etiam in extremis saluari, & facere pœnitentiam fructuosam, quia põt de alijs, & de isto peccato tunc pœnitere, licèt vt dixi difficile hoc sit. Per idem patet ad confirmationem ex alia auctoritate D. August. ex Sermone Innocentum, illud enim, etsi vt plurimum accidat, non tamen semper, nec de necessitate, sed vt in pluribus.

22 Secundò. Ecclesiastę 17. dicitur, *viues, & sanus confiteberis*, quem locum adducit D. Aug. vbi suprà, & addit illa verba adducta suprà, *age pœnitentiam dum sanus es, si sic egisti, egisti quo tempore peccare potuisti, si vis pœnitere quando iam peccare non potes, peccata te dimiserunt, non tu illa*. Ex his auctoritatibus sic arguitur. Nulla pœnitẽtia fit ad salutem, nisi sit voluntaria, sed pœnitentia in extremis, non est voluntaria; ergo. Assumptum probatur, quia in extremis homo non dimittit peccata, sed peccata dimittunt hominem; manet ergo voluntas peccandi. 3. Rõ principalis.

23 Respondit Scotus, quod aliquem peccare contingit duobus modis: vno modo actu in interiori, & exteriori simul: alio modo actu interiori tantùm, quàm diu homo habet vsum liberi arbitrij, licèt non semper possit peccare peccato exteriori, tamen semper potest peccare actu interiori; qui ergo est in extremis, potest peccare actu interiori, quia hoc peccatum non dimisit hominem, sed in eo manet vsque ad mortem, nisi homo dimittat illud; potest ergo homo in extremis dimittere peccatum interius. Rursus, etsi non possit peccare peccato exteriori propter infirmitatem, quia non potest occidere hominem, &c. potest tamen se complacere in actu illo exteriori, & habere voluntatem si superuiueret, & posset illud perpetrandi, & sic omninò peccatum exterius existentem in extremis, nõ dereliquit. Sicut ergo potest tunc peccare peccato exteriori, non actu illud perpetrando, sed voluntate cõditionata, si posset: ita potest habere displicentiam, quod illud commiserit, & habere in voto, si superuixerit de illo pœnitentiam agere. Solutio.

3. Ratio. Tertiò. Videtur, quod asserere pęnitentiam serotinã

valere sit contra legem Dei; ergo. Antecedens probatur, quia nihil ordinandum est à legislatore, quod est occasio transgrediendi legem, & præcipuè multis; sed sic est quod penitentiam serotinam valere, est occasio multis continuandi peccata vsque ad extremum vitæ; ergo. Maior patet, quia talis legislator faceret aliquid per se, quod esset in destructionem legis suæ, quod non est iudicandum legislatorem velle, cum faciat legem, vt illa obseruetur. Minor quoque est euidens. Quis enim non continuet peccare per totam uitam, si breuis pœnitentia in fine saluaret?

Solutio. Respondet Scotus, quod statutum hoc in lege Christi, quod vera pœnitentia in extremis valeat, & quod quis in extremis pęnitere possit, non est occasio data peccandi, sed est occasio accepta ab imperfectis; sed secundùm se est occasio seruandi legem propter amorem legislatoris, qui tantæ misericordiæ est erga miseros, vt nũquam eis claudat sinum misericordiæ suæ. Statutum autem hoc est rationabile, quia legislator non debet ea prætermittere, quæ secundùm se sunt congrua in lege ordinata, licèt aliquis ex illis accipiat occasionem delinquendi, alioquin nunquam Deus debuisset instituisse pęnitentiam aliquam in aliqua lege, quia quilibet potest ex hoc accipere occasionem delinquendi, quàm non acciperet, si non posset postea pęnitere. Nunc autem ad legem simpliciter ordinatam naturæ lapsæ pro statu isto requiritur, quod pęnitentia possit esse fructuosa: si enim pęnitentia non esset fructuosa ad vitam æternam secundùm legem ordinatam, siuè ordinariam, nullus saluaretur; cum nemo sit, qui non peccet. Qua ratione autem requiritur, vt pro quocunque instanti sanitatis possit esse fructuosa, eadem ratione requiritur in extremis esse fructuosam: immò magis hoc requiritur in extremis propter multos imperfectos, qui hac pęnitentia saluantur.

Confirmatur à Scoto hæc responsio, quia quando ex aliqua re directè prouenit maius bonum, quàm sit malũ, quod ex ea indirectè tanquam ex occasione accepta proueniat, tunc illa res est facienda, & nullo modo est prętermittenda propter talem occasionem; sed maius bonum est quosdam vsque in finem malos, per pęnitentiam saluari, quàm sit malum peccatum, ex istius occasione factum; ergo illud statutum fieri debebat, quod pęnitentia in extremis valeret. Minor probatur, quia per istam pęnitentiam multi finaliter attingunt ad terminum prædestinationis diuinæ, per illam autem occasionem nulli cadunt ab isto termino: si enim aliquando peccant, tamen non peccant peccato, quo finaliter damnentur: non enim est occasio, vt damnentur, sed vt facilius saluentur, & beatitudinem, quæ est vltimus finis, consequantur.

4. Ratio. Quartò. Nulli dimittitur peccatum mortale, nisi per aliquam pęnam temporalem correspondentem peccato; sed pęnitens in extremis nullam pęnam temporalem soluit, vel saltem non soluit sufficienter, vt patet; ergo non potest illi dimitti peccatum. Quod si dicas eum pęnam temporalem debitam soluere in purgatorio. Contrà, moriens in peccato mortali damnatur statim; ergo moriens in gratia statim saluabitur, & per consequens nulla pęna soluetur post hanc vitam. Consequentia probatur, quia Deus non est pronior ad puniendum, quàm ad glorificandum. Cum ergo peccator statim puniatur; ergo, & iustus decedens in gratia, debet statim glorificari.

Solutio. Respondet Scotus concedendo maiorem. Ad minorem respondet, quod pęnitens in extremis, non soluit aliquam pęnam, quia pro tunc non potest; soluet autem in purgatorio: & ideò in illo extremo non debet imponi aliqua pęna temporalis perficienda in hac vita, quia illam implere non potest. Neque debet imponi tanta pęna in purgatorio soluenda, quia sacerdos non habet auctoritatem infligendi ei talem pęnam. Proponenda est tamen ei pęna temporalis, quam in hac vita, si posset, deberet soluere, dicendo ei. Si sanus esses, talis pęnitentia tibi fuisset imponenda, quàm si conualueris studeas adimplere; sed nunc in manu Domini es, confide de misericordia eius, quia, etsi te puniat; tamen cum misericordia hoc faciet. Vel in casu quo non possit multùm protrahi sermo non oportet aliquam pęnam specificare sibi, sed tantùm eum instruere de iustitia Dei misericordis. Ad illud, quod obijcitur contra responsionem hanc, quod soluat pęnam temporalem in purgatorio. Respondet, non esse simile de moriente in peccato mortali, & de moriente in gratia. Moriens enim in peccato mortali nihil habet retardatiuum à pęna condigna; sed moriens in gratia in extremis, qui tamen habuit multa peccata, quorum culpæ sunt sibi per pęnitentiam dimissæ, remanet debitor pęnæ temporalis debitę illis culpis dimissis, quas non soluit. Illud autem debitum retardat iustum à gloria, quia nullus, dum est debitor alicuius pęnæ, potest glorificari: quia gloria sicut non patitur secum pęnam, sic nec debitum pęnæ, quia nec simùl, nec post gloriam est soluenda, cum gloria sit æterna.

DISTINCTIO XXI.

Quæstio Vnica.

DISPVTATIO XL.

Vtrùm post hanc vitam possit aliquod peccatum dimitti saltem veniale.

Quid sit certum in hac materia, & quid dubium. Et opinio Thomistarum quò ad dimissionem pœnæ peccati venialis, adducitur, & reijcitur.

Caput Primum.



TRACTAT Scotus in hac quæstione prima huius distinctionis tres difficultates. 1
Cum enim peccatum aliquando accipiatur pro culpa, & pęna simul, aliquando pro culpa tantùm, aliquando pro pęna tantùm: & diuerso modo sit dicendum de peccato, his diuersis modis accepto, necessarium est diuersas quæstiones etiam de illo tractari, vt tota materia distinctè intelligatur. Prius ergo Scotus explicat, quid sit certum in hac materia, & quid dubium: & in eo, quod est dubium, aliorum opiniones reijcit, & suam struit. Vt ergo materia hæc dilucida fiat, Scotus, vt dicebam, tractat tres difficultates. Prima est, vtrùm dimisso peccato in hac vita, pęna debita pro ipso possit solui post hanc vitam. Secunda, an pęna debita peccato non dimisso in hac vita quò ad culpam, in alia vita possit dimitti. Tertia, an peccatum quò ad culpam non dimissum in hac vita possit dimitti post hanc vitam. Tres difficultates examinãde.

2 Quò ad primam difficultatem, respondit Scotus esse certam conclusionem, quod peccato dimisso quò ad culpam in hac vita, pęna ei debita potest solui in alia vita. Hanc conclusionem probauimus suprà ostendendo purgatorium dari: & agendo de satisfactione. Et ratio Scoti breuiter est, quia aliquis potest decedere in gratia, & tamen non satisfecisse pro tota pęna temporali debita suis culpis dimissis, vt si in extremis pęniteat fructuosè, vel parum ante extremum vitæ, ita vt non potuerit pro tota pęna satisfacere in hac vita, iste non potest cum hoc debito pęnæ soluendæ accipere beatitudinem, quia in beatitudine non potest solui pęna: nam pęna non stat cum beatitudine: neque potest solui post beatitudinem, quia beatitudo est æterna. Relinquitur ergo, vt illam soluat ante beatitudinem, & consequenter illa soluitur, in alia vita, & ante ingressum Paradisi. Confirmatur per omnes rationes, & auctoritates alias probantes da- Certum est dimissa culpa ĩ hac vita, pęnam illi debitam dimitti ĩ alia vita.

res dari Purgatorium, vt est illud Apostoli 1. Corinth. 3. *Ipse saluus erit, sic tamen quasi per ignem*: quam agendo de Purgatorio latè exposuimus, & confirmauimus contra Hæreticos.

2. Difficultas expędit. Certum est pęnam debitam peccato mortali nō dimisso non dimitti post hanc vitā.

3 Quò ad secundam difficultatem distinguendum esse ait Scotus de peccato, vel enim loquimur de pęna debita peccato mortali, vel veniali. Si de primo certissimum est pęnam debitam peccato mortali non dimisso, nō dimitti in alia vita. Ratio est, quia pęna debita peccato mortali est pęna ęternę damnationis. Hæc autem non remittetur: quia secundùm legem ordinariam Dei statutum est, vt sit æterna, & ideò qui discedit ex hac vita in peccato mortali, manebit in damnatione æterna, iuxta illud, *Ite in ignem æternum*, &c.

An culpa peccati venialis non dimissa pęna sibi debita dimitti possit in alia vita.

4 Tota difficultas quò ad hanc partem est de pęna peccati venialis, an, s. non dimissa culpa veniali in hac vita, pęna sibi debita possit dimitti in alia vita. In hac re sunt varij modi dicendi. Aliqui tenent partem negatiuam: sed isti diuisi sunt propter eorum diuersa fundamenta. Aliqui enim dicunt, quod pœna peccati venialis nō potest dimitti post hanc vitam, non dimissa culpa veniali: quia pœna peccato veniali debita est per se æterna, per accidens verò temporalis.

Prima opinio tribuit Alexandro de Ales.

Et hæc opinio tribuitur à Marginistis Scoti Alexandro Alensi, sed falsò. Alensis enim, licèt videatur inclinare in hanc sententiam, tamen est opinionis eiusdem cum Diuo Thoma, & Diuus Thomas eam ab ipso Alensi desumpsit, vt est videre apud eundem Alensem 4. parte, quæstione 15. memb. 3. artic. quarto, §. primo, in responsione ad penultimum argumentum: de qua opinione infrà agam.

Fundā huius opinionis.

Cuiuscunque ergo sit hæc opinio à Scoto ex suis auctoribus sic probatur. Quò ad primam partem: si quis damnetur pro mortali, & simul cum veniali pro illo veniali punietur in æternum. Probatur hoc: quia da oppositum sequitur quod in inferno detur, vel dari possit redemptio alicuius peccati. Subsumunt. Sed sic est, quod peccata venialia non puniretur à Deo æternaliter, nisi iustè eis pœna æterna deberetur; ergo. Quò ad secundam partem verò probatur sic: peccatum veniale stat cum charitate, per quam homo ordinatur ad Regnum, & per consequens ratione charitatis concomitantis debetur sibi pęna temporalis.

Reijcitur à Scoto.

5 Scotus hanc opinionem reijcit quò ad primam partem, & simul quò ad secundam: probat enim peccato veniali competere per se pœnam temporalem, non autem æternam.

1. Ratio.

Prima ratio eius est hæc. Peccatum veniale stat cum charitate non tantùm quando quò ad culpam est deletum, sed quando actu culpa non est deleta: & hæc est sententia communis omnium Theologorum. At actus, cui debetur pœna æterna per se, non potest manere simul cum charitate; ergo peccato veniali per se non debetur pœna æterna. Minor probatur, quia repugnat, quod aliquis existat in charitate, & sibi debeatur pœna æterna: nam existens in charitate est dignus vita æterna: per actum autem peccati venialis non deletum esset obligatus ad pœnam æternam; ergo idem subiectum esset simul dignum vita æterna, & indignum vita æterna, & dignum morte æterna. Confirmatur hæc minor nimirū, quod debitum æternæ pœnæ non possit manere cum charitate, hac alia ratione à Scoto. Post actum peccati mortalis nihil remanet de peccato, nisi debitum pœnæ æternæ, vt probauimus suprà distinct. 14. q. p. tunc sic; ergo si debitum pœnæ æternæ potest manere simul cum charitate, peccatum mortale non deletum quò ad culpam, sed manens in peccatore, posset stare cum gratia, & charitate, quòd est absurdum euidens. Consequentia patet, quia iam dicis, quòd debitum pœnæ æternæ non repugnat stare cum gratia, si quidem concedis, quod peccatum veniale, cui per te debetur, per se pœna æterna potest stare, & de facto stat cum charitate, & gratia.

2. Rō principalis.

6 Secundò principaliter. Omnis pœna damnatorum in inferno necessariò includit concomitanter pęnā damni: sed pœna damni non est pœna conueniens peccato veniali; ergo pœna æterna damnatorum non competit per se peccato veniali. Maior patet: quia essentialis pęna damnatorum non est pœna sensus, sed damni; ergo omnis pęna æterna damnatorum habet annexam concomitantiā pœnæ damni, scilicet carentiam diuinæ visionis. Minor quoque est euidens, quia culpa venialis per se manet cum gratia gratum faciente, nec excludit à Regno Cœlorum, & à visione beatifica.

3. Ratio.

7 Tertiò. Peccatum mortale, & veniale sunt improportionabilia in ratione malitiæ, & offensæ; ergo sunt quoque improportionabilia in pœna per se illis correspondente: sed sic est, quod pœna debita, & proportionata peccato mortali, est pęna infinita, non in intensione, sed in extensione; ergo pœna infinita in extensione, quæ est pęna æterna per se non correspondet proportionabiliter culpæ veniali; & consequenter non est dicendum Deum ea pęna illud punire. Primum, Antecedens est euidens, quia infinita venialia si essent, non ęquarentur vni mortali in ratione offensæ: quia nec omnia illa auerterent à fine vltimo, sicut vnum mortale. Consequentia illa prima probatur: quia iustitiæ rectitudo exponit, vt maiori culpę maior pęna respondeat, & minori minor. Peccatum mortale excedit in infinitum veniale: quia auertit ab vltimo fine, veniale nequaquam. Minor subsumpta patet, quia pęna debita peccato mortali, etsi sit infinita, quia offensa est infinita, non tamen est infinita in intensione, sed finita. Si enim esset infinita in intensione, excederet pœnam peccati venialis in infinitum, quod est absurdum: quia nō datur pœna infinita in intensione: omnis enim talis pœna, vel excedit, vel exceditur finitè ab alia. Relinquitur ergo, vt sit infinita extensiuè, & sic peccato veniali responderet pęna proportionata mortali quamuis peccata in se sint improportionata. Propter has rationes hæc opinio à nullo, quòd viderim, approbatur.

Opinio D. Thomæ, & Sectatorū.

8 Secunda sententia est Alensis vbi suprà, quem sequutus est Diuus Thomas par. 2. quæst. 87. art. quinto, quem deinde sui sectatores sequuti sunt, Caietanus ibi in Comment. Soto in quarto, distinct. 15. quæstione 2. art. quarto, & clariùs distinct. 45. quæst. prima, art. primo, concl. 1. in responsione ad primam obiectionem in contrarium. Suarez tom. 4. in tertiam partem, dispnt. 11. sect. secunda, num. 11. & sequentibus. Richardus distinct. 21. artic. 2. quęst. 3. & alij citati à recentioribus, quatenus conueniunt omnes in eodem fundamento. Isti ergo dicunt, quod peccato veniali, etsi per se competat pęna temporalis; tamen per accidens potest competere ei pęna æterna, scilicet quatenus est coniunctum cum mortali. Vndè, qui decedit ex hac vita in peccato mortali, & simul cum veniali, punitur in æternum, non solùm propter culpam mortalem, sed propter culpam venialem: pęna enim illi culpæ veniali debita nunquam finitur in inferno, sed in æternum durat, sicut pęna peccati mortalis: & sic licèt per se pęna debita peccato veniali sit temporalis: tamen per accidens, idest ratione connexionis, & concomitantiæ peccati mortalis sit æterna.

Fundā huius opin.

Fundamentum huius opinionis principale ex Caietano, vbi suprà, & alijs est; quia ad remissionem culpæ, & pęnæ cuiuscunque dicunt requiri gratiam habitualem: qui enim (inquiunt) non habet gratiam habitualem gratificantem hominem, est inimicus Dei, & incapax omnis remissionis tàm culpæ, quàm pęnæ. Vnde damnatus habens peccatum veniale, punitur in æternum propter illud peccatum veniale, quia etsi pęna illi debita sit temporalis; tamen peccatum illud meretur puniri, donec auferatur: non aufertur autem, nec potest auferri ab eo stante culpa mortali, & priuatione gratiæ, quæ in damnato stat in æternum: ideò semper illi pœna debita manet: & sic per accidens punitur pœna æterna propter concomitantiam peccati mortalis: & per hoc respondent ad rationem opinionis allatæ pro prima eius parte. Dicunt enim in inferno non redimi peccatum nullum, nec veniale, sed iustè puniri à Deo propter concomitantiam peccati mortalis.

9 Rationes autem, per quas probant nemini posse dimitti illam pœnam, nisi sit in gratia, adductæ sunt suprà agendo de satisfactione disputatione illa, an existens in peccato mortali possit validè satisfacere, seu adimplere pœnitentiam sibi impositam à confessario pro peccatis cōfessis. Fundamentum autem illud, quod requiratur gratia ad dimissionem cuiuscumque culpæ, nedum mortalis, sed etiam venialis, & pœnæ cuiuscunque, adhuc confirmat Soto distinctione illa 15. quæst. secunda articul. 4. quia secundùm Apostolum ad Romanos 4. ad gratiam Dei spectat, quod peccatum alicui nō imputetur, vbi cum absque exceptione loquatur glosa, deducit, quod intelligatur de veniali, & mortali. Secundò ipsemet Soto adducit rationem, quam Suarez deinde disputat. 15. sect. 2. num. 4. & sequentibus latè persequitur, & est hæc. Ad remissionem vniuscunque culpæ requiritur aliquis actus, seu dispositio ex parte ipsius hominis peccatoris: at talis actus, & dispositio non potest esse acceptus Deo, nisi per gratiam; ergo. Maior probatur quia aliàs sequeretur, quod cessante actu peccati, cessaret culpa, & sic cessante actu venialis peccati, culpa venialis remitteretur: quia nihil aliud est, quod expectatur ad dimissionem eius, si dispositio humana non requiritur: hoc autem repugnat sensui totius ecclesiæ, & iustitiæ diuinæ, quæ de potentia ordinaria non remittit culpam sinè aliquo actu pœnitentiæ, vt suprà diximus. Minor probatur, quia illa dispositio est actus naturalis, vel supernaturalis, non primum, quia dispositio naturalis non est apta ad actus supernaturales, alioquin ex viribus naturalibus possemus iustificari; est ergo supernaturalis, tunc sic. Vel est contritio, vel attritio. Si primum; ergo est per gratiam informatus, quia contritio est actus supernaturalis, & informatus gratia. Si secundum illa dispositio non est sufficiens in homine existente in peccato mortali: nam non est sufficiens ex iustitia, vt patet, quia seclusa gratia Dei nos non sumus digni merendi aliquid apud Deum, iuxta illud 1. Corinth. 3. *Si charitatem non habuero, nihil mihi prodest*. & Ecclesiast. 34. *dona iniquorū non probat altissimus, neque in multitudine sacrificiorum propitiabitur*. & alias multas auctoritates congerit Soto ad idē, quę sunt superfluę, neque attritio illa est dispositio sufficiens ex aliquo alio beneficio Dei, quia oporteret ostendere hanc legem Dei. Si etiam adesset, existens in peccato mortali est indigus illo beneficio, quia permanet in iniustitia diuina.

Ratio Thomistarū, φ ad dimissionem culpæ venialis requirat gratia habitualis gratū faciens.

Propter has ergo rationes auctores isti duo dicunt. Primum, quod pœna peccati venialis non potest dimitti alicui existenti in peccato mortali; vnde existentibus in inferno peccata venialia dimitti non possunt. Secundum, quod ad dimissionem peccati venialis requiritur gratia gratum faciens, vel antecedenter, vel concomitanter. Primum autem pendet ex hoc secundo; nam cum homo existens in peccato mortali, & in inferno non possit facere actum gratum Deo, sequitur, quod per nullum actum possit delere culpam venialem, & consequenter, quod neque possit illi dimitti pœna venialis peccati: tum quia non potest habere actum satisfactorium gratum Deo, per quem illa pœna ei dimittatur: tum quia manente culpa, semper manet, inquiunt, pœna illi debita. Adducit autem Soto illo a. 4. multas auctoritates Sacræ scripturæ ad probandum, quod ratio acceptationis nostrorum operū est gratia, quas omitto, quia non faciunt ad rem, vt videbimus.

Opinio hæc duo dicit primum pęnam peccati venialis ñ dimitti sinè gratia, secūdo culpam venialē nō dimitti sinè eadē gratia.

10 Scotus in hac quæst. impugnat hanc opinionem triplici ratione. Prima est: est commune axioma Theologorum, & certissimum, quod Deus punit peccatores citra condignum, sicut præmiat beatos vltra condignum; sed si Deus puniret peccatorem propter peccatum veniale pœna eterna, puniret eum vltra condignum; ergo hoc non est asserendum de Deo. Maior, vt dixi, est clara. Minor quoque est euidens, quia pœna debita per se peccato veniali est temporalis secundùm omnes Sanctos, & Doctores, & euidentissimè elicitur ex Sacris scripturis, vt ostē-dit Magister in hac dist. 21. & rationes Scoti factæ contra præcedentem opinionem hoc euidenter demonstrāt. Respondent Caietanus vbi suprà, quem deinde Soto, Suarez, & alij sequuti sunt, quod peccatum veniale potest duobus modis summi. Vno modo per se, & solitariè; & sic debetur ei pœna temporalis negatiuè, idest non est dignum per se pœna æterna. Alio modo, vt est in tali supposito, & tunc iuxta statum talis suppositi est iudicandum: nam in supposito habente gratiam, puniendum est pœna temporali: in habente peccatum mortale est puniendum pœna æterna. Subiungit: at iudicium pœnæ non fit de peccato secundùm se solitariè sumpto, sed de peccato, sed simpliciter, vt est in hoc subiecto: ideò dicēdum est, quod peccato veniali, vt est in habente gratiam simpliciter, sibi debetur pœna temporalis, vt autem est in supposito sinè gratia simpliciter, sibi debetur pœna æterna; & proinde ad formam argumenti negatur, quod Deus puniat peccatum veniale vltra condignum, quando est iunctum peccato mortali, quia vt sic est dignum pœna æterna simpliciter.

Reijcitur allata opinio à Scoto
1. Ratio.

11 Et quia Caietanus vidit contra hanc doctrinam suam, quod iudicium de pœna peccati fiat de peccato non solitariè sumpto simpliciter, sed vt in tali supposito posse fieri validas obiectiones, obiectionem tangit, & innuit responsionem. Obiectio ergo est hæc. Peccatum potest abstrahi à supposito tali, & tali, vt à supposito existente in peccato mortali, & à supposito existente in gratia, & per se solitariè spectari. Et tunc quæro quæ pœna debeatur peccato veniali: nam rectè peccato in hac abstractione debetur aliqua pœna; ergo vel æterna, vel temporalis. Respondit deinde quod peccato veniali sic abstractè sumpto non debetur pœna temporalis, nec æterna positiuè, sed temporalis negatiuè, quia non ponit ex se æternitatem.

Obiectio contra Caietanum valida.

12 Hæc doctrina Caietani, super quam tota hæc positio fundatur, est falsa, & contra communem sententiam Theologorum: & proinde responsio hæc ad argumentū Scoti est nulla. Antecedens probatur. Responsio tota Caietani innititur illi propositioni, quod iudicium de pœna peccati fit de peccato non solitariè sumpto, sed de peccato, vt in tali subiecto. Hæc autem propositio est omninò falsa, quia res opposito modo se habet: nam suppositum secundùm se sumptum non est dignum pœna hac, vel illa: immò nulla; sed omnis dignitas in illo ad pœnam, & ad hanc, vel illam pœnam, est à peccato, & à culpa. Tolle culpam ab homine, nulli pœnæ est subiectus. Et hæc est communis Doctrina Catholicorum, quia natura humana creata est à Deo recta, & nisi peccasset, nulli pęnæ subiecta esset. Et confirmatur, quia pœna infligitur homini propter peccatum, & ad mensuram peccatorum secundùm illud. *Donec soluat vsque ad minimum quadrātem; & quantum fuit in delitijs, tantum date ei tormenta*. Cum ergo ratio, & causa pœnæ non sit subiectum, sed culpa existens in subiecto, sequitur, quod iudicium de pœna pro peccato sit faciendum de peccato solitariè, & per se sumpto, & secundùm illius mensuram debet applicari subiecto. Et ex hoc sequitur intentum Scoti, quod in infligendo pœnam alicui subiecto pro aliqua culpa, non debet attendi status subiecti, vel an sit gratus, vel non gratus Deo; sed grauitas culpæ, & mensura delicti: & sic secūdùm quantitatem delicti pœnam illi infligere: & sic in puniendo hominem propter culpam venialem, non debent attendi ea, quæ sunt per accidens in subiecto, an sit in gratia, nec ne; sed grauitas delicti. Cum ergo peccato veniali non debeatur pœna æterna per se, non potest puniri pœna æterna, quia sic puniretur vltra condignum; quod repugnat iustitiæ diuinæ, & legi suæ ordinariæ, qua statuit semper punire citra condignum.

Reijcitur.

Reijcitur.

13 Secundò. Distinctio, & assertio illa Caietani, quòd peccato veniali abstractè sumpto, non competat pœna temporalis, nec æterna positiuè, sed temporalis negatiuè, est sinè fundamento; & adinuenta ad saluandum suam posi-

positionem. Nam secundùm Sacram scripturam, & communem sententiam Theologorum, peccato mortali positiuè debetur pœna æterna; & in hoc distinguitur peccatum veniale à mortali: quia in veniali, non est tanta culpa, vt sit dignum pœna æterna; ergo pœna debita peccato veniali illi competit positiuè. Vnde cum ei competat pœna temporalis, illa debet ei competere positiuè; idest determinatè ex determinatione diuinæ voluntatis sic statuentis, vt culpa talis tali pœna puniatur. Confirmatur: quia secundùm omnes Theologos peccatum veniale per se, & positiuè stat cum gratia; cum gratia autem non stat debitum pœnæ æternę; ergo pęna temporalis debita peccato veniali illi competit positiuè, non negatiuè. Pręterea distinctio hæc Caietani se destruit: nam si peccatum veniale nō ponit ex se pęnam æternam, necessariò sequitur, quod ex se ponat pęnam temporalem, vel est dicendum, quod ex se sit indifferēs ad ponendum pęnam æternam, & temporalem: & quod à subiecto, in quo est, determinetur; quod repugnat communi sententiæ Theologorum, apud quos est inauditum, quod pęna peccati venialis sit indifferens ad æternam, & temporalem; sed omnes asserunt peccato veniali deberi pęnam temporalem. In hoc enim ponunt communiter discrimen inter peccatū mortale, & veniale. Est ergo doctrina Caietani noua, & minimè cōsentiens communi doctrinæ Theologorum, à qua ob saluandas nostras opiniones non est recedendum: & propter hoc Scotus dixit se non intelligere opinionem illam; & illam rationem primam breuiter subiunxit: quia Deus punit semper vltra condignum: quia videbat hoc esse communiter concessum.

2. Ratio Scoti.
14 Secunda ratio Scoti, hoc idem confirmat. Putabat enim Caietanus per illam responsionem satisfieri etiam huic rationi Scoti; vnde cum illa responsio sit reiecta, sequitur hanc rationem quoque manere in suo robore; tamen oportet adducere, & considerare in speciali, quæ ad eam dicit Caietanus; est autem hæc. Dato quod Deus nō puniret de facto peccatores propter sua peccata citra condignum, adhuc alia ratione repugnat Deo punire peccatum veniale pœna æterna, licèt sit in subiecto habente peccatum mortale, & sit annexum peccato mortali; ergo. Antecedens probatur. Tāta pęna debet culpa puniri iusta punitione, quanta illi secūdùm iustitiam debetur; sed sic est, quòd peccato veniali, etiam coniuncto peccato mortali, siuè existenti in subiecto habente peccatum mortale secundùm iustitiam debetur pęna finita, seu temporalis; ergo Deus non potest iustè punire peccatum veniale pœna æterna. Maior est euidens. Minor quoque quò ad primam partem patet, quò ad secundam probatur: quia quantumcunque iungatur alteri peccato, quod est mortale; & est dignum pœna infinita in duratione, hoc tamen non facit quod peccatum veniale exeat extra suum genus, & fiat mortale; atque inde fiat dignum pœna infinita in duratione: quia illa connexio nō mutat essentiam illius culpæ, sed manet semper eadem secundū essentiam; & sic secundùm iustitiam non potest puniri pęna æterna.

Responsio Caietani, & Sectatorū.
15 Respondent Caietanus, & alij eiusdem sententiæ ex fundamento suo suprà adducto, quod causa, propter quam competit veniali culpæ puniri in æternum, non est vna sola, vt putat Scotus, scilicet, quia culpa mutetur in infinitam, sed ex alia duplici causa; nimirum ex consequentia subiecti positi extra statum satisfactionis, quod non potest satisfacere; & hæc est vna causa. Secunda est, quia culpa illa venialis nunquam dimittitur: quia non potest dimitti sine gratia: manente autem culpa, necesse est semper manere pœnam illi debitam.

Refellitur.
16 Contrà, iste duę causæ assignatę à Caietano, & quibus Sectatores eius maximè innituntur, sunt variæ. Et sola prima assignata à Scoto est vera causa; ergo cum illa non adsit, sequitur non posse Deum iustè punire peccatum veniale, etiam in subiecto non habente gratiam, pœna æterna. Antecedens quòad primam causam assignatam ab eis patet ex dictis nunc suprà contra primam responsionem Caietani. Nam subiectum abstractum à culpa non est dignum temporali, vel æterna pœna, sed dignitas pœnæ insurgit in illo ex culpa, quam contrahit: vnde si culpa est mortalis, est dignum pœna æterna: si culpa est venialis, est dignum pęna temporali, & finita. Tunc sic, causa aliqua per se alicuius effectus manente in suo esse, effectus quoque per se ab illa proueniens manet in esse suo, licèt causa, per accidens varietur; sed sic est, quod ex aduersarijs peccatum veniale, quod est causa per se pęnæ temporalis per cōiunctionem ad subiectum existens in peccato mortali, nō mutatur secundùm esse suum: quia non fit culpa infinita, nec mortalis; ergo licèt subiectum, in quo est, mutetur, nō mutatur pęna culpæ veniali per se debita, quæ est temporalis, quia subiectum respectu illius pęnæ est causa per accidens. Omnia assumpta in hoc argumento sunt clara. Subsumo, sed Deus secundùm iustitiam non potest punire culpam, nisi illa pęna, quæ sibi verè, & iustè respondet; ergo non potest punire peccatum veniale existens in subiecto sinè gratia, nisi pęna temporali, & finita.

17 Exemplo in humanis res hęc declaratur. Sit aliquis, qui aliquo delicto in Regem commisso damnatur vt semel fustigetur: iste deinde committat crimen lęsæ maiestatis, propter quod perpetuò carceri mancipetur, & spolietur omnibus bonis, si quis dicat propter secundùm crimen reum illum debere quotidiè fustigari toto vitæ tempore suæ, quia huic primæ culpæ, quæ habebat pęnam terminatam, adiunxit crimen, quod habet pęnam interminatam, & vsque ad finē vitæ durabilem, & rursus est in odio Principis, quis non videat hoc iudicium esse iniustum; & si rex post secundum crimen læsę maiestatis decerneret, vt pęna illa fustigationis duraret vsque ad mortem rei, quod hæc continuatio prioris pęnæ non infligeretur propter prius crimen, sed propter hoc posterius læsæ maiestatis, & esset nouum decretum, & noua sententia diuersa à priori: quia illud prius crimen non erat dignum tanta pęna. A pari ergo licèt homo propter peccatum mortale debeat puniri pęna æterna, non tamen sequitur quod pęna temporalis debita illi pro peccatis debeat fieri æterna: vnde si Deus illam faceret æternam, non esset propter culpam venialem, sed propter mortalem; & sic non esset pęna culpæ venialis, sed mortalis, & fieret à Deo nouum decretum, vt talis pęna propter concomitantiam illam fiat æterna. Nō habemus autem in Sacra scriptura, neque apud Theologos, quod Deus mutet pęnam peccato veniali per se debitam in æternam ex aduentu peccati mortalis, sed benè, quod cuicunque Deus reddet secundùm opera sua, siuè bonum, siuè malum. Attenditur ergo ratio culpæ, non status subiecti in infligenda pęna. Exēplo argūm confirmatur.

Secunda etiam causa, nimirum, quia culpa venialis durat in habente peccatum mortale, nec remittitur; durante autem culpa, debet durare pęna illi debita: quam causam, tantifaciunt Soto, & Suarez vbi suprà, quia inquiunt actualiter offendens non est dignus venia, existens autem in peccato mortali, donec pęniteat, est actualiter offēdēs, & similiter manens in peccato veniali, nullius est momenti. Nam supposito, quod culpa venialis dimitti non possit, in habente peccatum mortale, & in existente in inferno, quod tamen est falsum, vt cap. sequenti dicam; ratio, propter quàm continuatur pęna in damnatis, nō est, quià semper actualiter offendunt, sed ratione status. Vnde verum est quidem pro hoc statu actualiter offendētem esse indignum venia: at in alio statu non valet. Vnde animabus in purgatorio etsi displiceat peccasse, tamen illa displicentia nihil iuuat ad remissionem pęnæ: neque actualis offensio in inferno est causa perpetuationis pęnæ, sed offensio facta in hac vita in statu viæ: quia extra hūc statum non possumus mereri, neque demereri. Pręterea sermo est de eo qui semel offendit, sed deinde amplius non offendit; hic non continuat offensam; falsa est enim opinio aduersariorum, quod qui semel offendit, semper actu offendat quò ad usque pęniteat, vt diximus d. 14. huius 4. q. 1. agendo de reatu culpæ mortalis remanente post actū peccati. Secūda causa adducta à Caietano reijcitur.

Tertia

3. Ratio Scoti. 18 Tertia ratio Scoti est: verè penitens in hac vita de peccatis mortalibus, & obtinens à sacerdote debitam penitentiam, qua dimidia peracta recidiuet, & moriatur in peccato mortali in inferno pro illa alia dimidia penitentia, non punietur æternaliter, sed ad tempus, quia erat pena temporalis; ergo à simili pena peccati venialis in inferno, nec vlibi punitur, nisi temporali pena sibi debita.

Responsio Caiet. & Sc statorum. 19 Respondent Caietanus vbi suprà, & alij ex eodem fundamento, quod illa residua pena, quam non soluit in gratia, æterna erit pp concomitantiam peccati mortalis.

Reijcitur. 20 Contrà. Deus non iudicat bis in idipsum, & quod semel est iustè sententiatum propter aliquod delictum ad certam penam, non potest mutari absque iniustitia: at ei, qui de peccatis commissis agit penitentiam, pena æterna debita illis peccatis commutata est in temporalem; ergo non potest Deus iterum si recidiuet illam penam velle esse æternam: sic enim rescinderet primam sententiam. Quod si dicas: causa noua superuenit, scilicet peccatum mortale. Contrà. Peccatum mortale nouum habet suam debitam pœnam, qua punitur; non ergo debet propter illud mutari pena iam taxata pro veniali. Præterea. Si propter aduentum peccati mortalis pena temporalis debita veniali fieret æterna, hæc mutatio non fieret propter peccatum veniale, sed propter mortale; ergo esset pena peccati mortalis, non venialis. Repugnat ergo, quod pena peccati venialis propter concomitantiam mortalis fiat æterna: quia tunc non esset amplius pena peccati venialis, sed mortalis.

4. Ratio. Quartò. Fundamentum aduersariorum est falsum. Dicunt enim, penam peccato veniali debitam non remitti, quia homo, qui est subiectum eius, non est in gratia; qui autem non est in gratia, est inimicus Dei, & indignus omni beneficio: at falsum est, quod in satisfaciente requiratur gratia; ostendimus enim suprà agendo de satisfactione, quod existens in peccato mortali potest satisfacere, & adimplere validè penam sibi impositam, & debitam pro peccatis iam confessis, & sibi dimissis quò ad culpa; non oportet autem hic eas rationes repetere. Satis pro nũc sit, quod gratia requiritur ad merendum, & ad faciendum aliquod opus bonum, & gratum Deo, non autem ad satisfaciendum; quia pena exigitur etiam ab inimicis damnatis ad supplicium à Principe propter aliquod peccatum, dum supplicio afficiuntur; satisfaciunt enim iustitiæ verè, & propriè, & tamen non sunt grati Principi.

5. Ratio. 21 Quintò. Adest ratio non parui momenti tacta à Recentioribus, quæ est. Potuisset, & posset adhuc contingere, quod aliquis decederet ex hac vita cum peccato originali, & veniali absque vllo mortali: tunc quæritur, an veniale illud puniretur pœna æterna sensus, vel temporali. Si secundum habeo propositum, quia discedens cum peccato originali, non habet gratiam; & sic ratione subiecti secundum aduersarios non potest esse dignus venia, neque peccatum illud posset temporaliter puniri, sed æternaliter; si ergo puniatur temporaliter, sequitur quod non attendatur ratio subiecti, sed culpæ. Si verò dicatur, quod punitur æternaliter pena sensus. Contrà. Ergo ille homo esset puniendus in inferno damnatorum, & pena damnatorum, quæ est pœna damni & sensus æterna. Hoc autem videtur falsum: quia nemo ad infernum damnatur, nisi propter peccatum actuale mortale.

Responsio Thomist. 22 Ad hoc argumentum Thomistæ respondent cum D. Thoma 1.2.q.89.a.3. & 6. quod est impossibile peccatum veniale solùm esse coniunctum originali, sed si veniale coniungitur originali, simul cum mortali coniungitur; vel mortale prius coniungitur, deinde veniale: tenet enim D. Thomas loco citato, quod homo perueniens ad vsum rationis nõ possit prius peccare venialiter, quã mortaliter.

Homo cũ primũ pue nit ad vsũ rationis po test peccare veniali ter.

Reijcitur. Verùm hæc responsio innititur falso fundamento; nimirum, quod homo, cum primum peruenit ad vsum rationis, non possit peccare prius venialiter, quàm mortaliter. Hanc enim opinionem confutat Scotus in 2. dist. 21. q. 1. quatuor rationibus, quas soluere nititur Caietanus p. 2. q. 89. a. 3. tenens cum D. Thoma ibi, quod Adam in statu innocentiæ non posset prius peccare venialiter, quàm peccaret mortaliter, eo fundamento, quod per iustitiam originalem potentiæ inferiores perfectissimè subdebantur rationi, nec poterant peccare, donec auferretur hæc subordinatio potentiarum inferiorũ à superioribus, quod fieri non poterat, nisi per peccatum mortale. Sed quò ad Adam, qui erat in statu innocentiæ, & quò ad pueros existentes in originali vsque ad vsum rationis falsum sit eos nõ potuisse, nec posse peccare prius venialiter, quàm mortaliter, probatur. Et quò ad Adam, ea Scoti ratio est efficacissima: quia etsi iustitia originalis coniungebat Adam Deo, & faciebat potentias inferiores obedientes superioribus, non tamen ita perfectè coniungebat, vt non posset peccare venialiter; nam si potuit peccare mortaliter, multò magis cum iustitia illa stabat, vt posset peccare venialiter: quòd enim potest in maius potest in minus. Et certè sinè fundamento dicitur, quod iustitia illa subiugaret potentias ita rationi, vt non possent habere actum contrarium superiori rationi in tanta malitia, vt posset esse peccatum veniale: & deinde dicere, quod non subiugabat ita perfectè, vt non possent habere actum peccati tantæ malitiæ, quod esset veniale tãtùm. Oportet ergo dicere, quod omnis actus inordinatus, quem tunc potuissent elicere potentiæ illæ inferiores, fuisset peccatum mortale: hoc autem, vt ait Scotus, ibidẽ fuisset nimis durum, quod Deus pro illo statu tanta obligatione adstrinxisset Adam ad rectitudinem, & iustitiam, quod omnis actus de sua natura venialis fuisset illi mortalis.

Adã potuit prius peccare venialiter, quàm mortaliter.

23 Quantum etiam ad eos, qui in originali vsque ad vsum rationis perseuerant, quod non possint prius peccare venialiter, quàm mortaliter, est valdè irrationale. Vndè Suarez ea disp. 9. sect. 2. num. 14. licèt in alijs teneat cum Thomistis, in hoc differt ab illis, & oppositam sententiam dicit esse communiorem: inter alias rationes ostenditur ex hoc, quia in primo instanti, quo quis peruenit ad vsum rationis, videtur esse impossibile, quod omnia concurrãt ad actum elicitum, quæ requiruntur ad hoc, vt actus sit mortalis; nimirum distincta cognitio actus quò ad malitiam, & bonitatem: distincta cognitio præcepti obligantis, licèt enim tunc primus actus esset circa materiam mortalem, tamen propter ignorantiam inuincibilem, quæ illud tempus concomitatur, excusaret à mortali, non à veniali; non est etiam necesse, quod statim habeat actum circa materiam malam ex genere, sed potest esse veniale ex genere, vt circa verbum otiosum: & proinde hæc opinio etiam à Recentioribus dimittitur, & à multis alijs. Fundamentum etiam illud D. Thomæ art. illo 6. quod homo, cum statim ad vsum rationis peruenit, teneatur deliberare de se ipso quò ad vltimum finem, id est teneatur ad habere actum charitatis erga Deum, & se ipsum, & si non habeat, peccet mortaliter, est valdè irrationabile: quia nõ statim, & tam breui tempore potest sibi offerri obiectum hoc sub debita cognitione, secundùm quam tenetur eum diligere; & si offeratur non est necessarium, vt non possit ex aliqua inaduertentia humana, vel surreptione circa illud peccare, sed statim teneatur actum illum habere in ea perfectione, quæ requiritur ad adimplendum actum illius precepti.

24 Hac ergo opinione dimissa, alij respondent, quod in tali casu veniale simul puniretur cum originali pœna æterna; sicut si decederet cum mortali, & veniale: & sic dicunt esse eandem rationem de mortali, & originali: & sic respondent Richardus, Soto, & alij suprà citati eisdem locis; sed, vt diximus ibi, difficile creditu est, vt qui peccauit solo peccato veniali, debeat puniri in inferno damnatorũ, qui paratus est Diabolo, & Angelis eius, & ijs, qui decedunt in culpa mortali, & in societate Demonum, qui Deũ continuò blasphemant. Aliorũ responsio.

25 Vltimò Suarez respondet posse dici, quòd qui decederent sic cum originali, & veniali, fortasse detinebuntur in limbo puerorum, & ibi aliquam tristitiam patientur; sed neque etiam hæc responsio ipsi placet: quia hoc est. Responsio Suarez. Reijcitur.

incer-

incertum;& sic est sinè fundamento. Dicere enim, quod leuissimo peccato veniali, vt verbo otioso semel dicto, debeatur perpetuus carcer subterraneus in limbo, est certè irrationabile, neque conformis communi doctrinæ catholicæ, quę mortali, non veniali perpetuam pęnam assignat, quæcunque illa sit in intensione.

Vltima responsio.

26 Respondet ergo vltimò, dici posse ad prouidētiam Dei pertinere, vt non permittat aliquem decedere ex hac vita in eo statu.f.in originali simul cum veniali solo. Ad quam responsionem probandam adducit Concilium Florentinum in litteris vnionis asserens duos esse tantùm status descendentium ad inferna.f.vel in actuali mortali, vel in solo veniali.

27 Verùm, quia vidit esse impossibile negare aliquos posse decedere cum originali, & veniali solo, quia possunt accidere aliqui casus, in quibus homo in originali constitutus, postquam venialiter peccauit, repentino euentu moriatur, respondet vltimò. Certum esse peccatum veniale non posse remitti, nisi vel gratia, vel aliquo beneficio Dei, vel denique aliqua dispensatione Deum vti circa illos, qui voluntate sua gratiam Dei non amiserunt: & sic non vult esse posse de facto propter prouidentiam diuinam, vt aliquis decedat ex hac vita cum originali tantùm simul cum veniali, sed Deum in tali casu suo aliquo beneficio illud dimittere.

Reijcitur.

28 Sed hęc responsio ostendit positionem hanc esse sinè fundamento, tàm quò ad demissionem pœnæ venialis, quàm quò ad dimissionem culpæ similiter venialis. Nam quod aliqui non possint decedere ex hac vita cum originali, & veniali tantùm, est omnino vanum, concesso quod homo in peccato originali possit solo veniali peccato peccare. Quid enim prohibet, quòd tunc in eo statu non decedat ex hac vita? Dicere autem hoc pertinere ad Dei prouidentiam, vt non permittat aliquem in eo statu mori, esset facere miracula sine proposito: cum enim secundùm cursum naturalem homo habito illo peccato veniali vno, vel pluribus sit subiectus causis naturalibus, sinè miraculo non potest fieri, quod si illæ ducant hominem illum ad mortem, non moriatur: recurrere etiam in his casibus ad specialem dispensationem Dei, vel ad beneficium speciale, si nos possumus saluare omnia, vt saluamus cum Scoto sinè isto recursu, videtur irrationabile. Concilium autem Florentinum nihil iuuat Suarez, quia Concilium solùm ibi decernit propter duo genera peccatorum tātùm aliquem ad inferna damnari.i.propter peccatum originale, & actuale mortale: an verò aliquis possit simul cum veniali, & originali ex hac vita decedere ibi nullum est verbum, nec intentio.

Ad rōnes p priori opinione.

Ad rationes pro opinione opposita dicitur cap. vltimo.

De dimissione peccati venialis.

Opinio Thomistarum, & aliorum reijcitur, & opinio Scoti explicatur. Caput Secundum.

29 TErtia difficultas proposita à Scoto in hac quæst. 1. dist. 19. erat, an aliquod peccatum quò ad culpam post hanc vitam dimitti possit. In hac difficultate certum est, quod culpa mortalis post hanc vitam, non dimittitur, quod supponit Scotus hic cū omnibus alijs Theologis. Peccatum enim mortale, quod in hac vita non deletur, manet in æternum quò ad culpam, & quò ad pęnam. Remanet ergo difficultas solùm de peccato veniali, de quo sunt varij modi dicendi. Aliqui enim distinxerunt, quod vel loquimur de iustis decedentibus in gratia, vel de decedentibus in peccato mortali, & damnantur in inferno. De his secundis asserunt sinè dubio posse remanere culpam venialem post mortem: sed loquendo de primis tenent partem negatiuam. & hæc tribuitur Alensi 2. par. quæst. 124. alias 107. memb. 10. & 4. par. q. 17. & 27. Hoc tamen in his locis non reperio apud Alensem: tribuitur etiam Maiori in 4. dist. 21. quæst. 3. sed cuiuscunque sit, habet hoc

Opin. asserēs in iustis nō posse remanere pcctū veniale post mortem.

fundamentum: quia homo iustus tempore mortis habēs peccatum veniale, debet de illo habere contritionem, si de illo cogitet: nam si non conteratur, negligit, & contemnit propriam salutem: & sic amittit gratiam: & ideo in Purgatorio aiunt nullam remanere posse culpam venialem.

Fundū allatæ opin.

30 Sed hæc opinio reijcitur, tanquam nimis dura: & ratio est, quia fundamentum eius est falsum. Cum enim culpa venialis non tollat gratiam, non tenetur quis eam detestari sub pœna peccati mortalis, quia non adest tale præceptum: deinde quod ait, huiusmodi iustum contemnere salutem est falsum, quia potest non habere contritionem de illa culpa, vel ex negligentia, vel ex nimia solicitudine circa corporis salutem, vel alias res temporales cum illa spe, quod illud veniale post mortem habeat veniam, sicut negligentia in satisfactione pro pęnis temporalibus peccatorum mortalium propter easdem rationes non est peccatum mortale.

Reijcitur.

31 Præterea Magister sentent. in dist. 21. cap. 4. apertè ait, auctoritates Sanctorum dicentium remitti peccata post hanc vitam, non intelligi debere de dimissione quò ad pęnam solùm, sed quò ad culpam: & probat ex illo Matth. 3. & Luc. 12. *Qui peccauerit in Spiritum sanctum non remittetur ei, neque in hoc sæculo neque in futuro.* Supponendum est ergo cum Magistro in hac distinct. 21. & alijs Theologis communiter, quod culpa venialis manere possit post mortem, etiam in iustis: in quibus, quomodo dimittatur, dicam infrà exponendo opinionem Scoti.

32 Quò ad primum membrum autem est dissensio inter Scotistas, & Thomistas: nam Thomistæ tenent, quòd peccatum veniale remanens in damnato, in inferno non possit remitti, sed in æternum manere, & in æternum puniri, vt vidimus capite antecedenti. Scotus verò sustinet et culpam venialem posse in inferno dimitti quò ad vtrunque scilicet quò ad pęnam, & quò ad culpam. De pęna dictum est capite præcedenti. De culpa agendum est in hoc capite. Fundamentum Thomistarum explicatum est capite pręcedenti. Tenent enim quò ad dimissionem peccati venialis, & quò ad culpam, & quò ad pęnam requiratur infusio gratiæ gratum facientis: & quidem quòd secundùm eos requiratur quò ad dimissionem pęnæ, satis patet ex dictis pręcedenti capite. Quod etiam requiratur quò ad dimissionem culpæ, ex eodem capite patet: nam primum dependet ex hoc secundo; ex hoc enim quod aiunt requiri gratiam ad dimissionē culpæ venialis, deducunt deinde existenti in mortali, nō posse dimitti pęnam venialis peccati: & sic consequenter inferunt, quod cum post hanc vitam existentes in inferno sint sinè gratia gratum faciente, nō potest illis dimitti culpa venialis, neque pęna illis debita, sed vtraque manet necessariò in æternum. Fundamentum ergo totale aduersariorum est, quia ad dimissionem culpæ etiam venialis requiritur aliqua dispositio, seu actus, per quem tollitur culpa, & pęna illi debita: ista autem dispositio, & actus necessariò, ad hoc vt sit gratus Deo, debet esse factus in gratia gratum faciente: qui autem est in mortali, & in inferno, caret illa; ergo peccatum veniale illi non potest remitti in mortali, vel in inferno existenti.

Fundamentum Thomistarum.

33 Hæc opinio autem ex dictis cap. præcedenti reijcitur: nam dimissio culpæ debet proportionari culpæ, sed culpa venialis non contrariatur gratiæ gratum facienti, nec illam expellit, sicut facit mortale; ergo ad dimissionē venialis non requiritur gratia gratum faciens. Maior est euidens, nam vt ostendimus capite præcedenti, conditio subiecti nihil facit ad grauitatem, vel leuitatem peccati: ideò neque conditio eius, nimirum quod sit gratum, vel ingratum Deo aliquid facit ad dimissionem, vel punitionem culpæ. Antecedens probatum est ibidem, quia subiectum qualificatur à peccato, & à culpa, non culpa à subiecto. Subiectum enim est tale, qualis est forma, & macula peccati, quæ est in ipso. Secundùm se enim est in puris

Reijcitur primariò.

natu-

naturalibus à Deo conditum abstrahens à gratia, & culpa. Et confirmatur, quia si attenderetur conditio subiecti, quantò quis esset in maiori peccato, tantò actus illius essent mali, & offensiui Dei, & sic actus de se veniales in peccato grauissimo essent valde mortales, & mortales in habente gratiam, vel venialia tantùm essent peccata venialia, quod est omnino ridiculum. Minor est communiter concessa. Peccatum enim veniale stat cum gratia, & intra latitudinem gratię: ideò cum peccatum veniale abstrahat ab existentia gratiæ in subiecto, & à non existentia gratiæ in subiecto, sicut cum perpetratur gratiam non expellit, ita in remissione gratia non eget: quia omninò ab illa abstrahit.

Confirmatio.

34 Confirmatur. Omnis priuatio tollitur per formam sibi oppositam, nō per formam, quæ sibi non opponitur; sed sic est, quod peccatum veniale non est priuatio opposita gratiæ gratum facienti; ergo ad tollendum hanc priuationem, & culpam peccati venialis, non requiritur necessariò gratia gratum faciens.

2. Ratio, q̃ est Scoti.

35 Secundò principaliter arguo ratione, quam adducit Scotus. Nihil aliud est culpæ venialis remissio, quàm solutio pœnæ temporalis debitæ ipsi culpæ veniali; ergo soluta pœna debita pro peccato ipso veniali, siuè in hac vita, siuè in purgatorio, vel in inferno, dimittitur culpa venialis. Antecedens patet, quia post actum trasceuntem culpa, quæ manet, nihil aliud est, quàm ordinatio, seu reatus, & obligatio ad pęnam debitam illi culpæ, vt diximus suprà dist. 14. q. 1.

Contradictio in Scoto.

36 Sed hic occurrit dubium non leue: quia Scotus in hac quæstione paulò infrà primum modum respondendi ad hanc tertiam difficultatem videtur retractare hanc opinionem, vel saltem cum formidine illi inhærere; vt obseruauit Suarez vbi suprà: nam inquit, quod hic modus dicendi, quod remissio culpæ actualis sit remissio pęnæ culpæ veniali debitæ, repugnat dictis Sanctorum, qui distinguere videntur inter remissionem culpæ cuiuscunque, & pęnæ, & maximè inter remissionem culpæ, & remissionem pęnæ illi debitæ, & proinde assignat alium modum dicendi ad illam difficultatem, vt videbimus explicando eius opinionem.

Solutio.

37 Respondetur, quod Scotus non retractat opinionem, quam sustinet d. 14. q. 1. & cum ait, quod culpa, quæ manet post actum peccati transeuntem, nihil aliud est nisi reatus ad pęnam debitam, non vult dicere, quod culpa illa post actum transactum peccati sit præcisè reatus ille, & nihil aliud: quia suprà ostendimus, quod etiam ait includere carentiam gratiæ, & relationem ad culpam cōmissam, & alias relationes rationis; sed vult dicere, quod nihil aliud est realiter, quàm reatus, & obligatio illa cōtra Thomistas, qui volunt, quod sit sola carentia gratiæ, & quædā priuatio nitoris spiritualis, vt vidimus ibi: cætera enim, quæ in peccato post actum peccati manent, sunt priuationes, vel relationes rationi, sed ipse reatus ad pęnam est id quo formaliter quis dicitur peccator propriè, licèt includat concomitanter carentiam gratiæ, & reliquas relationes ibi explicatas. Quod autem ait Sanctos distinguere inter dimissionem culpæ, & pęnæ, siue inter dimissionem culpæ, & solutionem pęnæ pro illa culpa, ex quo sequitur, solutionem pęnæ non esse dimissionem culpæ, est verissimum; sed locum habet presertim in peccato mortali: nam dimissio culpæ mortalis est commutatio pęnæ æternæ in temporalem, (vt diximus expressè eodem loco, explicando secundum modum dimittendi culpam venialem), & colatio gratiæ gratum facientis: solutio autem, aut dimissio pęnæ est condonatio, vel exatio pęnæ temporalis, in quam æterna fuit commutata. Ex hoc autem non sequitur, quod culpa quæ manet post actum peccati, non sit reatus ad pœnam: immò ex hoc confirmatur: quia dimissio culpæ est ablatio huius reatus ad pęnam æternam, & commutationis in temporalem, & proinde dimissio culpæ venialis est propriè reuocatio, & ablatio obligationis ad pęnam temporalem: solutio autem pęnæ venialis peccati est exactio eiusdem, & sic differunt dimissio culpæ, & solutio pęnæ; & tamen simul stant, quod solutio pœnæ temporalis debitæ culpæ veniali sit dimissio ipsius culpæ venialis: quoniam ad solutionem pœnæ debitæ tollitur reatus, & obligatio ad illam.

Opin. Scoti ĩ tota hac quæstione.

38 Propter has rationes opinio Scoti quò ad vtrãque partem, scilicet quò ad dimissionem pœnæ, & culpæ venialis, mihi videtur rationabilior. Respondet ergo Scotus ad quæstionem propositam quò ad omnes difficultates, & articulos loco citato sic. Cum quæritur, an peccatum aliquod possit dimitti post hanc vitam. Aliqua sunt certa, & aliqua dubia. Ista sunt certa. Primò, quod cum peccatum est dimissum in hac vita quò ad culpam, pęna sibi debita dimittitur post hanc vitam. Secundò, certum est etiam, quod cum peccatum mortale quò ad culpam non dimittitur in hac vita, post vitam hanc nō dimittitur neque quò ad culpam, neque quò ad pęnam. Hæc verò sunt dubia. Primò, An non dimisso peccato veniali quò ad culpam, pęna ei debita dimittatur, vel dimitti possit post hanc vitam. Scotus ait, eius pęnam posse dimitti, & de facto dimitti in inferno, quia eius pęna est temporalis, non æterna, ideò non debet durare in æternum, & à fortiori idem est dicendum in purgatorio, si iustus possit ex hac vita decedere cum culpa veniali, vt aliqui sustinent. Hæc pars opinionis Scoti est probata cap. præcedenti. Secundò, est dubium, an culpa venialis non dimissa in hac vita, possit dimitti in alia vita. Scotus quò ad hunc articulum ponit duplicem modum dicendi. Primus est, quod peccatum veniale quò ad culpam potest remitti in alia vita, & de facto in inferno, & damnatis remittitur: & si maneat in iusto decedente ex hac vita in purgatorio, multò magis dimitti potest.

Primus modus dicēdi Scoti.

39 Ratio Scoti est, quia, vt dictum est in hoc 4. dist. 14. q. 1. culpæ remissio non est aliud, quàm ablatio reatus, seu obligationis pœnæ debitæ pro culpa commissa; cum ergo pœna debita culpæ veniali sit pœna temporalis, illa potest dimitti in purgatorio, & in inferno: quia cum sit temporalis tandem debet habere finem; soluta autem pœna, culpa tollitur, & dimittitur. Non sic de mortali, quia pœna eius est æterna, neque illa potest finiri, nisi mutetur in temporalem, non potest autem mutari in temporalem, nisi per voluntariam displicentiam ordinatam, qualis non habetur post mortem. Nec obstat, quod damnatus sit sinè gratia, quia, vt dixi hoc capite ad dimissionem culpæ venialis, non requiritur gratia: quia sicut, cum committitur, non tollit gratiam, sic neque cum dimittitur necessariò requirit gratiam. Neque obstat assertum illud commune Theologorum, in inferno nulla est redemptio; quia hoc dictu intelligitur de peccatis, & culpis mortalibus propter quas quis damnatur ad infernum, non de culpis illis propter quas ad infernum nemo damnatur, & nemo amittit amicitiam Dei. Sic enim respondet Scotus littera D. versiculo, *Dico ergo* &c.

Q̃uo intelligitur ĩ Inferno nulla ẽ redẽptio.

Secundus modus dicēdi Scoti.

40 Verùm, quia contra hunc modum dicendi expositum videtur esse hæc difficultas: quia inquit Scotus, Sancti videntur distinguere inter remissionem culpæ, & remissionem pęnæ, & maximè inter remissionem culpæ, & pœnæ eiusdem culpæ: vnde videtur esse falsum, quod solutio pœnæ sit dimissio culpæ. Scotus assignat alium modum dicendi. Illa tamen obiectio nihil obest doctrinæ prædictæ Scoti: quia vt dictum est suprà; licèt dimissio culpæ, & solutio pœnæ eiusdem non sint idem formaliter maximè in peccato mortali: tamen in veniali stant simul, & ad solutionem pœnæ sequitur dimissio culpæ: tollitur enim reatus, & obligatio ad illam pœnam. Vnde Scotus in responsione ad argumenta supponit primum modum dicendi esse verum. Assignat autem hunc secundum modum propter eos, qui non velint sequi suam sententiam: neque intelligunt quomodo solutio pęnæ, & dimissio culpæ distinguantur, & tamen sint idem, siuè simul manent. Secundus ergo modus est, quod peccatum veniale in decedente in charitate statim post mortem remittantur, nō

per

per aliquem actum meritorium, quem habeat iustus post mortem: quia nullus datur, sed propter aliquem actum factum à iusto in vita acceptatum à Deo, etiam si ipse iustus illum actum non referat ad Deum pro veniali. Ratio autem est, quia ad delendum peccatum veniale, non requiritur necessariò penitentia, & displicentia peccati, sed potest deleri per aliquem actum Deo magis gratum, quàm actus peccati fuerit displicens. Cum ergo in vita sic culpa venialis possit dimitti, non est inconueniens dicere, quod etiam in primo instanti post mortem deleatur per acceptationem operum illorum à Deo, licèt iustus tunc non possit illa referre meritoriè ad Deum pro illis culpis. Cur autem Deus in vita prius illa peccata venialia per illos actus bonos non dimiserit? Respondet Scotus, quod si nõ posuit iustus obicem cõtinuando semper peccatum, in vita ei dimissa sunt: si verò posuit obicem, Deus illa in vita non dimisit: sed post mortem non potuit ponere amplius obicem continuando in peccato, quia post mortem nemo amplius meretur, vel demeretur. Non dimisit ergo Deus culpam venialem ante mortem, quia ille posuit obstaculum, & impedimentum, sed post mortem illud obstaculum ablatum est, ideo statim post mortem à Deo dimittitur.

Opinio, & obiectio ex Suarez, & alijs refellitur.

Et per hoc patet confutatio opinionis, & obiectionis Suarez disp. ij. sect. 4. num. 12. qui non vult, quod culpa venialis peccati dimittatur in primo instanti mortis, seu separationis à corpore propter opera, & actus bonos factos in vita acceptatos à Deo, vt dicit Scotus; sed vult illa dimitti per actum bonum in illo instanti separationis animæ à corpore, quod est primum nõ esse huius vitæ; quod probat, quia anima in illo instanti est expedita ad operãdum propter separationem à corpore, & optimè cognoscit statum suum, habet etiam auxilium Dei sufficiens, & sic habet actum feruẽtis charitatis in Deum, propter quẽ omnes culpæ veniales ab eo tolluntur; & dicit hanc esse opinionem D. Thomæ q. 7. de Malo art. ij. & reuera est Richardi dist. 21. a. 2. q. 1. Paludani q. 1. a. 1. concl. 3. Durandi, Maioris, Almayni, & aliorum, qui insuper addunt hanc rationem contra opinionem Scoti; quod interdum posset accidere, quod aliquis decederet ex hac vita cum culpa veniali tantùm sinè vllis meritis; ergo nec ab ipso, nec à Deo possent referri, vel acceptari pro illa culpa veniali. Et Suarez contra Scotum quærit, cur peccata venialia per bona opera illa iustorum facta in vita non sunt remissa in vita? Habet dicere Scotus, & dicit, quod hoc euenit propter obstaculum: quia anima non habebat debitam dispositionem: at hæc eadem indispositio remanet post mortem; ergo pari ratione non potest dimitti, nisi per actum nouum contritionis se disponat, vt dixit Suarez cum alijs huius opinionis.

1. Ratio cõtra Scotũ.

2. Ratio cõtra Scotũ.

Reijcitur.

41 Hæc opinio contra se habet validum argumẽtum, quia vt inquit Scotus in fine illius quæstionis ante solutionem argumentorum ponere in anima separata aliquem bonum motum, vel dispositionem, qua de congruo, vel de condigno quis mereatur deletionem culpæ venialis, non est cõsonum doctrinæ Theologiæ, quæ ponit statum illum immunem ab istis: neque Suarez huic rationi aliquid respondet, & tamen est communis assertio Theologorum, quod post hanc vitam non datur potestas merendi, neque demerendi: ideo falsum est in primo illo instanti separationis animæ à corpore, illam posse habere actũ meritorium delentem culpas veniales. Dicere autẽ, quod hoc intelligitur de peccatis mortalibus tantùm, non de venialibus, vt ait Richardus, videtur exceptio volontaria: quia auctoritates dicentes post hanc vitam non esse pœnitentiam, sunt vniuersales, vt illud. *Vbicunque ceciderit lignum ibi manebit in æternum.* & similes, & Magister Sen. dist. 21. cap. primo apertè insinuat culpas veniales dimitti per opera bona, quæ iusti fecerunt in hac vita; & hanc esse sentẽtiam Patrum communem, inquit enim. *Quædam enim culpæ in hoc seculo relaxantur, quædam verò paruæ etiam in futuro, quæ quidem post mortem grauant, sed dimittuntur si digni sunt; si bonis actibus in hac vita meruerunt, vt dimittantur eis.* & clarè innuitur in illa auctoritate Apostoli 1. Corinth. 3. *Sic saluus erit quasi per ignem;* ostendit enim culpas veniales dimitti per purgationem ignis purgatorij, non per aliquam pœnitentiam.

42 Ad primam rationem autem contra Scotum respondeo, casum illum in iusto dari non posse: quia cum quis iustificatur per bona opera, & per contritionem, vel per susceptionem sacramentorum, non est existimandum opera illa, vel susceptionem sacramenti præcisè attingere remissionem culpæ mortalis, nec esse ita exiguæ virtutis, vt non possit etiam culpas veniales dimittere: Dei opera perfecta sunt: ideò cum iustificat hominem à maiori, quæ est culpa mortalis, dicendum est iustificare quoque à veniali: & si quid residuum esset ordinare per pœnam. Vnde etiam dato casu hoc, quod iustus recedat ex hac vita cum culpa veniali, & sinè vllo opere bono applicabili illi culpæ veniali per se, opera, per quæ iustificatur à mortali, merentur, vt iustificetur quoque à veniali, & per pęnam temporalem, quod deest, compensetur.

Ad secũdũ.

43 Ad aliud ex Suarez respondeo, quod iam Scotus assignauit discrimen, propter quod culpa venialis per opera bona facta in vita non fuit dimissa: dimittitur verò in separatione animæ à corpore, scilicet quia prius ponebat obstaculum continuando actum peccati venialis: ideò illo manente non potuit dimitti; post separationem animæ à corpore non manet illud obstaculum, & indispositio, quia amplius non potest demereri, sicut nec mereri: ideo Deus tunc potest acceptare opera bona prius facta pro deletione illarum culparum; ex eo enim, quod videt Deus eum ex hac vita transire in gratia, licèt in quibusdam leuibus offenderet, ex sua magna liberalitate habens oculum ad opera bona, quæ fecit in vita condonat illas paruas culpas, vt generosus Princeps, qui videt militem suum de suo inimico victoriam obtinuisse, & si in aliqua re leui deliquærit, obliuiscitur omnia, & illi donat coronam.

Primũ corrolariũ Scoti.

44 Ex dictis colligit Scotus duo corrolaria. Primum quod in instanti mortis, seu separationis animæ à corpore, quo anima primum est extra viam remittuntur venialia; ratio est dicta, quia tunc non manet actus peccati venialis, & per consequens tunc cessat impedimentum, propter quod in vita peccati venialis culpa dimitti non poterat, patet ex dictis.

Secundum corrolariũ Scoti.

45 Secundum corrolarium Scoti est. Omne peccatum veniale morientis in charitate remittitur in hac vita, nisi ille continuet actum peccati venialis vsque ad mortem, seu ad instans prædictum mortis, quo fit extra viam.

46 Hoc corrolarium habet duas partes, quæ secũdùm Scotum ambæ sunt probabiles. Prima est, quod Deus remittat omne peccatum veniale, morientis in charitate in vita sua; hoc est tunc quando facit opus illud magis acceptum Deo, quàm fuerit displicẽs culpa venialis; hoc enim est meritorium deletionis illius culpæ venialis. Alia pars est, quod fortasse Deus tunc non remittit culpam venialẽ, quando quis facit opus bonum, & acceptum Deo magis quàm culpa venialis, tunc fuerit displicens, sed solùm in instanti separationis animæ à corpore. Quænam istarum duarum viarum sit verior Scotus non determinat; tamen videtur magis adhærere secundæ parti: quia contra primum modum adducit instantiam, quam probat esse valdè rationabilem. Instantia est, quod quis posset dicere, quod Deus ordinauit bona merita reseruari in æterna acceptatione vsque ad separationem animę à corpore, vt suæ proprium præmium habeant; & consequenter ordinauit, quod etsi bona opera magis grata, quàm displicuerit culpa venialis sint meritoria deletionis culpæ, tamen hoc pręmium non sint consecutura, nisi post hanc vitam; nimirũ in primo instanti separationis à corpore.

47 Hanc autem instantiam esse probabilem colligit Scotus à simili in alijs; nimirum in præmiatione operis meritorij augumenti gratiæ, &c. nam licèt quodcunque meritum mereatur augumentum gratiæ, (*vt credo*, inquit Scotus,

Scotus, ex quo patet eum tenere hanc opinionem, de qua distin. sequenti) quod probat Scotus: quia cuicunque merito respondet aliquis determinatus gradus gloriæ, ad quẽ requiritur aliquis gradus gratiæ, vt dispositio respondens illi gradui gloriæ; tamen Deus non semper post actum quemcunque meritorium dat gratiam auctam, & intensam proportionaliter ad meritum, quod videbimus sequenti disputatione: quia in aliquo resurgente à peccato reuiuiscunt omnia merita præterita, & tamen non dat tunc semper illi Deus gratiam proportionatam illis meritis, sed aliquando valdè minus intensam: quia actus, per quem surgit à peccato, & per quem Deus illi dat gratiam, non est ita valdè intensus, vt disp. sequenti videbimus: (ex quo patet quàm malè Vasquez p. 2. disp. 220. cap. 2. & alij malè intelligant, & referant opinionem Scoti, vt suo loco dicam) augumentum autem gratiæ debitum meritis illis remissis, & reuiuiscentibus differt vsque ad instans mortis: ita videtur rationabile, quod deletio culpæ venialis, quæ est quoddam præmium istorum meritorum non principale, sicut nec augumentum charitatis, & gratiæ in tali, vel tali gradu in hac vita est præmium principale, reseruatur ad vltimum instans, quo anima separatur à corpore: quoniam tunc homo constituitur in alio statu, in quo præmiũ meritorum ei reddi debet, & cessat impedimentum, quo premium illud sibi reddi non poterat, qui erat status viæ, vel aliquid concomitans statum viæ, siuè illud sit decretum diuinum, siuè continuatio in peccato veniali, vel aliquid aliud.

Cuicũque merito correspõdet determinatus gradus gloriæ.

Vasquez, & alij malè intellexerũt Scotum.

48 Hac habita probatione huius modi dicendi, reijcit rationem quorumdam aliorum, qui pro hoc modo dicendi assignabant hanc rationem; quod in instanti mortis homo exponitur, multis tentationibus, & proinde eget tunc valdè adiutorijs, & proinde præmium meritorum tunc debet illi reddi vt euadere possit: inquit enim Scotus falsum esse in instanti mortis hominem esse expositum tentationibus: quia in instanti mortis anima est separata à corpore, & per consequens nõ est in via, sed in termino; & proinde tunc non est exposita tentationibus.

49 In extrema parte huius quæstionis inquit, quod si neuter duorum modorum prædictorum assignatorum, quibus asserit post mortem dimitti peccata venialia, placet, difficile est alium inuenire. Recurrere enim ad motũ bonum aliquem, & contritionem, quam tunc habeat, vt Suarez, & alij citati vbi suprà ab eo asserunt, non est conforme Theologiæ, quæ ponit statum futuræ vitæ immunem ab omni opere meritorio, & demeritorio; & tamen est necessarium saluare, quod peccata venialia aliqua dimittantur post hanc vitam propter auctoritates Sacræ scripturæ, & Sãctorum Patrum adductas à Magistro, quæ asserunt, aliqua peccata dimitti in futuro seculo ad differentiam illorum, quæ neque in hoc seculo neque in futuro dimittuntur, iuxta verbum Christi suprà adductum. Circa vltimum corrolarium sunt aliqua dubia, de quibus capite sequenti.

Per quid remittitur culpa venialis in hac vita; & solutio obiectionum superioribus capitibus adductarum; & argumentorum principalium Scoti.

Caput Tertium.

50 Dicebamus in secundo corrolario Scoti capite precedenti adducto contineri duo. Primum, quod culpa venialis morientis in charitate dimittitur in hac vita, nisi continuet peccare vsque in finem vitæ; & hoc per opera bona facta ab eo in vita. Secundum forsam non dimitti in hac vita, sed in fine vitæ, seu in primo instanti separationis ab anima, quod est post hanc vitam: & hoc secundum Scotus iudicat valde probabile, vt vidimus superiori capite; sed quia est difficultas grauis inter Doctores circa dilationem remissionis culparum venialium; quia non videtur rationabile fundamentum adductum à Scoto à simili, scilicet quod augumentum gratiæ promeritum per opus bonum non statim conferatur ipsi merenti, sed differatur vsque ad aliam vitam, vt docuit Scotus suprà, quia de hac re dist. sequenti erit sermo, illuc vsque differemus. Agemus ergo hic de primo, scilicet de ijs, quibus culpa venialis deletur, siuè postea deletio hęc statim accedat ipsi pœnitenti, siuè post hanc vitam.

An peccatũ veniale per opera bona facta ĩ vita deleatur.

51 In hac quæstione certum est peccatum veniale dimitti posse per pœnam, seu motum bonum interiorem, scilicet per contritionẽ: si enim per illam dimittitur culpa mortalis, multò magis dimitti potest culpa venialis. Similiter certum est posse dimitti per pœnam exteriorem, vt per ieiunia, orationes, & similia, de quibus egimus tractando de satisfactione. Inquit tamen Scotus, pœnam istam, siuè interiorem, siuè exteriorem non esse necessariam, sed sufficere quodcunque bonum opus magis acceptum Deo, quàm fuerit displicens actus culpæ venialis, siuè illud referatur à pęnitente ad peccatum veniale, siuè non referatur à pœnitente ad illud, sed à Deo pro illo acceptetur.

Peccatũ veniale dimitti põt p pęnitẽtiã internã, & externã, sed hoc non est necessarium.

Dubium vero est, an per aliquod opus, præterquam opus voluntariè factum, & habens virtutem ex opere operantis, possit deleri peccatum veniale: nempè per aliquod opus, habens virtutem ex opere operato. Et quoniam communiter solent numerari sex, quibus hæc virtus remittendi peccata tribuitur, est dissensio inter Doctores, an hæc sex ex opere operantis, an ex opere operato dimittant culpam venialem, & hic de his est agendum. Ista autem sex adducuntur à Soto in 4. distinct. 15. quæst. 2. art. 3. & sunt contenta in hoc versu. *Orans, tinctus, edens, confessus, dans, benedicens*, Idest oratio dominica, aqua benedicta, panis benedictus; Soto autem per hunc panem intelligit Eucharistiam, sed malè: quia Eucharistia non est sacramentale, sed sacramentum; confessio generalis, eleemosina, Episcopi, vel Abbatis consecrati benedictio. Illæ enim sex voces ad hæc sex membra accõmodantur. Adducuntur etiam tria, scilicet *oratio in Ecclesia consecrata; tunsio pectoris; & Sacra vnctio.* Sed ista ad priora reduci possunt: nam duo priora reduci possunt ad *orationem*. Sunt enim species orationis. Sacra verò vnctio, si summatur principaliter, est sacramentum, scilicet extrema vnctio, & confirmatio: si verò accipiatur pro ceremoniali vnctione, potest reduci ad tinctionem; vnctio enim est quædam tinctio.

Qũo p sacramẽtalia dimittãtur culpæ veniales.

52 Ista autem dicuntur sacramentalia, quia sunt ceremoniæ quædam institutæ ab Ecclesia ad ornatum, solemnemque ritum sacramentorum: vnde non habent efficaciam ex institutione Christi, quia non sunt institutæ à Christo; sed si habent, habent ab Ecclesia. An verò Ecclesia habeat potestatem instituendi sacramentalia, quæ ex opere operato habeant vim delendi culpam venialem; & rursus dato, quod habeant hanc potestatem de facto, de institutione est dubium: ideò de virtute horum sacramentalium, an habeant hanc vim ex opere operato, vel ex opere operantis, est duplex opinio.

Cur dicant sacramẽtalia.

53 Prima opinio est eorum, qui asserunt hæc sacramentalia tollere peccatum veniale ex opere operato. Ista tamen opinio varijs modis explicatur. Aliqui enim dicunt facere hunc effectum mediante actu liberi arbitrij, scilicet excitando liberum arbitrium ad faciẽdum actum sufficientem ad delendum culpam venialem: & hæc opinio tribuitur Petro Soto lect. 18. & Gabrieli in 4. distinct. 16. quæst. 5. art. 3. dubio 3. Aliqui alij dicunt ea immediate remittere culpam, ita tamen vt requirant attritionem saltem imperfectam; & hæc tribuitur Paludano distinct. 16. quæst. 1. art. 2. conclusione 4. & Diuo Antonino 1. par. titul. 10. cap. 1. §. 5. & Diuo Bonauenturæ in 4. qui distin. 21. p. par. art. 1. quæst. 2. fusè tractat hanc quæstionem, & tandem ait *veniale peccatum posse deleri libero arbitrio cõcomitante, & aliquo exterius*, idest his sacramentalibus, *adiuuante*, quod amplius declarat hæc verba subijciendo. *Vnde si liberum arbitrium gratiæ non repugnat volendo persistere in culpa, & gratia virtute sacramenti, vel rei sacramentalis vigoretur, culpam venialem delet.* & in fine

Opinio asserẽs habere vim ex opere operato.

D. Bonau.

articuli

articuli concludit in hæc verba. *Et sic potest responderi, quod quamuis venialia valde congruè per pœnitentiam deleantur, possunt tamen per gratiam aliter adiunctam deleri.* Ait tamen D. Bonau. hæc sacramentalia adiuuare gratiam, quia in talibus vt plurimum est humiliatio, & deuotio, quæ est actus gratia informatus repugnans veniali, & pęnalitas quædam, quæ repugnat inordinatæ delectationi.

Opin. Soto cũ eius fundamento.

Soto autem in 4. d. 15. q. 2. a. 3. propè finem apertè ait, hæc sacramentalia dimittere culpam venialem ex opere operato, & virtute clauiũ Ecclesiæ, quod probat: quia sanctionibus, & vsu, ac more Ecclesiæ habetur hæc sacramentalia dimittere culpas veniales, vt patet ex Canonibus, ex quibus hæc sacramentalia habere hanc virtutem constat. Et rursus confirmatur ex verbis, quibus benedicitur aqua. Et insuper, quia nisi hæc sacramentalia dimitterent culpam ex opere operato, nõ plus faceret dicere *Credo*, quàm *Pater noster*, & aspergi aqua benedicta, quàm nõ benedicta, nec benedici ab Episcopo, quàm à simplici sacerdote: & hanc sententiam sustinent alij, vt Cano lib. 12. de locis cap. 13. ad 9. & alij.

Secũda sententia, quod nõ ex opere operato, sed ex opere operãtis dimittant culpam.

54 Altera sententia est omnino in altero extremo, scilicet hæc sacramentalia non remittere culpam venialem ex opere operato, neque ex virtute clauium, vt volunt Soto, & alij suæ opinionis, sed solùm ex opere operantis. Hãc sententiam expresse tenent Alensis 4. p. q. 12. m. 4. ar. vltimo, vbi sustinet ad omne peccatum tam mortale, quàm veniale requiri pęnitẽtiam in generali, vel in speciali: per generale autem intendit omne bonum motum liberi arbitrij. Richardus dist. 21. a. 3. q. 1. D. Thomas in 4. dist. 16. q. 2. a. 2. q. 4. & dist. 21. q. 2. art. 7. ad principale. Durandus d. 21. q. 3. quos deinde multi alij ex posterioribus sequuti sunt, quos adducit, & sequitur Suarez disp. 12. sect. 2. neque ego puto D. Bonau. & alios suprà citatos, excepto Soto, & alijs suæ opinionis, ab hac secunda sententia dissentire: quia vt visum est, requirunt bonum motum liberi arbitrij in dimissione peccati venialis, & D. Bonau. & alij dicunt, ideo hęc sacramentalia prodesse, quia excitant deuotionem, & humiliationem in libero arbitrio.

Scotus ẽ huius opinionis.

Scotus etiam hanc opinionem, quæ est communior, & antiquorum Theologorum, supponit veram, vbi suprà dum ait, *quod peccatum veniale in hac vita potest remitti nõ tantùm per pœnam interiorem, vel exteriorem, quia illa non est necessaria ad hoc, sed per aliquem actum Deo magis acceptum quàm peccatum veniale fuerit, displicens, & hoc vel relatum ab ipso operante ad peccatum veniale remittendum, vel non relatum ab ipso, sed à Deo acceptante in ordine ad illud.* Requiritur ergo secundùm Scotum actus bonus liberi arbitrij ad delendum culpam venialem. Patet autem per actum bonum intelligere actum bonum ex opere operantis, non ex opere operato, quia de opere operato non facit mentionem; & eadem quæst. argumento 4. principali dicit peccatum veniale dimitti per minimam pęnam, vt per aspersionem aquæ benedictæ, & in responsione supponit aspersionem aquæ benedictæ esse pęnam. Supponit ergo habere vim suam ex opere operantis. Vnde cum supponat peccatum veniale dimitti per hæc sacramentalia, supponere etiam habet hæc sacramẽtalia habere vim ex opere operantis, non ex opere operato.

Fũdamẽtũ huius opinionis.

55 Fundamentum huius secundæ opinionis in speciali non adducitur, sed videtur fundari in illa communi assertione, quod sola sacramẽta instituta à Christo habeant efficaciam suam ex opere operato. Vnde cum ista sacramentalia non sint instituta à Christo, vt patet, sed ab Ecclesia, quæ ex D. Augustino Epistola 118. ex institutione Christi habet potestatem ordinandi ea, quæ ad ritum sacramentorum pertinent, non possunt habere vim dimittendi culpam aliquam, neque etiam venialem ex propria vi sibi collata ab instituente; sed quatenus iunguntur actui bono liberi arbitrij: & proinde Suarez vbi suprà contra priorem opinionem prolixa oratione duo probat. Ecclesiam non habere potestatem instituẽdi aliqua instrumenta, quæ ex opere operato tollant peccata venialia. Secundo dato quod hæc potestas sit in Ecclesia nullibi constare instituta esse aliqua sacramentalia, quæ habeant hanc virtutem.

Ratio specialis cõtra Soto.

56 Sed breuiter contra Thomistas, & pręsertim Soto est efficax argumentum hanc potestatem non esse in Ecclesia: quia certum est Ecclesiam non habere potestatem instituendi sacramenta noua, quæ efficiant gratiam ex opere operato; neque alia instrumenta, quæ tandem gratiam gratum facientem per se ex opere operato efficiant: at per eos peccatum veniale non potest tolli, nisi per collationem, vel augumentationem gratię habitualis, vt visum est cap. primo huius disput. ergo non potest dimitti per sacramentalia ex opere operato.

57 Sed his dimissis, fundamẽtum principale est, quia hanc auctoritatem esse in Ecclesia non potest colligi neque ex Sacra scriptura, neque ex traditione Ecclesiæ; neque necessariò sequitur ex alijs principijs reuelatis, & creditis, quod autem aliquo horum trium modorum nõ habetur, non est ponendum in Ecclesia; ergo. Antecedens patet, quia ex Sacra scriptura non habemus nisi illas duas auctoritates, quibus videatur hæc auctoritas data esse Ecclesiæ Ioan. 20. *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis*, &c. sed in hac institutum est sacramentum pœnitentiæ, vt visum est suprà agendo de confessionis institutione: ideo non facit ad rem. & Matth. 18. *Quæcunque solueritis super terram*, &c. sed hic datur potestas in foro exteriori, & ligandi, & soluendi per censuras, vt patuit suprà agendo de clauibus: & hic est communis sensus omnium Theologorũ, quod si quis adducat verba illa Matt. 16. *Tibi dabo claues*; iam suprà agendo de clauibus diximus hic tradi duplicem auctoritatem, scilicet ordinis, & iurisdictionis, & scientiæ ac potestatis iudicandi peccata; & tandem concedendi indulgentias. De potestate instituendi aliquod opus delens peccati culpam ex opere operato, ne vllum verbum, nec aliquis Theologorum hoc somniauit.

58 Ex traditione Ecclesię potius habemus oppositum, quoniam non habetur talis vsus in Ecclesia, vt ipsa talia opera instituat, vt patebit agẽdo de his sacramentalibus: si enim aliquãdo hoc fecisset, maximè fecisset in his sacramentalibus. Nulla etiam est necessitas dandi hanc potestatẽ Ecclesiæ, neque ex alijs creditis deducitur: quia iam Christus instituit septem sacramenta, quæ ex opere operato tollunt venialia: deinde sunt multa alia opera, quæ ex opere operantis, & ex dispositione eiusdem venialia deleant; ergo non erat necessarium hanc potestatem Ecclesiæ tribuere.

Fũdamẽtũ Soto reijcitur.

59 Tandem fundamentum Soto, & aliorum huius opinionis hoc non conuincit; in eo enim maximè facit vim. Primo, quia in Canone *De quotidianis*, de pœnitentia d. 3. vbi dicitur, quod oratio Dominica delet peccata venialia, & cap. *Tres*, eadem dist. vbi de tunsione pectoris mentio fit, & cap. *Medicina*, & cap. *Medicamentum*, in quibus dicitur, quod eleemosina remittit peccata venialia: (licèt à Soto malè hi textus citentur) at in his capitibus non habetur ista esse sacramentalia instituta ab Ecclesia ad delendum peccata venialia; sed solùm vt actus virtutum habere efficaciam ad remittendum peccatorum venialium culpas per modum impetrationis. Vnde tribuitur his virtus etiam ad remittendum mortalia, licèt minus, quàm ad venialia: quia mortalia sunt maiora venialibus: ideo respectu venialium habent maiorem virtutem ad illa remittenda. De confessione generali dicit non haberi quidem textum, qui hanc virtutem ei tribuat contra Paludanum; sed ait hoc deduci ex ecclesiastica cõsuetudine: quia hac de causa ait confessionem generalem pręmitti à sacerdote in Missæ sacrificio, & in completorio; sed hoc non cogit, quia pręmittitur, non quia iudicetur per illã dimitti peccata venialia ex opere operato, sed quia est bonũ opus, cui si respõdeat bonus actus interior est fructuosus, & meritorius ex opere operantis, in quantum vnusquisque cum sacerdote illo confessionẽ facit: in quantũ verò absolutio

De oratione Dominica.

De tũsione pectoris.

De eleemosina.

fit à sacerdote, est oratio, quæ virtute Ecclesiæ, in cuius persona sacerdos facit illam absolutionem, habet aliquam vim per modum impetrationis sicut aliæ orationes Ecclesiæ. Idem dicẽdum de benedictione Episcopali: illa enim est quædam deprecatio facta ab Episcopo pro populo, vt colligit Suarez ex Epistola D. August. 59. q. 5. quæ cum fiat à Ministro principali Ecclesiæ pp Ecclesiæ merita habet maiorem vim impetratoriam. Quod verò adducunt aliqui pro hac benedictione Episcopali caput *Benedictio*, & caput *Maledicam*, 1. q. 1. meritò à Suarez reijciuntur, quia in illis capitibus nihil de hac re, vel alia simili habetur: citatur etiam caput *Dictum*, 1. q. 1. sed vt rectè habet Suarez vbi suprà D. August. ex quo sumitur, tex. ille nihil aliud docet nisi sacramentalium consecrationem, seu benedictionem non priuari suo effectu propter malitiam sacerdotis, quia gratiarum Spiritus non sequitur personam digni, vel indigni, sed traditionẽ ordinationis. Additur, quod, quãdo Episcopi solemniter benedicunt, solent concedere indulgentiam, & sic tunc benedictio valet ad dimissionem pęnarum pro peccatis, vt diximus agendo de indulgẽtijs.

De benedictione Episcopi.

Oratio in Ecclesia consecrata similiter ex opere operato nullam habet vim, sed ex meritis Ecclesiæ, pro qua locus ille benedicitur, & consecratur ab Antistite, habet maiorẽ vim impetrandi. Vnctio autẽ vel accipitur pro sacramentis extremis vnctionis, & chrismatis: & tũc nõ facit ad rẽ, quia illa sunt sacramẽta, non sacramentalia; vel accipitur pro quibusdam ceremonijs ad ornatum, vel aliquam significationem sacram ordinatis, de quibus in titulo de sacra vnctione; sed illis non habetur, quod sint instituta ad delẽdum peccata venialia: nam in titulo de sacra vnctione, qui citari solet, agitur de extrema vnctione, & chrismate, quæ sunt sacramenta non sacramentalia. Agitur etiam de his vnctionibus dictis, quæ non sunt sacramenta, sed non asseritur, quod sint instituta ad delendum peccata venialia. De pane benedicto, qui à D. Augustino appellatur *panis Cathecumenorum*, lib. 2. de peccatorum meritis, cap. 26. qui loco Eucharistię dabatur Cathecumenis in primitiua Ecclesia, quando fideles solebant diebus omnibus communicari: cessante illa consuetudine loco Eucharistię introductum fuit, vt hic panis benedictus daretur etiam baptizatis, quasi in memoriam, & significationem Eucharistiæ; de qua re potest videri Vualdensis de sacramentalibus cap. 167.

De oratione in Ecclesia consecrata.

De vnctione sacra.

De pane benedicto.

60 Tandem ad aliud Soto de aqua benedicta, in qua ipse facit maximã vim, & videtur habere maiorem probabilitatem: quia instituta fuit ab Alexandro I. vt habetur prima eius Epistola, & cap. *Aquam*, de consecrat. distinct. 3. & comparatur cum legalibus cæremonijs, quæ videbantur sanctificare modo suo ex opere operato.

De aqua benedicta.

61 Respondet D. Thomas in 4. dist. 6. q. 2. a. 3. q. 2. ad 4. & alibi etiam aquam benedictam ex opere operato non habere hanc vim delendi peccata venialia, sed ex opere operantis, & ratio est, quia si instituta fuisset ad hunc effectum, vt deleret peccata venialia, in eius institutione debuisset distinctè explicari, cum sit res grauis, vt rectè ait Suarez: talis autem explicatio non habetur; ergo ex hac institutione illud non colligitur, sed tantùm, quod sit sanctificans ex opere operantis. Verbum enim illud latè patet: & confirmatur hæc expositio, quia ceremoniæ legales, licèt auferrent peccata venialia, vt habet Diuus Augustinus de vera, & falsa penitentia cap. 20. tamen non faciebant hoc ex opere operato, sed quatenus erant actus Religionis, & humiliationis cuiusdam. Vnde cum fiebant debito modo, poterant ex dispositione operantis conferre illum effectum. Addit Diuus Thomas vbi suprà, aquam benedictam ex intercessione Ecclesiæ habere vim quandam moralem ad tollenda impedimenta, & coercendum Dæmones, sicut Exorcismus; vel etiam excitando in homine bonum motum; & hoc modo ait deseruire ad iustificationem, quæ omnia intelliguntur per modum impetrationis.

Responsio Soto reijcitur.

62 Quod autem ait Soto responsionem Diui Thomæ debere intelligi, quod aqua benedicta, & alia sacramentalia dimittunt venialia, quia inclinat ad motum pęnitentiæ, non autem quia semper requiratur illa excitatio, sed quod de se ad hoc sint instituta, facit cõtra ipsum; si enim instituta sunt illa sacramentalia ad excitandum bonũ motum; ergo non sunt instituta, vt ex opere operato dimittant venialia, & habeant efficaciam suam. Est ergo dicendum habere vim ex opere operantis, quatenus sunt opera bona ipsius operantis, vt dicebant Scotus, & Doctores antiquiores.

63 Nunc superest argumenta in tota hac disputatione contra opinionem Scoti, & pro alijs opinionibus adducta reijcere. Ad argumentum pro prima opinione cap. 1. adductum, quod si veniale dimitteretur in inferno, sequeretur aliquod peccatum redemi in inferno: iam respondit Scotus, quod duplex est peccatũ. Aliud pro quo quis damnatur ad infernum, vt est mortale: & de hoc non est redemptio in inferno. Aliud est, per quod nemo damnatur in inferno, vt veniale: & de hoc non est inconueniens dari redemptionem in inferno, vt dictum est suprà.

Ad argumentũ pro prima opinione cap. 1. adductũ.

Ad primum argumentum cap. 1. adductum à Thomistis respondeo, verissimum esse culpam omnem tolli per gratiam, quæ repugnat gratiæ, & destruit gratiam: quia omnis priuatio tollitur per suum positiuum oppositum; sed culpa, quæ stat simul cum gratia, nõ tollitur per ipsam gratiam, cum maneat cum illa, sed per aliquid aliud: ita in proposito culpa venialis non tollitur per gratiam, quia illi non opponitur, sed per aliquid aliud, scilicet in habẽtibus charitatem, & gratiam ipsam per aliquod opus bonum; in non habentibus gratiam per solutionem debitæ pęnæ temporalis, vt dictum est.

Ad primũ argumẽtũ cap. primo adductũ à Thomist.

64 Ad secundum ex Suarez, & Soto respondeo, falsã esse absolutè illam propositionem, quod culpa non dimittatur sinè bono aliquo actu ipsius pęnitentis. Ostendimus enim cap. 2. culpas veniales dimitti in primo instanti separationis animæ à corpore, quod est post hanc vitã absque aliquo bono motu ipsius animi, vt cap. 2. contra ipsum Suarez ostendimus, quia post hanc vitam non datur potestas merendi, nec demerendi. Ad probationem respondetur, bonum motum requiri ad merendum, non autem absolutè ad satisfaciendum: licèt in hac vita sit necessarius saltem patienter ferre pęnam inflictam: quia hic est status merendi, & demerendi, & actus inuoluntarius non est vllius momenti. Absolutè tamen sufficit solutio pęnæ debitæ, & sic post hanc vitam culpa venialis dimittitur, etiam in purgatorio, non per bonum actum voluntatis, quia ille nihil iuuat, etiam respectu pęnæ, quia ibi non est voluntaria solutio, sed coacta: ideò non est mirum, quod etiam culpa venialis possit dimitti in inferno per solutionem pęnæ, licèt non adsit actus vllus voluntarius bonus, sed simplex exactio pęnæ temporalis debitæ.

Ad secũdũ.

65 Manent soluenda argumenta principalia Scoti, quorum primum est. Nullus moriens iustus, & in gratia potest amplius peccare; ergo neque moriens in peccato postea potest resurgere à peccato; ergo post hanc vitam nullum peccatum dimittitur. Secunda consequentia est euidens. Prima verò probatur tripliciter. Primò, à simili, quia posse peccare, & posse surgere à peccato, videntur esse similia, vt patet ex hoc statu viæ, qui enim potest peccare, potest etiam surgere à peccato; ergo in eo statu, in quo homo non potest amplius peccare, videtur dicendum, quod neque etiam possit surgere à peccato. Secundò probatur à maiori, faciliùs est cadere, & peccare, quàm resurgere à peccato; sed post hanc vitam nemo potest cadere, & peccare; ergo nemo quoque potest resurgere à peccato, & illud sibi dimitti. Tertiò probatur ratione status: nam ille solùm potest resurgere à peccato, qui potest mereri, sed post hãc vitam nemo potest cadere, & peccare; ergo neque mereri: & consequenter ei, qui in peccato mortuus est, non potest culpa dimitti.

Primũ argumẽtum principale Scoti.

66 Scotus ad hoc argumentum negat primam consequẽtiã. Ad primã probationẽ negãdo similitudinẽ. Ratio discri-

Solutio Scoti.

discriminis est, quia peccare est liberè agere, vt patet pro hoc statu viæ: at resurgere à peccato, siue immunem fieri, & liberari à peccato etiam in statu viæ non requirit agere liberè: quia si sequamur primum modum dimittendi culpam venialem post hanc vitam, dicemus, quod remitti culpam est soluere pœnam debitam pro peccato, quod nihil aliud est, quàm pati pœnam prędictam. Si sequamur verò secundum modum ibi expositum resurgere à peccato, & dimitti peccatum, nihil aliud est, quàm per merita prius habita in via, & à Deo pro instanti mortis accepta culpam dimitti: non valet ergo similitudo. Ad secundam probationem à maiori respondet, concedendo facilius esse cadere, quàm resurgere; sed resurgere à peccato duobus modis potest accipi: vno modo quatenus resurgere est actus ordinatus, vt pœnitentiæ ipsius resurgentis; & hoc modo est difficiliùs surgere à peccato, quia sic requiritur gratia Dei, & actus bonus moraliter, qui est difficilior, quàm actus peccandi: alio modo accipitur resurgere à peccato pro liberari à peccato alio modo, quàm per actum resurgentis; & sic negatur, faciliùs esse resurgere, quàm peccare: quia resurgere hoc modo est pati debitam pęnam, quòd nemo est, qui non possit: vel per merita bona in vita liberari à Deo ab illa culpa, quod pariter nullam dicit difficultatem. Ad tertiam respondet, assumptum esse falsum, scilicet resurgere à peccato competere ei, qui potest mereri, tunc quando actu culpa remittitur: nam secundùm primum modum dicendi, culpa non remittitur per aliquem actum meritorium, sed per solutionem pœnæ, quod est pati: vel secundùm modum dicendi, culpa remittitur per merita quidem, sed non tunc facta, quando culpa dimittitur, sed prius facta in vita.

Secundum argumētū principale Scoti.

67 Secunda ratio principalis Scoti est, nullum peccatum mortale post hanc vitam potest remitti; ergo nec veniale. Consequentia probatur, quia peccatum veniale, & mortale sunt eiusdem rationis, solùm differũt quò ad magis, & minus offendere Deum. Respondeo, quod etsi peccatum mortale, & veniale sint eiusdem generis in ratione culpæ, & malitiæ moris, vt genus virtutis contradistinguitur contra gratuitum, & peccatum; quia ambo culpę sunt; tamen habent postea multas alias differētias essentiales, propter quas non est eadem ratio de vno, & altero: ideò negatur consequentia. Differentiæ autem inter ipsa sunt pręsertim, quia peccatum mortale secundùm Scotum in 2.d.21. est deordinatio contra pręcepta, & auertens à fine vltimo simpliciter; sed veniale est deordinatio auertens à fine vltimo secundùm quid; non enim auertit simpliciter ab eo, sed retardat tantùm: ideò in ratione offensæ diuinæ sunt essentialiter differentia: vnde mortali debetur pęna æterna, veniali verò solùm temporalis; & hac de causa secundùm primum modum dicendi veniale potest dimitti, non autem mortale: iuxta secundùm modum dicēdi verò differunt, quia Deus decreuit, quod mortale deleatur in hac vita per susceptionem voluntariam sacramētorum, vel per contritionem; non autem quod per merita in vita facta deleantur in primo instanti separationis animæ à corpore, quod est post hanc vitã; non sicautē de veniali, vt visum est explicãdo sm̃ modum dicendi, & sic secundùm hanc secundam viam ad argumentum fit satis.

Tertiũ argumētum principale Scoti.

68 Tertium argumentum principale Scoti est, Damascenus lib. 2. de orthodoxa fide cap. 4. inquit, *Quod est Angelis casus, hoc est hominibus mors*; sed Angelus post casum est omninò inuariabilis à peccato, in quod incidit; ergo etiam homo est inuariabilis à peccato, in quod moritur. Respondet Scotus, quod similitudo inter casum Angeli, & mortem hominis currit tantummodo in ijs, quæ pertinent principaliter ad distinctionem status viæ, & extra viam, quæ sunt peccatum mortale, & gratia; non autem in ijs secundùm quæ non attenditur status bonus, vel malus viæ, vel termini; cuiusmodi est veniale, quod potest stare cum bono statu, & cum malo statu. Sunt ergo similes Angelus, & homo quò ad casum, & mortem, quia sicuti Angelus per casum est extra viam, & in termino, sic homo per peccatum mortale est extra viam, & in termino: ideò homo, qui decedit in mortali, permanet in illo in æternum, & qui in gratia similiter, sicut Angeli: quia hæc sunt principalia secundùm quæ distinguuntur status: at non est necesse, quòd in alijs sit permanentia, quæ non pertinent ad distinctionem status boni, & mali, cuiusmodi est culpa venialis.

Quartũ argumētum principale.

69 Quartum argumentum principale Scoti. Per pœnam minimam potest dimitti peccatum veniale, dummodo pœna sit voluntaria, vt aspersione aquæ benedictæ, & huiusmodi: at mors est maxima pœna: quia ex Aristot. 3. Ethicor. cap. 9. mors est vltimum terribilium; ergo multò magis potest peccatum veniale dimitti per illam, si sit acceptata voluntariè; ergo culpa venialis post mortem nulli remanet dimittenda. Quod si quis dicat mortem esse pęnam peccati originalis, & propter illud infligi nobis, & proinde non posse esse deletiuam alicuius alterius culpæ. Contrà. Culpa originalis per baptismum dimittitur; ergo mors non potest esse pœna deletiua originalis; erit ergo deletiua saltem venialis. Respondet Scotus concedendo, quod mors voluntariè acceptata potest esse sufficiens pœna pro peccatis venialibus delendis, & etiam fortè pro magna parte pęnæ debitæ mortalibus in ijs, qui in gratia decedunt. Nec obstat, quod mors necessariò sit pœna inflicta necessaria, quia aliquis potest necessarium acceptare voluntariè; & illud acceptare necessarium est pęnã soluere: & ita iuxta primũ modũ dicendi, sequitur, quod peccata venialia dimittantur in instãti mortis, quo anima separatur à corpore: quia tunc acceptando necessariam illã pęnam, soluitur omnis pęna debita peccatis venialibus.

DISTINCTIO XXII.

Quæstio Vnica.

DISPVTATIO XLI.

Vtrùm peccata per pœnitentiam dimissa in recidiuante eadem numero redeant.

An per potentiam Dei absolutam possibile sit idem peccatum numero redire. Caput Primum.

Distinguit Scotus hanc quæstionem in tres articulos. In primo disputat de potentia Dei absoluta. In secũdo de potentia Dei ordinaria. In tertio de facto. Agemus primo in hoc capite de potētia Dei absoluta, & videbimus, quid sit respondendum ad prędictam quæstionem secundùm hanc potentiam Dei absolutam.

Quid dicēdũ de potētia Dei absoluta.

Pro intelligentia autē tituli quæstionis, notandum est, quod cũ quæritur, vtrũ peccata per pęnitētiã dimissa eadē numero redeãt in recidiuãte per peccatũ, nõ intelligimus actũ positiuũ, & materialē, cui inest culpa, & deformitas ipsa, quæ est formale in peccato; sed loquimur de ipsa culpa. Rursus cũ de culpa peccati actualis loquimur, pôt esse sermo, vel de culpa actuali, quæ est inordinatio, seu carentia rectitudinis debitæ inesse actui; vel de inordinatione & culpa, quæ remanet post actũ peccati, à qua homo post transactũ actum peccati dicitur formaliter peccator, quæ secundùm Scotum est reatus, & obligatio ad pęnã sequens illum actum. Prima communiter dicitur culpa in actu. Secunda dicitur reatus sequens ex illa culpa.

Quantũ aũt ad hoc secundũ est dissensio inter Scotum, & D. Tho. ac eius Sectatores, quia ipsi volunt, quod post actũ peccati remaneat inordinatio quædam formalis, ac iniustitia, quæ dicitur macula, à qua anima dicitur maculata, & iniusta formaliter; de qua fusè egimus suprà dist. 14. Scotus verò vult quod id, quòd remanet post actum

peccati nihil aliud sit, quàm reatus, & obligatio ad pœnã culpæ illi debitam. Rationes pro opinione Scoti, & cõtra aduersarios ibi adduximus, quas non oportet repetere.

Quid I anima post actũ peccati maneat.

Opin. Scoti cõfirmat.

2 Hic tamen Scotus adhuc cõfirmat opinionem suam ibi traditam, scilicet quod post actum peccati non manet illa inordinatio, & culpa formalis, quæ est in actu peccati, vt volunt Thomistę, quæcunque illa sit: (excepta carentia gratiæ habitualis; hanc enim manere non est dubium, sed ab hac precisè quis non dicitur peccator formaliter post actũ peccati, vt ibi diximus) probat aũt duabus rationibus.

1. Ratio Scoti.

Prima, illa priuatio, quæ nata est in esse determinato subiecto, nõ propriè manet sinè illo subiecto, sed sic est, quod inordinatio illa actualis, seu carentia debitę rectitudinis in actu est priuatio, quæ nata est in esse illi determinato actui tanquam subiecto proprio, & determinato; ergo destructo illo actu, & subiecto, illa inordinatio, & priuatio destruitur, nec remanet post actum peccati. Maior, & minor sunt euidẽtes.

2. Ratio.

Secũda ratio. Si illa inordinatio actu maneret, sequeretur, quod in eodem subiecto simul, & semel possent esse duæ formæ oppositæ, & contrariæ, quod est absurdũ. Consequentia probatur: sit, e.g. aliquis qui inordinatè odio habeat fratrẽ suũ: deinde mutetur, & inordinatè fruatur eodẽ fratre suo: si vtraque inordinatio, & priuatio debitæ rectitudinis vtriusque actus remanet post transactũ actũ, sequitur quod duę inordinationes oppositæ, & omnino contrariæ maneãt in eodẽ, subiecto, scilicet immoderatũ odiũ, & immoderata fruitio eiusdẽ personę, quę sunt opposita. Sunt .n. duę inordinationes formaliter repugnantes, & sunt respectu eiusdẽ obiecti, scilicet personæ eiusdẽ, & tamen sunt in eodẽ subiecto. Propter has rationes inquit Scotus se rectè determinasse d. 14. q. 1. quod post actũ peccati nõ manet in peccatore nisi carentia gratiæ habitualis, & reatus, seu obligatio ad pęnã debitã inordinationi præteritæ, à qua post actũ transactum quis formaliter dicitur peccator, & magis, vel minus peccator.

Opin. partẽ negatiuã tenens.

3 His pręmissis, licèt alio ordine, quàm à Scoto tradantur, quod fecimus pro clariori explicatione huius rei, Scotus ponit opinionẽ asserentiũ Deũ nõ posse de potẽtia absoluta facere, vt idẽ peccatũ redeat, nec in recidiuante, nec in non recidiuante, ét si vellet, quæ est Richardi in hac d. 22. a. 1. q. 1. & quorundã aliorũ.

Fũdamẽtũ eius.

Fundamẽtũ, & ratio principalis, qua omnes ferè vtuntur, est: quia nihil põt redire idẽ numero, nisi per potẽtiã diuinã; sed sic est, quod peccatũ quò ad culpã per potentiã Dei absolutã non põt redire idẽ numero; ergo nullũ peccatũ potest redire idẽ numero in recidiuãte. Maior supponitur nota. Minor probatur auctoritate D. Aug. li. 83. quæst. q. 3. vbi ait, quod *Deo auctore nemo fit deterior.*

Rõne confirmatur à Suarez.

& ratione à Suarez disp. 13. sect. 1. n. 5. sic probatur. Malũ culpę nõ potest à solo Deo produci, sed ab homine producitur; ergo neque põt à solo Deo reproduci. Cõsequentia patet: quia reproduci est de nouo iterũ fieri. Subsumit, sed sic est, quod quando homo peccat de nouo, non facit iterum peccata dimissa, sed aliud peccatum nouum à prioribus distinctum; ergo si priora redire possent, deberent redire per actionem solius Dei.

Responsio tacita.

4 Quod si quis dicat, illa peccata redire; non quia de nouo fiant vel ab homine, vel à Deo, sed quia resultant, & consequuntur ex noua actione peccaminosa hominis.

Refellitur.

Contrà. Non possunt sic resultare, nisi vel illa contineant in se peccata præterita, vel virtute peccatorum præteritorum resultant. Primum est falsum, vt patet, quia peccata noua sunt omnino diuersa à prioribus. Neque secundum, quia priora peccata omnino delentur per gratiam secundũ fidem catholicã aduersus hęreticos, qui dicunt illa manere, sed tegi, & nõ imputari; ergo nullo modo remaneãt. Sequitur ergo, quod non possit virtualiter esse causa resultationis peccatorum de nouo productorum. Propter hãc rationem Suarez vbi suprà num. 10. concludit, stante modo, quo peccatum hominis nunc producitur, esse impossibile etiam per potentiam Dei absolutam, peccatum idem redire quò ad culpam; quò ad pœnam tamen concedit posse redire idem: quia in re non discrepat à Scoto.

Reijcitur à Scoto.

5 Scotus vbi suprà cõtra hanc opinionem insurgit, distinguendo sicut suprà diximus, quod culpa potest duobus modis accipi. Vno modo pro culpa actuali, quæ est in actu peccati dum fit; quæ est carentia rectitudinis debitæ actui. Alio modo pro culpa, quæ remanet post actum peccati, à qua culpa, & iniustitia homo dicitur peccator, & maculatus, ac iniustus. Loquendo de culpa primo modo dicit hic de ea non esse sermonem: quia cum illa transeat, nec trãsacto actu peccati maneat in peccatore peccatum pro formali, culpa peccati non potest deleri per actum pęnitentiæ, & infusionem gratiæ, quia ante infusionẽ actualem gratię iam illa non aderat; ergo neque cum homo de nouo peccat potest illa redire. Sed quæritur de illa culpa, & iniustitia, quæ actu erat in peccatore post actum peccati, & deleta est per infusionem gratiæ, an amissa gratia redeat; & sic homo de nouo peccans fiat peccator, & iniustus eadẽ iniustitia, qua erat malus, & iniustus ante infusionem gratię, & antequam ipse peccaret hac vltima vice.

Dissensio Scoti ab alijs Doctoribus.

6 Concludit ergo Scotus in hac quæstione non esse sermonem de culpa in priori sensu; tamen reliqui Doctores videntur intelligere de culpa in eo sensu: quia dicũt, quod eadem iniustitia formaliter, quę est in actu peccati, manet semper in peccatore, etiam transacto actu peccati, & ipsam contradistinguunt à reatu, & obligatione ad pęnam, vt diximus suprà; sed horum suppositio est falsa, vt visum est suprà dist. 14. q. 1. quia post actum peccati, non manet aliqua culpa formaliter, sed solus reatus ad pœnam cum carentia gratiæ habitualis.

Quid dicẽdũ quærẽdo, an culpa actualis redire possit.

7 Sed supponendo, quod illamet culpa remaneat post actum peccati in ipso peccatore, vel nõ supponendo, quod maneat, sed tamen infuerit in actu peccati actualiter, & quærendo an possit eadem redire quæ prius, quid dicendum? Respõdet Scotus, esse dubium, an ratio adducta ab auctoribus suprà relatis concludat illam non posse redire: nec aliquid amplius dicit, sed transit ad secundum membrum, nimirum ad culpam acceptam pro reatu, & obligatione ad pęnam, de qua nunc infrà dicemus.

Sẽm Scotũ culpa actualis p formali de potentia Dei absoluta põt redire eadẽ numero.

Et re vera secundùm doctrinam, & principia Scoti nõ cõcludit, sed est asserendum etiam culpam actualem pro formali de potentia Dei absoluta posse redire eadẽ numero etiam stãte remissione peccati, eo modo quo stat. Hoc ego deduco ex eo quod habet Scotus in hoc 4. d. 43. q. 1. a. 1. vbi disputat, An resurrectio generalis sit futura. Nã ibi contra D. Tho. & Sectatores probat, quod idem esse, seù ens, & corpus etiam per mortem interruptũ, & corruptũ potest redire idem numero: & similiter, quod accidentia omnia possunt redire eadẽ numero, quæ prius infuerunt, & interrupta fuerunt. Vnde sic colligo rationem. Culpa actualis pro formali est carentia rectitudinis debitæ tali actui, quæ est priuatio, seu accidens priuatiuum concomitans illum actum propriè; sed sic est, quod Deus potest facere redire eundem actum positiuũ, & quò ad materiale eundem numero; ergo potest facere etiã de potentia Dei absoluta, vt eadem deformitas, & inordinatio, quæ prius fuit in illo actu redeat eadem numero. Antecedens probatur per rationes, quibus Scotus loco citato probat contra D. Thom. idem numero ens etiam interruptum posse redire idem numero, neque interruptionem ipsam continuationis esse rei, quæ est fundamentum opinionis Dñi Thomæ impedire quin res eadem numero redire possit.

Ratio Scoti qđ interruptio continuationis esse nõ impediat redire idem numero.

8 Ego autem ex multis rationibus ibi factis à Scoto, hanc solùm hic adduco, quæ probat, quod interruptio cõtinuationis esse non impedit, quin idem numero redire possit. Si Deus crearet hominem, vel aliquid aliud prima die alicuius mensis, & conseruaret illum toto tẽpore mensis, & vltimo die illius mensis; homo ille in vltimo die mẽsis diceretur illemet numero homo qui creatus fuit prima die. Hoc est euidẽs secũdũ omnes: tunc sic infertur; ergo si Deus nõ cõseruaret hominẽ ĩ toto illo tpe intermedio inter primũ diem mẽsis, & vltimũ, & tñ homo ille esset vltimo die mensis; ille homo esset idẽ numero oĩno q creatus fuit primo die; ergo interruptio cõtinuationis nõ impedit,

quin

quin idē numero redire possit: illatio, seu cōsequētia probatur, quia identitas illius esse hominis, vt est in vltimo die mensis non dependet ad seipsum, vt est in primo die; nec dependet essentialiter, ex conseruatione sui ipsius pro tempore illo medio: quia non vt à causa formali, neque vt à quacūque causa essentiali. Essentialis enim causa idētitatis numeralis, & indiuidualis rei est materia, & forma propria rei, seù vltima realitas rei. Dispositiones autem vt locus, tempus, & etiam efficiens sunt causæ externæ, & accidentales: ideò illę non variant identitatem numeralem esse rei indiuidualis. Falsum est enim, quod principium indiuiduationis sint accidentia illi externa, vt in philosophia proprio loco diximus.

Confirmatur, quia conseruare est idem esse numero sēper ponere in esse, vt diximus agēdo de creatione in 2. lib. ergo esse, quod habet homo in primo die, quo creatur, & esse, quod habet in vltimo die per conseruationem est idē esse; sicut ergo illa conseruatio esse in vltimo die est productio noua sinè nouitate, & mutatione numerali illius esse, ita idem esse posset produci per creationem in primo die, & in vltimo die per aliam actionem Dei, absque eo quod cōseruaret illud esse in toto tempore intermedio. Ex hoc conspicitur, quod identitas esse non pendet à continuatione illius esse: quia videmus, quod idem esse manet in quibuscunque diebus intermedijs, & primo die, ac vltimo. Tempus ergo illud, & conseruatio intermedia est quid extrinsecum ab esse illius rei productæ, & conseruatæ, neque pertinet ad identitatem numeralem rei, & proinde ablatio continuationis, & conseruationis non aufert identitatem numeralem ipsius rei. Ex his ad propositum patet, quod cum positiuum possit à Deo idem numero redire, etiam accidentia positiua, & priuatiua eadem numero redire possunt; & consequenter deformitas, culpa, & inordinatio, quæ inest actui, qui est peccatum, & offensiuus Dei, vt dictum est suprà.

Ad rationē ī oppositū. 9 Ad rationem ergo in contrarium respondeo, negādo minorem. Ad primam probationem ex D. August. loquendo de culpa pro formali, vt nunc loquimur, respondeo, quod eodem modo, quo Deus concurrit ad malum culpæ nunc cum homines peccant, ita tunc, & in eo casu concurreret; nunc autem Deus non est causa culpæ, nisi permissiuè, vt dixi in disp. An Deus sit causa peccati; quia quantum est ex se nollet actum positiuum peccati ad quē sequitur culpa; nihilominus, quia vult causas liberas sinere agere suos motus permittit actum positiuum ad quem sequitur culpa. Ad propositum ergo non repugnat, quod per potentiam diuinam redeat idem actus positiuus cum malitia culpæ; sicut nunc non repugnat in rerum natura esse hujusmodi actum cum culpa annexa; nec tamē propter hoc dicitur Deus esse causa culpæ, neque hominem ipso Deo auctore deteriorem fieri.

Ad rationē ex Suarez. 10 Ad aliam probationem ex Suarez respondeo concedendo, quòd malum culpæ non potest à solo Deo produci, quia producitur ab homine; sed dico, quod in tali casu produceretur eadem culpa ab homine, quia produceretur idem numero actus quò ad materiale, cui annexa esset eadem culpa numero, quæ prius. 11 Ad rationem contra hoc: quia nunc homo cum peccat non facit idem peccatum, quod prius, sed aliud, & distinctum. Respondeo verum esse: quia nunc facit alium actum numero, positiuum distinctum, & diuersum indiuidualiter à priori; at in casu illo faceret eundem actum positiuum indiuidualiter quò ad materiale: ideo ei esset annexa eadem culpa numero, quæ prius. Nunc enim homo facit actum diuersum indiuidualiter à priori; quia principia eius essentialia sunt diuersa, si accidens est essentialiter compositum, vt aliqui volūt; si verò est forma simplex, vt est vera opinio, est actus diuersus, quia est forma numero diuersa à priori; tunc autem esset eadem numero forma, seu priuatio eiusdē numero formæ, & sic esset eadem culpa numero.

Cōfutatio obiectionis Soto. 12 Ex his patet confutatio obiectionis Soto in hoc 4. d. 16. q. 1. art. 1. in comprobatione primæ cōclusionis, qui asserit contra Scotum non posse peccatum idem numero quò ad culpam redire, nisi iterum homo illud peccatum committat. Nam probatum est eundem actum quò ad essentiam, & suum positiuū redire posse, quia quò ad formam, & materiam, quæ sunt essentialia principia rei redire potest, & consequenter etiam redire potest quò ad accidentia ipsum concomitantia: ideò redire posset idem peccatum commissum quidem ab homine, sed non de nouo, sed illud quod prius fuerat cōmissum: quæ autem adiungit infrà in hoc capite diluentur. Patet etiam ex his peccatum quò ad culpam posse redire idem etiam stante modo remissionis culpæ, quem Deus seruat, contra Suarez, scilicet remittendo absolutè culpam, non conditionatè. Scotus enim de hoc modo remittendi conditionatè, quem Suarez ei tribuit, minimè loquitur, vt infrà dicā. Secus si Suarez per modum secundùm quem Deus nunc remittit peccatum, intelligeret potentiam Dei sm legem ordinariam. De hac enim aliter est dicendū, vt patebit capite sequenti.

Quid dicē dū loquendo de culpa prout remanet post actū peccati, qui est ipsius hic intentus. 13 Verùm, quia præsens quæstio non est de culpa in isto sensu, sed de culpa, & iniustitia, quæ remanet post actum peccati transeuntem, quæ secundùm Scotum nihil aliud est, quàm reatus, & obligatio ad pœnam debitam culpæ, dimissa disputatione an distinguantur necne, de qua dist. 14. q. 1. egimus, respondet Scotus, de potentia Dei absoluta posse redire eandem culpam non tantùm recidiuante, sed etiam in non recidiuante. Probat primò. Etsi Deus non possit esse auctor mali culpæ, tamen certum est, quod potest esse auctor mali pœnæ; immò ipse Deus solus est auctor mali pœnæ, quia nulla est pęna rectè ordinata, nisi ea, quæ est ordinata à Deo; at culpa hoc modo est ipsa obligatio ad talem pœnam debitam tali culpæ; ergo certum est Deum posse eum, cui iam dimissa erat hæc obligatio ad hanc pœnam, denuo ad eandem pœnā obligare. *1. Ratio opin. Scoti.*

2. Ratio Scoti. 14 Secundò ad idem arguit sic Scotus. Voluntas creata potest ordinare aliquem ad aliquam pœnam pro aliquo tempore; deinde velle nō ordinare illum ad eandem pœnam pro alio tempore sequenti, sub conditione, scilicet si iterum non offendat: si verò iterum offendat velle ipsum ordinare ad prædictam pœnam; ergo hoc multò magis pōt facere Deus; quia quidquid pōt causa secunda pōt multò magis causa prima. Si autē Deus vult illum sic obligare, ille verè erit obligatus, & habebit reatum ad pęnam illam; ergo culpa pro reatu, & obligatione ad eandem pęnam, potest redire eandem de potentia Dei absoluta.

Obiectio tacita. 15 Adducit Scotus responsionem tacitā, quæ est, quod non valet similitudo: quia voluntas creata in hoc esset iniusta, volendo, quod obligatio ad eandem pęnam rediret, Deus autem non potest velle iniustū; ergo ratio nulla.

Opin. falsò tributa Scoto à Suarez reijcitur. 16 Hic autem est obseruandum Suarez disp. illa 15. sect. 1. num. 10. ex hoc loco tribuere Scoto, quod asseruerit, peccata redire posse, si Deus alio modo remitteret peccati culpam, scilicet si remitteret culpam non absolutè, sed sub hac conditione, quod iterum non peccaret. Nam tunc adimpleta conditionē posset peccatum idem redire, atque hoc esse probabile, ait. Verùm falsum est hanc esse intentionem Scoti. Loquitur enim Scotus de peccato absolutè dimisso, & ait illud per potētiam Dei absolutam idem redire posse. Cum autem ait Deum posse velle dimittere culpam pro alio tempore sub hac conditione, si iterum nō offendat, non vult dicere, quod dimittat peccatum non absolutè, sed sub conditione illa; sed vult dicere, quod potest dimittere penam absolutè, & tamen non determinare si iterum offendat nolle punire, sed potest absolutè dimittere pęnam abstrahendo ab hoc quod offendat, vel non offendat, relinquēdo tamen sibi libertatem ad iterum puniendū pro tanto, quia non se priuat illa potestate; & hanc esse intentionem Scoti patet ex replica contra responsionem primam tacitam datam de seruo manumisso: nam seruus manumissus absolutè liberatur non sub conditione; tamen si offendit, offensa illa meretur redire ad seruitutem, non quia liberatio ab illa fuerit conditionata; sed quia liberatio illa absoluta non tollit, quin pęna per offen-

sionem accedentem redire non possit. Redeundo modò ad responsionem tacitam supra adductam. Scotus contra eam probat voluntatem creatam in hoc non esse iniustam, quia de facto in sacris Canonibus habetur hæc volitio reditus pęnæ cum hac conditione: nam 12. q. 2. cap. *Episcopus*, habetur, quod seruus manumissus propter ingratitudinem, iterum pęnæ seruitutis iustè subditur; ita euenit in proposito; ergo.

Reijcitur rñsio tacita supra adducta.

17 Iterum objicit Scotus contra eandem rationē, quia ex hac ratione probatur, quod redit obligatio ad eandem pœnam; at non probatur, quod redeat eadem obligatio ad eandem pœnam: multum autem differunt obligatio ad eandem pœnam, & obligatio eadem ad eandem pœnam. Et confirmatur, quia licèt volitio Dei infligendi pœnam isti pro A. & pro B. idest pro diuersis peccatis sit eadē secundùm rem: tamen est diuersa secundùm rationem, secundùm diuersitatem obiectorum. Ita in proposito, volitio infligendi pœnam pro diuersis instantibus potest esse eadem ratione pœnæ quam respicit: tamen erit diuersa in se secundùm rem propter diuersitatem temporis, quo hāc pœnam vult infligere.

Alia obiectio tacita.

18 Contrà. Arguit Scotus ex fundamento superius adducto distinct. 43. huius 4. interruptio continuationis obligationis non variat essentiam realem numeralem eiusdem obligationis: quia, vt dictum est, illa est quid extrinsecum, nec pertinet ad essentiam internam obligationis: ideò potest manere eadem per potentiam absolutam etiā facta illa interruptione: quia quidquid potest Deus circa creaturam manente aliqua continuatione, quæ non est de essentia intrinseca illius rei, potest sinè illa: & sic patet veritas opinionis Scoti.

Reijcitur.

19 In hac re non videtur esse dissentio inter Scotum, & alios, loquendo de obligatione absolutè: quia omnes fateri videntur posse eandem obligationem iterum ad priorem pœnam redire per potentiam Dei absolutam: licèt fortè intelligant in sensu secundæ obiectionis factæ à Scoto; sed si illo modo intelligunt, iam reiecta est illorum opinio per rationem contra illam factam.

20 Ex his etiam tollitur altera obiectio ex Soto eadem dist. 16. ar. 1. qui inquit, quòd etsi Deus possit punire peccata eodem supplicio, ac si non essent dimissa: hoc tamen non est redire quò ad maculam, & culpam. Præterea, illa afflictio tormentorum non haberet propriè rationē pœnæ, nam pœna non est nisi propter culpam, quare si non redit culpa, non redit pœna, & illud non esset punire, sed liberè torquere.

Alia obiectio ex Soto tollitur.

21 Ad primam respondeo, iam nos distinxisse, quod redire quò ad culpam contingit duobus modis. Vno mō accipiendo culpam pro actuali carentia debitæ rectitudinis in actu: & hoc modo diximus culpam redire posse, & probauimus; sed diximus hunc sensum non intendi hic in quæstione: secundùm verò Thomistas, qui dicunt eādem maculam, & culpam actus peccati semper eandem manere potest esse præsens quæstio; sed iam eorum opinionem reiecimus. Obiectio autem hæc in hoc nostro sensu non est ad propositum. Alio modo diximus, culpam accipi pro reatu, & obligatione ad pœnam, & sic patet verum esse reditum huius obligationis esse reditum eiusdem culpæ, quæ manet post actum transactum peccati in peccatore.

Ad primā.

22 Ad secundam respondeo, illam punitionem habituram fore rationem propriæ pœnæ, quia esset punitio eiusdem peccati, non alia noua obligatio, & reatus, seu punitio, sed eadem. Sicut ergo priùs erat propriè pœna, sic etiā secunda vice: quia esset eadem numero obligatio, & reatus respectu eiusdem culpæ, non alia distincta, & diuersa eiusdem culpæ.

Ad secūdā.

An de potentia Dei ordinaria redire possit idem peccatum. Caput Secundum.

23 IN secundo articulo huius quæstionis agit Scotus, an de potentia Dei ordinaria idem peccatum numero redire possit in recidiuante: intelligit autem de peccato pro reatu, & obligatione ad pœnam illi debitam: quomodo diximus capite antecedenti Scotum intelligere cum hic disputat, an peccatum idem numero redeat. Respondens autem ad hanc difficultatem ponit assertionem negatiuā hanc. De potētia Dei ordinaria peccatum ipsum acceptū, vt dixi pro reatu, & obligatione ad pœnam non potest redire idem numero. Hæc assertio est communis omnium Theologorum in hoc 4. dist. 22. & D. Thom. 3. par. q. 88. artic. 1. pro qua assertione solent adduci variæ rationes. D. Thomas eam probat sic loco citato. Opus Dei non potest rescindi per opus hominis; sed sic est, quod remissio peccatorum per pęnitentiam factam est opus Dei; ergo per peccatum subsequens, quod est opus hominis non potest aboleri, & rescindi. Verùm hæc ratio non videtur concludere, quia si valeret, sequeretur neque gratiam Dei posse per peccatum omitti, quia collatio gratiæ est opus Dei, & peccatum est opus humanum. Consequens tamen est absurdum.

De potētia Dei ordinaria peccatū idē numero non pōt redire.

Ratio Diui Thom. pro allata assertione.

Reijcitur.

Scotus ergo eam sic probat. Deus disposuit peccata pœnitentis post pœnitentiam, & sumptionem Sacramentorum esse omnino extincta, & deleta; ergo non possunt secundùm hanc legem redire, quia sibi contradiceret, & repugnaret Deus. Consequentia est euidens. Antecedens verò probatur, quia D. Augustinus super Psal. 31. ad illum versiculum, *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.* Exponit enim idem esse peccata esse tecta Deo, & non amplius videri ad vindictam, & esse penitus dimissa. Peccata enim per aduentum gratiæ penitus delentur, & anima lauatur, ac mūdatur: non autem manent, vt volunt hęretici, sed non imputantur, quia cum Deus parcit peccatis nostris, verè illa delet, iuxta illud orationis Dominicæ, *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* & illud Ioan. *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* &, *Qui exuunt veterem hominem, ac nouum induunt, qui secundùm Deum creatus est, innocentes, immaculati, puri, innoxij, ac Deo dilecti effecti sunt.* iuxta Apostolum ad Coloss. 3. & Ephe. 4.

Rō Scoti.

Peccatū nō tegit' vt volunt hæretici, sed verè dimittit' p pęnitentiā.

24 Confirmatur adhuc auctoritate Prophetæ Naum cap. 1. vbi ait, *Deus non iudicabit bis in idipsum.* Dicit tamē Suarez, quod hæc auctoritas non multum cogit. Primò, quia textus non habet verba adducta, quæ tamen sic adducuntur à Scolasticis, sed apud 70. legitur, *Non uindicabit bis in idipsum in tribulatione.* Vnde sensus est, quod Deus nō vindicabit peccata, quæ remisit: & ideò inquit Suarez, licèt postea ea puniat, non bis ea vindicabit; & sic non videtur facere ad rem. Sed hæc obiectio nulla est, quia vindicare est per iudicium punire; qui ergo bis vindicat aliquam iniuriam, videtur iudicare eandem injuriam, & sententiare, ac ordinare ad pœnam. Tantùm ergo valet dicere, Deus non iudicabit bis in idipsum, quantùm dicere. Deus non iudicabit idem peccatum bis esse puniendū, quia vnicuique peccato correspondet vna adęquata pęna secundùm vnum iudicium perfectum, non duæ. Vndè si imponatur duæ pœnæ, videntur necessariò adesse quoque duo iudicia.

Vis auctoritatis Naum pphetæ explicatur cōtra Suarez.

25 Secundò addit Suarez, quod secundùm lectionem vulgatam auctoritas prædicta minus vigoris habere videtur: nam legitur sic. *Non consurget duplex tribulatio.* & ad litteram intelligitur de populo Iudaico, quem Deus afflixerat tradendo potestati Assiriorum decem Tribus: illis autem verbis promittit non permissurum secundam tribulationem: nimirum quod aliæ duæ Trib. darentur in manus Senacherib, & Assiriorum. At neque hæc obiectio aliquid valet, quia licèt loquatur ibi ad litteram de populo Iudaico afflicto ab Assirijs, & dicat Deum non traditurū populum Iudaicum quò ad alias duas Tribus Assirijs: tamen in illis verbis, *Non consurget duplex tribulatio.* Hoc non dicit, sed infra in his, *Afflixi te, & non affligam te vltra.* In prioribus autem illis quasi reddit rationem, quare amplius non tradet Deus populum Iudaicum Assirijs, nec ipsum affliget, & assignat hanc rationem: quia de eodem

pecca-

peccato non conſurget duplex tribulatio, duplex pęna, & conſequenter duplex iudicium. Vnde cum propter peccatum populi Iudaici Deus decem Tribus tradidiſſet Aſſirijs, per quam pęnam illud peccatum erat debitè vindicatum, amplius Deus per illud non erat puniturus, & tribulaturus eundem populum in alijs duabus Tribubus. Hoc dixi, quia hic auctor ſæpe conſueuit infirmare auctoritates Sacræ ſcripturæ, quæ pro veritatibus catholicis adduci ſolent communiter, & vt plurimum ſinè euidenti ratione, ſed quibuſdã apparentijs, & perſuaſionibus leuibus, quod meo iudicio eſt vitandum.

Eadē aſſertio probatur ex decretis.

26 Tandem Scotus pro hac aſſertione catholica adducit auctoritatem ex decretis diſt. 4. de pœnitentia cap. *Qui recedit*. vbi dicitur, *diuinam clementiam dimiſſa peccata in vltionem redire vlterius non patitur*. Quæ ſententia ibi, & capitibus ſequentibus explicatur à Gratiano, & optimè probatur varijs auctoritatibus Sanctorum, bona opera facta in gratia per peccatum ſubſequens mortificari, ſed per pœnitentiam iterum viuificari, quæ quiſque ibi videre poteſt.

27 Verùm vt allata aſſertio melius declaretur adducit Scotus contra eam nonnullas obiectiones, quas deinde ſoluendo, magis confirmat prędictam aſſertionem, ac de reditu operum bonorum doctrinam explicat. Prima obiectio ergo eſt hæc. Opera bona mortificata per peccatum mortale, poſt pœnitentiam in reſurgente à peccato, reuiuiſcunt; ergo à pari in eo qui à gratia cadit per peccatum opera mala, & peccata, quæ prius fecit redire debent. Antecedens probatur per D. Auguſt. qui lib. de vera, & falſa pœnitentia cap. 14. & refertur de pœnit. diſt. 3. cap. *Pium eſt*. & à Magiſtro diſtinct. 15. cap. 4. inquit; *Pium eſt credere, & fides noſtra expoſtulat, vt cum gratia Chriſti deſtruxerit mala priora in homine, etiam remuneret bona: & cum deſtruxerit, quod ſuum non inuenit amet, & diligat bonum, quod etiam in peccante plantauit*. paulò aliter legitur in originali; ſed ſic legunt Gratianus, & Magiſter Sententiarum.

2. Obiectio.

28 Secunda obiectio. Similiter ſe habent mala ad punitionem, & bona ad remunerationem; ſed bona facta prius, reuiuiſcunt ad remunerationem; ergo, & mala redeunt ad punitionem.

Ad primã obiectionē

29 Scotus reſpondendo ad has duas obiectiones explicat doctrinam de reditu bonorum operum. Inquit ergo ad primam obiectionem, non eſſe parem rationem de operibus bonis factis in gratia, & de peccatis: ideò non ſequitur, quod ſi bona opera redeunt ad remunerationem, quòd etiam peccata redeant ad punitionem. Supponit autem diſtinctionem illam, quod bona opera ſunt in duplici diſcrimine: quia alia ſunt bona opera facta in gratia, & ſunt meritoria vitæ æternę. Alia ſunt bona opera quidem, ſed non meritoria, quia facta ſunt in peccato mortali, quæ communiter dicuntur opera mortua, quia non valent ad vitam æternam conſequendam. Priora verò dicuntur opera viua, quia ſunt meritoria vitæ æternæ. Suppoſita hac diuiſionę aſſerit opera primi generis, ſcilicet meritoria, & viua redire ad remunerationem; vbi cum hoc apertè, & ſpecificatè dicat de operibus meritorijs, excludit opera bona, ſed mortua: quia iſta, cum facta ſint in peccato mortali, non ſunt meritoria vitæ æternæ, & conſequenter non poſſunt reſurgere, & redire ad remunerationem, vt ex dicendis magis patebit.

De redditu bonorũ operum.

Differētia inter opera viua, & mortua.

1. Ratio p̄ redditu bonorũ operum.

30 Quod ergo opera meritoria redeant, non autem peccata, probat Scotus dupliciter, & ſimul rationem diſcriminis aſſignat. Prima ergo ratio eſt deſumpta ex ſuperabundanti miſericordia Dei. Secunda ex ratione diuinæ iuſtitiæ: ex ſuperabundantia diuinæ miſericordiæ, quia tanta eſt bonitas Dei vt voluerit, & decreuerit bona meritoria, ideſt opera facta in gratia ſemper viuere in eius acceptatione, propter quod eſſet eis ſemper premium proprium retribuendum, niſi eſſet indiſpoſitio ex parte recipientis propter nouã culpam. Ex oppoſito verò mala vult totaliter extinguere; ita quod nec in ſe, nec in intellectu, vel voluntate diuina remaneant in ordine ad vindictam. Hanc rationem, & diſcrimen confirmat auctoritate Diui Auguſtini in lib. de vera, & falſa penitentia cap. 1. & citata diſtinct. 3. de pœnitentia, cap. *adhuc inſtant perfidi*, & Gratianus ibidem §. *Item quod frequenter*. & rurſus ad Macedonium Epiſtola 54. non longe à principio tomo 2. & refertur à Magiſtro in hoc 4. diſtinct. 14. cap. 3. quibus in locis Diuus Auguſtinus reſpondens ad quandam inſtantiam quorundam infidelium, qui aſſerebant peccata placere Deo hac ratione ducti: quia Deus ſemper peccata dimittit. Vnde inferebant, ſi Deo peccata diſplicerent, non ſemper pręſto eſſet ad illa delenda, & ad dandum gratiam; aſſerit D. Auguſtinus, immò coſtat Deo multum diſplicere peccata, *eo quia ſemper præſto eſt eadem deſtruere*. Si enim ea amaret, nunquam deſtrueret. Ex hac ergo auctoritate habetur, quod Deus peccata totaliter deſtruit, opera verò bona, quia ei placent, ſemper manere vult.

31 Confirmat eandem rationem per exemplum, ſeu maxima quadam Iuriſtarum, quæ eſt, *quod alicui remanet aliquod ius, cui tamen non remanet aliqua actio propter aliquod impedimentum*. Nam in propoſito ita accidit. Etenim illi, qui habet bona opera meritoria, & cadit in peccatum mortale, propter quod opera illa meritoria mortificãtur, remanet totum ius, quod correſpondet illis ad vitam æternam; ſed non remanet actio, quandiu ille eſt inimicus; & ſi perpetuò ſit inimicus, perpetuò ceſſat illa actio: ceſſante autem inimicitia contracta per actum noui peccati mortalis, non reddit nouum ius, ſed competit ei actio ſecundùm ius antiquum: non ſic de peccato mortali euenit: nam mortali peccato remiſſo per gratiam non remanet illi ius aliquod ad pęnam, nec actio: quia Deus non habet ius amplius, nec actionem ad vindicandum illud: quoniam ita perfectè texit, & dimiſit peccatum illud, vt ſibi non remanſerit, nec ius, nec actio ad vindicandum.

Confirmatur.

32 Secunda ratio ex iuſtitia eſt hæc. Nam licèt ratio adducta habeat efficaciam, & ſit probabilis propter commendationem miſericordiæ diuinæ: tamen eandem aſſertionem eſſe veram poteſt probari per rectitudinem diuinæ iuſtitiæ. Hoc modo. Dimiſſo peccato mortali quoad culpam, & ſoluta pœna temporali illi debita, in peccato illo nullum ius, vel actio remanet, propter quod iuſtè ab illo ſit exigenda aliqua pœna pro illo peccato. Econuerſo autem ius, quod habet meritum in vita æterna per aduentum peccati mortalis noui, non ſoluitur, nec expirat, licèt executio impediatur; ergo deleto peccato mortali per gratiæ aduentum meritum iuſtè remuneratur ſuo debito præmio: peccatum verò adueniente gratia iuſtè puniri non poteſt. Antecedens quò ad primam partem probatur, quia peccatum non remittitur, niſi ad minus debitum pœnæ æternæ commutetur in debitum pœnæ temporalis: qua commutatione deinde facta, regulariter ſoluta pęna illa temporali in ſe, vel in æquiualenti culpa dimittitur: illa verò non ſoluta non dimittitur; ergo poſt ſolutionem pęnæ temporalis nihil iuris remanet in peccato, per quod ab illo ſit exigenda pęna aliqua pro ipſo peccato, quia tota pęna condigna eſt ſoluta. Secunda pars etiam probatur, quia opus meritorium eſt dignum vita æterna: iſta autem dignitas ad vitam æternam nunquam commutatur ſecundùm iuſtitiam in bonum temporale, ſed ſemper remanet ius ad vitam æternam; ergo donec ſoluatur hoc bonum æternum, non expirat hoc ius in vitam æternam, ſed remanet in opere illo meritorio. Non ſoluitur autem vnquam in viatore, ſed ſemper remanet, dum eſt viator; tamen hoc ius manet extinctum, ſeu ſuſpenſum, & ſine executione propter peccatum mortale, propter quod non competit illis operibus bonis executio ſui iuris. Conſequentia autem eſt euidens; quia peccatum iam habuit totum illud, quod ſibi debetur, ſcilicet pęnam æquiualentem: at meritum non

2. Ratio ex iuſtitia.

habuit

habuit illud, quod sibi iustè debetur, ablato impedimento, scilicet præmium debitum, quod est vita æterna.

Ad 1. obiectionem.

33 Ex his conspicitur, quod non est par ratio de remuneratione meritorum mortificatorum, & de reditione peccatorum remissorum vel in se, vel propter pœnam retribuendam: & hoc non solùm propter Dei misericordiam, quod vtique verum est, sed etiam propter Dei iustitiam incommutabilem. & per hoc patet ad primam obiectionem.

Ad 2. obiectionem.

34 Ad secundam obiectionem respondeo ex eodem fundamento. Falsum est enim, quod similiter se habeant mala ad punitionem, & bona ad remunerationem. Dissimilia sunt enim in hoc, quod mala possunt puniri sufficienter per pœnam temporalem; nam potest pœna æterna commutari in temporalem, vt fit in sacramento pœnitentiæ: & tunc soluendo temporalem illam pœnam, sufficienter illa peccata puniuntur: at bona merita non possunt præmiari sufficienter per temporale aliquod præmium: quia præmium illud æternum debitum non potest commutari in temporale: & per consequens sufficienter non præmiatur nisi ipsum præmium æternum in se conferatur. Hoc autem nunquam confertur viatori, & ideò semper remanet ius sibi saluum ad gloriam, quam acquisiuit per illa merita,

Argumenta principalia Scoti.

35 Obiectiones, & argumenta principalia Scoti, quæ contra hanc assertionem fieri solent, adducemus infrà, & soluemus, cum explicauerimus tertium articulum quæstionis Scoti, in quo agit, an de facto possit dici redire peccata in recidiuante.

36 In eodem articulo loquitur Scotus de reditu bonorum operum in resurgente à peccato, vbi duas quæstiones necessarias, & dignas breuiter attingit, scilicet quāta sit gratia in qua quis resurgit: & an merenti augumentum gratiæ statim illi conferatur: de quibus agemus disputatione sequenti, peracta hac disputatione de reditu peccatorum.

Quomodo de facto peccata redeant in recidiuante. Et an innocentia sit maius beneficium quàm pœnitentia. Caput Tertium.

37 IN tertio articulo principali huius quæstionis tractat Scotus, quomodo de facto redeant peccata in recidiuante per peccatum mortale. In hac parte omnes Theologi conueniunt, quod etsi peccata non redeant per se, neque quò ad culpam, neque quò ad pœnam, tamen redeāt aliquo modo, scilicet virtualiter, & quò ad aliquem effectum, seu circunstantiam quandam aggrauantem peccatum, per quod homo recidiuat, & de nouo cadit, quæ est ingratitudo.

Peccata preterita redeunt aliquo mō quò ad pœnam.

38 Pro solutione autem argumentorum, & auctoritatum Scripturæ sacræ, & Patrum in contrarium, obseruandum est, vt patebit in solutione argumentorum principalium Scoti, quòd peccata præterita in recidiuante dicuntur quoque redire eadem alio modo, scilicet quò ad pœnam, non quia pœna debita prioribus eadem numero redeat formaliter: quia hoc est hucusque impugnatū: sed quia redit eadem pœna materialiter: nam prioribus peccatis erat debita æterna pœna damni, & sensus: hæc eadem pœna, seu obligatio ad hanc pœnam redit in recidiuante mortaliter; quia huic peccato mortali nouo debetur pœna æterna, quæ debebatur prioribus: & hac ratione dicitur redire eadem pœna materialiter: an verò omnino æqualis, vel dissimilis est dissensio. De pęna sensus omnes conueniunt esse diuersam, quia omnes sustinent illam suscipere magis, & minus secundùm maiorem, & minorem grauitatem peccati. De pęna verò damni discrepant, quia aliqui volunt, quòd illa sit æqualis in omnibus: alij, quod etiam illa suscipiat magis, & minus. Sed hæc disputatio pertinet ad tractatum de qualitate pęnæ damnatorum, & secundùm diuersas opiniones proportionaliter hic est dicendum. De hac re suprà egimus, agendo de pęnis animarum Purgatorij. Scotus in quarto, distinct. 50. post quæst. 6. §. *Ad primam quæstionem* tenere videtur, quòd etiam pęna damni suscipiat magis, & minus: ideò idem dicendum erit de illa, ac de pęna sensus. In proposito ergo concludendum est, quòd non redit eadem pęna formaliter, quæ debebatur prioribus peccatis, sed solùm eadem materialiter, & non quidem propter illa priora peccata, sed propter peccatum mortale nouum: & illa est talis, & tanta, quæ proportionaliter competit grauitati culpæ.

39 Præter ergo hunc modum reditus peccatorum redeunt alio modo prædicto, scilicet quò ad circunstantiam ingratitudinis: quod probat, & declarat Scotus dupliciter. Primò, quantò quis recipit ab alio beneficium sibi magis indebitum, tantò magis illi tenetur lege gratitudinis; sed existenti in peccato mortali, Deus non est debitor alicuius beneficij, sed solummodo pœnæ; ergo si ei confert beneficium gratiæ iustificantis, iste erit obligatus Deo specialiter ex lege gratitudinis; ergo si post peccat, & offendit Deum, hoc peccatum, & offensa est grauior propter ingratitudinem. Ex hoc habetur propositum: nam licèt peccata prius commissa, & deleta non redeant quò ad culpam, neque quò ad pęnam soluendā: redeunt tamen quò ad hunc effectum, quòd ponunt circunstantiam ingratitudinis in peccato, quòd de nouo fit propter quam peccatum illud est grauius: assumpta omnia in hac ratione sunt euidentia: nam maior est euidens, quia quantò aliquis recipit maius beneficium ab aliquo, tantò plus ratione gratitudinis illi debetur, & est obligatus: ille autem dicitur recipere maius beneficium, cui beneficium est magis indebitum, licèt beneficium in se sit minus: si autem beneficium in se sit magnum, multò maior obligatio gratitudinis manet. Minor quoque patet: quia Deus non tenetur dare gratiam existenti in peccato mortali, sed pęnam. Cum ergo dat illi gratiam, facit illi maximum beneficium, etiam si sit minima gratia, quia est minimè debita. Si verò conferat ei gratiam æqualem gratię, quàm confert innocenti, est maius beneficium. 1. Ratio.

40 Secundò, quantò aliquis tenetur pluribus obligationibus ad aliquid, tantò grauius peccat si transgreditur; sed pęnitens quotiescunque dignè pęnitet, obligat se saltem voto ad non peccandum in posterum (hoc patet, quia sine tali voto, & proposito pęnitentia non est digna) & præter hoc est astrictus ad non peccare eadem lege, qua innocens; ergo si peccat transgreditur duplicem obligationem, scilicet generalem de non peccando: & istam specialem de promisso seruando, quæ maximè obligat de promissione facta Deo, & de aliquo pertinente ad honorem Dei. 2. Ratio.

1. Obiectio cōtra determinatā assertionem.

41 Contra hanc determinationem Scotus facit duas obiectiones, vt magis declaretur. Prima est hæc. Illa circunstantia non aggrauat qua non existente, immò eius opposito posito, peccatum esset æquè graue, vel grauius; sed sic est, quod si quis prius non peccasset, sed mansisset innocens, & deinde peccaret, grauius peccaret, quàm faciat peccando post pœnitentiam; ergo circunstantia illa, quod prius peccauerit, non est circūstantia aggrauans peccatum. Maior est euidens. Minor probatur, quia cadens à statu innocentiæ grauius peccat, quàm cadens à statu pęnitentiæ; ergo. Antecedens probatur. Primò, quia maius beneficium recipit ille, cui Deus conseruauit innocentiam, quàm ille cui concessit pęnitētiam post peccatum: maius enim beneficium est nunquam peccasse, quàm à peccato commisso resurgere. Secundò, quia innocens habet minoré occasioné peccandi, & cadendi.

An magis peccet cadens ab innocētia, an à pęnitētia.

42 Scotus respondens ad hoc argumentum, tractat dubium illud, An magis peccet cadens ab innocentia, quā cadens à statu pęnitentiæ, in quo est dissensio inter Scotum, & Diuum Thomam, ac eius Sectatores. Nam Diuus Thomas 3. parte, quæstione 88. artic. secundo, ad tertium, videtur tenere, quod maius peccatum, & maior ingratitudo

tudo sit peccare post pœnitentiam dignam, quàm peccare post innocentiam: id verò apertè sustinent Gregorius de Valentia ibidem puncto secundo, & Caietanus 2. 2. quæst. 106. art. 2. vbi disputationem hanc latissimè tractat, qui tamen à Soto in 4. dist. 16. quæst. 1. art. 2. ad tertium, & alijs citatur pro Scoto, vt est videre apud eum loco citato post dubium sextum, vt infrà dicemus. Scotus verò sustinet maius peccatum esse cadere, seù peccare contra innocentiam, quàm contra pœnitentiam. Suarez autem tomo de pœnitentia disp. 13. sect. 5. num. 16. sentit aliquo modo cum Scoto. Videbimus prius opinionem Scoti, deinde opiniones aliorum reijciemus.

Opin. Scoti.

Innocētiā esse maius beneficiū pęnitētia.

43 Respondet ergo Scotus ad argumentum propositum concedendo simpliciter esse maius beneficium innocentiam, quàm sit pœnitentia. Quomodo autem hoc stante argumentum sit soluendum, videbimus infrà. Et quod innocentia sit maius beneficium, quàm pœnitentia probat Scotus.

1. Ratio. Primò, quia Deus maius beneficium contulit matri suæ, quàm Magdalenæ secundùm omnes: Matri autem contulit beneficium innocentiæ: Magdalenæ verò contulit beneficium pœnitentiæ; ergo beneficium innocentiæ est maius beneficio pęnitentiæ.

2. Ratio. Confirmatur, quia in beatis nunquam cecidisse, & innocentia est singularis gloria, & ornatus; ergo innocentia est maius beneficium, quàm pœnitentia.

1. Rō contra allatam veritatē desumpta ex Scoto.

44 Contra hanc assertionem arguit Scotus, vt magis declaretur argumento adducto etiam ab eo in 3. in quęst. de conceptione Beatæ Virginis Mariæ, & est istud Lucæ 7. Christus quæsiuit à Simone de duobus debitoribus, quorum alteri creditor plus dimisit, alteri minus quis creditorem plus diligeret. Respondit autem Simon. *Existimo quod is cui plus donauit.* Et Christus hanc responsionem approbauit, dicens, *rectè iudicasti.* Ex hoc sic infertur innocenti hoc modo nihil donat Deus, quia ei nullum peccatum dimittit: peccatori autem multa donat, quia dimittit plura peccata; ergo sequitur, quod maius beneficium recipit peccator, quàm innocens; & consequenter, quod peccator magis est obligatus Deo, quàm innocens: quare magis ingratus est, qui recidiuat, quàm qui primò ab innocentia per peccatum primum cadit.

2. Ratio desūpta ex Soto.

45 Secundò arguit Soto in 4. dist. 16. quæst. 1. art. 4. ad tertium ex fundamento allato à D. Thoma 2. 2. quæst. 106. art. 2. Richardo in 4. distinct. 22. art. 1. quæst. 5. & antiquis Theologis. Aliquod beneficium potest esse maius alio duplici ex capite: primò ratione dati: secundò ratione dationis. Ratione dati, vt quando secundùm quātitatem beneficium datum vni est maius beneficio dato alteri: & sic dare maiorem gratiam vni, quàm alteri, est maius beneficium. Ratione dationis verò, vt cum beneficium datur minus digno, & sic beneficium datum inimico; quia est minus dignus, est maius beneficio dato amico. Vnde licèt innocentia data Adæ fuerit primo modo maior, quàm pœnitentia ipsius Adæ: tamen pœnitentia, & remissio peccati Adæ fuit maius beneficium secundo modo, quàm ipsa innocentia collata primò ipsi Adæ: quia quando innocentia fuit data Adæ, non erat inimicus; sed quando pœnitentia illi data fuit erat inimicus. Subiungit; at ingratitudo directè opponitur gratiæ, hoc est rei gratis datæ; ergo maior ingratitudo fuit in secundo peccato, quàm in primo. Consideratur autem hic peccatum primum Adæ præcisè in se, non ratione circunstantiarum, vt quod fuit causa ruinæ humani generis, &c. quia ista non sunt hic ad propositum.

3. Ratio ex eodē Soto.

46 Tertiò Soto arguit ibidem. Per secundum peccatum (quod ait, non aduerterunt Scotus, & Caietanus) non solùm contrahitur ingratitudo contra remissionem primi actualis peccati, sed etiam contra remissionem originalis per baptismum, per quem homo obtinuit innocentiam; cuncta enim subsequentia peccata habent respectum ingratitudinis ad omnia præcedentia beneficia, & ad omnes remissiones peccatorum cuiuscunque generis: vnde Adam decimo peccato etiam peccauit contra beneficium innocentiæ, licèt illam per primum peccatum perdiderit: quia per decimum fuit etiam ingratus illi beneficio.

Fun lū aduersariorū consideratur.

47 Pro intelligenda veritate in hoc dubio obseruandum est aduersarios Scoti inniti huic fundamento latè explicato à Caietano, & insinuato à D. Thoma ibidem, quod innocentia, & pœnitentia possunt duobus modis considerari. Vno modo in quantum vnumquodque istorum consideratur in genere doni. Alio modo quatenus consideratur in genere doni, & beneficij simul: innocentia est maius donum, sed non est maius beneficium: pęnitentia autem est maius beneficium, & ideò magis obligat recipientem; quod adhuc probant, quia donum dupliciter dicitur magnum: vno modo secundùm quantitatem, vt donare aurum, quàm minutum: alio modo secundùm proportionem. Et hoc modo vetula offerens duo minuta in Euangelio, dicitur plus obtulisse alijs. Ratio est, quia data proportione, maius donum est datio vnius minuti in paupere, quàm vnius auri in Rege, vel diuite magno. Ad propositum dicunt innocentiam primo modo esse maius donum pœnitentia: secundo modo verò pœnitentiam esse maius donum, quia est maius beneficium homini cui confertur: ipse enim est magis indignus, quia est malè meritus de Deo: at donum, quod est simul beneficium alicui (ait Caietanus) seù donum maius proportionaliter, est maius donum, quàm donum per se, & præcisè ratione quantitatis, iuxta sententiam Domini dicentis in Euangelio Viduam illam, quæ obtulit duo minuta plus obtulisse cæteris. Ex hoc inferunt donum pęnitentiæ esse maius beneficium, & donum absolutè, quàm innocentia: & proinde magis obligatum esse Deo pœnitentem, quàm innocentem, & maius peccare recidiuantem post pœnitentiam, quàm qui per peccatum ab innocentia cadit.

48 Cæterū hoc fundm̄ est falsum, & proinde hęc opinio præter alias rōnes ex hac parte est falsa. Reijcitur. Supponit hæc opinio, ꝙ innocentia sit pręcisè donū, & non simul donū, & beneficium, seù quod innocentia sit maius donum ratione quantitatis tantùm, non autem ratione proportionis, quod est omninò falsum: 1. Ratio. quod diligenter obseruauit Scotus in solutione illius argumenti. Nam etsi innocens non sit inimicus Dei, nec sit malè meritus de Deo, hoc non prouenit ex suis viribus, sed quia Deus præseruauit eum, & non præseruauit pœnitentem. Ita ergo innocens quantum est ex se esset inimicus, & malè meritus de Deo, sicut pœnitens: & ideò gratia innocentiæ innocenti non solùm est donum in se, sed etiam est beneficium, quia est præseruatio eius à peccatis, sicut collatio gratiæ pœnitentialis pœnitenti est beneficium ipsi dimittendo ei peccatum, quo offendit. Valeret ratio aduersariorum sicut inquit Scotus dans donum, & gratiam innocentiæ, nullum aliud beneficium illi faceret: pœnitenti verò vltra gratiam pœnitentialem, daret etiam beneficium condonationis offensæ. Sic enim pœnitentia esset maius donum, quia includeret duplex bonum, seu duplicem rationem bonitatis: at non sic est; sed Deus innocenti confert vtrumque quoque, & excellentiori modo: nam innocenti dat gratiam ipsam innocentiæ, & deinde ipsum præseruat à peccatis, & ab offensis: pœnitenti verò dat quidem gratiam, & remittit offensam, sed finit prius ipsum labi in peccatum; ergo maius donum, & beneficium est innocentia, quàm pœnitentia. Et probat hoc Scotus, quia nullus est, cui Deus pauca peccata condonat, & remittit, quia pauca peccata cōmisit, quin eidem Deus contulerit aliud beneficium, scilicet pręseruationis ab alijs peccatis; nisi enim præseruatus esset à Deo, plura commisisset, quod confirmat glosa D. August. super eum locum euangelij. *Dimittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum.* Ait enim *commissa, & non commissa donantur, quia nullus est, qui aliqua committat, quin alius posset eadem committere, nisi præseruaretur.*

49 Præterea. Si verum esset illud fundamentum Caietani 2. Ratio.

ietani.quod donum maius secundùm proportionem sit absolutè maius dono secundùm quantitatem, sequeretur quod gratia pœnitentialis in Magdalena esset maius donum absolutè innocentia Virginis Mariæ. Consequens est contra communem sententiam Theologorum, & Sanctorum: ergo consequentia probatur: quia pœnitentia in Magdalena ratione personæ recipientis fuit maximum beneficium secundùm aduersarios, quia Magdalena erat magis indigna sine comparatione gratia illa pęnitentiali, quàm Virgo gratiæ quam habuit.

Ad argum. de Vidua quę obtulit duo minuta.

Ad rationem autem de Vidua, quæ protulit duo minuta in Gazofilatium, & tamen à Christo maius donũ contulisse iudicata est, respondeo ex fundamento a Scoto allato, quod non est par ratio de paupere faciente eleemosinam modicam, & diuite faciente maiorem eleemosinam, ac de innocente, & pœnitente, quia in paupere faciente eleemosinam, non præsupponitur aliquod beneficium præcedens ratione cuius pauper minus habeat de suo in actu eleemosinæ, quàm diues; sed attenditur solùm actus voluntatis dantis, & conditio ipsius, ac circunstantiæ, & simul actus, & conditio, ac circunstantiæ diuitis. His autem omnibus pensatis maius meritum est pauperis in erogatione duorum minutorum, quàm diuitis in erogatione vnius auri: at in proposito, quod innocens non committat peccata, quæ pęnitens commisit, prouenit ex alio beneficio priori, scilicet ex præseruatione propter quam fit, quod ratione recipientis gratia innocentiæ non sit maior. Ratio ergo recipientis in innocente, & in pœnitente est ęqualis, & ideò ex hac parte non potest iudicari maius beneficium gratia pœnitentialis, quàm innocentia: immò ex hac parte maius est beneficium innocentis, quia maius est beneficium, vt præseruetur quis à peccato, quàm vt resurgat à peccato. Relinquitur ergo vt hic attendatur magnitudo doni, & obligationis solùm ratione quantitatis doni, non ratione meriti, vel demeriti personę. Vndè cum donum innocentiæ ratione quantitatis etiam secundùm aduersarios sit maius, quàm pœnitentiæ donum, sequitur, quòd qui peccat cadendo ab innocentia magis ingratus sit Deo, quàm qui peccat cadendo à pęnitentia.

50 Dat Scotus pulchrum exemplum ad rem hanc totam declarandam, quòd est istud suis verbis explicatum. *Si quis ex liberalitate concedit alicui omnia sua, vt eis vtatur ad libitum, alteri verò concedit aliqua mutuò, & post quando debet illa reddere, remittit sibi, quis eum plus diligit? dico quod primus, quia maius beneficium recepit, & tamen plura remittit alteri: sed quod primus nihil habeat sibi dimittendum, hoc est ex beneficio illius, qui omnia sua liberaliter ei concessit. Vndè non est vera illa propositio simpliciter, cui plus dimittitur, plus diligit dimittentem, nisi de illo dimittente per cuius beneficium non stat, quod iste non tenetur ad tot, ad quot ille.* Hęc Scotus.

Ad primũ ex Scoto.

51 Ex his patet solutio ad argumenta, ad primum desumptum ex Scoto, respondet ipse, quòd dimittere peccata alicui, seu remittere peccata, contingit duobus modis: vno modo commissa: alio modo committenda. Verum est, quòd pœnitenti dimittit plura peccata commissa, quàm innocenti: at innocenti remittit plura peccata committenda, quia nisi præseruaret, illa committeret: maius donum est autem dimissio peccatorum committendorum, quàm commissorum; & ideò sequitur, quòd plus innocens diligat Deum, & teneatur Deo, quàm pœnitens.

Ad secũdũ ex Soto.

52 Ad secundum respondeo, fundamentum illud, & distinctionem de magnitudine doni, vel ratione quantitatis, vel ratione personæ recipientis non habere hic locum: quia vt diximus, innocens etsi actu non est inimicus, quia peccata non commisit, poterat tamen committere, nisi beneficio præseruationis præuentus fuisset: ideò ratione recipientis non est maius beneficium, sed innocentia.

Ad tertiũ.

53 Pro responsione ad tertium, obseruandum est Soto, & Suarez, vbi suprà, distinguere de innocente vario modo, & assignare genera varia, & in eis varios gradus. Primum genus innocentiæ est innocentia simpliciter, in qua creatus fuit Adam. De hac non loquitur Scotus, neque est sermo in præsenti quæstione; licèt ex dictis patere possit, quòd sit dicendum de illa, & pęnitentia peccati, qua ab illa Adam cecidit. Secundum genus innocentiæ est innocentia à peccato actuali tantùm, vt quando homo est in originali tantùm, & nondum fecit aliquod peccatum actuale, nec tamen est iustificatus per baptismum, vel aliquo alio modo. Neque de hoc genere innocentiæ est sermo in præsenti: quia hæc non est vera innocentia, sed illa, quæ est immunis ab omni culpa tam actuali, quàm originali. Tertium genus est innocentia, qua quis ab originali est ablutus, vel præseruatus, & nullum peccatum actuale commisit post ablutionem, & liberationem ab originali: & de hoc est sermo, & de hoc Soto absolutè dicit maius donum esse gratiam pœnitentialem, quàm innocentiam.

Varia genera innocẽtiæ secũdum Soto.

Opinio Suarez.

54 Suarez verò distinguit in hoc genere varios gradus; nam vel quis manere potest per breue tempus in tali statu innocentiæ absque peccato aliquo actuali: vel potest per multum tempus in eo durare. Durare autem multum tempus in innocentia, non est dubium esse maius beneficium, & donum, quàm durare per parum tempus: quia perseuerantia in innocentia est beneficium gratiæ, quod eò magis crescit quò diuturnior est perseuerantia. Alius gradus innocentiæ esse potest, quo homo habita iustificatione à peccato originali perseuerat vsque ad extremum vitæ. Adiungit etiam Suarez, quòd cum fit comparatio inter gratiam innocentiæ, & gratiam pęnitentialem, quæ sit maius beneficium debere supponi, quòd æqualis gratia vtrique conferatur, quia si maior, & intensior gratia vni conferatur, quàm alteri, quocunque modo conferatur, semper censet maius beneficium recipere illam, qui recipit maiorem gratiam, & qui peccat amittendo illam, maius peccatum ingratitudinis committere: quòd est certum ex hoc capite. Supponit ergo æqualem gratiam conferri innocenti, & pęnitenti, & ex hoc capite nullum esse discrimen. Ad propositum faciendo comparationem inter innocentem in primo gradu, & pęnitentem, inquit, posse esse maius donum gratia pęnitentialis, quàm innocentia, vt si donum iustificationis à peccato originali solo, per quod homo constituitur in statu innocentiæ, vt loquimur nunc, datum alicui per breuissimum tempus, conferatur cum dono simili dato homini originale peccatum, simul cum mortali habente: maius est enim donum collatum huic posteriori, quàm priori: quia plus ei remittitur, & est indignior. Verùm hæc assertio non est ad propositum: quia hic non fit propriè comparatio inter gratiam innocentiæ, & pœnitentiæ, sed inter gratiam iustificationis, & gratiam iustificationis: certum est autem, quod illa gratia, per quam plura peccata dimittuntur, est maior, quàm gratia, qua pauciora peccata dimittuntur; faciendo verò comparationem in alio gradu innocentiæ, vt inter innocentem perseuerantem in innocentia tota vita sua vsque ad extremum; & pęnitentem, qui varia peccata commisit, & deindè pęnituit, & rursus cecidit, & tandem vltimò pęnitet in extremo vitæ, cæteris paribus, scilicet, quòd vterque habeat eundem gradum gratiæ, asserit maius beneficium esse innocentiam, quàm pęnitentiam. Quòd probat argumento Scoti desumpto ab exemplo Beatæ Mariæ Virginis, nam maius beneficium fuit in Virgine perducere illam ad gradum illum gratiæ, quem habuit per innocentiam, quàm permittendo lapsum aliquem, & reparando illam ad eundem gradum gratiæ perducere, & sic in re sentit cum Scoto: & eandem sententiam confirmat auctoritate Diui Cypriani Epistola 3. asserentis. *Primum fœlicitatis genus est non delinquere; secundum verò delicta cognoscere, & retractare*; & Hugo de Sancto Victore lib. secundo, de

facra-

ſacramentis, diſtinct. 14. cap. quarto, inquit: *Si magnum eſt aliquando ſurgere, maius certè eſt nunquam cecidiſſe: ſi bonum eſt, ſanctum eſſe, melius eſt nunquam fuiſſe corruptum.* Confirmatur, quia videmus, Deum eos, quos maximè dilexit, hoc dono innocentiæ voluiſſe honorare, vt patet de Beata Virgine.

Reſponſio Suarez ad argũ Soto

55 Ad argumentum autem Soto innuit reſponſionem in fine illius ſectionis, nam ad videndum, quòdnam peccatum ſit maius, an quò quis cadit ab innocentia, an quò quis cadit à pœnitentia, debet fieri comparatio in diuerſis perſonis non in eadem: & ratio eſt, quia faciendo comparationem in eadem perſona, qui primò peccauit contra innocentiam, & ſecundò peccauit contra gratiam pœnitentialem; videtur, quòd peccatum contra pœnitentialem gratiam ſit maius, quia includit peccatum etiam contra innocentiam; qui enim decimo peccato peccat, peccat etiam contra innocentiam, vt dicebat Soto in argumento; at faciendo comparationem inter duas diſtinctas perſonas, quarum vna peccauit contra innocentiam, & altera contra gratiam pęnitentialem, patet, inquit Suarez, quòd maius eſt peccatum contra innocentiam, quàm contra gratiam pœnitentialem.

Reijcitur.

Verùm hæc reſponſio non ſatisfacit, quia diceret Soto, quòd ſiuè in eadem perſona, ſiuè in duabus fiat comparatio, ſemper peccatum contra pęnitentialem gratiam includit peccatum contra innocentiam, & ſic ſemper eſt maius, quia includit vtrunque, non ſic peccaſſe contra innocentiam præcisè.

Vera ſolutio.

Eſt ergo reſpondendũ ex fundamento allato à Scoto, & declarato ſuperiùs, quòd hic eſt ſermo de innocentia, non in qua præcisè eſt, quis creatus, vel reſtitutus per deletionem peccati originalis, ſed de innocentia, in qua quis à peccatis actualibus præſeruatur, & data proportione. Vnde qui à decem peccatis eſt præſeruatus in innocentia, & deindè peccat, eſt magis ingratus Deo, quàm qui vnum commiſit, deindè pęnituit, & poſtea aliud commiſit, & deinde pœnituit, vſque ad decimum: quia maius beneficium fuit præſeruare eum ab illis decem, quàm permittere illum peccaſſe, & deindè ſubleuare: & proinde eſt maius peccatum, quia contra maius beneficium.

Ad obiectionẽ primam contra aſſertionem principalem.

56 Nunc ad primam obiectionem adductam contra aſſertionem principalem, quæ erat, quòd peccatum redit quò ad circunſtantiam ingratitudinis, concedit Scotus, quòd grauiùs peccat cadens ab innocẽtia, quàm à gratia pęnitentiali: ideò concedit minorem, & negat maiorem, quia circunſtantia aggrauans non eſt neceſſe, quòd ſit vnius rationis, ſed poteſt eſſe diuerſarum rationum; vt in propoſito peccare contra innocentiam eſt circunſtantia aggrauans ratione ingratitudinis: peccare etiam contra pęnitentialem gratiam eſt circunſtantia aggrauans propter ingratitudinem, ſed non ita aggrauat ſicut circunſtantia innocentiæ: ideò ad maiorem reſpondetur, quòd etſi circunſtantia vna, non exiſtens non aggrauat peccatum, ſed ſinè illa poteſt eſſe æquè graue, vel grauiùs: tamen alia circunſtantia diuerſa exiſtente poterit grauiùs eſſe. Vnde in propoſito, licèt non exiſteret circunſtantia ingratitudinis, qua à pœnitentia cadit, & ideò illa non aggrauaret; ſed adeſſet circunſtantia, qua ab innocentia caderet, qua eſſet æquè, immò maius peccatum: tamen ob hoc non ſequitur, quin, cum adeſt circunſtantia, qua cadit à pœnitentia, non ſit grauius peccatum ratione ingratitudinis: ideò illa maior eſt falſa, quia etſi illud non aggrauet quo non exiſtente peccatum eſt æquè graue, vel grauius: tamen non ſequitur, quòd quando illud adeſt, non poſſit aggrauare, vt accidit in propoſito: quoniam etſi quando quis cadit ab innocentia, recidiuatio non aggrauet: tamen quando recidiuatio adeſt, aggrauat.

Quale peccatum ſit ingratitudo in recidiuante, & ſolutio argumentorum principalium Scoti.
Caput Quartum.

2. Obiectio principalis Scoti in articulo 3. eiuſdem quęſtionis.

57 SEcunda obiectio principalis articulo 3. huius quæſtionis, qua Scotus probare vult peccatum in recidiuante non redire, vt circunſtantiam aggrauantem, eſt hæc. Non oportet cadentem à pœnitentia ſimul neceſſariò peccare duobus peccatis; ergo poſſibile eſt, quod peccet vnico peccato tantùm; ſed illo vno æquè grauiter poſſet peccaſſe prius cadendo ab innocentia; ergo falſum eſt recidiuantem maiori peccato ſemper peccare, quàm innocens. Maior patet, quia recidiuans poteſt peccare peccato luxuriæ tantùm, vel alicuius alterius generis; at videmus, & clarum eſt, non eſſe neceſſarium, vt ſemper duo peccata committat. Minor quoque patet, quia cadens ab innocentia per peccatum luxuriæ, poteſt peccare maiori libidine, quàm cadens à pœnitentia, & ſic ſequitur falſum eſſe recidiuantem ſemper grauius peccare, quàm cadentem ab innocentia.

Reſponſio Scoti.

Reſpondens Scotus ad hoc argumẽtum pulchram doctrinam tradit. Inquit ergo primò poſſibile eſſe recidiuantem peccare pluribus, vel quaſi pluribus, tamen regulariter non peccare pluribus peccatis, ſed ſolùm peccato grauiori ex circunſtantia ingratitudinis prædicta, quam qualis ſit magis declarat.

An recidiuans faciat plura peccata.

Quod recidiuans poſſit peccare pluribus peccatis probat, quia poteſt ex deliberatione agere contra plures leges. Primò enim poteſt agere contra legem communem, vt puta cõtra pręceptum aliquod Decalogi. Hæc enim eſt lex communis, quam transgrediendo communiter peccamus. Poteſt etiam agere contra legem ſpecialem, vt gratitudinis: ad hanc enim tenetur ſpecialiter ille, qui habuit beneficium. Poſſet denique agere contra legem promiſſi, ſiuè fidelitatis: vnuſquiſque enim tenetur ſeruare promiſſum. Ille ergo obligatur hac lege, & peccat contra hanc legem, qui promiſit obſeruare aliquod mandatum, & non ſeruat. Si ergo recidiuans intenderet ex deliberatione agere eodem peccato contra omnes iſtas leges faceret tria peccata, & etiam plura: nam fornicans hoc modo peccaret peccato fornicationis, peccato inobedientiæ, peccato contemptus, & odij Dei, peccato ingratitudinis, & huiuſmodi. Quod tamen de facto recidiuans, non peccet his pluribus peccatis patet: quia communiter non peccatur ſic à peccatoribus: quoniam peccans communiter non appetit niſi delectationem, licèt inordinatè, & vellet illi delectationi non eſſe annexas tot prohibitiones: & proinde actu elicito ſpeciali non agit contra omnes iſtas leges, & prohibitiones: tamen implicitè in quolibet peccato includuntur iſtæ tranſgreſſiones, licèt non ſint ſpecialia peccata, & aggrauant aliquo modo. In quolibet enim peccato eſt inobedientia, contemptus Dei, odium Dei, ingratitudo, & huiuſmodi, non quod peccator habeat tunc actum elicitum pertinentem ad ſingula iſtorum, ſed vt dixi, implicitè: in quantum vult aliquid, ad quod quodammodo concommittantur hæc omnia, & propter hoc non ſunt peccata particularia, ſed circunſtantiæ, tamen aggrauantes.

58 Hæc doctrina eſt communiter conceſſa, vt eſt videre apud Diuum Thomam 3. p. quæſt. 88. artic. 4. & alijs locis citatis, & apud Thomiſtas ibidem, præſertim 2. 2. quæſt. 107. artic. 2. tamen Abulenſis in Matt. capit. 18. quæſt. 141. & 142. & Medina quæſt. 9. de pęnitentia, adducuntur pro oppoſita ſententia nimirum ingratitudinem in recidiuante eſſe peccatum ſpeciale. Suarez pro eis diſputat. illa 13. ſect. 1. adducit hanc rationem, quia ad hoc, vt peccatum multiplicetur ſpecificè ſufficit volitio circunſtantiæ diuerſæ ſpeciei implicitè, ſeù indirectè, vt conſtat in homicidio clerici, quod eſt ſacrilegium ex illa circunſtantia, licèt non ſit per ſe intenta; ergo in propoſito circunſtantia ingratitudinis, licèt non ſit ſpecialiter in-

Opinio oppoſita Abulẽſis, & Medinæ.

tenta,

tenta, videtur dare specificam rationem actui peccati, & consequenter multiplicare illud.

In oĩ peccato includitur inobediẽtia cõtẽptus Dei, &c. & tamen peccata non multiplicitur.

59 Sed respondetur communiter ex fundamento allato Scoti. Duplicem esse circunstantiam, scilicet generalem, & specialem. Generalis, quæ est illa, quæ includitur in omni peccato, vt dictum est de inobedientia, contemptu Dei, ingratitudine, & huiusmodi. Nullum enim est peccatum, in quo non includantur aliquo modo inobedientia Dei, contemptus, ingratitudo, & similia, & istæ circunstantiæ non specificant, seu non multiplicant, nisi sint specialiter intentę. Specialis est, quæ non includitur in alijs peccatis, sed speciali prohibitione est prohibita. Et de hac verum est sufficere volitionem illius indirectè. Et hoc modo currit ratio facta: quia iniuria illata in speciali personæ clerici est prohibita. Et per hoc patet ad rationem Suarez contra hanc communem responsionem, quæ est, quod etiam aliqua circunstantia generalis potest dare specificam rationem alicui actui, vt iniuria Dei, quod patet in exemplo allato de homicidio clerici. Nam nos dicimus, quod circunstantia specialis, quæ aggrauat peccatum est circunstantia lege speciali prohibita: modò ingratitudo erga Deum non est prohibita speciali lege, sed lege generali iustitiæ: quæ explicatur per leges particulares. Pro hac sententia communi adducit Soto articulo illo 4. auctoritatem Diui Augustini 10. lib. de natura, & gratia vbi inquit, *Non omne est ex contemptu, sed tamen in omni peccato contemnitur Deus.* Quasi dicat, non quicunque peccat, peccat vt Deum contemnat, & illi inobediens sit; sed nihilominus, quia scit illud esse à Deo prohibitum quacunque intentione homo peccet, in quocunque peccato est quædam generalis conditio inobedientię, & contemptus: illud autem, quod consequitur omnia peccata, non est speciale peccatum.

Responsio Suarez reijcitur.

Per q̃ peccata speciali modo priora peccata redire dicantur.

60 Verùm est hic obseruandum, quod etsi per quodlibet peccatum post pęnitentiam perpetratam peccata priora redire dicantur modo prædicto, scilicet quatenus sunt circunstantia aggrauans ratione ingratitudinis generalis: tamen quidam fuerunt qui asseruerunt peccata commissa simpliciter redire per quatuor genera peccatorum, quę infrà adducemus; sed hæc opinio communiter reijcitur propter rationes superius adductas. Nihilominus etsi per hæc quatuor genera peccatorum propriè, & formaliter peccata priora non redeant, tamen quodam specialiori modo, & quadam maiori grauitate priora peccata dicuntur facere grauiora. Et ratio est, quia ista speciali modo opponuntur diuinæ misericordiæ, & gratiæ. Hæc autem quatuor genera peccatorum adducuntur à D. Thoma 3. p. quæst. 88. art. 2. & à D. Bonauentura in 4. dist. 22. art. 1. quæst. 1. & ab alijs, & continentur his duobus versiculis.

Frater odit, appostata fit, spernitque, fateri
Pænituisse piget: pristina culpa redit.

De peccato odij in fratrem.

61 Primum ergo genus, peccatorum propter, quod priora peccata redire dicuntur est *odium fratris*. Qui ergo fratri petenti veniam non remittit ei offensa, nec ei parcit, est ingratus Deo, qui tam benigne nobis remittit peccata, & offensas nostras. Vnde D. Gregorius lib. 4. Dialog. cap. 60. habet hæc verba. *Veritatis voce attestante didicimus, quod seruus, qui decem millia talenta debebat, cum pænitentiam ageret, absolutionem à Domino accepit; sed quia conseruo suo centum sibi denarios debenti debitum non dimisit, ex hoc iussus est exigi, quod ei fuerat iam dimissum. Ex quibus dictis constat, quia si hoc, quod in nos deliquitur ex corde non dimittitur, & illud rursus exigitur, quod nobis iam per pænitentiam dimissum fuisse gaudebamus.* Secundum genus est appostasia à fide, qui enim appostatat à fide, facit cõtra beneficium speciale collationis fidei, ex qua liberum arbitrium mouetur in Deum: ideo appostatans à fide est valdè ingratus Deo. Tertium genus est, cùm quem pœnitet, & retractat pœnitentiam præteritam de peccatis. Hic est valdè ingratus, cum agat contra beneficium illud speciale, quo eius liberum arbitrium mouebatur in Deo. Quartum est conemnere confessionem sacramentalem, & claues Ecclesiæ. Hoc est enim beneficium speciale, quod Deus hominibus contulit, vt medium ad salutem consequendam: ideò qui contemnit hoc beneficium, agit actum magnæ ingratitudinis.

De appostasia à fide.

De peccato contemtus pœnitentiæ.

De peccato contemptus cõfessionis sacramentalis.

Solutio argumẽti facti.

62 Redeundo nunc ad obiectionem factam à Scoto, ad formam argumenti respondeo concedendo primum antecedens, & primam consequentiam, scilicet non esse necessarium, vt pœnitens primò peccet duplici peccato, sed posse peccare vnico peccato. Ad assumptum verò, quod erat, quod cadens ab innocentia primò posset peccare æquè grauiter, vel etiam grauius. Respondet aliquod peccatum esse grauius altero potest prouenire ex pluribus causis. Potest enim vnum esse grauius altero ex parte libidinis, & inordinationis formalis in peccato, & non ex parte circunstantiæ; vt homicidium voluntarium, quàm furtum simplex. Aliud verò potest esse grauius altero ratione circunstantiarum: ideò in proposito, concedit quod cadens ab innocentia potest primò peccare grauius primo modo, quàm recidiuans; sed tamen recidiuans secundo modo grauius peccat, scilicet ratione ingratitudinis prædictæ: & ratione multiplicationis, obligationis, quàm præcedenti cap. secunda ratione explicauimus. Subiungit tamen Scotus, quod cadens ab innocentia ratione huius circunstantiæ ingratitudinis cæteris paribus grauius peccat, quia est magis ingratus cadendo ab innocentia, quàm à pœnitentia, vt dictum est.

Aliud argũ ex Scoto cõtra eã dem assertionem.

63 Verùm contra eandem assertionem iterum arguit Scotus, vt magis declaretur. Sic. Si recidiuans, quoties peccat, semper propter ingratitudinem grauius peccaret, sequeretur, quòd quo quis de pluribus peccatis pœnitet, semper peccando grauius peccaret: & consequenter sequeretur, quòd vltimum peccatum æquali libidine perpetratum cum priori, & cæteris paribus, posset esse centies, & millies grauius peccato, primo quo ab innocentia cecidit. Hoc est absurdum; ergo. Consequentia probatur. Esto quod aliquis decies pœniteat, & qualibet vice de decem peccatis mortalibus, & post pœnitentiam recidiuet cum tanta libidine peccans cum quanta in primo peccato; tunc hoc peccatum erit grauius primo centies, & sic de reliquis. Consequentia patet, quia ratione cuiuslibet peccati dimissi tenetur, non cadere, & in ratione cuiuslibet est specialis ingratitudo in cadendo, & ratione pœnitentiæ cuiuslibet in qua promisit non peccare, tenetur, non peccare. Respondet Scotus, concedendo, quod semper grauius peccat, & sic in centesimo centies grauius peccat, quàm in primo peccato perpetrato pari libidine, & cæteris paribus: tñ inquit hanc ingratitudinem, & grauitatem ex illa circunstantia orientem fortè non æquiparari grauitati peccati, quę oritur ex peccato ipso in se, & ex propria malitia in centesima parte. Est ergo circunstantia aggrauans, & semper magis aggrauans, nõ tamen sicut malitia propria peccati, sed valdè minor.

Solutio.

Alia dubitatio ex Scoto.

64 Excitat deinde ibidem Scotus aliud dubium: nam dictum est, quod peccatum in peccante est grauius propter tria, præsertim. Primò propter ingratitudinem ratione beneficij accepti. Secundò propter ingratitudinem personæ, quantò enim quis est magis indignus beneficio aliquo, tantò magis obligatur benefactori. Tertiò ratione multiplicis promissionis. Quæritur modò quodnam istorum magis aggrauet peccatum. Respondet, quòd absolutè loquendo, magis aggrauat ingratitudinis circunstantia, quàm non obseruatio promissi. Ratio est, quia præceptum, quod, quis sit obligatus benefactori, est præceptum naturæ: præceptum autem naturæ magis obligat, quam obligatio, qua se per promissionem quis alicui se obligat. Sed contra hoc est obiectio, quia obligatio de stare promissis est etiam præceptum naturæ; ergo obligat tantum, quantum præceptum de gratitudine seruanda erga benefactorem. Respondet Scotus, quòd hoc esset verum, si præceptum naturæ tantum obligaret, quantum

Solutio.

obligat

obligat præceptum de gratitudine habenda erga benefactorem, quod est. Esto gratus benefactori secundùm gradum eius in benefaciendo: nec aliud dicit Scotus: sed clarum est præceptum de gratitudine præsertim erga Deum esse maius: hoc enim includit omnem virtutem, iustitiam, pietatem, & reliqua: non sic obligatio seruandi promissum. Duo ergo priora magis aggrauant, quia respiciunt obligationem seruandi gratitudinem. Primum autem absolutè aggrauat magis, quàm secundum: quia magnitudo beneficij magis attenditur ratione quantitatis beneficij, quàm ratione indebiti. Hæc enim ratio includitur in prima, vt dictum est de innocentia, & pœnitentia.

An oporteat confiteri præcedentia peccata dimissa tãquam circunstantias aggrauantes propter hãc ingratitudinem.

65 Vltimò, est dubium, an oporteat confiteri peccata præcedentia dimissa tanquam circunstantias aggrauantes propter hanc circunstantiam ingratitudinis. Soto in 4. distinct. 16. quæst. 1. art. 4. & Gregorius de Valentia 3. par. quæst. 88. puncto 2. aiunt Scotum asserere recidiuum debere confiteri saltem in generali peccata prius dimissa, dicendo antea grauia peccata commisi, quæ puto mihi esse dimissa: ac deinde hunc modum dicendi reijciunt dicentes hoc solum esse necessarium, tunc solùm quando recidiuus sæpissimè, & grauiter esset relapsus. Verùm hoc falsò tribuunt Soto, non enim dicit esse necessarium, sed apertè loco citato respondet non esse necessarium exprimere illa peccata priora in speciali: sed esse licitum, & fortè vtile: & inquantum aggrauant posse sufficere illa in generali confiteri, quia sic exprimitur grauitas circunstantię ingratitudinis sufficienter. Quod verò ait Soto etiam falsum esse, esse vtile recensere peccata priora in particulari, & illa in memoriam reuocare, præsertim quando sunt multum absurda, omnino errat: recogitare enim peccata in amaritudine animæ suæ cum Dauid non est nociuũ, sed vtile valde, licèt vt dictum est, non sit necessarium, vt diximus suprà agendo de confessione generali.

Obiectio Soto, & Valentię reijcitur.

66 Aduersus doctrinam oblatam de reditu peccatorũ sunt variæ instantiæ. Dictum est enim, quòd peccata priora dimissa non redeunt, neque quò ad culpam, neque quò ad pœnam, sed solùm redeunt tanquam circunstantia generalis aggrauans, non tanquam circunstantia specialis, & specialiter aggrauans. Quod autem redeant absolutè, & quò ad culpam, & pœnam, probatur multis auctoritatibus, & rationibus. Primò. Scotus in argumentis principalibus adducit parabolam Matthæi 18. cum expositione Diui Augustini, quæ maximè contra doctrinam allatam facere videtur. Nam ibi Dominus dicit seruo illi immisericordi, qui noluit dimittere debitum seruo suo. *Omne debitum remisi tibi, quia rogasti me, nonne ergo oportuit & te misereri conserui tui, sicut & ego tui misertus sũ.* & subdit statim. *Iratus Dominus tradidit eum tortoribus, donec redderet vniuersum debitum.* Vbi D. Augustinus contra Donatistas de Baptismo paruulorum cap. 12. & habetur distinct. 22. à Magistro, inquit. *Redire dimissa peccata, vbi fraterna charitas non est apertissimè Dominus in Euangelio in illo seruo docet, & quod Dominus dimissum debitum repetijt, quia ille conseruo suo debitum nollet dimittere.*

1. Argumẽtum principale ex Scoto.

Solutio.

67 Respondet Scotus ex illa parabola deduci per peccatum immisericordiæ redire obligationem ad pœnam æternam, ad quam per priora peccata mortalia antequã essent dimissa obligabatur, quod deducit ex hoc: quia scopus principalis illius parabolæ est, quod eadem pœna exigitur à seruo illo nequam, qui noluit dimittere debitum suo conseruo, quæ fuisset exacta ab eo propter delictum principale, nisi Dominus debitum illi dimisisset. Vndè ad propositum, vult inferre, quod recidiuans debet soluere eãdem pęnam, quam prius soluere debebat propter priora peccata mortalia antequam dimissa essent, quæ est pęna æterna. Reddit ergo obligatio ad eandem pęnam ęternam; & non illa eadem numero, sed alia noua eiusdem rationis ad eandem pęnam ęternam: & magis aggrauata propter ingratitudinem huius posterioris peccati: quomodo suprà cap. 3. diximus, redire quoque peccata eadem: & hoc modo ait esse respondendum ad alias auctoritates Sanctorum, quæ fundantur in eadem parabola, vt est auctoritas D. Augustini, & aliorum.

68 Secundò adducit auctoritatem D. Iacobi capite 2. *Qui offendit in vno factus est omnium reus.* Ergo qui facit vnum peccatum mortale obligatur ad pœnam omnium peccatorum, quæ prius commisit. Respondet Scotus, intellectũ huius auctoritatis esse, ꝙ qui facit vnum peccatũ mortale obligatur ad pęnam gñalem omnium peccatorũ mortalium, quæ est pœna æterna. Qui ergo in vno peccat factus est omnium reus; quia condemnatur ad pęnam generalem omnium peccatorum; non autem obligatur, nec fit reus omnium quantum ad grauitates speciales singulorum in numero, vel specie. Secundò respondet, & redit in idem, quod qui peccat vno peccato mortali factus est omnium reus quò ad auersionem à fine vltimo, non quantum ad conuersionem ad pœnam. Qui enim facit vnum peccatũ mortale auertitur ab vltimo fine, à quo per quæcunque alia peccata vnusquisque auertitur.

2. Argumẽtum principale Scoti.

Solutio.

69 Tertiò probatur, quod idem peccatum numero redeat quò ad pęnam, & culpam: accipio aliquem, qui sit perfectè contritus de aliquo peccato, & habeat actũ confessionis, tamen deinde non confitetur illud. Tunc quęro, vel peccatum illud dimissum per contritionem redit idẽ numero, & tunc habeo propositum, vel peccatum illud non redit, & hoc est inconueniens; quia dimitteretur illud peccatum sinè confessione, & satisfactione, quæ sunt duæ posteriores pęnitentiæ, quod non est dicendum. Respondet dupliciter. Primò, quod in casu proposito peccatum illud deletum per contritionẽ non reddit amplius, nec quò ad culpã, seu malitiam, neq. quò ad pęnam, sed si ille contemnit confiteri, facit nouum peccatum, per quod obligatur ad pęnam æternam: aggrauatur tamen magis propter ingratitudinem commissam, & hanc responsionẽ approbat Scotus. Alia responsio videtur esse posse, quod peccatũ illud idem redit, quia per contritionem non habetur completa pęna de peccato, sed solùm per confessionem, & satisfactionem per quas pęna ęterna commutatur in temporalem. Sed hæc responsio est falsa, quia per solam contritionem commutatur pęna æterna in temporalem, & simpliciter deletur, & manet solùm obligatio ad pęnam temporalem.

3. Argumẽtum principale Scoti.

Solutio.

70 Quartò eadem videtur esse ratio de tenebra corporali, & peccato, quod est tenebra spiritualis; sed tenebra corporalis potest redire eadem numero; ergo & peccatũ. Maior supponitur vera. Minor probatur. Ratio, propter quam tenebra eadem redire potest, videtur esse, quia priuatio omnis numeratur ex duplici causa. s. vel ex numeratione habitus, cui opponitur, vel ex numeratione subiecti in quo est, sed tenebra sequens habet idem subiectum, ꝙ tenebra præcedens. Opponitur etiam eidem habitui numero. s. lumini. Lumen enim idem numero maneret, si tenebra non inesset: ergo tenebra præcedens, & sequens est vna, & eadem numero.

4. Argumẽtum principale Scoti.

71 Respondet Scotus falsum esse eandem tenebram numero redire, saltem per naturam, quia interruptio illa tenebræ facit, quod non maneat eadem numero tenebra. Nulla enim negatio, nec affirmatio interueniente interruptione manet eadem. Ad probationem respondet, quod ad vnitatem priuationis non requiritur solùm vnitas subiecti, & habitus oppositi, sed requiritur vnitas continuitatis eiusdem in subiecto eo modo, quo potest habere esse in subiecto. Vndè falsum est etiam, quod habitus oppositus tenebræ sit idem, qui opponitur tenebræ præteritæ, & tenebræ sequenti. Cum enim interrumpatur, non potest esse idem numero, sicut dicetur in materia de resurrectione: nam d. 45. q. 3. a. 1. §. *Quantum ad istũ articulum*, ostendit, quod etsi non sit repugnantia redire idem numero, & interruptionem non posse impedire hanc reditionẽ eiusdem numero, tamen de facto vbi est interruptio est diuersitas numeralis.

Solutio.

DISPVTATIO XLII.

De reditu bonorum operum, & virtutum.

Bona opera per pœnitentiam redire, sed de modo variæ opiniones referuntur, & reijciuntur.
Caput Primum.

1 Disputatione præcedenti cap. 2. dicebamus Scotum in hac dist. 22. quæst. 1. art. 2. agere de reditu bonorum operum. Hanc tamen materia nos hic seorsum tractare velle ad maiorem claritatem materiæ de reditu peccatorum per peccatum, & bonorum operum per pœnitentiam. Oportet ergo pro intelligentia primò supponere, quod opera nostra à libero arbitrio prodeuntia sunt triplicis generis: quędam sunt opera mortua: quędam sunt opera mortificata: quędam sunt opera viua. Opera mortua sunt duplicis generis: quædam sunt mortua effectiuè: quædam sunt mortua priuatiuè. Opera mortua effectiuè sunt opera peccati mortalis, & venialis præsertim verò mortalis. Ista enim dicuntur mortua effectiuè, quia efficiunt mortem æternam in anima, de quibus dicit D. Paulus ad Romanos 6. *Stipendium peccati mors*. Venialia etiam dicuntur mortua effectiuè, quia sunt dispositiones ad mortalia peccata, quæ generant mortem æternam. Opera verò mortua priuatiuè sunt opera bona moraliter facta in peccato mortali. Ratio est, quia gratia, & charitas est vita animæ nostræ: ducit enim eam in vitam æternam. Sicut ergo res illa dicitur viua, quæ habet operationem vitalem, & illa dicitur mortua, quæ non habet operationem vitalem: ita per similitudinem quandam, opera illa, quæ etsi sint moraliter bona, tamen sunt facta sinè gratia, & charitate, non habent operationem vitalem, quæ est perducere ad vitam æternã, siuè mereri, & ordinari ad vitam æternam, vt præmium. Omnia ergo opera moralia bona, quæ ex se essent digna vita æterna, cum fiunt in peccato mortali, & extra statum gratiæ dicuntur opera mortua priuatiuè, quia priuantur suo valore, merito, & operatione, quam haberent nisi esset impedimentum peccati, & carentia gratiæ. Sola enim gratia est fons viuificans, deducens ad vitam æternam, iuxta illud Io. 4. *Si quis biberit ex aqua, quam ego ei dabo, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Opera mortificata sũt opera bona moraliter facta in gratia, quæ ideò sunt meritoria vitæ æternæ, & viua dicuntur, sed per peccatum mortale subsequens impediuntur ne habeant valorẽ, & dignitatem suam; seu effectum, & operationem propriam, quæ est perdere ad vitam æternam. Vnde dicuntur mortificari, quia amittunt propriam perationem, quę est vita ipsarum. De his Iacobus Apostolus 2. asserit, quod *fides sine operibus mortua est*. & Ezechiel. 33. *& si dixero iusto, quod vita viuat, & confisus in iustitia sua fecerit iniquitatem, iustitiæ eius obliuioni tradentur*, &c. Opera viua sunt opera moraliter bona facta in gratia. Hæc enim dicuntur viua, quia habent propriam operationem, & effectum vitalem, qui est mereri vitam ęternam, ac dicere animam ad illam. de quibus Paulus 1. ad Corinth. 15. *Abundate in omni opere bono, scientes, quod labor vester non est inanis in Domino*. Hanc doctrinam tradunt, & supponunt communiter Doctores in 4. dist. 22. D. Thomas 3. p. quæst. 89. Alensis 4. p. quæst. 12. m. 4. & Scotus hac dist. 22. q. 1. art. 2.

Opera alia mortua, alia mortificata, alia viua.

2 Ex his operibus communiter etiam Theologi sustinent opera mortificata tantùm redire, & viuificari, idest valorem pristinum recuperare per pęnitentiam. Opera verò mortua nequaquam. Et quidem opera mortua effectiuè non viuificari, clarum est, quia cum efficiant mortem, ac vitæ spirituali, & gratiæ repugnent, non possunt viuificari per gratiam pœnitentialem; sed potius destruũtur, & omninò abolentur, de operibus etiam mortuis priuatiuè est certum apud omnes Theologos hoc 4. dist. 22. 14. & 16. & D. Thomam 3. par. quæst. 89. art. 6. ad quod adducitur illud D. Pauli 1. Corinth. 13. *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, etsi tradidero corpus meum ita, vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*. Hoc autem non esset verum, si saltem post pœnitentiam viuificarentur, & valerent ad vitam æternam.

3 At inquit Soto in 4. dist. 16. quæst. 2. art. 4. quendam Theologum audiuisse, qui capere non poterat, quod opera mortua priuatiuè non essent alicuius valoris apud Deũ propter illud axioma Theologicum. Nullum est bonum, quod non præmietur, nec vllum est malum, quod non puniatur. propter quod dicebat, quod sicut nemo in cęlum ingreditur, nisi soluta omni pœna, sic neminem ad infernum detrudi, donec in aliquo loco post mortem pręmia bonorum operum istorum recipiat. Sed hanc phantasiam esse falsam ex auctoritate D. Pauli allegata patet. Quod enim fit sinè charitate, nihil est. Adde, quod bona opera illa priuatiuè habent præmium sufficiens temporale, vt retributionem bonorum temporalium, vt asserunt Theologi suprà citati: ad quod adducitur illud D. Gregorij in homelia de diuite Epulone, & Lazaro, quod nisi diues ille aliquod bonum egisset in vita sua, & de illis in seculo non habuisset retributionem, non ei diceret Abraham *recepisti bona in vita tua*. Præterea opera mortua prędicto modo iuuant, quia dum quis exercetur in bonis operibus alia peccata vitat pro quibus puniretur: qui enim non negat Christum, immò propter fidem multa mala patitur, & tamen propter alia peccata non est in gratia: ideò mitius punitur, quàm si etiam Christum negaret: iuuant etiam ad gratiæ impetrationem vide D. Bonau. in 4. dist. 14. art. vltimo quæst. vltima. Quod verò ait Soto eodem art. 6. neque etiam de potentia Dei absoluté posse ista opera viuificari, quia etsi possit dare gratiam indignis, non tamen potest dare illam ex iustitia, sed tunc daret ex gratia: si autem viuificaret opera mortua, faceret illa digna gloria, quod repugnat, nihil concludit, quia hoc totum verum est stante lege Dei ordinaria, non de absoluta potentia Dei, quæ nullas leges respicit.

Opa mortua hãt retributionẽ in hac vita

4 Tota ergo difficultas est de operibus mortificatis per subsequens peccatum mortale, an per pœnitentiam reuiuiscant: cui adiungitur, an etiam homo per pœnitentiã recuperet virtutes prius amissas, ac restituatur in omnibus bonis, quæ prius per peccatum mortalem amiserat. Et quidem, quod opera mortificata redeant, omnes asserunt. Et ad hanc assertionem Scotus q. ista art. 2. & nos disp. præcedenti cap. 2. varias auctoritates adduximus ex Decretis dist. 4. cap. *Qui redit*. & duas rationes Scoti, per quas assignabat rationem, cur peccata priora dimissa per peccatũ nouum non redeant, & tamen opera bona mortificata redeant, quas non opus est repetere. Solùm addere possumus auctoritatem pulchram Apostoli ad Hebreos 6. vbi Apostolus postquam improperauit peccatum ingratitudinis erga Deum ipsis Hebreis subiungit hæc verba. *Confidimus autem de vobis fratres meliora. Nõ enim iniustus est Deus, vt obliuiscatur operis vestri, & laboris, & dilectionis vestræ, quam ostendistis in sanctos*, &c. quem locum D. Anselmus, Theophilatus, & Gregorius interpretantur de operibus mortificatis per peccatum, quę per pœnitentiam reuiuiscant, quæ in Decretis loco citato adducuntur. Tota autem difficultas, & dissensio inter Doctores est de qualitate, & quantitate operum bonorum, quæ redeunt. Vt autem videamus, quid sit dicendum in hac difficultate, oportet adducere obiectionem quam facit Scotus hac quæst. artic. 2. contra doctrinam allatam de reditu bonorum operum, quia ex solutione illius habetur quid Scotus senserit, & quid sit dicendum de aliorum opinionibus.

An opera mortificata per pęnitentiam redeãt simùl cum oĩbus bonis prioribus.

In quo sit dissẽsio inter Theologos.

5 Quod ergo opera mortificata non reuiuiscant per pœnitentiam probat Scotus eo art. 2. sic. Si opera bona mortificata per peccatum mortale reuiuiscerent per pœnitentiam, sequeretur, quod omnis resurgens à peccato mortali,

Obiectio ex Scoto, quod opera mortificata non redeant.

mortali, resurgeret in maiori gratia, quàm fuit illa à qua cecidit. Consequens videtur esse absurdum; ergo. Consequentia verò probatur, quia resurgeret in omnibus bonis, quæ prius ante peccatum mortale habebat, iam viuificatis, & præter hoc resurgeret in illo actu pœnitentiæ per quem resurgit, & quem præteritis superaddit, & ita in maiori gratia. Falsitas consequentis verò probatur. Primò, quia non omnis cadens semper grauius cadit, quàm prius ceciderit. Potest ergo grauius prius cecidisse, quam posteriori vice; ergo cum resurgit, non resurgit gratior, quam prius esset, sed minus gratus, quia gratia per quam surgit, non est tanta, quanta erat illa, à qua cecidit. Secundò, gratia prima potest esse maior, & minor, & minima; sed gratia, quæ per pœnitentiam acquiritur, est prima gratia; ergo possibile est gratiam recuperatam per pœnitentiam aliquando esse minimam: & per consequens falsum est pœnitentem semper resurgere in maiori gratia.

Variæ responsiones, & variæ opiniones de reditu bonorum operum.

6 Ad hoc argumentum sunt variæ responsiones secundùm varias opiniones de reditu bonorum operum: præsertim verò sunt quatuor, & consequenter quatuor opiniones. Prima est Henrici quolib. 5. quæst. 23. quam etiam adducunt Soto in 4. dist. 16. quæst. 2. art. 2. Gregorius de Valentia, & alij, qui respondent negando consequentiam. Asserit enim omnes resurgentes per pœnitentiam inæquali gratia resurgere: quolibet. tamen 4. quæst. 24. in responsione ad secundum videtur concedere, quod opera mortificata redeant eadem, quæ prius fuerunt in intensione, & valore: quia inquit, gratiam pœnitentialem, per quam resipiscunt, solùm auferre impedimentum, per quod dignitas, & valor ipsorum impediebatur: qua in re Scotus cum eo sentit. Solùm ergo in hoc Henricus differt à Scoto, & ab alijs, quod ait gratiam æqualem redire in omnibus resurgentibus à peccato; ac omnes se habere veluti pueri baptizati, quos omnes æqualem gratiam suscipere, probabile est: quia ipsi nullum bonum motum liberi arbitrij habent, quo maiorem gratiam mereri possint. Fundamentum ipsius est, quia gratia non fit, nec pendet ex nostris meritis, vt patet ex D. Paulo, & determinatum est contra Pelagianos, sed à solo Deo, à nobis autem exigitur tantum non resistentia, siue non ponere obicem. Non resistere autem est negatio, quæ non suscipit magis, vel minus; sed est æqualis in omnibus: non autem est aliquis actus positiuus; ergo ex parte nostri non potest augere, vel minui. Vnde sicut in baptizatis pueris est æqualis, ita, & in resurgentibus omnibus per pœnitentiam.

Opin. Henrici.

Discrimen inter Henricũ, & Scotum.

Fundamẽtũ Hẽrici.

Reijcitur.

7 Hæc opinio reijcitur ab omnibus quò ad hanc partem sibi propriam, quod gratia resurgat æqualis in omnibus: & quantum ad conclusionem ipsam, & quantum ad fundamentum. Quantum ad conclusionem, quia sequeretur, quod nihil prodesset maiori conatu pœnitere de peccato, quàm minori. Consequens est apertè erroneum. Consequentia patet: quia tàm per maiorem conatum, quàm per minorem, tàm actu intenso quò ad decem, quàm intenso quò ad quatuor æqualem gratiam cõsequeretur. Quò ad fundamentum quoque reijcitur, quia ad actum pœnitentiæ, & ad quodcunque opus bonum requiritur gratia præueniens concursum liberi arbitrij, requiritur etiam concursus, & cooperatio liberi arbitrij: iuxta illud Zachariæ 1. *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos.* & Ioelis 1. *Conuertimini ad me in toto corde vestro,* &c. vnde licèt auxilium gratiæ præueniens non dependeat ex nostro motu priori, vt volebant Pelagiani, & Semipelagiani: tamen collatio gratiæ habitualis, & gratum facientis pendet ex operatione liberi arbitrij tanquam à merito de congruo; vel vt alij loquuntur tanquã à dispositione vltima requisita ad infusionem gratiæ iustificantis. Vnde fundamentum Henrici, quod in pœnitente non requiratur actus positiuus cooperationis, sed tantùm non resistentia, quæ est mera negatio, est falsũ, & auctoritas D. Pauli, quod gratia non pendet ex meritis, intelligitur de auxilio gratiæ præuenientis, & de merito de condigno, non de gratia iustificante, & de merito de congruo, vt expositum est.

1. Ratio.

2. Ratio.

2. Opinio OKam, & nominaliũ

8 Secunda responsio, & opinio est OKam in 4. quæst. 8. Gabrielis Biel distinct. 14. q. 3. Almaini, Maioris, & aliorum quorundam in 4. distinct. 22. qui asserunt quemcunque resurgentem semper resurgere in maiori gratia, & gloria: & sic habent negare falsitatem consequentis. Fundamentum ipsorum est, quia dicunt resurgentem per pœnitentiam resurgere ad gratiam illam, quam habet per contritionem, per quam resurgit, & rursus ad gratiam, quam prius habebat, antequam caderet: & sic resurgit ad maiorem gratiam; cum etiam maiori gratiæ respondeat maior gloria, consequenter dicẽdum est resurgere ad maiorem gloriam. Multæ auctoritates pro hac opinione adducuntur, vt illud Ezechielis. *Impietas eius non nocebit ei si egerit pœnitentiam.* &c. sed quis sit eorum sensus, in explicatione opinionis Scoti patebit.

Reijcitur.

9 Hæc opinio quoque reijcitur, quoniam sequeretur, quod quicunque maximus peccator quocunque tepidissimo modo conuerteretur in Deum, obtineret maiorem gratiam illa, à qua cecidisset, licèt illa esset intensissima, quod est absurdum euidens. Hoc enim esset obliterare legem Christi, quia tantum prodesset multa pœnitentia, & intensio, & conatus in actu virtutis, quantum parua, & tepida pœnitentia, & minori conatu: & tamen Apostolus 1. Corinth. 15. gloriabatur plus alijs laborare, *gratia Dei, inquit, in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboraui,* & 2. Corinth. 9. *qui parcè seminat, & parcè metet.* & Lucæ 7. *remittuntur ei peccata multa quoniam dilexit multum.* Consequentia autem est euidens.

3. Opinio, quæ est D. Th. & Sectatorũ, Alẽsis, D. Bonau. & aliorum.

10 Tertio loco est opinio D. Thomæ 3. p. quæst. 89. art. 2. Soto in 4. dist. 16. quæst. 2. art. 2. Alensis 4. p. quæst. 12. memb. 4. art. 5. & 6. Alberti dist. 14. D. Bonauenturæ dist. 14. art. 2. quæst. 1. & aliorum, qui asserunt resurgentem per pœnitentiam à peccato resurgere in gratia æquali motui contritionis, & pœnitentiæ. Vnde cum motus liberi arbitrij contritionis possit esse modò maior, modò minor, sequitur, quod gratia, quam resurgens adipiscitur, sit modò intensior, modò minus intensa: & consequẽter contingere potest, quod aliquando sit minor gratia à qua cecidit, aliquando maior, & aliquando æqualis secundùm dispositionem, & conatũ liberi arbitrij: & sic quò ad merita dicendum est proportionaliter, quod aliquando merita priora redeunt quò ad omnem valorem quandoque non quò ad totum valorem, sed minorem, quandoque in maiori gradu, quàm prius secundùm dispositionem ipsius contritionis, & conatus liberi arbitrij.

Explicatio allatæ opiniõis ex Soto primus sensus.

11 Verùm hæc opinio secundùm Soto potest habere duplicem sensum. Primus est, quod gratia pristina recuperetur ad æqualitatem contritionis, quam habet resurgens: adeo quod si contritio est, vt quatuor, gratia, quæ recuperatur, sit quoque vt quatuor; etsi contritio sit vt vnus gradus, gratia simpliciter sit vt vnus. Et hic est sensus, quem Thomistæ communiter tenent: & re vera est D. Th. & auctorum citatorum.

Reijcitur. 1. Ratio.

12 At hic sensus etiam teste ipso Soto est falsus, quod probat ipse multis rationibus. Et primò, quia tunc sequeretur, quod si aliquis vir sanctus quinquaginta annos opera bona, & meritoria egisset, & ad extremum aliquo leui peccato mortali laberetur, & deinde resurgeret, sed leui quadã cõtritione; & alius toto tpe vitæ suæ turpissimis peccatis pedcasset, & ad extremum haberet æqualem contritionẽ cum priori, sequeretur inquam, vt æqualem gratiã recuperaret. Hoc autem esse absurdum cõuincitur iudicio cuiuscunque sapientis viri.

2. Ratio.

13 Secundò sequeretur, stante hac opinione, quod bona opera mortificata non resurgerent. Consequens est cõtra communem sñiam, & contra veritatem, vt visum est; ergo. Consequentia probatur, quia secundũ istos per pœnitentiam, & contritionem datur gratia, quæ respondet intensioni illius contritionis præcisè, non aliquid amplius: at illa gratia cum tali intensione debetur illi etiam si nul-

la bona opera prius facta essent; ergo per pœnitentiam, & contritionem nihil de præteritis meritis resurgit, quia non recuperatur aliquid prius deperditum, sed acquiritur solùm illud, quod tali contritioni debebatur. Se habent ergo merita illa, ac si non resurgant; respondent aliqui redire quò ad gaudium accidentale, quia gaudebit talis pœnitens illa opera bona fecisse. Contrà, replicat Soto. Vita, per quam propria opera mortificata reuiuiscere dicuntur secundùm doctrinam communem superius explicatam, est vita æterna, & præmium essentiale, non accidentale. Si ergo illa priora merita non redeunt ad vitam æternam, falsum est, illa verè, & propriè reuiuiscere.

Secundus sensus opinionis Diui Th. quẽ sequit Soto.

14 Secundus sensus opinionis D. Thomæ, quem sequitur Soto, explicatur tribus propositionibus. Prima. *Ratione contritionis resurgentis non solùm confertur gratia illi contritioni æqualis, sed etiam nouus gradus gratiæ ratione meritorum mortificatorum, quæ tunc viuificantur.* Ad cognoscendum autem quantus, & qualis sit iste nouus gradus, ponit alias duas assertiones. Secunda ergo est ista. *Ille, qui summo conatu resurgit præter gradum gratiæ respondentem contritioni, recuperat omnem gratiam, à qua ceciderat, siuè magna fuerat, siuè parua.* Tertia propositio. *Si contritio deficit ab illa summa in ea proportione, qua ab illa distat, restituitur antiqua gratia, vt si contritio est medietas summæ, restituitur medietas gratiæ à qua cecidit: & si fuerit quarta pars restituitur quarta pars gratiæ pristinæ.*

Probatur prima propositio.

15 Istæ propositiones probantur à Soto. Prima, quia contritio, qua homo resurgit à peccato, est dispositio non solùm ad nouam gratiam, sed ad viuificationem aliorum meritorum.

2. Propositio pbatur.

Secunda probatur, quia si contritio est dispositio ad recuperandum opera priora; ergo dispositio summa est dispositio ad recuperandum opera priora in integrum: & sic resurgent per illam omnia opera priora, & secundùm omnem valorem ipsorum. Confirmatur, quia D. Ambrosius citatus à Diuo Thoma, art. *Pœnitentia est res optima, quæ omnes defectus reuocat ad perfectum.* Ergo si perfecta est, totam ruinam reficit.

3. Propositio pbatur.

Tertia propositio probatur, quia proportio assignata est proportio, quæ cadit inter causas maiores, & minores respectu suorum effectuum ex Aristot. 6. & 7. physicorum.

Reijcitur.

Opinio hæc explicata etiam in hoc secundo sensu non est probabilis: in primis supponit dari summam gratiam aliquando in peccatore, & summam dispositionem ad eam acquirendam de nouo, quod tamen est falsum: quia in Christo solo fuit summa gratia. Præterea contra eã militant rationes, quas ipsemet Soto fecit contra priorem sensum. Nam si per pœnitentiam in resurgente recuperatur gratia æqualis cõtritioni: & rursus alius gradus nouus proportionaliter illi respondens propter merita præcedentia, quæ secundùm illam præcisè reuiuiscere dicantur, & non absolutè secundùm totum suum valorem pristinum, sequitur, quod qui diù flagitiosissimè vixit, possit resurgere in maiori gloria, seu in statu, quo sibi maior gloria debeatur, quàm qui diù sanctissimè vixit, & cumulauit sibi multa, & magna merita, & postea leui peccato mortali labatur, & statim resurgat; quod ipse Soto fatebatur nullo prudentis viri iudicio approbari posse. Consequentia verò probatur, quia qui flagitiosè vixit poterit habere contritionem (e.g.) vt decẽ, qui verò iustè, vt quatuor, huic accedunt alij duo gradus ratione meritorum præcedentium; ergo resurget in gloriam, seù in dignitatem ad gloriam solùm, vt sex. Flagitiosus verò resurget in gloria, seu in dignitate ad gloriam solum vt sex: flagitiosus verò resurget in gloria, seu in dignitate ad gloriam, vt decem: quia acquiret gratiam vt decem.

2. Ratio.

16 Et confirmatur, quia secundùm eos gradus gloriæ correspondent gradibus gratiæ existentis actu in ipso, qui glorificatur, non quæ præfuit: vt arguit ipse Soto contra Scotum, vt infrà videbimus: at in proposito casu in flagitioso essent actu plures gradus gratiæ, quàm in eo, qui iam iustissimè vixerat; ergo maior gloria sibi debita esset, quod est prætermittere totã legem Christi, vt suprà contra Okam, & alios inferebamus.

3. Ratio.

17 Præterea sequeretur, quòd omnia priora opera mortificata non resurgerent verè, & propriè, sed aliqua tantùm: vel si omnia redirent, redirent infirma non penitus viua: nam ratione illorum aliqualis gradus maior gratiæ pœnitenti concederetur, & consequenter aliqualis gradus gloriæ: at non totus pristinus valor, & dignitas. Consequens est contra determinationem superius factã, quod opera mortificata redeunt, & viuificantur. Si autem viuificantur, & accipiunt vitam gratiæ, repugnat dicere, quod non habeant pristinum valorem, & dignitatem, sed redeant infirma. Et confirmatur, quia vt asserit ipse cum D. Thom. eadem quæst. a. 5. opera mortificata redire nihil aliud est, quàm per pœnitentiam tolli peccatum, quod erat obstaculum, ne essent efficacia in peccatore, ac Deo accepta ad vitam æternam: sublato autem impedimento totaliter, redit plenarius effectus; ergo resurgunt ad æqualem valorem, & dignitatem, quem prius habebant.

Responsio Soto.

18 Respondet Soto, quem sequuntur alij, vt Gregorius de Valentia, & alij, ad hoc argumentum, quod maior debet sic intelligi, quod licèt per pœnitentiam simpliciter tollatur peccatum, tamen non redit gratia pristina, nisi secũdùm proportionem gratiæ, quam per contritionem pœnitens acquirit. Vndè cum contritio commensuretur conatui liberi arbitrij, gratia quæ per contritionem acquiritur, potest non esse tanta, quanta prior, & consequenter gratia pristina, quæ redit, & valor operum non erit tantus, quantus erat prius, sed proportionatus gratiæ de nouo acquisitæ.

Reijcitur.

Hæc responsio non tollit argumentum, sed illud confirmat: nam ex illa sequitur maiorem argumenti esse falsam, scilicet quod opera mortificata resurgere nihil aliud sit, quàm tolli penitus impedimentum impediens eius efficaciam; quæ tamen ab ipso, & D. Thoma conceditur, sed viuificari erit gratiam per contritionem acquisitam aliqualem valorem proportionaliter accipere ratione operum mortificatorum.

19 Et confirmatur, quia stante hac responsione viuificari opera mortificata, non esset tollere funditus obstaculum, & impedimentum peccati, sed tollere aliqualiter illud impedimentum: si enim non redeunt secundùm totam efficaciam, & valorem pristinum, sequitur non esse ablatum penitus impedimentum, sed aliqualiter tantum, quod est contra Diuum Thomam eo articulo 5. vbi habet hæc verba, *Non enim opera habent vim producendi in vitam æternam, quod pertinet ad eorum vitam solum secundùm quod actu existunt, sed etiam postquam actu esse desinunt secundùm quod remanent in acceptatione diuina: Sic autem remanent quantum est de se, etiam postquam per peccatum mortificantur, quia semper Deus illa opera prout facta fuerunt acceptabit, & Sancti de eis gaudebunt.* Si ergo Deus semper acceptat illa opera prout facta fuerant; ergo non redeunt diminuta secundùm valorem, & acceptationem diuinam, sed prorsus secundùm eundem valorem, & acceptationem. Præterea dicere, quod merita priora non redeant semper secũdùm totum suum valorem, repugnat iustitiæ diuinæ, & Sacræ scripturæ, vt patebit ex dicendis pro opinione Scoti, ex qua explicata hæc opinio magis confutabitur.

Ad rõnes Soto pro tribus illis propositionib.

Rationes autem adductæ à Soto pro tribus illis propositionibus probant solùm resurgere merita priora in integrum, non autem nouum gradum gratiæ. Patet de rationibus pro secũda, & tertia propositione. Ratio autem pro prima nihil concludit pro illa, quia non valet: contritio est dispositio ad viuificandum merita priora; ergo ad inducẽdum nouum gradum gratiæ, quia gratia nõ inducitur per merita præcedentia, sed per actum nouum contritionis: ideò creatur à Deo tanta gratia, quãta correspondet quantitati contritionis, vt explicando opinionem Scoti ostendam.

Expli-

Explicatur, & comprobatur opinio Scoti, ac rationes contra eam ſoluuntur. Caput Secundum.

Fūdamentum Scoti.

20 REſpondet ergo Scotus ad allatum argumentū priori capite, & ſimul explicat ſuam opinionem, quæ certè alijs probabilior eſt, vt oſtendemus: diſtinguit ergo, quod aliud eſt habere plura merita in acceptatione diuina reſeruata in ordine ad præmium pro eis reddendum: & aliud eſt habere maiorem gratiam intēſiuè. Hoc declarat, quia gratiæ ſinè meritis competit gloria eſſentialis ſecundùm aliquem gradum, vt patet de paruulis recenter baptizatis, & diſcedentibus ex hac vita ſinè vllis proprijs meritis: illi enim glorificantur, & tamen nulla habēt merita. Cuicunque etiam merito per ſe conſiderato vltra gratiam debetur gloria, ſeu præmium eſſentiale, quæ eſt gloria eſſentialis ſecūdùm aliquem gradum: quod patet, quia habenti gratiam, & meritum vnum competit maior gloria, ſeu plures gradus gloriæ eſſentiales, quā paruulo habenti ſolam gratiam ſinè vllo merito. Sicut ergo vni merito debetur proprius gradus gloriæ, vt præmium eſſentiale, ſic pluribus meritis plures gradus gloriæ; & conſequenter habenti plura merita plures gradus gloriæ competunt. Et ſubiungit etiam Scotus aliam rationem quare differunt: nimirum, quia non ſemper habenti maiora, & plura merita, confert Deus ſtatim maiorem gratiam, ſed quandoque reſeruat illam in fine vitæ. Ex hoc autem maximè colligitur non eſſe idem habere plura merita, & maiorem gratiam: ſiquidem poteſt contingere, quod aliquis habeat plura, & magna merita, & tamen paruam gratiam, & quandoque aliquis habeat gratiam valde intenſam, & tamen pauciora merita.

21 Colligit ergo Scotus, quod etſi gratiæ ſinè meritis correſpondeat gloria eſſentialis ſecūdùm aliquem gradum, & maiori gratiæ maior gloria: tamen gratiæ cum meritis reſpondet maius præmium eſſentiale, & plures gradus gloriæ: ita quòd præter præmium debitum gratiæ præcisè per ſe conſideratæ competit etiam aliquis alius gradus gloriæ eſſentialis propter ipſum meritum: & quò plura merita plures gradus præmij, & gloriæ eſſentialis propter ipſa merita præcisè, non propter gratiam: quia, vt dictum eſt, poſſunt augeri merita, & tamen Deum non ſtatim augere gratiam: & licèt augeat etiam gratiam, tamen præcisè meritis ipſis propter ſe vltra gratiam debetur propria gloria tanquam præmium eſſentiale, quod probatum eſt exemplo de paruulo recenter baptizato, & ſtatim moriente, qui cum gratia ſinè vllo merito obtinet gloriam: & alius cum merito obtinet maiorem gloriam.

22 Ex hoc fundamento, quod aliud eſt habere plura merita, & aliud habere gratiam intenſiorem, & maiorē, comprobato his duabus rationibus, quod cuicunque merito debetur proprium præmium eſſentiale vltra præmiū debitum ſoli gratiæ, & quòd non ſtatim cum augetur meritum, Deus auget gratiam, ſed ſolùm in fine vitæ, vel alio tempore. Reſpondet Scotus ad obiectionem, & ad argumentum propoſitum negando conſequentiam quò ad vnam partem, & concedendo illam quò ad aliam partem: negat ſequi, quod reſurgens ſemper ſurgat in maiori gratia, & concedit rationes illas duas probantes non reſurgere ſemper in maiori gratia: vult enim, quod quandoque reſurgat in maiori, quandoque in minori gratia: & ratio eius eſt, quàm Diuus Thomas, & alij aſſerebant, quod gratia pęnitentialis datur à Deo ſecundùm conatū, & bonum motum liberi arbitrij: ideò qui intenſius mouetur in deteſtationem peccati, & habet maiorem contritionem, maiorem gratiam acquirit per ipſam contritionem: qui verò minorem contritionem habet, minorem quoque gratiam conſequitur. Concedit verò conſequentiam quò ad merita, & alia bona, vt virtutum: aſſerit enim ſemper pęnitentem reſurgere in pluribus meritis in acceptatione diuina, quam haberet antequam caderet: & hoc probat ratio adducta ibi ad probandum conſequentiam, quia reſurgens per contritionem recuperat priora merita omnia, quæ etſi eſſent mortificata, & eius effectus eſſet ſuſpenſus propter peccatum mortale, manebant tamen in acceptatione diuina, vt omnes fatentur: & ideò ablato impedimento peccati, reuiuiſcunt ſecundùm totum ſuum valorem priſtinum. Vltrà autem illa merita priora, accedit meritum operis boni contritionis, quod quoque habere debet præmium eſſentiale ſibi correſpondens; ergo reſurgens ſemper reſurgit in pluribus meritis apud Deum.

Reſponſio Scoti.

Prima obiectio ex Scoto contra ſe.

23 At obijcit Scotus contra hanc reſolutionem vt magis declaretur, & primò ſic. Si homo per pęnitentiam ſemper reſurgit in pluribus meritis apud Deum, quàm erant ea, à quibus cecidit, ſequitur, quod peccator peccando ex ſuo peccato reportet commodum. Conſequens eſt falſum, vt patet, quia *ſtipendium peccati eſt mors*, non gloria. Conſequentia verò probatur ex dictis, quia reſurgendo reſurgit ſemper in pluribus bonis, & meritis, quàm prius. Secundò. Reſponſio allata, & opinio Scoti adducta videtur includere repugnantiam: nam ſi reſurgens per pœnitentiam reſurget in plurib. meritis, quam haberet prius quando cecidit, neceſſariò quoque videtur ſequi, vt ſemper reſurgat in maiori gratia, quod tamen negat reſponſio, & opinio Scoti. Conſequentia verò probatur, quia demus caſum, quod quis cadat à magna gratia per quam fuit dignus magna gloria; puta cadat à gratia vt decem, & reſurgat in gratia vt quatuor, licèt per hanc contritionem ſuperaddat vnum meritum, cui reſpondere debet proprius gradus gloriæ, vt ſuum proprium præmium: tamen non addet tantum valorem, & meritum, vt pœnitenti debeatur tanta gloria, quanta prius. Probatur, quia gratia, quæ confertur in contritione, non eſt adeò intenſa, ſicut erat prima, à qua cecidit, ſed valdè diminuta ab illa. Vndè licèt ſuperaddatur vnum meritum de nouo, quia tamen tanta gratia non additur, quanta prius, ſequitur, quod reſurgens non poſſit reſurgere in tanta gloria, quanta ſibi erat debita prius. Et totum fundamentum eſt, quia etſi habeat plura merita (quia habet priora, & hoc poſterius ſuperadditum de nouo) tamen non habet tantam gratiam, ſicut prius, ſed longè minorem; & ſic nō habet illos gradus gloriæ eſſentialis, qui ſibi competebāt ratione maiorationis gratiæ prioris. Supponit enim hæc ratio, quod gratiæ reſpondeat diſtinctum præmium, & diſtincti gradus gloriæ à gloria debita meritis, vt diximus explicando reſponſionem, & opinionem Scoti.

Secunda obiectio.

Ad primā obiectionē

24 Reſpondet Scotus ad primam obiectionem, quod peccator non reportat commodum ex peccato, licèt reſurgat in maiori gloria, & pluribus meritis, ſed maximum incommodum. Primò, quia peccauit, & peccatum fuit ſibi damnum, in quo ſi perijſſet, damnabatur, &c. ſed ad propoſitum habet magnum incommodum, quia totum tempus, quo manſit in peccato, eſt ſibi perditum, quo tempore potuiſſet multiplicaſſe merita, ſi in gratia manſiſſet.

Obiectio ex Soto diluitur.

25 At obijcit Soto ea diſt. 16. quæſt. 2. ar. 2. ſtante opinione Scoti, quod homo ſemper reſurgat in pluribus meritis, reportat commodum peccare: quoniam melius eſt homini iuſto peccare, & reſurgere, quàm dormire illo tēpore, quia ei gratia ſemper augetur, quod non contingit in dormiente.

26 Reſpondetur primò falſum eſſe, gratiam ſemper augeri ex opinione Scoti, vt viſum eſt. Secundò, negatur iſtud ſequi. Ex opinione Scoti ſequitur, quod ſuppoſito caſu peccati, pęnitentia, & contritio affert maius bonum, quàm ſi dormiſſet; non tamen ſequitur, quod abſolutè ſit melius peccare, & pœnitere, quia periculum eſt moriendi in peccato. Deindè non ſunt facienda mala, vt indè veniant bona; ideò non eſt peccandum, vt per pœnitentiam reſurgendo habeat maius bonum, ſed eſt ſemper innitendum perſeuerare in bono; attamen ſuppoſito lapſu, & pœnitentia vera, lapſus, & peccatum affert vtilitatem maiorem, quàm ſi dormiuiſſet, & nihil illo tempore meruiſſet.

Ad secūdā.

27 Ad secundam obiectionem respondet Scotus ex eodem fundamento, quod aliud in gloria respondet meritis, & aliud respondet gratiæ, & ideò vnum potest præscindi ab alio. Rescindamus ergo gradus gloriæ debitos meritis, à gradibus gloriæ debitos gratiæ, inquit Scotus contingere posse, vt sint plures gradus gloriæ, qui respondent meritis, quàm qui respondent gratiæ. Quando ergo quis resurgit à peccato per contritionem, resurgit ad omnia priora merita, & adhuc superaddit nouum meritum, & consequenter resurgit ad omnes gradus gloriæ debitos prioribus meritis, & huic nouo merito; non resurgit autem ad priorem gratiam, sed ad aliam de nouo collatam, & quandoque minorem. Licèt ergo non resurgat ad gloriam debitam priori gratiæ, quæ erat maior, quia prior gratia non resurgit, sed noua datur, quæ potest esse minus intensa, non sequitur, quod non resurgat ad maiorem gloriam: vbi enim deficit gratiæ valor, supplet valor meritorum præcedentium, quæ reuiuiscunt, & recuperant totum suum valorem pristinum. Et sic habemus opinionem Scoti esse, resurgentem per pœnitentiam resurgere semper in pluribus meritis, & maiori gloria; non autem resurgere semper in maiori gratia. Neque esse inconueniens aliquem resurgere in pluribus meritis, & maiori gloria, & tamen in minori gratia: quia distincti sunt gradus gloriæ respondentes meritis, vt præmium essentiale; & gradus gloriæ respondentes gratiæ solæ. Vndè licèt quandoque gratia sit minus intensa in resurgente, & ex hac parte debeat resurgere in minori gloria, & præmio: tamen ex parte meritorum potest resurgere in maiori gloria: quia potest vltra merita priora addere nouum meritum, cui proprius gradus gloriæ correspondeat.

Opin. Scoti breuiter explicata.

1. Ratio pro opin. Scoti

28 Hanc opinionem suam probat Scotus, & primò probat fundamentum illud, quod alia gloria respondeat meritis, & alia gratiæ, & quod quis resurgere possit ad gloriam debitam meritis, etsi non ad gloriam debitam priori gratiæ, à qua cecidit, hac ratione: quia hoc congruum est diuinæ iustitiæ. Probatur, nam gratia prior fuit donum Dei, merita autem erant aliquo modo opera hominis: & ideò illa sunt semper sibi salua in acceptatione Dei; gratia verò non est semper salua hoc modo, vt per eam quatenus prius habitam homo ordinetur ad aliquod premium, sed solùm quatenus habet eam actu; merita verò sic salua manent, vt per ea iam habita, etsi actu propter impedimentum peccati habeant effectum suum suspensum, tamen viuant in acceptatione diuina; & ablato impedimento perfectè viuant, & habeant etiam effectum suum.

Notabile obseruādū.

Vbi nota, quod non vult dicere Scotus, quod merita sinè gratia habeant aliquem valorem, & illis respondeat aliquis gradus gloriæ: quia iam suprà millies diximus cum ipso in tertio agendo de merito Christi, & agendo de gratia, & iustificatione, opus liberi arbitrij sinè gratia habituali non esse meritorium; sed vult dicere, quod opus meritorium est aliquo modo hominis, quia est vtriusque, scilicet gratiæ, & liberi arbitrij effectus; gratia autem habitualis est effectus solius Dei; & ideò cum iam merita facta sint, & illis promissa sit gloria proportionaliter, Deus faceret contra iustitiam, si ob nouam iniuriam hominis peccantis nollet dare premium promissum illis operibus facta reconciliatione cum homine; licèt stante inimicitia non esset conueniens illud premium retribuere, quod repugnat ipsi inimicitiæ cum Deo. Quia autem largitio gratiæ Dei est merum donum Dei, non est necessarium, vt illam priorem restituat; etsi non restituit, non facit vllam iniuriam homini; sed sufficit, quod secundùm cooperationem hominis suæ vocationi, & auxilio preuenienti illam conferat de nouo.

2. Ratio.

29 Probat secundò idem rationibus deductis ex Sacra scriptura; nam gradum essentialem gloriæ correspondere merito deducitur ex varijs locis Sacræ scripturæ, in quibus dicitur, quod Deus reddet vnicuique secundùm opera sua; quæ sententia habetur Psalmo 61. in vltimis verbis, vbi dicitur, *Semel locutus est Deus, duo hæc audiui quia potestas Dei est, & tibi Domine misericordia, quia tu reddes vnicuique iuxta opera sua.* & Romanorum 2. *Qui reddet vnicuique secundùm opera eius.* Nusquam autem habetur, quod Deus reddet vnicuique secundùm habitum suum, seu secundùm gratiam habitualem. Hæc ergo opinio Scoti est valdè conformis Sacræ scripturæ.

30 Tertiò probatur idem, quia hæc assertio, quod per contritionem resurgant in pęnitente omnia merita priora simul cum merito nouo, licèt non resurgat maior gratia, sed quandoque minor, est conformis obseruationi legis diuinæ. Nam ad obseruationem legis diuinæ vtile est continuò facere opera meritoria, quamuis remissa, quantum possibile est, licèt gratia statim non augeatur; quoniam singulis operibus meritorijs correspondet in acceptatione diuina determinatus gradus gloriæ. Neque adeò expedit saluare gratiam, quantum expedit agere opus meritorium remissum, per quod non augetur gratia; quia etsi iste sic remissè agens non habeat maiorem gratiam per opus suum, quàm ille dormiens, in quo saluatur gratia sinè tali opere, nō tamen frustra iste agit, nec in nullo excedit illum, qui dormit; immò per illud, quod agit iam dignus est aliquo æterno bono, quò non est dignus ille, in quo saluatur gratia, & aliquod opus bonum non operatur. 3. Ratio.

31 Ex hoc fundamento sequuntur duo corrolaria. Primum est, quod aliquis habens plura merita, & secundùm illa existens dignus maiori gloria (loquendo de gloria, quæ respondet meritis, non de gloria, quæ respondet gratiæ, & de digno remotè, qui est ille, qui habet merita, sed mortificata, non de digno proximè, qui est ille, qui habet gratiam) damnatur; & alius dignus multò minori gloria isto modo saluatur. Ratio est, quia ille, qui habet plura merita prędicto modo, non est dignus propinquè, sed remotè, & habet ius suspensum: & rursus non est dignus respectu graduum gloriæ, qui gratiæ debentur, quia illam non habet. Alter verò etsi habeat pauciora merita, tamen quia est dignus propinquè propter gratiam, quam actu habet, & merita sua non habent ius suspensum: & rursus est dignus illorum graduum gloriæ, qui gratiæ respondent, ideò non damnatur, sed pręmium debitum consequitur: quia nulli datur pręmium correspondens meritis, nisi detur etiam præmium, & gloria correspondens gratiæ. Duo corrolaria deducit Scotus. Primum.

32 Quod si quis dicat, gloria, & pręmium respondens meritis est eiusdem rationis cum gloria, & præmio respondente gratiæ, & per quodcunque meritum augetur hoc pręmium, & gloria debita meritis, & gratiæ simul in diuina acceptatione; & sic meritis correspondet tantum pręmium, & gloria, quanta respondet gratiæ; idem corrolarium sequitur: nam potest contingere, quod aliquis continuò per merita augeat pręmium istud in acceptatione diuina continuò merendo, & deindè peccet, & damnetur. Alter verò non habens tot merita cumulata, sed habens gratiam in aliquo gradu inferiori determinato in illa moriatur, iste saluabitur; & sic sequitur, quod habens plura merita, sed mortificata, & per consequens maius ius in gloria, & pręmio, sed suspensum, damnetur: & è conuerso habens pauciora merita, sed viua, non mortificata, & minus ius in gloria, sed non suspensum, saluetur. Et hoc esse rationabile probat Scotus, quia inimico dum inimicus est quæcunque bona præterita non sufficiunt ad præmium consequendum. Qui autem habet plura merita mortificata, est inimicus, quia caret gratia, ideò dignitas illius in gloriam est remota: qui verò habet gratiam, licèt non habeat tanta merita est amicus Dei, & est dignus propinquè, & sic illi actu confertur gloria non alteri.

33 Secundum corrolarium est, quod merita magna, quibus respondet magna gloria, dum sunt mortificata non possunt minimam gratiam mereri, adeò quod licèt quis fecerit plura magna merita, & deinde cadat à gratia, Secundum corrolariū.

illa

illa magna merita præcedentia, non poſſunt eſſe cauſa meritoria, vt acquirat de nouo primam gratiam. Probat hoc Scotus, quia alioquin ſequeretur, quod qui cecidiſſet ſic à multis illis meritis, meruiſſet per illa merita, vt ab illo caſu reſurgeret per primam gratiam intuitu illorum meritorum priorum dandam, quod eſt omninò abſurdum.

34 Attamen inquit Scotus, non eſſe credendum, quod merita illa mortificata omninò nihil iuuent in acceptatione diuina ad acquirendam primam gratiam poſt lapſum, quia etſi ſecundùm strictam iuſtitiam iſte inimicus Dei non ſit dignus de propinquo ad aliquam gratiam, & gloriam; tamen excellens miſericordia Dei propter præcedentia merita, licèt mortificata, citius dat gratiam ad reſurgendum. Vndè ſubiungit, quod ſicut credit, quod perfectior grauius cadit propter maiorem ingratitudinem: ita credit, quod cęteris paribus citius reſurgit propter Dei benignitatem merita prædicta ad hoc aliqualiter acceptantem. Vndè inquit aliquando audiuiſſe de viro prius perfecto, & poſtea profundiſſimè lapſo, cum propter facinora ſua eſſet morti adiudicatus miſericordiſſimè viſitato perfectiſſimam pœnitentiam ſibi ſubitò inſpiratam fuiſſe. Atque adiungit (quod ſignum magnum pietatis Scoti eſt) iſtud benè debere allicere quemlibet ad ſemper meritoriè agendum pro viribus: quia ſiuè manſurus, ſiuè lapſurus ſit, non erunt iſta in obliuione totaliter coram Deo.

Aliæ rõnes pro opinione Scoti.

35 Hæc eſt ſententia Scoti, quæ confirmatur adhuc per auctoritates adductas pro opinione Okam, quæ licèt non probent hominem ſemper reſurgere in maiori gratia, ad quod probandum ab illis adducebatur, tamen probant ad minus redire priora merita integrè, & ſecundùm totum priſtinum valorem. Auctoritates autem ſunt illæ Ezechielis 33. *Impietas impij non nocebit ei in quacunque die conuerſus fuerit ab impietate ſua.* Noceret autem, ſi merita priora non redirent ſecundùm totum valorem: nam iam gratia non reddit per aduerſarios ſaltem ſecundùm totam priorem intenſionem, Ioel 2. *Conuertimini ad me, &c. Et reddam vobis annos, quos comedit locuſta, bruchus, & rubigo, & ruca.* & Lucæ 15. Pater familias Filio prodigo reſipiſcenti iubet reddi, *ſtolam primam.* His enim auctoritatibus accedente expoſitione Patrum videtur ſignificare reſtitutionem in integrum bonorum priorum. At ſi merita priora non redeunt ſecundùm totum valorem, cum non redeat etiam gratia, non viderentur habere vllum ſenſum verum.

Rñſio aduerſariorũ reijcitur.

36 Nec valet reſponſio Soto, & Valentiæ, quod auctoritates prædictæ concludunt, quod omnia opera bona reuiuiſcant quantum eſt ex parte Dei, ſi homo ſibi non deſit in recuperanda tanta gratia, quanta ad id ſufficit: non autem, quod de facto ſemper quò ad totum valorem reuiuiſcant, ſed ſolùm quò ad quantitatem reſpondentem gratiæ. Nam ſi hæc reſponſio valeret, auctoritates illæ, non haberent energiam, loquuntur enim abſolutè, *impietas impij non nocebit ei. Reddam vobis annos, quos comedit locuſta*, &c. At certè noceret, ſi non redirent omnia priſtina merita, & ſecundùm totum valorem eorum: dicere enim quod redeant, ſed ad ſub duplo minorem valorem, vt ait Soto, eſt nocumentum magnum pati. Neque valet dicere, quod oportet ſic exponere iſtas ſcripturas propter alias auctoritates dicentes gratiam dari ſecundùm menſuram conatus liberi arbitrij, vt eſt illud *qui parcè ſeminat, parcè & metet*, &c. 2. Cor. 9. quia hæ auctoritates concludunt de gratia, quod concedimus: at non loquuntur de meritis prius acquiſitis, & acceptatis à Deo.

37 Prætereà Deus acceptauit iam merita priora facta in gratia ad tot gradus gloriæ; ergo ſi ablato impedimento auferente, ſeu ſuſpendente ius illorum meritorum, non reſtituit merita, quò ad integrum valorem facit contra iuſtitiam, quod non eſt aſſerendum. At reſpondent Deũ acceptare illa merita dependenter à gratia, vel conſeruata, vel recuperata. Cæterùm ex hac reſponſione ſequitur, Deum valorem meritorum præſentium, quæ quis modo facit, non acceptare ſecundùm gratiam præſentem quando operatur, ſed ſecundùm futuram intenſionem, vel remiſſionem illius, vel alterius gratiæ, quod omninò vanũ eſt. Eſt ergo certè magis rationabile opera mortificata ſemper redire ſecundùm totum ſuum valorem: gratia verò ſecundùm conatum contritionis, & pœnitentię.

An reſurgant virtutes infuſæ prius.

38 Eſt modò dubium, an ſecundùm Scotum redeant aliæ virtutes, quæ prius inerant homini antequam caderet à gratia. Reſpondetur ſecundùm omnes catholicos virtutes quæ ammittuntur per peccatum, non eſſe virtutes morales acquiſitas: illæ enim manent etiam in peccatore: neque eſſe virtutes infuſas omnes; certum eſt enim manere fidem, ſimul & ſpem in peccatore. Amittitur ergo ſecundùm omnes ſolùm charitas, ſeu gratia, quæ ſecundùm Scotum ſunt vnum, & idem: ſecundùm verò Thomiſtas amittuntur etiam quædam virtutes, quæ dicuntur virtutes morales infuſæ: nam ſecundùm Thomiſtas pręter virtutes morales acquiſitas, dantur etiam quædam virtutes morales infuſæ diſtinctæ à Theologicis, & iſtæ ſecundùm eos per peccatum amittuntur, & ſecundùm eoſdem cum D. Thoma 3. p. quæſt. 89. art. 1. & 2. reſurgunt per pœnitẽtiam ſimul cum operibus mortificatis.

Diſſenſio inter Scotũ, & Thomiſtas quò ad redditã virtutum.

Verùm, quia Scotus non admittit dari has virtutes morales infuſas, vt patet ex eo in 3. d. 36. & nos ſuprà aliqualiter tetigimus diſputando, an pœnitentia ſit virtus ſupernaturalis, conſequenter eſt dicendum, has virtutes non reſurgere. Reſurgit ergo tantùm gratia, & charitas: & ad huc merita præcedentia, & noua illa addita per contritionem nouam.

An pœnitẽs ad priorem dignitatem reſtituatur.

39 Eſt aliud dubium, an pœnitens per contritionem, & pœnitentiam reſtituatur omninò ad priſtinam dignitatem. Ad hoc dubium ex dictis patet ſolutio. Reſpondetur enim communiter, quod dignitas perſonæ eſt duplex: alia eſt apud Deum: alia apud eccleſiam. Prior rurſus duplex eſt, ſcilicet primaria, & ſecundaria. Primaria conſiſtit in gratia, & virtutibus apud Deum: ſecundaria conſiſtit in quibuſdam circunſtantijs, & rationibus, quæ ſpectant ad aliquam prærogatiuam apud Deum, vt ſunt Virginitas, innocentia, & huiuſmodi. Prior dignitas apud Deum reſtituitur omninò, vt viſum eſt in præcedentibus. Secunda verò, vt virginitas, & innocentia, & ſi quæ ſimilia ſunt, nequaquam; propter illud principium. *Quod factum eſt, non poteſt infectum fieri.* Qui ergo amiſit virginitatem, & innocentiam, illam amplius recuperare non poteſt: licèt maiorem gloriam acquirere poſſit, iuxtà illud D. Gregorij hom. 34. de centum ouibus. *Qui erraſſe à Deo ſe cõſiderant damna præcedentia lucris ſequentibus recompenſant.* Quod patet in Magdalena, Petro, Paulo, & ſimilibus. Dignitas verò eccleſiaſtica, quæ ferè conſiſtit in facultate, ſeu vſu adminiſtrandi res eccleſiaſticas, vt videre eſt apud Syluestrum verbo *dignitas*, non ſemper beneficio ſoliùs pœnitentiæ, & contritionis reſtituitur, quia poteſt adhuc poſt contritionem manere ligatus aliqua cenſura eccleſiaſtica, vt aliqua irregularitate, vt patet ex materia de cenſuris, de qua ſuo loco.

Gratiam habitualem nõ ſemper ſtatim augeri poſt meritum, & obiectiones aduerſariorum contra opinionem Scoti nihil valere. Caput Tertium.

40 Contra hanc opinionem Scoti inſurgunt aduerſarij multis rationibus, & primò cõtra opinionem ipſam, quod merita reuiuiſcãt, quò ad totum valorem. Secundò contra fundamentum illud, quo innititur opinio Scoti, ſcilicet quod gratia non augetur ſtatim per quodcunque meritum, quod ſuſtinet Scotus hoc ſecundo articulo, & diſt. 21. quæſt. 1. poſt E. Contra primum arguit Soto vbi ſuprà in 4. diſt. 16. quæſt. 2. art. 2. & primò ſic. Gratia nihil aliud eſt, quam acceptatio ad gloriam; ergo reſurgere ad gloriam, vt decem nihil aliud eſt, quàm reſurgere ad acceptationem ad gloriam, vt decem: reſurgere autem

1. Ratio ex Soto.

ad ac-

ad acceptationem ad gloriam vt decem, est resurgere ad gratiam vt decem; ergo est impossibile resurgere ad omnes gradus gloriæ prius debitos, & ad omnia merita priora secundùm totum eorum valorem, & non resurgere ad totam gratiam priorem.

2. Ratio. 41 Confirmatur. Si homo esset gratus Deo non per qualitatem, quæ in eo existeret, sed quia diligitur à Deo eo modo, quo amicus amicum diligit, non posset fingi illum hominem esse acceptum ad gloriam vt decem, nisi diligeretur, & esset gratus vt decem; ergo ista tria sunt idem, diligi à Deo, gratum esse Deo, & esse acceptum ad gloriam; ergo licèt gratia sit qualitas, qua homo dicitur gratus, dilectus, & acceptus; tamen necessariò hæc qualitas debet esse æqualis ipsi gloriæ, & meritis; ergo falsa est opinio Scoti, qua asserit posse hominem resurgere in omnibus prioribus meritis, & acceptatione priori perfectam ad gloriam, & tamen non resurgere in gratia æquali priori, sed minori.

3. Ratio. 42 Tertiò. Priora merita erant accepta Deo ad tantam gloriam propter aliquam gratiam; ergo si homo resurgit per penitentiam ad eandem gloriam intensiuè, necesse est, quod resurgat ad eandem gratiam; alioquin merita illa resurgerent ad gloriam sinè proportionata causa illius gloriæ, quod est absurdum, & contra suppositum in antecedente.

4. Ratio. 43 Quartò. Fundamentum etiam illud Scoti, quod alia gloria respondeat meritis, & alia gloria, seu alij gradus gloriæ respondeant gratiæ videtur esse magis inopinabile, quàm opinio ipsa; quia acceptari ad gloriam nihil aliud est, quàm ipsa gratia; ergo est impossibile merita ipsa sinè gratia acceptari; ergo falsum est alios gradus gloriæ respondere meritis, qui non respondeant gratiæ, & distinguere inter gradus gloriæ debitos meritis, & debitos gratiæ.

5. Ratio. 44 Quintò arguit ad hominem. Si homo resurgit semper ad eandem gloriam respondentem omnibus meritis, quæ prius habebat; ergo resurgit ad eandem charitatem, quàm prius habebat. At secundùm Scotum gratia, & charitas sunt vnum, & idem; ergo resurgit ad totam priorem gratiam, non autem ad illam solam, quæ contritioni resurgentis respondet.

45 Et quia omnia ista argumenta procedunt ex hoc fundamento, quod valor meritorum est metiendus non solùm ex obiecto, & conatu liberi arbitrij, & alijs circunstantijs, sed ex gratia præsenti. Alij hoc fundamentum probant sic. Ex Sacra scriptura habetur pluribus locis, Deum non respicere, nec acceptare opera alicuius, nisi simul respiciendo ad gratiam, per quam tunc homo sit gratus Deo: ac proindè non acceptare opera vt meritoria gloriæ, nisi vt proueniunt à gratia, & ab homine filio Dei; ergo est impossibile resurgere priora merita ad omnem priorem gloriam, nisi per contritionem resurgat eadem, vel æqualis gratia in intensione priori gratiæ. Antecedens probatur. Loca Scripturæ sacræ sunt præsertim ista, Genesis 4. *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius.* Vt ergo Deus aliquid acceptet, in primis respicit ad gratiam personæ, Mathei 25. *Venite benedicti Patris mei percipite Regnum* &c. *Esuriui enim*, &c. Ratio ergo prima, propter quam consequuntur gloriam, est, quia sunt benedicti: deindè sunt merita, & opera bona, & similia.

6. Ratio. (beside "stantijs, sed ex gratia præsenti")

7. Ratio. 46 Vltimò in Concilio Tridentino sessione 6. cap. 16. dicitur. *Bene operantibus esse proponendam vitam æternam, & tanquam gratiam filijs Dei per Christum misericorditer promissam, & tanquam mercedem ex ipsius Dei promissione fideliter reddendam.* Merita ergo principaliter habent suam acceptationem ratione gratiæ præsentis, in operante deindè ob alias circunstantias: ergo est impossibile redire eadem merita in acceptatione ad gloriã priorẽ secundùm totũ suum valorẽ, nisi redeat tota gratia prior.

Ad rõnes allatas respondetur. 47 Rationes istæ nullius sunt momenti, omnes enim procedunt ex falso supposito, & fundamento valoris meriti malè intellecto. Notandum est ergo pro intelligentia, quod proculdubio verissimum est, opera nostra moraliter bona accipere valorem suum, & acceptationem ad gloriam æternam à gratia, in qua operans actualiter est constitutus: neque Scotus hoc vnquam negauit, sed millies, & constantissimè asseruit, & explicauit, vt patet ex dictis suprà distinct. 14. in materia de contritione, & in tertio in materia de merito Christi: hæc enim est veritas catholica, à qua recedere nephas est; sed est obseruandum, quod opera bona moralia habere suum meritum, & acceptationem ad gloriam à gratia potest intelligi duobus modis. Vno modo quod habeant valorem, & meritum suum à gratia, in qua homo tunc constitutus est, quando facit opera illa moraliter bona. Secundo modo quod habeant valorem, & acceptationem à gratia existente in homine, sed alio tempore diuerso ab eo, in quo operatur huiusmodi opera moraliter bona. Opera bona moraliter recipiunt valorem suum à gratia, quæ tunc est in homine, quando operatur bonum, non à gratia, quæ est in homine quando non operatur. Exempli gratia. Ego hodie sum in gratia, ieiuno; cras verò amitto gratiam per peccatum mortale; tertia die recupero gratiam per pœnitentiam, & facio eleemosinam: ieiunium, & eleemosina habẽt suum valorem, & acceptationem à gratia, sed non ab eadem gratia: neque enim ieiunium habet suum valorem, & acceptationem à gratia, à qua eleemosina habet suum meritum, & acceptationem: nimirum à gratia, quam habeo tertia die: neque eleemosina habet suam acceptationem, & meritum à gratia, à qua ieiunium habet suum valorem & acceptationem, sed vnumquodque opus à sua gratia. Hoc totum esse verum patet, quia gratia, quæ dat valorem operanti debet esse præsens in operante cum operatur opus bonum moraliter: gratia autem, quam habeo tertia die, non erat in me, nec præsens operationi meæ quando ieiunabam; ergo ieiunium illud nõ habuit suum meritum ab illa: idem euenit de gratia, à qua eleemosina accepit valorem suum.

Vnde opera nostra habeant valorẽ suum.

48 Ad propositum igitur dicimus, quod opera mortificata habuerunt, & habent suum valorem à gratia, quæ tunc erat in operante: nam propter illam acceptata fuerunt vt digna tanta gloria. Per gratiam autem contritionis in recidiuante, quæ est alia gratia posterior illa nihil valoris, vel acceptationis acquirunt, quoniam illa nõ fiunt à recidiuante, sed iam facta fuerunt: à gratia autem contritionis habent acceptationem, & valorem opera posteriora, quæ fiunt à pęnitente in gratia illa contritionis. Error ergo, & deceptio aduersariorum est hic, quod volunt opera mortificata præterita habere suum valorem, & acceptationem à gratia in recidiuante, quod tamen falsum est: quia habent suum valorem à gratia, in qua tunc temporis existebat operans quando illa fecit; & licèt illa gratia desierit, esse per aduentum peccati; tamen opera facta ex illa non pereunt in mente diuina, quia illa opera non sunt ipsa pura gratia, sed sunt aliquid ipsius hominis, & Deus iam acceptauit illa opera per illam gratiam ad gloriam. Peccatum adueniens autem nihil aliud facit, nisi quod suspendit effectum, & ius illorum operum propter inimicitiam, quæ contrahitur inter hominem, & Deum: at ablata inimicitia per nouam reconciliationem, & collationem nouæ gratiæ, illa opera, & merita redeunt in suo valore pristino, quem habebant, quia ille non pendet ab hac gratia, sed ab illa priori, in qua facta fuerunt: ab hac verò habent ablationem suspensionis sui iuris, & effectus.

Confirmatur opinio Scoti. 49 Et certè hæc via est magis rationabilis; sequeretur enim stante opinione aduersariorum, quod gratia contritionis, licèt minima, esset potentior maxima gratia, à qua quis cecidisset: nam illa dedisset vigorem solùm illis prioribus operibus moraliter bonis, hæc verò posterior daret valorẽ operibus illis iam mortificatis; & vlterius operibus bonis moraliter, quæ tunc pęnitens faceret, quod videtur sinè ratione, & fundamento dici, & esse absurdum.

1. Ratio. (beside "quis cecidisset")

2. Ratio. 50 Præterea stante illa opinione, sequeretur, quod qui triginta, vel pluribus annis semper ieiunijs, & operibus

bonis

bonis incumbuisset, & semper auxisset gratiam, & deindè caderet, & resurgeret, nunquam posset viuificare omnia opera bona illa mortificata: quia nō posset in reliquo vitæ tantum operari bonum, vt gratia eius augeretur ad æqualitatem gratiæ, quam prius amiserat; pono enim, quod laborauerit per triginta annos, & illinc ad decē moriatur, non posset illis decem annis tantum mereri, nec augere gratiam, quantum fecit illis triginta annis. Hoc autem esset maximum incommodum laborantibus in obseruatione Legis Christi, quod per vnum peccatum, à quo citò resurgerent, tantam iacturam facerent.

Ad primā rōnē aduersariorum.

51 Hinc ad argumenta aduersariorum. Ad primam concedo, gratiam esse acceptationem ad gloriam; nam licèt gratia sit qualitas supernaturalis infusa animæ, est tamen ratio acceptationis diuinæ illius, in quo ipsa est, & ideò gratiam, & acceptationem ad gloriam pro eodem nunc possumus accipere: nego autem primam consequentiam. Nam resurgere ad gloriam non est resurgere ad acceptationem ad gloriam, sed est auferre impedimentum, & suspensionem acceptationis ad gloriam, quæ acceptatio facta fuerat per priorē gratiā, in qua opera mortificata facta fuerunt. Ceteræ autē consequentię in argumento pēdent ex illa consequentia: ideò illa negata cæteræ ruunt.

Ad secūdā.

52 Ad secundam, seu ad confirmationem respondetur illam concludere, esse idem gratiam, esse gratum, & esse acceptatum, seu acceptationem ad gloriam: quod non est contra nos: hoc enim concedimus, licèt in re sit aliqua differentia vt ex se patet, & aliàs explicatum est. Nostra autem difficultas non est posita in hoc, sed in eo quod dicimus opera mortificata habere quidem valorem ex acceptatione, & gratia Dei, sed ab illa priori, in qua facta fuerunt, non ab hac posteriori, in qua resurgens resurgit, sed ab hac habere solùm ablationem impedimenti, & suspensionis effectus ipsius acceptationis prioris.

Ad tertiā.

53 Ad tertiam dicimus opera illa, & merita priora fuisse accepta per aliquam gratiam, scilicet illam priorem, in qua facta fuerunt, non per istam posteriorem habitam per contritionem. Vndè cum infertur; ergo debet resurgere ad eandem gratiam, negatur consequentia: quia sufficit, quod tollatur impedimentum, & suspensio illius prioris gratiæ per gratiam subsequentem. Cum infertur ergo illa merita resurgerent ad gloriam sinè proportionata causa illius gloriæ, negatur consequentia: quia causa proportionata fuit prior gratia, cuius effectus fuit p peccatū suspensus: gratia aūt in qua resurgit, est causa proportionata ad auferendū illā suspēsionem, & hoc sufficit.

Ad quartā.

54 Ad quartam respondetur, fundamentum illud iam à Scoto, & à nobis probatum esse: nam certum est paruulum baptizatum non esse acceptatum à Deo ad tantam gloriam, ad quantam acceptatur adultus benè operans; ergo ratione operis meritorij crescit gloria. Hoc autem non intelligitur sic, quod distinguamus inter gradus gloriæ debitos gratiæ, & gradus debitos meritis, itaut nudis operibus sinè intuitu gratiæ conueniant aliqui gradus gloriæ: hoc enim est Pelagianum; sed dicimus, quod ipsis operibus bonis simul cum gratia, & intuitu gratiæ existentis in anima competunt aliqui gradus gloriæ, qui non competerent vi solius gratiæ: quia videmus adultum ordinari, & acceptari ad maiorem gloriam propter merita, quàm paruulum baptizatum, in quo est nuda gratia.

Ad quintā.

55 Ad quintam concedimus quidem esse idem gratiam, & charitatem, negamus tamen resurgentem resurgere ad eādem charitatē, quā prius habebat, sed dicimus resurgere ad valorē, & effectum eiusdem charitatis, licèt gratia, & charitas, in qua resurgit, sit minor: quia ista non dat acceptationē, & valorem illis meritis prioribus mortificatis, sed solùm aufert impedimentum, & suspensionē effectus illius prioris gratiæ, & charitatis.

Ad sextā, & septimā.

56 Ad sextam, & septimam quæ facit Valentia concedimus illud antecedens Deum acceptare opera ad gloriam ratione gratiæ; hoc enim probatur per illam auctoritatem, & per Concilium, & principaliter acceptari opera nostra per gratiam: ipsa enim in ratione acceptationis est causa principalis, & liberi arbitrij conatus causa minus principalis, vt ibi suprà agendo de merito diximus, & aliàs dicemus. Negatur autem semper illa consequentia, quod necessarium sit resurgentem à peccato resurgere in æquali gratia illi priori: & ratio iam dicta est, quia ista posterior gratia non dat valorem, & acceptationem illis, sed solū aufert impedimentū, & suspēsionē effectus illius.

An gratia statim post meritū augeatur.

57 Est aliud dubium in opinione Scoti allata, nam dixit non esse idem habere plura merita in acceptatione diuina seruata in ordine ad gloriam, & præmium pro eis reddendum, & habere maiorem gratiam intensiuè. Hoc autem probabat: quia etsi quodcunque opus moraliter bonum, & meritorium, & factum in gratia mereatur non solùm proprium præmium essentiale, sed etiam augumentum gratię, vt apertè dixit suprà distinct. 21. quæst. 1. E. quia gratia est dispositio ad gloriam, & consequenter si opus meritorium meretur proprium aliquem gradum gloriæ essentialis, necessariò sequitur vt etiam mereatur gradum gratiæ illi gloriæ proportionatum, vt ibidem docet Scotus: tamen non semper Deus dat statim post meritum ipsi merenti augumentum illud gratiæ, sed differt illud vsque ad instans mortis, vt ibidem diximus: & proindè ex hoc deducebat, quod non sit idem habere plura merita, & maiorem gratiam intensiuè: quia potest contingere, quod quis habeat plura merita, & tamen habeat minorem gratiā alteri habente pauciora merita. Hoc autem assumptum, quod gratia non statim augeatur cum quis meretur, videtur falsum. Vndè de hac re est magna controuersia inter Theologos, & diuersi diuersas sententias habent, quas pertractat Vasquez par. 2. disp. 220. cap. 2. de qua re aliàs diffusè, cum agemus de augumento charitatis, & alijs pertinentibus ad gratiam habitualem, & iustificationem, de quibus agit Scotus in 1. dist. 17. pro nunc breuiter explicabo fundamenta Scoti, & obiectiones aduersariorum reijciam.

Opinio Scoti.

58 Obseruandum est ergo, vt dictum est nunc suprà, quod Scotus apertè sustinet per quodcunque meritum hominem ordinari ad aliquem gradum gloriæ essentialem, quod patet ex locis Sacræ scripturę superius adductis promittentibus bonis operibus vitam æternam. Ex hoc autem sequitur, quod etiam per idem meritum homo mereatur augumentum gratiæ illi proportionatum: quia ex fide habemus, gratiam esse dispositionem ad gloriam: opera enim moraliter bona, sinè gratia nihil valent. Hæc sunt clara. Sustinet modò adhuc Scotus, quod tamen non semper statim Deus confert augumentum gratię ipsi operanti bonum opus, & meritorium, sed quādoq; & vt plurimum differt illud vsque ad articulum mortis, vt diximus d. 21. loco citato, quò fit, vt quādoq; quis habeat plura merita, & minorē gratiā, quod erat intētum suum. Verū quæ sit ratio huius suæ assertionis, quod non statim cōferatur à Deo augumentum gratiæ, est obscurum. Vasquez vbi suprà parte secunda, disput. 220. cap. secundo, asserit esse hanc. Augumentum gratiæ datur homini merenti non solùm vt præmium illius actus meritorij, sed etiam vt sit forma gratificans ipsum merentem; omnis autem forma requirit dispositionem proportionatam ad sui introductionem; dispositio autem proportionata ad inducendum augumentum charitatis est, quod actus meritorius semper sit intensior habitu ipso charitatis, quia communiter habitus non augetur per actus remissiores ipso, sed solùm per actus intensiores: necesse est ergo ad hoc vt charitas actu recipiat augumentum, quod meretur, actus sit intensior ipso habitu, ideò quando actus sunt remissiores, non confertur augumentum charitatis vt forma, sed solū vt præmium, & hac de causa non confertur pro hoc statu, in quo datur, vt forma, sed in extremo vitę, in quo vt pręmium cum alijs pręmijs essentialibus ipsi merenti confertur.

Modus dicendi Vasquez.

Vera explicatio rōnis Scoti.

59 Hæc explicatio proximè accedit ad sensum rationis Scoti, tamen vera ratio, & propria Scoti est hæc, quod com-

communiter habitus non augetur nisi per actum intensiorem, vel per plures remissos, vt habetur ab eodem ... 17. in quæstionib. de augmento charitatis. Modò sæpè contingit, vt quis habens habitum charitatis, & gratiæ habeat aliquem vnum, vel aliquos paucos actus meritorios, qui ppter suã remissionem non sint apti nati augere illum habitum, & tamen cum sint actus meritorij merentur aliquem gradum gloriæ, & consequenter aliquem gradũ gratiæ proportionatẽ; tñ Deus tunc non confert illum gradum gratiæ, nec auget habitũ, quia actus ille non est aptus natus illũ habitũ augere: licèt ergo actus ille, vel illi sint meritorij aliquorum graduum gloriæ, & consequenter gratiæ, tñ non est necesse, quod semper augeat habitum gratiæ; quia hoc non est necessariũ ex ratione, & natura actus, & habitus in cõmuni, vt dictum est: solùm videtur necessariũ ratione meriti, quia augumentũ gratiæ debetur illi actui, sicut & augumentũ gloriæ vt præmiũ: at hoc nõ cogit, quia potest Deus hoc præmium reseruare in fine vitæ cum alijs præmijs essentialibus. Non est ergo necessarium, vt statim semper Deus conferat augumentum gratiæ cum quis illud meretur, sed sufficit si conferat illi in finem vitæ; sic enim non priuat actum illum suo præmio.

60 Regulariter est & dicendum, vt plurimum Deum hoc facere, quia pro statu isto cõmuniter habitus non augetur nisi per actus intensiores, vel plures remissos. Cũ ergo qs facit actus remissos, & paucos, etsi mereatur magis quã ille, qui dormit in eadẽ gratia, & cõsequenter mereatur maiorem gloriam, & gratiã; tamen Deus illã tunc non confert, vt seruet proportionem rerum, habitus, & actus præsentis vitæ: hic autem est vt habitus non augeatur nisi per actum intensiorem, vel plures minus intensos, non autem per vnum, vel paucos minus intensos.

Alia ratio ad idem.

61 Adest alia ratio Theologica. Nam vt ait Scotus in Reportatis in hac quæstione, Deus non retribuit pro omnibus bonis actibus; sed reseruat ad augumentum gloriæ post vitam. Vndè ait, se credere Deum non dare tantam charitatem existentibus in hac vita, sicut post, nisi animæ Christi, & Beatæ Mariæ Virginis, quibus ait, se credere dedisse tantam charitatem in vita, sicut nunc habent in Paradiso. In alijs verò (ait) ex multis actibus bonis potest aliquando sequi aliquis gradus maior in charitate, & aliquando non sequitur maior, nisi post mortem.

62 Fundamentum verò illud Scoti, quod habitus charitatis non augeatur nisi per actum intensiorem habitu, vel per plures remissiores, multò magis probat in proposito nostro pœnitentem non posse resurgere semper in æquali gratia, & charitate cum priori, à qua cecidit. Nam potest contingere, quod quis multo tempore persistens in gratia, & continuò merens, per opera bona meritoria adauxerit multum habitum gratiæ, & simul merita ad gloriam; deindè cadens ab illa, & resurgens habeat actum contritionis, non tamen ita intensum sicut erat habitus prior; ergo gratia, quam resurgendo recuperat, non erit æqualis, nec ita intensa sicut gratia, à qua cecidit; habebit tamen maiora merita, quàm quando occidit, quia recuperabit priora, & addet hoc vltimum meritum contritionis ad priora. Quare opinio Scoti videtur longè alijs probabilior.

Obiectiones Vasq. contra Scotum.

63 Contra hanc opinionem Scoti arguit Vasquez vbi suprà cap. quinto, tribus rationibus satis prolixis, ex quibus hæc est summa. Fundamentum opinionis Scoti videtur esse proportio acrementi habitus acquisiti, & infusi: vndè sicut habitus acquisitus non augetur nisi per actum intensiorem, vel plures remissos; ita philosophatur de habitu infuso charitatis, & gratiæ: at hæc proportio est nulla; ergo minor probatur: quia habitus acquisitus augetur per actus tanquam per causas physicas: ideò cum non sunt intensiores, vel crebriores, non possunt augere habitum: at habitus infusi augentur per actus tanquam per causas meritorias; ergo vnusquisque actus est sufficiens dispositio, vt statim addatur augumentũ habitui quod illi cõpetit, quia vnusquisque meretur propriũ augumentũ.

1. Ratio.

64 Secũdo de facto hoc probatur, quia ex Conc. Trid. sess. 6. c. 10. cui titulus est de acceptæ iustificationis incremento, habetur; quod sicut peccator quouis nouo opere peccati redditur magis peccator, sic iustus quouis opere bono magis iustus fit, iuxta illud Apocalypsis, *Quis iustus est iustificetur adhuc, & qui in sordibus est sordescat adhuc.* & disertè dicit Concilium hominem iustum quotidie crescere in ipsa iustitia per gratiam Christi acceptam; ergo cum diffinitio Concilij sit vniuersalis, dicẽdum est per quodlibet opus bonum, gratiam ipsam augeri statim. 2. Ratio.

65 Tertiò. Nihil obstat, quod habito opere bono meritorio augumenti gratiæ ipsum augumentum statim conferatur; ergo. Antecedens probatur, quia si quid obstaret, illud præsertim esset, quod simul tempore meritum, & præmium esse non possint, sed meritum debeat tempore præcedere præmium: hoc autem nihil impedit; ergo. Minor probatur, quia in Sanctis Patribus præcessit præmium ipsum meritum: nam Sancti Patres habuerunt gratiam per merita Christi, & tamen tunc temporis meritum Christi non erat exibitum; ergo multò minus impedit, quod præmium simul tempore sit cum ipso præmio: & maximè in proposito hoc concludit: quia omnes Scolastici asserunt, meritum intensius statim consequi suum augumentum; ergo nihil impedit meritum simul tempore esse cum præmio. 3. Ratio.

66 Ad has obiectiones facilis est responsio ex fundamento eiusdem Scoti, quod est valde probabile: nam licèt Deus operantibus opera meritoria augeat gratiam communiter, non tamen sequitur, quod hoc semper sit verum ita quod quicunque viator iustus ad vnguem habeat totam illam intensionem gratiæ, & charitatis, quam habebit in patria. Hoc enim videtur priuilegium particulare animæ Christi, & Beatæ Virginis, & consonat dispositioni ordinariæ legis diuinæ, quæ non in hac vita facit retributionem meritorum, sed in alia vita: neque in perfectione eam æquat vitæ futuræ. Sicut ergo in alia vita retribuit gloriam ad æqualitatem meritorum, ita etiam tunc retribuit gratiam ad æqualitatem. Vndè nullum detrimentum patitur iustus merens ex hac parte; quia iam meritum manet in acceptatione diuina, & suo tempore præmium habebit. Ad allatas obiectiones.

67 Ad primam ergo obiectionem respondetur verum esse actus meritorios augere habitum infusum, non phisicè, sed meritoriè: negamus tamen ab hoc sequi statim debere additionem augumenti: quia Deus in illis seruare potest proportionem augumenti in habitibus acquisitis, & est probabile non semper per quemcunque actum remissum illum habitum augere, sed reseruare illud præmium ad finem vitæ, in quo adæquatam gratiam gloriæ, & meritis dabit. Ad primã.

68 Ad secundam respondetur auctoritates adductas, & Concilium ipsum saluari, si dicamus hoc fieri quando iustus per opera intensiora se promouet, quæ sunt apta nata augere habitum proportionaliter ad habitus acquisitos: non est autem necessarium, vt dicamus hoc semper, & quolibet vice, & quocunque actu minus intenso accidere; quia regulariter homo nõ habet pro statu isto totam gratiã, quam habebit in patria, vt dictum est. Ad secũdã.

69 Ad tertiam concedimus nos hanc viam sustinere propter aliquam incompossibilitatem simultatis meriti, & præmij, vt dictum est. Dicimus enim non repugnare statum esse simul meritum, & præmium, & in omnibus; sed dicimus hoc non esse necessarium, & de facto non esse conforme legi ordinariæ Dei, qui seruat debitam proportionem in augumentatione habitus infusi, quam seruat in acquisito, & quia secundùm ordinariam legem non dat totam gratiam debitam merito pro hac vita, sed reseruat in alia vita. Ad tertiã.

FINIS.

Libri ſtampati da Marco Ginami alla Libraria della Speranza.

D. Laurentij Iuſtiniani opera omnia f.
Dioſcoride del Mattiolo Volg. con figure f.
Fauentinus in quattuor Libros Sententiarum f.
Idem De Prędeſtinatione f.
Idem De Pœnitentia f.
Vite di Plutarco Volg. 4.
Orlando Furioſo grande 4.
Parere ſopra li Caratteri del Manico del Coltello di S. Pietro 4.
Conſiderationi Politiche del Zuccoli 4.
Diſcorſi dell'Honor del Zuccoli 4.
Diſcorſi ſopra Cornelio Tacito del Maluezzi 4.
Diſcorſi contra il diſpiacer del morir del Gliſſenti 4.
De operibus Sex Dierum 4.
Tragedie di Seneca tradotte in Volg. dal Nini 8.
Sommario delle Scienze del Sig. Domenico Dolfino 8.
Capricci del Bottaio del Gelli 8.
Horribile Inferno del Gliſſenti 8.
Sentiero al Paradiſo del Petrelli in Rame, & in legno 12.
Concerto di Rime del Petrelli 12.
Ducento ſignificati della Meſſa 12.
Ode del Piacentini 12.
Galeria delle Vergini di D. Celſo Roſini 12.
Spenſierato fatto penſieroſo 12. } *Fauole del Gliſſenti.*
Morte Innamorata 12.
Diligente, ò ſollecito 12.
Giuſta Morte 12.
Huomo Innocente 12.
Poſſanza della Carne 12.
Mercato della vita humana 12.
Regole di San Franceſco 32. Lat. & Volg.
Libri diuerſi in lingua Slaua, & in carattere Slauo.

5-2